R.P. RODERICI DE ARRIAGA, E' SOCIETATE IESU, ...

Rodrigo : de Arriaga, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 A
41 1
7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S-11-I-7

R. P. RODERICI

DE ARRIAGA,

E SOCIETATE IESV,

LVCRONIENSIS HISPANI, S. THEOLOGIÆ Doctoris, & in Cæſarea, Regiáque Pragenſi Vniuerſitate olim Profeſſoris, nunc eiuſdem Vniuerſitatis Cancellarij;

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

in tertiam Partem Diui THOMÆ. Vniuerſi Curſus Theologici,

TOMVS SEPTIMVS,

COMPLECTENS TRACTATVM DE SACRAMENTIS in genere, & de Euchariſtia.

EDITIO NOVISSIMA.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS BOHEMIÆ SOCIETATIS IESV.

EGo Ioannes Dakazat, Prouinciæ Bohemiæ Societatis IESV Præpoſitus Prouincialis, iuxta poteſtatem ad id mihi factam ab admodum Reuerendo Patre noſtro Vincentio Carrafa, Præpoſito Generali, facultatem do, vt Tomus *de Sacramentis in communi & de Eucharistia* à Reuerendo Patre RODERICO DE ARRIAGA Societatis noſtræ Preſbytero, ac S. Theologiæ Doctore, conſcriptus, & ab aliquot Theologis noſtris ritè examinatus, & probatus, in lucem edatur. Pragæ xx. Septemb. anno M. DC. XLVIII.

IOANNES DAKAZAT.

APPROBATIO CENSORIS.

TRACTATVS hic de *Sacramentis R.P. Roderici de Arriaga* è Societate IESV S. Theologiæ Doctoris, & Cæſareæ, Regiæque Pragenſis Vniuerſitatis Cancellarij, duobus conſtans Tomis, Catholicæ Fidei ac bonis moribus conſonis, luce publica digniſſimus eſt ob doctrinam quam continet, perutilem, exactam, profundam atque perſpicuam. Actum xx. Decembris M. DC. LIV.

Guil. Bolognino S. Th. Lic. Eccl. Cath.
Can. & Lib. Cenſor Antuerp.

Digitized by Google

CENSVRA OPERIS.

NOs infraſcripti teſtamur, nihil nobis in his Operibus Theologicis *R.P. Roderici de Arriaga*, è Societate IESV S.Theologiæ Profeſſoris, prorſus occurriſſe à bonis moribus, & Catholica fide, Theologorúmque placitis alienum. In cuius rei fidem hoc teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum dedimus. Lugduni die 10. Aprilis, 1642.

IOSEPHVS GIBALINVS. CAROLVS DV LIEV.

Facultas R. P. Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunenſi.*

IOANNES GAYETVS, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij, 1611 conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societ. hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant: Permitto LAVRENTIO ANISSON, Bibliopolæ Lugdunenſi, vt *Opera Theologica R.P. Roderici de Arriaga*, noſtræ Societatis, à duobus Patribus eiuſdem Societatis recognita, imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 11. Aprilis. 1642.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ, & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ac præſentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet, *Opera Theologica R.P Roderici de Arriaga*, è Societ. IESV S. Theologiæ Profeſſoris, præter LAVRENTIVM ANISSON, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem authoritate Regis omnibus ſuis ſubditis, eadem Opera extra Regni ſui limites imprimenda curare, vel quenquam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Lugduni die 31. Auguſtini, 1642.

De mandato Regis.

Signatum,

FAVVRE.

Prima editio finem ſortita eſt die 15. Iulij 1669.

R.P. RODE

Digitized by Google

R. P. RODERICI

DE ARRIAGA,

E SOCIET. IESV.

TRACTATVS

D E

SACRAMENTIS.

TRACTATVS PRIMVS, DE SACRAMENTIS IN GENERE.

P R O OE M I V M.

EXPLICATO Incarnationis myſterio oportet de his mediis agere, quæ Chriſtus Dominus ſingulariter in Lege gratiæ, vt faciliùs æternam ſalutem obtineremus, inſtituit: ea autem ſunt ſeptem Eccleſiæ Sacramenta ſeptem illis columnis, quas Sapientia ad fulciendam ſuſtentandámque domum ſuá excîdit, præfigurata clariſſimè. An non Verbum ipſum Diuinum Chriſtus Dominus ipſa eſt æterni Patris Sapientia? An non Chriſti Domini Domus Eccleſia eſt; An non Euchariſtiæ Sacramentum, vtpote inter omnia ſeptem nobiliſſimum, ſtatim præſignatum eſt, ac quaſi digito oſtenſum, dum poſt exciſas ſeptem columnas, vinum & menſa præparata ſubiunguntur? Sed de figuris, quibus ſeptem hæc Sacramenta in Lege veteri aut etiam in nouâ denotata ſunt, non eſt noſtrum agere; ſpectat id propriè tum ad Controuerſiſtas, vt hæreticos ea Sacramenta vel ex integro vel ex parte negantes rejiciant; tum ad Interpretes ſacroſanctæ Scripturæ; fortè ad Concionatores. Nos more noſtro ad ſcholaſticas difficultates circa ea Sacramenta occurrentes deſcendamus. De Sacramentis diſputant Antiquiores cum Magiſtro in 4. Sententiarum, & Recentiores cum D. Thomâ 3. par. à quæſt. 60. & è noſtris ibi latiſſimè Suarez, Vaſquez, Cardinalis Lugo, Tannerus, & alij.

Sacramenta ſeptem columnæ in domo Sapientiæ.

Eccleſia domus Sapientiæ.

Aduerte, hæreticos, quia noſtræ Fidei myſteria reprehendere non poſſunt, ad voces paſſim, ad Grammaticam diuertere, vt vel in eis quod corrodant

Hæretici nomen Sacramenti vt barbarum rident.

Digitized by Google

rodant inueniant; & vt ſexto Tomo diximus de voce *Incarnatio*, ita hîc vocem *Sacramentum* quaſi barbaram & omnino nouam exſibilant: ſed cùm voces non natura, ſed hominum acceptio barbaras fecerit vel elegantes, quid barbaram obganniunt vocem, quæ à toto orbe ad hoc ſignificandum vſurpatur? Quia fortè eam Ennius vel Tullius ignorauit? Quaſi ad myſteria, quæ antiquos Latinos prorſus latuêre, debuiſſemus in ipſis nomina propria quærere. Barbari ergo erunt ipſi hæretici ſicut re, ita & nomine, cùm Tullius vocem *hæreticus*, quia talia monſtra ignorauit, non legatur vſurpaſſe.

DISPVTATIO PRIMA.

DEFINITIO SACRAMENTI.

1 DIFFICVLTAS hæc magna ex parte eſt de nomine, ſcilicet cui rei ſignificandæ appoſita ab Eccleſia vox *Sacramentum*. Pro quo aduerte, eſſe poſſe varia gratiæ ſigna, alia purè ſpeculatiua, alia practica, alia ſolius gratiæ interna ſigna, alia ſimul & externa; quæ autem ex his vocanda ſint Sacramenta, haud dubiè eſt quæſtio de voce, quæ eo ipſo non meliùs decidi poterit, quàm ſi attentè ea omnia quæ dicta ſunt ab omnibus Sacramenta conſideremus, & in quibus inter ſe conueniant, & quo diſtinguantur ab aliis rebus, quæ Sacramenta non dicuntur, perpendamus; eò enim ipſo exactam habebimus declarationem Sacramenti, prout hæc vox vſurpatur ab Eccleſia.

SECTIO I.

Quædam præſupponuntur.

Auctores qui docent Sacramentum non poſſe definiri.

PRIMÒ à Patre Vaſquez Tomo 3. in 3. Par. diſp. 128. cap. 2. moueri dubium, Vtrùm Sacramentum poſſit definiri; refert autem tacito nomine aliquos Recentiores, qui tribuunt Scoto, Richardo & Occamo ſententiam negantem poſſe definiri Sacramentum, eò quod Sacramentum ſit ens per accidens; quod non poteſt, iuxta Ariſtotelem 7. Metaphyſicæ cap. 4. definiri: agit autem ibi de mente eorum Auctorum, quos ait non negaſſe, poſſe Sacramentum definiri, niſi ſummùm primariè, quatenus, iuxta Ariſtotelem, cui adhæret ipſe Vaſquez eo loco, ſolæ ſubſtantiæ videantur poſſe primariè definiri.

2 Ego in hoc puncto non cenſeo hærendum, quia quæſtio eſt de puro nomine, & quidquid dixerit Ariſtoteles, ſi res benè conſideretur, ita perfectè & primariè poteſt definiri accidens, & quodlibet totum artificiale, quàm quælibet ſubſtantia: etenim definitio aliud non eſt quàm declaratio eſſentiæ, ſeu prædicatorum eſſentiæ, ſeu prædicatorum eſſentialium rei alicuius, per genus & differentiam: certum autem eſt tam primariè albedinem v. g. habere ſua prædicata ſibi eſſentialia, ſuam rationem eſſentialem genericam, qua conuenit cum aliis coloribus, & ſuam differentialem, qua ab eis diſtinguitur, quàm materia prima habeat ſua prædicata ſibi eſſentialia, generica & differentialia. Idem dico de ente artificiali, de domo v. g. nam etiam domus in ratione talis habet eſſentialia ſua prædicata generica, quibus conuenit cum aliis rebus artificialibus; habet itidem prædicata propria & differentialia, quibus diſtinguitur à ponte v. g. aut à ſtatua, &c. ergo poſſunt definiri tam propriè & primariè ea entia quàm ſubſtantiæ. Cuius ratio à priori facillima eſt, quia licet albedo v. g ſit extra eſſentiam hominis, ac proinde dum homo definitur, non definiatur albedo, aut color; non eſt tamen extra ſuam propriam eſſentiam, & ſibi tam eſt (vt ſic dicam) primaria quàm materia ſibi ipſi; ergo ego tam poſſum declarare primariè eam eſſentiam albedinis, quàm eſſentiam materiæ primæ & hominis. Non eſt ergo cur in hoc puncto Vaſquez aut alius quærat nodum ſiue ex Ariſtotele, ſiue aliunde, niſi rem reducat ad voces, & per eas formet difficultatem, vbi nulla penitus eſt. Quod verò tacito nomine videtur Vaſq. inſinuare, à P. Suario non benè citatos eos Auctores, quaſi negantes poſſe definiri Sacramentum, cùm tamen id non negauerint, hoc inquam parui momenti eſt; ſed quia etiam in paruis punctis amo ſinceritatem, & P. Suar. vt pote de Scholis ſummè meritum, nollem ſine fundamento etiam in citationibus reiici, aduerto dixiſſe quidem ipſum, aliquos Auctores negaſſe eam definitionem, quia fortè Recentiores aliquos ea de re audiuit; illos verò tres, quos Vaſquez citat, non aſſertiuè retulit, ſed quòd dicantur id negaſſe: poſt quæ addidit, nec Scotum id vnquam negaſſe, nec de re vllum poſſe in eo puncto diſſentire. Vides Suarium ſolidè etiam in ea citatione proceſſiſſe?

Ratio à priori, cur accidentia & arte facta definiri poſſint.

3 Suppono Secundò, ab eodem P. Vaſq. n. 16. moneri recentes Philoſophos, ne facilè ſe decipi permittant, aut trahi ſe quocumque vento doctrinæ ab aliis, qui minùs intellexerunt Ariſtotelem, & qui proinde docuere accidentia vniuocè conuenire cum ſubſtantia; ait enim Vaſq. omnino conſtare, accidentia non eſſe entia verè & propriè, ſed entis entia; & eodem modo ens prædicari de accidente, ſicut ſanum prædicatur de vrina, aut pomo; ac vti etiam non-ſcibile dicitur ſcibile; vnde infert, ſolùm analogicè eſſe entia. Hoc inquam minùs benè dictum iudico Primò, quia (vt oſtendi fusè in Logica) accidens non analogicè, ſed vniuocè conuenit cum ſubſtantia in illa ratione abſtracta entis. Secundò, quia quidquid ſit de vniuocatione (in quo punctò adhuc eſſe poteſt maior difficultas, licet de nomine) improbabile omnino eſt quod ait Vaſq. accidentia non eſſe verè & propriè ens, ſed eo ſolùm modo, quo non ſcibile dicitur ſcibile, aut quo vrina dicitur ſana. Pro quo

Reiicitur Vaſquez aſſerens accidentia eſſe tantùm analogicè entia.

Digitized by Google

Quid nomine entis intelli gi debeat. quo ſuppono nos nomine *entis* non ſignificare ſubſtantiam, ſed aliquid abſtractum, hoc eſt, id quod poteſt à parte rei exiſtere, ſeu id quod ſi exiſtat, non ſequentur duo contradictoria: quo poſito, nónne eſt euidens lumine naturæ, verè & propriè, non fictè, non impropriè, albedinem, colorem, volitiones, odia, amores eſſe extra ſuas cauſas verè produci, ex eorum exiſtentia non ſequi duo contradictoria, non magis quàm ex exiſtentia ſubſtantiæ; item accidentia verè & propriè operari, imò in multorum

4 *Quare accidentia dicantur entis entia.* ſententia ea ſola; item ea videri, audiri, &c. quæ omnia ſunt propria ſolius entis realis. Quòd autem dicantur entis entia, pertinet ad modum loquendi: ibi enim *τὸ entis* vſurpatur non pro ente vt ſic, ſed pro ſubſtantia; ac ſi diceretur, *Accidens eſt ſubſtantiæ ens*, ſeu *nobilioris entis ens*; per quod non eis tollitur quò minùs verè & propriè ſint entia, vti quòd actus intellectus reflexi ſint cognitio actus intellectus, non tollit quò minùs & ipſi ſint veriſſimi & propriiſſimi actus intellectus; & ſicut amor amoris eſt veriſſimus amor, ita entis ens eſt veriſſimum & propriiſſimum ens. Similitudo verò de ſano allata à Vaſquez non eſt ad rem; nam vrina ſolùm dicitur ſana, quia eſt ſignum ſanitatis, aut effectus illius, in ſe verò non habet ſanitatem: at accidens non eſt ſolùm ſignum ſubſtantiæ, ſed in ſe verè & propriè eſt extra cauſas, habet vim operandi, realiter terminat actionem, qua producitur, ſicut ſubſtantia, &c. in præſenti autem ſolùm vſurpamus ens pro eo quod habet exiſtentiam extra cauſam, vt dixi; quod non repugnat, quòd opponitur chimæræ; ergo non poteſt vlla ratione explicatis terminis negari accidens;non per figuram & mutationem, ſed verè & propriè eſſe ens, non minùs quàm ſubſtantia ſit ens: ſicut verè & propriè non ſola materia prima, ſed etiam forma ſubſtantialis eſt ens, eſto materia poſſit eſſe ſine ea forma, forma verò requirat materiam, ideóque ſint in ea veluti entis ens. Altera verò inſtantia de

5 non-ſcibili, quod dicitur ſcibile, multò minùs eſt ad rem; quia duo contradictoria non poſſunt vni rei conuenire propriè; vnde repugnat, vt id quod eſt propriè non-ſcibile, ſit ſimul propriè ſcibile: debet ergo vnum ex illis propriè, alterum verò tantùm impropriè habere: debuiſſet ergo Vaſquez, vt inſtantia eſſet ad rem, oſtendere, albedinem, colorem, amorem, odium, &c. non dari verè propriè à parte rei, non produci verè, non operari verè, & inde probare, illa non eſſe propriè & in rigore ens, vt tandem concluderet ſolùm eſſe ens impropriè; ſicut non-ſcibile eſt ſcibile impropriè. At quàm eſt impoſſibile illud oſtendere, tam eſt ea inſtantia mala. Non eſt ergo cur Vaſquez timeat, ne

Non eſt contra Philoſophiam dicere, accidentia eſſe verè entia. Philoſophi recentes decipiantur, ſi accidentia iudicauerint verè eſſe entia: hoc enim non dico ego errorem, ſed ipſiſſimam veritatem, niſi quæſtionem, vt dixi, de nomine faciamus: ſi enim nomine entis non ſolùm id quod opponitur chimæræ, & quod eſt verè aliquid in ſe formaliter; quo ſenſit diximus accidentia eſſe in ſe verè entia; ſed etiam ens primarium per ſe exiſtens, &c. ſignificare volumus, tunc libentiſſimè fatebor accidens non eſſe propriè ens: at iam hoc eſt accipere vocem illam non in vniuerſali ſignificatione & generica entis, ſed in ſpecifica, ac ſi vocem *animal* vellem ego vſurpare pro animali perfectiſſimo nobiliſſimoque, ſine dubio tunc bruta dici non poſſent animalia, nec vniuocè in animalis conceptu conuenirent. Addo autem in hoc ſenſu, vti accidens non habet nomen commune cum ſubſtantia, neque enim accidentia dici ſubſtantiam, nec etiam conuenire, nec quidem analogicè, illa duo; ac proinde concludo, nullo ſenſu ea poſſe dici analogicè conuenire, ſed omnino dicenda vniuoca. Et ſatis de ea digreſſione occaſione capacitatis accidentis, vt definiatur.

6 *In Lege veteri fuerunt vera & propria Sacramenta.* Iam ad lineam de Sacramentis. Tertiò ergo ſuppono, in Lege veteri, ſicut & in noſtra, fuiſſe vera & propria Sacramenta. Hęc eſt ferè omnium, vno vel altero excepto, ſententia: licet enim aliqui dixerint ea non conuenire vniuocè cum noſtris non tamen ideò negarunt eſſe vera Sacramenta, ſed aliunde defectum vniuocationis deſumpſerunt. Ea ergo fuiſſe vera Sacramenta probant nonnulli ex Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum Manich. cap. 11. vbi dicit, non poſſe homines in vnum religionis nomen, ſiue verum ſiue falſum, ſine propriis Sacramentis conuenire.

Probatio ex S. Auguſtino reijcitur. Hæc probatio meo iudicio nulla omnino eſt; quomodo enim doceret Auguſtinus Gentiles vera & propria habuiſſe Sacramenta? item & nunc Iudæos? imò in vera religione ea ita eſſe ſimpliciter neceſſaria, vt non potuerit Chriſtus non inſtituere aliqua Sacramenta, nullus puto docebit. Vt enim inter ſe vnius religionis homines conueniant, ſufficiunt vel ſacrificia, vel cæremoniæ aliæ externæ, vel Sacramenta, vel ipſe conſenſus in myſteriis illis credendis; vnde prudenter Auguſtinus eo loco diſiunctiuè locutus eſt, *Sine Sacramentis vel ſignaculis externis.* Meliùs ergo

Probatur Concilio Florentino. ea ſuppoſitio probatur, quia cùm Patres & Concilia abſolutè & ſimpliciter ac ſine vllo prorſus addito dicant in Lege antiqua fuiſſe Sacramenta, & eodem modo illa nominent talia, ſicut & noſtra; vt Concilium Florentinum in decreto ad Græcos, dum agit de differentia inter vtraque, vbi ſolùm ad maiorem vel minorem perfectionem recurrit: nihil autem penitus dicit de eo quòd illa non fuerint vera; quod tamen primo loco dicendum fuiſſet; planè ſit certum abſolutè & ſimpliciter, ea vt vera Sacramenta ab omnibus iudicari, licet non æquè perfecta cum noſtris: quod longè aliud eſt, aliud enim eſt equum & leonem non eſſe vera animalia, aliud autem, non eſſe æquè perfecta ac eſt homo. Sed de Sacramentis veteris Legis infrà nobis redibit ſermo, nunc ſufficiat breuiter inſinuaſſe, ea fuiſſe vera & propria Sacramenta.

7 *Sitne Sacramentum ſignum gratiæ practicum, an ſpeculatiuum.* Hinc autem oritur ratio dubitandi in præſenti, nam pro eis antiquis Sacramentis & pro noſtris non videtur poſſe facilè inueniri propria definitio: aut enim in ea definitione requirimus vt Sacramentum ſit ſignum practicum gratiæ, aut ſolùm ponimus ſpeculatiuum; ſi primum, tunc excludimus antiqua, quæ iuxta infrà dicenda non fuere cauſa gratiæ, ſaltem non omnia; ſi verò ponimus præcisè quòd ſit ſignum ſpeculatiuum gratiæ, multa debebunt dici Sacramenta, quæ nullo modo talia vocantur; ipſa vox *gratia habitualis*, quæ haud dubiè ſignificat ſpeculatiuè gratiam ipſam ſanctificantem; ideò communiter Auctores in definitione Sacramenti vel diminuti, vel certè è contrario nimis laxi fuêre, vt ex dicendis conſtabit.

Digitized by Google

SECTIO II.

Proponuntur variæ definitiones.

Definitio Sacramenti ex Magiſtro reijcitur.

8 PRima ergo definitio ſit Magiſtri in 4.diſt.1. cap. *Quid ſit Sacramentum*; vbi ait, *Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum.* Verùm ſub his terminis ſolis nimis eſt ea definitio vniuerſalis;complectitur enim innumeras alias res quæ non ſunt Sacramentum: nam ipſa externa vox *gratia habitualis* eſt ſignum gratiæ (vt paulò antè diximus;) & tamen illa longè abeſt à ratione Sacramenti.

Vaſquez ſimiliter refutatur.

Vbi ſtatim hærendum eſt propter Patrem Vaſquez ſuprà cap.3. & 4.vbi ait, Si illi definitioni Magiſtri, *Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum*, addatur *ſanctificantis animam*, eo ipſo eſſe adæquatam definitionem Sacramenti; & licet non obiiciat ſibi argumentum quod nos paulò antè tetigimus, ex doctrina tamen illius videtur ei poſſe reſponderi, vt ſcilicet ad rationem Sacramenti requiratur illud eſſe inſtitutum a Deo ad ſignificadam gratiam:id quod probat c.4.quia cùm Sacramenta non ſignificent gratiam ſanctificantem ex natura ſua,oportet vt id habeant ex inſtitutione, inſtitutionem autem hanc ſolus Deus videtur poſſe facere:& hinc infertur,virtualiter in ea definitione includi neceſſitatē inſtitutionis Diuinæ;ac proinde poſſumus nos ad rem noſtram inferre, vocem hanc *gratia habitualis*,& idem eſt de aliis ſignis,propterea non eſſe Sacramentum;quia non ſunt ſigna à Deo inſtituta. Hæc tamen doctrina nullo modo ſubſiſtit: etenim etiamſi ſolus Deus poſſit gratiam conferre, ſigna tamen ad placitum pro illa ſignificanda conſtituere ſine dubio poſſunt homines, vt de facto conſtituerunt hanc ipſam vocem *gratia habitualis*: nec video quo ſenſu hic Auctor protulerit abſolutè eam propoſitionem ſine vllo examine; *Solus Deus poteſt dare ſignificationem ad placitum pro gratia habituali.*

9 Fortaſſe ex alia eiuſdem Auctoris doctrina poſſet obiectioni huic reſponderi:Etenim eodem capite quærens, Vtrùm Sacramentum poſſit ex ſe ante Dei inſtitutionem habere aliquam naturalem ſimilitudinem cum gratia,ſibi ſic obiicit: Hæc verba,*Ego te abſoluo à peccatis*,ad placitum ſignificant remiſſionem ipſam, quæ fit per gratiam; & quidem id habent ante Dei inſtitutionem; ergo reſpondet, illa verba eſſe ex ſe quidem ſignificatiua gratiæ ante inſtitutionem Diuinam, prout illa ſignificatio abſtrahit à ſignificatione vera & falſa; at quòd verè ſignificent gratiam habitualem,id ſolùm habere ex inſtitutione Diuina; habent ergo ex ea ſola inſtitutione quòd ſit Sacramentum. Hæc tamen ſolutio facillimè etiam reiicitur, quia in ea committi videtur aliqua æquiuocatio, dum dicitur illa verba eſſe ſignum gratiæ prout abſtrahitur à vero & falſo

Quid ſit ſignum.

ſigno.Etenim ſignum in ratione ſigni ſolùm dicit eſſe id quod per ſpecies ſui, quas ingerit ſenſibus,facit nos in alterius rei cognitionem venire; vnde omnes voces ab hominibus inſtitutæ ſunt vera & veriſſima ſigna rerum ſignificatarum.Pono exemplum in voce hac *Deus*; ſine dubio hæc eſt verum ſignum Dei; nam dum eam audio excitatur mihi ſpecies Dei; & hæc vox *gratia* excitat mihi veriſſimè ſpecies gratiæ; ergo eſt propriiſſimum & veriſſimum ſignum gratiæ habitualis, eſtque à ſolis hominibus inſtituta ad id. Eſt autem manifeſta repugnantia, ſi maneamus præciſè intra rationem ſigni, dicere *ſignum falſum*: nam vel illa res excitat mihi realiter ſpecies ſui ſignificati,vel non;ſi non excitat,ergo nullo modo eſt ſignum nec verum nec falſum; ſi excitat, eſt veriſſimum ſignum intra rationem ſigni.Vnde etiam propoſitio falſa & falſiſſima eſt verum ſignum ſui obiecti; nam quando etiam Petro non currente mihi dicit Ioannes, *Petrus currit*, ego & omnes audientes verè & propriiſſimè,præter ſpecies quas acquirimus de ipſa voce, cognoſcimus curſum Petri, ſiue hic re ipſa exiſtat, ſiue
non. Id enim iam eſt extra rationem proprij 10
ſigni, & ſpectat ad veritatem propoſitionis: quæ veritas in affirmatione aut negatione ſolùm reperitur, non in ſimplicibus ſignis; ergo cùm illa verba, *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, ſiue faciant ſenſum falſum, ſiue verum, ſemper tamen excitent ſpecies gratiæ habitualis, erunt ſemper propriiſſima ſigna eius gratiæ: & cùm ad rationem Sacramenti in ea definitione Patris Vaſquez nihil penitus aliud requiratur, quàm vt ſint ſigna vera gratiæ; profectò in illis erit tota definitio Sacramenti ante omnem inſtitutionem diuinam. Vide paulò inferiùs confirmationem huius impugnationis.

Deducitur ex ſententia Vaſquez, Sacramentum eſſe ſignum gratiæ ante inſtitutionem Diuinam.

Fortè adhuc reſpondebis, Sacramentum debere eſſe ſignum gratiæ præſentis. Contrà tamen Primò euidenter; Ergo ſaltem deerit huic definitioni hoc ipſum verbum *gratiæ præſentis*; dicere enim, eſſe ſignum gratiæ, aliud eſt longè quam dicere, eſſe ſignum gratiæ præſentis. Etenim vox *homo* ſine dubio eſt ſignum hominis;& tamen non eſt ſignum hominis præſentis: neque hoc includitur in prima ea ſignificatione, vt per ſe patet; ergo debuiſſet id explicari in definitione. Contrà Secundò,quia Sacramenta eſſe ſigna gratiæ præſentis, eſt dicere, debere eſſe annexam gratiam Sacramentis;hoc autem non eſt de ratione Sacramenti in communi; ſupponimus namque antiqua fuiſſe vera Sacramenta,& tamen non habebant eam vim ſignificandi gratiam præſentem.

Non eſt de ratione Sacramenti ſignificare gratiam præſentem.

Reſpondebis vlteriùs, ſaltem requiri ad Sacramentum, vt ſi per affirmationem ſignificat gratiam præſentem, aut futuram, ea ſit re ipſa præſens, aut futura;cumque illa verba, *Ego te abſoluo*, non habeant ante Dei inſtitutionem veritatem vllam, non poterunt eſſe Sacramenta.Sed contrà Primò, quia eſto per hanc ſolutionem excludatur ante inſtitutionem Chriſti propoſitio illa, *Ego te abſoluo*, à ratione Sacramenti, quia affirmat aliquid quod non eſt; id tamen non habebit locum ſaltem in voce hac, *gratia habitualis*; quia cùm hæc non ſit affirmatio, aut negatio, procul dubio iuxta datam ſolutionem habebit totam rationem ſigni gratiæ, & ſine vllo prorſus mendacio; vti vox *Deus* ſignificat verè Deum, & vox hæc *Angelus poſſibilis* ſignificat Angelum, &c. Vnde ſi ſic dicamus,
Abſolutio à peccatis per gratiam habitualem, 11
habebimus etiam ibi rationem Sacramenti, eſto τὸ *Abſoluo te* id non habeat. Secundò ea ſolutio reiicitur; & hæc ſit vniuerſalis impugnatio etiam præcedentium ſolutionum; quia noſtra Sacramenta ſignificant ſæpè dari gratiam, quæ tamen re ipſa tunc non datur, nam etſi in peccato ſuſcipiuntur, ac proinde non conferant gratiam, adhuc tamen etiam tunc ſunt vera Sacramenta; quia etiam tunc ſignificant gratiam. Vnde valdè confirmatur id quod ſuprà dixi, ſcilicet rationem ſigni alicuius rei non pendere

Sacramentà ſignificāt gratiā dari quæ ſæpè non datur.

ab

Digitized by Google

ab eo, quòd res illa ſignificata habeat actu exiſtentiam quando ſignificatur, ſed quòd ſignum illud faciat nos venire in cognitionem eius rei: id quod longe diuerſum eſt. Conſtat ergo manifeſtè non poſſe ſuſtineri eam definitionem, vtpote non declarantem rationem propriam Sacramenti, ſed ſummùm genericam ad Sacramentum, & ad omnia alia ſigna gratiæ. Tertiò idem oſtendo, quia actus exterior Fidei, quo dico, Per Chriſtum dabitur gratia habitualis homini contrito, aut iuſto benè operanti ſupernaturaliter; hic inquam actus eſt ſine dubio ſignum gratiæ dandæ; facit enim nos venire in eius gratiæ futuræ cognitionem; & eſt veriſſimus actus, ac proinde veriſſimum ſignum in ſenſu Aduerſariorum; ergo ille actus, ſeu illa propoſitio, erit Sacramentum, iuxta definitionem quam impugno.

12 Dices fortè: Connexio eius propoſitionis externæ cùm gratia futura non apparet exteriùs. Admitto id libentiſſime; at etiam connexio ablutionis in Baptiſmo cum gratia habituali non apparet exteriùs, ſed ſolùm ſcitur ex Fide? ſicut ex eadem Fide ſcitur connexio eius propoſitionis de Fide cum gratia futura; ergo ſi ad ſolum ſignum gratiæ recurramus, non minùs illa verba quàm ablutio erunt Sacramentum.

Reijcitur altera Sacramẽti defin tio. Inuiſibilis gratiæ viſibilis forma Hæc definitio coincidit cum priore.

Hinc etiam reijcitur ſecunda Sacramenti definitio, quæ ferè in primam recidit, vt ſcilicet Sacramentum ſit *inuiſibilis gratia viſibilis forma*: hæc enim nihil addit ſupra præcedentem, niſi declarare quòd gratia habitualis ſit inuiſibilis, & quòd Sacramentum, vt ſignum illius, ſit viſibile, ſeu perceptibile ſenſibus. Hæc autem duo nihil magis explicant de differentia Sacramenti à reliquis rebus; nam gratiam habitualem eſſe inuiſibilem iam per ſe aliunde ſupponitur; Sacramentum item debere eſſe ſignum ſenſibile iam ſupponitur ex communi ratione ſigni: loquimur enim nunc de ſigno reſpectu hominum, reſpectu quorum nihil poteſt eſſe ſignum, quòd non ſit ſenſibus perceptibile; ac proinde quidquid diximus, probantes vocem *gratia habitualis* eſſet Sacramentum iuxta priorem definitionem, habet locum contra hanc ſecundam, neque opus eſt in ea reijcienda ampliùs hærere.

Tertia definitio Sacramẽti.

Ideò poſſet eſſe tertia definitio, quæ ſupra rationem ſigni gratiæ adderet rationem cæremoniæ ſacræ, vt propterea excludantur voces, quæ etſi ſignificent gratiam, non tamen ſunt cæremonia ſacra. Verùm neque hoc modo poteſt ea definitio ſubſiſtere, quia cæremoniam ſacram poteſt Eccleſia propria auctoritate inſtituere, poteſt etiam illi dare ſignificationem ad placitum gratiæ habitualis, ſicut poteſt eam dare ſimplici voci; & verò de facto videtur id habere ſumptio aquæ benedictæ, quæ ſine dubio eſt cæremonia ſacra, & ſignificat remiſſionem venialium, quæ non fit de facto niſi ad infuſionem gratiæ habitualis: id ipſum habent aliquæ cæremoniæ quæ in Baptiſmo adhibentur, & ſunt extra totam eſſentiam illius, ideóque non ſunt vllo modo Sacramentum; ſignificant tamen interiorem ſanctificationem; ſal enim & ſaliua, quibus aures & lingua baptizandi tanguntur, ſignificant gratiam & dona Spiritus ſancti, & ſunt cæremoniæ ſacræ, vt diximus: certum autem eſt apud omnes non poſſe Eccleſiam propria auctoritate inſtituere

Ad rationem Sacramẽti nõ ſufficit, quòd ſit cæremonia ſacra.

Sacramenta; ergo ad rationem Sacramenti non ſufficit, quòd ſit cæremonia ſacra in ſignum gratiæ habitualis inſtituta.

Quarta definitio. Neque requiritur vt ſit cauſa gratiæ, contra Magiſtrum & Hugonem Victorinum.

Propter hoc poteſt eſſe quarta definitio, quæ ad Sacramentum requirat, vt ſit ſimul ſignum gratiæ ſanctificantis & cauſa illius: & in hanc inclinat Magiſter in 4. diſt. 1. & Hugo Victorinus in Summa Sententiarum Tractatu 4. cap. 1. & lib. 1. de Sacramentis Par. 9. cap. 1. quos diſput. 1. ſect. 2. refert Suarius. Verùm hæc definitio reiecta eſt ſuprà ex ipſa ratione dubitandi initio poſita; quia antiqua Sacramenta non fuere cauſa gratiæ, & tamen, vt diximus fuere vera & propria Sacramenta; ergo hæc definitio nimis multùm è contrario requirit ad rationem Sacramenti. 13

Quinta definitio Cani, Bellarmini & Coninck.

Ideò ſit quinta definitio, vt Sacramentum ſit *ſignum practicum ſanctitatis alicuius ſiue interna ſiue externa.* Ita Canus Relectione de Sacramentis Par. 1. circa finem; quem ſequuntur Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 12. & Coninck hîc artic. 2. dub. 2. Arbitror tamen hanc definitionem eandem re ipſa eſſe cum tertia paulò antè refutata, in modo verò explicandi nouas incurrere difficultates: eſſe re ipſa eandem patet, ex eo quòd omnis cæremonia ſacra eſt ſine dubio cauſatiua alicuius ſanctitatis, prout ſanctitas abſtrahit ab interna & externa; nam externa ſanctitas formaliter conſiſtit in vſu alicuius cæremoniæ ſacræ; ergo ex hac parte omnes inſtantiæ ſuprà allatæ, in quibus repetitur ratio cæremoniæ ſacræ ſine ratione Sacramenti, oppugnant hanc explicationem. Deinde, quatenus in ea non exprimitur Sacramentum, debere eſſe ſignum gratiæ habitualis, ſed ſufficere ſi cuiuſcumque gratiæ ſeu ſanctitatis ſaltem externæ ſit ſignum, nouam incurrit difficultatem; ſequitur enim ex ea omnes cæremonias ſacras, etiam ipſorum hæreticorum, eſſe vera Sacramenta; quia illæ cæremoniæ ſunt ſignificatiuæ exterioris ſanctitatis, eamque haud dubiè cauſant; nam ipſa obſeruatio eius cæremoniæ eſt formaliſſimè cauſatio alicuius legalis ſanctitatis; ergo hæc definitio eſt peior adhuc quàm ea tertia quoad rem ipſam. Dixi autem etiam quoad modum explicandi eſſe peiorem: id quod facilè iam oſtendo: Nam cùm detur per disiunctionem inter duos terminos inter ſe analogos, non poteſt eſſe definitio vniuocè communis Sacramentis. Porrò eos terminos eſſe analogos patet; nam ſanctitas interna & externa non conueniunt vniuocè in ratione ſanctitatis, ſed eo præciſè modo quo vrina ſana & animal ſanum, ſcilicet tanquam ſignum & res ſignificata. 14

Sanctitas interna & externa non conueniunt vniuocè. Reſponſio Coninck refutatur.

Tetigit hanc obiectionem Coninck ſuprà, eique reſpondet, Licet gratiæ ipſæ cauſatæ non conueniant inter ſe vniuocè, Sacramenta tamen propriè & vniuocè participare rationem cauſæ. Sicut licet riſus non ſit vniuocus homini & plantæ, vita tamen, quæ eſt cauſa riſus, vniuoca eſt vtrique: ratio eſt, quia in hoc quòd eſt cauſare ſanctitatem verè omnia Sacramenta conueniunt, licet res cauſatæ inter ſe non conueniant vniuocè. Contrà tamen, quia hinc ſolùm probatur rationem cauſæ vt ſic eſſe vniuocam vtriuſque Sacramenti; id quod fateor libenter; at definitio Sacramenti non conſiſtit in ratione cauſæ vt ſic: hoc enim eſt prædicatum commune Sacramentis & aliis rebus operatiuis, igni, ſoli, frigori, animali, &c.

Digitized by Google

Exemplo ipſo ab hoc Auctore pro ſe allato rem magis explico: Planta & homo non conueniunt in prædicato riſui, eò quòd riſus non eſt vtrique communis, licet in ratione vitæ conueniant; quatenus vita non conſtituitur in ordine ad riſum, ſed ad motum ab intrinſeco, qui propriè conuenit & plantæ & homini; in quo autem ille motus conſiſtat iam non diſputo; ergo Sacramenta non conueniunt vniuocè in conceptu ſanctificatiui, qui eſt proprius Sacramentorum, ideóque nec in ratione Sacramenti, licet in ratione cauſæ vt ſic vniuocè conueniant.

15 Reſpondet Secundò idem Auctor, Sacramenta antiqua cauſaſſe gratiam propriam pro illo ſtatu in quo erant, ideóque fuiſſe vera Sacramenta; imò addit nunc dari cæremonias aliquas, v.g. Benedictionem Abbatis, primam Tonſuram, &c. quæ cùm cauſent aliquam ſanctitatem, & ſignificent gratiam internam, eſſent in Lege veteri Sacramenta, licet nunc non ſint; quia non cauſant gratiam habitualem, quæ eſt propria huius ſtatus.

Eiuſdem altera reſponſio refellitur.

Tota hæc ſolutio mihi valdè diſplicet, quia gratiam illam legalem fuiſſe propriam Legis veteris non facit illam conuenire vniuocè in ratione gratiæ cum gratia habituali, licet conueniat in ratione rei propriæ ſui ſtatus; vti antem dicebam paulò ante circa cauſationem gratiæ abſtrahentis à vera, & ab impropria, Sacramentum vt ſic non conſtitui per vim cauſatiuam in genere, ſed per vim cauſatiuam gratiæ; ita nunc dico Sacramentum non conſtitui per vim cauſandi aliquid proprium huius ſtatus, ſed per vim cauſandi gratiam. Explico id hac inſtantia: Picturæ humanæ proprium eſt eſſe hominem ſecundùm quid, homini verò ipſi proprium eſt eſſe hominem ſimpliciter; non tamen ideò in ratione hominis ſimpliciter conueniunt. Præterea producens picturam & producens hominem non conueniunt in ratione productiui hominis, eſto (ſic liceat dicere) conueniant in ratione productiui hominis proprij pro ſuo ſtatu, picti ſcilicet in ratione picturæ, & viui in ratione viuentis; ergo ſimiliter non conueniunt Sacramenta antiqua in ratione productiuæ gratiæ, licet conueniant in conceptu producentium aliquam rem propriam pro quolibet ſtatu, qui, vt dixi, non eſt conceptus Sacramenti, niſi etiam includatur gratia; in qua tamen non eſt vlla vniuocatio. Contrà Secundò; quia etiam erat propria gratia habitualis pro ſtatu Legis ſcriptæ: erant enim tunc homines iuſti & amici Dei, & habebant comprincipia requiſita ad gratiam & augmentum per bona opera: quòd verò noſter ſtatus dicatur Lex gratiæ, non ex eò quòd illi ſoli ſit propria gratia abſolutè, ſed quia illam gratiam habet valdè cumulatiorem.

Lex gratia dicitur, quia gratiam habet copioſiorem quàm Lex vetus.

91 Dices fortè adhuc: Legi ſcriptæ non erat propria gratia per Sacramenta, ſed per alia media. Benè; ergo dicis tunc Sacramenta non debuiſſe cauſare gratiam, quia tunc non illam cauſabant; quod per te idem eſt ac dicere, quia non erat propria illi ſtatui per Sacramenta. Hoc autem eſt dicere idem per idem; & in hoc ſenſu etiam nunc ſi noſtra Sacramenta non cauſarent gratiam, non eſſet nobis propria eo modo à te explicato; & conſequenter etiam modò non eſt de ratione Sacramenti noſtræ Legis cauſare gratiam habitualem.

Quòd verò docet idem Auctor de Benedictione Abbatis, &c. non poteſt vllo modo defendi, niſi etiam doceat ipſum tempus eſſe partem Sacramenti; quod puto ab ipſo non concedendum. Sequela verò probatur, quia ſi illa Benedictio præciſè, quia non fuit olim, ſed modò eſt, non habet rationem Sacramenti; ergo exiſtentia illius in eo tempore conſtituiſſet illam ſaltem partialiter in ratione Sacramenti, ergo ea exiſtentia pars eſſet Sacramenti. Hoc autem videtur valde durum; manentibus enim omnibus aliis, præciſè quia res exiſtat modò, vel poſteà, non poteſt fieri vt ſit vel non ſit Sacramentum.

Dixi hoc videri valdè durum; nam in rigore cùm (vt paulò pòſt dicemus) vox *Sacramentum* ſignificet aggregatum quoddam ex rebus ſibi extrinſecis, non facilè reijceretur ille qui per eam vocem vellet ſignificari etiam ipſum tempus extrinſecum; debet ergo illa inſtantia ex paulò ante dictis refutari. Secundò impugnatur ea ſolutio ſecunda; quia Synagoga potuit inſtituere propria auctoritate cæremoniam ſacram, quæ eſſet ſignum cauſatiuum gratiæ ſeu ſanctitatis propriæ illius ſtatus; quia cùm ſanctitas propria illius ſtatus ſolùm fuerit legalis & externa, quæ acquiritur per obſeruationem ſacrarum cæremoniarum, ſacras autem cæremonias poſſunt propria auctoritate inſtituere Eccleſiaſtica capita, haud dubiè potuit olim Synagoga talia Sacramenta inſtituere: conſtat autem nullam creaturam puram poſſe propria auctoritate Sacramenta inſtituere; ergo non ſufficit ad rationem Sacramenti eſſe cæremoniam ſacram dantem gratiam propriam eius ſtatus.

Eccleſia poteſt inſtituere cæremonias, non tamen Sacramenta.

Poſſet reſponderi, tales cæremonias ideò non potuiſſe eſſe Sacramenta, quia à Deo non erant inſtituta. Impugnatur communiter hæc ſolutio, quia cauſa efficiens eſt extra conceptum totum rei; ergo quòd non eſſent à Deo illæ cæremoniæ inſtitutæ, non poterat illas extrahere à ratione Sacramenti. Hæc tamen impugnatio mihi non probatur, quia licet cauſa inſtituens ſit ſecundùm ſe extrinſeca rei productæ, ideoque Deus vel Synagoga eſſent extrinſeci ipſi cæremoniæ; poſſent tamen Aduerſarij reſpondere, nomen *Sacramentum* non ſignificare ſolam ipſam cæremoniam productam, ſed ſimul ſub denominatione hac *inſtitutæ à Deo*: ſicut licet albedini ſit extrinſeca viſio, huic tamen nomini *viſum* eſſentialis eſt viſio: id quod in omnibus nominibus ſignificantibus denominationem extrinſecam videre licet. Et in Sacramentis eſt res clarior, quia tota ipſorum eſſentia in denominatione extrinſeca conſiſtit: (de quo infra, vbi oſtendam voluntatem ipſam Chriſti inſtituentis eſſe partem noſtrorum Sacramentorum.) Imò Suarius ipſe & alij qui ea impugnatione vtuntur, tenentur id fateri; aiunt enim, ea cæremonia omnino in ſe intrinſecè immutata, ſi auferatur perpetuitas, non futuram Sacramentum; certum autem eſt eam perpetuitatem eſſe ipſi cæremoniæ extrinſecam, ſicut eidem eſt extrinſeca voluntas Dei inſtituentis. Ratio à priori huius impugnationis eſt, quia rectè poteſt vna ſimplex vox imponi ad ſignificandas duas res ſibi extrinſecas; quo caſu reſpectu complexi per eam vocem ſignificati quælibet ex illis erit eſſentialis, licet vna alteri ſit omnino accidentalis. Meliùs ergo reiicitur ea 17

Voluntas Chriſti inſtituentis eſt pars Sacramentorū.

Digitized by Google

ea ſolutio: Quia non omnes cæremoniæ ſacræ, quas Deus inſtituit etiam in Lege ſcripta, fuere Sacramenta; vt patet in ſacrificiis quæ erant cæremoniæ ſacræ, & conſequenter iuxta dicta cauſabant gratiam legalem propriam eius ſtatus; & tamen quatenus ſacrificia non erant Sacramenta. Et in noſtro Sacrificio Euchariſtico condiſtinguuntur hæ duæ rationes Sacramenti & Sacrificij; & tamen non per hoc quòd ſit cæremonia ſacra à Deo inſtituta, & cauſans aliquam ſanctitatem eſt Sacramentum, ergo adhuc cum ea reduplicatione non declaratur tota definitio Sacramenti. Addo valdè probabile eſſe, Chriſtum Dominum, quo tempore Apoſtolos de Regno Dei inſtruxit, immediatè multas cæremonias inſtituiſſe, eiſque tradidiſſe quæ poſteà in Eccleſia perpetuò ſeruatæ ſunt; quæ tamen non ideò ſunt Sacramenta, ergo.

Ratio Sacrificij diſtinguitur à ratione Sacramenti.

SECTIO III.

Examinatur quorundam Recentiorum doctrina.

18 *An ad rationem Sacramenti requiratur transfuſio voluntatum in voluntatem Miniſtri.*

RECENTIORES nonnulli in manuſcriptis contendunt, de ratione Sacramenti eſſe, vt ſit cæremonia ſacra, qua omnes Fideles ita conſecrentur, vt quotieſcumque Sacramentum aliquod adminiſtratur, omnes à minimo vſque ad maximum moraliter exerceant eam actionem per rigoroſam transfuſionem voluntatum omnium in voluntatem Miniſtri: id quod probant, quia Miniſter Sacramenti debet habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia; ergo tota Eccleſia facit idem quod Miniſter; ergo omnes Fideles qui conſtituunt Eccleſiam adminiſtrant Sacramenta non phyſicè, vt per ſe patet, ergo moraliter per voluntatum transfuſionem in Miniſtrum ipſum. Ex hac doctrina poteſt ſic formari definitio Sacramenti; *Eſt cæremonia ſacra gratiæ habitualis ſignificatiua, à tota Eccleſia per Sacramenti Miniſtrum exercita*; vnde facilè poſſunt excludi à ratione Sacramenti omnes cæremoniæ ab Eccleſia aut à Synagoga inſtitutæ; nam cùm Eccleſia non habeat vim transferendi moraliter vllius hominis voluntatem in voluntatem alterius in ordine ad exercitium actionum liberarum, eo ipſo non poteſt vllum verum Sacramentum inſtituere nomine proprio. Videtur dein definitio hæc conuenire omnibus & ſolis Sacramentis tam nouæ quàm veteris Legis. Hanc doctrinam deducunt fusè illius Auctores.

Impugnatur illa transfuſio voluntatum.

Iudico tamen illam nec veram eſſe, neque ad rem noſtram ſufficientem: quòd non ſit ſufficiens patet, quia in Adamum fuere transfuſæ voluntates omnium noſtrum in ordine ad obſeruationem precepti ipſi impoſiti, de non comedendo ex arbore ſcientiæ boni & mali. Quæ obſeruatio haud dubiè aliquam legalem ſanctitatem conferebat, eratque habitualis gratiæ ſignum, quatenus erat ſignum duraturæ gratiæ in hominibus, ſeu duraturi ſtatus originalis, qui ſine dubio gratiam habitualem continebat; & tamen nec hi auctores cum quibus diſputo, nec vllus alius docuit, eam obſeruationem præcepti (ſi re ipſa illud Adamus obſeruaſſet) futuram fuiſſe Sacramentum; ergo transfuſio illa voluntatum in ordine ad cæremoniam ſignificatiuam gratiæ non ſufficit, vt talis cæremonia conſtituatur in eſſe Sacramenti. Secundò, ea transfuſio ideò non eſt ſufficiens ea explicandum conceptum Sacramenti, quòd neque ad ſignificandam gratiam, neque ad illam cauſandam, neque vt Sacramentum ſit pignus gratiæ, aut eius promiſſio, vllo prorſus modo conducit ea transfuſio: ex acceptione autem communi hominum de Sacramentis agentium videtur neceſſariò illorum eſſentia in aliquo ex his tribus debere conſiſtere; è contrario verò, quòd homines per aliquam actionem externam aliquo modo ſe exteriùs conſecrent Deo, eſt omnino commune omnibus bonis actionibus, Religioſis maximè: quòd autem id fiat per transfuſionem voluntatum, per accidens eſt ad punctum conſecrationis.

Sed iam efficaciùs oſtendamdus in a doctrina ſupponi principium quoddam valdè falſum: & 19
verò ipſi eius Auctores ingenuè fatentur ſe nullum ex antiquioribus Patronum habere pro eo principio: vnde ſtatim infero, eos omnino gratis fingere, Deum habuiſſe de facto decretum de transfuſione rigoroſa morali voluntatum omnium omnino, etiam Ethnicorum hominum in voluntatem cuiuſcumque, & è contrario voluntatem cuiuſcumque in voluntatem omnium. Dixi *Ethnicorum*, quia Baptiſmi quilibet etiam Ethnicus eſt ſufficiens miniſter; hoc autem per ſe apparet falſum.

Ignota eſt SS. Patribus.

Sæpe admiratus ſum (& hîc de nouo admiror) ingenia aliquorum, qui difficiliora noſtræ Fidei myſteria, in quibus pænè ſuccumbit intellectus, extendunt ſtatim ſine vlla prorſus neceſſitate ad res aliis faciles & claras; non enim videntur poſſe aliquid intelligere niſi per aliud quaſi infinities obſcurius. Quantam patiuntur difficultatem Theologi in materia de peccato originali, vt concipiant, quomodo actio libera alienæ voluntatis poſſit eſſe etiam mihi formaliter libera? quia tamen Fides ad id nos cogit, captiuamus intellectum noſtrum in obſequium illius, & recurrimus ad eam transfuſionem noſtrarum voluntatum in Adamum. Ecce autem iam hi Auctores eam difficultatem ad materiam de Sacramentis extendunt, & loco vnius transfuſionis omnium in Adamum illi addunt omnium in quemcumque & cuiuſcumque in omnes homines, non ſolùm in ordine ad vnam actionem, qualis fuit comeſtio de ligno ſcientiæ, ſed in ordine ad infinitas propè; quales ſunt omnes adminiſtrationes Sacramentorum omnium tam in antiqua quàm in noua poſſibiles: quis quæſo non hinc ſtatim dicat hos Auctores pluſquàm improbabiliter diſcurrere?

Eſt difficilis intellectu.

Sed age videamus quibus fulcris tantum ædificium innitatur: Probant id, vt diximus, 20
quia Miniſter Sacramenti debet velle facere id quod facit Eccleſia. Verùm quàm ſit id leue argumentum præclarè inde patet; nam etiam ruſticus dicit ſe credere quod credit Eccleſia; rogo, an ideò eius voluntas à Deo transfuſa ſit in voluntatem aliorum hominum in ordine ad credendum? Facilè mihi perſuadeo eos Auctores, vt aliquid ſingulare dicerent, id conceſſuros; certè vti per illum modum loquendi nos ſolùm explicamus, credere nos eadem myſteria quæ Doctores Eccleſiæ & alij etiam credunt; ita ſimiliter quòd Sacerdos adminiſtrans Sacramenta dicat ſe velle facere quod facit Eccleſia, non intendit dicere, *Nunc volo facere per hanc actionem quod per hanc eandem facit*

facit Eccleſia mediante me; quia hoc eſſet idem ac dicere, *Volo facere quod facio*; quæ eſſet ſtulta voluntas; dicit ergo, *Volo facere quod in ſimili adminiſtratione Sacramenti alij Eccleſiæ Miniſtri faciunt.* Ad quod nec vel apparenter vlla voluntatum transfuſio requiritur.

Quid ſit velle facere quod facit Eccleſia.

Adde, nec eſſe vllo modo neceſſariam eam voluntatem faciendi quod facit Eccleſia: etenim vt quis validè Sacramentum conficiat, ſufficit ſi dicat, *Volo facere quod voluit aut quod fecit Chriſtus*, nec quidem de Eccleſia cogitando; quis autem inferet hinc, voluntatem Miniſtri eſſe transfuſam propriè in Chriſti Domini voluntatem, aut è contrario, Chriſti voluntatem in voluntatem omnium hominum adminiſtrantium Sacramenta? ergo ex eo modo loquendi nihil penitus infertur de vlla transfuſione. Denique, quòd Sacerdos dicatur nomine Eccleſiæ operari, non ea eſt ratio, quòd etiam paruulorum & omnium Fidelium voluntates in ſe habeat propriè moraliter transfuſas, & nomine illorum operetur; ſed quia ipſe eſt membrum Eccleſiæ, & ab Eccleſia conſtitutus, ideò Eccleſiæ tribuitur illa actio; ſicut denominatio ſanctæ & inexpugnabilis tribuitur Eccleſiæ, licet multi Fideles non ſint ſancti, & alij multi modò iuſti ſint à dæmone & ab inferni portis poſteà debellandi. Adde, poſſe ſæpè Sacerdotem hæreticum, vel excommunicatum, qui ab Eccleſia præciſus eſt, & conſequenter non operatur nomine illius, valida Sacramenta adminiſtrare (& quidem omnia, vna excepta pœnitentia, ob defectum iuriſdictionis;) ergo non eſt de conceptu Sacramenti vt adminiſtretur nomine Eccleſiæ per delegatum ipſius, in quo ſint voluntates omnium Fidelium. Vide quàm fuerit leuis momenti ea ratio pro tanta machina.

21 Secundò principaliter impugno illud pactum, quia conſequenter, vt ipſi eius Auctores expreſsè fatentur, omnium noſtrum voluntates fuêre transfuſæ in voluntatem Chriſti Domini, qua in cœna non ſolùm inſtituit, ſed adminiſtrauit Sacramentum Altaris. Vnde infero, Ergo omnes Fideles habuerunt in ſe proprium & infinitum meritum de condigno gratiæ & gloriæ cum tanto rigore, ac habuerunt demeritum in Adamo. Conſequens videtur pluſquam temerarium; ergo. Probo ſequelam, quia omnium Fidelium mentes fuerunt transfuſæ in voluntatem Chriſti in ordine ad actum infinitè meritorium, ſicut in Adamo ad actum malum: nec poteſt reſponderi, transfuſas fuiſſe ad illum actum non vt bonum, ſed vt indifferentem: id inquam dici non poteſt, tum quia transfuſæ ſunt ad illum actum vt adminiſtrantem & conficientem Sacramenta; vt ſic autem neceſſariò eſt bonus, quia vt ſic dat valorem & condignitatem Sacramento exercendo poſteà à nobis, etiam iuxta horum Auctorum ſententiam, vt oſtendam infrà. Si ergo mea actio, qua conficio Sacramentum, quia oritur ab illa voluntate inſtituente, eſt infinitè meritoria; ergo etiam ego, qui in Chriſto eandem actionem propriè exercui, habui tunc infinitum meritum propriè & in rigore. Secundò, quia vt quid Deus transfunderet omnium voluntates ad actum purè indifferentem, vt etiam poſt illam transfuſionem nec benè nec malè operarentur Fideles? Tandem vrgeo; quia ſi omnes etiam non exiſtentes fuimus transfuſi in voluntatem Chriſti, rogo, Quando contrahimus denominationem conſecrati Deo per illam voluntatem? An in primo inſtanti conceptionis, ſicut peccatum Adami? Certe hoc videtur ridiculum, vt ſimul & denominationem peccantis in Adamo & conſecrati Deo in Chriſto contrahamus. An poſteà in Baptiſmo? Tunc autem & ſi nos Deo per lauacrum conſecremus, quis tamen dicet etiam tunc nos conſecrari per inſtitutionem Euchariſtiæ; Cumque (vt diximus paulò antè) etiam ante 22
Baptiſmum ſuſceptum homines ſint capaces vt illum validè adminiſtrent, debebit iam ſupponi facta ea transfuſio voluntatum; quo ergo puncto illa fiet? Et verò ex vna parte videntur iuxta horum doctrinam voluntates hæreticorum, quia ſunt extra Eccleſiam, non eſſe capaces huiuſmodi transfuſionis; aliunde autem, cùm ſint Sacramentorum adminiſtrationis capaces, debent etiam eſſe & transfuſionis; duo ergo contradictoria ex ea doctrina ſequuntur.

Non poteſt dici omnium voluntates fuiſſe transfuſas in Chriſti voluntatem cum Sacramenta inſtituit.

In ordine ad Sacrificia an ſint transfuſæ voluntates.

Tandem contra eos Auctores obſeruo, ipſos etiam vti eadem doctrina de transfuſione voluntatum in ordine ad Sacrificia; putant enim etiam Sacrificium debere eſſe actionem totius Eccleſiæ; quia aliter non capiunt, quo pacto martyrium non ſit ſacrificium, niſi dicant illud non eſſe actionem Eccleſiæ, ſed tottotis contra voluntatem Eccleſiæ. Vbi ſtatim noua occurrit impugnatio; videtur enim ex hac doctrina ſequi, nec quidem mortem Chriſti eſſe ſacrificium; quia non fuit actio qua ſe tota Eccleſia conſecraret, ſed contra voluntatem Eccleſiæ inflicta eſt Chriſto; ſicut martyrium infligitur Martyri. Conſequens autem aperte eſt hæreticum; videturque ſatis claré ex horum principiis deduci. Et de eo pacto hactenus.

SECTIO IV.

Quædam præmittuntur pro definitione Sacramenti.

SVBSECTIO I.

Quomodo Sacramentum ſit cæremonia ſacra?

RELICTA ea confuſa voluntatum transfuſione, faciliùs eliciemus aptam definitionem Sacramenti, ſi ea quæ communiter ad Sacramentum ab Auctoribus requiruntur perpendamus. Primò ergo ſuppono nomine Sacramenti ab omnibus intelligi cæremoniam externam ſacram, quam dum homines exercent, eo ipſo externè aliquo modo ſanctificantur: cùm enim Sacramentum ſit cæremonia aliqua à Deo deſignata, eo ipſo quo quis ea vtitur, oſtendit ſe Deo obedientem, & ipſius cultorem; & conſequenter aliquo modo exteriùs ſanctificatur. Dixi *externam cæremoniam*, quia nunc loquimur de Sacramentis in ordine ad homines. Nam pro Angelis non dubito poſſe inſtitui ſpirituales aliquas actiones, quæ & cæremoniæ ſacræ & pignus gratiæ eſſent, ideóque te ipſa haberent quidquid noſtra Sacramenta: vtrùm autem eſſent etiam hac voce *Sacramentum* nominandæ, dicam inferiùs. In hanc conditionem conſentiunt communiter Auctores, dum dicunt de ratione Sacramenti eſſe, cauſare de præſenti aliquam ſanctitatem, ſaltem imperfectam; vt videre eſt apud Patrem Suarez ea ſectione 23

Sacramentum externa cæremonia ſacra.

De ratione Sacramenti eſt cauſare aliquam ſanctitatem externam.

ctione ſecunda, & Cardinalem Lugo numero 8.qui tamen minùs efficaciter id perſuadet; ait enim: Si ea ratio cæremoniæ ſacræ non eſſet neceſſaria, multa deberent diei Sacramenta, quæ nullo modo ſunt talia: vti ſunt tranſitus Maris rubri, qui ſignificabat gratiam futuram: item aqua in deſerto e petra ſcaturiens: imò & verba ipſa Euangelij quando leguntur, deberent eſſe Sacramentum; quia etiam promittunt gratiam dandam; excluduntur autem à ratione Sacramenti ea præciſa ratione, quòd non cauſent vllam externam ſanctitatem in ſubiecto. Rationem à priori ex ipſa voce deſumit; nam Sacramentum

Vnde dicatur myſterium.

idem eſt quod Græcè myſterium: myſterium autem ex ſua prima intentione ſignificat aliquid ad religionem pertinens, quo homines ſanctificantur & conſecrantur, procedit enim à verbo Græco μύω, quod latinè eſt initiari ſacris; vnde ſacris initiati dicebantur Myſtæ; & Cicero lib. 2. de Legibus ait myſteria appellari initia, quibus ex agreſti vita ad humanitatem exculti ſumus.

24 *Quomodo differat Sacramentum à myſterio.*

Ego circa hoc punctum Primò non magnam vim facio in ea deriuatione Sacramenti à myſterio; quia (vt benè hic idem Auctor inferiùs numero 8. fatetur) plus ſignificatur per vocem *Sacramentum* quàm *myſterium*; nam myſterium non dicit continentiam in ſe rei magnæ, ſed ſolam ſignificationem occultam rei magnæ, ſeu rei latentis. Secundò, quia reuerà ex propria origine eius vocis *myſterium* nulla includitur ibi ſanctitas ſubiecti; ſed purè putè ſignificat rem, quæ ſub communi aut ſenſibili apparentia continet ſignificationem grandem; ac ſi diceremus ænigma, emblema rei ſacræ. Myſtæ autem ideò dicebantur, quia erant applicati ad has res ſecretas explicandas aut intelligendas; vbi nihil penitus dicitur de ſanctitate ſubiecti, quaſi vox *myſterium* eam ſignificet.

Quo ſenſu Cicero acceperit vocem myſterium.

Quòd verò Cicero docuit myſteria appellari initia; quibus ex agreſti vita exculti ad humanitatem ſumus, non eſt à Cicerone eo ſenſu dictum, quo hic Auctor intellexit; hoc eſt, vt myſteria ſignificent ipſam vitæ meliorationem, aut reformationem, ſeu ipſam ſanctitatem: hoc inquam non dixit Tullius, ſed voluit dicere, per vocem *myſterium* ſignificari doctrinam illam, qua exculti ſumus ad meliorem vitam: quo ſenſu in omni rigore dicere poſſumus, doctrinam Euangelicam eſſe initia quibus Chriſtiani exculti ſumus, &c. nemo tamen dicet Euangelium eſſe ipſam ſanctitatem; & verò, quia Euangelia in ſe non includunt vllam actualem ſanctitatem, hic Auctor ea reiicit à ratione Sacramenti, ergo ex voce *myſterium* etiam iuxta Ciceronem nihil penitus deducitur ad rem noſtram.

25 Certè Paulus in omni rigore vſus eſt ea voce, dum 1. Corinth. 15. dixit, *Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*; vbi tamen nihil voluit denotare de ſanctitate, ſed oſtendit ſe rem aliquam abſconditam & occultam detegere; qualis erat reſurrectio futura communis ſine immutatione communi. Iudico ergo vocem Græcam eſſe inutilem ad rem præſentem.

Cur Baptiſmum in Mari rubro apud S. Paulum 1. Cor. 10. non fuerit Sacramentum.

Secundò circa alias probationes cenſeo, illas non admodum eſſe efficaces, quia tranſitus Maris rubri, aqua ſcaturiens, &c. excluduntur quidem à ratione Sacramenti, non tamen quia nullam ſanctitatem ſaltem imperfectam cauſauerint (de quo ſolo puncto iam agimus) cùm potiùs Paulus videatur denotare, Iudæos per illum tranſitum fuiſſe aliquo modo ablutos coram Deo, & quaſi conſecratos: id enim denotant illa verba, *Omnes baptizati ſunt in nube, & in mari*, 1. Corinth. 10. vbi Diuus Thomas per *τὸ baptizati ſunt* intelligit, quòd ſuſceperint figuram Baptiſmi; eo autem ipſo ſine dubio ſanctitatem imperfectam & legalem ſuſceperunt: *Initiati ſunt Hebræi* (ait ibi Cornelius noſter:) id quod ſine dubio denotat ſanctitatem legalem: probat autem idem Cornelius ex Chryſoſtomo, Theophylacto, & aliis, Iudæos in ſe ſuſcepiſſe tunc typum Baptiſmi noſtri, hoc autem formaliſſimè eſt eos accepiſſe ſanctitatem legalem ſub eo ſigno, quòd à ſeruitute Ægyptiaca tranſirent ad libertatem filiorum Dei; non ergo ille tranſitus defecit à ratione Sacramenti ex eo capite, quod hic Auctor adducit, ſed quia non fuit cæremonia ſtabilis & perpetua, prout ad Sacramentum requiri paulò pòſt dicemus: & eodem modo diſcurrendum eſt de aqua ſcaturiente ex petra. 26

Quoad Euangelia verò, quæ promittunt gratiam, dico etiam illa non excludi à ratione Sacramenti, eò quòd ſanctitatem nullam cauſent in legente: etenim ſaltem dum in Miſſa leguntur à Sacerdote, aut dum cantantur à Diacono, negari non poteſt quin cauſent ſanctitatem legalem, quia illa ipſa lectio eſt cæremonia valdè ſacra, ac proinde eo ipſo formaliſſimè ſanctificationem externam & legalem inducit in legentes aut cantantes Euangelia; & quidem non minùs quàm vſus aquæ benedictæ, in qua hic Auctor reperit ſufficientem ſanctificationem ad rationem Sacramenti, ſi aliunde ſimul ea eſſet cauſatiua gratiæ habitualis, aut promiſſiua illius; ergo licet ipſa

Cur Euangelium non ſit Sacramentum.

Euangelia ſecundùm ſe non eſſent Sacramenta iuxta intentum huius Auctoris, ſaltem ipſa eorum electio in Sacro, ipſe cantus, &c. deberet eſſe Sacramentum, cùm tamen certiſſimum ſit non eſſe; non igitur ad defectum cauſationis ſanctitatis externæ recurrendum eſt, vt negemus ea eſſe Sacramenta. Faciliorem ergo rationem dederimus, ſi dixerimus in primis ipſam lectionem aut cantum Euangeliorum non eſſe promiſſionem gratiæ habitualis, nec pignus illius, ſed actionem ab Eccleſia inſtitutam, quæ non poteſt habere rationem promiſſionis aut pignoris gratiæ; quia Eccleſiæ non eſt promittere gratiam habitualem, aut dare pignus illius: id enim ad ſolum Deum ſpectat. Secundò, ſi de ipſis Euangeliis ſcriptis ſermo ſit, facilem etiam eſſe rationem, cur ea non ſint Sacramentum, quia nec illa ſunt promiſſio Dei, ſed, vt ſic dicam, narratio eius promiſſionis: perinde ac quando Rex aliquid promittit, & alij mente vel in ſcripto retinent illam promiſſionem, eamque aliis deinde narrant: vnde vlteriùs ea ſcriptio non eſt ſignum ad placitum ex Chriſti inſtitutione; ſed ſunt verba aut Scriptura quæ ex inſtitutione Græcorum aut Latinorum fuêre olim vſurpata in eadem ſignificatione, in qua vel Ioannes, vel Matthæus & alij Euangeliſtæ illa vſurpauerunt: quid ergo mirum ſi Sacramenta non ſint? neque inde licet quidquam inferre de neceſſitate ſanctitatis legalis à Sacramentis cauſandæ.

Hinc Tertiò dico, Non adeò videri certum eam ſanctitatem requiri ad rationem Sacramenti; nihilominùs ex acceptione communi eius 27 *Oſtenditur quomodo de*

vocis

Digitized by Google

…ratione Sacramenti ſit cauſare aliquam ſanctitatem.

vocis ſufficienter videtur inferri ea neceſſitas, quia omnes Auctores vocem illam *Sacramentum* vſurpant pro cæremonia ſacra; formaliter autem eo ipſo quòd eſt ſacra, tribuit aliquam ſanctitatem eam ſuſcipienti; quia exercere cæremoniam ſacram, & ipſo vſu illius ſanctificari ſaltem exteriùs, idem eſt formaliſſimè loquendo: ergo de ratione Sacramenti eſt, vt cauſet aliquam ſanctitatem. Confirmo, Sacramentum eſt aliquod ſignum gratiæ à Deo inſtitutum in pignus illius, atque eo ipſo talis res ſi ſit actio aut quaſi actio à creatura exercenda, exteriùs ſuo vſu ſanctificat hominem; ergo confert aliquam ſanctitatem. Dixi *aut quaſi actio* propter Baptiſmum, qui confertur infanti ſine vlla prorſus diſpoſitione ex parte ipſius, quo tamen infans ſanctificatur exteriùs dum ſuſcepit illum: ea enim ſuſceptio, ſeu paſſio, poteſt ad rem noſtram vocari quaſi actio, maximè cùm ad hanc ſanctitatem legalem non ſit neceſſaria poſitiua actio ipſius ſuſcipientis. Conſtat ergo Sacramentum eſſe cæremoniam ſuo vſu aliquo modo ſanctificantem hominem.

Sanctitas perfecta & imperfecta nō conueniūt vniuocè, contra Cardinalem Lugo & Coninck.

Vbi omnino notandum, non debere id explicari per diſiunctionem ſanctitatis perfectæ vel imperfectæ (vt explicatur à Cardinale Lugo:) eo enim ipſo redderetur definitio Sacramenti vt ſic analoga, & non vniuoca; ac proinde illud Sacramentum, quod cauſaret in ſuſcipiente ſanctitatem ſolùm imperfectam, non conueniret vniuocè cum altero cauſante ſolam ſanctitatem veram. Probatur manifeſtè, quia in ratione ſanctitatis non conueniunt inter ſe vniuocè ſanctitas imperfecta & perfecta (vt ſuprà diximus contra Patrem Coninck,) ergo neque illa duo conuenirent vniuocè in ratione cauſæ ſanctitatis.

28 Fortaſſe reſpondebis, ea Sacramenta conuenire vniuocè in ratione promiſſiuorum gratiæ habitualis, idque ſufficere vt conueniant vniuocè in ratione Sacramenti. Sed contrà euidenter, quia iuxta hunc Auctorem eſſe promiſſiuum gratiæ habitualis non eſt adæquata eſſentia Sacramenti: id enim conuenit verbis Euangelij, tranſitui per Mare rubrum, &c. quibus non conuenit ratio Sacramenti; ergo conuenientia in hoc prædicato promiſſionis non facit conuenientiam vniuocam in ratione Sacramenti. Ratio autem à priori eſt clara, quia vt duo aliqua conueniant in vna ratione communi, non ſufficit conuenientia in partiali eſſentia eius rationis communis: vt enim quis conueniat vniuocè in ratione animalis cum altero, non ſufficit quòd verè conueniat in ratione viuentis, qui eſt partialis conceptus animalis, niſi etiam conueniat in conceptu ſenſitiui: ergo cùm ad conceptum Sacramenti eſſentialiter partialiter pertineat illa cauſatio ſanctitatis, profectò ſi in ea non datur conuenientia, non erit abſolutè vniuocatio in ratione Sacramenti vt ſic. Non ergo debet per diſiunctionem illam explicari ſanctificatio Sacramenti, ſed hoc modo: Sacramentum eſt cæremonia ſacra ſuſcipientem exteriùs ſanctificans, & promiſſiua gratiæ habitualis, ſeu in pignus gratiæ habitualis inſtituta: per hoc enim datur conceptus, qui Sacramentis omnibus conuenit vniuocè: ſignificant enim omnia gratiam habitualem: ſunt item eius pignora: ſunt cæremoniæ ſacræ ſanctificantes exteriùs hominem: vbi in ordine ad eandem ſanctitatem explicatur definitio, ergo.

Conceptus Sacramenti omnibus vniuocè conueniens.

29 Solutionem aliam, quæ ex Cardinale Lugo poſſet adduci, vide infrà reiectam. In contrarium quoad ſubſtantiam concluſionis ſtat Pater Gaſpar Hurtadus diſput. 1. difficultate quinta, vbi pro ſe citat Sotum in 4. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 2. Patrem Vaſquez hìc diſput. 128. cap. 1. & Ochagauiam quæſt. 3. probatque illam ex Diuo Thoma hìc quæſt. 60. art. 1. Verùm ibi Diuus Thomas non mouet propriè hoc dubium, dicit quidem Sacramentum eſſe in genere ſigni, inſinuat etiam Sacramentum non cauſare gratiam, id tamen ipſe intelligit de gratia habituali, in ordine ad quam Sacramentum eſt ſignum, at non propterea quidquam negat de ſanctitate legali ſeu externa: imò dum reſpondet obiectioni, quæ ex medicamento, quod dicitur à ſanando, deſumitur, vnde infertur, Sacramentum, quod à ſacrando, ſeu à cauſando ſanctitatem nominatur, debet gratiam cauſare, ait Sacramentum in genere cauſæ formalis ſanctificare, non in genere cauſæ efficientis: hoc autem eſt quod nos volumus, nam per ſanctitatem hanc legalem non intelligimus aliquid realiter diſtinctum ab ipſo vſu Sacramenti, ſed eam quæ in illo conſiſtit: eſt enim cæremonia ſacra; cuius vſu formaliter homines ſanctificantur legaliter, ergo Diuus Thomas potiùs ibi eſt pro noſtra & communi ſententia: clariſſimè autem illam tradidit 1. 2. quæſt. 101. art. 4. & quæſt. 102. art. 5. vbi docet Sacramenta eſſe ad ſacrandos homines: id quod fuſiſſimè deducit eo articulo 5. diſcurrens per omnia Sacramenta antiqua, & oſtendens ea omnia fuiſſe ſacras cæremonias, quibus homines legaliter ſanctificabantur: eandem etiam veritatem tradidit eis locis, dum docuit Sacramentum contineri ſub genere cæremoniæ ſacræ: atqui cæremonia ſacra quà talis formaliter ſe ipſa ſanctificat, vt obſeruatum eſt, ergo.

D. Thomas fauet noſtræ ſententiæ, contra mentem Hurtadi.

Vbi ſimul noto, Patrem Vaſquez, ob cuius maximè auctoritatem videtur Hurtadus in ſententiam negantem inclinaſſe potiùs ſtare pro nobis: & Primò de hoc puncto non agit capite primo, ſed quinto: Secundò, ibi ſolùm negat Sacramentum conſtitui in ordine ad cauſalitatem gratiæ quam ſignificat: agit enim tacito nomine contra Cardinalem Bellarminum, qui docuit Sacramentum definiri per hoc, quòd ſit ſignificatiuum & cauſatiuum ſanctitatis ſiue internæ, ſiue externæ: vnde argumentatur contra hunc, probans à Bellarmino non aſſignari rationem vniuocam ſanctitatis; quia ſanctitas externa & interna non conueniunt vniuocè in ratione ſanctitatis, & meritò infert, illum non loqui ea in re conſequenter. Sentit ergo ibi Vaſquez, Sacramentum eſſe debere ſignum determinatum ſanctitatis veræ, ſeu gratiæ habitualis, in ordine tamen ad illam non neceſſariò habere cauſalitatem, quia Sacramentis (vt in antiquis patet, non eſt eſſentiale cauſare gratiam habitualem. Sanctificationem verò externam, & quæ (vt diximus) non cauſatur propriè efficienter à Sacramentis, ſed formaliſſimè conſiſtit in eorum vſu, non negat Vaſquez eſſe communem Sacramentis, imò id ſupponit vt certum, dum ait Sacramentum debere eſſe ſacrum ſignum inſtitutum à Deo: eo enim ipſo formaliſſimè in eius vſu eſt ea quam diximus formalis ſanctitas exterior: & fortaſſe Ochagauia, & alij, quos ibi citat Hurtadus, & quos videre non potui, eodem modo loquuntur. 30

Vaſquez videtur etiā ſtare pro nobis contra eiuſdem Hurtadi ſenſum. Vaſquez impugnat Bellarminum in Sacramenti definitione.

Sanctitas externa Sacramentorū conſiſtit in eorum vſu.

Secundò

31 *Probatio Hurtadi ex Concilio Florentino reiicitur.*

Secundò pro eodem intento argumentatur ex decreto Eugenij Quarti in Concilio Florentino, vbi Pontifex aſſignans diſcrimen inter Sacramenta veteris Legis & noſtra, ſolùm ait illa tantùm figuraſſe, non cauſaſſe gratiam, noſtra verò eam gratiam cauſare; ergo ſupponit. Pontifex ad rationem Sacramenti vt ſic ſufficere ſignificare gratiam vel de præſenti vel de futuro dandam. Verùm neque hæc probatio eſt vllius momenti: nam Concilium non fuit ibi ſolicitum de aſſignando prædicato illo communi Sacramentis omnibus tam antiquis quàm nouis; & de quo nulla erat diſceptatio; ſcilicet quòd omne Sacramentum ſit cæremonia ſacra, quæ formaliter ſuo vſu adfert legalem ſanctitatem: ſolùm enim voluit explicare differentiam inter antiqua & noua.

Alia eiuſdem probatio refutatur.

Tertiò ratione idem probat; nam eo ipſo quòd aliquid ſignificet gratiam ſanctificantem, eſto nihil aliud efficiat, eſt verè & propriè Sacramentum diſtinctum ab omnibus aliis rebus & myſteriis, ſignificantibus quidem res ſacras, diſtinctas tamen à gratia; ergo. Verùm hoc argumentum leue valdè mihi videtur; ac primum ipſa vox *gratia habitualis* ſignificat multò magis diſtinctè & clarè ipſam gratiam interiorem ſanctificantem quàm omnia Sacramenta; & tamen non ideò ea vox eſt Sacramentum: plus ergo ad rationem Sacramenti requiritur quàm eſſe ſignum gratiæ habitualis. Verùm quia hoc pertinet ad difficultatem, de qua ſuprà, contra definitionem Sacramenti ab hoc Auctore cum Vaſquez traditam; ideò Secundò ad rem noſtram dico, ſignum illud gratiæ forte Sacramentum, etiamſi nullam à ſe diſtinctam ſanctitatem cauſet; quia eo ipſo quod eſt ſignum ſacrum, ſeu cæremonia ſacra à Deo inſtituta, neceſſum etiam eſt, vt ſe ipſo conferat quam dixi ſanctitatem externam, ſeu legalem. Quòd ſi daremus vnum tale ſignum etiam veriſſimum gratiæ dandæ, quod tamen non eſſet cæremonia ſacra, qua homines aliquo modo conſecrarentur, dicerem illud non eſſe Sacramentum eo ſenſu, quo vox hæc *Sacramentum* accipitur à Doctoribus de facto.

Sacramentum eo ipſo confert legalem ſanctitatem, quo eſt cæremonia ſacra à Deo inſtituta.

32 *Hurtadus malè oſtendit, cur tranſitus Maris rubri & petra fluens non fuerint Sacramenta.*

Vbi tandem aduerto, eundem Hurtadum, dum conatur oſtendere, cur tranſitus Maris rubri aquaque de petra fluens non fuerint Sacramenta, cum tamen fuerint ſigna gratiæ, reſpondere, Non fuiſſe per ea ſignificatam gratiam, etiamſi ob aliquam naturalem analogiam earum rerum cum eadem gratia fuerint illius vmbra: fuêre enim figura Baptiſmi futuri: & idem dicit de matrimonio Adami. Quæ doctrina facilè reiicitur, quia negari non poteſt, quin maiorem ſignificationem gratiæ habuerint ea omnia quàm præciſè naturalem illam analogiam, quam habuiſſent caſu quo per accidens ea contigiſſent. Videtur enim Apoſtolus Paulus contrarium planè inſinuare, & ita Theologi ſupponunt illa omnia Iudæis ita in figura contigiſſe, hoc eſt, non in ſola analogia naturali, ſed Deo ſpecialiter vtente ea analogia, vt omnes poſſent intelligere quid eſſet in Lege gratiæ futurum; hoc autem formaliſſimè eſt, illa fuiſſe vſurpata à Deo, vt gratiam dandam ſignificarent. Neque capio, quomodo dicat hic Auctor, non fuiſſe eas actiones ſigna gratiæ, & tamen addat fuiſſe figuram gratiæ; cùm omnis figura proprium ſit ſignum rei figuratæ. Verùm ſatis iam contra hunc Auctorem, & eo ſanctitate externa ad rationem Sacramenti requiſita.

SVBSECTIO II.

Quomodo de ratione Sacramenti ſit eſſe cæremoniam ſenſibilem & ſtabilem?

33 *Sacramentum debet eſſe cæremonia materialis. Quæ conſtituunt Sacramentum debent eſſe ſenſibilia ſecundùm aliquid.*

SECVNDA conditio, quæ etiam communiter in Sacramentis requiritur, eſt ſenſibilitas, probari autem ſolet, eò quòd cùm Reipublica humana non niſi ſenſibiliter gubernetur, oportuerit pro illa hanc cæremoniam ſacram eſſe externam, ſeu ſenſibilem. Vbi tamen obſeruo, non eſſe neceſſum vt omnia quæ conſtituunt Sacramentum ſint per ſe immediatè ſenſibilia; ſufficit enim vt abſolutè ſecundùm aliquid ſit ſenſibile, & per illud ipſum reliqua fiant quodammodò ſenſibilia; ſicut contritio fit ſenſibilis per confeſſionem, & corpus Chriſti in Euchariſtia per ſpecies & verba. Vbi obiter decidenda eſt quæſtio quam nonnulli fusè diſcutiunt; Vtrùm ſcilicet de ratione eſſentiali Sacramenti ſit, ita eſſe cæremoniam ſacram ſenſibilem, vt debeat eſſe materialis. Eſt autem hæc quæſtio purè putè de voce. Etenim cùm vox *Sacramentum* ex ſe nihil ſignificet, niſi ad quod applicatur ab Auctoribus, & negare nemo poſſit, in poteſtate hominum eſſe eam tantùm applicare ad ſignificanda ſigna materialia; aut ſi contrario velint poſſe eam extendi ad ſignificanda etiam ſigna ſpiritualia gratiæ (qualia poſſe eſſe inter puros ſpiritus dixi paulò antè) haud dubiè erit quæſtio de voce, an hæc ſpiritualia ſigna poſſint dici Sacramenta, & decidi quæſtio non poterit meliùs, quàm priùs determinetur, ad quid in communi ea vox applicetur; ſi v. g. quis præciſè dicat Sacramentum debere eſſe ſignum gratiæ ſanctificantis, & cæremoniam ſacram. Certè cùm iam oſtenderimus etiam rei ſpirituali poſſe diuinitus conuenire eam rationem ſigni gratiæ & cæremoniæ ſacræ, poſſet etiam illis conuenire vox hæc *Sacramentum*: quòd ſi addatur præter ea debere ſimul eſſe cauſam gratiæ, cùm & hoc poſſit conuenire rei ſpirituali, poterit etiam vox Sacramenti. Et eodem modo diſcurrendum de aliis particulis, quæ poſſunt addi in definitione, & conuenire poſſunt rei ſpirituali; quòd ſi tamen præter illas omnes addatur, vt ſit ſignum materiale, ſeu ſenſibile, iam ſine dubio ceſſabit omnis quæſtio, cùm ipſa ſignificatio determinet vocem illam ad rem materialem, & excludat ſpiritualem. Ideò benè dixit Gabriel in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. Etiamſi pro Angelis inſtituiſſet Deus aliqua ſigna ſpiritualia gratiæ, quæque haberent eundem effectum quem habent noſtra Sacramenta, non tamen dicenda Sacramenta; eò quòd ex vſu loquentium communi vox *Sacramentum* non vſurpetur niſi pro ſigno ſenſibili, ſeu materiali: neque quærendum eſt in hac quæſtione de voce maius myſterium, neque fruſtrà nos debemus ampliùs in ea defatigari. Sed iam ad rem noſtram.

Contritio per confeſſionem, Euchariſtia per ſpecies.

Etiamſi pro Angelis Deus inſtituiſſet ſigna gratiæ ſpiritualia, non ideò eſſent Sacramenta.

34 *Sacramentum debet eſſe cæremonia ſtabilis.*

Tertiò ſupponitur communiter eam cæremoniam, quæ in Sacramentum aſſumitur, debere aſſumi ſtabiliter. In quo puncto omnes ferè Auctores conueniunt: ratio autem illius inde deſumitur, nam id, quo aliqua Reſpublica diſtinguitur ab alia, debet eſſe ſtabile; alioquin moraliter non poſſet in omnium cognitionem deuenire; Sacramenta autem eſſe per modum

Digitized by Google

dum rei diſtinguentis Rempublicam Chriſtianam ab aliis certum omnino eſt ex communi acceptione. Confirmatur: Sacramenta ſunt ſigna ad placitum ex inſtitutione, ſicut voces ſunt ſigna rerum; ſed non cenſetur ſimpliciter inſtitutio, niſi firmata ſit communi & publica lege, ideoque & ſtabili, & hoc in omnibus antiquis & nouis Sacramentis reperitur: fuerunt enim & ſunt omnia ſtabilia; quodlibet in ſuo ſtatu. Hoc idem confirmat Pater Suarius, quia niſi ad defectum huius ſtabilitatis recurramus, non poſſumus excludere a ratione veri Sacramenti aliquas Chriſti actiones, quas tamen nullus dicit Sacramenta; v.g. quando ad Magdalenam dixit, *Remittuntur tibi peccata tua*, quod idem paralytico dixit; ad diſcipulos etiam inſufflando: *Accipite Spiritum Sanctum.* Hæc confirmatio meo iudicio non habet magnam vim in noſtris & ipſius Suarez principiis; nam illa verba non fuêre tunc propriè pignus gratiæ, prout ad Sacramentum requiri dicemus paulò pòſt. Secundò, ibi nulla fuit cæremonia facta ex parte ſuſcipientis: prolatio enim verborum illorum ſolùm ſe tenuit ex parte ipſius Chriſti; nihil autem ex parte Magdalenæ fuit, quod poſſit eſſe propriè pars Sacramenti. Ad illud de inſufflatione faciliùs poteſt dici fuiſſe partem Sacramenti Ordinis, quo Chriſtus dedit diſcipulis poteſtatem abſoluendi: neque obeſt, quòd iam non ſit neceſſaria ea cæremonia; potuit enim Chriſtus alia vti, & aliam relinquere Apoſtolis pro tota Eccleſia.

Luc. 7. Matth. 9. Ioan. 20.

Suarez probatio reiicitur.

35 Tetigit hanc quæſtionem de perpetuitate ſeu ſtabilitate Sacramenti Cardinalis Lugo diſput. 1. à numer. 48. & neutram partem propriè defendendo, oſtendit argumenta Patris Suarez, quibus eam ſtabilitatem probat, non eſſe efficacia; ait enim, Non minùs Sacrificium eſſe ſignum ad placitum quàm Sacramentum, & tamen conſtat olim fuiſſe ſacrificia vera ſola vnica actione, vnica vice facta; vt quando Abraham iuſſus eſt immolare filium: pluraque alia reperiri in Lege veteri poſſunt, & in morte Chriſti Domini, quæ vnica fuit, & ſemel poſita nihilominùs fuit verum ſacrificium. Ad argumentum autem ex ſtabilitate religionis deſumptum reſpondet, omnino ad id ſufficere, ſi cæremoniæ communes ac principales ſint ſtabiles; per hoc tamen non impediri quò minùs aliqua particularis pro vna perſona inſtituatur in Sacramentum. Denique, quòd de facto omnia noſtra Sacramenta ſint ſtabilia, & olim id etiam antiqua habuerint, dicit nihil probare: Primò, quia fortè falſum ſupponitur: valdè enim dubium eſt, an non impoſitio manuum Moyſis ſupra Ioſue, qua dedit ei ſpiritum ſapientiæ, fuerit Sacramentum: & idem de aliis particularibus actionibus poteſt in dubium verti. Secundò, quia eſto omnia Sacramenta id habeant de facto, non continuò ſequitur id eſſe de ratione Sacramenti vt ſic. Iudico hanc quæſtionem eſſe de ſolo nomine; etenim quoad rem ipſam nemo poteſt dubitare, poſſe à Deo dari vni ſoli priuatæ perſonæ aliquod pignus gratiæ; quod quidem omnibus ſit ſignum gratiæ non pro omnibus concedendæ, aut ſignum non ab omnibus exercendum. Hoc do Cardinali Lugo, nec puto à Patre Suario negandum. Certum item, poſſe eſſe alia vniuerſalia ſtabiliaque ſigna ſeu pignora gratiæ. Hæc de re quoad poſſibilitatem omnino certa; iam verò quæ ex illis debeant vocari Sacramenta, an ſola ea quæ ſtabilia, an verò omnia alia; quis non videat ſolùm eſſe quæſtionem de nomine? hinc infero, Nil poſſe ſolidè in alterutram partem definiri. Fateor valde probabilem eſſe eam ſolutionem deſumptam ex ſacrificiis, quæ in actione ad vnicam perſonam determinata conſiſtere poſſunt. In hac ergo quæſtione de voce, & tota de libitu hominum, Primùm dico eſſe valdè probabile, de facto Sacramenta veteris Legis omnia fuiſſe ſtabilia; quia licet poſitiuè id non poſſimus oſtendere; nulla enim definitio Eccleſiæ reperitur de numero communi Sacramentorum, & quæ illa; neque ex Scriptura quidquam poteſt oſtendi in eo puncto; Theologi tamen omnes videntur ſupponere omnia illa Sacramenta fuiſſe communia, & durâſſe toto tempore illius Legis; ideoque in hoc puncto ſatis probabiliter P. Suarez ſupponit re ipſa eam ſtabilitatem in omnibus Sacramentis dari; vnde etiam probabiliter infertur, Eccleſiam eam vocem de facto vſurpaſſe pro tali ſigno ſtabili & fixo.

Cardinalis Lugo argumenta Suarez pro ſtabilitate cæremoniæ oſtendit eſſe inefficacia.

Inter illos videtur eſſe certamen de voce.

Probabile eſt, omnia Sacramenta veteris Legis fuiſſe ſtabilia.

36 Et verò Cardinalis Lugo, qui hîc contra Patrem Suarez fortiter agit, videtur poſſe propriis argumentis impeti; vti enim Suarez ait, niſi requiratur hæc ſtabilitas, non poſſe excludi à ratione Sacramenti aliquas actiones; ita eodem modo ipſe Cardinalis Lugo probat de ratione eſſentiali Sacramenti vt ſic eſſe, dare actu aliquam ſanctitatem ſaltem externam: vtitur ſimili argumento; quia aliàs non poſſet reiici à ratione Sacramenti tranſitus Maris rubri, &c. Quid ergo, ſi iam huic Auctori eodem modo reſpondeatur, ſicut ipſe dicit, *Quid ſi impoſitio manuum Moyſis fuiſſet Sacramentum?* dicere nos poſſumus, *Quid ſi ille tranſitus Maris rubri fuiſſet Sacramentum?* Vnde quæſo contrarium ipſe probat, vt in ſimili obiicit contra Suarez? Et idem dico, Cur de poſſibili non poterit dari aliquod ſignum verè promiſſiuum gratiæ habitualis, quod tamen & actu non ſanctificet exteriùs, ſitque nihilominùs Sacramentum? Certè, quòd omnia Sacramenta de facto annexam habeant eam ſanctificationem, non reputatur ab eodem Auctore ſufficiens argumentum, vt contra Suarez obiicit. Vides ergo in hac quæſtione de voce magis conſequenter diſcurriſſe Suarium. Quidquid verò de hoc ſit,

Defenditur Suarez contra Cardinalem Lugo.

37 Vltimò putarem poſſe dici non improbabiliter, tale ſignum & pignus gratiæ, etiamſi ad vnam perſonam, & pro vna vice determinatum, dummodò reliqua haberet, vocandum ab hominibus Sacramentum; quia non videntur adeò eſſentialiter ad hanc denominationem requirere illam ſtabilitatem, vti requirunt reliqua, qua doctrina admiſſa, in definitione Sacramenti deberet omitti particula, quam nos poſuimus, *cæremonia ſtabilis*: non enim oportet in definitione ponere vllam particulam, ſine qua vel diuinitus poſſit dari illud definitum. Dixi *ſi reliqua habeat*, nempe & rationem promiſſionis & pignoris, & quod ſit publicum ſignum ſignificanſque quoad omnes, non enim repugnat actionem eſſe vnam, & ad vnicam perſonam determinatam, & tamen ſignificationem illius eſſe communem omnibus, vel omnes ſcire tale ſignum eſſe gratiæ, &c. Vti mors Chriſti Domini ſine dubio vnica in ſe fuit, omnibus tamen ea ſignificat ſupremum dominium Dei, ac proinde fuit verum ſacrificium,

Poteſt dari Sacramentum, quod non ſit cæremonia ſtabilis.

de

Digitized by Google

de quo fuſiùs infrà. Debebit etiam tale pignus, vt ſit Sacramentum, eſſe cæremonia ſacra; quia, vt diximus ſuprà nomine Sacramenti planè videntur omnes intelligere aliquod ſignum, cuius ſignificatio & inſtitutio proueniat à Deo, debeat tamen aliquo modo vel exerceri, vel recipi in homine ipſo; idcoque ſit cæremonia, qua hîc ſanctificetur aliquo modo: & hinc apparet diuerſitas inter rationem cæremoniæ ſacræ, & eam ſtabilitatem, quòd ſine ſtabilitate conſiſtit ratio pignoris gratiæ habitualis ſanctificantis ſuo vſu homines; id quod dixi maximè ſignificari ab omnibus per hanc vocem; ſine ratione verò cæremoniæ ſacræ non ſaluatur illa ſanctificatio ſuſcipientis, ſed videtur manere illud ſignum quaſi purè ſe tenens ex parte Dei, & ab hominibus alienum: id quod iuxta dicta videntur homines attendiſſe in ea voce *Sacramentum*. Et ſatis de quæſtione ad purum modum loquendi pertinente.

Non eſt eſſentiale omni Sacramento durare toto tempore quo durat ſtatus Legis in quo inſtituitur.

38 Illud tamen ex dictis contra quoſdam Recentiores, qui manifeſtè plus nimio eam ſtabilitatem Sacramentorum extendunt, obſeruandum eſt, nullo modo eſſe eſſentiale omni Sacramento durare toto tempore quo durat ſtatus Legis, in quo inſtituitur. Quis enim diceret circumciſionem non futuram Sacramentum, ſi ita fuiſſet inſtituta, vt ceſſare debuiſſet quadringentis vel trecentis annis ante aduentum Chriſti? aut è contrario, ſi incepiſſet ducentis annis poſt datam in monte Legem? Vrgeo clariùs; Sacramentum Legis naturæ in omnium etiam horum, quos impugno, ſententia fuit verum & reale Sacramentum; & tamen ceſſauit in Abrahamo quadringentis ferè annis antequam inciperet nouus ſtatus Legis ſcriptæ, & antequam ceſſaret Legis naturæ ſtatus; ergo: idem in ipſa circumciſione ſuadetur; nam & hæc fuit verum Sacramentum pro illis quadringintis annis ante Legem datam in Sinai; & tamen non fuit perpetuum pro ea Lege naturæ, quia incepit ferè duobus millibus annorum poſt illam: ergo de ratione Sacramenti vt ſic non eſt perpetuitas illius pro toto tempore Legis in qua inſtituitur. Ratio à priori deſumenda eſt ex paulò antè dictis; quia licet ad diſtinctionem vnius populi ab alio requiratur aliqua ſtabilitas in ſignis & cæremoniis diſtinctiuis, non tamen eſt neceſſaria omnimoda perpetuitas. Et verò exemplo vocum, quo Aduerſarij vtuntur, idem conuincitur: licet enim voces longam habuerint durationem; non tamen omnes perpetuæ ſunt: quot enim voces ſucceſſu temporis, etiam in eadem Republica, vel ſignificationem mutarunt, vel omnino perierunt? Id denique in noſtris Sacramentis apparet; nam etiamſi Chriſtus inſtituiſſet ita Extremam Vnctionem, vt quingentis annis ante finem mundi deſineret eſſe Sacramentum, non ideò huc vſque non fuiſſet; ergo non eſt neceſſe vt Sacramenta ſint omnino coæua Legi in qua ſunt inſtituta, etiamſi aliqua magna perſeuerantia pro illis requiratur. Vbi nonnulli è contrario quærunt, an ſufficiat durare per totam vitam vnius hominis. Et videtur id non ſufficere, quia non dicitur communiter ſtabile quod vitæ vnius hominis alligatum eſt, maximè nunc quando vita hominis breuiſſima eſt. Fortaſſe alicui oppoſitum magis arrideret, quia quinquaginta vel ſexaginta aut octoginta anni ſatis notabilem perſeuerantiam includunt, vt poſſet talis cæremonia dici Sacramentum. Sæpè dixi in his rebus quæ non conſiſtunt in indiuiſibili, & pendent ex iudicio hominum, eſſe ſummam incertitudinem; quia vnus taxat hoc modo, alter illo. Cùm ſemel dixerimus non eſſe neceſſum vt Sacramenta durent toto tempore Legis in qua ſunt, ſed notabili aliquo, iam erit difficile decidere, quod ſit illud notabile tempus, an hoc, an illud, an ſexaginta anni, an octoginta, an centum. Neque id nos poſſumus omnino certò determinare. Mihi ſanè centum anni videntur ſufficere; aliis etiam fortaſſe videbitur ſufficiens longè minor duratio; & verò fortè non deerit qui viginti annos dicat ſufficere. Et de hoc puncto, maiori ex parte aut potiùs ex integro ad voces ſpectante, ſatis.

Oſtenditur exemplis.

Quantum tempus ſufficiat, vt Sacramentum dicatur cæremonia ſtabilis.

SVBSECTIO III.

Quæ alia debeant Sacramento conuenire

Non eſt neceſſe vt Sacramentum ſit inſtitutū pro omnibus hominibus.

39 TERTIO loco quæri poteſt, Vtrùm ſicut Sacramentum eſt ſignum ſtabile, ita debeat eſſe commune pro omnibus? de quo nonnulli fuſiùs quàm par eſſet. Breuiter nos reſpondemus, nullo modo id eſſe neceſſarium, vt patuit olim in circumciſione, Sacerdotio aliiſque Sacramentis: illa enim excludebat omnes fœminas; hoc verò non admittebat niſi vnicam familiam Aaron: eſt autem probabiliſſima ſententia docens Sacerdotium fuiſſe etiam in veteri Lege verum & proprium Sacramentum. Ratio verò deſumetur ex ſtatim dicendis: vt enim aliqua cæremonia ſit ſacra, & ſignificatiua gratiæ, ac in pignus gratiæ inſtituta, prout dicemus requiri & ſufficere ad Sacramentum, non eſt neceſſum vt extendat ſe ad omnes perſonas, ſufficit ſi ad certas; ac proinde ex hoc capite optimè potuiſſet, ſi voluiſſet Chriſtus, inſtituere, vt in conſecratione Summi Pontificis conficeretur ſpeciale Sacramentum; quod tamen non poſſet concedi niſi vni perſonæ, & poſt mortem illius alteri. Vnde valdè probabile eſt, in Lege veteri Summi Pontificis conſecrationem fuiſſe re ipſa Sacramentum: cuius non niſi primogenitus ordinariè parente mortuo capax erat. Et de hoc puncto, quia nimis certum, ſatis.

Sacramentum debet eſſe ſignum gratiæ iuſtificantis.

Quarto loco ſuppono omne Sacramentum debere eſſe ſignum gratiæ iuſtificantis. Hæc ſuppoſitio non poteſt meliùs probari quàm communi ferè omnium acceptione, intelligentium Sacramenti nomine tale gratiæ ſignum. Vtrùm autem ratio ſigni ſit ens reale vel rationis, quæſtio eſt ad alia omnia ſigna communis; in qua dicendum eſt eſſe denominationem realem extrinſecam prouenientem à voluntate inſtituentis: quæ denominatio immeritò vocatur ens rationis à Vaſquez, & à Gaſpare Hurtado, eiuſdem ferè per omnia ſectatore, diſput. 1. difficult. 7. Quis enim dixit vnquam eſſe ens rationis, me eſſe poſteriorem Adamo & priorem Antichriſto; eſſe amatum, vel odio habitum; ſedere à dextris aut à ſiniſtris Petri? quæ omnes ſunt denominationes extrinſecæ. Ratio à priori, quia per hunc modum loquendi nolumus denotare, in ſubiecto eſſe formam aliquam intrinſecam eidem inhærentem, ideoque nullum fingimus ens rationis; ſed præciſè propter exiſtentiam illius formæ extrinſecæ, & aliquo modo ſubiectum reſpicientis, tribuimus eidem ſubiecto diuerſum nomen. Id quod ex ipſo 40

Ratio ſigni eſt denominatio extrinſeca, non verò ens rationis, vt voluit Vaſquez & Hurtadus.

ipſomet Patre Vaſquez clarè oſtenditur; fatetur enim ipſe, & quidem meritò, hoc quod eſt me videre parietem, eſſe quid reale. Argumentor ergo hinc euidenter, Me videre parietem, & parietem eſſe viſum à me, eſt idem formaliſſimè ſola diuerſitate vocum interueniente; vti idem eſt me occidere Petrum, & Petrum à me occidi, & me amare Petrum, & Petrum à me amari; ergo ſi in vno nullum eſt ens rationis, vti reuerà non eſt, neque erit in alio. Quod enim Pater Vaſquez ait, quando dicimus, *Me ante operationem intellectus videre parietem*, nihil aliud eſſe, quàm quòd ſit fundamentum reale denominationis viſi: quòd verò paries actu dicatur viſus, non eſſe ſine operatione rationis; quandoquidem nihil habet reale paries, quod in ſe recipiat ante operationem intellectus, à quo poſſit realiter denominari. Hoc inquam non eſt magni momenti; quia vti denominatio albi, calidi, iuſti, &c. dantur à parte rei ante operationem intellectus ratione vnionis intrinſecæ, quæ inter albedinem & ſubiectum intercedit; etiamſi ante operationem intellectus non id declaretur per eas voces, *albus, iuſtus, calidus*; qui ſine dubio harum vſus ad explicandam eam vnionem à ratione ſeu ab intellectu prouenit: ita quicumque in hoc puncto melius philoſophantur, dicunt per illam vocem *viſi* non denotari vllam receptionem intrinſecam viſionis in ipſo pariete: ſi enim id eſſet, haud dubiè ibi interueniret ens rationis: denotatur ergo per eas voces exiſtentia ipſius viſionis; quæ cùm eſſentialiter ſit cognitio obiecti, eo ipſo facit vt obiectum verè & propriè videatur per illam: neque puto Patrem Vaſquez ſaltem ſub hac voce dicturum fieri ens rationis, *Paries videtur*; quia ibi nihil aliud ſignifico quàm *Datur viſio parietis*: atqui eſto Latina Grammatica vtatur illo verbo ſubſtantiuo. *Eſt viſus, amatus, odio habitus*, &c. nihil aliud penitus ex parte ipſius parietis plus aut minùs vult ponere dum dicit, *Paries videtur*, quàm dum dicit, *Paries eſt viſus*, & è contrario. Sed hæ ſunt duæ voces ſynonymæ, ſicut gladius & enſis. Cernitur id longè clariùs in ea denominatione peccatoris; etenim non puto Patrem Vaſquez dicturum hominem peccare, formaliter eſſe ens rationis, aut ante omne rationis noſtræ opus illum, qui occidit liberè alterum, non peccare realiter & verè, aut non offendere verè & realiter Deum, neque eſſe odio & æterna pœna dignum; ſed ad id requiri deinde, vt nos aliquid ibi fingamus. Conſtet ergo hominem peccare, eſſe independens ab omni ente rationis. Atqui hominem peccare, iuxta ſententiam ipſius Vaſquez, eſt denominatio extrinſeca à Lege quæ prohibet illum actum. Nam qui in die ieiunij comedit carnes, peccat: quòd ſi eadem comeſtio habita fuiſſet ſine præcepto eas prohibente, non peccaſſet ille homo; ergo quòd comedens vnus die Veneris peccet, alter comedens die Iouis non peccet, prouenit extrinſecè à Lege, quæ vno die prohibet, altero non; prouenit item à voluntate generali Dei præſtantis concurſum indifferentem; ergo per denominationem extrinſecam poteſt quis ante omne opus rationis verè & realiter Deum offendere, peccare, &c. ergo denominatio extrinſeca qua talis non eſt opus rationis.

A ſimili oſtenditur ex ipſius Vaſquez ſententia rationem ſigni nõ eſſe ens rationis.

Per denominationem extrinſecã peccator verè conſtituitur, neque eſt ens rationis.

41

Peccare & eſſe peccatorem idem omnino ſunt.

Fortaſſe reſponderet, ante omne opus rationis poſſe quidem dici Petrum peccare, tranſgredi legem, &c. non tamen poſſe dici eſſe peccatorem, quia per hoc iam denotatur eum habere aliquam formam intrinſecam, per quam ſit peccator. Sed contra Primò, quia ſi à forma extrinſeca dicitur peccare, iam eo ipſo accipit vnam denominationem realem à re extrinſeca, vt contendimus, quidquid ſit de illa altera *Eſt peccator*. Secundò, qui dicitur peccare, ſaltare, videre, audire, ſine dubio dicitur habere aliquod prædicatum, vnde ea denominatio illi proueniat magis quàm alteri, qui non dicitur peccare; ergo iam ibi habet totum meum intentum, & argumentum totum Patris Vaſquez. Adde, *τὸ Eſt peccator* & *τὸ peccat* eſſe idem formaliſſimè ſolis vocibus mutatis; vti *Amat* & *eſt amans*, *Dormit* & *eſt dormiens*; imò omnis propoſitio, quæ fit in vulgari modo loquendi per ea verba de præſenti, iuxta rigorem Logicum debet conuerti per verbum ſubſtantiuum *eſt*, vt appareat ibi ſubiectum, prædicatum & copula, vt diximus in Summulis; *Amo* v. g. *Ego ſum amans*, *Lego*, *Ego ſum legens*, &c. ergo ſi dum dicitur *Ego pecco*, nullum omnino fit ens rationis; neque fiet dum dico *Ego ſum peccans*. Et hinc confirmatur quod paulò antè dicebam de pariete viſo; nam ſi dum dicitur *Ego video parietem*, non fit ens rationis, nec fiet dum dicitur paſſiuè, *Paries videtur à me*, ergo nec dum dicitur, *Paries eſt viſus*; quia *Ego video parietem* & *Paries videtur* ſunt idem; deinde *Paries videtur* & *Paries eſt viſus* omnino ſunt idem, ergo nullum ibi interuenit ens rationis.

42 Secundò fortè reſpondebis negando conſequentiam à peccato ad Sacramenta, & ad denominationes alias extrinſecas: eò quòd in peccatore eſt ſaltem ipſe actus voluntatis intrinſecus, à quo poteſt illa denominatio venire: at in Sacramentis vt dicantur ſigna, nihil interuenit intrinſecum. Sed contra, quia ego non loquor de illa denominatione *volentis comedere carnes*; hæc enim haud dubiè eſt intrinſeca; ſed loquor de denominatione peccantis, quæ vt talis eſſentialiter includit aliquid extrinſecum ſaltem partialiter, ita vt ſine illo nullo modò ſit peccatum: & vt huic replicæ obuiarem, ſuprà poſui duos homines præciſè differentes in ea denominatione extrinſeca, quòd prohibitus eſt vni eſus carnium, alteri verò non; vnde differunt in ea denominatione peccantis quam vnus habet, alter non, vbi autem nulla eſt differentia niſi ratione extrinſeci: ergo poteſt aliquid extrinſecum ante omnem vſum rationis denominare ſuo modo ſubiectum: ergo ratio Patris Vaſquez tota ruit: nam ſi ſemel in vno caſu id admittitur, debet in omnibus. Denique in hac denominatione *Deus creat*, *Ignis calefacit*, *Sol illuminat*, idem clariſſimè conſtat: nam omnes hæ denominationes ſunt extrinſecæ; quia actio non recipitur in cauſa efficiente quà tali. Nemo autem dixit cauſam cauſare eſſe ens rationis, aut nos, dum id dicimus, facere ens rationis. Et ſatis de hoc puncto, quod ad modum loquendi ſpectat; de quo aliis in locis nonnihil etiam dixi: & obſeruaui fortaſſe Patrem Vaſquez ſolo nomine à reliquis differre, eò quòd nomine eius formalis denominationis ſolùm intelligit hoc, quod eſt actu parietem vocari viſum, id quod ab intellectu formaliter prouenit, inde

tamen

tamen non poteſt aſſignari differentia inter denominationem intrinſecam & extrinſecam: vti enim hæ formaliter eo ſenſu ab intellectu proueniunt; ita & illæ; dicere enim *Petrus eſt albus*, opus eſt intellectus, vti dicere *Paries eſt viſus.*

Sacramentum eſt pignus, quo ſe Deus obligat ad conferendam gratiam.

43 Suppono tandem, Sacramentum non purè ſpeculatiuè gratiam ſignificare, vt alibi oſtendi; neque tamen ideò requiri vt eam cauſet, vti ex antiquis eodem loco probaui. Eſt ergo Sacramentum quaſi quædam Dei loquela, quo nobis exterius promittit dare gratiam; ſeu quaſi quædam arrha, aut pignus, quo ſeipſum obligat ad eam gratiam conferendam; vel ſtatim quando Sacramentum exercetur, vt contingit in noſtris; vel poſt aliquod tempus, vt contingebat in antiquis; per quæ promittebatur gratia hoc tempore danda per Sacramenta nouæ Legis.

Quare ſolus Deus poſſit inſtituere Sacramenta.

Ex his facilè colliges obiter, cur ſit ſolius Dei propria auctoritate Sacramenta inſtituere; quia ſcilicet illa ſola perſona poteſt promittere aliquid, vel concedere pignus de dono aliquo, ad quam ſpectat talis doni largitio: cùm ergo gratia iuſtificans à ſolo Deo poſſit concedi, ſolus Deus poterit propria auctoritate Sacramentum, quod eſt promiſſio & pignus gratiæ, inſtituere. Dixi *propria auctoritate*, quia poteſt Deus delegare facultatem alicui vt Sacramenta inſtituat; quod (vt propriùs loquamur) non tam eſt Sacramenti inſtituendi facultas, quàm determinandi materiam, quæ aſſumatur in Sacramentum & pignus gratiæ: de quo puncto nobis redibit ſermo infrà agentibus de cauſa inſtituente noſtrorum Sacramentorum; vbi tangemus quamdam obiectionem vtcumque difficilem ad probandum, poſſe etiam puram creaturam eſſe cauſam Sacramenti.

SECTIO V.

Definitio Sacramenti concluditur; & reſpondetur aliquibus obiectionibus.

44 EX dictis hæc infertur Sacramenti definitio: *Eſt cæremonia ſacra, ſenſibilis, ſtabilis, in pignus gratiæ inſtituta.* Hæc vltima verba *in pignus gratiæ inſtituta* ponuntur loco differentiæ, alia loco generis; omnia autem ſatis ſuprà explicata ſunt. Hanc definitionem te ipſa defendit Cardinalis Lugo, qui ad rationem Sacramenti præter ſignificationem gratiæ habitualis requirit cauſalitatem in illam, diſput. verò 1. ſect. 2. num. 17. eam cauſalitatem ita explicat, vt Sacramenta antiqua (nam quòd noua gratiam cauſent, non eſt dubium) fuerunt quædam Dei promiſſiones, quibus promittebat & repromittebat Chriſtum venturum ad ſaluandos homines; aitque ideò ea paſſim à Paulo dici repromiſſiones, vt ad Hebræos 8. & 11. & alibi: Auguſtinus item in Pſalmum 39. & 73. & libro 19. contra Fauſtum cap. 14. dicit omnia antiqua Sacramenta fuiſſe gratiæ futuræ promiſſiua: quam etiam doctrinam tradidit Pater Suarez hîc ſectione ſecunda; hinc infert, ea Sacramenta non fuiſſe ſigna purè ſpeculatiua gratiæ; ergo aliquo modo illam cauſarunt. Nam promiſſio habet vim mouendi promittentem, vt deinde conferat id, quod promiſit. Hoc ergo quod Suarez & Cardinalis Lugo vocant aliquo modo cauſare gratiam ratione promiſſionis, ego voco pignus ſeu arrham gratiæ; cauſalitatem tamen propriam Sacramentorum antiquorum in gratiam non volo admittere, ob dicenda infrà in ſolutione tertiæ obiectionis; quia in Deo non omnis promiſſio propriè cauſat rem promiſſam, quando iam ſupponitur ante eam promiſſionem res illa futura. Meliùs ergo ratione pignoris & arrhæ res tota explicatur independenter à cauſalitate, maximè cùm illa particula *pignus gratiæ* excludat à ratione Sacramenti, quidquid hic Auctor vult excludere per eam aliqualem cauſalitatem.

Cardinalis Lugo in definitione Sacramenti nobiſcum ſentit.

Quomodo Sacramenta veteris Legis dicantur cauſaſſe gratiam.

45 Sed iam ad obiectiones contra eam definitionem. Prima ſit, quia tota illa videtur conuenire ſacrificio; quod tamen vt tale non eſt Sacramentum. Probatur ſubſumptum; nam ſacrificium eſt cæremonia ſacra, & videtur eſſe ſignificatiua gratiæ eiuſque promiſſio. Reſpondeo, Sacrificium qua tale non eſſe inſtitutum in pignus gratiæ, ſed præciſè ad proteſtandum ex parte noſtra Dei ſupremum dominium, vnde potiùs eſt loquela, qua creatura loquitur Deo ei ſe ſubiiciens, eiuſque agnoſcens poteſtatem, quàm è contrario pignus à Deo nobis datum, aut promiſſio, qua ipſe Deus nobis ſignificet gratiam à ſe dandam. Neque obſtat quòd aliquando in ſacrificiis antiquis conceſſa fuerit quædam legalis ſanctitas (vt in illis quæ ad expiationem pro peccatis ordinabantur) quia non ideò formaliter erant iuſtificantis gratiæ pignora. Imò etſi gratia iuſtificans illis annexa fuiſſet, adhuc non fuiſſent Sacramenta; quia non eſſent ideò propriè in gratiæ pignus inſtituta: nec enim omnia, propter quæ gratia datur, ſunt illius pignus, vt ex ſolutione ſecundæ obiectionis iam conſtabit.

Cur ſacrificium dictum non poſſit Sacramentum.

Secundò obiicies: Videtur repugnare, quòd detur poſtea per Sacramenta gratia, ſi ipſa Sacramenta ſupponunt in Deo voluntatem dandi eam gratiam; ſupponunt autem, quandoquidem ſunt pignus ſeu externa manifeſtatio illius voluntatis. Reſpondeo facilè, Sacramenta ſupponere quidem voluntatem dandi gratiam, non tamen dandi eam gratis, ſed propter ipſa Sacramenta, vel propter alia bona opera; vti in exemplis poſitis conſtat: pignus enim datum à Rege ſupponit gratuitam voluntatem euehendi Equitem ad Comitatum v. g. non tamen euehendi gratis, ſed propter facinora in bello exhibenda: quòd latiùs oſtendi Tomo 1. diſput. 5. de Prædeſtinatione, ſect. 2. probans rectè poſſe Deum ante præuiſa merita efficaciter eligere gratis aliquem ad gloriam, non tamen gratis habendam, ſed per merita: ſicut voluntas vendendi equum poteſt eſſe gratioſa; non eſt tamen voluntas de equo gratis dando; ſeu, vt ſolet dici, eſt in ſe gratioſa, non ex parte obiecti.

Sacramenta ſupponunt in Deo voluntatem dandi gratiam, ſed non gratis.

46 Tertiò obiicies, Minùs benè ſuprà dictum, Sacramenta antiqua fuiſſe promiſſiones de Chriſto & gratia danda per Chriſtum: etenim iam ipſa Sacramenta ſupponebant Chriſtum futurum; habebant enim ſuam vim à Chriſto futuro; ergo non poterant eſſe cauſa moralis Chriſti. Hanc obiectionem tangit Cardinalis Lugo ea ſectione 2. numero 19. contra ſe, quatenus docuit Sacramenta debere eſſe cauſam aliquo modo gratiæ. Poteſt autem etiam fieri contra noſtram definitionem, quia ſi iam ſupponebatur certò futurus Chriſtus, quid erat neceſſitatum nouum pignus inſtituere de illo vt futuro? Dupliciter reſpondet ei obiectioni hic Auctor;

Obiectio; Quomodo Sacramenta antiqua fuerint promiſſiones de Chriſto, ſi ipſa Chriſtum ſupponebant.

Digitized by Google

Obiectioni respondet Cardinalis Lugo. Primò, poſſe dici duo in Sacramentis antiquis reperta: vnum, quod eſſent promiſſiones de Chriſto futuro, & vt ſic non ſuppoſuiſſe Chriſtum, ſed potiùs illum cauſaſſe: alterum verò, quòd in ipſo ſuſcipiente cauſauerint aliquam ſanctitatem imperfectam: & hoc videntur habuiſſe ex meritis Chriſti. Non acquieſcit huic ſolutioni, eò quòd ſæpè tota ſubſtantia Sacramenti antiqui fuit ex meritis Chriſti: vt cùm aliquis infans ex meritis Chriſti, ſeu ex precibus alicuius Sancti (quæ preces haud dubiè erant fundatæ in meritis Chriſti) peruenit ad circumciſionem: eo enim caſu & ratio promiſſionis, & ſanctitas legalis, vno verbo, tota ſubſtantia eius Sacramenti fuit ex meritis Chriſti; ergo non potuit illud Sacramentum eſſe cauſa ipſius Chriſti. Ideò aliter reſpondet. Secundò, Sacramenta antiqua vniuerſaliter non fuiſſe promiſſiones Chriſti, ſed gratiæ dandæ nobis per Chriſtum; hanc autem gratiam non fuiſſe priorem illis Sacramentis, neque illis dediſſe virtutem, ac proinde rectè potuiſſe ea Sacramenta fuiſſe cauſam noſtrorum. *Reſpondet idem Secundo.*

Ego circa illam obiectionem primùm cenſeo, non tam eſſe contra noſtram definitionem quàm contra eum Auctorem; cùm enim nos præcisè tradiderimus definitionem illam per conceptum pignoris gratiæ, & nullo modo requiſiuerimus vt Sacramenta ſint cauſa gratiæ, faciliùs poſſumus vno verbo dicere, pignus alicuius rei poſſe optimè eſſe poſt voluntatem dandi eam rem; imò ordinariè ſemper eſſe poſteriorem: eſt enim magis ad aſſecurandum eum, cui res eſt promiſſa, quàm ad mouendum promittentem vt ſimpliciter det illam rem. Vnde vel ex hoc capite illa definitio noſtra confirmatur, quia nobiliſſimè explicat quo pacto ea Sacramenta antiqua fuerint poſteriora ad voluntatem de Chriſto, & pro hac ſolutione non cogimur recurrere ad eam diſtinctionem de promiſſione Chriſti, & de gratia danda per Chriſtum; quia totum poteſt dici eſſe prius eis Sacramentis antiquis. *Pignus eſt poſterius voluntate dandi aliquid.*

47 Secundò circa eam obiectionem diceret quis, nec quidem illam eſſe contra hunc Auctorem; quia vt promiſſio aliquo modo dicatur influere in donationem rei promiſſæ, non eſt neceſſum vt ante illam non ſit ea res futura; nam de re, quæ iam eſt promiſſa ſemel, poteſt eſſe ſecunda tertiáve promiſſio quæ habeat vim inducendi ad libentiùs eam rem conferendam. Verùm ſolutio hæc non poteſt abſolutè ſuſtineri; nam etiam ea cauſa, quæ ſolùm impellit vt faciliùs aliquid fiat, debet eſſe prior natura quam ſit res ad quam impellit; ergo cùm antiqua Sacramenta ſint, vt diximus, poſteriora Chriſto, non potuerunt mouere non ſolùm primò ad eius productionem, ſed neque ad ſecundam, ſeu ad faciliorem productionem: id quod maximè habet locum in Deo, qui ratione primæ volitionis efficacis videt eo ipſo extra cauſam rem decretam; ac proinde non relinquitur vllus locus, vt poſſit habere volitiones nouas ipſum allicientes ad productionem eius rei: iam enim nimis tardè venirent. Hac ergo ſolutione reiecta, adhuc circa eam obiectionem dico non videri ei ſufficienter ſatisfactum ab hoc Auctore; nam eſto dicamus, Sacramenta antiqua non fuiſſe cauſam aliquo modo per promiſſionem concurrentem niſi in ſolam noſtram gratiam, non verò in Chriſtum; grauis tamen vrget difficultas; hinc enim videtur ſequi, debuiſſe Chriſtum Dominum priùs natura velle inſtituere antiqua Sacramenta quàm noſtra, cùm potiùs contrarium ſit probabilius; quia connaturalius eſt, vt decreta futuritione alicuius rei decernantur illius figuræ & ſigna, quàm è contrario, priùs ſigna & figuræ, quàm ſit res illa decreta, cuius ſunt figuræ: vti in ipſo Chriſto etiam apparet; nam priùs dicimus illum decretum quàm fuerint decreta omnes figuræ & ſigna illius. Videtur prætereà eſſe contra dignitatem noſtri ſtatus gratiæ, vt fiat dependens à præcedentibus Sacramentis in Lege veteri. *Defenſio pro ſententia Cardinalis Lugo reijcitur.* *Chriſtus prius natura voluit inſtituere noſtra Sacramenta quàm vetera.*

Reſpondebis: non fit omnino dependens; nam abſolute fuiſſet nobis data gratia, etiamſi illa Sacramenta non præceſſiſſent; quia tamen allexerunt aliquo modo Deum ad dandum id quod alioquin fuiſſet conceſſurus, dicuntur gratiæ cauſa. Sed contra, & vrgeo argumentum ſuprà factum; quia ſi independenter ab eis antiquis Sacramentis Deus decreuit omnino nobis dare gratiam, eo ipſo vidit eam gratiam futuram antequam illa Sacramenta haberent ſuam futuritionem; ergo ea iam venerant tardè, etiam vt allicerent Deum; quia etiam ad hoc requiritur præcedentia. Secundò reiicitur ea ſolutio, quia gratis recurrit ad maiorem facilitatem ex parte Dei in conferenda nobis gratia; neque enim poſſumus cum apparentia probabilitatis dicere, ſi fuiſſent in Lege veteri Sacramenta pluries adminiſtrata quàm de ipſa fuerunt, dandam eo ipſo nobis gratiam per noſtra faciliùs quàm iam detur; aut è contrario, ſi minùs frequenter illa fuiſſent adminiſtrata, imò ſi nunquam illa fuiſſent, difficilius nobis fuiſſe concedendam gratiam quàm iam detur; minùs ergo benè recurritur ad eam cauſalitatem. & faciliùs res tota explicatur à nobis per ſuprà traditam definitionem; ac proptereà obſeruaui ſuperiùs, etiamſi videatur definitio huius Auctoris conuenire cum noſtra, non poſſe tamen ſuſtineri, niſi à ratione Sacramenti in communi excludatur propria cauſalitas. Quòd verò ibi dicebatur ex Auguſtino, omnia antiqua Sacramenta fuiſſe promiſſiua gratiæ, libenter admittimus; quia etiam omne pignus poteſt dici promiſſio, aut atteſtatio promiſſionis; at negamus inde quidquam inferri de cauſalitate, quia promiſſio rei alioquin faciendæ non eſt propriè cauſa ipſius rei; & vt obiter paulò antè dixi, magis ordinatur ad ſolamen eorum quibus datur pignus, quàm ad cauſandum rem quæ iam ſupponitur cauſanda. Et de hac obiectione ſatis. 48 *Aliàs noſtra Sacramenta fuiſſent dependentia à veteribus.*

Quartò obiicies: Sacramentum etiam dum ſuſcipitur in peccato, ſeu in ſenſu compoſito obicis, eſt verum & proprium Sacramentum; & tamen tunc non eſt promiſſio ſeu pignus gratiæ, quia homini indignè ſuſcipienti nequaquam eſt promiſſa gratia. Neque poteſt reſponderi, promitti gratiam, quando poſteà idem homo auferat obicem: etenim etiam ddemus Sacramenta non reuiuiſcere; (potuit namque illis Chriſtus Dominus non conceſſiſſe priuilegium hoc, de quo etiam multi de facto cenſent non eſſe conceſſum,) non proptereà deberent reiici à conceptu proprij Sacramenti: eo autem caſu non poſſet eſſe illud Sacramentum pignus gratiæ pro tempore, quo auferretur obex, cùm nulla eſſet concedenda tunc per illud. 49 *Obiectio: Quomodo Sacramentum ſit pignus gratiæ, quando ſuſcipitur cum obice peccati.*

Neque

Digitized by Google

Neque item poteſt Secundò dici, Sacramentum ex ſe in actu primo eſſe pignus gratiæ, licet hîc & nunc impediatur per peccatum: etenim cùm etiam poſito peccato retineat rationem Sacramenti etiam in actu ſecundo; profectò; ſi non ſit tunc verè & propriè pignus gratiæ, non poterit eſſentia Sacramenti in ea ratione pignoris conſiſtere.

Reſpondetur obiectioni.

Reſpondeo, Sacramentum, etiam quando eſt ſuſceptum cum obice, eſſe veriſſimum pignus gratiæ, non quidem dandæ in ſenſu compoſito cum ipſo obice; hoc enim nunquam promiſit Chriſtus, imò contrarium voluit; ſed dandæ per ſimilia Sacramenta his qui non poſuerunt obicem; vel dandæ eidem homini ſi non poſuiſſet obicem: aliud enim eſt actu & in his circumſtantiis eſſe promiſſionem alicuius rei, aliud eſſe promiſſionem de re danda in his circumſtantiis. Primum habet Sacramentum, etiam dum eſt obex ex parte illud ſuſcipientis; ſecundum verò non: & hoc præcisè probat obiectio facta: vti ſi ego dicam hodie, *Ego promitto tibi pallium, non tamen hodie dandum, ſed cras*: hodie quidem verè & propriè eſt promiſſio, non tamen pro hoc tempore: vti etiam antiqua Sacramenta non dabant gratiam, ſed dandam olim per noſtra promittebant. Quod adeò clarum eſt, vt ſuperfluum ſit in eo declarando diutiùs hærere.

SECTIO VI.

Proponitur & expeditur quinta difficilior obiectio.

50

Obiectio; Quomodo Martyrium non ſit Sacramentum. Cardinalis Lugo reſpondet obiectioni.

EA ſit: Martyrium & omnia alia bona opera ſupernaturalia ſunt cæremoniæ ſacræ ſenſibiles, & præterea ſunt pignus gratiæ; quandoquidem ſunt meritoria illius; ergo ſunt Sacramenta. Huic argumento, quod & contra ſuam definitionem proponit Cardinalis Lugo, reſpondet numero 24. Martyrium ideò non eſſe Sacramentum, quia non eſt cæremonia ſacra inſtituta ad ſignificandum per illam; nam ſi eſſet talis, deberet poni à miniſtro ex eiuſmodi intentione; vt patet in omnibus Sacramentis, quæ vt valida ſint, debent fieri à Miniſtro cum intentione explicata vel implicita faciendi Sacramentum, ſeu ſignificandi id ad quod inſtituta illa ſunt. Ratio à priori; nam eiuſmodi ſigna non ſignificant niſi ex intentione operantis: quòd autem in Martyrio non ſit ea ſignificatio patet; nam in primis ſi miniſter dicatur carnifex illud infligens, certum omninò videtur, in illo nullam requiri intentionem ſignificandi ad hoc vt in Martyre producatur gratia; ſi verò è contrario ipſe Martyr dicatur miniſter, etiam non requiritur vlla in eo talis intentio: imò etſi fugeret mortem, nolens tamen negare Fidem, & ſic occideretur, haberet tamen effectum Martyrij. Id ipſum in infante, qui ob Fidem occiditur, clariùs apparet; nulla enim in eo requiritur voluntas; ergo illud Martyrium non eſt cæremonia inſtituta ad ſignificandam gratiam.

Reſponſio Cardinalis Lugo tanquam inſufficiens reiicitur.

Iudico hanc ſolutionem eſſe inſufficientem, quia non eſt de ratione ſigni ad placitum requirere intentionem ex parte illius qui eo vtitur; non enim video repugnantiam vllam in hoc quod Deus de eo Martyrio dixiſſet: *Ego volo vt, quandocumque Martyrium exiſtat, ſignificetur voluntas mea de danda gratia, etiamſi ipſe Martyr nihil de ea ſignificatione cogitet, nec quidem implicitè.* Profectò hæc volitio Dei nec leuem in ſe includit repugnantiam. Vt verò principium 51
hoc, quod aſſumpſi, clariùs perſuadeatur, aduerto duplicia eſſe ſigna ad placitum: prima, quibus ipſi, qui eis vtuntur, aliquid ſignificant; ſecunda, quibus non tam ipſe vtens quàm alius vult aliquid ſignificare: prioris generis ſunt verba; ipſe enim qui ea profert vult per illa exprimere ſuum conceptum aliis: talia etiam ſunt ramus ante tabernam, ac omnia ferè alia inter homines ordinaria. In his admitto libentiſſimè neceſſariam eſſe intentionem ſignificandi in eo qui vſurpat ea ſigna; ac proinde ſi quis dicat, licet vſurpem voces ordinarias, non habeo vllum animum quidquam ſignificandi per illas, haud dubiè nihil ſignificabit; ſicut ſi quis dicat, Ego non volo ſignificare apud me vendi vinum, etiamſi ramum appendam; nemo ſanè, cui de hac voluntate conſtiterit, accurret ad domum illam pro vino, etiamſi ramum videat pendentem.

Qualia ſint ſigna Sacramenta.

Noſtra Sacramenta non ſunt talia ſigna; non enim ego ſum qui volo gratiam aliis oſtendere, vt ſic dicam, ſed Deus illam vult oſtendere per meam actionem, perinde ac ſi Deus tunc cum aliis loqueretur medio me vt inſtrumento.

Sufficit intentio Dei vt ſigna effectū ſortiantur.

In his ſignis dico non eſſe neceſſariam eſſentialiter intentionem ipſius loquentis immediatè, ſed omnino ſufficere intentionem ipſius Dei. Id quod euidentiſſimum iudico: etenim ſi Deus pro ſuo libitu de potentia abſoluta (quod ſine dubio poteſt) dixiſſet, Volo, quandocumque pſittacus dixerit hoc verbum *Domine*, dare gratiam eis qui fuerint præſentes; nemo poterit probabiliter negare verbum hoc *Domine* à pſittaco prolatum futurum ſignum ad placitum reſpectu Dei de infuſa gratia omnibus præſentibus. Et idem magis ad rem noſtram ſi dixiſſet, Quandocumque aliquis dixerit, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij*, &c. & baptizauerit reuerà, etiamſi nullam omnino habeat intentionem faciendi quod ego facio, volo vt tunc detur gratia ei ſic baptizato; non dubium quin tunc Baptiſmus ille etiam ſine vlla intentione ex parte adminiſtrantis eſſet veriſſimum gratiæ ſignum ad placitum Dei, eſto non eſſet ſignum, quo homo aliquid ſignificaret. Id ipſum oſten- 52
do clarè ad hominem ex doctrina quam hic Auctor tradit infrà, eſtque pro me omnino vera, poſſe ſcilicet in Sacramentum diuinitus accipi aliquod ſignum naturale, quod ex ſe independenter à placito libero Dei ſit ſignum gratiæ, in illo enim ſic argumentor: Signum illud nullam requireret ex parte ipſum producentis & illo vtentis intentionem ad hoc, vt ſignificaret actu gratiam, quia id haberet ex natura ſua, ac proinde independenter ab omni voluntate ſeu intentione ipſo vtentis: atqui quòd Baptiſmus ſignificet gratiam, non habet ex placito hominis vtentis illo, ſed ex voluntate Dei, quòd placitum ſeu voluntas non pendet à voluntate ſeu placito humano; ergo etiam ſignificare poterit actu independenter ab omni placito ipſius vtentis.

De facto tamen requiritur intentio illius qui vtitur ſigno.

Admitto quidem de facto ita Deum inſtituiſſe Sacramenta vt non ſignificent, niſi qui ea adminiſtrat habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia, & ſignificandi quod Chriſtus voluit; inde tamen nullo modo licet inferre, Nec diuinitus potuiſ-

ſe Deum annectere eis actionibus gratiam independenter ab omni intentione; vti ſine dubio è contrario potuit eſſentialiter requirere pro valore Sacramenti ſanctitatem Miniſtri, de facto tamen eam non requiſiuit: & idem eſt de aliis circumſtantiis. Conſtet ergo ex defectu intentionis in Martyre non colligi benè, Martyrium non eſſe ſignum inſtitutum à Deo ad ſignificandam gratiam, ſeu, non eſſe Sacramentum: imò cùm Deus promiſerit ſe omnino illam daturum Martyri, non dubito Martyrium etiam de facto eſſe propriiſſimum ſignum ad placitum Dei de gratia, licet inde non inferatur, illud eſſe Sacramentum: de quo ſtatim.

Neque obſtat, quod de infante affecto Martyrio adducebatur: etenim omnes communiter ſentiunt Sacramenta noſtra eſſe debere cæremoniam ſacram, qua ipſe ſuſcipiens aliquo modo ſanctificatur; & tamen etiam eſt certum de Fide, infantem ſine vlla voluntate propria validè baptizari, & reſpectu illius eſſe validum Sacramentum; ac proinde reſpectu illius eſſe etiam ſacram cæremoniam, qua ipſe ſanctificetur: cur ergo non poſſemus de infante affecto Martyrio idem dicere? Eſt ergo quærenda aliunde ratio, cur Martyrium à ratione Sacramenti deficiat.

55 *Reſpondetur obiectioni oſtendendo quid ſit pignus.* Reſpondeo igitur, In humanis pignus ſeu artham non eſſe idem cum pretio ob quod aliquid conceditur, ſeu cum conditione requiſita ex parte conceſſionis. Exemplo res fiet clariſſima. Promittit Princeps Equiti nobili ſi illum euecturum ad Baronatum, aut Comitatum, ſi ſe ſtrenuè in pugna geſſerit, in pignus verò ſeu arrham dat illi ſuum annulum; profectò eo caſu ſolus annulus fuit pignus ſeu arrha, generoſa verò Equitis in bello facinora non fuere pignus nec arrha, fuere tamen conditio requiſita, vt re ipſa daretur illi Baronatus; vel, ſi vis, fuere etiam condigna merita eius promotionis; non enim iam aliud contendo quàm earum rerum oſtendere diſtinctionem. Cuius ratio à priori ea eſt; nam pignus tenet ſe ex parte promittentis per modum ſigni ab ipſo inſtituti ad declarandam eius voluntatem; ideoque non eſt neceſſum vt habeat condignitatem cum re danda, eſto per accidens poſſit aliquando eam habere: at meritum ſeu conditio tenet ſe ex parte ipſius accipientis.

Martyrium nõ eſt pignus. Hinc ad rem noſtram cenſeo diſcurrendum. Dico igitur, Martyrium (idémque eſt de omnibus operibus bonis externis; nam ſi cætera interiùs adſint, etiam illis Deus ſicut Martyrio gratiam promiſit) non eſſe vllo modo pignus à Deo nobis datum in ſignum gratiæ, ideóque nullo modo ſe tenere ex parte ipſius Dei promittentis, ſed eſſe purè purè conditionem, quam ex parte obiecti requiſiuit ad dandam nobis gratiam; eo planè modo, quo in exemplo allato diximus de pugna illius Equitis requiſita ad hoc, vt Imperator ei daret Comitatum aut Baronatum; ac proinde dico non eſſe Sacramenta, etiamſi quodammodò ſint ſigna gratiæ.

Id quod vlteriùs clarè oſtendo: Nam Martyrium eodem planè modo cauſaret gratiam, etiamſi Deus nihil omnino reuelaſſet nobis de ſua voluntate circa eam cauſalitatem; neque fuiſſet tunc minùs vtile vel minùs requiſitum ex parte noſtra ad effectum quem cauſat, quàm iam fit: nec etiam minùs ſe tenuiſſet illud opus ex parte noſtra purè quàm iam, poſt declaratam nobis Dei voluntatem de conferenda gratia; vnde infertur, Martyrio eſſe per accidens, quòd ſit ſignum gratiæ, nec illud ſe tenere ex parte Dei. At Baptiſmus vel quæque Sacramenta eſſentialiter pendent ab inſtitutione libera Dei, & à declaratione facta nobis eius voluntatis, vt ſciamus illas res, quæ ex ſe ſunt omnino improportionatæ ad tales effectus; de facto tamen ab ipſo Deo eſſe inſtitutas ſignum ad declarandam huiuſmodi voluntatem de conferenda nobis gratia. *Per accidens eſt ſignũ gratiæ.*

Contra hanc vltimam rationem replicabis, Licet Martyrio in ordine ad gratiam cauſandam ſit per accidens, quòd Deus nobis ſuam voluntatem reuelauerit, in ordine tamen ad rationem ſigni eſſe id illi eſſentiale; quo ſenſu dici etiam poteſt de Baptiſmo, ſcilicet vt cauſet gratiam, fuiſſe per accidens quòd Deus reuelauerit nobis ſuam voluntatem; nam eſto eam non reuelaſſet, ſi tamen voluiſſet eo poſito dare gratiam, eam dediſſet re ipſa eo modo quo iam. At eo ipſo quòd defuiſſet illa manifeſtatio voluntatis Diuinæ, non eſſet Sacramentum ille Baptiſmus, ſicut de Martyrio diximus; ergo non datur vlla diſparitas inter illud & Sacramenta. Reſpondeo, Eſſe quidem paritatem aliquam in hoc puncto (vt obiectio probat) nihilominùs adhuc dari ſufficientem diſparitatem ad rem noſtram; nam Martyrium ex ea declaratione, aut reuelatione voluntatis Diuinæ, nullo modo fit in ſe cæremonia magis ſacra quàm fuerit anteà; neque cenſetur eſſe loquela Dei, qua nobis ſuam oſtendat voluntatem de danda gratia, tenet ergo ſe omnino ex parte ipſius hominis, & nullo modo fit pignus gratiæ. At Sacramentorum actiones ex ipſa inſtitutione & declaratione Dei habent ſpecialem ſanctitatem, & fiunt cæremoniæ, quibus aliquo modo ſanctificamur; ideoque illa meritò cenſentur ſignum à Deo datum, ſeu pignus ipſius; ac proinde meritò habent rationem Sacramenti, quam non habet Martyrium, neque alia bona opera, quæ iuxta dicta ſolùm ſe tenent ex parte noſtra per modum conditionis ad cauſandam gratiam. 54 *Diſcrimen inter Martyrium & Baptiſmum in ratione ſigni.*

Aduerte autem obiter, me per hanc doctrinam non velle vniuerſaliter docere, omnia, quæ à Deo conſtituuntur in ratione ſigni & pignoris gratiæ, debere eſſe natura ſua improportionata cum ipſa gratia, vti diximus eſſe Baptiſmum, reliquaſque materias & formas Sacramentorum; nam etiam in humanis frequenter datur in pignus ſeu arrham aliquid quod eſt æquale cum re, in cuius pignus datur; ac proinde me non velle per hoc oſtendere, Martyrio (quod videtur habere aliquam condignitatem vt opus ſummæ charitatis cum gratia) repugnare rationem Sacramenti; potuit enim ſine dubio ad id aſſumi præciſè, ergo oſtendo ea duo eſſe inter ſe diuerſa, eſto aliquando in vnum coniungantur: & verò infrà dicemus noſtra Sacramenta, quatenus ſunt Chriſti actiones, eſſe æqualis imò maioris valoris cum gratia habituali, in cuius pignus ſunt à Chriſto inſtituta: & idem omnino dicendum eſt de noſtris bonis operibus, quæ haud dubiè potuère à Deo conſtitui in ratione Sacramenti, quamuis ſint ex ſe æqualia cum gratia; de facto ergo non ſunt ad id inſtituta: de quo nobis conſtat ex Eccleſiæ definitione, quæ non plura quàm ſeptem Sacramenta in Lege gratiæ agnoſcit. *Martyrium potuit à Deo inſtitui Sacramentum.* *Sicut & opera noſtra bona.*

Dices

Digitized by Google

Obiectio, Cur Martyrium non ſit Sacramentum cùm æquè atque Baptiſmus ſignificet gratiam.

55 Dices tamen adhuc, Rem totam eſſe omnino dubiam; nam relictis vocibus Sacramenti, pignoris, &c. ſicuti Deus vt conferat gratiam infanti requirit Baptiſmum; ita requirit Martyrium, vt eandem gratiam det infanti: & ſicut Baptiſmus tunc ſignificat gratiam, ita etiam eandem ſignificat Martyrium. Vnde ergo, aut quomodo quæſo inferemus, Baptiſmum præ Martyrio eſſe in pignus gratiæ inſtitutum, & conſequenter debere vocari Sacramentum; id autem non conuenire Martyrio?

Vrgetur obiectio ex dictis paulò antè à me; nam Chriſtus potuit velle dare gratiam ad poſitionem ablutionis, & verborum illorum, *Ego te baptizo*; non conſtituendo ea verba in rationem Sacramenti, ſed eo modo quo paulò antè diximus poſſe Principem petere à me, ad concedendam aliquam gratiam, vt veniam ad ſe, aut vt legam hunc librum, aut vt ante ipſum flectam, vel vt ponam quamcumque aliam conditionem diſparatam: hoc ergo ſuppoſito rogo, quid amplius nunc habet ea ablutio, quàm haberet eo caſu, vt nunc potiùs ſit Sacramentum, quàm foret eo tempore? ſi autem nihil ponimus ampliùs; ergo gratis omnino dicimus in vno caſu eſſe Sacramentum, in alio non; ſi verò aliquid ponimus, debemus illud declarare: imò oportuiſſet illud ponere in ipſa definitione Sacramenti, & tunc ceſſaſſet tota præſens difficultas.

Reſpondetur, Sacramenta eſſe actiones Chriſti.

56 Reſpondeo, In noſtris Sacramentis facillimum eſſe obiectioni reſpondere: cùm enim (iuxta dicenda infrà) omnia noſtra Sacramenta ſint actiones Chriſti Dei, ſine difficultate vlla intelligitur, quomodo illa ſint pignus ſeu promiſſio tenens ſe ex parte Dei de danda nobis gratia: omnis enim promiſſio ſeu pignus tenet ſe quodammodò ex parte promittentis. Difficultas ergo tota reducitur ad antiqua: ea enim non erant actiones Chriſti, aut Dei, eſto præceperit ipſe Deus ea fieri: per hoc enim præceptum non magis (vt dixi) declaratur eas fuiſſe imperatas per modum conditionis quàm per modum pignoris. Reſpondeo vniuerſaliter,

Reſpondetur Secundò pendere hoc à voluntate Diuina.

Quandoquidem hæc res pendet ex voluntate ſolius Dei, facilè nos ex Eccleſia ipſa, docente hæc eſſe Sacramenta, & non illa, ſeu docente tot, & non plura eſſe Sacramenta, colligere quibus ea ratio pignoris conueniat, quibus non. Si autem velimus declarare in quo formaliter ea differentia conſiſtat, dicimus illam ſolùm conſiſtere in ipſis diuerſis voluntatibus Diuinis: ea enim voluntas, quæ aliquam rem conſtituit in ratione Sacramenti, dicit, Volo, quotieſcumque talem actionem feceris, proteſtari per illam meam voluntatem de danda tibi gratia; altera verò voluntas non conſtituens eam actionem in ratione Sacramenti ſolùm diceret, Dabo gratiam tibi quandocumque hoc feceris, non determinando ampliùs eam actionem ad rationem loquelæ tenentis ſe ex parte Dei, neque ad rationem promiſſionis ſeu pignoris ipſius; certum autem eſt duo illa differre, Volo tibi dare hoc cùm veneris huc, & dicere, Volo per tuum aduentum ſignificare meam promiſſionem de danda tibi tali re, aut, Volo vt tuus aduentus ſit pignus voluntatis meæ de danda tibi gratia.

Vnde colligat Eccleſia voluntatem Diuinam.

57 Replicabis autem adhuc Secundò, Eccleſiam nihil ex ſacra Scriptura collegiſſe de ea diuerſitate volitionum Diuinarum; ſed præcisè ex eo quòd Chriſtus promiſerit ſe daturum gratiam ad poſitionem Baptiſmi, Confirmationis, &c. intuliſſe, ea eſſe Sacramenta: atqui hoc totum habuiſſet ea ablutio, eſto inſtituta non fuiſſet per modum pignoris, ſed per modum conditionis ponendæ à nobis iuxta duos illos modos paulò antè declaratos; ergo ſine fundamento nos ad rationem Sacramenti addimus illud de pignore & promiſſione gratiæ. Et vt ad obiectionem de Martyrio redeamus, nondum declarata eſt ſufficienter eius differentia à Baptiſmo, vt ea quarta principalis obiectio contendebat. Reſpondeo, De Sacramentis antiquis manifeſtè conſtare, ea non fuiſſe per modum conditionum requiſitarum ad dandam gratiam; quandoquidem eis poſitis non dabatur gratia vlla ſuſcipientibus; ergo debuerunt eſſe per modum pignoris ſeu promiſſionis Diuinæ de danda nobis ea gratia. Neque obſtat, quòd, iuxta dicenda inferiùs in circumciſione, fuerit data gratia de facto; etenim clariſſimè conſtat, eam circumciſionem fuiſſe inſtitutam in ſignum fœderis & futuri Meſſiæ, ac denotaſſe per ſpiritualem circumciſionem futuram in Lege noua copioſiorem etiam gratiam hominibus dandam; & propterea ibi clariſſimè conſtat illam fuiſſe pignus gratiæ; habuit ergo illa duas eas rationes, tum conditionis requiſitæ, vt concederetur gratia, tum ſimul Sacramenti, ſeu promiſſionis; iam autem dixi ea duo, etſi inter ſe ſint diſparata, eſſe tamen aliquando inter ſe omnino compoſſibilia. Conſtet ergo in antiquis Sacramentis facillimè deprehendi, vnde ſint propriæ promiſſiones, ſeu propria pignora gratiæ, & non per modum pretij condigni ad illam aut conditiones pro collocatione gratiæ requiſitæ. Vnde quoad hoc punctum res faciliùs explicatur in antiquis quàm in nouis; licet (vt paulò antè dixi) quatenus noſtra ſunt actiones Chriſti, antiqua verò id non habuerunt, minor ex eo capite ſit difficultas in nouis quàm in antiquis: habent ergo ſe in hoc puncto antiqua & noua Sacramenta quoad rationem dubitandi tanquam excedens & exceſſum.

Quomodo antiqua Sacramenta fuerint pignora.

Quomodo antiquis & nouis Sacramentis ſit eſſentialis ratio ſigni & promiſſionis gratiæ.

58 Iam autem vniuerſaliter Secundò reſpondeo huic vltimæ replicæ oſtendendo, cur nec antiqua fuerint per modum conditionis ad dandam gratiam, nec noſtra id habeant de facto ſub conceptu formali Sacramenti; ſed ſolùm ſit illis eſſentialis ratio ſigni & promiſſionis gratiæ. Nam omnia Sacramenta potuerunt olim, & etiam nunc poſſunt eſſe valida & validiſſima in ratione actualis Sacramenti, eſto actu ob defectum diſpoſitionis non cauſent gratiam, ſeu eſto per illa non detur gratia: (excipio Pœnitentiæ Sacramentum ob ſpecialem rationem; quod tamen multi Auctores etiam dicunt poſſe eſſe validum & informe:) hinc enim euidenter argumentor; Ergo Sacramenta etiam noſtra non ſunt neceſſariò & eſſentialiter conditio, qua præuiſa Deus det gratiam; quia reuera in eis caſibus non datur talis gratia; & tamen rationem Sacramenti perfectiſſimè etiam tunc in actu ſecundo retinent; ergo ratio Sacramenti debet in alio conceptu, qui tunc actu poſſit ibi reperiri: melior autem, aut magis omnibus Sacramentis vniuerſalis conceptus non occurrit, quàm quòd ſint promiſſiones & gratiæ pignora; nam eſto ex defectu diſpoſitionis in ſuſcipiente Deus eam gratiam tunc actu non conferat, ſemper tamen per illa Sacramenta Deus proteſta-

Etiamſi de facto gratiam non conferant propter obicem.

tur ſe habere ſetiam voluntatem dandi gratiam omnibus qui eam actionem exercent cum debita diſpoſitione; nam Baptiſmus (idem eſt de aliis omnibus) etiam quando gratiam non cauſat, ſi tamen fiat cum debita intentione, verba & materia, eſt, vt dixi, actuale ſignum gratiæ, & promiſſio illius. Id quod iuxta noſtra principia de Sacramentorum reuiuiſcentia nobiliùs adhuc declaratur: Nam etiam pro illo eodem homine proteſtatur tunc illud Sacramentum, quòd ſit ei danda gratia ratione illius Sacramenti, ſi ille deinde tollat obicem ponendo diſpoſitionem requiſitam ad gratiam. Vides ergo quàm facilè explicetur, quomodo differat ratio ſigni & pignoris gratiæ a ratione conditionis ad dandam eam gratiam requiſitæ; licet de facto ea duo realiter in noſtris concurrant. Et ſatis de ea obiectione quæ nos procul traxit: de qua ideò fuſiùs egi, quia non video illam ab Auctoribus diſcuſſam ex propoſito.

SECTIO VII.

Aliquæ quæſtiones expeditæ.

59 PRIMÒ, ſolet quæri, Vtrùm ſit de ratione Sacramenti, eſſe ſignum ad placitum ex inſtitutione Dei, ita vt non poſſit eſſe Sacramentum, ſi ſit ſignum naturale gratiæ. Ratio dubitandi deſumitur ex illo verbo *inſtitutum*, quod in definitione communiter ponitur; & nos etiam poſuimus in pignus gratiæ inſtitutum; ex alia verò parte illa verba, *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, ſignificant ante inſtitutionem Dei, vnam remiſſionem peccati, & infuſionem gratiæ; ergo. Suprà ad aliud propoſitum reieci doctrinam Patris Vaſquez, aſſerentis ea verba non ſignificaſſe verè, ſed abſtraxiſſe à veritate & falſitate ante Chriſti inſtitutionem; reieci inquam hanc doctrinam: nam cùm ratio ſigni ſolùm conſtituatur in eo, quòd excitet ſpecies rei à ſe ſignificatæ, & id habeant ea verba verè & realiter ante Chriſti inſtitutionem, erunt ſine dubio verum & proprium ſignum, etiamſi non habeant illam veritatem quæ conuenit ſoli affirmationi & negationi. Cumque aliunde Vaſquez ad rationem Sacramenti nihil aliud quàm ſignificationem gratiæ requirat, oſtendi ibi ipſum non poſſe eis verbis negare rationem Sacramenti etiam ante Chriſti inſtitutionem.

An Sacramentum ſit ita ſignum ad placitum vt non poſſit eſſe naturale.

Reſponſio Vaſquez reiicitur.

Ea ergo doctrina reiecta, ad rem noſtram dicimus duo quæri in præſenti poſſe; alterum, Vtrùm dari queat aliquod ſignum naturaliter connexum cum gratia vt exiſtente; alterum, Vtrùm illud, caſu quo produceretur, poſſet eſſe verè Sacramentum, ac proinde, Vtrùm eſſentialis ſit ipſi Sacramento ratio ſignificandi ad placitum. Quæſtio prior non eſt huius loci; non enim diſputamus hîc de his quæ cum gratia habituali poſſunt eſſe naturaliter connexa, id enim ſpectat ad materiam de Gratia, non verò ad præſentem de Sacramentis. De ea quæſtione agit Pater Suarez ſuprà ſect. 3. & Pater Vaſquez cap. 4. num. 41. & ambo negant huiuſmodi qualitatem eſſe poſſibilem: eorum fundamentum eſt, quòd nulla res ſenſibilis poſſit cum gratia ſpirituali vllam habere connexionem. Mihi, iuxta ea quæ alibi dixi, multò magis placet oppoſita reſolutio, quam tenet Cardinalis Lugo ea diſput. 1. num. 29. quia in huiuſmodi connexione nulla apparent contradictoria; & verò nec Aduerſarij vlla penitus adferunt, id quod ſic declaro: Inter res naturales ſunt aliquæ qualitates materialis connexæ cum ſpiritualibus, vt in communi ſententia ſpecies materiales phantaſiæ habent partialem virtutem producendi ſpiritualem; & in ſententia eorum qui negant ſpecies, ſaltem ipſe actus materialis eſt naturaliter illatiuus cognitionis intellectualis ſpiritualis: id quod in aliis rebus oſtendi poteſt; nam materia prima natura ſua habet capacitatem naturalem ad recipiendam animam naturalem. Hinc argumentor: Inter res naturales poteſt res materialis connecti cum ſpirituali; ergo inter res ſupernaturales poterit vna ſupernaturalis materialis eſſe connexa cum ſpirituali; quandoquidem ſupernaturalis materialis non plus diſtat à ſpirituali ſupernaturali, quàm naturalis materialis à ſpirituali naturali: vtrobique eſt conuenientia in ordine naturalis aut ſupernaturalis, & differentia in ſola materialitate & ſpiritualitate.

Poteſt aliqua res ſenſibilis habere cum gratia ſpirituali connexionem.

Ita Cardinalis Lugo contra Suarez & Vaſquez.

Exemplis oſtenditur.

Dices: Illa connexio illius rei materialis cum 60
gratia non eſſet cognoſcibilis per ſenſus; ergo non eſſet ſignum naturale gratiæ. Reſpondeo Primò, nos iam non dicere, niſi quòd poſſit eſſe aliqua res quæ habeat connexionem naturalem cum gratia vt exiſtente, ſiue ea connexio, eò quòd non poſſit per ſenſus noſci, dicenda eſſet inſufficiens ad rationem ſigni Sacramentalis, ſiue eo defectu non obſtante cenſenda eſſet ſufficiens. Reſpondeo Secundò; Vti dicimus de facto Sacramenta eſſe ſigna ſenſibilia gratiæ, quantumuis ipſa connexio eorum cum gratia non percipiatur ſenſibus, ſed ſola Fide credatur; ita eodem modo poſſet tunc illa res dici ſignum ſenſibile & naturale gratiæ: naturale, ob connexionem naturalem cum gratia; quo differret à noſtris Sacramentis, quæ non habent ex ſe vllam connexionem, ſed ſolùm ex eo quòd Deus ita voluerit: diceretur etiam ſignum ſenſibile, quia ſuppoſita aliunde notitia connexionis illius, ſiue ex Fide ea crederetur; ſiue alio modo ſciretur, ſtatim in nobis excitaret ſpecies gratiæ præſentis. Et hæc de prima quæſtione.

Etiamſi illa connexio per ſenſus non cognoſcatur.

Secunda quæſtio, Vtrùm eo caſu tale ſignum modo explicato naturale eſſet dicendum Sacramentum, necne, facilior longè eſt. Reſpondemus enim, omnino fore vt poſſet dici; quia tale ſignum poſſet eſſe cæremonia ſacra, eſſetque ſignum gratiæ, vt iam ſupponimus: poſſet item eſſe pignus eiuſdem gratiæ; ergo poſſet eſſe Sacramentum.

Aliquod ſignum naturale poſſet eſſe Sacramentum.

Dices: Etiamſi illi rei concedamus connexionem aliquam cum gratia, non videtur poſſe eſſe tanta & talis, vt ipſam gratiam cauſet; quia gratia cum ſit amicitia Dei, non poteſt cauſari niſi ab ipſo Deo; ergo ſolùm poſſet habere connexionem à poſteriori vt effectus eius gratiæ, quam iam ſupponeret productam: atqui quòd iam ſupponit productam rem aliquam, non poteſt eſſe pignus illius; quia omne pignus debere eſſe prius quàm cauſetur res illa cuius eſt pignus: videtur enim ordinari ad aſſecurandum aliquem de productione futura. Hæc obiectio aliquam difficultatem haberet in ſententia eorum qui negant poſſibilem eſſe de potentia abſoluta vllam qualitatem, quæ ſit natura ſua productiua gratiæ; apud me autem,

Illud ſignum eſſet verè pignus gratiæ.

tem, qui eam qualitatem admitto diuinitus poſſibilem, nulla eſt difficultas. Neque obſtat quod obiicitur de amicitia Dei, quæ à nullo poteſt cauſari niſi ab ipſo Deo: etenim cùm illa qualitas natura ſua non poſſit produci niſi à Deo, eo ipſo gratia ab ea producta non prouenlet niſi ab ipſo Deo illam dante, dum dedit qualitatem illam: in ordine enim ad dependentiam amicitiæ Dei ab ipſo Deo donante per accidens ſe habet, quòd eam donet immediatè, aut quòd donet eam mediatè in alia qualitate præuia, ex qua Deus ipſe videt ſecuturam eam gratiam. Quidquid verò de ea qualitate ſit, reſpondeo Secundò, non eſſe omnino neceſſarium, vt quod eſt in pignus, exiſtat ante rem cuius eſt pignus: ſufficit enim, ſi ſit per modum manifeſtationis donationis iam factæ hoc modo; Hoc ſit tibi in pignus, quòd dem tibi hoc ipſo momento gratiam. Vnde etiamſi ea qualitas ſolùm eſſet per modum effectus gratiæ, adhuc poſſet eſſe in pignus eiuſdem gratiæ.

61 *An ſacramenta ſeu ſigna debeant habere ſimilitudinem cum re ſignificata.*

Secunda difficultas eſt, Vtrùm è contrario non poſſit eſſe ſufficiens ſignum Sacramentale, niſi ex natura ſua res illa habeat aliquam phyſicam ſimilitudinem cum effectu Sacramentali, ad quam ex Chriſti inſtitutione ordinatur. Ratio dubitandi deſumitur ex Auguſtino, qui eam ſimilitudinem videtur expreſſe requiſiuiſſe, dum Epiſtola 23. ait Sacramenta non fore talia, ſi ſimilitudinem cum re ſignificata non haberent. Explicant nonnulli Auguſtinum vt loquatur de ſimilitudine ex Chriſti inſtitutione, id eſt de ſignificatione ad placitum cum rebus, ſeu cum gratia quam ſignificat. Diſplicuit mihi olim hæc explicatio, eò quòd voces non dicantur eſſe ſimiles rebus ſignificatis, ex eo præcisè quòd illas ſignificent: ſicut hæc vox *Deus* non dicitur eſſe ſimilis infinitæ Maieſtati diuinæ. Re tamen meliùs conſiderata non videtur alia prorſus fuiſſe Auguſtini intentio in ea Epiſtola: inquirens enim cur infans, quando baptizatur, dicatur credere, cùm non efficiat vllum Fidei actum, reſpondet dici credere, quia verè accipit Sacramentum Fidei, id eſt Sacramentum quo ſignificatur Fides; imò & ipſam Fidem habitualem re ipſa accipit; ſicut dicitur, Tali die eſt paſſio Chriſti, quia tunc paſſionis recolitur memoria, & ſtatim addit præfata verba: Sacramenta non forent talia, ſi ſimilitudinem non haberent cum re ſignificata hoc eſt ſi verba illa, *Ego te abſoluo*, non ſignificarent ex Chriſti inſtitutione abſolutionem a peccatis, non eſſent Sacramentum. Hæc eſt mens Auguſtini eo loci.

Quæ fuerit mens S. Auguſtini.

Abſolutè tamen Deus poteſt aſſumere quamcumque rem in pignus gratiæ.

Quoad rem autem ipſam dicendum eſt, nullo modo requiri neceſſariò eam ſimilitudinem naturalem; quia pro ſolo ſuo libitu poteſt Deus quamcumque rem in pignus gratiæ accipere; congruens tamen videtur, vt quæ aliquam ex ſe videntur habere ſimilitudinem, aſſumantur præ aliis quæ ſunt omnino diſparatæ.

62 *Noſtra Sacramenta conueniunt vniuocè cum antiquis.*

Tertia difficultas eſt, Vtrùm antiqua Sacramenta conueniant vniuocè, an ſolùm analogicè cum noſtris. Diximus quidem ſuprà omnino conuenire: id quod propter nonnullos Recentiores paulò diligentiùs debet nunc examinari. Quidam ergo ita explicant eam conuenientiam, quia ſi aliquid eſſet quod eam poſſet impedire, illud vnicum eſſet, quòd antiqua Sacramenta non conferebant gratiam, noſtra è contrario illam cauſant: atqui hæc ratio nulla eſt, quia non eſt propria eſſentia conſtitutiua noſtrorum Sacramentorum, eſſe cauſam gratiæ; nam Sacramentum vt ſic non conſtituitur per rationem cauſæ, ſed per rationem ſigni; ergo noſtra non contrahuntur propriè per differentiam quæ conſiſtat in cauſatione gratiæ; ergo nihil eſt quod impediat vniuocationem eorum cum antiquis.

Hæc tamen doctrina & falſum ſupponit, & malè deducit: malè quidem deducit; nam duarum ſpecierum vniuocatio non impeditur, eò quòd non conueniant in ſuis differentiis; imò eſt impoſſibile vt diuerſæ ſpecies eaſdem habeant differentias. Homo eſt principium diſcurſus; beſtia è contrario negat diſcurſum, & tamen vniuocè conueniunt in ratione animalis. Ratio à priori, quia conuenientia ſpecierum ſolùm eſt in ratione ipſa generica; ergo etiamſi Sacramenta noſtra ex ſua propria formali ac directa differentia ſint gratiæ cauſatiua, antiqua verò non; inde tamen nequaquam infertur, non conuenire inter ſe duo illa vniuocè in ratione ſuperiori. Quòd verò falſum ſupponant, dum dicunt vim cauſatiuam gratiæ non eſſe differentiam propriam & formalem Sacramenti, eò quòd ratio communis non ſit in ordine ad cauſalitatem, patet clarè. Nam corpus vt ſic non conſtituitur per conceptum cauſæ, ſed per molem quantitatiuam, & tamen immediatè contrahitur tanquam per differentiam propriam, per viuens ſeu per vitalitatem: cuius conceptus conſiſtit in hoc, quod eſt mouere ſe ab intrinſeco; ſiue in hoc, quod eſt operari immanenter. Item ſcientia vt ſic non dicit virtutem cauſandi, & tamen contrahitur per practicam, quæ eſt operatiua ſui obiecti, & per ſpeculatiuam, quæ caret hac virtute operandi: & in ipſo ente idem patet; conſtituitur enim per hoc, quòd poſſit exiſtere: ſunt tamen differentiæ illius propriæ, mediatæ & immediatæ, ſubſtantia, corpus viuens, &c. quæ in ordine ad cauſandum explicantur. Rectè ergo poſſet ex hoc capite ratio Sacramenti vt ſic conſiſtere in ſignificatione ſola gratiæ habitualis, & tamen contrahi hæc ratio in noſtris Sacramentis per ſignificationem practicam, in antiquis verò per ſpeculatiuam, tanquam per proprias differentias. Ratio eſt, quia differentiæ ſemper debent addere aliquid ſupra conceptum genericum, quo iam extrahant illum ad nouum eſſe; non tamen auferendo illi quod habet; vt videre eſt in omnibus omnino ſpeciebus.

Non ideò conueniunt vniuocè quia antiqua non cauſarunt gratiam, quam noſtra cauſant:

Denique hi Auctores etſi oſtendant ex eo, quòd noſtra Sacramenta cauſent gratiam, quam antiqua non cauſarunt, non prouenire illis analogiam, adhuc indeciſam relinquunt quæſtionem; quia non oſtendunt poſitiuè, quomodo detur ea vniuocatio inter illa Sacramenta. 63

Neque quia antiqua ſanctitatem legalem noſtra cauſant habitualem:

Alij igitur Auctores, qui (vt diximus ſuprà) definiunt Sacramentum in ordine ad cauſationem ſanctitatis, vt abſtrahit à ſanctitate per gratiam habitualem, & à ſanctitate ſolùm externa, adhuc putant hanc definitionem in vtriſque propriè reperiri, ideoque illa inter ſe vniuocè conuenire. Verùm hos ſuprà reiecimus, quia ſanctitati externæ & gratiæ habituali non datur vlla vera ratio communis gratiæ ſeu ſanctitatis: oſtendimus etiam, non poſſe per rationem cauſalitatis (vt Pater Coninck volebat) explicari eam vniuocationem; quia cauſalitas

Neque per rationem cauſalitatis, vt vult Coninck.

vt

Digitized by Google

vt ſic non facit Sacramentum niſi reſpectiuè ad ſanctitatem, ita vt explicetur ſub toto hoc conceptu, *Cauſalitas gratiæ*: in hoc autem conceptu non poteſt eſſe vniuocatio, ſi in ipſa gratia non eſt vniuocatio: vti pictor & homo generans alium hominem non conueniunt vniuocè in ratione producendi hominem, etſi pictor verè producat pictum hominem; ac proinde etiamſi in ratione aliquid cauſandi propriè conueniant. Ratio eſt, quia homo pictus & verus non conueniunt in ratione hominis; ergo neque pictor & generans conueniunt in ratione productiui hominis, ſed tantum in ratione productiui vt ſic. Adde, neque quidem in ratione cauſandi etiam abſtracta dari propriam vniuocationem in Sacramentis; nam ſanctitas legalis, in ordine ad quam Sacramenta antiqua definiuntur ab his Auctoribus, non cauſabatur propriè ab eis Sacramentis, ſed formaliter conſiſtebat in eorum vſu, ſed ea ſanctitas erat ipſum Sacramentum: at ſanctitatem habitualem, quam noſtra cauſant verè & propriè efficienter, moraliter ſaltem tanquam rem à ſe omnino diſtinctam cauſant; ergo neque in hoc conceptu retinent vniuocationem.

Neque in ratione cauſandi abſtracta:

64 Dices: Cauſa formalis & efficiens verè ſunt cauſæ, & conueniunt vniuocè inter ſe in ratione cauſæ; ergo ex hoc capite conuenire etiam poterunt ea duo Sacramenta. Sed contrà, quia (vt oſtendi in Phyſicis) in ratione producendi, ſeu cauſandi, quod idem eſt, non conueniunt cauſa formalis & efficiens inter ſe; quia illa, ſi debemus rem diligenter ponderare, non producit propriè quidquam, ſed componit, hæc non componit, ſed producit. Sed de hoc ſatis alibi.

Denique, quòd nec Cardinalis Lugo poſſit eam vniuocationem Sacramentorum defendere, dixi paulò ſuperiùs; nam licet in puncto gratiam habitualem ſignificandi, quod requirit ad omnia Sacramenta, & in quo differt à Coninck & aliis, ponat veram vniuocationem; quia tamen requirit prætereà vt per Sacramenta detur ſanctitas aliqua vel externa vel interna eo ipſo; quandoquidem ſanctitati externæ & internæ nulla datur ratio vniuoca; non explicat Sacramentum in ordine ad terminos vniuocos, ſed ſolùm analogicè inter ſe conuenientes.

Neque ſub conceptu ſanctitatis, vt vult Cardinalis Lugo perfectæ vel imperfectæ

Vidit benè hanc difficultatem idem Auctor ſuprà à numero 44. faterurque ingenuè ſub eo conceptu ſanctitatis non poſſe ſaluari eam vniuocationem Sacramentorum; addit tamen poſſe eam ſub aliis terminis defendi, ſi dicatur de ratione Sacramenti vt ſic eſſe conſecrare, aut dedicare, aut coniungere ſpecialiter cum Deo; quia hoc verè & propriè conuenit tam ſanctitati extrinſecæ quàm intrinſecæ; nam per illam verè homo coniungitur, conſecratur & dedicatur Deo: id quod à fortiori habet ſanctitas interior. Ego, quia ſemper abhorreo à multiplicatione vocum quæ parum aut nihil ſignificant, non poſſum etiam in præſenti probare hanc ſolutionem: & verò iuxta illam non debuiſſet hic Auctor in definitione Sacramenti vti voce ſanctitatis perfectæ vel imperfectæ; quia iam ſub ea ipſe fatetur non eſſe vniuocationem inter ea Sacramenta: vtendum ergo erat ea voce quæ iam cenſetur vtilis ad vniuocationem. Verùm, quidquid de hoc puncto ſit,

65 oſtendo quod dixi, per eas voces ad rem præſentem nihil penitus ſignificari. Nam ſanctitas legalis extrinſeca non coniungit hominem cum Deo phyſicè localiter, non item affectiuè in ordine ad amorem; quia nullum inde maiorem amorem habet Deus erga talem hominem ratione eius conſecrationis; ergo quoad eam coniunctionem non conuenit illa ſanctitas cum gratia habituali (quæ reddit hominem affectu amicitiæ coniunctum Deo) niſi ſola voce; nec video quid poſſet ex parte rei ipſius ſecluſa voce reperiri, quod per eam coniunctionem ſignificetur; ſitque ita re ipſa commune gratiæ habituali & ſanctitati illi externæ, vt nulli alteri rei conueniat. Idem dico de vocibus *conſecro*, *dedico*, quæ videntur in re præſenti eſſe ſynonymæ, & multiplicari, vt videatur aliquid dici. Etenim conſecratio illa exterior re ipſa non conſiſtit niſi vel in eo quòd ſit proteſtatio quædam exterior Fidei in Deum, aut facultas quædam moralis ad adminiſtrandas aliquas exteriores actiones quæ ſunt prohibitæ aliis non ſuſcipientibus ea Sacramenta; aut denique quòd ſit ſignum oſtendens illum hominem eſſe ſpecialiter dedicatum cultui Dei præ aliis hominibus: hæc autem omnino ſunt planè aliena a conſecratione gratiæ habitualis: hæc enim neque eſt per modum proteſtationis Fidei, neque ſignum ſpecialis dedicationis ad cultum Dei; aut per modum concedentis facultatem vt licitè adminiſtrentur actiones non omnibus permiſſæ: nihil horum habet gratia; vnde in eo ſenſu non eſt conſecratio; ſolùm ergo illa communicat effectum hæredis gloriæ filij adoptiui, & amici Dei: nihil autem horum habet propriè ſanctitas illa exterior, niſi ſummùm per modum ſigni eius filiationis, &c. Quæ ratio ſigni non cauſat veram vniuocationem cum re ſignificata (vt hic Auctor benè fatetur;) vt quid ergo per terminos illos ſynonymos quærimus ſolutionem difficultatis ſine vllo ſolido eorum terminorum ſignificato?

Quis ſit effectus ſanctitatis legalis ſeu imperfectæ.

Effectus gratiæ habitualis ſeu ſanctitatis perfectæ.

Iam dixi ſuprà, definitionem Sacramenti vt ſic non debere tradi disiunctiuè, ſed determinatè per ſignificationem & pignus gratiæ habitualis; in ordine verò ad actualem ſanctitatem, quam conferat, debere in eadem definitione poni, quòd ſit cæremonia ſacra eo ipſo conferens homini actualem exteriorem ſanctitatem. Ex qua doctrina difficile non erit oſtendere iam vniuocationem Sacramentorum antiquorum cum noſtris. Dico igitur ideò antiqua conuenire vniuocè cum noſtris, quia definitionem à nobis traditam, quòd ſcilicet Sacramentum ſit cæremonia ſacra in pignus gratiæ conſtituta, propriè & in rigore participarunt antiqua, ſicut & noſtra: quòd enim antiqua fuerint pignora in futurum, noſtra verò de præſenti & actu cauſantia gratiam, pertinet ad differentiam ſpecificam eorum Sacramentorum, per quam non tollitur quò minùs propriè illa participauerint rationem communem Sacramenti.

Vniuocatio noſtrorum Sacramentorum cum antiquis petenda eſt ex definitione à nobis data.

Dices Primò: Noſtra ſunt multò perfectiora antiquis, ergo non conueniunt vniuocè cum illis. 66 *Obiectio.* Reſpondeo, leue eſſe hoc argumentum: etenim homo eſt perfectior beſtia, & tamen eſt vniuocè animal cum illa. Ratio eſt, quia vniuocatio non tollitur per inæqualitatem ſpecierum; imò communis ſententia docet, neceſſariò omnes omnino ſpecies eſſe inæquales inter ſe; tunc ergo ſolùm eſt analogia, quando ratio ſignificata per conceptum communem non reperitur propriè & ſimpliciter in vtroque extremo,

Reſponſio.

Inæqualitas ſpecierum non tollit vniuocationem.

Digitized by Google

extremo, & hinc probaui in logica, agens de analogis, rationem entis vt ſic eſſe vniuocam ad Deum & creaturas, ſubſtantiam & accidens; imò nec vlla eſſe analoga niſi metaphorica & attributiones.

Obiectio. Dices Secundò: Antiqua erant figura noſtrorum; figura autem non conuenit vniuocè cum re figurata. *Reſponſio. Figuræ Sacramentorum poſſunt etiam eſſe Sacramenta.* Reſpondeo, Antiqua non ſolùm fuiſſe figuram noſtrorum, ſed ſimul etiam vera Sacramenta; qua figura non erant vniuoca; ſecùs quatenus vera Sacramenta: ſicut filius eſt imago patris, & vt ſic non eſt vniuocus cum patre; quia verò etiam eſt propriè homo ſicut pater, eſt etiam vniuocus, imò & eiuſdem ſpeciei cum illo: quomodo autem fuerint vera Sacramenta iam dixi. Hinc tamen pro huius materiæ complemento rogabis, an ſi admittamus ſemel ens eſſe analogum ad creaturam & Deum, debeat etiam dici ratio Sacramenti analoga reſpectu antiquorum & noſtrorum. Ratio dubitandi ea eſt; quia ſicut ens in ea ſententia ideò dicitur analogum, quia creatura eſt ens per participationem, Deus verò per eſſentiam; ita Sacramenta antiqua videntur ſolùm fuiſſe Sacramenta in ordine ad noſtra, idcoque quaſi per participationem à noſtris; noſtra verò ſunt per ſe, & (vt ſic dicam) quaſi per eſſentiam reſpectiuè ad antiqua.

67 *Data analogia entis ad Deum & creaturas non ideò admittenda eſſet analogia inter vetera & noua Sacramenta.* Huic obiectioni poteſt reſponderi ex Patre Gaſpare Hurtado ea diſput. 1. difficultate 8. negando conſequentiam ab ente reſpectu Dei ad Sacramenta; nam ens eo ipſo quòd Deo conuenit per eſſentiam, eſt ens infinitum, & ens ſimpliciter; creaturæ verò ſunt entia ſecundùm quid, & finita: at Sacramenta antiqua, ex eo quòd ſignificent gratiam per ordinem ad noſtra, ſeu vt mediantibus noſtris Sacramentis conferendam, adhuc non ſunt ſigna per attributionem ad noſtra; ſicuti neque è contrario noſtra ſunt ſigna per eſſentiam, & infinita. *Ratio explicandi Hurtadi reijcitur.* Hæc tamen ſolutio nullo modo poteſt ſuſtineri; Primò, quia communiter illi qui dicunt Deum & creaturas in ratione entis non conuenire vniuocè, idipſum etiam docent de accidente & ſubſtantia ob eandem ferè rationem; quia accidens eſt ens in ordine ad ſubſtantiam, & dependenter ab illa; è contrario verò ſubſtantia eſt ens per ſe. In hac autem ratione non tecurritur ad punctum infiniti & per eſſentiam; ergo neque ex hoc capite debet deſumi diſparitas inter Sacramenta inter ſe, & inter ens & Deum. Secundò, quia ratio infiniti & per eſſentiam eſt omnino per accidens ad rationem eius analogiæ, quæ ſolùm deſumitur ex hoc, quòd creatura ſit ens pendens à Deo, & iuxta hanc ſententiam, ſi per impoſſibile Deus maneret ens finitum, independens tamen omnino à creaturis, & è contrario hæ penderent non minùs à Deo quàm pendent de facto, ſine dubio poneretur ea analogica non minùs quàm iam; ergo ex eo, quòd Sacramenta noſtra ſint finita, non impeditur ea analogia; quandoquidem non minùs antiqua Sacramenta videntur habere ſignificationem gratiæ per ordinem ad noſtra, hæc verò per ſe immediatè, quàm creatura ſit ens dependens à Deo, Deus verò independens à creatura.

Ea ergo diſparitate relicta videtur Primò valdè probabile, data ea ſuppoſitione poſſe analogiam Sacramentorum eodem modo defendi ob rationem datam; quia iuxta eam ſuppoſitionem non impeditur analogia duorum ex hoc, quòd ambo verè & propriè participent aliquam rationem communem: nam creatura verè ac propriè & ſine fictione exiſtit, & habet ſuam entitatem, ſuam eſſentiam non fictam, nec quæ ſolùm ſit exiſtentia extra cauſas per puram ſimilitudinem; (non enim eſt ſicut vrina, quæ non habet vllam propriam ſanitatem, ſed eſt illius ſignum;) & tamen in ea ſententia dicitur ens analogum, quia creatura habet dependentiam à Deo; ergo cùm videatur etiam eſſe dependentia in ſignificatione antiquorum Sacramentorum reſpectu noſtrorum, debebit etiam admitti analogia. 68 *Et in eius ſententia data ſuppoſitione eſſet admittenda analogia.* *Data ſuppoſitione aſſeritur vniuocatio Sacramentorum, & reſpondetur rationi dubitandi.* Secundò tamen dico, adhuc probabilius etiam tunc admittendam vniuocationem. Ad obiectionem in contrarium reſpondeo, Sacramenta antiqua nec produci à noſtris, neque ab eis accepiſſe ſuam eſſentiam: aliud enim eſt, quòd ſignificent gratiam dandam per noſtra; aliud, quòd à noſtris pendeant vt à cauſis à quibus producantur. Primum admittimus; ſecundum negamus: tam enim noſtra Sacramenta quàm antiqua immediatè ſunt à Deo inſtituta, immediateque ſignificant gratiam. Poſſet obiectioni Tertiò reſponderi negando etiam vniuerſaliter, antiqua Sacramenta ſolùm ſignificaſſe gratiam dandam per noſtra Sacramenta: non enim dubito, quin etiam immediatè ſignificauerint gratiam dandam variis aliis modis in lege gratiæ etiam extra Sacramenta; vt quam Apoſtoli in Feſto Pentecoſtes iuſtique omnes accipiunt vel per martyrium vel per opera ſupernaturalia in gratia facta. Quòd verò definierit Eugenius antiqua Sacramenta promiſiſſe gratiam dandam per noſtra, non nocet nobis; quia cum hoc ſtat, quòd etiam fuerint promiſſio gratiæ alia via dandæ nobis; ac proinde quòd licet non conuenerint vniuocè cum noſtris, quatenus gratiam per noſtra concedendam ſignificarunt; nihilominùs conuenerint vniuocè ſaltem, quatenus iuxta dicta ſignificarunt gratiam independenter à noſtris dandam. Et ſatis de Sacramentorum vniuocatione, & de eorum definitione.

DISPV

DISPVTATIO SECVNDA.

De materia & forma Sacramentorum.

1 *Sacramenta abſtrahend ab antiquis & noſtro nō neceſſariò conſtare debent materia & forma.*

SVPPONO de ratione communi Sacramenti, vt abſtrahit à noſtris & antiquis, non eſſe, conſtare materia & forma, id eſt rebus & verbis: poteſt enim vel ſolis rebus, vel ſolis verbis conſtitui: cuius ratio eſt clara, quia cùm Sacramentum ſit ſignum non naturale, ſed ad placitum, poteſt Deus illud inſtituens vel ſolas res, vel verba ſola, prout ipſi placuerit, in Sacramentum eligere. Et de facto Sacramenta antiqua ſolis rebus compoſita fuiſſe, communis eſt ſententia cum Diuo Thoma quæſt. 60. art. 6. & aliorum Theologorum.

SECTIO I.

Noſtra Sacramenta conſtant rebus & verbis.

ITA definitum eſt à Florentino ſuprà, & ſemper fuit in Eccleſia receptum. Auguſtinus Tractatu 80. in Ioannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Diuus Thomas ea quæſt. 60. artic. 8. Magiſter in 4. diſtinct. 1. & omnes communiter. Huius ratio non eſt alia quàm voluntas Chriſti Domini. Congruentia illa poteſt adduci, quòd clariùs per res & verba myſteria gratiæ explicentur quàm vel per ſolas res, vel per ſola verba.

2 *Adrianus putat matrimonium ſtare ſine verbis; Durandus pœnitentiam ſolis verbis ſine rebus.*

Adrianus quæſt. 1. de Baptiſmo putat ab hac regula excipi matrimonium; quod ſine verbis, ſolo conſenſu per nutus explicato, confici poteſt. Durandus verò in 4. diſt. 1. quæſt. 3. etiam excipit pœnitentiam, quæ ſolis verbis, ſcilicet confeſſione & abſolutione, perficitur. Sed vt à pœnitentia incipiamus, facilè impugnatur Durandus, non quia (vt ait Pater Vaſquez) ex parte materiæ requiratur ſatisfactio; nam hæc etiam poteſt eſſe ex vocibus; ſi v. g. pro pœnitentia imponatur (vt communiter fit) orare Roſarium, vel Horas Canonicas; ſed quia includitur dolor, qui neceſſario eſt res; ergo non poteſt ſolis vocibus pœnitentia conſtare. Contra hanc ſolutionem obiiciunt aliqui Florentinum, quòd eodem modo docet ex parte materiæ eſſe res ſicut ex parte formæ verba: atqui tota forma debet in verbis conſiſtere, ergo & tota materia in rebus, ergo non ſufficit partem materiæ, ſcilicet dolorem, eſſe res, ſi alia pars, ſcilicet confeſſio, ſit verba.

Sententia de materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Vnde hi ſic explicant Concilium, vt dum ait Sacramenta conſtare rebus pro materia, nihil aliud velit, quàm Sacramenta habere ex parte materiæ ſignum aliquod gratiæ, præſcindendo formaliter ex vi exigentiæ ipſius Sacramenti ab eo quòd ſignificet per modum verbi. Hi tamen Auctores ſeipſos deſtruunt; ſi enim cenſent eodem modo res eſſe materiam, iuxta Concilium, quo verba ſunt forma; & inde probant, ſicut forma adæquatè conſtat verbis, ita materiam, debere adæquatè conſtare rebus; ita deberent dicere: Sicut forma determinatè petit verba, & non abſtrahit ab eo quòd ſit per modum rei aut verbi; ideóque ſemper in omni caſu debet eſſe in verbis; (excipio matrimonium; quia illud etiam excipitur ab ipſo Concilio;) ita etiam materia determinatè debebit eſſe res; & non ſufficiet, quòd non petat de ſe verba; vnde etiam in nullo caſu poterit vocalis confeſſio eſſe materia: quod eſt plus quàm falſum. Aliter ergo obiectioni reſpondendum Concilium dixiſſe requiri res pro materia, & pro forma verba; vtrùm autem eodem modo, an diuerſo, non determinaſſe; imò non poſſe eodem modo Concilium intelligi ex dictis patet, & ampliùs conſtabit ex dicendis.

Quomodo intelligendum Concilii Florentinum, Sacramenta conſtare rebus & verbis.

SVBSECTIO I.

Duæ ſolutiones circa Sacramentum Matrimonij.

QVOAD matrimonium maior eſt difficultas, quæ Auctores in multas traxit & diuerſiſſimas ſententias, vt longiſſimam de hoc puncto multi texuerint diſputationem: ego (vt verum fatear) mirari ſatis non poſſum, eos non aduertiſſe, totam quantam hanc quæſtionem eſſe de ſolo nomine, & nec apicem de re continere; ac proinde gratis in ea iam multùm ipſos defatigari, omneſque Auctores re ipſa idem dicere, etiamſi diuerſo modo loquantur. Id quod manifeſtè oſtendo, priùs breuiter propoſitis variis ac præcipuis ſententiis in hoc puncto, ad quas reliquæ reduci poſſunt. 3

Variæ ſententiæ de materia & forma Sacramenti Matrimonij.

Primò ergo nonnulli docent, conſenſum internum contrahentium eſſe materiam, verba verò, quibus conſenſus ille exprimitur, eſſe formam. Pro qua ſententia citatur à Patre Sanchez lib. 2. de Matrimonio diſput. 5. num. 2. Alexander de Neuo, Sylueſter, Nauarrus, Capreolus, Deza, & alij. Hanc ſententiam impugnant alij, eò quòd ille conſenſus: vt condiſtinctus à verbis, non ſit ſenſibilis; debet autem materia eſſe ſenſibilis. Reſpondent pro ea ſententia alij è contrario, non eſſe neceſſum vt materia Sacramentorum ſit per ſe immediatè ſenſibilis, ſed ſufficere ſi abſolutè ſit ſenſibilis, etiamſi per aliud, nempe per ipſa verba. Secundò ergo alij eam doctrinam reiiciunt (vt Vaſquez & Cardinalis Lugo;) quia quod eſt materia, debet eſſe minùs determinatum quàm quod eſt forma; at conſenſus interior tam eſt determinatus ad coniugem hanc numero, ad hanc numero traditionem, &c. quàm ſint ipſa verba; ergo. Addit Cardinalis Lugo, Si conſenſus poſſet dici materia, etiam in Sacramento Ordinis conſenſum Epiſcopi debere dici materiam; quia tam requiritur conſenſus Epiſcopi quàm conſenſus coniugis; id autem videtur, eſſe contra mentem Eugenij, qui in Decreto de Sacramentis condiſtinguit ſemper intentionem Miniſtri à materia Sacramenti. Conſenſus autem interior contrahentium eſt formaliſſimè ipſa intentio

Digitized by Google

tio faciendi Sacramentum; idcò ſecunda aliorum ſententia, ſeu reſponſio eſt, corpora ipſorum contrahentium eſſe materiam eius Sacramenti: vti in Sacramento Ordinis eſt materia calix, patena, &c. & in Baptiſmo aqua. Hanc tenet Pater Vaſquez Tom. 4. in 3. Part. Tractatu de Matrimonio, cap. 5. vbi pro ea refert Paludanum, Petrum de Soto, Adrianum, Dinum Antonium & Couarruuiam: pro eadem etiam Sanchez citat Palacium, Capreolum & Bartholomæum de Medina. Hanc ſolutionem reiiciunt alij, quia in Sacramentis materia concurrit ad productionem gratiæ; id autem non

4 poſſunt corpora contrahentium præſtare. Verùm in hac impugnatione ſupponitur id quod deberet probari, ſcilicet corpora contrahentium non poſſe ad eam gratiam concurrere, cùm ſaltem tanquam Miniſtri eorum Sacramentorum ad eam concurrant ipſi contrahentes. Aliter ergo ea ſolutio Patris Vaſquez à nonnullis reiicitur; quia neque in Sacramento Ordinis, neque in Baptiſmo eſt materia propria aut calix, aut aqua, ſed vel traditio ipſa calicis, vel ablutio. Confirmat hoc Cardinalis Lugo. Nam ea dici ſolet Sacramentorum materia, cuius interuentu Sacramentum conficitur; at matrimonium non conficitur corporum interuentu; quia quando per Procuratores contrahitur matrimonium, non interueniunt corpora contrahentium, vbi illud contrahitur.

Cardinalis Lugo negat corpora contrahentium eſſe materiam in Sacramento Matrimonij

Confirmatur; quia in aliis contractibus nullo modo eſt pars contractus res de qua contrahitur. Contrahunt enim hîc Pragæ duo de vinea quæ eſt in Auſtria; contractus totus eſt hîc Pragæ, vinea eſt in Auſtria; ergo & quando Romæ v. g. per Procuratores contrahitur matrimonium abſentis, totum Sacramentum fit Romæ; ibi autem non ſunt corpora contrahentium, quæ diſtare ſupponimus; ergo corpora contrahentium non ſunt materia Sacramenti Matrimonij. Ita Lugo ſuprà. Id quòd declaratur magis; ſequeretur enim ex ea doctrina etiam contractum ſtipulationis, quo Antonius v. g. promittit Paulo ſcribere librum, debere conſtare ex ſcriptione futura libri; quia non minùs hæc eſt ibi materia, quàm in matrimonio corpora contrahentium: hoc autem eſt apertè falſum, quia antequam illa ſcriptura fit, exiſtit tota contractus eſſentia: imò etiamſi Antonius nolit deinde ſcribere, contractus tamen eſt validus, & quia eſt validus, obligat moraliter Antonium vt ſcribat. Denique ſi, quia in matrimonio datur poteſtas ſupra corpora, debent ipſa corpora dici materia illius, certè in Sacramento Ordinis ſacerdotalis deberent etiam animæ dici materia, quia etiam datur Sacerdoti poteſtas ſupra animas fidelium: id quod adhuc multò magis in conſecratione Epiſcopi locum haberet, quia datur ei poteſtas ſupra Eccleſiam ſuam. Hæc inſtantia de Epiſcopatu non eſt valdè efficax, quia Epiſcopatus quoad Sacramentum Ordinis totus eſt independens ab vlla iuriſdictione, vt patet in Epiſcopo Religionem intrante, qui retinet Ordinem ſine iuriſdictione: è contrario etiam iuriſdictio Epiſcopalis tota eſt independens à Sacramento Ordinis.

Suam ſententiam confirmat.

5 Quod item vrgebat Cardinalis Lugo de Sacramento inter abſentes contracto per Procuratores, ſcilicet illud Sacramentum fieri vbi contrahentes non ſunt, ac proinde non poſſe componi ipſis corporibus contrahentium, hoc inquam multò minùs vrget, quia non videtur vlla probabilitate poſſe dici Sacramentum fieri, vbi ſunt ipſi Procuratores. Etenim eſto nullum habeant Procuratores conſenſum, ſed purè purè declarent voluntatem delegantium fiet Sacramentum: ergo hoc non fit tunc Romæ, quia ibi non eſt conſenſus, qui intrinſecè pertinet ad rationem Sacramenti. Deinde non ſunt Romæ tunc Miniſtri Sacramenti; quia hi ſunt ipſi contrahentes, non verò Procuratores; vnde eſto hi nolint facere quod facit Eccleſia, ac proinde ratione illorum non fiat Sacramentum; ſi tamen ipſi contrahentes id velint, fiet haud dubiè Sacramentum. Certum eſt autem, neque ſine intentione conficiendi Sacramentum hoc poſſe fieri, neque poſſe Sacramentum confici niſi vbi ſit illius Miniſter. Præterea, Romæ non eſt ſubiectum illius Sacramenti; nam illud Sacramentum non recipitur niſi in ipſis contrahentibus, in quibus gratiam cauſat, non in Procuratoribus. Quòd verò ipſi etiam contrahentes inter ſe tunc poſſint diſtare, & verò etiam tunc dormire, aut certè nec cogitare quidem de conſenſu in matrimonium; ac proinde Sacramentum non videatur poſſe tunc contrahi apud delegantes, ſed potiùs apud Procuratores; hoc inquam nihil nocet, quia cùm Sacramentum hoc ſit quid morale, non requirit phyſicam exiſtentiam partium: iudicantur ergo tunc moraliter manere duo illi conſenſus qui fuerant antè, & non ſunt adhuc retractati: deinde illa verba Procuratorum cenſentur moraliter eſſe ipſorum contrahentium; ac proinde tunc moraliter contrahentes ipſi applicant formam Sacramenti, ideóque illud tunc recipiunt & perficiunt eo loco vbi ipſi ſunt, iuxta ea quæ agentes de peccato originali diximus, contrahi ſcilicet illud moraliter ipſo inſtanti conceptionis.

Sacramentum Matrimonij non requirit phyſicam exiſtentiam partium.

Dices tamen ex hac eadem inſtantia; Moraliter dicuntur infantes in Adamo peccaſſe, quia in illum erat eorum voluntas transfuſa; ergo cùm voluntas contrahentium eo caſu transfuſa ſit in ipſos Procuratores, ibi dicendi illi erunt contrahere, ac proinde matrimonium perficere, vbi ſunt Procuratores; non è contrario. 6

Reſpondeo, eſſe magnum diſcrimen inter Adamum & contrahentes quoad punctum præſens; nam Adamus verè erat caput noſtrum, ita vt noſtrum peccatum penderet à peccato illius, & voluntarium noſtrum ab eius voluntario; ac proinde meritò iudicamur nos in eo peccaſſe: accedit, quòd dum Adamus peccauit non poteramus dici nos in nobis ipſis peccaſſe, cùm nos in nobis non exiſteremus, ſed in illo. At illi qui per Procuratorem contrahunt matrimonium, in primis ipſi ſunt caput, vt ſic dicam, Procuratorum, non è contrario; deinde (vt iam oſtendi) non pendet matrimonium à conſenſu Procuratorum: hi enim ſolam declarationem voluntatis contrahentium præſtant. Præterea contrahentes in ſe debent tunc exiſtere, ipſi ſuſcipiunt Sacramentum, illi ſunt miniſtri; ergo non debet dici confici Sacramentum ibi vbi ſunt ipſi contrahentes: ergo ex hoc capite non repugnat, quod corpora ipſa contrahentium dicantur materia Sacramenti. Denique, ne faciamus dependens punctum hoc ab eo modo loquendi, vtrùm ſcilicet debeant dici contrahere Romæ an verò vbi ipſi ſunt, illud oportet apud omnes eſſe certiſſimum, ad hoc vt dicatur Romæ eſſe illud Sacramentum, debere

Diſcrimen inter Adamũ peccatum in ordine ad poſteros & contrahentem matrimoniũ per Procuratorem.

Cardinalis Lugo ſententia & eius confirmatio reijcitur.

Sacramentum Matrimonij fit vbi ſunt ipſi contrahentes, non vbi ſunt eorum Procuratores.

debere etiam dici ibi eſſe moraliter conſenſum illorum, quia hic eſt qui exigitur vt pars eſſentialis Sacramenti: vti ergo conſenſus, qui alioquin nec quidem nunc exiſtit, & quando extitit, fuit abſens, dicitur tamen eſſe moraliter Romæ, & ibi conſtituere Sacramentum; profectò meliori iure, aut ſaltem æquali, dicere poterimus, corpora ipſa, eſto phyſicè ſint abſentia, eſſe tamen moraliter Romæ; ideoque ex hoc capite nec leuis repugnantia oſtenditur, cur non poſſint ea corpora eſſe materia huius Sacramenti. Adhuc tamen habere videntur vim contra doctrinam Patris Vaſquez illæ aliæ inſtantiæ de contractu ſtipulationis de futuro, & verò etiam de præſenti; nam, vt dixi, vnca, circa quam contractus fit, non eſt pars, ſed obiectum contractus.

SVBSECTIO II.

Duæ aliæ explicationes.

In matrimonio verba vnius contrahentis ſunt materia, & verba alterius forma.

7 TERTIA ſolutio præcipui dubij eſt, verba vtriuſque coniugis eſſe ſimul materiam & formam: id quod diuerſimodè ab Auctoribus explicatur; quidam enim dicunt, verba illius qui primò loco loquitur eſſe materiam, poſterioris verò eſſe formam. Pro qua ſententia Sanchez ſuprà num. 5. refert Richardum, Angelum, Victoriam, Henriquez, Bartholomæum de Ledeſma, Vegam, & alios: eam nonnulli reiiciunt, quia poteſt fieri vt vterque coniux eodem momento verba finiat: potuit etiam ante Tridentinum per ſolam copulam carnalem præmiſſis ſponſalibus perfici matrimonium; imò etiam poſt Tridentinum poteſt euenire, vt per copulam affectu maritali incipiat habere valorem aliquod matrimonium, quod priùs fuerat inualidum, vt docet Sanchez lib. 2. de Matrimonio diſput. 32. num. 14. ergo non poteſt ratio materiæ & formæ explicari per eam prioritatem & poſterioritatem locutionis. Hanc tamen impugnationem ego leuiſſimam iudico, quia etiam in his caſibus dicent Auctores eius tertiæ ſolutionis vnum ex coniugibus priùs altero conſentire in eam copulam, ac proinde illius conſenſum dicent eſſe materiam, alterius verò formam. Quòd verò dicebatur, poſſe ambos eodem modo aut momento abſoluere verba, eſt difficile valdè; qui cùm vnus debeat verba alterius audire, vt ea accipiet, non eſt morale, vt ambo ſimul inter ſe loquantur, vt non dent ſibi locum, vt vnus alterum audiat.

Verba quatenus ſunt traditio dicuntur materia, quatenus verò acceptatio forma.

Impugnat ſententiam hanc Vaſquez; impugnationem autem illam reiicit Cardinalis Lugo.

8 Sed quidquid de hoc ſit, aliter Secundò nonnulli explicant eam tertiam ſolutionem, vt verba & ſigna contrahentium ſint materia & forma, ſub diuerſa tamen conſideratione. Nam quatenus illa verba ſunt traditio, dicuntur materia, forma verò, quatenus ſunt acceptatio. Quem modum dicendi ſequitur Sanchez num. 6. & Suarez diſput. 2. art. 1. qui pro ſe citant Sotum, Bellarminum, & alios. In hanc explicationem duobus modis inſurgit Pater Vaſquez cap. 2. Primò, quia qui tradit, non tradit niſi ſub conditione, quòd ſequatur acceptatio; ac proinde non eſt ibi acceptatio ac traditio. Hanc impugnationem reiicit Cardinalis Lugo, eò quòd poteſt excogitari caſus, in quo ſit promiſſio reciproca ſine acceptatione: vt ſi Petro dicenti mihi, *Dabo tibi pallium, ſi dederis librum*, ego reſponderem, *Dabo librum*; de acceptione tamen pallij nihil dicerem: poteſt item eſſe acceptatio ſine promiſſione; vt ſi idem Petro in ſimili caſu reſponderem, *Accepto promiſſionem conditionatam, de libero verò dando volo paululum deliberare.* Ego verò in hoc vltimo caſu non capio acceptationem ſine repromiſſione: quòd enim dicit, *Accepto, ſed volo parum conſiderare*, nihil aliud eſt quàm dicere, Rogo te vt maneas in hac voluntate, vt ego poſſim deliberare de libero dando aut non dando, nam cùm promiſſio alterius non poſſit eſſe efficax niſi adiuncta voluntate dandi librum, non capio quomodo dicat, *Accepto, ſed de libro dando nondum decerno*; alter enim ſtatim reſponderet: *Mi frater non promitto niſi ſub conditione quod des librum; ideò quamdiu de dando libro non te reſoluis, gratis te reſoluis circa acceptationem, quæ non poteſt vnum ab altero ſeparare.*

Impugnatio illa reiicitur.

Eandem ſententiam impugnat iterùm Vaſquez.

9 Aliter Vaſquez Secundò idem impugnat quia in aliis contractibus nemo dixit acceptationem eſſe formam donationis; nam acceptatio donationis non magis ex ſe eſt poſterior quàm prior donatione: ſicut enim poteſt donatio præcedere, ſic poteſt præcedere acceptatio ſeu petitio, & ſubſequi donatio ſeu promiſſio complens ſtipulationem perfectam, vt conſtat ex leg. 1. §. *Si quis.* ff. *De verborum obligatione.* Præterea acceptatio non habet ex ſe vllam maiorem determinationem, ratione cuius ipſa potiùs determinet ſignificationem traditionis quàm è contrario, cùm tam determinata ſit traditio corporis quàm acceptatio corporis. Denique tota ea ſolutio relinquit rem adhuc dubiam, quia non explicat, quomodo ibi interueniant res & verba; quandoquidem tam traditio quàm acceptatio fit per verba. Hæ impugnationes meo iudicio non ſunt magni momenti; nam iuxta lumen naturale acceptatio natura ſua videtur eſſe poſterior donatione: nemo enim loquendo propriè acceptat abſolutè niſi quod datur; dare autem optimè poteſt intelligi ex ſe antequam alius accepter. Quòd verò Vaſquez & Cardinalis Lugo obiiciunt, aliquando poſſe acceptationem illam præcedere, in primis eſt omnino per accidens: non enim deſumitur ratio materiæ ex cauſali antecessione, ſed ex ea quæ naturaliter eſt. Deinde poteſt facilè dici, eo caſu quo quis dicit *Accepto, ſi dederis*, in rigore non eſſe acceptationem actualem & abſolutam, ſed magis eſſe deſiderium acceptandi; neque eam acceptationem habere vim acquirendi dominium niſi quatenus durat moraliter poſt donationem; nam ſi illa cenſeatur priùs reuocata, nihil valebit; ergo illa non quatenus præcedit, ſed quatenus moraliter ſequitur donationem, habet vim inducendi effectum. In donatione 10
non eſt ita, quia illa priùs natura per ſe ſupponitur; acceptatio autem ſequitur ex cognitione donationis; ergo qui acceptat, poſteriùs operatur. Et ratio à priori meo iudicio eſt euidens: dominium enim meum in pallium ſicut dat mihi ius abſolutum ad comburendum; ita etiam concedit poteſtatem, vt nulla expectata conditione ego poſſim illud validè donare alteri; ergo donatio ex natura ſua etiam vt de præſenti & vt abſoluta eſt independens ab acceptatione alterius; acceptatio autem è contrario cùm ſit rei quæ anteà erat ſub alterius dominio, neceſſariò, vt de præſenti ſit abſoluta,

Reiiciuntur Vaſquez impugnationes.

Acceptatio naturaliter ſequitur donationem.

debet

Digitized by Google

debet eſſe ex præuiſione donationis in illo qui anteà habebat eius rei dominium. Et ſanè ſtultus ille eſſet, qui neſciens quidquam de donatione pallij diceret, *Ego abſolutè accepto pro me pallium Petri*; ergo ex hoc capite optimè, & verò iuxta communem hominum apprehenſionem, potuere Bellarminus, Suarez & Sanchez dicere, donationem eſſe per modum materiæ præcedentis ex ſe, acceptationem verò per modum formæ. Item, quod vltimò loco obiiciebatur, non declarari quomodo illi ſint res & verba, facilè etiam explicatur: etenim eo ipſo quòd donatio dicatur materia, etiam verba, quatenus ſignificant eam donationem, poſſunt dici res; quatenus verò ſignificant acceptationem, poſſunt dici forma, &, quaſi magis propriè, verba. Et verò ipſe Cardinalis Lugo, qui hoc obiicit paulò inferiùs, in ſolis ipſis verbis ſub diuerſis conſiderationibus totam eam rationem materiæ & formæ diſtinguit.

11 *Verba coniugum vt ſuſcipientium Sacramentum ſunt materia, vt miniſtrantium ſunt forma.*

Tertius modus explicandi eam tertiam ſolutionem eſt, vt verba in quolibet coniuge dupliciter conſiderentur, vel vt ſuſcipientis in ſe Sacramentum, & vt ſic ſint materia; vel vt miniſtrantis alteri coniugi Sacramentum (ambo enim Sacramentum ſuſcipiunt,& ambo ſunt illius miniſtri) & vt ſic ſint forma:vti in pœnitentia, quia ipſe ſuſcipiens tenetur habere dolorem, hic dolor eſt materia eius Sacramenti; ergo & voluntas contrahentis, quatenus ſuſcipit, erit materia.

Hanc ſententiam impugnat Cardinalis Lugo.

Hunc modum dicendi reiicit Cardinalis Lugo; quia non eſt magis indeterminata illa voluntas ſuſcipiendi quàm altera adminiſtrandi; cur ergo vna debet præ altera dici materia aut forma? neque obeſt quòd ſuſceptio ſe tenet ex parte ſuſcipientis; quia etiam ipſe ſuſcipiens poteſt dare formam, vt homo in nutritione vnit formam, qua completur nutritio.

Cardinalis Lugo impugnatio refutatur.

Hæc tamen impugnatio non eſt valde efficax: nam ſiue illa voluntas ſit magis ſiue minùs determinata, & ex hoc capite non ſit ratio, vt vna potiùs ſit materia quàm altera; nihilominùs tamen cùm proprium ſit materiæ ſuſcipere in ſe formam, commodiſſimè poteſt applicari ratio materiæ ei voluntati ſuſcipiendi potiùs quàm alteri conferendi. Id quod maximè locum habet in hac quæſtione, vbi ratio materiæ & formæ eſt allegorica; ac proinde non requiritur ad eam ponendam ſimilitudo rigoroſa in omnibus.

12 *Sententia Cardinalis Lugo, verba contrahentiũ ſimul eſſe materiam & formam.*

Denique Cardinalis Lugo à num. 29. ait ipſamet verba contrahentium eſſe ſimul materiam & formam; quia duo munia reperiuntur in eis verbis, & traditionis phyſicæ rei, & ſimul ratio verborum; pro quo notat aliquando poſſe contractum fieri per verba ſimul & per traditionem; vt poteſt in venditione domus interuenire & traditio clauium, & verba quibus fit illa venditio: aliquando verò per ſola verba quæ æquiualent & traditioni & verbis; nam de ſubſtantia emptionis non eſt traditio, vt docet Pater Leſſius lib. 2. de Iuſtitia cap. 21. dubio 1. num. 1. licet enim regulariter ad acquirendum dominium requiratur ſimul traditio; id tamen non eſt neceſſarium ex natura rei, ſed ſolùm ex Iure ciuili, & nec quidem ſemper: vnde fieri poteſt emptio completa ſolis verbis; vt quando res venditur Eccleſiæ: & ita in matrimonio, iuxta dicta, per ſola verba ſignificantia conſenſum de præſenti, ſeu traditionem, fit contractus perfectus. Vnde licet poſt rei emptionem in aliis materiis ſine traditione, ſi res eadem venditur alteri, eique tradatur, acquirat hic ſecundus dominium, in matrimonio tamen id fieri non poteſt; nam per ſola verba ſignificantia conſenſum de præſenti ita transfertur ius in coniuges, vt non poſſit alteri dari ius ad corpora: habent ergo illa verba vtraque vim traditionis & obligationis, quæ poſſunt ſeparari; vt ante Tridentinum per ſolam carnalem copulam affectu maritali poterat fieri traditio ſine verbis: & verò de facto etiam matrimonium ab initio inualidè contractum poteſt accedente diſpenſatione aliquando validari per ſimilem copulam affectu maritali. Aliquas obiectiones parui momenti obiicit contra ſe ibi hic Auctor.

Explicatur hæc ſententia

13 *Eadem ſententia impugnatur.*

Ego licet (vt ſtatim oſtendam) iudicem rem hanc omnino eſſe de ſola voce; puto tamen in hac explicatione duo confundi in vnum, quæ ſunt valdè diſtincta, ac proinde minùs bene reſponderi quæſtioni. Etenim aliud eſt eſſe poſſibiles duos, aut, ſi vis, tres diuerſos modos contrahendi; vnum per ſolam traditionem, alterum per ſola verba, tertium per verba & traditionem: id quod libenter huic Auctori concedimus. Aliud verò eſt, quòd quilibet ex illis debeat dici eſſe vterque ſimul; vt proptereà hic Auctor inferat, in quolibet ex illis diuerſis vtrumque includi: hoc ſecundum negamus, ideoque dicimus minùs benè ab hoc Auctore explicari in quolibet ex illis materiam & formam recurrendo ad coniunctionem vtriuſque ſimul; ac proinde perinde id eſſe ac ſi quis diceret; *Vt ego eam Viennam non requiritur niſi vel currus, vel equus, vel ſella qua porter, vel vt meis pedibus eam; ergo quando eo pedes, debeo conſiderare in eo itu me vehi curru, me equitare, me portari ſella aut lectica*, &c. qui modus diſcurrendi ſine dubio eſt valdè alienus à veritate: aut ſi quis diceret, Calor poteſt produci vel ab igne, vel à Sole; ergo dum re ipſa producitur ab igne, debeo in igne conſiderare rationem Solis & rationem ignis. Ratio à priori huius veritatis eſt; nam tunc ſolùm in vna tertia re diſtincta poſſum conſiderare æquiualentiam cum duabus, quando, ſi hæc res non eſſet, requirerentur neceſſariò duæ illæ: tunc enim meritò dico; Ergo hæc æquiualet duabus illis. At ſi etiam abſente hac re non requiruntur duæ illæ ſimul, ſed vna ex illis ſufficiat; profectò in hac non debeo conſiderare æquiualentiam cum illis duabus ſimul ſumptis; ſed ſufficit, ſi vni ex illis diſiunctiuè, imò verò ſi hæc res, de qua loquor, ſolùm ſub diſiunctione requiritur, hoc eſt ipſa, vel altera, non debeo in hac conſiderare æquiualentiam cum alia, ſed,vt ſic dicam,ſolùm cum illa ipſa:v.g. ad videndum ſufficit vel dexter vel ſiniſter oculus, ita vt per ſe æqualiter vnus ac alter ſufficiat, & æquè principaliter ſit ad id potens; certè non eſt tunc neceſſum, vt dum dexter videt, dicam ego, Dexter ſupplet ſiniſtrum, ſed, Dexter facit id quod ad ſe tam propriè ſpectat quàm ad ſiniſtrum: ergo cùm hic Auctor ſentiat, & meritò, in contractibus Eccleſiaſticis, imò & in ciuilibus, ex natura rei non eſſe neceſſarios duos illos modos traditionis phyſicæ & declarationis conſenſus interni per verba, ſed quemlibet ex his modis eſſe ſufficientem ad valorem, profectò non debuiſſet dicere, in quolibet ex illis includi duos modos;

modos; ac proinde quando cum ſolis verbis fit contractus matrimonij, non deberet aſſerere ibi includi traditionem; quandoquidem traditio non eſt neceſſaria ad valorem: quomodo enim in contractu, vt eſt validus, & quà eſt validus, debent ea includi quæ non ſunt vllo

14 modo ad valorem illius neceſſaria? Quæ veritas mihi videtur valdè clara. Neque obſtat quòd Iure ciuili aliquando requiratur traditio; nam hic ipſe Auctor docet id non requiri ex natura rei, neque ſemper, neque in Iure Canonico id videri neceſſum; vnde infero, non debere dici, In contractu inito Iure Canonico per verba reperiri traditionem, ſed potiùs non reperiri, quia non ea neceſſaria. vti ſuprà dicebamus in itu Viennam in equo, non poteſt dici reperiri geſtationem in ſella, aut curru; hoc enim non eſt neceſſarium, ac proinde non includitur in illo itinere eo modo ſuſcepto. Et hæc quoad æquiualentiam, quam hic Auctor ibi ponit.

Obiectio ex Iure ſoluitur.

Eadem doctrina Card. Lugo ex Concilio Florentino impugnatur.

Iam nunc Secundò abſolutè reiicio eam doctrinam, quia Concilium Florentinum in reliquis Sacramentis requirit res diſtinctas à verbis; non autem videtur eſſe contentum vllo modo, vt in ſolis verbis duos conceptus diſtinguamus, vnumque rebus alium verbis diſtribuamus; ſed veras res & vera verba requirit: eodem autem modo id debet intelligi requiſitum de Sacramento Matrimonij, ſola adhibita ea exceptione, quam ipſummet Cõcilium adhibuit: atqui Concilium ſolùm excepit eum caſum extraordinarium, in quo matrimonium fit per nutus; vbi dixit non eſſe res & verba, ſed ſolas res & nutus æquiualentes verbis; ergo hic Auctor, dum non ſolùm vnum extraordinarium caſum excipit, ſed nec quidem ſemel admittit in matrimonio tanquam illius partes eſſentiales res & verba, ſed ſemper vel per ſola verba, vel per res ſolas id explicat; vt quando per copulam affectu maritali ſuſceptam inchoatur: cùm inquam ita vniuerſaliter diſcurrat hic Auctor, non reſpondet menti Concilij agentis de ſolo caſu extraordinario, abſolutè autem & per ſe admittentis etiam in hoc Sacramento res & verba vt materiam & formam.

In Sacramento Matrimonij nutus æquiualent verbis.

SVBSECTIO III.

Quid tandem de quæſtione.

15 PROPOSVI breuiter varias ſententias, & earum etiam varias impugnationes; iam nunc oſtendendum euidenter, omnes illas opiniones eſſe de ſola voce, & quoad rem ipſam non poſſe vllam in præſenti moueri quæſtionem; etenim apud omnes certum eſt, in hoc contractu matrimoniali Primò intercedere ipſa corpora contrahentium, in quæ contrahentes acquirunt dominium: Secundò, debere interuenire conſenſum internum eorum; in quo conſenſu eſt traditio proprij corporis, & acceptatio alieni: item Tertiò, dari verba ſeu nutus, quibus explicatur ille conſenſus; verba inquam ſeu nutus vtriuſque contrahentis: hæc omnia debere neceſſariò in eo contractu reperiri, & nihil amplius requiri: (non loquor iam de præſentia teſtium & Parochi, quia hæc ſunt ad quæſtionem præſentem impertinentia:) iam autem, vtrùm conſenſus ipſe, an verò corpora, an verba, an conſenſus prout eſt traditio, an prout eſt acceptatio, &c. dicenda ſint materia, quis non videat eſſe purè de nomine; quia nec propterea qui contractum non vocat materiam, illi aufert aliquid reale; aut è contrario, qui illum vocat materiam, illi addit aliquam entitatem realem, ſed ſummùm vnus illum conſenſum comparat allegoricè cum materia ſeu ſubiecto phyſico, alter verò non; negare autem aut tribuere illi hanc allegoricam comparationem non eſt vllo modo, vt dixi, aliquid illi reale demere, aut addere, ſed ſolam vocem.

Oſtenditur, ſententias priores de materia & forma matrimonij contendere tantùm ſe de voce.

Forraſſe dices, Qui affirmat illum conſenſum 16
v. g. eſſe materiam, tribuit illi cauſalitatem in gratiam; ergo iam ex hoc capite faciet quæſtionem de re. Reſpondeo, ſiue conſenſus ille dicatur materia, ſiue forma, ſiue intentio, nos debere fateri illum eſſe partem eſſentialem Sacramenti illius, & intrinſecam ei Sacramento, eo autem ipſo conſenſus ille debebit habere cauſalitatem in gratiam ſiue moralem, ſiue phyſicam, iuxta diuerſas ſententias de Sacramentorum cauſalitate. Quod dico de conſenſu, dico proportionaliter de verbis, nutu, traditione, &c. ſolùm fortaſſe in corporibus ipſis id habere locum non poteſt; quia corpora non dicuntur materia proxima, non videbuntur pertinere tanquam quid intrinſecum Sacramento, ſed purè putè vt obiectum circa quod verſatur Sacramentum, obiectum autem qua tale non eſt pars intrinſeca actus; ergo tunc corpora non eleuarentur ad gratiæ productionem; ergo iam ſaltem ratione huius partis eſſet aliqua quæſtio non ſolùm de voce, ſed de re ipſa. Reſpondeo tamen, adhuc non eſſe locum huic diuerſitati; quia ſiue corpora dicantur materia proxima, ſiue remota, cùm tamen eorum traditio intrinſecè conſtituat Sacramentorum, videntur etiam ipſa corpora ad cauſalitatem illam aſſumenda. Vti non ſola ablutio dicitur eleuari in Baptiſmo ad cauſationem gratiæ, ſed etiam aqua ſimul cum ablutione; etiamſi ipſa aqua ſecundùm ſe ſit ſolùm materia remota. Id quod maximè locum habere poſſet in ſententia ponente cauſalitatem phyſicam; nam ad hanc vix poteſt phyſicè eleuari ablutio, quæ eſt actio locomotiua; actio autem non videtur habere capacitatem ad producendum vt quod phyſicè alios effectus: quid autem ſi in eorum ſententia loqueremur, qui negant ibi actionem phyſicam diſtinctam? Certè neceſſum erit ad ipſam ſubſtantiam aquæ recurrere, quæ influat phyſicè in gratiam. Sed quidquid de hoc ſit, ſaltem corpora illa contrahentium concurrent media intentione & conſenſu vt partibus eſſentialibus; vtrùm autem ipſa corpora immediatè aſſumantur ad productionem gratiæ, res eſt nullius momenti; quia nec nos admittemus cauſalitatem phyſicam Sacramentorum in gratiam; nec ſi admittamus, cogimur propterea omnibus partibus Sacramenti eam tribuere, imò nec poſſumus, ſed ſolùm vltimo puncto terminatiuo, v. g. vltimo puncto verborum, aut ablutionis, quo complentur verba in ſignificatione ſubſtantiali, & ablutio in eſſe ablutionis ſufficientis. Conſtet igitur rem totam quoad punctum de materia Sacramenti Matrimonij omnino eſſe de voce, nec magni momenti.

Obiectioni in contrarium ſatisfit.

Quia verò in rebus ad Fidem pertinentibus 17
debemus etiam de vocibus eſſe ſoliciti, iudico probabiliſſimum eſſe inter omnes illum modum loquendi, qui in ipſo conſenſu interno ponit

Sententia Auctoris, conſenſum internũ eſſe materiã, verba autem formam.

ponit rationem materiæ, in verbis autem, quibus ille explicatur foris, rationem formæ. Contra quem modum loquendi ſolùm videtur poſſe obiici, quòd intentio faciendi Sacramenti condiſtinguitur ab Eugenio Papa à materia Sacramenti: atqui ipſe conſenſus contrahentium eſt intentio faciendi Sacramentum; ergo hic non poteſt eſſe ſimul materia. Verùm huic obiectioni facillimè reſpondetur; contrahentes matrimonium intra Eccleſiam duas debère habere voluntates vel realiter diſtinctas, vel certè virtualiter aut ratione noſtra: vna eſt voluntas contrahendi, quæ communis eſt omni contrahenti, etiam extra Eccleſiam; altera voluntas eſt propria Chriſtianorum, qua volunt facere quidquid facit Eccleſia: quæ voluntas eſt neceſſaria ad omnium Sacramentorum adminiſtrationem, ac proinde etiam requiritur ad Sacramentum Matrimonij, quod non minùs quàm alia ſex eſt Sacramentum, ideóque non minùs requirit eam intentionem. Hæ voluntates poſſunt in Chriſtiano eſſe diſtinctæ realiter: poteſt etiam vnica voluntas ferri ad vtrumque obiectum illud. Hoc ſuppoſito ad rem noſtram dicimus, eam voluntatem, quæ eſt de contractu faciendo, eſſe materiam huius Sacramenti, verba verò, ſeu nutus, quibus ea voluntas declaratur, eſſe formam; pro intentione verò Miniſtri optimè aſſignari illam aliam voluntatem

Voluntas contrahendi eſt materia verba quibus voluntas declaratur forma.

18 eorundem contrahentium, quatenus eſt voluntas faciendi id quod facit Eccleſia. Neque ampliùs requirit Concilium; quod quidem poſuit materiam & formam ac intentionem: vtrùm autem ea intentio debeat realiter ſemper diſtingui à materia, an ſufficiat diſtingui æquivalenter, relinquit ibi indeciſum. Et ſanè in maiori parte explicationum ſuprà poſitarum recurritur ad aliquid realiter indiuiſibile, in quo ponitur materia & forma; vti vidimus aliquos recurrere ad conſenſum internum; vt eſt traditio, & vt eſt acceptatio. De Cardinali Lugo etiam diximus in ſolis verbis eum ponere vtrumque conceptum materiæ & formæ; cur ergo nos, qui materiam & formam diſtinguimus realiter, non poterimus cum ipſa materia identificare aliquando intentionem Miniſtri; quandoquidem magis requiritur diſtinctio realis inter materiam & formam, quàm inter materiam & intentionem Miniſtri? quia maiorem inter ſe oppoſitionem (cùm ſint correlatiua) dicunt materia & forma, quàm materia & intentio Sacramenti, quæ inter ſe habent conceptus diſparatos, ac proinde faciliùs compoſſibiles in aliqua tertia entitate quàm ſint illa inter ſe reſpectiuè. Et ſatis de hoc puncto, quod, vt dixi, totum eſt de modo loquendi.

SECTIO II.

Sub qua conſideratione res ſint materia, & verba ſint forma?

OSTENDIMVS in omnibus Sacramentis dari res & verba; ſpecialiter autem egimus de matrimonio ob ſingularem in eo difficultatem; iam oportet diſcutère dubium hoc, & modum, quo eis rebus & verbis Sacramenta conſtant, explicare, non quia magni ſit momenti, cùm (vt clarè oſtendimus) tota inter Auctores diſſenſio videatur eſſe de ſola voce; ſed quia multi eas quæſtiones valdè fusè tractant, ac ſi eſſent de re & variis vocibus, tenebras potiùs rebus facillimis offundunt, quàm eam ampliùs explicant.

SVBSECTIO I.

Varia in hoc puncto ſententia; & quid in eis ſit de ſola voce.

PATER Vaſquez diſput. 129. capit. 2. ait à 19
quibuſdam Recentioribus minùs benè intellectos Dominicum Sotum in 4. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 1. & Caietanum ad hanc quæſtionem 60. articul. 6. dum eis tribuunt, quòd res & verba, quatenus ſunt quid ſenſibile, ſint propria materia Sacramenti, forma verò propria ſit ſignificatio ipſa, quam res & verba habent. Oſtendit ergo Vaſquez Caietanum non aliud dixiſſe, quàm quòd ſupra res & ſupra verba cadat vna ſignificatio indiuiſibilis; per hoc autem eum non negaſſe, res eſſe materiam reſpectu verborum. Sotum autem ait docuiſſe, res ideò dici materiam, quia minùs expreſsè repræſentant; verba verò propterea dici formam, quia magis clarè repræſentant. Addit autem, eos Recentiores ſentire, res cum ſua ſignificatione eſſe materiam, verba verò cum ſua partiali ſignificatione eſſe formam; ineptè verò dici, res & verba ſecundùm ſe eſſe materiam, ſignificationem autem eſſe formam, cùm compoſitio ex re & ſignificatione potiùs dicenda ſit ex ſubiecto & accidente. Ipſe verò Vaſquez ait duas eſſe in Sacramentis ſignificationes; vnam, quam habent ex ſe analogicè, aut ex inſtitutione hominum cum gratia; alteram, quam habent ex inſtitutione Chriſti. Hanc dicit eſſe indiuiſibilem omnino, & cadentem æqualiter omnino ſupra res & verba: id quod nos etiam paulò poſt probabimus fuſius. Primam ſignificationem admittit eſſe duplicem, & illam, quæ eſt in rebus, vocandam eſſe materiam, alteram tenentem ſe ex parte verborum eſſe formam; non quia verba habeant magis expreſſam ſignificationem quàm res; nam idem magis aut minùs expreſſe ſignificare, non denotat minùs aut magis determinatè ſignificare; ideóque nullo modo id deſeruit ad explicandum conce-

Sententia Vaſquez de materia & forma Sacramentorum.

ptum formæ ex ſe magis determinatæ, & materiæ magis, indeterminatæ. Explicanda ergo eſt ea ratio materiæ per hoc, quòd res quæ aſſumuntur ſunt magis indifferentes ex ſe ad hoc vel illud ſignificandum, quàm ſint ipſa verba. 20

Diſcrimen inter ſententiam Vaſquez & Suarez.

Eodem modo rem hanc explicuerat anteà Pater Suarez cum hac ſola differentia, quòd dixerit etiam ipſam Sacramentalem ſignificationem eſſe duplicem partialiter; ſicut diximus de præuia ſignificatione naturali; licet neque hoc ipſum ſatis clarè tradiderit: nam ex vna parte dixit eam ſignificationem Sacramentalem eſſe indiuiſibilem, quatenus res eam habent præcisè, quando ſunt coniunctæ cum verbis, & verba ſolum, quando rebus ſunt coniuncta; ex alia addit, per hoc non impediri quò minùs duæ illæ partes, quatenus ſint in toto, habeant ſuas partiales ſignificationes: id quod putat eſſe apertam ſententiam Diui Thomæ hac quæſtione 60. artic. 6. Ego in hac quæſtione

Suarez citat pro ſe D. Th.

Digitized by Google

ſolùm video de re poſſe controuerti, vtrùm ſignificatio Sacramentalis, quæ eſt ex placito Chriſti, ſit compoſita ex duabus, an verò ſit indiuiſibilis: & verò fortè hoc ipſum ad modum loquendi ſpectare videtur: reliqua cenſeo eſſe purè purè de voce, nec curandum multùm quid in eo puncto dixerit Scotus, aut Caietanus. Id quod facilè oſtendo, nam re ipſa nemo negat eas duas ſignificationes; vnam, quam res habent antequam in Sacramentum aſſumantur, quæque in illis ſemper durat; aliam, quam ex Chriſti inſtitutione: deinde, nemo negat hanc ſecundam ſignificationem ea de re ſupra res & verba, imò ſupra priorem naturalem ſignificationem. Tertiò, nemo negat ablutionem v.g. poſſe concipi vt eſt ens quoddam, ſupra quod cadit ſignificatio metaphorica ablutionis ſpiritualis: id quod meliùs cernitur in verbis, quia illas voces, *Ego te abſoluo*, in Sacramento Pœnitentiæ poſſumus conſiderare præcisè vt eſt quidam ſonus; & deinde vt ſignificant remiſſionem peccati: quæ ſignificatio ſe habet per modum formæ reſpectu ſoni illius.

Duplex ſignificatio verborum, vna ante inſtitutionem Chriſti, altera ex Chriſti inſtitutione.

21 Quartò, nemo negat, ſi eis verbis auferretur ſignificatio illa ad placitum, quia homines nollent ea ampliùs eſſe earum rerum ſignificatiua, non futura ſufficientia pro Sacramento; nam ſi hæ voces, *Te abſoluo*, iam à Republica vſurparentur ad ſignificandum præcisè *Ego te amo*, vel omnis omnino ab eis auferretur ſignificatio; profectò Sacerdos tunc dicens, *Ego te abſoluo*, non conficeret Sacramentum. In his ergo punctis omnes omnino Catholici re ipſa conueniunt. Iam verò, an res & verba ſecundùm ſuam entitatem ſint vocanda materia Sacramentorum, an ſecundum ſignificationem præuiam quam habent ante inſtitutionem Chriſti, an ſecundum ſolam ſignificationem Chriſti ſint forma, necne; quis non videat ad ſolum modum loquendi pertinere, vt in ſimili dixi præcedenti ſectione de matrimonio, an traditio, an conſenſus, &c. ſint dicenda materia, an forma, &c. Vnde benè notauit Scotus ſuprà artic. 6. hæreſim eſſe, negare verba & res eſſe eſſentialiter neceſſarias ad Sacramentum; quòd autem res dicantur materia & verba forma omnino eſſe introductum ex modo loquendi Doctorum: quem modum etiam tenuit Eugenius, qui fortaſſe propterea vſus eſt illa particula *tanquam materia*, vt ſolam ſimilitudinem metaphoricam cum materia & forma ſignificaret. Conſtet ergo de re non poſſe vllam eſſe differentiam. Illud tamen addo, cùm Eugenius & Doctores non ſolùm doceant in Sacramentis concipi materiam & formam, ſed dixerint res eſſe veluti materiam, & verba veluti formam; eo ipſo minùs benè locutos eos qui res & verba, vt ſubſunt ſignificationi, dixerunt materiam; nam per hoc non ſaluant, quomodo res ſint materia, & verba forma; ſed potiùs vtrumque faciunt materiam in vno ſenſu, & vtrumque formam in altero. Tenendus ergo eſt modus loquendi ex Suario & Vaſquez paulò antè poſitus, qui alioquin eſt ferè omnibus communi. Et hæc circa diſſenſionem vocum.

Hæreſis eſt negare res & verba eſſentialiter requiri ad Sacramentum.

SVBSECTIO II.

Quid poſſit eſſe de re in hac quæſtione?

CIRCA illud verò punctum, quod magis videbatur eſſe de re, Vtrùm ſcilicet ipſa ſignificatio à Chriſto impoſita ſit duplex, an verò indiuiſibilis; certiſſimum eſſe debet apud omnes Primò, nec verba ſola ſine ablutione, nec ablutionem ſine verbis eſſe ex Chriſti inſtitutione ſignum gratiæ, ſeu pignus illius. Secundò eſt certum, Chriſti Domini inſtitutionem cecidiſſe vno quaſi reſpectu ſupra res & verba hoc modo, *Volo vt hæc duo ſint pignus gratiæ*, non autem dixiſſe, *Volo vt ablutio ſit partiale pignus, & partiale ſint verba*; quia ſi verba non ſignificant niſi vt coniuncta rebus, & res non ſignificant niſi vt coniuncta verbis, neceſſum profectò eſt non aliter voluiſſe Chriſtum eam ſignificationem quàm dicendo, *Volo vt hæc duo ſint vnum adæquatum ſignum gratiæ*. 22

Res & verba ſunt adæquatum pignus gratiæ.

Dices: Rectè dicitur, Ablutio eſt partiale Sacramentum; ergo dici etiam poteſt, Ablutio eſt partiale ſignum gratiæ. Patet conſequentia; nam Sacramenta & ſignum gratiæ ſunt omnino idem, ergo quo ſenſu dicitur partiale Sacramentum, dici poteſt partiale ſignum gratiæ. Reſpondeo, Hinc probari noſtrum modum loquendi; nam in totis heterogeneis non quælibet pars habet denominationem etiam partialem totius: non enim corpus dicitur partialis homo, ſed pars hominis: vnde nego antecedens, dicóque, ſolam ablutionem non poſſe propriè vocari partiale Sacramentum, ſed partem Sacramenti, & partem ſigni. Quia verò hoc ipſum fortaſſe reduci poteſt ad ſolum modum loquendi, clariùs oſtendo in puncto præſenti eam rationem indiuiſibilis ſignificationis reducendo rem ad prima principia. Etenim ſignificationem aliquam eſſe diuiſibilem, non poteſt aliter explicari, niſi vel quia res ipſa, quæ ſignificat, eſt multiplex: & in hoc ſenſu nulla eſt inter Theologos quæſtio, nam certum eſt ex hucuſque dictis, res ſignificantes in Sacramento eſſe duas, vel quia è contrario res ſignificata eſt duplex, ſeu diuiſibilis: in hoc autem ſenſu etiam non eſt dubium in contrarium, quia res ſignificata per Sacramenta eſt gratia, quæ vnum quid eſt. Tertiò ergo concipi poteſt ſignificatio diuiſibilis formaliter in ſuo proprio conceptu ſignificationis, eò quòd bis quaſi excitat ſpecies rei quam ſignificat, vt ſi quis videndo ablutionem dicat, Iam hîc eſt promiſſio gratiæ; Secundò item audiendo verba dicat, Hîc eſt promiſſio gratiæ: è contrario autem tunc ſignificatio erit indiuiſibilis, quando non niſi vnicam excitationem ſpecierum faciunt: & hæc eſt maximè propria ſignificatio ſeu explicatio diuiſibilitatis & indiuiſibilitatis ſignificationis.

Ablutio in Sacramento Baptiſmi eſt pars Sacramenti, non partiale Sacramentum.

His ſuppoſitis, clarè iam ad rem noſtram oſtendimus, cur ſignificatio Sacramentalis ſit vnica indiuiſibilis, quia reuera nec verba ante ablutionem, nec ablutio ante verba excitant in hominibus ſpecies de futura gratia, & (vt magis loquamur iuxta noſtram definitionem Sacramenti) nec verba ſola nec res ſolæ ſunt ſigna promiſſiua aut pignora gratiæ, ſed vtraque faciunt

Significatio Sacramentalis eſt vnica indiuiſibilis.

vnam

Digitized by Google

vnam promiſſionem, vnum pignus, vnum ſignum; ideoque non dantur vllo modo homini duæ certitudines de gratiæ futuritione, ſed vnica; neque video quomodo poſſit probabiliter ibi explicari diuiſibilis ſignificatio formaliter. Vrgeo hoc: Poſſibile eſt ſupra duas res cadere vnam omnino indiuiſibilem ſignificationem, ſicut ſupra duas has voces *Res publica* cadit vnica indiuiſibilis ſignificatio ciuium in vnum corpus aggregatorum. Neque puto vel Patrem Suarium, vel vllum alium de poſſibilitate dubitaturum, quidquid de facto dicatur in Sacramentis. Atqui ſuppoſita ea poſſibilitate indiuiſibilis eius ſignificationis, non poteſt cogitari in quo alio ea conſiſtat quàm in eo, quòd non niſi vnicè excitet ſpecies illius quod ſignificat; hoc autem iam oſtendimus eſſe in Sacramentis; ergo ibi eſt vnica ſignificatio indiuiſibilis Sacramentalis. Denique à ſimili ex aliis ſignis confirmo hanc doctrinam; nam quando homines accipiunt vocem aliquam ad ſignificandum, non ſolent dare cuilibet parti eius vocis partialem ſignificationem: v. g. ramus non habet partialem in *mus*, ſed vnicam & indiuiſibilem modo explicato. Neque obeſt, quòd in inſtantia hac illæ duæ partes inter ſe vniantur quaſi phyſicè, ablutio autem ſit diſparata cum verbis; hoc inquam nihil obeſt: vt enim ſignificatio ad placitum cadat indiuiſibiliter ſupra aliquod ſubiectum, nihil penitus aut prodeſt aut obeſt, quòd illud ſubiectum in ſeipſo ſit diuiſibile, vel ex diſparatis partibus compoſitum; quia homines tam facilè poſſunt multa inter ſe diſparata accipere indiuiſibiliter ad ſignificandum quàm vnum quid, ſicut tam facilè poſſunt ſignificare indiuiſibiliter lapidem per vocem ſex ſyllabarum quàm per monoſyllabam: quòd ſi ad ſignificandum vinum aſſumatur ad placitum ramus & ſtupa, ita vt neutrum ex his ſolitariè ſignificet vinum vendi; profectò non duas ibi ſignificationes, ſed vnam indiuiſibilem agnoſceremus.

Oſtenditur à ſimili.

24 Cardinalis Lugo ea diſput. 2. ſect. 2. hanc quæſtionem explicans putat aliquid eſſe concedendum Patri Suario circa diuiſibilitatem eius ſignificationis; pro quo obſeruat, ſignificationem in actu primo non eſſe ſolam ipſam inſtitutionem Diuinam, quam omnino fatetur eſſe indiuiſibilem, ſed etiam eſſe ipſas res & verba: neque enim vox hæc *lapis* ſignificat per ſolam inſtitutionem; nam ſola inſtitutio non eſt totum ſignum in actu primo; ergo etiam ipſa entitas vocis concurrit ad ſignificandum; ac proinde ipſa eſt pars ſigni in actu primo. Vnde infert, Cùm entitates illæ in Sacramentis ſint diſtinctæ, etiam ſignificationem ex hoc capite eſſe diuiſibilem. Hæc tamen doctrina iam reducitur ad purum putum modum loquendi; ideoque dixi ego paulò antè, ſi loquamur de vi ſignificatiua, accipiendo eam vim pro rebus, ſupra quas cadit illa ſignificatio, non poſſe dubium vllum eſſe in præſenti. Neque Pater Vaſquez hoc negauit Suario; neque magna liberalitas eſt neceſſaria vt hoc Suario concedatur, quia id ex ipſis terminis eſt notiſſimum.

Cardinalis Lugo cum Suarez admittit aliquam diuiſibilitatem in ſignificatione Sacramentali.

Reducitur ad quæſtionem de voce.

25 Secundò addo, fortaſſe aliquem dicturum, res illas eſſe quidem quæ dicuntur ſignificare; at non ſignificare vt per rationem formalem, nec inadæquatam per ſeipſas, ſed per inſtitutionem, eo modo quo anima eſt quæ cognoſcit: at ratio cognitionis non eſt nec quidem partialiter ipſa anima, ſed cognitio ſuperaddita. Nec valet argumentum ſuprà factum: Inſtitutio ſola non ſignificat; ergo res etiam ſignificant. Reſpondetur enim, inſtitutionem abſtractam non ſignificare; debet enim concipi vt applicata alicui materiæ ad hoc vt ſignificet; at non propterea rationem ſignificandi vt quo eſſe materiam: ſicut in myſterio Trinitatis dici ſolet, intellectionem ſolam eſſe principium vt quo, at ipſam non generare niſi vt vnitam paternitati. Sed quidquid de hoc ſit, quod etiam ad ſolum modum loquendi pertinere videtur, iam oſtendi de ea diuiſibilitate partium ſignificatiuarum non eſſe vllam quæſtionem inter Suarez & Vaſquez, ac proinde debere recurri ad explicationem indiuiſibilitatis ſignificationis quam nos ſuprà poſuimus; de qua videbatur maior eſſe ratio dubitandi.

Conciliantur Suarez & Vaſquez.

Secundò dicit idem Auctor, Si ſignificatio concipiatur per modum entis rationis, aut per modum alicuius quaſi accidentis moralis, tunc etiam dici poſſe illam eſſe partialem, quia concipitur tunc per modum accidentis realis; quod non poteſt idem numero eſſe in duobus illis ſubiectis. Hæc tamen conſideratio non eſt ad rem noſtram; quia nos non admittimus vllum ens rationis in ea ſignificatione Sacramentali, neque vllum ens morale ab ipſis rebus phyſicis diſtinctum; ac proinde ille diſcurſus ſummùm habet locum in aliis ſententiis, non in noſtra: iam addo, neque in aliis habere; nam quantumuis per modum accidentis ficti concipiatur ea ſignificatio, poteſt omnino concipi tanquam vnum accidens in vtroque ſubiecto. Imò, ni fallor, hinc multò certiùs apparet ea indiuiſibilitas. Nam intellectus non aliam omnino formam concipit intrinſecè inhærentem in illis ſubiectis, quàm ipſam inſtitutionem ſeu volitionem Chriſti; vti quando concipio parietem eſſe viſum per modum prædicati intrinſeci in ipſo pariete recepti, non concipio aliquam diſtinctam formam à viſione quæ inhæreat parieti, ſed viſionem ipſam concipit inhærentem intrinſecè; ac proinde ſi ea forma dans denominationem extrinſecam eſt eadem numero, etiamſi ſubiecta ſunt multa intellectus, tunc concipit vnam illam cadentem ſupra omnia illa ſubiecta. Denique, ſi de forma morali loquamur, quatenus æquiualet phyſicæ, idem erit dicendum; quia tunc concipimus ea duo ſubiecta perinde ac ſi phyſicè eſſent vnita, & ac ſi ſupra illa caderet eadem numero forma; nec oportet tunc moralem æquiualentiam iudicare ex pluralitate ſubiecti, ſed potiùs ex diuerſitate effectuum: ſi enim illa ſubiecta non habent vim niſi ad producendum eundem effectum, non debet ea vis conſiderari vt duplex moraliter, & vt diſtincta in quolibet ſubiecto, ſed potiùs tanquam vnica, per quam vtrumque ſubiectum cauſet effectum illum indiuiſibilem per modum virtutis indiuiſibilis, ea ergo media via huius Auctoris, qua inter Vaſquez & Suarez incedere voluit, non eſt omnino plana, & potiùs perſuadet ſolam Vaſquez ſententiam, quam, vti à nobis explicata eſt, omnino iudico veram.

26 *Oſtenditur, indiuiſibilitatem ſignificationis Sacramentalis habere locum etiam in Aduerſariorum ſententia.*

Digitized by Google

SVBSECTIO III.

Concluditur quæſtio, & reiicitur ſingularis quorundam Recentiorum doctrina.

27 CONCLVDENDA ergo hæc quæſtio, quæ, vt dixi, ferè tota eſt de voce; ac dicendum, ſignificationem Sacramentalem ex Chriſti inſtitutione eſſe indiuiſibilem, eamque non valere ad explicandam compoſitionem Sacramentorum ex rebus & verbis, vt ex materia & forma; ſed id eſſe declarandum ratione ſignificationis, quam ante omnem Chriſti inſtitutionem habent res & verba. An autem ratio materiæ deſumenda ſit ex eo, quòd magis obſcurè res ſignificent quàm verba (vt cenſet Sotus ſuprà) an verò quia res ex ſe ſunt magis indeterminatæ, verba verò magis determinata, ſicut docet Vaſquez & alij, res eſt parui momenti; quia forma non ſolùm dicitur ex eo, quòd determinet ſubiectum ex ſe magis indifferens; oſtendi enim in Phyſica, poſſibile eſſe aliquod ſubiectum ad vnam formam determinatum, vbi eo ipſo nulla determinatio tribueretur à forma illa; conſiſtit ergo eſſentia formæ etiam in hoc, quòd vltimò perficiat & compleat ſubiectum illud etiam in eo genere determinato, in quo priùs exiſtebat idem ſubiectum; vnde etiamſi concederemus res æquè determinatè ſignificare quàm verba; ſi tamen non tam clarè ſignificarent, & per verba declararetur magis ea ſignificatio, iure merito poſſemus cum Dominico Soto dicere, res eſſe materiam, quia minùs expreſſe ſignificant, & verba formam, quia magis expreſſè ſignificant.

Vnde petenda ſit ratio materiæ & formæ in Sacramentis.

28 De facto verò videntur res non ſolùm minùs clarè, ſed etiam minùs determinatè ſignificare gratiam quàm verba, ac proinde meritò dici quòd determinentur per verba; vt facilè conſtabit diſcurrenti breuiter per omnia Sacramenta. In Confirmatione v.g. τὸ *Confirmo te chriſmate ſalutis* determinatè clariùs repræſentat fortitudinem ſpiritualem quàm vnctio ipſa, quæ poteſt non ad fortitudinem, ſed ad ſanitatem corporis oſtendendam vſurpari. Item *Te abſoluo à peccatis tuis* magis multò determinatè quàm confeſſio repræſentat veniam: idem eſt in Baptiſmo, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Licet enim verbum *baptizo*, ſeu *abluo*, ſeorſim ſumptum non videatur magis determinatè & clarè repræſentare munditiem, quàm ipſa actio abluendi; (quòd tamen falſum eſt, quia actio illa eſt indifferens vt fiat propter alios fines, vel propter refrigerium, vel propter ſanitatem; vnde ex ſe determinatè non ſignificat munditiem, quam tamen verba ſignificant;) coniuncta tamen cum illis aliis, *In nomine Patris*, &c. ſine dubio magis determinatè ſignificant munditiem interiorem, pro qua inuocatur tota Trinitas, quàm actio ipſa exterior abluendi. Eadem maior expreſſio & determinatio in verbis quàm in rebus eſt in Extrema Vnctione; vbi verba clarè ſignificant gratiam, quam non ſignificat vnctio ex ſe; in Ordine etiam. In Euchariſtia verba expreſsè ſignificant corpus Chriſti, ſpecies autem non. Solùm videtur reſtare difficultas in matrimonio; vbi verba, quæ ſunt manifeſtatiua ſolius conſenſus, non magis denotant gratiam quàm ipſe conſenſus. Dicendum tamen, licet myſterium vnionis Chriſti cum Eccleſia non magis repræſentetur, quantum eſt ex ſe, per externum contractum, quam per internum conſenſum voluntatum; in ordine tamen ad homines, qui in ſe non vident actus internos, ſola externa verba, aut ſigna, quibus ille conſenſus explicatur, eſſe manifeſtatiua talis myſterij. Imò in hoc Sacramento fortaſſe clariùs apparet, quare verba ſint forma; quia ſcilicet reſpectu hominum nihil conſenſus internus per ſe ſignificat, niſi per verba tanquam per formam manifeſtus fiat; in aliis autem Sacramentis licet non ita clarè ac verba, res ipſæ tamen per ſe aliquo modo gratiam ſignificant, ideoque minùs videntur habere rationem materiæ.

Res ſunt materia, quia minùs determinatè ſignificant gratiam.

Demõſtratur in ſingulis Sacramentis.

Quare in matrimonio verba habeant rationem formæ.

29 Obiicies contra doctrinam hucuſque datam: Significatio, quam res & verba habent, ex ſe non eſt conſtitutiua Sacramenti; ergo ex illa non deſumitur ratio materiæ & formæ. Reſpondeo, Sacramenta noſtra duo dicere, aliud pro formali, pro materiali aliud; vtrumque autem eſt his Sacramentis eſſentiale: pro materiali dicunt res & verba quæ aſſumpta ſunt; pro formali verò ipſam Chriſti inſtitutionem. Cùm ergo ea maior & minor ſignificatio, quam pro materiali dicunt, etiam pertineat ad partem Sacramentorum, conſequenter eſt Sacramentis eſſentialis, & conſtitutiua illorum, licet non vltimò: ſicut materia & forma lignorum & lapidum eſt conſtitutiua domus, licet ſupra totum hoc cadat forma artificialis conſtitutiua vltimò in eſſe domus.

Obiectio.

Reſponſio. Quomodo Chriſti inſtitutio in Sacramentis pro formali haberi debeat, res & verba pro materiali.

Recentiores nonnulli in manuſcriptis dum ſupra poſitam concluſionem (quæ modò à nobis explicata facilis & clara apparet) alia via conantur declarare, eam confundunt magis quàm explicant; aiunt enim ablutionem v.g. (& ſic de aliis materiis Sacramentorum) non fuiſſe aſſumptam à Chriſto ad ſignificandam gratiam niſi ſub conditione, quòd coniungerentur cum verbis; verba tamen abſolutè & ſine conditione fuiſſe aſſumpta; vnde dicunt, verba eſſe determinatiua rerum, & non è contrario: ideoque verbis vt determinantibus ratio formæ, rebus verò vt determinatis ratio materiæ ab eis tribuitur. Quia verò his Auctoribus poterat obiici, Sicut res ſine verbis non ſignificant gratiam, ita neque verba ſine rebus, imò & ſine intentione Miniſtri; vnde potiùs videbatur inferri, intentionem eſſe formam. Reſpondent, Chriſtum Dominum per ſcientiam mediam præuidiſſe qui Miniſtri, & in quibus caſibus eſſent habituri rectam intentionem conficiendi Sacramentum, & ex illa intentione prolaturi verba; ſuppoſita autem ea præuiſione ipſum Chriſtum elegiſſe determinatè & in particulari talia verba pro forma Sacramentorum: & hinc explicant, cur à Chriſto verba non fuerint aſſumpta ſub conditione, quòd coniungerentur cum rebus & intentione: illa enim ſola verba, quæ videbantur coniuncta determinatè, aſſumpta dicunt.

Aliqui Recentiores vt explicét, quomodo res & verba in Sacramentis ſint materia & forma ad ſcientiam mediam.

30 Quis tamen non miretur, ad explicandum quo pacto res & verba in Sacramentis ſint materia & forma, recurrere hos Auctores ad ſcientiæ mediæ difficultates? De his ſanè videtur mihi Ariſtoteles locutus, dum dixit aliquos eſſe qui res faciles non niſi per longè difficiliores intelligunt: iidem enim ſunt qui (vt ſuprà vidimus) ad explicandam definitionem

Quid eſt explicare minores difficultates per maiores.

Sacra

Sacramenti recurrerunt ad transfuſiones voluntatum totius Eccleſiæ in voluntatem baptizantis, aut dantis Extremam Vnctionem, & verò ad eamdem transfuſionem, quam Catholici omnes ponimus in ordine ad peccatum originale, quæ, ſtando rationi, difficillime percipitur; vnde apparet quod dixi, hos Auctores facillimas & clariſſimas Fidei doctrinas non velle intelligere niſi per inexplicabilia eiuſdem Fidei myſteria.

Impugnatur ille modus explicandi Primò. Quidquid verò de hoc ſit, Primò argumentor contra illos à defectu conſequentiæ in ea doctrina: ipſi enim expreſsè docent, rationem materiæ & formæ in rebus & verbis Sacramentorum non deſumi ex Chriſti inſtitutione & ſignificatione ab ipſo eis impoſita, ſed ex ea quam ab hominibus habent; iam autem ſui immemores ad ſcientiam mediam Chriſti Domini & ad inſtitutionem ipſius recurrunt.

Secundò. Contra Secundò, quia ſicut per ſcientiam mediam vidit Chriſtus, quo caſu verba eſſent cum vera intentione coniungenda, quo caſu non; ita etiam idem vidit in rebus ipſis, quæ res determinatæ, & in quibus caſibus eſſent applicandæ ex debita intentione, & cum recta forma. Vnde ergo (quandoquidem Chriſtus in rebus & in verbis idem omnino agnouit) conſtat his Auctoribus res vagè & indeterminatè aſſumptas dependenter ab eo quòd coniungerentur cum verbis, & non etiam verba dependenter à rebus, aut vtrumque non æquè determinatè? Certè pro ſuo libitu ſine vllo fundamento ita hi ponunt & auferunt actus à Chriſti voluntate, ac ſi domini eſſent eiuſdem voluntatis.

31 *Tertiò.* Contra Tertiò & vltimò, quia ex hac doctrina ſequitur, in poteſtate Miniſtri, qui de facto voluit habere rectam intentionem, non fuiſſe facere verum Sacramentum; imò non potuiſſe in Eccleſia nec vel ſemel ampliùs adminiſtrari vnum Sacramentum quàm de facto ſint adminiſtrata: id quod plus quàm temerarium eſt. Sequela verò probatur euidenter, quia Chriſtus Dominus (iuxta hos Auctores) non elegit nec quidem vagè & indeterminatè niſi centum illa intentiones, v. g. quas viderat futuras re ipſa; vnde infertur, alias poſſibiles non fuiſſe vllo modo à Chriſto electas: vlteriùs inde deducitur, non fuiſſe in poteſtate Eccleſiæ ampliùs quàm eis centum vicibus illa Sacramenta adminiſtrare. Patet hæc vltima conſequentia, quia per intentionem & verba à Chriſto Domino non eleuata, ſaltem vagè & indeterminatè, non ſolùm non fiet Sacramentum; ſed nec in poteſtate noſtra eſt Sacramentum conficere, etiamſi ſit in poteſtate noſtra habere eam aliam intentionem, & proferre alia verba.

Hanc vltimam difficultatem agnouerunt Aduerſarij, & vt rei ſatisfacerent, duas in Chriſto poſuerunt volitiones: Primam vniuerſalem, qua indeterminatè eligebat omnia verba & omnes res, caſu quo cum debita intentione proferrentur, imò & omnes intentiones rectas, caſu quo Miniſter eas vellet habere; & ratione huius voluntatis dicunt fuiſſe in poteſtate Miniſtri alia conficere Sacramenta, præter ea quæ de facto confecit. Secundam voluntatem ponunt in Chriſto, qua præuiſis per ſcientiam mediam caſibus, quibus Miniſtri eam rectam intentionem eſſent habituri, illos determinatè & in particulari elegit, iuxta ſuprà dicta. Sed videas hîc iterùm, quàm certò hi pro ſuo ſolo libitu varios in Chriſto fingunt voluntatis actus; cùm præſertim poſito illo primo actu ad intentionem Sacramenti, ſecundus ſit omnino ſuperfluus & inutilis: & nec quidem per hoc ſatisfaciunt difficultati, quia ſi Chriſtus habuit illam voluntatem eligentem omnia verba ſub conditione hac quòd cum debita intentione proferrentur; ergo ex vi huius voluntatis, licet non ex vi ſecundæ, verba ſunt materia reſpectu intentionis, & hæc forma reſpectu verborum: id quod conabantur hi vitare: item ex vi eiuſdem voluntatis tam res ſunt forma quàm verba, & è contrario hæc tam materia quàm ipſæ res: modus ergo hic explicandi omnino improbabilis; ſtandum ergo primo. *Impugnatur Aduerſariorum effugium ad duas Chriſti volitiones difficultatem trahentium.*

DISPVTATIO TERTIA.

Quæ ſunt partes intrinſecæ Sacramentorum?

1 Dixi, res & verba eſſe materiam, & formam; ſed quia materia & forma poteſt eſſe vel intrinſeca, ſeu proxima, vel remota, & extrinſeca, ideò oportet explicare Primò, an res & verba ſint pars intrinſeca & conſtitutiua Sacramenti? Secundò, quæ alia ad eam intrinſecam eſſentiam pertineant?

SECTIO I.

Quid de rebus & verbis?

SVBSECTIO I.

Variæ ſententiæ proponuntur, & quid ſit de voce in hac quæſtione?

De hac difficultate fusè agens Pater Vaſquez ea diſput. 129. tacito nomine reprehendit Patrem Suarium, quaſi minùs fideliter citauerit, aut minùs benè potiùs intellexerit Sotum & Scotum, dum Soto tribuit, quòd tota eſſentia Sacramenti Baptiſmi v. g. conſiſtat in ablutione, ita vt verba non ſint pars illius; Scoto verò è contrario, quòd dixerit totam eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ conſiſtere *Vaſquez tacitè impugnat Suarez quaſi minùs fideliter Scotum & Sotum citarit*

ſiſtere in verbis abſolutionis; conaturque Vaſquez oſtendere, Sotum in 4. diſtinct. 3. quæſt. 1. art. 1. vnde citatur etiam à Suario, nequaquam negare verba Baptiſmi eſſe partem eſſentialem eius Sacramenti, ſed præcisè docere, ea verba non eſſe partem materiæ; apud Sotum verò pro ſola materia vſurpari vocem *Sacramentum*, non quia ablutio ſit tota eſſentia Baptiſmi, ſed quia ita illa vox *Sacramentum* ſupponitur pro ablutione, vt tamen connotet verba tanquam formam in obliquo tantùm; ſicut nomen *album* ſupponitur pro ſolo ſubiecto in recto connotata forma albedinis in obliquo: quòd verò ita ſenſerit Sotus patet, quia etiam ille docet, ſi auferantur verba, ſine dubio non fore Baptiſmum: ſi enim quis doceret verba non requiri ad Sacramentum, eſſet hæreticus; non ergo hoc voluit Sotus, etiamſi dixerit neque formam Baptiſmi & Confirmationis eſſe partem Sacramenti, neque inſtitutionem Chriſti Sacramentalem cadere ſupra eam formam, ſed ſupra eam ablutionem ſolam præcisè; ergo docuit non dici in recto ea verba & intentionem Miniſtri: & hanc dicit Vaſquez eſſe huius Auctoris mentem fideliter explicatam.

2 *Defenditur Suarez contra Vaſquez in prædicta citatione.*

Vt verum fatear, niſi fere verbo ad verbum in Suario legerem ea omnia quæ Vaſquez hîc reiicit, non putarem ab illo Suarium ibi tacito nomine impugnari; ſed quia, vt dixi, verbo ad verbum videtur illum citare, non dubito contra illum egiſſe: id quod tamen vehementer admiror; nam reuerà ſi Suarius attentè legatur, eodem omnino modo intellexit Sotum quo ipſe Vaſquez: neque enim Suarius tribuit Soto, quaſi dixiſſet verba non eſſe eſſentialiter requiſita ad Sacramenti valorem, expreſsè enim ſectione ſecunda ait ex mente Soti, Eſto forma ſeu verba non ſint partes Sacramenti, nihilominùs ſine illis non poſſe Sacramentum fieri: vti intentio Miniſtri eſt omnino neceſſariò & eſſentialiter requiſita ad valorem Sacramenti, & tamen non propterea iudicatur eſſe pars illius: ſolùm ergo tribuit Soto Suarius, quòd vox hæc *Sacramentum* non ſignificet totum id quod ad valorem Sacramenti requiritur: ibi enim habet ex mente eorum Auctorum, quòd non ſemper vox aliqua imponatur ad ſignificandum totum compoſitum, ſed partem illius; hoc autem eſt quod Vaſquez tribuit Soto: & reuerà hoc ipſum ille docuit, vt legenti eum citatum locum conſtabit manifeſtè: tam fideliter ergo & tam ſincerè Suarius Sotum intellexit quàm Vaſquez; & idem dico de Scoto: non enim neceſſum eſt præcedentem diſcurſum repetere. In Scoto autem magis miror, cùm eiſdem ferè verbis eum citauerit priùs ipſe Sotus, quibus deinde Pater Suarius; ac proinde potiùs Sotum debuiſſet Vaſquez redarguere, quòd malè intellexiſſet Scotum, quàm Suarium: ſed neuter eſt dignus reprehenſione, quia eodem modo mentem Scoti acceperunt quo Vaſquez, licet fortè non eiſdem verbis.

Tam fideliter intellexit Scotum & Sotũ Suarez quàm Vaſquez.

Illud verò circa hoc punctum obſeruandum Primò, neque operæ pretium eſſe diu in vnius aut alterius Auctoris mente enucleanda hærere; neque, ſi in quæſtionibus aliis id eſſet vtile, hîc nos debere ea de re valdè defatigari; quia (vt iam oſtendo) tota quanta quæſtio ferè eſt de nomine inter Catholicos, iuxta ea quæ præcedentibus dubiis obſeruaui. Etenim de re ipſa Catholici omnes conueniunt, abſente forma aut intentione non eſſe Sacramentum; ſicuti è contrario ceſſat Sacramentum abſente ablutione, ſeu rebus. Tria ergo illa in omnium ſententia ita neceſſaria ſunt ad Sacramentum, vt deficientibus verbis æquè eſſentialiter non ſit Sacramentum, ac è contrario præſentibus verbis, & deficiente ablutione: & idem dico de intentione. Hæc de re inter Catholicos certa. Iam autem, vtrùm hæc vox *Sacramentum* ſignificet omnia illa tria, an verò ſolam materiam in recto, formam verò in obliquo, & de connotato, ſine dubio eſt quæſtio ad ſolum modum loquendi pertinens. Vides ergo nec quæſtionem in ſe nec mentem Soti & Scoti in eâ eſſe tanti momenti, quanti eam facit Vaſquez; neque multum ibi requiri pro ſincerè eis Auctoribus intelligendis. Sed iam ad rem noſtram.

Abſente forma aut intẽtione non fit Sacramẽtum.

3 *Vox pars poteſt eſſe æquiuoca.*

Vt nouam adhuc vites hîc quæſtionem de nomine, aduerte Secundò, eam vocem *pars* eſſe poſſe æquiuocam: aliquando enim vſurpatur pro eo quod aliquo modo componit totum aliquod: quo ſenſu in homine v. g. non ſola anima & corpus dicitur pars, ſed etiam ipſa vnio; nam hac ſola ablata aliis omnibus manentibus perit homo. Aliquando autem ea vox vſurpatur non pro quocumque partiali conſtitutiuo rei, ſed pro illo quod ſe habet per modum extremi: quo ſenſu vnio non ſolet dici pars; per quod tamen non negatur vllo modo illam eſſe de conſtitutiuo intrinſeco & eſſentiali hominis; neque excluditur à ratione partialis eſſentiæ eiuſdem hominis.

Vbi voces hæ in recto & obliquo locũ habeant.

Tertiò & vltimò obſerua, id quod pauci notarunt, has voces in recto & obliquo non habere locum à parte rei in ipſis eſſentiis, ſed ſolùm in modo noſtro explicandi compoſitum illud, ſeu de eo loquendi; v. g. album à parte rei eſt ſubiectum & albedo inter ſe vnita: hæc enim tria ſunt tota eſſentia albi; ſine quolibet enim illorum omnino repugnat album & concipi, & eſſe hæc tria à parte rei: nec rectum dicunt, nec obliquum, quia rectum & obliquum ſunt caſus declinationis: rectum dicitur nominatiuus, alij verò caſus dicuntur obliquum: caſus non ſunt in ipſo albo, ſed in meo intellectu aut lingua, dum ego, quando explico album, pono in recto ſeu nominatiuo ſolum ſubiectum, in accuſatiuo verò albedinem. Dico enim, *Album eſt ſubiectum habens albedinem*; ex quo capite alibi clarè oſtendi, quomodo verificentur propoſitiones, in quibus concreta de concretis affirmantur, vt album de dulci, &c.

4 *Tria ſunt eſſentialia Sacramento, intentio Miniſtri, verba & res.*

Hinc ad rem noſtram de Sacramentis dicimus re ipſa ab omnibus Catholici doceri, illa tria ſuprà numerata ita eſſe eſſentialia Sacramento, vt vel vnico ex illis deficiente repugnet concipi Sacramentum, prout de facto fuit inſtitutum à Chriſto Domino, intentionem ſcilicet Miniſtri, verba & res, quæ dicuntur materia; id quod definitum eſt à Florentino, & alibi: iam autem diſputare, vtrùm omnia illa tria dicantur in recto, an aliqua in obliquo, non erit niſi præcisè diſputare, quid nos, quando eam vocem *Sacramentum* explicamus, ponamus in nominatiuo; quid verò in genitiuo, aut ablatiuo, &c. per quod non facimus magis eſſentiale illi toti vnam ex illis rebus quam duas alias; ac proinde colligitur non debere nos valdè operosè de ea quæſtione agere; quia ſuppoſita

Parum refert quid illorum trium in recto quid in obliquo ponatur.

poſita omnimoda conuenientia circa eas partes, quòd poſteà vnus dicat, *Baptiſmus eſt ablutio cum verbis*; aut è contrario alter dicat, *Baptiſmus eſt verba cum ablutione*; tertiùs verò dicat, *Eſt intentio cum ablutione & verbis*; res eſt parui momenti: perinde ac dum explicatur, quid ſit me eſſe a ſiniſtris Petri, parui momenti eſt, quòd vnus dicat id eſſe, *me tenere ſiniſtram Petri*; alter verò dicat id eſſe, *Petrum tenere meam dexteram*: & ſicut dicere, Thebis Athenas ſunt decem milliaria v.g. vel è contrario, Athenis Thebas ſunt decem milliaria, eſt idem omnino re ipſa dicere, diuerſis tamen vocibus; ita in præſenti: quomodo autem decidenda ſit hæc ipſa quæſtio de nomine inferiùs dicemus.

SVBSECTIO II.

Deciditur quæſtio.

5 *Concluſio: Res & verba in Sacramentis ſunt materia intrinſeca.*

Res ſunt pars eſſentiæ Sacramenti, verba altera pars eiuſdem eſſentiæ.

HIs poſitis ad primam quæſtionem redeuntes, CONCLVSIO ſit: Res & verba in Sacramentis ſunt materia intrinſeca; ſeu, Res ſunt pars eſſentiæ Sacramenti, & verba ſunt pars eiuſdem eſſentiæ: ita vt nec verba ſint tota eſſentia, nec res ſint tota eſſentia, ſiue iam illa omnia dicantur partes, ſiue vna dicatur pars, alia dicatur vnio, ſiue alio nomine deſignentur: id quod, iuxta ſuprà notata, ad modum ſolum loquendi ſpectat. In hac doctrina conueniunt re ipſa omnes Catholici, & conſtat manifeſtè ex Florentino (vt ſuprà notaui) & ex principiis inter Catholicos omnino certis. Nam ſi abluo, & nihil dico, non conficio Sacramentum; ſicuti neque è contrario, ſi profero verba, & non abluo: & idem eodem modo de Sacramentis aliis dicendum eſt: ergo tota eſſentia Sacramenti non eſt ablutio, aut verba, ſed vtrumque ſimul. Patet conſequentia, quia ſi tota eſſentia Sacramenti eſſet ablutio etiam vt diſtincta à verbis, profectò ſola manente ablutione maneret tota eſſentia, ac proinde maneret totum Sacramentum; quia totum Sacramentum non diſtinguitur à tota eſſentia illius: etenim eſſentia tota compoſiti & totum ipſum compoſitum ſunt omnino idem etiam ratione: vnde omnino in terminis repugnat concipere, dari à parte rei totum adæquatum conſtitutiuum hominis, & tamen non dari hominem.

Dices: Hoc argumentum nimis probat, ſcilicet, etiam intentionem Miniſtri eſſe partem intrinſecam; quia ſine illa non eſt totum Sacramentum; hoc autem videtur eſſe contra communem ſententiam: videntur enim omnes dicere, intentionem eſſe per modum cauſæ efficientis Sacramentorum. Reſpondeo, de intentione me paulò pòſt acturum fuſiùs, & oſtenſurum idem eſſe dicendum ac de rebus & verbis. Hæc cùm re ipſa circa materiam & formam, ſeu res & verba, certa omnino ſint, facillimum erit reiicere quoſdam Recentiores, qui per connotata quædam res faciles, qualis hæc eſt, confundere volunt, ſaltem in modo loquendi, ſi non re ipſa; ſunt autem hi illi iidem qui ſuprà, & ad ſcientiam conditionatam Chriſti Domini de intentionibus Miniſtrorum, & ad transfuſionem rigoroſam voluntatum totius Eccleſiæ in voluntatem Miniſtri baptizantis, confirmantis, &c. confugerunt, vt oſtenderent, quomodo Sacramentum ſit cæremonia ſacra: quorum connotata ad infinitas materias ab ipſis applicata, fortè vt plures reddant difficiliores, ſæpè reieci, maximè verò in Philoſophia agens de relatione prædicamentali, & in variis quæſtionibus Theologicis; nunc breuiſſimè aliquid ad præſentem materiam dicendam.

6 *Sententia Recentiorum, aſſerentium verba & intentionem Miniſtri eſſe connotatum extrinſecum eſſentialiter requiſitum, impugnatur.*

Igitur illi cenſent ablutionem eſſe totam & adæquatam eſſentiam Sacramenti, verba verò & intentionem Miniſtri eſſe ſolum connotatum extrinſecum, eſſentialiter tamen requiſitum; ſicut poſitio termini relationis eſt conditio, vt fundamentum ſit tota relatio, ſeu vt ſit ſimilitudo huius parietis cum illo. Hanc doctrinam ſic nunc breuiter reiicio, quia vel tota eſſentia Sacramenti in ratione eſſentiæ totalis & integræ includit ea verba, quæ hi vocant connotata, vel non includit; ſi includit, ergo illa verba ſunt pars eſſentiæ in ratione talis, ſeu ſunt aliquid eſſentiæ humanæ, ſaltem eo modo quo vnio animæ & corporis eſt aliquid eſſentiæ humanæ intrinſecum (quod contendimus) ſi tota eſſentia non includit ea verba; ergo adhuc ſine illis erit tota eſſentia Sacramenti, etiam in ratione eſſentiæ Sacramenti. Confirmatur: Eſſentia hominis non diſtinguitur ab homine nec ratione ratiocinata, ſicut definitio nihil eſt aliud ex parte obiecti quàm definitum ipſum. Etenim res & eius eſſentia ſolùm ſunt duo nomina ſynonyma, & verò neque clariorem aut obſcuriorem conceptum circa idem ſignificant; ergo ſicut implicat manere totam definitionem, & non manere totum definitum, ita repugnat manere totam Sacramenti eſſentiam, & non manere Sacramentum: illa autem reduplicatio frequens apud hos rei in eſſe rei, vel eſſentiæ in eſſe eſſentiæ, aut hominis in eſſe hominis, eſt inepta: cùm enim idem terminus repetatur in reduplicatione, non poteſt intelligi per reduplicationem addi aliquid, quod non includatur in priori termino: vnde ſtultum videtur, Manet homo, & non in ratione hominis; quia idem eſt ac dicere, Manet homo, & non manet homo, ſeu, Non manet id quod dicit homo: quæ ſunt manifeſta contradictoria. Fateor aliquando fieri reduplicationem ſupra eundem terminum; v.g. Album vt album diſgregat viſum, &c. hæc tamen reduplicatio non eſt, quia poſſit eſſe album & non vt album; aut quia aliquid ſignificetur diuerſum per vnum terminum, quod non etiam ſignificetur per alium: ſed fit illa reduplicatio ad denotandum illum effectum, de quo tunc eſt ſermo, non prouenire ab eo omni quod dicit album, ſed ſolùm à forma illius, ſcilicet ab albedine; ideoque per illas reduplicationes non ſignificantur res diuerſæ, ſed diuerſo modo, vel in recto, vel in obliquo. At reduplicare eundem terminum in ordine ad ſeparabilitatem, ita vt maneat album, & non vt album, homo, & non vt homo, eſt idem ac vt maneant omnia quæ componunt hominem, & quòd non maneant ea omnia quæ eum componunt: quæ ſunt apertè contradictoria. Ex his infero, Non ſolùm de facto non fuiſſe, ſed nec diuinitus potuiſſe fieri vt tota eſſentia Sacramenti conſiſteret in ſolis rebus v.g. & nihilominùs illis poſitis ſi non ponerentur verba, non eſſet Sacramentum; aut è contrario, vt tota eſſentia conſiſteret in ſolis verbis, & tamen non poſitis rebus, non eſſe Sacramentum; quia neceſſe eſt vt poſita tota eſſentia eo ipſo ponatur totum, cùm hoc nihil aliud dicat quàm totam ſuam eſſentiam.

Definitio & definitū ſunt ſynonyma.

7 *Malè vſurpata reduplicatio.*

Dices

Abſente parte eſſentiali non poteſt dici poſita tota eſſentia.

Humanitas benè dicitur tota natura hominis, non tota eſſentia.

8 Dices fortè: Tota eſſentia hominis eſt humanitas, & tamen poſita ſola humanitate non ponitur homo; ergo argumentum à me allatum nullum eſt. Reſpondeo, Vocem *homo* eſſe nomen non ſolùm naturæ, ſed etiam ſuppoſiti; ideóque eo ſenſu non debere dici totam eſſentiam hominis eſſe ſolam humanitatem; nam perſonalitas haud dubiè eſt pars, ſeu (ne turberis voce illa *pars*) eſt aliquid intrinſecè conſtitutiuum perſonæ ſeu hominis; ideoque illius defectus efficit, ne ſit tota eſſentia hominis in ratione hominis; aliud eſt, quòd humanitas dicatur tota natura hominis; aliud, quòd dicatur tota eſſentia: primum eſt verum, at ſecundum eſt falſum; quia homo eſt nomen duarum rerum, ſcilicet naturæ & perſonæ, ideoque includit tanquam ſibi eſſentiales tam naturam quàm perſonalitatem. Neque inueniri poterit inſtantia vlla, in qua ſit tota eſſentia alicuius totius in ratione talis; & tamen non ſit eo ipſo illud totum, cùm totum & tota eſſentia totius idem ſit, vt ſæpè eſt inculcatum. Et hæc eſt ſubſtantia totius huius quæſtionis; ac iuxta hanc doctrinam reiiciendi ſunt & Sotus & Scotus ſuprà, qui in modo loquendi errant, dum ex vna parte negant verba aut res ſignificari per vocem *Sacramentum*; & ex alia aſſerunt ablatis rebus non eſſe Sacramentum: eo enim ipſo euidenter infertur ſignificari verba per vocem *Sacramentum*; quia voces in tantum permanent, in quantum etiam manent ea quæ re ipſa ſignificant. Vnde etiam eodem modo reiicienda eſt inſtantia Soti ex artificialibus deſumpta, vbi iudicat vocem *ſtatua* ſolùm ſignificare materiam, non formam: aliud enim eſt, figuram non ſignificari in rectò; quod concedimus; aliud, non ſignificari abſolutè per vocem *ſtatua*. Etenim ſicut album ſine dubio ſignificat albedinem, cùm ab ea denominetur vox illa, licet præciſè eam ſignificet in obliquo: dicimus enim, *Album eſt habens albedinem*; ita dicimus, *Statua eſt lignum ſeu æs in formam hominis diſpoſita*. Vbi apparet euidenter, ipſam figuram ſignificari ſaltem inadæquatè per vocem illam *ſtatua*. Idem de altero exemplo, quod adducit Sotus, dicendum eſt, hoc eſt de domo: vox enim hæc *domus* non ſignificat ligna & lapides, niſi vt habentes formam domus. Vnde in materia noſtra de Sacramentis ſummùm poſſet concedi Soto, res ſolas ſignificari in rectò: at quòd abſolutè non ſignificentur etiam verba ſaltem in obliquo, nullo modo eſt ei permittendum. Verùm quæ in rectò, quæ in obliquo per vocem *Sacramentum* denotentur, dicam inferiùs.

Reiiciuntur Sotus & Scotus negantes verba aut res ſignificari per vocem Sacramentum; & tamen ablatis rebus non eſſe Sacramentum.

SVBSECTIO III.

Obiectiones aliquæ ſoluuntur.

Sacramentum eſt totum morale, quod non requirit partium coëxiſtentiam niſi moralem.

9 PRIMA ſit; Quia ſi res & verba ſunt materia & forma intrinſeca Sacramenti, ergo debent vniri inter ſe, vel ſaltem phyſicè coëxiſtere ad hoc vt componant; atqui ea vnione non indigent, ergo. Reſpondeo, Sacramentum non eſſe totum per ſe phyſicè, ſed per accidens, imò nec propriè totum phyſicum, ſed morale: vnde non requirit vnionem aut coëxiſtentiam phyſicam partium, ſed moralem in ordine ad prudentem exiſtimationem: & verò in ſolis ipſis verbis hoc idem oportet dicere; nam primum verbum formæ non coëxiſtit phyſicè vltimo; quod proprium eſt omni enti ſucceſſiuo: vnde ſi argumentum quidquam valeret, concluderet, Non niſi vnicum indiuiſibile aut motus in ablutione aut verborum eſſe Sacramentum; quod tamen nullus vnquam potuit docere.

Non ſola res ſunt Sacramentum.

Secundò obiicies: Non repugnat à Chriſto Domino ita inſtituta verba & res in Sacramentum, vt tamen voluerit totam Sacramentalem ſignificationem ſolùm cadere ſupra verba, aut ſolùm ſuprà res. Cùm enim ea inſtitutio ſit ad placitum, cur quæſo repugnabit hoc aut illo modo à Chriſto eam ſignificationem applicari? atqui eo ipſo, quòd Sacramentalis ſignificatio ſolùm caderet ſupra res v.g. illæ ſolæ eſſent Sacramentum; cur ergo non poterimus dicere, ita de facto fuiſſe inſtitutum? Reſpondeo, Chriſtum potuiſſe pro libitu vel ſolas res vel ſola verba accipere; at eo ipſo quòd voluerit per ſola verba aut per ſolas res non confici Sacramentum, ſed vtrumque debere neceſſariò interuenire, dico, illum non potuiſſe ſimul dicere, *Volo vt ſignificatio tota ſit in ſolis verbis, aut è contrario in ſolis rebus*; quia ſi hoc modo voluiſſet, eo ipſo ſolis poſitis rebus vel ſolis verbis conficeretur Sacramentum? cuius contrarium ſupponimus in priori illa intentione eiuſdem Chriſti; perinde ac ſi quis diceret, *Nolo vt ramus, ſi ſit ſolus, ſignificet vendi vinum, ſed debeat ſimul cum eo eſſe ſtupa*; & tamen ſimul diceret, *Volo vt ſolus ramus ſignificet eam venditionem*: hæ enim volitiones duæ eſſentialiter ſunt ſibi contrariæ; nam ramum ſolum ſignificare, idem eſt ac ramum ſolum viſum excitare poſſe ſpecies venditionis, id quod penitus repugnat, ſi inſtitutio dicit, *Nolo vt ramus, ſi ſolus ſit, id ſignificet*: eo enim ipſo omnis qui in cognitionem venditionis debet venire, debet vtramque videre; ergo ratio ſignificationis ab vtraque accipitur. Quæ doctrina eſt certiſſima & clariſſima explicatis terminis; vnde mirandum ſit potuiſſe aliquos Auctores alio modo loqui.

Scientia media reiicitur à verbis formæ.

Replicabis tamen ex illis Recentioribus, quos ex manuſcriptis bis vel ter citaui, & citatos etiam inuenio apud Cardinalem Lugo ea diſput. 2. ſect. 8. Chriſtus Dominus pro conſtitutiuo Sacramenti non aſſumpſit omnem ablutionem indifferenter v.g. & omnia verba dicentia, *Ego te baptizo*; (& idem ſuo modo in reliquis Sacramentis dicendum;) ſed cùm priùs per ſcientiam mediam vidiſſet hanc numero ablutionem fore coniunctam verbis, dixit, *Volo hanc & illam numero eſſe totam eſſentiam Sacramenti*. Vnde quando quis obiicit, Ablutio ſine verbis non facit Sacramentum, ergo ſola non eſt tota eſſentia Sacramenti, oportet diſtinguere antecedens: Illæ eædemque numero ablutiones, quas Chriſtus in particulari elegit, non faciunt ſolæ Sacramentum, negatur antecedens; aliæ autem diſtinctæ non faciunt, concedo antecedens: vnde negatur conſequentia, ſcilicet, Ergo verba ſunt pars eſſentiæ Sacramenti. Quòd ſi iterùm eis obiicias, Saltem in illa eadem ablutione poſſe argumentum vrgeri; nam etiam illa ablutio ſi poneretur ſine verbis, non haberet rationem Sacramenti; ergo verba ſunt pars eſſentiæ; Reſpondent, Tunc non ex defectu verborum formaliter & propriè defuturam ablutioni rationem Sacramenti, ſed quia deeſſet intentio Chriſti: intentio autem ipſa 10

Recentiores excludunt à ratione intrinſeca Sacramentorum

Chriſti

Digitized by Google

verba & intentionem Miniſtri; Chriſti pendet quidem à verbis, præciſè tamen vt à conditione extrinſeca: ſicut voluntas mea dandi pallium Petro poteſt pendere à petitione ipſius vt à conditione; quam ſi ego non præuidiſſem, non voluiſſem donare. Ex hac ſolutione poteſt etiam deduci ad excludendam intentionem ipſius Miniſtri à ratione intrinſeca Sacramenti, & ad ponendam illam tantùm per modum conditionis extrinſecæ.

Sed malè. Hæc doctrina mihi videtur omnino improbabilis; Primò, quia per eam redditur incerta tota conſtitutio intrinſeca Sacramentorum. Et ſicuti hi Recentiores eo diſcurſu vtuntur ad excludenda verba & intentionem Miniſtri à ratione intrinſeca Sacramenti, ſolamque materiam admittendam; ita alius poterit vti è contrario ad excludendum à partibus intrinſecis verba & materiam, & ſolam admittendam intentionem Miniſtri: tertius forte excluderet inde materiam & intentionem, & ſola admitteret verba; quia æquè poteſt ea doctrina applicari ad quamlibet ex illis tribus rebus. Quis autem non videat abſurdam eſſe eam ſolutionem, quæ dat occaſionem planè à diuerſis contradictoria docendi ſine vllo fundamento, cur hoc potiùs quàm illud determinatè dicatur?

11 *Reijcitur ſolutio Aduerſariorum;* Secundò ea ſolutio reijcitur argumento ſuprà facto; quòd ſcilicet ex ea ſequatur, illa tantùm potuiſſe in Eccleſia Sacramenta adminiſtrari, quæ de facto re ipſa fuêre adminiſtrata, neminemque habuiſſe potentiam, vt quando protulit verba ſupra materiam non ſufficientem, eadem verba proferret ſupra materiam validam; quia cùm Chriſtus iuxta eam doctrinam non elegerit niſi certas & indiuiduas materias, certa ac indiuidua verba, illa ſcilicet quæ re ipſa præuidebantur coniungenda tum inter ſe, tum cum intentione ſufficienti; ac nemo non ſolùm non faciat de facto Sacramentum, niſi in materia à Chriſto deſignata, ſed nec poſſit facere; profectò neceſſum eſt, vt nemo ex his qui defectum aliquem eſſentialem voluntariè committit in adminiſtratione alicuius Sacramenti, habuerit potentiam ad vitandum illum defectum, & perficiendum verum Sacramentum; imò etiam ſequitur, nullum, qui de facto re ipſa non confecit Sacramentum, potuiſſe, etiamſi voluiſſet, illud conficere, eſto materiam habuiſſet ſufficientem, potuiſſetque eam cum verbis requiſitis applicare: etenim Chriſtus non aſſumpſit, iuxta hos Auctores, pro Sacramento talem materiam & formam: hoc autem haud dubiè abſurdiſſimè dicitur.

Item & reſponſio eorundem. Reſpondere fortaſſis poſſint, Chriſtum præter electionem illam determinatam harum materiarum in indiuiduo habuiſſe aliam vniuerſalem, qua, quantum eſt ex ſe, elegit non ſolùm has numero res, quæ his numero verbis vidit iunctas, ſed omnes omnino, caſu quo eſſent inter ſe coniunctæ, & cum debita intentione: ita enim (vt ſuprà vidimus) reſponderunt hi, vt ſatisfacerent argumento huic, ibi etiam contra illos à me facto, dum egi, quo pacto res ſint materia, & verba forma. Sed contrà, quia iam per hanc ſolutionem deſtruunt quam
12 hîc dedêre. Nam ſi omnes omnino res fuêre hoc modo à Chriſto inſtitutæ; ergo quando ego baptizo v. g. & nihil dico, id ò formaliſſimè non facio Sacramentum; non quia deſint illæ numero res quæ electæ fuerant à Chriſto, ſed quia verba defuêre; ergo formaliter, & non quaſi efficienter ex defectu præciſè verborum deeſt denominatio Sacramenti: ergo verba erant pars, ſeu erant aliquid intrinſecum Sacramenti (vt argumentabamur ſuprà) & non erant aliquid purè extrinſecum, requiſitum tamen per modum conditionis aut cauſæ ad conſeruationem partium ipſius Sacramenti. Conſtet ergo vel negandam eſſe poteſtatem in Eccleſia ad vlla alia Sacramenta exercenda, exceptis iis quæ re ipſa exercentur; id quod falſum eſt; vel certè fatendum verba eſſe partes intrinſecas Sacramentorum. *Concluditur contra illos, verba eſſe partē intrinſecam Sacramentorum.* Quid item ſuprà dicebatur, ex defectu verborum ideò non confici Sacramentum, quia tunc deficit voluntas Chriſti; Chriſtus enim quaſi ſic dixit: *Nolo applicare meam intentionem niſi rebus coniunctis cum verbis, & verbis coniunctis cum materia.* Vnde ſequitur, verba ſolùm eſſe conditionem vt applicetur hîc & nunc intentio Chriſti ipſis rebus; non quia ipſa ſint Sacramento intrinſeca: hoc inquam facillimè reijcitur. Chriſtus enim non elegit res & verba poſtquam vidit eâ coniuncta, ſed dixit; *Quæcumque ablutio cum illis verbis, Ego te baptizo, &c. & legitima intentione fuerit adhibita, conſtituet Sacramentum.* Poſt hanc autem electionem nulla eſt in Chriſto neceſſaria noua alia intentio. Quo poſito ſic argumentor clarè; Suppoſita ea intentione Chriſti, quæ in ſe eadem manet, ſiue verba coniungantur rebus, ſiue non, ex ſola puta pura ablutione illorum verborum ablutio non facit Sacramentum; (aut è contrario ex ſola rerum ablatione verba non faciunt Sacramentum;) ergo verba non per modum alicuius extrinſeci requiſiti ad conſeruationem intentionis Chriſti, ſed formaliter quia per ſe ſunt pars Sacramenti, ſeu quia formaliter per ſe conſtituunt Sacramentum inadæquatè: debent re ipſa interuenire. *Verba in Sacramentis non ſunt tantùm conditio aut quid extrinſecum.* Replicam, quæ videtur hinc fieri ad probandum etiam omnes ordinationes Epiſcoporum præcedentium eſſe partem intrinſecam Euchariſtiæ, abſolutionis, &c. vide explicatam infrà dum de intentione Miniſtri.

13 *Oſtenditur etiam in Aduerſariorum ſententia verba eſſe quid intrinſecum Sacramentis.* Tandem ſolutionem reijcio, & argumentor in illis eiſdem rebus ſeu in illa numero ablutione, quam dicunt hi à Chriſto fuiſſe in indiuiduo electam; & oſtendo, etiam ibi debere verba ſe habere per modum alicuius intrinſeci Sacramento, & non per modum conditionis. Nam (vt ſuppono ex communi, & fuſiùs infra dicemus) fieri poteſt, & verò paſſim ita contingit, vt ablutio priùs tempore finiatur quàm proferantur verba; & tamen Sacramentum non eſt donec verba abſoluantur, vt omnes ferè ſentiunt. Vnde infero euidenter, Ergo illa verba requiſita fuêre non per modum conditionis ad exiſtentiam phyſicam intentionis Chriſti; quia hæc intentio reſpectu huius numero materiæ, ſeu ablutionis, iam ſupponitur fuiſſe à tempore quo Chriſtus Sacramenta inſtituit: ideò enim hi recurrunt ad ſcientiam mediam quam habuit Chriſtus tempore inſtitutionis Sacramenti, vt explicent per illam, quomodo tunc electæ fuerint hæ numero ablutiones, & non illæ; ergo intentio reſpectu huius iam exiſtit; & tamen quia adhuc verba non exiſtunt, non dum eſt Sacramentum, ſed tunc primò perficitur, quando accedunt verba; ergo adhuc non erat adæquata eſſentia Sacramenti poſita; ergo verba ſunt pars eſſentiæ Sacramenti Baptiſmi, & non conditio extrinſeca.

Digitized by Google

Reſponſio ad argumentum impugnatur.

Ferè huic replicæ reſponderes, Ideò eo caſu non fieri Sacramentum ante aduentum verborum; quia licet intentio Chriſti iam præceſſerit, non tamen applicatur moraliter ablutioni, quouſque verba proferantur. Sed contra, quia rogo, quid ſit illa applicatio; ſuppono autem non dari entia media moralia; profectò nihil aliud poteſt tunc aſſignari diſtinctum ab ipſa phyſica prolatione verborum; ergo hæc ratione ſui fuit pars phyſica conſtitutiua Sacramenti Baptiſmi. Si hi auctores requirerent de facto in Chriſto Domino nouam intentionem poſtquam vidit iam à me v.g. applicatam materiam, & prolata verba, poſſent vtcumque difficultati huic reſpondere, ac dicere, Ideò ablutionem eo tempore quo præcedit verba non eſſe Sacramentum; quia nondum Chriſtus habet ſuam intentionem, vſquedum videat re ipſa prolata verba; at cùm huiuſmodi intentionem negant (& quidem meritò) neceſſariam eſſe ad valorem Sacramenti, ſed omnino putent ſufficere illam præcedente, non video quomodo à Sacramenti intrinſeco conſtitutiuo poſſint nunc verba excludere.

14 Denique vltimò argumentor contra eandem doctrinam, quia ex ea quodam modo ſequitur mutua prioritas inter Sacramenta & inſtitutionem Chriſti. In primis enim mea prolatio verborum & applicatio ad ablutionem quando baptizo infantem pendet ab inſtitutione Chriſti: propterea enim ego hic & nunc abluo, & dico ea verba, *Ego te baptizo*, quia Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum; ergo hic & nunc hæc ablutio & verborum prolatio ſunt poſteriùs natura ad Chriſti inſtitutionem. Aliunde autem iuxta eam ſolutionem oportet vt Chriſti inſtitutio ſit poſterior, quia non potuit eligere hanc numero ablutionem & hæc numero verba, niſi poſtquam vidit ea inuicem inter ſe coniuncta & exercita ex intentione faciendi id quod facit Eccleſia. Iam enim hi ſupponunt à Chriſto non fuiſſe electa quæcumque verba & quaſcumque res, ſed hæc quæ præuidebantur futura ſimul; ergo debuerunt præcedere natura ea verba & res tanquam motiuum ad hoc vt ea elegerit Chriſtus: eſt igitur ibi mutua prioritas.

Vltimum argumentum contra eandem doctrinam à mutua prioritate.

Replica Aduerſariorum pro ſcientia media refutatur.

Dices ſufficere ſcientiam mediam qua nouit Chriſtus, Si ego inſtituero Sacramentum, Antonius & Ioannes eligent hæc numero verba, & hanc numero materiam; illa igitur in particulari ego eligo, vbi ſola ſcientia media præcedit meam volitionem; hæc autem vt abſolutè exiſtens non præcedit intentionem Chriſti. Ad contra Primò, quia hîc habet iterùm locum quòd ſuprà dixi, ſcilicet, pro re facili intelligenda recurri ad quæſtiones difficiliores. Profectò eſto caruiſſet anima Chriſti ſcientia media, potuiſſet inſtituere hæc numero Sacramenta quæ de facto inſtituit: quæ enim inter hæc Sacramenta cum ſcientia media fingi cum fundamento connexio poteſt? Contra Secundò, quia in hac ſolutione videtur mutari ſtatus, ita vt in abſoluto iam ſit diuerſa volitio quàm præuiſa fuerat ſub conditione, id quod oſtendo facilè: Nam ſcientia media dicebat hoc modo, *Si ego inſtituero Sacramenta per volitionem generalem includentem quaſcumque ablutiones, eo ipſo quod ſint coniuncta cum illis rebus, Ego te baptizo; Petrus volet baptizare*

15 *Ioannem.* Ecce in hoc obiecto non ponitur voluntas Chriſti determinata ad has numero res potiùs quàm illas, ac proinde iam illa ſola inſtitutio ſufficit ad rationem Sacramenti; nunc autem ponitur poſt eam præuiſionem ſcientiæ mediæ alia inſtitutio non generalis, ſed determinata. Neque dici poteſt, ad eam ſcientiam mediam præmitti aliam ſcientiam mediam, qua Chriſtus ſic noſceret, *Si ego eligerem ſuppoſita ſcientia media de voluntate Petri & Ioannis, illi hanc & illam materiam & verba eligerent;* hoc inquam dici non poteſt, quia ante nullam ſcientiam mediam ſupponitur alia ſcientia media; ſed, vt ſic dicam, omnis ſcientia media eſt in eodem ſigno naturæ. Quidquid verò ſit de hac ſimultate, ſaltem in noſtro caſu non poteſt locum habere ea reflexio ſupra ſcientiam mediam; quia quòd Petrus & Ioannes velint cum hac ablutione iungere verba, *Te baptizo*, non pendet ab eo quòd Chriſtus inſtituat Sacramenta directus ſcientia media, ſed præcisè ab eo quòd illi ſciant eſſe inſtitutum tale Sacramentum Baptiſmi; ergo illa conditio ibi eſſet diſparata. Adde, cùm ipſius Chriſti electio determinata horum verborum potiùs quàm illorum pendeat à ſcientia media, non poſſe poni tanquam conditionem pro ſcientia media eam electionem determinatam talium verborum; quia tunc non diceret aliud ea ſcientia quàm, *Si ego ſciens talem combinationem verborum & materia illa eligerem, illa eligerem:* hoc autem eſt dictum identicum, nec ſpectans vllo modo ad ſcientiam mediam. Conſtet ergo illam ſcientiam ſolùm dicere, Si indifferenter ego omnes ablutiones coniunctas verbis eligerem, Ioannes & Petrus has numero haberent. Vnde argumentor. Ergo in ſtatu abſoluto vt maneat iſta veritas, debet eadem conditio manere, ſcilicet electio illa indifferens; nam ſi ponatur alia determinata, iam non manet illa conditio, ſub qua præuiſa erat ea electio à Ioanne facienda.

Ante ſcientiam mediam non ſupponitur alia ſcientia media.

Reſponſio Aduerſariorum eliditur.

Reſpondebis, ſcientiam mediam ſic dixiſſe, *Sub quacumque omnino volitione ego inſtituam Sacramenta, tunc eligent illi has materias; volo ergo abſolutè inſtituere determinatè ſolas has aptas quas illi eligent.* In hoc enim caſu cùm conditio præuiſa fuerit hæc, *Quacumque inſtitutio Sacramenti*; profectò etiamſi vna determinata ponatur deinde, non tamen, ideò mutabitur conditio ſtatus conditionati, ſed ponetur vna ex illis ſub quibus præuiſus erat. Sed contrà, quia neceſſariò ea ſcientia pro conditione, ſub qua præuidit meam volitionem conferendi Sacramentum, debuit ponere inſtitutionem ſuam independentem ab alia ſcientia media, vt probatum eſt; ergo non potuit ita vagè dicere, *Si ſub quacumque inſtitutione ego determinauero ablutionem & verba*, &c. ergo ſi debet conditionatus ſtatus ſeruari integer vt præuiſus fuerat, certè quando in abſolutum tranſit, non debet poni inſtitutio Chriſti dependens ab ipſa ſcientia media, vt argumentabamur paulò antè. 16

Obiectio à præfinitionibus abſolutis.

Obicies fortaſſe, admiſſas à me Tomo I. Theologico præfinitiones abſolutas dependentes à ſcientia media, quæ tamen ponunt in ſtatu abſoluto vnam conditionem nempe volitionem efficacem, quæ non erat præuiſa in ſtatu conditionato; ergo etiam hîc poni poterit aliqua conditio in ſtatu abſoluto, quæ non erat anteà præuiſa per ſcientiam mediam. Reſpondeo, In præfinitionibus ſemper manere in ſtatu abſoluto eandem numero volitionem dandi

Reſponſio.

hom

Digitized by Google

homini illud auxilium, quæ poſita fuerat per modum conditionis pro ſcientia media; ea enim erat voluntas generalis dandi auxilium non quà efficax, ſed qua dat potentiam ſimpliciter; illam autem ſecundam voluntatem efficacem, ſeu electionem illam quæ additur, neceſſariam non eſſe ad effectum (vt eo loco primi Tomi oſtendi fusè;) at in præſenti iam clarè probaui, non poſſe manere illam inſtitutionem, quæ vt conditio præuiſa erat per ſcientiam mediam, niſi vellent hi duas de facto ponere in ſtatu abſoluto inſtitutiones, vnam independentem; dependentem alteram. At licet per hoc fortè euaderent hanc vltimam difficultatem, relaberentur tunc in priores. Nam vi eius inſtitutionis abſtrahentis ſequeretur, verba non minùs quàm res eſſe partes intrinſecas Sacramenti. Et ſatis contra eam ſingularem opinionem.

SECTIO II.

Vtrùm voluntas Chriſti inſtituentis & Miniſtri conficientis Sacramenta ſit intrinſeca ipſis Sacramentis?

17 EX ratione, qua efficaciter probatum eſt res & verba eſſe partes intrinſecas, ſeu aliquid intrinſecum Sacramentorum, oritur dubium tam circa inſtitutionem Chriſti Domini, quàm circa intentionem Miniſtri adminiſtrantis eadem Sacramenta: videntur enim omnia hæc etiam eſſe debere intrinſeca, cùm tamen reputentur communiter ab omnibus vt aliquid purè extrinſecum magis ad cauſam efficientem quam ad conſtitutiuum intrinſecum pertinentia. Et propter hanc rationem multi aliter de intentione Chriſti & Miniſtrorum loquuntur quam de materia & forma; imò pauciſſimi ſunt qui eodem modo de omnibus loquantur, non tamen proptereà de aſſignanda diſparitate vel de argumenti poſiti ſolutione cogitant.

Voluntas Chriſti inſtituentis eſt intrinſeca Sacramentis. Sit igitur noſtra PRIMA CONCLVSIO: Voluntas Chriſti Domini inſtituentis Sacramenta eſt etiam intrinſeca & eſſentialis noſtris Sacramentis. Probatur facilè, quia per voluntatem Chriſti moraliter, ſeu in ordine ad prudentum æſtimationem permanentem, res & verba conſtituuntur in ratione pignoris gratiæ; ergo illa voluntas eſt pars Sacramenti tanquam forma vltimò dans eſſe Sacramenti. Reſpondebis, Dare efficienter & vt cauſam eſſe Sacramenti, ſiue ſignificationem, non verò vt formam. Sed contra, quia illa voluntas nihil aliud præter ſeipſam producit, ratione cuius poſſit tanquam cauſa extrinſeca conſtituere res & verba in ratione pignoris & ſignificatiuorum gratiæ; ergo per ſeipſam tanquam per formam illa conſtituit. Suppono, quod ſæpè dixi, non dari entia moralia media: ſi enim ea darentur, facile poſſet dici, ab illa voluntate reſultare aliud ens morale, quod formaliter res & verba in eſſe pignoris conſtituit.

18 *Obiectio ſumpta ab obiecto voluntatis Chriſti.* Sed obiicies: Voluntas Chriſti habet pro obiecto ipſam rationem pignoris & ſignificationis, quæ eſt in Sacramentis; vult enim Sacramenta eſſe pignora ſignificatiua gratiæ: atqui illa voluntas non habet ſeipſam pro obiecto; ergo ipſa non includitur vt pars in ratione pignoris. Hoc argumentum commune eſt omnibus aliis ſignificationibus vocum aliarum rerum ex placito hominum, in quibus ferè nullus negat voluntatem inſtituentis eſſe formam eas reddentem formaliter ſignificatiuas. Reſpondeo *Reſponſio.* ergo vniuerſaliter, inſtitutionem Chriſti Domini circa Sacramenta non habere pro obiecto directo ſignificationem vel rationem pignoris in actu primo (ſub qua ratione nunc dicimus includi vt partem formalem ipſam volitionem) ſed ſignificationem & rationem pignoris in actu ſecundo. Quaſi hoc diceret illa voluntas: *Volo per ablutionem & verba homines deuenire in cognitionem gratiæ, & ipſis me obligare ad eamdem concedendam.* Dum autem voluntas illa ad hæc obiecta terminatur, conſtituit in actu exercito, ſeu formaliter, res & verba in ratione pignoris & ſignificatiuorum in actu primo.

Replica ab efficacia voluntatis Chriſti. Vrgebis tamen adhuc: Voluntas Chriſti inſtituens Sacramenta eſt efficax; ergo ſortitur ſuum effectum, ſed non obtinet, vt omnes homines in actu ſecundo veniant in cognitionem gratiæ per ablutionem; ergo obiectum illius voluntatis non eſt, quòd homines in actu ſecundo de facto veniant in eam cognitionem, ſed quod res illæ ſint ex ſe ſignificatiuæ: hoc autem omnino obtinet Chriſtus, quia etiamſi multi per ea ſigna non veniant in cognitionem gratiæ, nihilominus illa ſemper ſunt ex ſe in actu primo ſignificatiua illius. Reſpondeo, Chriſtum non *Reſponſio.* voluiſſe vt omnes omnino homines de facto venirent in cognitionem gratiæ per eas res & verba, ſed eos qui ipſius Chriſti inſtitutionem & ſcirent & crederent. Hoc autem ſemper obtinet Chriſtus infallibiliter, quia eſt impoſſibile aliquem credere inſtitutionem Chriſti de Sacramentis, & non venire per illa in cognitionem gratiæ: & idem eſt in ſignificatione humana vocum.

SECVNDA CONCLVSIO: Etiam intentio 19 Miniſtri eſt intrinſeca Sacramentis. *Intentio Miniſtri eſt intrinſeca Sacramentis.* Hæc à multis negatur, non tamen video qua conſequentia: illam tamen defendit Cardinalis Lugo diſput. 2. ſect. 7. & bene probat argumento, quod ſæpè in hac materia repetiuimus, & ſtatim vrgebo: ibi autem ponit ſolutionem quorumdam Recentiorum, quam & nos paulò ſuperius reiecimus in ſimili agentes, vtrum verba & materia eſſent intrinſecæ partes Sacramenti: habet enim locum eodem modo hic, quod ſcilicet Deus, caſu quo deficeret intentio in Miniſtro, non determinaſſet ſuam volitionem ad eamdem numero formam, ſeu ad eamdem prolationem verborum, ſed ad diuerſam; ideoque eo caſu deficeret Sacramentum ex defectu intentionis, non tanquam ex defectu partis alicuius intrinſecæ; ſed quia non eſſet illa numero prolatio quam Chriſtus elegit ad rationem Sacramenti. Hanc inquam ſolutionem optimè ibi refutat Cardinalis; & quia nos eam iam ſupra refutauimus, illa nunc omiſſa ſic vrgemus argumentum commune ac efficax pro noſtra concluſione.

Poſita inſtitutione Chriſti, poſitis verbis & *Probatur concluſio ſupra poſita.* materia, ſola deficiente Miniſtri intentione non datur tota Sacramenti eſſentia (vt ſuppono ex Fide certum:) ergo intentio pars erat Sacramenti, vel aliquid intrinſecum illam eſſentiam conſtituens. Patet conſequentia, quia (vt in ſimili ſæpè argumentatus ſum) non poteſt formaliter ex ſolo defectu alicuius rei perire aliquod totum niſi talis res ſit aliquid componens illud totum. Vide ſupra dicta.

Dixi *formaliter*, quia ex defectu cauſæ extrinſecæ poteſt perire aliquod totum; tunc tamen ideò id contingit, quia ex defectu cauſæ ceſſat etiam aliqua alia res phyſica diſtincta, quæ à cauſa conſeruabatur, & quæ conſtituebat illud totum; ſicut pereunte obiecto pereunt ſpecies, & pereunte Sole perit lux. Ex quo non infertur, obiectum eſſe partem ſpecierum, aut Solem eſſe partem lucis; nam tantum cauſaliter ſeu efficienter pereunt ſpes & lux ex defectu obiecti & Solis: ſi autem nulla alia entitate à Sole diſtincta pereunte periret lucis denominatio, euidens eſſet, Solem ipſum ſignificari nomine lucis, ſaltem vt partem illius. Cùm ergo ſola pereunte entitate intentionis Miniſtri, & nulla alia re ab ipſa intentione producta pereunte, pereat ratio Sacramenti, infertur euidenter, intentionem non vt cauſam conſeruantem aliquid à ſe diſtinctum, & quod pertineat ad Sacramentum ſeu vt partem illius eſſe neceſſariam. Nec poteſt dici, ex defectu intentionis perire ſignificationem, & ex defectu huius perire etiam Sacramentum: nam idem argumentum vrgebo circa ſignificationem: hæc enim perit formaliter ex defectu ſolius intentionis, nulla alia entitate ab intentione diſtincta pereunte; ergo intentio pars erat eius ſignificationis, & non cauſa extrinſeca illius. Semper hîc loquor ſupponendo non eſſe entia moralia media, vt ſupra inſinuaui.

Quia pereūte Miniſtri intentione perit ratio Sacramenti.

20 *Argumenta Cardinalis Lugo pro noſtra ſententia.*

Hanc ſententiam probat etiam Cardinalis Lugo Primò à ſimili ex Sacramento Matrimonij in quo certiſſimum videtur, intentionem contrahentium eſſe partem intrinſecam eius Sacramenti; cum enim illud conſtat eſſentialiter in ratione contractus legitimi, legitimo autem contractui eſſentialiſſimus & ſummè intrinſecus ſit conſenſus ipſe contrahentium, negari nullo modo poterit, quin ei Sacramento ſit eſſentialis vt pars intrinſeca illa intentio contrahentium. Atqui non minùs eſſentialis eſt conſenſus Epiſcopi v.g. mihi conferentis Ordinem & poteſtatem conſecrandi & abſoluendi ad valorem Sacramenti Ordinis mihi conceſſi, quàm ſit neceſſariùs in coniuge conſenſus dans alteri coniugi poteſtatem ſupra corpus ſuum: ergo. Confirmat Secundò ex Sacramento Pœnitentiæ, in quo fatentur omnes non ſolam confeſſionem externam, ſed ipſum dolorem interiorem eſſe partem eſſentialem illius; atqui eadem eſt ratio de voluntate interiori Epiſcopi conferentis Sacramentum: ergo, deinde ratione à priori, quia Miniſter in Sacramentis nouæ Legis operatur vt Miniſter Chriſti, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*: vbi vtrumque coniunxit, & munus Miniſtri, & munus diſpenſatoris: ad vtrumque autem munus requiritur eſſentialiter intentio faciendi quod Chriſtus fecit; nam ſi ſine vlla intentione verba proferret, haud dubiè non faceret Sacramentum: vti ſi quis daret mihi poteſtatem vt ſuo nomine pallium venderem, non poſſet eſſe valida ea venditio, niſi ego ſerium animum vendendi haberem. Id ipſum aliter declarat. Nam actio Sacramentalis non habet vim quatenus eſt actio Miniſtri, ſed quatenus eſt moraliter actio Chriſti: (ex quo etiam capite declaratur, quomodo illa ſit infiniti valoris:) atqui non poteſt eſſe Chriſti actio, niſi adſit intentio Miniſtri faciendi id quod fecit Chriſtus; ergo ea intentio eſt eſſentialis Sacramento vt pars illius intrinſeca. Addit autem ibidem, hæc argumenta non conuincere quidquam de Sacramento Euchariſtiæ, quia poteſt in eo dici intentionem Miniſtri ſolum ſe habere vt cauſam efficientem ponentem Chriſtum ſub ſpeciebus, eſſentiam verò Sacramenti conſiſtere in illo complexo ex Chriſto & ſpeciebus. De verbis tamen dicit adhuc illa eſſe intrinſeca, quia per verba fit illud Sacramentum ſenſibile formaliter: niſi enim adiungantur verba, ſpecies nullo modo oſtendunt ibi eſſe Chriſtum. Cum ergo Sacramentum ſit formaliter ſignum ſenſibile, debet ſine dubio habere intrinſecè formam qua conſtituatur in ratione ſenſibilis; ergo à verbis ad intentionem, & ab aliis Sacramentis ad Euchariſtiam non eſt bona conſequentia ratione argumentorum ſupra factorum.

21 *Oſtenditur ea argumenta non valere pro noſtra ſententia.*

Ego circa has probationes illud puto diſtinguendum, aliud eſſe quærere, an omnino eſſentialiter ita ſit neceſſaria intentio Miniſtri, vt fieri nequeat Sacramentum ſine illa; aliud verò quærere, vtrum ea intentio ſit pars intrinſeca eiuſdem Sacramenti: diſtinguuntur enim valdè hæc duo, vti manifeſtè patet in ipſo Sacramento Euchariſtiæ: ſi enim quis ſine intentione proferret verba, haud dubiè non conſecraret, & conſequenter Sacramentum validum non eſſet; & tamen fatetur hic Auctor vi eorum argumentorum non probari ſufficienter, in eo Sacramento intentionem eſſe illius partem. Hoc ergo ſuppoſito, iudico omnes eas confirmationes & inſtantias non valere pro intento noſtro, quia ex illis non conuincitur quidquam aliud, quàm non fieri validum Sacramentum ſine ea intentione; diximus autem ſuprà id omnino eſſe de Fide, nec debere nos in eo puncto probando defatigari, quia definitum eſt expreſſè in Florentino & Tridentino; nec pro ea veritate neceſſum eſt ad inſtantias è matrimonio & pœnitentia petitas confugere, neque ad locum illum Pauli, *Sic nos exiſtimet homo*, &c. quia ea omnia loca longè minùs clarè probant intentum quàm definitio Conciliorum: neque enim expreſſè ibi agit Paulus de adminiſtratione Sacramentorum, ſed maximè de adminiſtratione doctrinæ; neque dicit quidquam de neceſſitate eſſentiali eius intentionis faciendi quod facit Eccleſia; ergo non debemus eis locis ſpecialiter probare noſtram doctrinam, ſed potiùs vno verbo, ſuppoſita veritate Fidei, quòd ſcilicet ſola deficiente intentione Miniſtri, etiamſi adſit debita materia, & debita verborum prolatio, adhuc non ſit Sacramentum, oportebit oſtendere, illum defectum intentionis ſeipſo formaliter & ſine vllius alterius rei diſtinctæ defectu deſtruere Sacramentum; ac proinde ex illo altero principio lumine naturæ noto, quòd ea res, ex cuius defectu formaliter & non efficienter deſinit eſſe aliquod totum, neceſſariò ſit pars intrinſeca illius totius. Ex hic inquam principiis debet probari, eam intentionem eſſe partem intrinſecam: hoc autem nequaquam probant argumenta huius Auctoris, maximè cùm ea ſint vniuerſalia etiam ad Euchariſtiam, quia in eis nulla ſit exceptio huius Sacramenti: in ea autem nihil probant, ergo neque in aliis, niſi, vt dixi, recurratur ad rem certam aliunde ex Fide. Et hæc obiter circa illa argumenta.

Tantùm probant intentionem Miniſtri requiri ad valorem Sacramentorum.

Nos autem contendimus eſſe partem intrinſecam.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

Reſpondetur obiectioni graui.

22

Obiectio; Quòd ex noſtra ſententia videatur vnum Sacramentum eſſe pars alterius.

CONTRA argumentum à nobis factum obiicies; Ergo vnum Sacramentum eſt pars alterius: Ordo v.g. in Confeſſario erit pars pœnitentiæ, quia ſolo deficiente Ordine omnibus aliis manentibus non erit Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut argumentabamur in intentione Miniſtri; imò rurſus Ordo Epiſcopi erit pars Ordinis in Confeſſario, & Ordinis Epiſcopi pars erit Ordo alterius Epiſcopi qui ipſum conſecrauit, & ſic vſque ad Chriſtum omnes omnino Ordines Epiſcoporum qui præceſſerant, erunt par. Sacramenti Pœnitentiæ: id quod videtur valdè durum. Reſpondeo negando conſequentiam, & quod attinet ad Ordines Epiſcoporum facilis eſt ſolutio, quia ſi Confeſſarius eſſet Sacerdos verus, & haberet iuriſdictionem, quantumuis omnes Epiſcopi qui eum ordinarunt, nullum habuiſſent Ordinem, Sacramentum tamen Pœnitentiæ à Confeſſario adminiſtratum idem numero eſſet quod modò eſt; vnde euidenter infertur, Ordines in Epiſcopis præcedentibus non vt partes pœnitentiæ, ſed vt cauſas phyſicè vel moraliter conferentes Confeſſario Sacramentum Ordinis requiri ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ ab ipſo Confeſſario adminiſtrati.

Sacramentum Ordinis in Confeſſario non eſt pars pœnitentiæ.

Deinde addo, nec quidem ipſum Sacramentum Ordinis Confeſſarij eſſe partem pœnitentiæ. Pro quo aduerto, aliud eſſe poteſtatem abſoluendi, aliud Sacramentum Ordinis: poteſtas ſemper manet, Sacramentum tranſit: Sacramentum eſt pignus gratiæ, poteſtas verò non ita: Chriſtus habuit poteſtatem abſoluendi, non tamen habuit Sacramentum Ordinis. Vnde potuiſſet Deus mihi ſine vllo Ordine eam poteſtatem communicare per ſolam ſuam voluntatem; ſicut cuilibet dedit independenter ab vllo priùs ſuſcepto Sacramento poteſtatem validè baptizandi. Hoc ergo poſito, dico partem Sacramenti Pœnitentiæ eſſe non ipſum Ordinem Sacerdotalem, ſed poteſtatem illam acceptam per Ordinem tanquam per cauſam efficientem moralem; quia manente hac poteſtate, etiamſi non præceſſiſſet Ordo, poteſt fieri idem numero Sacramentum Pœnitentiæ quod modò fit.

23

Potuit Chriſtus ſine vllo Sacramento Ordinis dare poteſtatem abſoluendi, ſicut dedit baptizandi.

Quòd ſi vrgeas; Illa ipſa poteſtas nihil eſt aliud quàm ipſe Ordo præcedens, quia nihil aliud phyſicum datur ex quo proueniat; Reſpondeo negando ſubſumptum: ſicut enim omnes homines ſine Sacramento vllo habent poteſtatem baptizandi validè (vt paulò antè inſinuaui) ita potuit Chriſtus ſine vllo Sacramento dare omnibus eandem poteſtatem abſoluendi, quam modò habent Sacerdotes: ergo ea poteſtas & Ordo diſtincta ſunt, licet vnum de facto pendeat ab alio. Eſt ergo illa poteſtas denominatio realis phyſica proueniens à voluntate Chriſti eam concedentis his qui Sacramentum Ordinis ſuſcipiunt; reſpectu cuius voluntatis Ordo fuit conditio extrinſeca, non verò ipſamet poteſtas conceſſa: ſicut titulus Comitis conceſſus dependenter à victoria in bello non pendet à victoria vt à comparte, ſed vt à conditione ſe habente per modum cauſæ mouentis animum Regis, vt ſua volitione manifeſtata omnibus eum conſtituat formaliter in genere mortis Comitem: & hoc idem eſt in omnibus honoribus & facultatibus ab homine conceſſis dependenter ab aliqua conditione præuiſa.

Replica difficilis; Quod ſimiliter Chriſtus potuerit ſine intentione inſtituere Sacramentum.

Replicabis tamen difficulter: Sicut nos diſtinximus Sacramentum Ordinis à poteſtate conferendi validè abſolutionem, eò quòd potuerit ſine Ordine concedi illa poteſtas, ita planè dicendum videri de Sacramento Pœnitentiæ v.g. reſpectu intentionis, quia etiam potuit Chriſtus, ſi voluiſſet, efficere vt totum Sacramentum Pœnitentiæ maneret deficiente etiam omni intentione Miniſtri: inſtituere enim potuit ita, vt eo ipſo quòd ego confiterer mea peccata ſeriò, & Sacerdos proferret verba, daretur vera abſolutio, eſto Sacerdos nullam omnino haberet intentionem abſoluendi, quæ enim in hoc fuit repugnantia? eo autem caſu concederetur idem numero Sacramentum quod modò: ergo Miniſtri intentio non intrat vt pars intrinſeca pœnitentiæ, ſed purè vt cauſa extrinſeca. Vrgeo, Baptiſmus v.g. in ratione Sacramenti (vt diximus ſæpe) conſtituitur per hoc, quòd ſit ſignum gratiæ abluentis hominem, &c. at in hoc conceptu non includitur vllo modo intentio Miniſtri, quia nec ea intentio eſt ſignum externum, neque ea abluit; id enim ſolùm habent verba & ablutio; neque illa intentio confert gratiam: hæc enim ſolùm cauſatur à materia & forma; ergo ea ſolum eſt cauſa extrinſeca.

24

Solutio argumenti pro ſententia noſtra hactenus deducti.

Ad argumentum autem quod nos ita hucuſque vrſimus, quòd ſcilicet ſola ablata intentione Miniſtri cæteris omnibus manentibus, non maneat Sacramentum; ergo ea intentio eſt eſſentialiter intrinſeca Sacramento; reſponderi eodem modo poterit quo nos ad obiectionem reſpondimus: nam etiam ibi ex ſola ablatione Ordinis in Epiſcopo, cæteris manentibus, ceſſat in me Sacramentum Ordinis: vti ergo ibi diximus, deficiente in Epiſcopo Sacramento Ordinis Epiſcopalis deficere etiam in me Sacramentum Ordinis Sacerdotalis, quia deficit ibi poteſtas, quæ eſt quid diſtinctum; eam autem poteſtatem diximus deficere, quia Chriſtus non habuit voluntatem dandi eam poteſtatem niſi ſuppoſito vt conditione Sacramento Ordinis; ita planè dicam, deficiente intentione Miniſtri deficere in ablutione & prolatione verborum rationem ſigni & pignoris gratiæ, quia Chriſtus non voluit dare eam rationem pignoris & ſigni verbis illis & ablutioni niſi dependenter ab eo quòd Miniſter habuiſſet intentionem defectus; ergo intentionis eſt cauſa vt deficiat voluntas Chriſti; ac proinde non formaliter, ſed efficienter defectus eius intentionis deſtruet Sacramentum.

Agnoſcitur difficultas obiectionis.

Hæc obiectio eſt valdè difficilis, & videtur efficaciter oſtendere, potuiſſe rem ita contigiſſe; quo tamen caſu dicendum eſſet, vi ſolius voluntatis, quam Chriſtus olim habuit, non confectum iri Sacramentum; niſi præuiſa iam intentione Miniſtri nouam haberet Chriſtus voluntatem qua diceret, *Volo vt ablutio hæc & prolatio verborum ſint Sacramentum*; quaſi prior illa inſtitutio nihil aliud dixiſſet quàm hoc, *Ego quando videro aliquem cum intentione vera baptizantem, tunc primò habebo voluntatem qua dicam, Volo vt hic Baptiſmus ſit ſignum gratiæ.* Vnde fit, vt ſi hæc ſecunda volun

voluntas non eſſet etiam admiſſa priori, non daretur Sacramentum: ſi autem per poſſibile vel impoſſibile hæc ſecunda voluntas daretur etiam non exiſtente intentione in Miniſtro, conficeretur tamen verum Sacramentum, & ſolùm ſequeretur, quòd illa prior Chriſti volitio qua dixerat, *Habebo volitionem Sacramenti intentione poſita, ea verò abſente non habebo*, eſſet deinde ineſſicax, & non impleuiſſet quod promiſerat. Quod ad Sacramentum autem attinet, conſtat illud vltimò completum in eo caſu per illam ſecundam volitionem, ad quam intentio Miniſtri ſolùm eſſet conditio; ac proinde etiam ea intentio eſſet tunc extra totam eſſentiam intrinſecam Sacramenti.

25 *Sed nimiùm videtur probare.* Verùm circa hanc doctrinam illud eſt notandum; eo planè modo poſſe nos dicere, ſola verba potuiſſe à Chriſto inſtitui pro Sacramento, aut è contrario ſolam materiam; ita vt materia ſolùm foret conditio ad hoc, vt Chriſtus haberet illam ſecundam volitionem, qua ipſa immediatè dicta compleret verba in ratione Sacramenti, aut è contrario ſola materia eſſet Sacramentum, verba verò eſſent conditio pro ea intentione; imò niſi exigeretur ad rationem Sacramenti, quòd ſit ſignum ſenſibile, poſſemus ex hoc diſcurſu dicere, ſolam intentionem ipſius Chriſti præuiſa materia & forma eſſe Sacramentum. Conſtat ergo argumentum hoc plus nimio probare, ac proinde bonum non eſſe.

Reſponſio ad propoſitam difficultatem. Ei igitur abſolutè reſpondeo, nullam nouam intentionem eſſe neceſſariam ex parte Chriſti ad conſtituenda in ratione Sacramenti materiam & formam ac intentionem Miniſtri; vti quando Reſpublica vocem aliquam v. g. conſtituit in ratione ſigni talis rei, non eſt neceſſum vt ea intentio poſteà repetatur, quandocumque alij vtuntur ea voce ad id ſignificandum; ſed ſufficit prior illa intentio moraliter permanens. Cùm ergo ſuppoſita ea prima intentione Chriſti nihil aliud deſit formaliter quàm ipſa materia, & verba & intentio Miniſtri, benè colligimus de facto hæc omnia eſſe conſtitutiua intrinſeca Sacramenti, non verò conditionem extrinſecam ad illud. Quòd verò dicebatur, intentionem Miniſtri non eſſe ſignum gratiæ abluentis hominem, eodem modo negatur quo aſſeritur; nam ſimul cum ablutione externa & verbis conſtituit ſignum illud: non enim eſt neceſſum vt omne ſignum ſit immediatè ratione ſui ſenſibile, ſufficit ſi per aliud reddatur ſenſibile.

26 *Poteſtas abſoluendi & conſecrãdi in Sacerdotibus non eſt Sacramentum, ſed effectum illius.* Iam verò pro diſparitate inter poteſtatem abſoluendi à peccatis, quæ datur Sacerdotibus (idem dico de poteſtate conficiendi corpus Chriſti in Euchariſtia) aduertendum, eam poteſtatem non eſſe Sacramentum, ſed effectum illius (vt & ſuprà diximus.) Licet ergo non requiratur ex parte Chriſti ad conſtitutionem Sacramenti noua voluntas diuerſa ab illa quam habuit in prima inſtitutione; dico tamen ad hoc, vt nos habeamus effectum ipſum Sacramenti, omnino debere ſequi nouam voluntatem, qua Deus, ſeu Chriſtus, viſo Sacramento ſicut dicit, Volo remittere originale ob Baptiſmum, quem iam video adhibitum, &, Volo gratiam dare ob illum; ita etiam dicat, Viſo Ordinis Sacramento ſuſcepto à Petro, volo eidem Petro dare poteſtatem conſecrandi validè, & validè abſoluendi: vti enim Sacramentum in ſuo conceptu formaliter non conſtituitur per gratiam quam cauſat, ſed per rationem ſigni eius gratiæ; ita Sacramentum Ordinis non conſtituitur per poteſtatem conſecrandi quam cauſat, ſed ſummùm per ſignum illius: debet ergo illa poteſtas eſſe effectus Sacramenti; ſi eſt effectus, debet cauſari media noua voluntate, quam Deus habet viſo iam adminiſtrato Sacramento; quia voluntas, quam Chriſtus habuit dum Sacramenta inſtituit, nihil aliud effecit quàm Sacramenta conſtituere, & per ea ſe obligare ad cauſandos deinde effectus eorum Sacramentorum, per nouam tamen voluntatem tunc primò ſecutam, quando vidit Sacramentum re ipſa perfectè ſuſceptum. *Ille effectum arguit in Chriſto nouam voluntatem.* Vti qui rem aliquam conſtituit in pignus v. g. de dandis mille, eſto de facto & conſtanter rem illam conſtituat in eſſe pignoris; non tamen propterea ſine noua vlla voluntate dabit illos mille, ſed vi illius pignoris ſe obligat ad habendam eam voluntatem dandi illos mille promiſſos, quando ſibi fuerit exhibitum pignus illud; ita Chriſtus inſtituens Sacramentum Ordinis ſe obligauit ad dandam, non autem re ipſa dedit vllam poteſtatem abſoluendi, ſed poſteà quando vidit me ſuſcipientem Sacramentum Ordinis, vti habuit particularem & diſtinctam volitionem dandi mihi gratiam; ita etiam habuit voluntatem dandi mihi poteſtatem conficiendi corpus, &c. Vnde quando Epiſcopus confert Sacramentum Ordinis, debemus priùs natura totum Sacramentum Ordinis intelligere in ratione Sacramenti ſeu pignoris gratiæ, antequam intelligamus in eo homine ordinato poteſtatem abſoluendi & conficiendi corpus Chriſti; ſicuti priùs natura intelligimus idem Sacramentum perfectum antequam detur eidem ordinato gratia habitualis reſpondens ei Sacramento; quia cauſa priùs natura eſt quàm effectus.

SECTIO IV.

Replicæ contra dicta ſatisfit.

REPLICABIT fortè aliquis: Potuit illa voluntas, qua Chriſtus inſtituit Sacramenta, eſſe ſufficiens, etiamſi nulla alia noua ſuccederet. Nam ſi dixiſſet Chriſtus, Volo vt quicumque ordinatus fuerit legitimè ab Epiſcopo, eo ipſo habeat poteſtatem validè conſecrandi & abſoluendi, haud dubiè etiamſi deinde non haberet idem Chriſtus vllam nouam voluntatem, eo ipſo accepto Sacramento Ordinis haberem ego eam poteſtatem; ergo gratis recurrimus ad nouam voluntatem: quòd ſi noua non requiritur, profectò eo ipſo vrgebit tota difficultas ſuprà poſita, quòd ſcilicet ipſum Ordinis Sacramentum debeat eſſe pars eius poteſtatis abſoluendi; quandoquidem eo ſolo Sacramento ablato cæteris omnibus manentibus non daretur in me ea poteſtas. 27 *Replica, Potuiſſe Chriſtũ vnica voluntate & Sacramentũ inſtituiſſe & poteſtatem contuliſſe.*

Reſpondeo Primò, Etſi potuerit res ita contingere (vt obiectio dicit) nihilominùs longè probabilius videri, contigiſſe contrario modo, hoc eſt; vt Chriſtus dixerit ſuſcipienti Ordinis Sacramentum, Dabo tunc primò eam poteſtatem: vti enim non dixit, Quicumque fuerit baptizatus, eo ipſo ſine noua Dei voluntate cenſeatur liber ab originali, ſed, Neceſſaria eſt noua voluntas ſingularis ſeu indiuidualis circa quemlibet; per quam poſteriùs natura ad ſuſceptionem Baptiſmi Deus vult *Admittitur ea poſſibilitas, negatur tamen ita de facto ſe rem habere.*

vult

vult illi remittere peccatum originale, & dare gratiam; ita de iuriſdictione dico. Ratio, qua moueor ad credendum hoc ſecundo modo rem contigiſſe, eſt, quòd videatur magis perfectus hic modus, & magis diſtinctus, vt per volitionem determinatam & propriam ſuſcepto Sacramento det Deus eam poteſtatem, quàm ſi confuse & antecedenter eam dediſſet. Vrgeo, dum Epiſcopus ordinans profert verba dicens, *Do tibi poteſtatem*, &c. non poteſt negari quin Deus ipſo momento illam etiam donationem faciat per voluntatem determinatam, qua vult huic Petro aut Antonio, quos in particulari videt ordinatos, conferre vim conſecrandi & abſoluendi; per illam ergo voluntatem confertur immediatè poteſtas: vnde Sacramentum ipſum Ordinis non eſt niſi conditio ad eam poteſtatem; à fortiori autem poteſtas, quæ eſt in Epiſcopo, ſolùm erit conditio, quia adhuc eſt magis extrinſeca meæ poteſtati quàm Sacramentum Ordinis quod ego ſuſcipio. Confirmo, quia certiſſimum eſt Deum poſteriùs natura ad ſuſceptionem Ordinis habère voluntatem dandi characterem Sacerdotalem, & hunc non conferri vi ſolius voluntatis qua olim Chriſtus inſtituit Sacramentum Ordinis. Etenim character cùm ſit res phyſica, requirit ad hoc, vt nunc producatur, voluntatem phyſicam actu exiſtentem, & non ſufficit ea quæ fuit olim in Chriſto; ergo idem dicendum erit de poteſtate ipſa validè conſecrandi & abſoluendi, quia, iuxta multorum ſententiam, poteſtas ea conſequitur characterem: vel certè cùm vtrumque ſit effectus Sacramenti, non verò Sacramentum, non eſt cur vna debeat concedi poſteriùs natura, alia verò non; ſeu, cur vna debeat oriri à noua voluntate Dei, altera verò non.

Sacramẽtum Ordinis & poteſtas in Epiſcopo non ſunt niſi conditio ad poteſtatem abſoluendi & conſecrandi in Sacerdote.

28 *Obiectio à charactere deſumpta.*

Dices: Character eſt effectus phyſicus, qui non poteſt oriri vi illius voluntatis generalis, niſi accedat determinata volitio, qua Deus ſuam omnipotentiam ad hunc hominem in particulari determinet (vt paulò antè inſinuaui) ſicut diximus Tomo de Incarnatione; quantumuis quis hodie dicat, *Cras reuelabo tibi ſecretum quoddam, ſi ad me veneris*, non ideò ſufficere illam voluntatem, niſi poſita conditione ſuccedat noua voluntas abſoluta, qua actu velim reuelare. At in poteſtate abſoluendi & conſecrandi cùm ſit res moralis, non eſt ea neceſſitas: poteſt enim vi præcedentis voluntatis poſita deinde conditione conferri ea poteſtas ſine noua voluntate; ergo argumentum ab vno ad aliud non valet. Reſpondeo, Verùm quidem eſſe; eam conſequentiam non omnino neceſſariò inferri, alioquin noſtra ſolutio eſſet certiſſima; nihilominùs tamen valdè probabilis eſt, & quidem ſi dicamus poteſtatem Sacerdotalem annexam eſſe characteri, conſequentia erit euidens; nam ſi ipſe character ſupponit talem voluntatem nouam; ergo & poteſtas ſupponens characterem etiam debebit ſupponere illam eandem voluntatem: etſi autem dicamus poteſtatem non eſſe annexam eſſentialiter characteri; nihilominùs tamen, cùm non minùs illa diſtinguatur à Sacramento vt illius effectus quàm ipſe character, quare debebimus dicere, vnam oriri ſine noua voluntate, alteram verò vi prioris voluntatis?

Reſponſio.

Secundò fortaſſe dici poſſet; Cùm huiuſmodi poteſtas, etiamſi moralis in ſe ſit, habeat tamen ordinem ad effectus phyſicos producendos à Sacerdote; quales ſunt poſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus, remiſſio peccatorum, &c. debere eam per voluntatem explicitam & determinatam Dei concedi, non verò per illam confuſam & dependentem à conditionibus omnino liberis. Quidquid verò dè hac neceſſitate ſit, ſatis conſtat, cur dicamus eam immediatè concedi per voluntatem nouam ortam ex præuiſa ſuſceptione Sacramenti; ac proinde non cogi nos ad dicendum, poteſtatem Epiſcopi eſſe partem eius Sacramenti Pœnitentiæ, quod ego poſteà adminiſtro abſoluendo, aut partem Sacramenti Euchariſtiæ, quod dum celebro conficio.

Non cogit argumentũ dicere poteſtatẽ Epiſcopi eſſe partem Sacramenti Pœnitẽtiæ in Sacerdote.

Tertiò adhuc quis diceret; Eſto illa prior voluntas ſine alia noua eſſet ſufficiens ad dandam mihi poteſtatem poſito Sacramento Ordinis, nihilominùs inde nihil penitus inferri contra nos; quia in illa ipſa voluntate oportet duo diſtinguere: vnum, quòd ſit inſtitutiua Sacramenti illius Ordinis ſignificantis gratiam, &c. alterum, quòd velit eo poſito concedi poteſtatem ad validè conſecrandum, &c. à qua ſecunda voluntate ſolùm pendet directè noſtra poteſtas; pro ea verò volitione Sacramentum ſe habet per modum conditionis. Vnde ſi per impoſſibile maneret hæc voluntas, eſto non eſſet Sacramentum vllum Ordinis, adhuc ego haberem poteſtatem quam nunc habeo. At argumentum ergo in forma reſponderi poſſet, Ablato ſolo Ordine in Epiſcopo non auferri formaliter poteſtatem meam validè conſecrandi: etenim ſi per impoſſibile maneret illa voluntas Dei de danda mihi ea poteſtate, eſto non eſſet Ordo, maneret in me poteſtas. Quòd verò ea volitio dicat, Non volo vt eam habeas, niſi accepto Ordine, ſemper inuoluit Sacramentum Ordinis præciſè vt conditionem; perinde ac ſi Rex diceret, Volo vt quicumque primùm occupauerit hanc ciuitatem ſit Nobilis, ſi anteà non fuerat; procul dubio occupatio ciuitatis non erit conſtitutiuum formaliter nobilitatis; ſed præciſè conditio, qua poſita cenſetur illa præcedens voluntas Regis cauſare formaliter nobilitatem; perinde planè ac ſi anteà nihil Rex dixiſſet, ſed ingreſſu priùs præuiſo primò tunc diceret, *Volo vt ſis Nobilis*; quo caſu clariſſimum eſt, eum ingreſſum fuiſſe conditionem omnino extrinſecam & mouentem Regem ad volitionem, qua ille redditus eſt Nobilis. 29

Reſpondetur argumento à ſimili.

Replicabis tamen; Cur non idem dicimus de materia & forma Sacramentorum, ſcilicet eas eſſe conditiones ad Sacramentum? Reſpondeo, Diſparitatem eſſe manifeſtam. Nam ablutionem & verba (idem dico de materia & forma Sacramenti Ordinis) voluit Chriſtus eſſe Sacramentum, non effectum Sacramenti, aut cauſam Sacramenti; quia conſtituit Sacramentum in rebus illis ſenſibilibus humano modo factis, vbi iam includitur intentio debita Miniſtri; vnde non potuère ea ſigna eſſe conditio ad Sacramentum, ſed neceſſariò debuère eſſe pars illius, at poteſtas abſoluendi & character Sacerdotalis ſunt purus effectus Sacramenti: quia enim validum eſt Sacramentum Ordinis, ideò illa dantur, ſiue iam id fiat iuxta priorem ſolutionem per volitionem Dei nouam pro eo inſtanti quo videt me validè accepiſſe Sacramentum Ordinis; ſiue anteceden- 30

Replica. Cur non dicamus ſimiliter materiã & formam Sacramentorum eſſe, conditiones tantùm.

ter per volitionem qua dicit, Volo vt poſito Sacramento tanquam conditione ſequatur character & poteſtas, &c. hæc enim volitio antecedens habet ſe moraliter perinde ac ſi eſſet poſterior; & præuiſo ipſo Sacramento tunc primò diceret Volo vt habeas illam poteſtatem.

Replica conuincens, ſolutionem noſtram ſecundam non eſſe ſufficientem.

Dices adhuc: Illa voluntas etiamſi actu in Chriſto ſit, non cauſat tamen poteſtatem niſi poſito eo Sacramento: ergo debemus fateri, ipſum Sacramentum eſſe partem eius poteſtatis moralis; ſicut dicimus ipſam voluntatem Chriſti cauſare formaliter eam poteſtatem: cùm enim non admittamus entia moralia media, dicere cogimur, eſſentiam illius poteſtatis nihil aliud eſſe quàm denominationem ſumptam ex voluntate præterita Chriſti, & ex poſitione Ordinis; quia his duobus intellectis intelligitur poteſtas; deficiente autem quolibet ex his, illa etiam deficit, nec poteſt hic habere locum ea conditio, niſi omnino velimus relabi in connotata. Si poneretur alia ſecunda volitio, vt ſuprà diximus, prò acquirenda poteſtate, intelligi tunc optimè poſſet, quomodo Ordo ſit conditio; at ſola ſuppoſita antiqua inſtitutione non videtur poſſe reſponderi ſufficienter.

31 Ad hanc replicam reducitur tota vis argumenti. & planè videtur conuincere, ſecundam illam ſolutionem non eſſe ſufficientem; ideoque ſoli primæ inſiſtendum cenſeo. Et ſatis de eo argumento quod nos valde procul traxit.

Perſona Miniſtri eſt pars Sacramenti.

Secunda principalis obiectio contra dicta erit, ſaltem ex his ſequi, perſonam ipſam Miniſtri eſſe partem Sacramenti. Patet conſequentia, quia ſi diuinitus eadem numero verba producerentur in aëre, & eadem intentio Miniſtri conſeruaretur ſine ipſo, non fieret Sacramentum; ergo Miniſter non ſolùm vt cauſa proferens verba, & vt habens intentionem, ſed etiam vt pars Sacramenti requiritur. Reſpondeo concedendo conſequentiam. Sicut enim perſona Chriſti intrat vt pars noſtrorum Sacramentorum illa dignificans ad meritum (iuxta dicenda infrà;) ita & perſona Miniſtri vt repræſentantis Chriſtum intrat in conſtitutionem Sacramenti: id quod in omnibus legationibus & contractibus factis per Miniſtros ſiue delegatos neceſſariò dicendum eſt; nam Legatus vt eſt moraliter idem cum delegante, dat tanquam forma moralis valorem legationi & contractui.

Quòd ſi obiicias, Ergo Sacramentum Ordinis exhibitum à Chriſto non erit idem cum exhibito à Sacerdote, quia in illo ſolùm includebatur Chriſtus, in hoc autem etiam ipſe Miniſter. Reſpondeo, Phyſicè fuiſſe diuerſum, moraliter autem idem. Sicut Sacramentum Altaris confectum in vino albo differt ſpecie phyſica à confecto in rubro, ſi, vt multi ſentiunt, hæc vina differant ſpecie: imò, quidquid ſit de differentia eſſentiali formarum vini, inſtantia habet locum; quia ſaltem accidentia ipſa, quæ ſunt pars eius Sacramenti, maiori ex parte differunt ſpecie; & tamen ea duo Sacramenta idem ſunt moraliter. Hoc ipſum poteſt oſtendi in matrimonio, in quo ipſa verba, aut ſigna, quibus exteriùs manifeſtatur contractus, ſunt ſine dubio intrinſeca pars eius Sacramenti; & tamen certum eſt verba ſpecie phyſica differre à nutibus quibus muti contrahunt. Denique ſi verba Latina differant ſpecie à Græcis, eo ipſo ſpecie phyſica differret Baptiſmus Græcè collatus ab eodem collato Latinè, moraliter tamen idem erunt.

Secundò obiicies: Miniſter conficit vt cauſa Sacramentum iuxta Florentinum; ergo non eſt pars illius; quia nulla res poteſt ſeipſam cauſare. Reſpondeo ex dictis ſæpè in phyſicis, 32

Miniſter eſt cauſa & pars Sacramentorum.

Optimè poſſe rem aliquam dici cauſam compoſiti, ſeu totius alicuius, in quo ipſa includitur; non quia ſeipſam cauſet, ſed quia cauſat alteram compartem eius compoſiti: vt anima eſt quæ nutrit efficienter hominem, & tamen eſt compars ipſius hominis etiam nutriti. Et materia prima eſt cauſa materialis formæ equi v. g. & tamen ſimul cum illa eadem forma componit formaliter equum; ergo benè poterit Miniſter, quatenus producit verba, & exercet efficienter actionem Sacramenti, dici cauſa illis; quatenus verò ſeipſo ſimul cum verbis à ſe productis moraliter conſtituit Sacramentum, dici compars: id quod obſerua pro tradendis infrà.

Tertiò tandem poſſet obiici ex Sacramento Pœnitentiæ, quod non poteſt eſſentialiter conſiſtere niſi præceſſerit peccatum; & tamen illud peccatum non eſt pars Sacramenti; ergo etiamſi intentio & perſona Miniſtri ita eſſentialiter requirantur, vt ſine illis non poſſit eſſe Sacramentum, non ideò erunt pars intrinſeca illius. Huic obiectioni reſpondebo Tomo ſequenti; vbi probabo, ex defectu peccati præteriti deficere etiam aliquid aliud quod ſit pars intrinſeca Sacramenti; vel certè ſi inueniri aliud non poſſit, dicendum omnino eam præteritionem eſſe partem eius Sacramenti, vt expreſsè docet Cardinalis Lugo ibi citandus.

SECTIO V.

Quæ importentur in recto in Sacramentis?

EXPLICVIMVS partes quibus Sacramenta componuntur, iam erit declarandum, quæ ex illis in recto, quæ in obliquo. Pro quo 33

SVBSECTIO I.

Quid ſit ſignificari in recto, quid in obliquo?

Rectus caſus non facit rem magis eſſentialem quàm obliquus.

SVPPONO, importari in recto, ſeu in nominatiuo, & ſignificari in obliquo, ſeu in alio caſu, non denotare quòd à parte rei vnum ſit alio minùs eſſentiale ipſi compoſito (vt ſæpè in diuerſis materiis notaui;) quia cùm vtrumque ſit pars, vtrumque eodem modo à parte rei requiritur; quia eodem modo implicat totum conſiſtere ſine vna parte, ac implicat conſiſtere ſine altera: ſolùm ergo per rectum & obliquum denotatur diuerſus modus noſter concipiendi & explicandi illud ipſum compoſitum: ſicut in concreto album ponimus, ſubiectum in recto, ſiue in nominatiuo, albedinem verò in alio caſu; dicimus enim, Album eſt ſubiectum albedinis; in homine verò ponimus materiam & formam in recto, vnionem verò in obliquo; cùm tamen vnio tam eſſentialis ſit homini quàm materia & forma, & albedo albo vt tali ſit eſſentialis ſicut ipſum ſubiectum. In contrarium ſtant nonnulli Recentiores,

Declaratur exemplo.

Digitized by Google

Contraria Recentiorum opinio benè impugnatur à Cardinali Lugo.

tiores, quos benè impugnat Cardinalis Lugo diſputat. 2. ſect. 3. qui opinantur non poſſe aliquid, quod ſit vllius concreti pars eſſentialis, ſignificari in obliquo, ſed debere neceſſariò in recto; quia cùm concretum (inquiunt illi) & eius eſſentia ſeu omnes partes concreti idem ſint formaliſſimè, fieri non poteſt vt concretum ponatur in recto, & non ponantur etiam omnes eius partes. Si autem reſpondens, Non poni in recto ipſum concretum adæquatè, ſed partialiter, aliam verò partem poni in obliquo; Contrà inſurgent; hinc enim fieret hanc vocem *cognitio* ſignificare aliquod compoſitum reſultans ex entitate ipſius cognitionis, & ex obiecto; quia in obliquo ſignificatur obiectum, & in recto ipſe actus: hoc autem apertè falſum eſt; ergo. Reſpondet Cardinalis Lugo numer. 62. aliquando ea, quæ ſignificantur in obliquo, nullo modo ſignificari vt partes, ſed vt puros terminos; aliquando verò ſignificari vt partes: hæc ergo vox *cognitio* ſolùm ſignificat vt terminum obiectum ipſum; illa verò *album*, *dulce*, ſignificat albedinem & dulcedinem vt compartem.

34 *Doctrina Cardinalis Lugo roboratur.*

Hæc doctrina etſi vera ſit, non videtur tamen ſatisfacere argumento Aduerſariorum: nullam enim aſſignat diſparitatem, ob quam in vna potiùs quam in altera voce debeat illud obliquum dici vt pars. Addendum ergo eſt aliquid ei ſolutioni, ac dicendum vocem *cognitio*, *amor*, *viſio*, & cæteras ſimiles, eſſe voces abſtractas; quæ nullam propriè ſignificant compoſitionem, ſed purè putè eos actus: quòd autem in obliquo ſignificent etiam obiectum, habent ex connexione ſeu reſpectu eſſentiali, quem entitas illius actus habet cum obiecto. Vnde quantumcumque velimus eos actus ſolitariè & nudè ſignificare, ſemper illi dicent ordinem ad obiectum: vti vox *creatura* dicit eodem modo ordinem ad creatorem, ac proinde illum ſignificat in obliquo; non quia vllo modo velimus per eam vocem ſignificare complexum aliquod reſultans ex creatura & creatore. Et hinc fit, quòd poſſit de præſenti exiſtere in omni rigore etiam metaphyſico tota eſſentia cognitionis, etiamſi actu non exiſtat obiectum: id quod non fieret, ſi ea vox ſignificaret compoſitum ex actu & obiecto; quia tunc non poſſet illius vocis ſignificatum proprium exiſtere phyſicè, niſi ambæ partes exiſterent actu. At in hac voce *album*, *dulce*, &c. non ſignificatur in obliquo albedo & dulcedo, quaſi ex eo quòd Petrus aut lac, quæ ſunt ſubiecta albedinis & dulcedinis, quæque dicuntur in recto, habeant vllum ordinem eſſentialem ad albedinem aut dulcedinem; in quo ordine vt in medio debeat albedo & dulcedo cognoſci; id enim apertè falſum eſt: in tantum ergo ſignificatur albedo in obliquo, in quantum ſignificatur vt coniuncta actu cum ſubiecto, & cum illo faciens vnum totum: vnde clarè colligitur, cur albedo ſignificetur vt aliquid intrinſecum voci *album*, obiectum verò non niſi vt purè terminus extrinſecus eius vocis *cognitio*. Nec difficile eſt vlteriorem eius rei rationem reddere; nam voce *album*, *dulce*, & ſimilibus, non volumus ſignificare albedinem niſi vt habitam à ſubiecto, ac proinde vt cum ſubiecto facientem vnum quid; ideò optima eſt illa explicatio ſimilium vocum, Eſt ſubiectum habens albedinem: omne autem quod habet aliquid, componit formaliter cum illo vnum totum; ſicut homo habens diuitias conſtituit hominem diuitem, &c. At vox *cognitio* ſignificat ita obiectum, vt non ſignificetur habitum ab ipſo actu, ſed ſolùm tanquam quid purè extrinſecè reſpectum. Vnde quando magis volo explicare illam vocem *cognitio*, non poſſum dicere, Eſt actus habens in ſe obiectum, ſed, Eſt entitas quædam repræſentans obiectum, ſeu illud reſpiciens. Quis autem non videat repræſentare obiectum, aut diuitias, non eſſe illas habere vllo modo? & idem dico de amore & de odio: vbi idem clarius adhuc conſtat; nam odium non minùs ſignificat in obliquo Petrum v. g. odio habitum, quàm amor ſignificet obiectum amatum. Certiſſimum tamen eſt, quando dico odium Petri, non ſignificare me aliquod compoſitum ex odio & Petro, ſeu non velle me ſignificare odium habens in ſe Petrum; ſicut voce *album* ſignifico Petrum habentem in ſe albedinem, ſeu connexum aut vnitum cum albedine.

Cur albedo ſit intrinſeca voci albo, viſio verò extrinſeca voci viſo.

Declaratur hæc doctrina aliis exemplis.

35 Quæ doctrina adhuc poteſt magis declarari per terminum hunc *denominatus*; nam voce hac *cognitio*, *amor*, &c. non denoto vllam ob obiecto ipſo denominationem prouenientem amori, aut odio; quia amor non denominatur ab obiecto, ſed potiùs ipſe denominat obiectum; ac proinde non ſignifico obiectum vt formam, aut partem, ſed purè putè vt extrinſecum quid. At è contrario quando dico album dulce, ſignifico albedinem & dulcedinem vt dantem denominationem Petro; quid ergo mirum, ſi eas ſignificem vt eas facientes concretum, ac proinde vt partes eſſentiales illius concreti album?

Replica de voce cognitum ſoluitur.

Dices: In hac voce *cognitum* ſignificatur cognitio vt pars eſſentialis concreti; & tamen ea cognitio non habetur propriè ab obiecto: non enim magis obiectum habet cognitionem quàm cognitio obiectum; ſeu, vt clariùs dicam, Non magis vnitur obiectum cognitioni quàm cognitio obiecto; ergo non minùs debet ſignificari per vocem *cognitio* obiectum ipſum vt pars, quàm per vocem *cognitum* ſignificetur è contrario cognitio ipſa vt pars. Reſpondeò facilè: Etiamſi quoad punctum vnionis non magis vniatur cognitioni obiectum quàm cognitio obiecto (vt benè in obiectione dicitur) nihilominùs in ordine ad ſignificationem eſſe magnam diſparitatem, & quidem quæ traditur conſequenter ad noſtras explicationes poſitas immediatè antè: nam iuxta primam Petrus, ſeu paries, qui accipit denominationem illam viſi, cogniti, &c. non habet in ſe ordinem eſſentialem, quo denotet in obliquo viſionem & cognitionem; ſicut è contrario paulò antè diximus de cognitione reſpectu obiecti: vnde fit, vt ſi in ea voce *cognitum* ſignificetur & Petrus & albedo; ſignificentur ambo vt conſtituentes inter ſe aliquod totum, ſeu complexum: vnde cognitio eſt vox abſtracta, cognitum eſt concreta: deinde cognitio ſignificatur vt denominans obiectum, ac proinde quaſi extrinſecè cadens per modum formæ ſupra ſubiectum, non è contrario obiectum cadens ſupra cognitionem; in voce item illa *cognitum* ſignificatur obiectum quaſi habens cognitionem in ſe; & licet phyſicè illam non habeat, in ordine tamen ad moralem modum loquendi concipitur ac ſi illam haberet; quia ſæpè homines accipiunt iſtas

Digitized by Google

iſtas denominationes extrinſecas perinde ac ſi eſſent extrinſecæ ; vt in illa voce *diues* , quæ maximè denotat habitionem diuitiarum ; illa autem habitio non eſt quid phyſicè intrinſecum ipſi homini , ſed purè purè extrinſecum. Et de ea replicâ ſatis.

Non eſt idem aliquid ſignificari in obliquo, & ſignificari mediatè.

36 Ex his colligo veram eſſe doctrinam illam quam Cardinalis Lugo ſuprà inſinuauit , non eſſe idem, aliquid ſignificari in obliquo & ſignificari mediatè , ſed multa poſſe in obliquo dici, & tamen immediatè , vt in omnibus his formis , quæ ſignificantur , vt partes eſſentiales concretorum ; iam enim oſtendi , quem vna ex illis dicat ad aliam , ſed quia de facto ambæ ſunt inter ſe vnitæ ; ergo ambæ immediatè & in ſe ſignificantur , eſto vna ponatur in nominatiuo , alia in genitiuo , aut accuſatiuo. Quæ doctrina certa eſt etiamſi per accidens aliquando vna ex partibus eius concreti habeat ordinem eſſentialem ad alteram: ille enim ordo tunc non conſideratur in ſignificatione illa , ſed eodem modo ſe habet illa vox , ac ſi planè nullus ibi eſſet ordo ; ac proinde dum dico *creatum* , immediatè ſignifico creationem ; non tamen illam ſignifico in Petro v. g. quem dico creatum, etiamſi hic in ſuâ entitate eſſentialiter dicat reſpectum ad creationem ; quia in ordine ad illam vocem *creatum* per accidens eſt , quòd ſubiectum illius Petrus v. g. dicat ordinem eſſentialem ad illam : & eodem modo ſe habet illud concretum , ſicut dum dico , Petrus albus ; vbi ſignifico immediatè albedinem , ad quam , vt dixi, non habet Petrus ordinem ; quia ea materialis diuerſitas ſcilicet , quod ſubiectum ſit vni formæ connexum , non alteri , eſt omnino per accidens ad eum modum ſignificandi. Et eadem voce *creatum* poteſt oſtendi id ipſum clare; nam ſi coniungam illam cum accidentibus v. g. Euchariſticis , quæ naturâ ſui non petunt creationem , imò illis repugnat , non magis dum dico , *Albedo Euchariſtica creata* , ſignifico in recto albedinem , quàm dum dico *Petrus creatus* : vtrobique enim dicitur creatio vt pars , & vtrobique in obliquo ; quantumvis in Petro ſit ordo naturalis ad creationem , vti in cognitione reſpectu obiecti , in accidente verò nullus ſit talis ordo ; proptereà quòd naturaliter non petant creari , ſed generari. Conſtet ergo , optimè poſſe aliquid dici in obliquo , etiamſi ſit pars intrinſeca concreti ſignificati per illam vocem , ideoque locum habere difficultatem propoſitam in Sacramentis noſtris , vtrum ſcilicet eſto tam materia quam forma, quam intentio Miniſtri & Chriſti , &c. ſint Sacramento eſſentiales non tamen omnia, ſed tantùm aliqua dicantur in recto , ſeu in nominatiuo ; & quæ illa ſint. Illud tamen aduerto , quod & fuſius ſuprà tetigi, quæſtionem eſſe de ſolo nomine , ac proinde non magni momenti.

Poteſt aliquid dici in obliquo, & tamen eſſe pars intrinſeca compoſiti.

SVBSECTIO II.

Quid de quæſtione præcipua?

37 Hoc poſito Sotus in 4. diſtinct. 1. art. 1. docuit , ſolam materiam importari in recto , in obliquo verò dici formam ; cui videtur fauere inſtantia rerum artificialium , in quibus forma dicitur in obliquo , materia in recto , fauet etiam inſtantia concretorum ferè omnium, vti album , dulce , ſapiens , iuſtus , &c. omnia enim hæc (iuxta ſæpè a nobis dicta) ſolùm dicunt in recto ſubiectum , formam verò in obliquo.

Non ſemper materia in arte factis dicitur in recto & forma in obliquo.

Contra primam inſtantiam Soti argumentatur Cardinalis Lugo ; quia non in omnibus artificialibus ponitur in recto materia , vt in voce *calix* : non enim dicimus calicem eſſe aurum, aut argentum, ſed ex auro , ex argento : item in veſtimento non dicimus illud eſſe lanam , ſed ex lana. Ergo (vt verum fatear) nullam planè ſpecialem difficultatem video in his exemplis , quæ non reperiantur in omnibus omnino artificialibus. Nam vbi maximè videtur Cardinalis concedere materiam dici in recto , vti in domo, ponte , arcu triumphali , &c. reſpondemus eodem planè modo quo in calice : non enim dicimus , Pons eſt lapis , ſed ex lapidibus, ſeu ex lapide ; ſicut non dicimus ,Calix eſt aurum , ſed ex auro. Sed age , poſitiuè oſtendamus calicem in recto ſolùm dicere aurum, vel materiam illam aliam ex qua conficitur ; quia ſicut benè dicitur , Album eſt dulce, & inde benè probat Lugo, album in recto dicere ſolum ſubiectum albedinis ; quia benè dicitur, Subiectum albedinis eſt ſubiectum dulcedinis ; ita eodem modo dicitur optime , Calix eſt frigidus, eſt calidus ; Calix calefacit, frigefacit, &c. atqui malè dicitur, Aurum & forma artificialis calicis eſt frigida, ſeu habet frigus ; aut aliter malè dicitur Aurum & forma calicis eſt habens frigus , ſeu eſt ſubiectum frigoris; quia ea forma artificialis neque habet frigus , neque calefacit , neque eſt ſubiectum frigoris , caloris , &c. Vnde concludo , Non minùs calicem (& idem eſt de veſtimento aut quolibet alio ente artificioſo) dicere in recto ſolam materiam , quam eam dicat domus & omnia alia artificialia ; ac proinde nihil poſſe ex eo capite dici ſpecialiter contra Sotum.

Defenditur Sotus contra Cardinalem Lugo.

Meliùs Secundò idem Cardinalis Lugo illam reiicit ; nam ſicut in ipſis artificialibus non ſolùm dicitur in recto ipſa materia prima lapidum v. g. & lignorum , ſed etiam forma ipſa phyſica lapidis , ligni ; quia totum illud ens habet ſe per modum materiæ reſpectu formæ vltimæ artificialis : ita in caſu noſtro dicere poſſumus, Etiamſi verba ſe habeant tanquam forma reſpectu rerum , vtrumque tamen ſe habere reſpectu formæ Sacramentalis vt materiam ; ac proinde vtrumque dici in recto , formam verò Sacramenti præciſè dici in obliquo. Vnde potiùs ex hac inſtantia ſumitur argumentum pro contraria ſententia.

Cardinalis Lugo oppugnatio fauet contrariæ opinioni.

DICENDVM igitur PRIMÒ , Res & verba minimùm dici in recto ; vti in hac voce *humanitas* dicitur in recto tam corpus quàm anima. Ratio (ſi quæ tamen poteſt in quæſtionibus de voce adduci) ea eſt ; nam ordinariè ea quæ ſe habent per modum ſubiecti reſpectu alterius termini in ea voce ſignificati, ſolent poni in recto. Cùm ergo verba & res ſe habeant per modum ſubiecti , ſupra quæ cadit inſtitutio Sacramentalis tanquam forma artificialis , meritiſſimè ea duo dicuntur in recto ; vti in eo exemplo allato de humanitate : quia enim hæc dicit corpus & animam tanquam ſubiectum ſupra quod cadit vnio, quæ eſt vltimum complementum humanitatis, illa duo dicuntur in recto; vti in voce *perſona humana*, ſeu in voce *homo*; quia perſonalitas cadit ſupra humanitatem, humanitas dicitur in recto , perſonalitas verò in obliquo: 38

Concluſio prima : Res & verba in Sacramentis dicuntur in recto.

quare

Digitized by Google

quare autem in Chriſto contrario modo diſcurramus, & perſonalitas diuina dicatur in recto, humanitas verò in obliquo, dixi Tomo 5. de Incarnatione, & idem conſequenter etiam ad rationem immediatè datam, quia perſonalitas in Chriſto habet ſe potiùs per modum ſubiecti ſuſtentantis humanitatem, quàm è contrario; ac proinde ſignificatur per modum ſubiecti, etiamſi re ipſa non ſit verum ſubiectum.

Sed iam ad rem noſtram: Hæc eadem ratio locum habet eodem modo in compoſitis artificialibus, vt paulò ſuperiùs inſinuauimus; quia etiam lapides, ligna, &c. habent ſe per modum ſubiecti reſpectu formæ artificialis domus; aurum eſt ſubiectum reſpectu formæ artificialis calicis, lignum recipit formam artificialem cathedræ, ſcamni, &c. ergo idem de Sacramentis dicemus.

Argumentum pro noſtra ſententia ſumitur ab expoſitoriis propoſitionibus.

Secundò idem probatur recurrendo ad expoſitorias propoſitiones, ex quibus ſolemus colligere, quid in vocibus illis dicatur in recto, quid in obliquo. Sacramentum ergo haud dubiè rectè explicatur hoc modo, *Eſt ſignum ſenſibile gratiæ*, aut ſi aliter vis, *Eſt pignus ſenſibile gratiæ*: atqui non ſola materia, ſeu non ſola ablutio, neque è contrario ſola verba dicuntur pignus gratiæ; ſed id conuenit propriè vtrique, & verbis & ablutioni, quia æquè vtrumque eſt res viſibilis, & æque vtrumque repræſentat gratiam, & vtrumque eſt à Chriſto ad id aſſumptum; ergo. Neque video in hoc puncto quæ ſpecialior ratio poſſit aſſignari, vt vnum præ alio dicamus in recto: ergo vtrumque dicendum erit.

39 *Concluſio ſecunda.*

Conclvsio Secvnda ſit: Vtrùm intentio Miniſtri dicatur etiam in recto, eſt valdè dubium. Ratio quidem à nobis immediatè antè allata videtur probare omnino ita dicendum: quandoquidem etiam ea intentio ſe habet per modum ſubiecti reſpectu inſtitutionis Chriſti, ſeu reſpectu formæ Sacramentalis; quia tamen ea intentio neque in ſe videtur, neque communiter ponitur adhuc vt pars intrinſeca Sacramenti, poteſt dici ſatis probabiliter non ſignificari in recto. Ad rationem verò immediatè obiectam dicimus, Eſto intentio ſit etiam partiale ſubiectum eius denominationis, quia tamen per ſe eſt nobis occulta, habere ſe per modum rei quæ explicari in alio debeat, & conſequenter quæ ſolum ponatur in obliquo. Hoc ergo modo exponerem ego vocem illam, *Sacramentum eſt materia & forma viſibilis habentia intentionem debitam Miniſtri, ſeu cum intentione debita facta*; vbi intentio Miniſtri in obliquo ponitur.

Intentio Miniſtri in Sacramentis ſignificatur in obliquo.

Hinc Dico Vltimò; Inſtitutio ipſa Chriſti omnino videtur poni in obliquo: quia illa eſt quæ ſe habet per modum vltimæ formæ Sacramentalis, ſeu per modum ſignificationis Sacramentalis. Non enim (vt ſæpè diximus ad alia propoſita) debemus ibi concipere aliquod ens morale reſultans ex ea intentione, quòd ſit ipſa formalis ſignificatio: ſed eam denominationem debemus dicere eſſe ipſam inſtitutionem Chriſti moraliter afficientem ablutionem & verba, ac per ſe ea conſtituentem in ratione ſignificatiuorum: iuxta hanc diſtinctionem intelligo reſolutionem Cardinalis Lugo, qui loco ſuprà citato generaliter tantùm docet, Sacramentum dicere in recto omnes partes ex quibus componitur ipſum ſubiectum ſignificationis Sacramentalis; non autem explicat quæ ſint partes illæ; an non etiam includat ibi inſtitutionem ipſam Chriſti, cùm etiam ex illa inadæquatè componantur ſignificatio; & an apprehendat ibi ſignificationem, quaſi aliquid eis rebus omnibus ſuperadditum. Verùm res eſt, vt dixi, ad voces ſolùm ſpectans, & parui momenti; ideóque de ea ſufficiant huc uſque dicta.

DISPVTATIO QVARTA.

Diſgreſſio de Sacramento Euchariſtiæ.

1 NON remitto hanc quæſtionem, Vtrùm verba in Euchariſtia ſint pars intrinſeca ipſius, ad Tractatum de eiuſdem Euchariſtiæ Sacramento, quia eſt cum dictis connexa, & faciliùs hîc intelligitur: oritur autem ex duobus capitibus, & quia hoc Sacramentum non conſiſtit in vſu ſicut alia, ſed durat tranſactis verbis; vnde videtur non poſſe illis conſtitui: & quia Florentinum docet, hoc Sacramentum conſtare pane triticeo, & vino ex vite pro materia, verbis autem pro forma: atqui panis triticeus & vinum non ſunt materia intrinſeca & componens, ergo nec verba. De hac difficultate valdè fusè agit Cardinalis Lugo diſp. 1. de Euchariſtia ſect.4. & 5. Res tota breuiùs poteſt exactè diſcuti.

SECTIO I.

Sententia negans proponitur, & reÿcitur.

OB rationes dubitandi allatas Cardinalis Bellarminus lib. de Sacramentis in genere cap.18. ſecutus Scotum, Gabrielem, Victoriam, Catherinum & alios quos Pater Suarez refert diſp.42. ſect.2. quibus etiam adhæſit Vaſquez diſp.167. cap.3. Coninck quæſt.78 art.2. cum aliquibus Recentioribus, negat in Euchariſtia verba eſſe partem intrinſecam Sacramenti. 2

Sententia negans in Euchariſtia verba eſſe partem intrinſecam Sacramenti refutatur.

Ego, vt verum fatear, vix apprehendo difficultatem in eis argumentis; & Primò ſi loquamur de permanentia verborum, facilè reſpondeo, Sacramentum eſſe ens morale, quod non requirit phyſicam exiſtentiam ſimultaneam materiæ & formæ; alioquin ſi in Baptiſmo vel verba paulò ante ablutionem proferrentur, vel è contrario ante verba ablutio, non fieret Sacramentum, quod omnino falſum eſt; ſufficit ergo vt moraliter coniungantur. Id quod ſic declaro:

Digitized by Google

declaro: Nunc dicuntur Sacramenta & alia omnia ſigna ad placitum, v.g. voces, eſſe actu ſignificatiua ab inſtitutione [illegible] & aliorum iam diu præterita, tanquam a forma moraliter permanente. Cur ergo à verbis præteritis adhuc tamen perſeuerantibus moraliter non poterit Sacramentum Euchariſtiæ intrinſecè conſtitui in ratione ſigni & pignoris gratiæ?

Replica Patris Coninck ſumpta ab actibus voluntatis reiicitur in moralibus.

Replicat Pater Coninck: Permanentia moralis non habet locum niſi in actibus voluntatis, qui ſoli videntur ſpectare ad genus moris; ergo verba, quæ ſunt quid purè phyſicum, non poſſunt habere moralem perſeuerantiam. Reſpondeo negando antecedens; vt patet manifeſtè in confeſſione externa peccatorum, quæ hodie facta v.g. Sacerdoti cenſetur cras moraliter manere, vt poſſit eam non repetendo ab illo Sacerdote, qui recordetur confeſſionis, abſolutionem accipere; vt contingit quando per partes fit confeſſio multorum annorum; in quo ergo conſiſtit illa verborum confeſſationis perſeuerantia? in eo quòd perinde illa verba oſtendunt Chriſtum Dominum, & faciant illum ſenſibilem, ac ſi actu phyſicè durarent, ſicut in publicatione præteritæ Legis & in aliis quamplurimis rebus conſtat.

5 *Etiam in phyſicis.*

Secundò reſpondeo, Adhuc in concretis ipſis phyſicis (vbi nihil penitus eſt de moralitate) poſſe ſæpè contingere vt res præterita, vel è contrario futura, ſit pars conſtituens concretum, quod modò abſolutè denominatur tale. Ego v.g. dicor de facto poſterior Adamo & prior Antichriſto, & vtriuſque denominationis ſunt partes Adamus & Antichriſtus, qui de facto non exiſtunt: homo item dicitur ſenex ab annis qui nunc non exiſtunt, & domus eodem modo dicitur antiqua. Neque obſtat quòd in aliquibus concretis hoc non inueniatur, v.g. in albo, quod requirit præſentem albedinem, & non denominatur ab albedine quæ heri fuit, hoc inquam non obſtat, quia pro meo intento ſufficit non repugnare id aliquibus concretis, vt inde non poſſit in Sacramentis inferri, ideò quòd verba præterierint, illa non eſſe partem intrinſecam Sacramenti.

Reſponſio Cardinalis Lugo ad Aduerſariorum argumentum non ſubſiſtit.

Huic argumento aliter videtur reſpondere Cardinalis Lugo impugnata priùs ſolutione Patris Suarez; ait ergo, Vt aliquod totum etiam ſucceſſiuum dicatur durare; non ſufficere ſi vna ex illius partibus duret; (fuerat hæc reſponſio Patris Suarez;) alioquin etiam poſſet dici dari Sacramentum Euchariſtiæ, quando primò incepta ſunt verba; quia etiam tunc datur vna illius pars: ſimiliter etiam ſufficeret vltimum inſtans prolationis verborum in Baptiſmo v.g. vt tunc diceretur dari Baptiſmus: id quod videtur manifeſtè falſum: non ergo ſufficit præcisè quòd duret vna pars; ſufficit tamen, ſi duret id quod vox illa dicit in recto: cùm ergo Sacramentum hoc dicat Chriſtum cum ſpeciebus in recto, non verò verba, & illa duo phyſicè maneant, ſufficit id vt dicatur manere Sacramentum Euchariſtiæ. Verùm hæc ſolutio non omnino ſatisfacit, & qua parte à ſolutione Patris Suarez recedit facilè reiicitur: præcisè enim in hoc differt, quòd Suarez durationem vnius partis dixerit ſufficere; hic autem illam partem determinat, vt ea ſit quæ ſignificatur in recto: at per hanc determinationem non euadit obiectionem quam hic idem Auctor facit contra Patrem Suarez; nam eodem modo ego

Maximè vbi Suarez ſolutionem impugnat.

obiiciam, Si ſufficit quod maneat id quod dicitur in recto, ergo poſſum ego hodie dici peccator à peccato cras futuro; quia etiam eo caſu hodie eſt totum quod peccator dicit in recto; ſicut hic Auctor inferebat, poſſe dici dari Sacramentum Euchariſtiæ antequam finirentur verba, ex eo quòd iam eſſet vna pars illius. Quòd ſi reſpondeas, Eam denominationem peccatoris non ſumi à quacumque exiſtentia ſignificati in recto, ſed debere adiungi præteritionem aut actualem exiſtentiam etiam eius quod dicitur in obliquo; profectò eodem modo Suarez reſpondebit, Non ſufficere ad eam denominationem quòd inceperit vna pars, ſed requiri quòd aliæ iam ſint poſitæ, ac proinde non ſequi, fore Sacramentum Euchariſtiæ cùm primùm inchoantur verba. Altera item inſtantia de Baptiſmo non multum vrget; Pater enim Suarez facilè admittet poſſe dici tunc eſſe Baptiſmum, cùm ille finitur ſecundùm vltimam ſui partem.

Affirmat inſtantia contra ſolutionem Cardinalis Lugo.

Quidquid verò ſit de differentia à ſententia Patris Suarez, ſic reiicio eam ſolutionem; quia quòd ex partibus concreti vna dicatur in recto, alia in obliquo, eſt res vix ipſis Scholaſticis nota; imò adhuc multi id negant, vt ſuprà vidimus: quòd tamen ego hodie v.g. dicar ſenex ab annis præcedentibus, etiamſi illi anni non exiſtant, & dicar prior Antichriſto & poſterior Adamo, etiamſi nec Adamus nec Antichriſtus iam exiſtant, eſt omnibus, vt dici ſolet, lippis & tonſoribus notum: neque vllus omnino vnquam ad veritatem harum denominationum ſaluandam recurrit ad hoc, quòd Antichriſtus, à quo denominor particulariter prior, dicatur in recto. Idem dico de denominatione amati, cogniti, &c. quæ denominationes durant etiam non exiſtente amore: idem de denominatione ſignificationis ad placitum in vocibus, ramis, &c. omnes enim ſciunt voces ſignificare, ex eo quòd olim ſint ab hominibus ad id aſſumptæ; ſciunt etiam eam voluntatem phyſicè non durare de facto, & tamen dicunt eas voces ſignificare; neque vllo modo recurrunt ad hoc, quòd voces dicantur in recto, & voluntas inſtituens ſolùm in obliquo; quaſi ſi vtrumque diceretur in recto, iam eo ipſo illæ voces non poſſent actu de præſenti dici ſignificantes: quis enim vnquam hoc diceret? non ergo recurrendum eſt ad ſimiles differentias, ſed ad hoc, quòd ex voluntate hominum conſtet aliquando per ſimiles voces concretas non ſignificari actualem exiſtentiam totius concreti, ſeu omnium partium illius, ſed vnius tantùm, &, ſi vis, illius quæ denominatur; ſiue interim ſola illa dicatur in recto, ſiue non; requiri tamen vt altera pars denominans aut exiſtat, aut præterita ſit, aliquando etiam ſufficere vt futura ſit; vt cùm dicor Antichriſto prior. Quòd ſi rem hanc magis Scholaſticè velimus explicare, poſſumus in multis ex illis concretis recurrere ad moralem etiam perſeuerantiam alterius partis eius concreti, quidquid de obliquo aut recto illius ſit, quod per accidens ſe habet ad hos modos loquendi. Vnde è contrario in aliis concretis, ſeu vocibus, v.g. *album*, *nigrum*, *calidum*, *frigidum*, eſtò, id quod dicitur in recto, v.g. ego, aut Petrus, qui in eis vocibus vnicè in recto ſignificamur, exiſtamus hodie; non tamen ideò dicimur à præcedenti calore aut albedine calidi aut albi: id quod

4

Iterùm reiicitur ea ſolutio exemplo deſumptis à vocum ſignificatione.

Digitized by Google

quod non niſi in puram hominum voluntatem eos diuerſos modos loquendi vſurpantium reducendum eſt. Et ſatis pro ſolutione eius prioris obiectionis, deſumptæ ex eo, quòd hodie dicatur eſſe Sacramentum Altaris, etiamſi hodie non exſtant, ſed iam ſint præterita phyſicè verba.

Verè dicitur hodie Sacramentum Altaris, etiamſi verba ſint præterita

5 Vnde etiam reſpondetur aliorum obiectioni præcedenti affini, quòd ſcilicet Sacramentum Euchariſtiæ dicatur eſſe in Altari, deferri ad infirmos, &c. cùm tamen verba non ſint in Altari, non deferantur ad infirmos; ergo verba non ſunt pars Sacramenti Euchariſtiæ: huic inquam obiectioni reſpondetur, eas denominationes paſſim vſurpari in aliis concretis, in quibus certiſſimum eſt non poſſe in recto intelligi vtramque partem concreti. Quis enim dubitet me in ratione amici Petri conſtitui per amore amicitię Petri in me, & tamen verè dicitur deſignando me, *Hic eſt amicus Petri*; nec propterea volumus dicere hîc eſſe ipſum amorem Petri in me: ergo ex his locutionibus nihil infertur. Ad obiectionem autem noſtram facilè applicatur ſolutio data de morali perſeuerantia verborum; id enim habet locum in ea exiſtentia Sacramenti in Altari; Oſtendemus enim verba ſe habere vt formam moraliter efficientem ſpecies, eaſque reddentem ſignum ſenſibile gratiæ & Chriſti; ac proinde etiam dicere poſſumus moraliter verba eſſe ibi vbi ſunt ſpecies, & cum his illa moraliter deferri; ergo ex his modis loquendi nihil infertur pro ſententia Vaſquez & aliorum.

In Sacramento Altaris verba sũt moraliter vbi ſunt ſpecies.

Iam ad alteram obiectionem ex Concilio Florentino dicimus, inde nihil contra nos euinci; & quidem nonnulli reſpondent, Concilium nomine panis & vini intellexiſſe ſpecies illas panis & vini. Quæ ſolutio difficilis viſa eſt Cardinali Lugo, quandoquidem non poteſt dici Chriſtum eſſe ſub pane & vino, eò quòd ſit ſub ſpeciebus panis & vini; ergo non vocauit Concilium panem & vinum ipſas ſpecies. Id quod ego confirmo; nam ſi nomine panis ſolùm fuiſſent intellectæ ſpecies, ergo caſu quo diuinitus eſſent ſpecies ſine ſubſtantia panis & vini, poſſet tamen adhuc fieri conſecratio validè; quia tota materia ibi eſſet, quam Concilium requirit; hoc autem eſt apertè falſum. Addo tertiam eius ſolutionis impugnationem: Concilium agit ibi de pane & vino ante conſecrationem, aitque illi vino debere admiſceri modiciſſimam aquam: at loquendo de ſpeciebus non poteſt dici, quòd debeant illi vino admiſceri modiciſſimæ ſpecies aquæ: ergo Concilium non de ſpeciebus, ſed de ipſa ſubſtantia vini loquitur. Hac ergo explicatione reiecta dico, Concilium non docere ibi, verba conſecrationis eodem modo eſſe formam ſicut panis eſt materia; (quod Aduerſarij ſupponunt vt argumentum vim aliquam habeat, non tamen probant;) iam autem oſtendi ſuprà etiam in aliis Sacramentis non ſemper eodem modo res eſſe materiam, quo verba ſunt formam; nam materia poteſt eſſe in aliquibus vel res, vel verba; forma autem ſemper debet neceſſariò conſtare verbis, excepto Sacramento matrimonij; (quod ſolum excepit à regula generali Concilium;) non ergo in præſenti docuit eodem modo verba conſecrationis eſſe formam remotam, quo panis ſubſtantia eſt materia remota. Id quod ſpecialiùs in præſenti oſtendo, quia ſubſtantia panis ita eſt materia Euchariſtiæ, vt neque in fieri ſit pars intrinſeca huius Sacramenti: eſt enim terminus per illud deſtructus: at verba intrinſecè componunt Sacramentum hoc in fieri, etiam iuxta multorum ex Aduerſariis ſententiam; ergo & ipſi debent fateri verba eſſe formam diuerſo modo ab eo quo panis eſt materia. Deinde panis ſubſtantia eſt aliquid pugnans cum hoc Sacramento; hoc autem non habent verba, quæ ſunt cauſa illius, vnde non licet inferre: *panis non eſt materia componens, ergo nec verba ſunt forma intrinſeca.*

Quomodo intelligendum Concilium Florentinum in hac materia.

Reſpondebis huic meæ inſtantiæ, Concilium ſolùm docuiſſe verba eſſe eodem modo formam, ſicut panis eſt materia, quantum ad hoc quod eſt eſſe quid extrinſecum Sacramento, non quoad alia. Sed contra Primò, quia neque hoc poteſt intelligi de Sacramento in fieri, vt oſtendi. Contra Secundò, quia omnino gratis & ſolùm pro libitu hæc explicatio traditur, cùm ex Concilio nihil de illa colligi poſſit. Meliùs nos dicere poſſumus (quod & benè notauit Cardinalis Lugo) ideò argumentum à materia ad formam non valere, quia materia ſæpè ſolet in Scholis vſurpari pro materia remota, ſeu termino à quo, & qui per ipſum Sacramentum deſtruitur; vt patet in Sacramento Pœnitentiæ: nam ibi dicuntur peccata materia illius, non quæ componant, ſed quæ expellantur potiùs per ipſum Sacramentum: (de hoc tamen ſequenti Tomo Deo dante fuſiùs:) accipitur etiam frequentiùs pro materia remota quæ non deſtruitur; vt in Baptiſmo aqua dicitur materia; certum autem eſt materiam proximam Baptiſmi non eſſe aquam, ſed ablutionem, & idem dico de oleo reſpectu Extremæ-Vnctionis, & de Chriſmate reſpectu Ordinis; poſſumus ergo conſequenter intelligere Concilium ibi, dum dixit panem eſſe materiam Euchariſtiæ, ſolùm fuiſſe locutum de materia remota. At forma nunquam dicitur in Scholis remota, ſed tantùm vſurpatur pro forma intrinſeca. 6

Argumentum à materia ad formã quare non valeat.

Dices: Quomodo ergo in eadem definitione accipit æquiuocè eas voces, vt vna ſignificet partem intrinſecam, altera ſolam extrinſecam & remotam? Facilè reſpondeo, Id ita factum, quia ſupponebat Concilium ſe loqui cum intelligentibus, qui poterant aduertere, panem, quandoquidem deſtruitur, non poſſe eſſe materiam proximam; verba autem, vt quæ reddunt ſpecies in ratione ſigni ſenſibilis, poſſe optimè eſſe partem intrinſecam, eſto Concilium nihil de eo puncto diceret. Reſpondeo Secundò, & meliùs, Pontificem non voluiſſe eo loco decidere quidquam de partibus quibus Sacramentum coaleſcit, ſed magis intendiſſe inſtruere nos de iis quæ adhibenda ſunt à Sacerdote, vt validè conficiat Sacramentum; quibus autem partibus illud in facto eſſe conſtet non dixiſſe ibi; alioquin ego etiam contra Auctores huius argumenti dicerem corpus Chriſti non eſſe partem componentem huius Sacramenti: quia Concilium inter partes illius non annumerauit Chriſtum. Conſtet igitur inde, nihil penitus contra nos poſſe deduci.

Ad replicam oſtenditur quæ fuerit mens Concilij Florentini.

Adhuc tamen contra rationem à nobis allatam replicabis: Etiam cauſa extrinſeca, ſeu principium efficiens, dicitur forma. Pro cuius confirmatione poteſt adduci doctrina communis, quòd generationis principia ſunt tria, materia, forma & priuatio; cùm tamen neque forma neque materia ſint intrinſecè componen- 7

Obiectio ſumpta à principiis generationis ſoluitur.

tia. Reſpondeo, Nunquam cauſam dici formam ſui effectus: neque enim ignis vocatur forma caloris; nec Deus creaturam producens dicitur forma illius. Ad inſtantiam de generatione dicimus eſſe ibi æquiuocationem: aliud enim eſt, quòd ea res, quæ eſt forma, poſſit ſimul eſſe cauſa efficiens, aut quaſi efficiens alterius: ſine dubio enim calor, qui eſt forma, eſt cauſa alterius caloris producti: quo ſenſu admittimus libenter formam poſſe dici principium generationis. Aliud autem eſt, quòd præciſè, quatenus eſt cauſa efficiens, dicatur forma: id quod nos iam negamus: neque oſtenditur contrarium per eam inſtantiam; nam forma quæ dicitur principium generationis, non dicitur forma reſpectu generationis ipſius, quam cauſat, ſed præciſè reſpectu materiæ. At Concilium dixit verba eſſe formam Euchariſtiæ ipſius; hoc autem oſtendi in priori ſolutione, non poſſe ſaluari per cauſalitatem extrinſecam, ſed admitti debere, quòd ſit pars verè intrinſecè componens. Et ſatis de hac obiectione ex conceptu formæ.

Obiectio, Quod verba conficiunt Sacramentum.

Secundò principaliter obiiciunt ab eodem Concilio definiri: Verba ſunt id, quo conficitur hoc Sacramentum; ergo ſunt cauſa efficiens illius, ergo non pars intrinſeca. Reſpondeo, Lenem eſſe hanc obiectionem; etenim etiam dicitur verbis Baptiſmi confici Baptiſmum: ergo verba non erunt pars Baptiſmi, mala conſequentia. Reſpondeo ergo, *τὸ conficere* non ſumi ſtricto modo pro cauſalitate effectiua, ſed pro eodem ac perficere: quod etiam ad formam reſpectu compoſiti poteſt extendi. Secundò reſpondeo, Etiamſi verba ſint cauſa efficiens partialis Sacramenti, poſſe tamen ſimul eſſe compartem illius, vti ſimili de perſona ipſa Miniſtri oſtendi ſuprà: quia vt dicatur cauſa Sacramenti, non eſt neceſſum vt producat omnia quæ in illo ſunt; poteſt ergo & aliquid producere, & prætereà ſeipſum communicando conſtituere formaliter: pro quo intento communiter afferri ſolet inſtantia ex anima rationali ſe nutriente: illa enim eſt cauſa efficiens actionis nutritiuæ, & ſimul eſt pars illius totius quod ex nutritione reſultat.

Reſponſio, Quod & conficere poſſint & eſſe pars.

SECTIO II.

Proponitur noſtra ſententia.

8 *Verba in Sacramento Euchariſtiæ ſunt pars intrinſeca illius.*

PRobabiliorem ergo reputo ſententiam Patris Suarez diſput. 42. ſectione 2. Valentinæ Tomo 4. diſput. 3. quæſt. 1. puncto 2. Cardinalis Lugo & aliorum Recentiorum, ſcilicet, eodem modo in Euchariſtia verba eſſe partem componentem ſicut in aliis: & probatur Primò, quia Florentinum vniuerſim docet omnia Sacramenta conſtare rebus pro materia, & verbis pro forma: & id in omnibus aliis de forma intrinſeca intelligitur, ergo etiam in Euchariſtia; cùm (vt vidimus) non ſit vlla ratio in contrarium. Secundò idem probatur ratione efficaci, quia verba conſtituunt formaliter ſpecies in ratione ſigni viſibilis gratiæ: ſpecies enim nihil per ſe ſignificant; ergo verba ſunt pars Sacramenti.

Obiectio.

Reſpondebis Primò, Etiam ablutio ex ſe non ſignificat gratiam; & tamen quia poſt Chriſti inſtitutionem eam ſignificat, eſt ſignum viſibile illius adhuc vt condiſtincta a verbis, ergo etiam ſpecies, licet non ex ſe; poſt Chriſti tamen inſtitutionem erunt ſigna gratiæ etiam vt à verbis diſtinctæ. Sed contrà, quia ſpecies etiam poſt Chriſti inſtitutionem, niſi aliquo alio determinentur, nulli mortalium poſſunt eſſe ſignum gratiæ; ſicut nec ipſa ablutio, vt ſeparata à verbis, non eſt ex Chriſti inſtitutione, nec partiale ſignum gratiæ; ideóque dixi ſupra, ex Chriſti inſtitutione vnicam eſſe indiuiſibilem ſignificationem gratiæ cadentem ſupra materiam & formam indiuiſibiliter; ergo neceſſum eſt intelligantur verba tanquam determinantia ſpecies, & illas conſtituentia in ratione ſigni ſenſibilis. Nec poteſt reſponderi, Verba ſolùm requiri vt conditionem, non verò vt partem: iam enim ſuprà huiuſmodi extrinſecas conditiones ſeu connotata reieci ex eo, quòd ſolis ablatis verbis omni alio permanente non maneret Sacramentum etiam Euchariſtiæ; ergo verba non propter aliud, ſed propter ſe requiruntur ad denominationem, & conſequenter vt pars illius.

Soluitur.

Reſponſio Vaſquez impugnatur.

Sed dicet Pater Vaſquez, Verba tantùm requiri vt ponant ibi Chriſtum Dominum: vnde ſi à ſolo Deo ſine verbis poneretur, eſſet idem Sacramentum. Sed quàm parum hæc doctrina cum aliis ipſius principiis cohæreat dicam diſputatione de Euchariſtia; nunc autem nego aſſumptum: ſi enim Chriſtus à ſolo Deo ibi poneretur, non eſſet ſignum ſenſibile gratiæ; quia per ſe non eſſet vllo modo diſtinguibilis ille panis à non conſecrato; nec viſibile aliquid eſſet, quod id demonſtraret, id quod nobis de facto verba ipſa demonſtrant: ſi autem alio modo Deus oſtenderet eam præſentiam Chriſti, tunc ille modus pertineret ad conſtitutiuum illius Sacramenti; quod eſſet diuerſum à noſtro ſaltem inadæquatè.

Sed dices Secundò; Etiam ablutio & verba ipſa ſine intentione non ſunt ſigna & pignora gratiæ; & tamen poſſunt determinari ab intentione quæ eſt purè occulta; ergo etiamſi ſpecies determinarentur ex præſentia ipſa Chriſti ibi quaſi occultè poſiti ſine verbis (ſicut dicit Vaſquez) adhuc eſſet Sacramentum. Reſpondeo, Verba ipſa & actionem abluendi eſſe per ſe manifeſtatiua intentionis: vnde intentio non eſt quid occultum ſimpliciter. At in caſu Patris Vaſquez nihil eſſet, per quod poſſent illæ ſpecies determinari ad ſignificandam exteriùs vel gratiam, vel Chriſtum, vnde non eſſent Sacramentum; loquor caſu quo ipſe Deus non reuelaret nobis ſe has determinatas ſpecies aſſumpſiſſe in pignus gratiæ; tunc enim ipſa reuelatio eſſet conſtitutiuum illarum in eſſe ſenſibilis pignoris gratiæ, ideóque iam haberet aliquid ſenſibile quo compleretur. 9 *Alia obiectio Vaſquez.*

Obiectio præcipua.

Difficiliùs fortè poſſes contra hanc rationem obiicere, verba etiam ipſa non eſſe cognoſcibilia; nam ſi cum hoſtiis conſecratis miſceantur non conſecratæ, certiſſimum eſt per verba præcedentia nequaquam illas hoſtias conſecratas reddi ſignum ſeu pignus ſenſibile gratiæ magis quàm ſint aliæ non conſecratæ, quia iam humanitas non poteſt inter eas diſtingui, & tamen certiſſimum eſt quod adhuc maneat ibi tota Ratio Sacramenti in eis hoſtiis, ſub quibus manet Chriſtus; ergo ratio Sacramenti eſt penitus independens ab ea manifeſtatione per verba, ſi autem hoc ſemel admittitur, iam ceſſat, argumen

Digitized by Google

argumentum noſtrum ex ea manifeſtatione deſumptum ad includenda verba tanquam quid intrinſecum. Si verò reſpondeatur, Per accidens omnino eſſe quòd illæ ſpecies non poſſint diſtingui a non conſecratis; quia cum hoc optimè ſtat, ſemper eſſe verum, ſi ſciatur eſſe eas conſecratas, ſciendum etiam eas eſſe Sacramentum; ac proinde ſemper debere recurri ad conſecrationem vt ad diſtinctiuum, & conſequenter vt ad intrinſecam partem Sacramenti, ergo verba, in quibus inadæquatè conſiſtit conſecratio, ſunt pars Sacramenti. Si ita reſpondeas, reiicieris facilè; nam eodem modo poterit Pater Vaſquez dicere, Si ſciatur corpus Chriſti eſſe ſub illis ſpeciebus, eſto nihil ſciatur de verbis, ſciri etiam illas ſpecies eſſe ſignum gratiæ; ergo independenter à verbis ſaluabitur tota ratio Sacramenti. Summùm autem ex hac ſolutione inferri videtur, Illam notitiam, quam nos habemus, quòd ſpecies ſint conſecratæ, eſſe partem illius Sacramenti; nam ſi Chriſtus ibi eſſet, & nos id ſciremus, eſto non eſſent prolata vlla verba ſupra eas ſpecies, eſſet adhuc Sacramentum; ergo.

10 *Reſpondetur obiectioni præcipuæ argumento à ſimili.*

Reſpondeo obiectioni præcipuæ, illas ſpecies conſecratas fuiſſe per ſe & vt tales demonſtrabiles, ac proinde fuiſſe & verò etiam de facto eſſe ſignum ſenſibile: quòd enim hîc & nunc commixtæ ſint cum aliis, ideoque dignoſci non poſſint, omnino eſt per accidens, neque tollit illis eam rationem ſigni quam habebant; vti ſine dubio ſubſcriptio meæ manus propriè eſt per ſe ſignum meæ voluntatis ea ſubſcriptione declaratæ: id quod adhuc retinet, quantumuis alius adeò perfectè meam manum fuerit imitatus, vt nec ego ipſe, multò minus alij, poſſim eam ſubſcriptionem fictam à mea diſcernere. Huius ratio vniuerſalis eſt, quia in his rebus moralibus non tam attenditur quid ex aliquo caſu accidentali contingat, quàm quid per ſe fit; per ſe autem eſt, quod ſpecies, quæ ſunt re ipſa conſecratæ, ſeruentur vt tales, & diſtinguantur ab aliis, ac proinde ſint ſignum ſenſibile.

Ratio ſigni ſaluatur, quòd poſſit noſci.

Quod verò dicebatur in replica, magis noſtram notitiam conſecrationis debere pertinere ad rationem Sacramenti quàm verba ipſa, non habet vllam difficultatem; nam in omnium ſententia ad rationem ſigni non ſpectat quòd actu à nobis noſcatur, ſed quòd poſſit noſci, & poſſit nos ducere in notitiam rei ſignificatæ; eo autem ipſo quòd illæ ſpecies ſint conſecratæ, etiam antequam nos id ſciamus, habent vim in actu primo, vt nos ducant in cognitionem gratiæ; ergo notitia noſtra ſuperueniens non dat illis rationem ſigni; vti ramus ante tabernam non conſtituitur in ratione ſigni vini venditi quia ego id ſciam, ſed quia ita Reſpublica voluit.

Replica à Legis promulgatione neceſſaria expeditur.

Replicabis: Lex non obligat antequam fiat promulgatio, per quam veniamus nos in notitiam voluntatis Legiſlatoris; ergo antequam audiamus nos, ſeu antequam ſciamus factam eſſe conſecrationem, illæ ſpecies non ſunt ſigna in actu primo, neque habent potentiam nos ducendi in notitiam Chriſti ſub eis ſpeciebus contenti. Reſpondeo: Eſto quæſtio ſit inter Auctores, vtrùm promulgatio Legis dicenda ſit pars Legis, an verò conditio ſolum, vt illa actu obliget; hoc tamen certum, etiamſi id dicamus de promulgatione generali ſeu publica, neminem tamen dixiſſe illam particularem notitiam, quam ego v. g. habeo de promulgatione iam facta in vrbe, eſſe partem ipſius Legis. Quo poſito dico, per conſecrationem, ſeu per verba conſecrationis, reddi ſpecies tanquam publicum ſignum gratiæ, & per illa quaſi promulgari in actu exercito eamdem exiſtentiam Chriſti ibi; ac proinde per hanc conſecrationem compleri Sacramentalem ſignificationem in actu primo, quæ eſſe nequaquam poſſet ablatis verbis: quòd autem nos ſciamus illas ſpecies eſſe conſecratas non pertinere propriè ad rationem Sacramenti, ſed ex parte noſtra ideò requiri vt actu noſcamus Sacramentum iam factum; & vt ſic loquar, habet ſe vti teſtimonium, quod Sacerdos, dum peregrè proficiſcitur, portat ſecum: per quod non conſtituitur in eſſe Sacramenti Ordo ab illo ſuſceptus, ſed tantum teſtatur alias Sacramentum olim ab eo ſuſceptum.

Replica. 11

Adhuc tamen vrgebis, Ergo ſaltem ipſa promulgatio vniuerſalis exterior voluntatis Chriſti circa inſtitutionem Sacramentorum erit pars illorum; nam eſto Chriſtus habuiſſet voluntatem interiorem inſtitutionis Sacramentorum, ſi tamen eam nobis non ſignificaſſet, non eſſent illa ſignum externum; ergo debet ea promulgatio eſſe pars Sacramenti non minùs quàm verba ſint reſpectu Euchariſtiæ. Reſpondeo concedendo ſequelam; neque in conſequenti vllum ego video abſurdum, imò conforme eſt his quæ tanquam probabiliora diximus in quæſtione paulò ante inſinuata de promulgatione Legis; nam Tomo 4. tradidimus illam eſſe partem Legis: id quod maiori adhuc iure de promulgatione voluntatis Chriſti reſpectu Sacramentorum dicendum eſt, quià Sacramentum definitur: *Signum, ſeu pignus externum aut ſenſibile gratiæ*: vbi expreſsè requiritur manifeſtatio ſenſibilis inſtitutionis: in Lege verò non ponitur adeò expreſſe ea exterior perceptibilitas, ſeu ſenſibilitas: vnde aliqui contendunt vi ſolius interioris voluntatis Legiſlatoris obligari homines ante promulgationem; & licet hoc ipſum non ſubſiſtat (vt eo loco diximus) non tamen poteſt tam facilè reiici quàm in Sacramentis. Nec poteſt hic habere locum id quod de actuali notitia noſtra paulò antè diximus, ſcilicet, eam promulgationem eſſe neceſſariam ſolùm vt nobis conſtaret de inſtitutione; id quod poſſet fieri, ſi Deus nobis cognitionem de ſua voluntate infunderet; ergo promulgatio non vt pars, ſed vt cauſa requiritur ad Sacramentum; hoc inquam dici non poteſt: nam ſi Deus ſine externa manifeſtatione ſupradicto modo ſuam voluntatem oſtenderet, tunc res illa eſſet quidem in ſe ſenſibilis, non tamen eſſet ſenſibile pignus gratiæ; quia eam eſſe pignus non per aliquid ſenſibile cognoſceremus: vnde non eſſet Sacramentum pro nobis; vel ſaltem eſſet omnino diuerſum ab his quæ modò ſunt.

Reſponſio.

Promulgatio voluntatis Chriſti circa inſtitutionem Sacramentorum eſt pars illorum.

Vltima obiectio.

Deinde tandem obiicies: Verba in Euchariſtia non ſignificant gratiam, ſed corpus Chriſti; ergo non ſunt Sacramenti pars. Primò nego antecedens: licet enim natura ſua non ſignificent niſi corpus Chriſti, tamen eò quòd aſſumpta ſint à Chriſto ad ſignificandum corpus ipſius vt cibum animæ, immediatè ſub ſpeciebus panis ſignificent gratiam, & ſunt pignus illius; quia per gratiam Chriſtus eſt animæ cibus.

Reſponſio. Verba in Euchariſtia ſignificant gratiam;

Non quidem in recto. bus Secundò reſpondeo, Etiamſi immediatè non ſignificent in recto gratiam, dummodò ſint aliquid quo complentur aliæ res ad ſignificandam gratiam, eo ipſo eſſe partem ſigni vt talis, & conſequenter partem Sacramenti; vt patet in Miniſtri intentione & aliis rebus, in quibus non ſemper cuilibet parti conuenit denominatio, quæ tribuitur toti ex illis reſultanti; imò aliquando conuenit contraria, vt ſæpè ad alia propoſita dixi; & patet in denominatione prioris & poſterioris, ſiniſtri, dextri, &c. Antichriſtus v.g. qui non eſt prior me vllo modo, eſt tamen pars conſtituens denominationem prioris, quam ego habeo: neque enim cuilibet parti per ſe debet conuenire denominatio totius.

SECTIO III.

Vtrùm non-retractatio conſecrationis pertineat ad conſtitutionem Euchariſtiæ.

21 OCCASIONE præcedentis dubij expedienda obiter eſt hic quæſtio quam tractat Cardinalis Lugo contra aliquos Recentiores, Vtrùm ad conſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ ita pertineant verba, vt exigatur etiam eorum non-retractatio.

SVBSECTIO I.

Iudicium Cardinalis Lugo de ſententia affirmante.

NONNVLLI, ne cogantur fateri verba ipſa eſſe intrinſeca Euchariſtiæ poſt factam conſecrationem, affirmarunt ſolam non-retractationem eorum verborum eſſe tunc actu partem, quia illa non-retractatio durat etiam tunc de præſenti; ideóque vitatur præcipua difficultas, ob quam multi alij negarunt verbis rationem partis huius Sacramenti; quia ſcilicet cùm non durent durante Sacramento, non videntur eſſe poſſe pars illius: totum enim nequit ſine partibus durare. Huius ſententiæ fundamentum, ac proinde totam ſententiam reiicit Cardinalis Lugo ibi Primò, quia Sacramentum Euchariſtiæ totum eſt in pyxide, & tamen ibi non eſt reuocatio verborum: ea enim eſt apud ipſum Sacerdotem: ergo poteſt eſſe Sacramentum, vbi non ſunt omnes eius partes: ergo etiam durare poterit, quando non durant illæ omnes: per quod ex integro reiicitur fundamentum eorum Auctorum. Ego quidem hanc rationem non magnifacio: nam vti Aduerſarij dicunt ea verba in fieri Sacramenti quaſi affeciſſe ipſas ſpecies, ita dicent per perſeuerantiam moralem eorumdem verborum in ea non-retractatione conſiſtentem affici moraliter eaſdem ſpecies, etiam quatenus exiſtentes in pyxide; verbis autem præcedentibus, quia non exiſtunt non poſſe tribui, nec quidem moraliter, talem modum afficiendi. Sæpè enim contingit vt aliquod totum requirat omnes ſuas partes actu exiſtentes, non tamen requirat omnes illas in eo loco vbi communiter dicitur eſſe totum. Sic peccatum actuale non eſt, niſi actu illius partes omnes exiſtant; non tamen eſt neceſſum vt omnes ſint in homine ipſo, in quo peccatum actuale dicitur eſſe: nam in homine non eſt phyſicè concurſus indifferens in actu primo, neque prohibitio ipſa, ſeu lex ipſa: in ſententia autem Cardinalis, quam veriſſimam iudico (vt alibi oſtendi) peccatum actuale includit formaliter in ſuo conceptu ipſam libertatem in actu primo, quæ in prædicto concurſu conſiſtit item ipſam prohibitionem, quæ conſiſtit in ipſa lege: vti ergo ad eam rationem peccati requiruntur partes quidem actu exiſtentes, non tamen phyſicè vnitæ ei in quo eſt peccatum; ita dicere poſſent hi, requiri ad rationem Sacramenti partes actu exiſtentes, non tamen ideò illas omnes debere phyſicè eſſe vbi eſt Sacramentum: ex quo capite facilè poſſent aſſignare diſparitatem inter verba præcedentia, & inter non-retractationem.

Argumentum Cardinalis Lugo contra prædictam ſententiam.

Argumentũ præcedens impugnatur ex mente Aduerſariorum;

A ſimili de peccato actuali.

Quidquid tamen de eo Cardinalis Lugo argumento ſit, meliùs Secundò idem argumentatur, quia non-retractatio includit ad rem noſtram ipſam præteritionem phyſicam verborum; ac proinde hi Auctores vel nolentes debent fateri, verba eſſe partem intrinſecam Euchariſtiæ: porrò ea includi in non-retractatione patet, quia non-retractatio, vt eſt pura carentia, etiam datur reſpectu verborum nunquam prolatorum quæ tamen non conſtituit vllo modo Sacramentum; ergo vt conſtituat, debet ſuperaddere præteritionem ipſam phyſicam illorum: illa enim præteritio ſimul cum hac negatione faciunt non-retractationem vtilem ad intentum noſtrum. 23

Solidius eiuſdem Cardinalis Lugo argumentũ.

Dices: Eo ipſo quòd verba præceſſerint ponitur nouus reſpectus in ipſa non-reuocatione, ob quem illa ſola non-retractatio, etiam vt condiſtincta à præteritione verborum, conſtituit Euchariſtiæ Sacramentum. Sed contrà, quia quidquid negatiuum eſt de facto in ea non-retractatione poſt prolata verba, idem adæquatè formaliſſimè eſſet, eſto non fuiſſent verba prolata; ergo illa non reuocatio per ipſam præteritionem verborum complentur formaliſſimè in ratione non reuocationis conſtituentis partialiter Euchariſtiam. Quòd ſi reſpondeas Secundò, hunc reſpectum eſſe aliquid poſitiuum morale fundatum in præteritione phyſica verborum, faciliùs adhuc reiicietis; Primò, quia entia moralia, vt ſæpè diximus, nihil ſunt diſtinctum ab ipſis phyſicis fundamentis: id quod oſtendi in præſenti clarè poteſt; nam præcisè conſiderata præteritione verborum, & quòd adhuc non ſit retractata abſque vllo alio ibi poſitiuo reſpectu concepto (vt benè vrget eo loco citato Cardinalis Lugo) concipimus perſeuerentiam ſufficientiſſimam ad conſtitutionem Sacramenti: quid ergo nouus ille reſpectus operabitur in eo caſu? aut quomodo explicabitur in quo ille conſiſtat? ergo ſine neceſſitate & imperceptibiliter ille fingitur.

Replica.

Soluitur.

Vlterius vrget Cardinalis Lugo.

Secundò eam ſolutionem de poſitiuo reſpectu & doctrinam totam Recentiorum reiicit Cardinalis Lugo; quia verba Euchariſtica dum primum proferuntur, ſignificant non ſolùm Chriſtum eſſe tunc ſub eis ſpeciebus, ſed etiam illum futurum quamdiu durabunt ſpecies; ita vt eo ipſo primo inſtanti ſignificetur tota futura duratio Chriſti in Euchariſtia ſub eis ſpeciebus; ergo ſi illa verba hodie habent veritatem (vti reuera habent) eo ipſo, ſiue deinde reuocentur, ſiue non, ſemper verè oſtendent Chriſtum ibi contineri: vnde illa non-reuocatio erit planè impertinens ad rem noſtram: quod verò verba

Digitized by Google

verba eo modo ſignificent, probat fusè hic auctor ex eo, quòd Eccleſia & Patres ſemper collegerunt ex veritate verborum Chriſtum tamdiu eſſe ſub ſpeciebus quamdiu illæ non corrumpuntur. Vrgeturque id ex eo, quòd per illa verba ſpecies conſtituantur vt cibus; cibus autem, qui ſemel eſt cibus, ſemper ma- *Inſtantia ex verbis ipſis formæ.* net talis quamdiu non corrumpitur. Confirmat præthereà; nam quando Chriſtus Dominus dixit, *Hoc eſt corpus meum, comedite*, non aſſeruit præcisè, Eſt corpus meum quamdiu profero verba; alioquin, quia non ipſo inſtanti prolationis comederunt, non benè intuliſſent ſe comedere Chriſtum, ſed ſummùm ſpecies, quæ anteà habuiſſent Chriſtum & iam eſſent iterùm cum ſubſtantia panis; ergo dixit, *Hoc eſt & erit corpus meum quouſque ſpecies corrumpantur*; ergo illa verba ſignificant de futuro; ergo ſi hodie ſunt vera, ſemper oſtendent Chriſtum, eſto ſequatur deinde quæcumque retractatio in Miniſtro. Neque obeſt quòd copula illa *eſt* ſit ſolùm de præſenti; nam ita ſignificat de præſenti, vt ſignificet de præſenti permanenter: ac ſi dixiſſet, *Eſt quamdiu ſpecies durauerint.*

Tertium argumentum: Tertiò oſtenditur idem intentum; nam ſi verba non ſignificant Chriſtum pro inſtantibus ſequentibus, ſed ſolùm quando proferuntur; ergo inutiliter recurrunt hi Auctores ad non-reuocationem illorum, quia non-reuocatio non poteſt cadere in id quod non eſt anteà factum aut dictum; ac proinde qui verba illa non reuocat, ſolùm cenſebitur non reuocare id quod priùs dixerat, hoc eſt, Chriſtum fuiſſe in primo inſtanti; de permanentia verò in ſequentibus nihil dicet ea non-reuocatio.

Quartum. Quartò, quia ea negatio non-reuocationis debet eſſe nobis nota; nam alioquin Sacramentum hoc non eſſet nobis ſenſibile; debet ergo nobis de illa conſtare, non conſtat autem ex ipſa verborum prolatione, ergò ſolùm ex traditione Eccleſiæ: atqui hæc traditio eſt quid præteritum; ergo ſaltem ex parte ponunt hi aliquid præteritum ad conſtitutionem Sacramenti pertinens.

SVBSECTIO II.

Quid in ea quæſtione dicendum.

15 HÆc quidem benè & ingenioſè videntur ponderata circa illam ſententiam; putarem tamen aliter rem explicare. Igitur ſi Recentio- *Duplex reuocatio, Miniſtri & Chriſti.* res illi nomine non reuocationis, quàm requirunt ad valorem Euchariſtiæ vt perſeuerantis, intelligunt non-reuocationem ipſius Miniſtri qui conſecrauit, manifeſtiſſimè decipiuntur; quia quantumcumque Sacerdos, qui conſecrauit, reuocet deinde ea verba, adhuc manebit verum & proprium Sacramentum; ergo ex hoc capite ea non reuocatio omnino eſt impertinens ad conſtitutionem huius Sacramenti: nec contra illos alio egemus argumento. Quòd ſi loquantur de non-reuocatione facta ab ipſo Chriſto, quaſi dicant perſeuerantiam Euchariſtiæ pendere ab eo quòd Chriſtus in cœlo non reuocet ſua verba; ſi enim ea reuocaret, eo ipſo deſineret eſſe ſub ſpeciebus: ſi de hac inquam non-reuocatione loquantur, res eſt ſatis dubia, an poſſit Chriſtus de potentia abſoluta, ſuppoſita inſtitutione Sacramenti, velle deſinere eſſe ſub ſpeciebus aliquibus antequam corrumpantur: ſi enim dicimus illum poſſe, profectò meritò hi Recentiores requirunt eam carentiam non-reuocationis; ſi autem non poteſt, tunc habebunt locum argumenta quæ Cardinalis Lugo contra hos facit. Diſquirendum ergo nunc eſt, an ſit poſſibilis ea reuocatio. Aliquis ſtatim reſponderet negando, quia cùm Deus ſit in ſuis decretis abſolutis immutabilis, ſi ſupponimus eum habuiſſe decretum non ſubtrahendi ſe ex ſpeciebus, haud dubiè iam non poterit nec diuinitus ſe ſubtrahere. Hæc tamen reſponſio non eſſet ad rem noſtram; non enim nos loquimur iam ſuppoſita irreuocabili voluntate Dei, ſed ſuppoſita inſtitutione Chriſti Domini vt hominis; ea autem volitio, vtpote humana, benè poteſt reuocari; ergo.

16 Ideò alius dicet, Eſto voluntas illa Chriſti humana capax ſit ex ſe reuocationis, quia ta- *An reuocatio Chriſti ſit poſſibilis.* men promiſit nobis ſuam præſentiam ſub ſpeciebus quamdiu non corrumpuntur, non videtur poſſe eam voluntatem ſine peccato mutare; certum eſt autem illum non eſſe peccati capacem; ergo. Verùm adhuc non ſatisfacit ſolutio, quia poteſt excogitari caſus, in quo ea reuocatio omnino fiat ſine vlla culpa; nam ea promiſſio in tantum obligare videtur Chriſtum Dominum, in quantum ſine iniuria aut damno noſtro non poteſt infringi: atqui ſi hoſtiæ conſecratæ ſint proiectæ in locum, vbi iam non poſſint cognoſci aut inueniri ab homine, ſed ibi ſint corrumpendæ ceſſat noſtra tota vtilitas; cur ergo non poterit Chriſtus ſtatim deſinere eſſe ſub illis ſine vllo peccato, etiam non expectata corruptione earum ſpecierum?

Tertiò dicet alius; Chriſti verba dixerunt ipſum duraturum ſemper ſub ſpeciebus conſecratis quouſque hæ corrumpantur; ergo ſi aliquando contrarium faciat, iam eo ipſo reddet ea verba falſa, & conſequenter iam redderetur dictum Dei falſum: id quod omnino repugnat. Exemplis gratia, Sine dubio ex ſe poteſt Deus annihilare pœnas inferni; at poſtquam reuelauit ſe eas non annihilaturum, non poteſt annihilare, quia redderet ſuum præteritum dictum falſum. Verùm neque id adhuc ſatisfacit, quia *Argumenta, quibus impoſſibilis oſtenditur, refutantur.* non videtur Chriſtus dixiſſe eam propoſitionem vniuerſalem cum ea illimitatione; tantùm enim dixit, *Hæc quotieſcumque feceritis; in mei memoriam facietis*; per quod ſolùm oſtendit conſecrationem & ſumptionem corporis eſſe & fore in memoriam ipſius; non videtur autem ligaſſe ſibi per hoc manus; quò minùs poſſet iam reuocare hoc Sacramentum, ne poſſimus validè conſecrare: quòd ſi hoc poteſt, poterit à fortiori poſt conſecratas ſpecies deſinere aliquando eſſe ſub illis, etiam antequam illæ corrumpantur.

17 Dices; Quando Sacerdos in conſecratione validè protulit verba, ſignificauit verè Chriſtum fore ſub ſpeciebus quouſque hæ corrumpantur; ergo iam non eſt locus abſtrahendi ſe ab illis, niſi reddendo verba illa falſa, ſi autem reddantur falſa, ergo nec ponetur ibi Chriſtus pro primo inſtanti, quia non fuit poſitus niſi ex veritate verborum, ergo ſi in primo inſtanti hæc non fuere vera, non poſuerunt etiam pro primo ibi Chriſtum. Dicendum tamen iudico, verba illa ſignificare quidem poni

Chriſtum ibi permanenter, per ſe & naturaliter; per hoc verò non tolli, quò minùs Deus diuinitus poſſit deinde etiam ante ſpecierum corruptionem Chriſtum auferre inde: verba enim illa æquiualent his; *Facio vt quod erat panis ſit Chriſtus.* Vti autem quod fuit panis erat naturaliter & per ſe manſurum panis quamdiu accidentia non corrumperentur; cum quo tamen optimè ſtabat, quòd Deus nihilominus miraculosè potuerit ante ſpecierum corruptionem auferre inde ſubſtantiam panis relictis integris accidentibus: ita idem dicendum videtur in præſenti; neque enim maiori cum rigore debent intelligi illa verba eſſe vera, quàm ſi idem Chriſtus dediſſet hominibus poteſtatem lapidem conuertendi in panem dicendo *Hoc eſt panis*; per quod non auferebat ſibi poteſtatem, vt facta a me ea conuerſione poſſet ipſe poſteà diuinitus iterùm illum panem in lapidem conuertere. Id quod ad hominem ex Cardinalis Lugo ſuprà tradita doctrina ſuadetur; etenim ipſe ait poni ibi Chriſtum eo modo quo panis eſt cibus: hoc eſt, vt ſicut cibus ſemper eſt cibus quando non corrumpitur; ita Chriſtus ſemper retineat rationem cibi per ſuam præſentiam quamdiu ſpecies non corrumpuntur: atqui cibum eſſe cibum quamdiu ſpecies durant, ſolùm eſt naturaliter verum; nam diuinitus certum eſt poſſe auferri ſubſtantiam manentibus integris accidentibus; ergo etiam erit dicendum, non obſtante veritate conſecrationis in primo inſtanti, nihilominùs poſſe diuinitus auferri Chriſtum inde ante ſpecierum corruptionem. Quando autem Patres dicunt nos non debere dubitare de veritate verborum, veriſſimè dicunt, & optimè diſcurrunt; quia non magis debemus dubitare panem à piſtoribus factum eſſe verum panem, quàm Chriſtum poſt verba conſecrationis eſſe ſub ſpeciebus: at vti optimè ſtat; vt non obſtante ea ratione non dubitandi poſſit Deus de abſoluta potentia auferre deinde ſubſtantiam panis ex illis ſpeciebus, ſub quibus piſtor pinſuit verum panem; ita etiam videtur optimè fieri poſſe, vt non obſtante eâ veritate conuerſionis panis in corpus Chriſti poſſit diuinitus ex eis ſpeciebus auferri Chriſtus; ſicut ex illis ipſis, ſi conſecratæ non fuiſſent, potuiſſet diuinitus auferri panis ſubſtantia. Ratio à priori, quia non debemus dicere, magis neceſſariò ſub eis contineri Chriſtum, quàm ante conſecrationem continebatur ſubſtantia panis, ſeu quàm in ſpeciebus nunquam conſecrandis continetur panis; & ſaltem vi inſtitutionis eius Sacramenti non poteſt vlla ratione maior neceſſitas inferri, aut dici Deum magis ligaſſe ſibi in vno caſu quàm in altero manus.

Poteſt abſolutè Chriſtus ante ſpecierū corruptionem ſe à Sacramēto altaris tollere.

SVBSECTIO III.

Obiectiones contra hanc doctrinam ſoluuntur.

18 RESTAT autem nunc difficultas illa, quòd ſcilicet non videamur eſſe certi omni certitudine de exiſtentia Chriſti ſub ſpeciebus, etiamſi ſciamus validè illas fuiſſe conſecratas; hoc autem videtur planè abſurdum & contra modum loquendi Patrum. Sequela autem probatur, quia cùm ſupponamus poſſe diuinitus contrarium fieri, profectò dubium eſſe ſemper poteſt, vtrùm de facto id ita fecerit; & ſaltem per hoc tollitur ſumma certitudo quæ poterat eſſe: vti non eſſet vllo modo de Fide id cuius contrarium diuinitus contingere poſſet etiam in ſenſu compoſito reuelationis, quia tunc ille actus ſimpliciter ſaltem diuinitus poſſet eſſe falſus: id quod omnino repugnat. Vrgeo hoc ipſum; nam permanentia Chriſti ſub ſpeciebus eſt miraculoſa; ergo ſi non obſtante veritate verborum conſecrationis Chriſtus poteſt ceſſare durare ſub illis ſpeciebus, profectò non ſolùm diuinitus, ſed naturaliſſimè poterit; quia ceſſare ibi eſſe, non erit miraculum, quin potiùs ceſſatio à miraculo; ergo omnino negandum eſt poſſe deſinere ibi eſſe Chriſtum etiam diuinitus ſalua veritate verborum conſecrationis.

Obiectio, Quomodo poſſimus eſſe certi de Chriſti exiſtentia ſub ſpeciebus.

Reſpondeo ad præcipuam difficultatem, eſſe quidem de Fide, ſi omnia requiſita adſint, panem conuerti in corpus Chriſti; quamdiu autem ibi Chriſtus perſeueret non eſſe de Fide, ac proinde non ſequi quidquam contra veritatem myſterij, aut contra actum Fidei, ex eo quòd de abſoluta potentia poſſit inde auferri antequam ſpecies corrumpantur. Quod verò de certitudine dicebatur non habet vllam difficultatem, quia nec Eccleſia nec Patres vnquam maiorem certitudinem dixerunt eſſe, quòd ego in Sacro ſumam corpus Chriſti, quàm ille qui in piſtrino accipit panem, eumque comedit, habeat certitudinem, quòd comedat verum panem; & tamen diuinitus Deus potuit relictis ſpeciebus illis in piſtrino auferre ſubſtantiam panis inde non obſtante tota ea certitudine; ergo idem erit in præſenti.

Reſponſio. Nō eſſe de fide quadiu Chriſtus perſeueret ſub ſpeciebus.

Vrgebis: Vel verba præciſè ſignificant eſſe Chriſtum ſub ſpeciebus primo inſtanti quo perficitur conſecratio, vel ſequentibus: ſi primo, ergo vi conſecrationis non manet naturaliter Chriſtus conſtanter ſub ſpeciebus conſecratis: quod eſt hæreticum: vel ſignificant etiam deinde manſurum; & tunc habet locum adhuc argumentum ſuprà factum, quòd ſcilicet repugnet, ſi ea ſemel ſunt vera, ceſſare deinde Chriſtum ibi eſſe; quia iam eo ipſo non fuiſſent vera. Reſpondeo, iis verbis nihil amplius ſignificari quàm, *Hic ſuccedit Chriſtus loco panis, eo modo manſurus quo maneret panis.* Ex hac autem veritate rectè inferimus eum manere conſtanter; vti in pane non præſumimus auferri ſubſtantiam illius; quia de miraculis illis nihil præſumimus: vti quando Chriſtus conuertit in Cana Galilææ aquam in vinum, rectiſſimè & eadem veritate potuit ea verba proferre, *Hoc eſt vinum*, qua protulit ſuprà panem, *Hoc eſt corpus meum*; tunc autem ea verba ſignificaſſent vinum ſucceſſiſſe eo modo quo anteà erat aqua; vnde bibentes ex illo deinde non poterant rationabiliter dubitare, ſe bibere vinum quamdiu ſpecies durarunt; & tamen nemo prudenter poterit negare, etiam ſuppoſito eo miraculo, & illorum verborum veritate, adhuc fuiſſe poſſibile diuinitus Chriſto deſtruere inde ſubſtantiam vini relictis ſpeciebus: hoc ipſum nos in præſenti dicimus. Addo ex aliis capitibus, poſſe nobis multò maius inſurgere dubium, an dum communicamus recipiamus Chriſtum; tum quia Sacerdos debita intentione carere poteſt; tum quia fortaſſe nec verus eſt Sacerdos; fortè etiam non fuit

19 *Replica.*

Reſponſio. Chriſtus manet ſub ſpeciebus eo modo quo ante panis ſub iiſdem manebat.

Poſſibilis eſt deſtructio vini manentibus ſpeciebus.

Digitized by Google

fuit verus panis aut verum vinum; quæ omnia ſine vllo prorſus miraculo contingere poſſunt; at Chriſtum diuinitus inde ſe ſubtraxiſſe nequaquam præſumendum eſt, quia talia miracula non debemus nec quidem ſub dubio reformidare, niſi fundamentum aliquod pro illis habeamus, quale hîc non habemus.

20 Ad confirmationem à nobis ſuprà poſitam facilè reſpondeo, Salua veritate verborum non poſſe naturaliter Chriſtum deſinere eſſe ibi, poſſe tamen diuinitus: vnde ſiue conſeruatio Chriſti ſub ſpeciebus ſit abſtrahendo à verbis miraculoſa, & ablatio è contrario eſſet naturalis, negandum eſt Chriſtum ſuppoſita ea veritate poſſe naturaliter deſinere. Ratio eſt clara ex dictis, quia veritas verborum petit ſuccedere Chriſtum ſub illis ſpeciebus eo modo quo ibi eſſet panis, iuxta dicta: atqui panis naturaliter non poteſt deſinere antequam corrumpantur ſpecies; ergo Chriſtus etiam non poterit deſinere: è contrario verò ſicut panis poteſt diuinitus deſinere manentibus ſpeciebus, poterit etiam Chriſtus omnino inuiolata manente verborum veritate.

Quomodo ſit de Fide, Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus.

Replicabis; Ergo abſolutè non eſt de Fide, ſub ſpeciebus ritè conſecratis manere Chriſtum; quia non eſt de Fide, eiuſmodi miraculum non eſſe re ipſa factum. Reſpondeo, Eſſe de Fide, Chriſtum ibi manere, niſi Deus miraculosè contrarium diſponat; quia verò vt omnino certum ſupponitur Deum non facturum hoc miraculum, ideò meritò iudicari quaſi de Fide eam perſeuerantiam. Quæ ſolutio maximè habere poteſt locum iuxta principia Patris Tanneri & ipſius Cardinalis Lugo, quòd ſcilicet etiamſi admiſceatur in ſyllogiſmo aliqua præmiſſa ſolùm naturaliter vera, concluſio tamen ſit de Fide; cùm ergo ibi ponatur præmiſſa illa naturaliter certiſſima, quòd Deus tale miraculum non faciet, eſto poſſet, & altera præmiſſa de Fide, quòd tamdiu ibi Chriſtus maneat, quamdiu Deus diuinitus contrarium non vult, poteſt abſolutè in ea ſententia dici, de Fide eſſe, Chriſtum ibi manſurum. Quòd ſi magis iuxta mea principia res debeat diſcuti, poterit dici, Solùm eſſe de Fide, Chriſtum ibi eſſe poſitum, & manſurum quouſque ſpecies corrumpantur, niſi Deus diuinitus contrarium fecerit; quia verò non reuelauit ſe id non facturum, propterea non eſſe eam continuam permanentiam omnino de Fide; ideò ſuprà dixi, Solùm eſſe quaſi de Fide, quia reuerà nullibi eſt reuelatum Chriſtum nunquam ſe inde ſubtracturum ante corruptionem ſpecierum: eſt tamen id omnino certum, ita vt qui de ea redubitauerit, poſſit meritò iudicari hæreticus; quia magis cenſebitur dubitare de valore conſecrationis quàm de eo miraculo; vti eſto non ſit de Fide me eſſe hominem; vbi enim quæſo eſt id definitum? ille tamen qui diceret me non eſſe conceptum in originali, aut me non eſſe capacem Sacramentorum, vel non eſſe eleuatum ad ordinem gratiæ, iudicari deberet hæreticus; quia prudenter non cenſeretur dubitare quòd ego ſim homo; ſed de illa veritate Fidei vniuerſali, *Quòd omnis homo eſt conceptus in originali*; aut de illa, *Quòd omnis homo poſſit ſuſcipere Sacramenta, & ſit ad gratiam eleuatus.* Vnde concludo, Satis probabiliter poſſe defendi eam ſententiam Recentiorum, quòd ſcilicet debeat ad perſeuerantiam Sacramentorum intelligi perſeuerantia voluntatis Chriſti non ſe inde ſubtrahendi, ac proindè vi ſolius præceſſionis verborum non intelligi illud Sacramentum; per quod tamen non excluduntur verba præterita, vt ſuprà benè contra eos Auctores oſtendit Cardinalis Lugo, & nos ex ipſo diximus.

In Tannerii & Cardinalis Lugo ſententia eſt de Fide.

In noſtra non omnino eſt Fidei, ſed tamen certum.

Concluditur, ad perſeuerantiam Sacramentorum requiri perſeuerantiam Chriſti voluntatis

12 Illud tamen obſeruo, hunc Auctorem, cùm obieciſſet ſibi, carentiam reuocationis ſaltem partialiter debere componere Sacramentum, reſpondere Primò concedendo id eſſe neceſſarium, non tamen propterea admitti aliam formam poſitiuam quàm verba; quia ipſa non-reuocatio eſt quaſi moralis verborum perſeuerantia. Quam ſolutionem ego etiam omnino probo; intelligendam tamen iudico cum ea limitatione quam ego addidi, vt ſermo ſit de nulla alia forma poſitiua; nam carentia reuocationis vt talis, & vt requiritur ad Sacramentum hoc ſolum, addit ſupra præterita verba carentiam actus contrarij in Chriſto: ſi autem loquamur de forma priuatiua, certum eſt eam perſeuerantiam moralem verborum plus dicere quàm phyſicam verborum præteritionem: ea enim ſola non conſtituit non-retractationem, quam diximus requiri; debet ergo illa forma negatiua ſuperaddi. Et hæc de prima Cardinalis Lugo ſolutione.

Explicatur modus loquendi Cardinalis Lugo.

In ſecunda ſua reſponſione ſecum pugnat.

Secundò ille reſpondet, Eſto admittatur eam non reuocationem eſſe neceſſariam, non tamen propterea illam fore partialem formam Sacramenti, ſed ſolam puram extrinſecam conditionem, vt verba præcedentia ſignificent in actu ſecundo; vti quando Superior dat ſubdito facultatem aliquid faciendi, quamdiu non reuocauerit ſuam voluntatem, illa non-reuocatio ſolùm eſt conditio extrinſeca: ſola enim conceſſio præcedens eſt quæ dat facultatem. Hanc ſolutionem ſecundam iudico eſſe omnino contrariam principiis huius Auctoris, quibus optimè alioquin impugnat connotata; cenſeo etiam abſolutè non poſſe ſuſtineri: etenim purè putè tel quis omnibus manentibus, & ſola ablata ea non-reuocatione perit Sacramentum, iuxta id quod pro hac ſolutione admittitur; ergo ea non reuocatio formaliſſimè eſt pars Sacramenti, & non pura conditio. Confirmatur euidenter ex certa apud hunc Auctorem inſtantia, quòd peccatum habituale dicat vt partem non ſolùm peccatum præteritum, ſed etiam inadæquatè ipſam non-reuocatioem per ſatisfactionem ſufficientem, aut per non-condonationem: id quod probat hic Auctor, & omnes alij qui eam doctrinam tenent; nam omnibus aliis permanentibus ſola ablata ea carentia condonationis non manet iam ampliùs peccatum habituale; inde enim inferunt (& quidem optimè) Ergo ea carentia eſt pars & non extrinſeca conditio ad peccatum. Quis autem non videat ſtatim eandem omnino eſſe rationem de Sacramento (ſic dicam) habitualiter perſeuerantem; nam ſola ablata eâ carentia ceſſat illud, vt dixi; ergo ea carentia eſt pars illius vt habitualiter permanentis. Quòd verò dicebat hic Auctor de illa conceſſione ſuperioris, ſcilicet totam facultatem prouenire à præterita conceſſione, habet eodem modo contra ſe inſtantiam in exemplo poſito; nam tota facultas (vt ſic dicam) quæ in Deo reſultat ad odio habendum & puniendum peccatorem, reſultat ex peccato præcedenti actualiter; non minùs

Oſtenditur in eius principiis non reuocationem eſſe partem Sacramenti;

A ſimili de peccato habituali

22

Et facultate à Superiore conceſſa.

Digitized by Google

nùs quàm facultas ſotas eundi reſultat in me ex licentia conceſſa mihi à Superiori heri: ergo ſicut hoc non obſtante ea non ſatisfactio, ſeu ea non-condonatio eſt pars peccati habitualis vt talis; ita eodem modo ea non-reuocatio Superioris erit pars licentiæ illius vt permanentis moraliter, ſiue iam illam vocemus formam, ſiue materiam, ſiuè alio nomine; de quo non ſum ſolicitus: ſi enim ſemel dicatur pars, eius facultatis, nihil iam curo quomodo ſit vocanda: quando ergo dicitur totam facultatem prouenire à præcedenti conceſſione diſtinguendum eſt; nam ea facultas dupliciter poteſt conſiderari, vel vt fuit heri, & pro heſterna die; hoc autem ſenſu ſine dubio prouenit ab heſterna ſola conceſſione: aliter ergo conſideratur vt hodie durat, & pro hodierna die dat licentiam; ſub hac autem conſideratione dico non reuocationem debere neceſſariò dici partem eius facultatis: vnde concludo, Si ſemel admittatur (vt admitti debet iuxta hucuſque dicta in ſolutione ſecunda) eam non-reuocationem voluntatis Chriſti requiri ad hoc vt ſignificatio Sacramentalis in actu primo duret, admitti etiam debere, eam eſſe partem Sacramenti vt perſeuerantis. Et ſatis de hac digreſſione occaſione eius ſolutionis.

Quòd ſi alicui durum videatur aſſerere, non eſſe abſolutè vndequaque de Fide, Chriſtum manere toto tempore quo ſpecies conſecratæ durant (eſto id non colligatur ex vi verborum, in quo minus mihi placet Cardinalis Lugo ob dicta, & in quo è contrario acquieſco eis Recentioribus) dicat Chriſtum maiori adhuc rigore ſe adſtrinxiſſe eis ſpeciebus quàm illis fuerit adſtricta panis ſubſtantia, aut quàm vnquam etiam ante inſtitutionem huius Sacramenti fuerit vlla panis ſubſtantia adſtricta vilis ſpeciebus; de hac verò voluntate Chriſti nobis conſtare non tam ex veritate verborum quàm ex traditione: fuit enim id creditum in Eccleſia ſemper, quandoquidem ſemper fuit indicatum Chriſtum tamdiu manere quamdiu ſpecies durant. Fortaſſe ipſe Chriſtus reuelauit Apoſtolis ſe ſemel poſitum ſub ſpeciebus nunquam ab illis receſſurum; etiamſi abſolutè id non repugnaret etiam ſuppoſita conſecrationis veritate.

Quomodo dicendus ſit Chriſtus ſe adſtrinxiſſe ſpeciebus.

23 Vrgebis tamen cum eo Auctore: Tridentinum Seſſione 13. cap. 5. ex veritate verborum deducit, Sacramento huic ab omnibus Chriſti fidelibus pro more in Eccleſia Catholica ſemper recepto latriæ cultum in veneratione exhiberi: hinc enim deducitur, ipſam veritatem verborum perſuadere eam permanentiam; nam alioquin non probaretur ex ea veritate deberi adorationem: adoratio enim Saramento huic conceditur dum ſolemniter defertur, ob actualem præſentiam Chriſti tunc temporis, non præcisè ex eo quòd in ipſo inſtanti conſecrationis Chriſtus fuerit præſens. Reſpondeo, Hoc teſtimonium leue eſſe pro hoc intento: etenim, quidquid iam ſit de puncto hoc præſenti noſtræ quæſtionis, certiſſimum eſt Eccleſiam multa alia ſupponere pro ea adoratione, quam tribuit huic Sacramento; quæ tamen non deducuntur ex vi verborum. Nam quamuis certum ſit Sacerdotem legitimè conſecrantem, & cum debita intentione celebrantem; ponere Chriſtum ſub ſpeciebus; non eſt tamen de Fide, (multò autem minus id ſequitur ex veritate verborum) quòd ille fuerit verè conſecratus, aut quòd habuerit veram intentionem; aut quòd ſpecies illæ quæ in Proceſſionibus deferuntur, ſint ex tritico; aut quòd non ſit poſita ibi aliqua hoſtia non conſecrata loco conſecratæ; aut quòd actu non ſint corruptæ ſpecies, eſto fortè exteriùs bonæ videantur: quacumque enim ex his circumſtantiis deficiente deficit ibi eſſe Chriſtus, non eſt autem de Fide vllius ex illis exiſtentia hîc & nunc, multò autem minùs omnium ſimul; & tamen Concilium vniuerſaliter infert, In Eccleſia optimam eſſe conſuetudinem exhibendi eam adorationem ſpeciebus, ſupra quas reputatus Sacerdos protulit verba conſecrationis. Si ergo potuit Concilium dicere, Iure merito non obſtantibus eis periculis adorationem exhiberi, quia ea moraliter non attenduntur; profectò multò meliùs potuit dicere, Deberi eis ſpeciebus adorationem, etiamſi diuinitus potuerit Chriſtus ſe ſubtrahere; quia huiuſmodi miracula multò minùs moraliter debent timeri quàm ea alia quæ poſſunt ſine vllo penitus miraculo contingere. Mens ergo Concilij illa eſt, vt definiat ex veritate verborum optimè concludi, Chriſtum eſſe poſitum ſub ſpeciebus, & quidem (vt diximus ſuprà) indefectibiliter, naturaliter loquendo; ac proinde quia miraculum nouum ſubtractionis ex ſpeciebus non debet timeri: quo enim fundamento illud timebimus? proptereà colligi, iure merito deberi eis ſpeciebus adorationem latriæ, licet cum hoc optimè ſtet, quòd aliquando ceſſare diuinitus Chriſtus poſſit ab ea præſentia tota verborum veritate integra.

Replicatur ex Concilio Tridentino

Quomodo rectè datur cultus latriæ Sacramentum Altaris, etiã ſi non ſit Fide,

Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus.

Adde, fortaſſe poſſe concedi, etiam ex veritate verborum colligi eam perſeuerantiam, non quidem eo rigore, quòd propriè redderentur falſa, ſi contrarium contingeret; ſed quia ſi ſemel ſunt vera ponendò ibi Chriſtum, cùm perſeuerantia vlterior naturaliter ſequatur ex poſitione, eſto per verba non affirmetur, meritò verbis tribui illa poteſt, iuxta principium tritum, *Qui dat formam, dat conſequentia ad formam*; vt ſi quis diceret, *Ecce hic habemus panem ad comedendum*, rectè alius inferret, *Si hoc verum eſt, ergo hodie non moriemur fame*; certè illam conſequentiam omnes bonam dicent: & tamen nemo poteſt negare, quin etiam data veritate illius propoſitionis, quòd habeamus panem, poſſit diuinitus, antequam comedamus, auferri nobis ille panis; taceo quòd naturaliter poſſint alij venire qui panes auferant, & nos moriamur fame: & vt rem magis vrgeam, pone me dixiſſe, *Hodie comedi ad ſatietatem*, quis dubitet ex veritate hac colligi rectiſſimè, *Ergo hac hora; ſeu hodie, non moriar fame*; nemo hanc illationem vt malam reiiciet: & tamen diuinitus tota illa veritate priori integra manente poſſunt omnes cibi ex meo ſtomacho ita auferri, vt ego etiam hodie enecer fame. Ratio à priori eſt, quia conſequentiæ hæ & veritates ſemper æſtimantur planè independentes à caſibus ſolùm ſecundùm abſolutam potentiam poſſibilibus; ergo rectè dicere poſſumus, Ex veritate verborum eam præſentiam colligi, non quia vera eſſe abſolutè loquendo non poſſint, ſi Chriſtus ceſſaret ibi eſſe; ſed quia naturaliter eſt connexa hæc præſentia veritati per verba ſignificatæ. Et de hac quæſtione occaſione Recentiorum & Cardinalis Lugo hactenus.

24 *Quæ certitudine colligi poſſit Chriſti ſub ſpeciebus perſeuerantia.*

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

Obiectiones ad probandum verba non eſſe partem Sacramenti Euchariſtia.

25 VT ad præcipuam verò difficultatem de verbis vt conſtituentibus Euchariſtiam redeamus, obiici adhuc poteſt, Si ratio à nobis ſuprà facta alicuius eſſet momenti, etiam intrarent vt pars Euchariſtiæ tum Sacerdotium ipſius conſecrantis, tum illius intentio; hoc autem videtur falſum, ergo. Sequela probatur, quia ſi proferens verba careat intentione, vel non ſit re ipſa conſecratus Sacerdos, non conficiet Sacramentum. Vrgetur eadem obiectio in ipſa ſubſtantia panis & vini: etenim etſi Chriſtus eſſet ſub ſpeciebus, & verba conſecrationis proferrentur; ſi tamen non fuiſſet ibi ante conſecrationem ſubſtantia panis, non eſſet Sacramentum Euchariſtiæ, ergo etiam ſubſtantia panis præterita conſtituit formaliter Sacramentum: id quod & abſurdum eſt, & contra dicta à nobis ſuprà, vbi oſtendimus eam potiùs eſſe materiam remotam, & quæ per Sacramentum excluditur, quàm intrinſecam & componentem.

Obiectio: Cum ſubſtantia panis non ſit pars Sacramenti; cùm ſine illo non eſſet Sacramentum.

Reſponſio Cardinalis Lugo reiicitur.

Ad hanc obiectionem quoad vltimam inſtantiam de ſubſtantia panis & vini reſpondet Cardinalis Lugo negando ſequelam; quia ea ſola cenſentur componere Sacramentum, quæ conſtituunt illud in ratione ſigni ſenſibilis gratiæ, vel in ratione cauſantis ipſius gratiam. Panis autem ſubſtantia neque eſt ſubſtantia ſenſibilis, neque cauſat gratiam; hæc enim poteſt ſufficientèr cauſari à corpore Chriſti; ergo non eſt pars Sacramenti. Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit ex integro, quia verba ſiue cauſent, ſiue conſtituant in ratione ſenſibilis, ſiue non, ſunt tamen pars Sacramenti; quia ea omnia ſunt pars Sacramenti, quibus præcisè ablatis cæteriſque manentibus non manet formaliter Sacramentum. Ex quo capite infert optimè idem Auctor, Intentionem miniſtri conſtituere partialiter Sacramentum, eſto illa in ſe non videatur; ac proinde eſto non conſtituat in ratione ſenſibilis ipſum Sacramentum; eſto etiam non videatur neceſſarium, quòd illa cauſet gratiam: hæc enim cauſari efficienter poteſt ab ablutione & verbis.

Reſponſio. Etiamſi non fuiſſet panis ſed ſola ſpecies, ex vi tamen verborum poneretur Chriſtus.

26 Vt ergo conſtanter nos diſcurramus ad generale illud principium, reſpondeo ad hanc vltimam obiectionem negando ex pura panis & vini ablatione ceſſaturum Sacramentum; ſed quia eo caſu obiectionis non poneretur ibi corpus Chriſti: vnde addo, Si daremus illum caſum, in quo Sacerdos proferens verba ſupra ſolas ſpecies, à quibus diuinitus abeſſet ſubſtantia panis, poneret tamen ſub eis corpus Chriſti; dico tunc dandum re ipſa Sacramentum, quale de facto datur, & verò idem numero, quia nullum ex conſtitutiuis intrinſecè illius eo caſu deeſſet, ſed ſola mutata fuiſſet conditio extrinſeca, requiſita de facto ad poſitionem Chriſti: mutatio autem extrinſeca cauſarum non mutat totum, ſi maneant omnia conſtitutiua Sacramenti intrinſeca eadem quæ antea. Et hæc pro ea inſtantia de ſubſtantia panis & vini.

Iam ad alteram difficiliorem de intentione Miniſtri & poteſtate Sacerdotis: & quidem quoad intentionem (vt benè obſeruauit Cardinalis Lugo) aliqua differentia eſt inter Euchariſtiam & alia Sacramenta; nam in aliis (vt ſuprà oſtendimus) formaliter ex ſola ablatione intentionis, nulla alia penitus re ſublata, non eſt Sacramentum; ergo hoc in ſuo conceptu eſſentiali includit intentionem: hæc autem ratio ceſſat omnino in Euchariſtia; nam ablata intentione Sacerdotis non ceſſaret Sacramentum, ea præcisè ratione quod illa ceſſaret, ſed quia eo ipſo Chriſtus, qui eſt pars Sacramenti eſſentialis, non poneretur ſub ſpeciebus; ac proinde ſolùm arguitiuè, non formaliter, ex defectu intentionis deſineret eſſe Sacramentum.

Intentio Miniſtri eſt etiam pars Sacramenti Euchariſtiæ.

Fateor hac ratione oſtendi, non eſſe in Euchariſtia eam neceſſitatem claram, quæ eſt in aliis; putarem tamen adhuc aliunde rem eſſe dubiam; nam pro ea ipſa differentia ſupponitur id, quod licet non repugnet, non tamen vllo modo conſtat re ipſa de facto contingere, ſcilicet, quantumuis deeſſet intentio in Sacerdote, ſi tamen Chriſtus poneretur ſub ſpeciebus, fore ibi Sacramentum: videtur enim id ſatis probabiliter poſſe negari; nam Concilium Florentinum nullo alio modo loquitur de intentione Miniſtri in hoc Sacramento quàm in aliis; nullam enim exceptionem hîc facit: ergo ſicut nos dicimus *τὸ confici*, quod Concilium applicat intentioni, verbis & rebus, intelligi non de ſola cauſalitate, ſed de conſtitutione formali Sacramenti, ideóque omnia illa tria includimus vt partes Sacramentorum; debemus etiam id ipſum in hoc Sacramento dicere, maximè cum nihil ſit quod nos poſitiuè cogat ad excludendam eam intentionem à ratione partis; nam argumentum ſuprà allatum ſolùm eò tendit, vt oſtendat è contrario non eſſe neceſſarium includere intentionem; cui ſufficienter reſpondetur dicendo inde deſumi ſufficientem neceſſitatem, eò quòd ſicut Concilium vniuerſaliter loquitur, ita nos velimus diſcurrere æqualiter in omnibus, cùm nullum habeamus fundamentum ad dicendum, aliter voluiſſe Chriſtum pertinere intentionem ad conſtitutionem reliquorum Sacramentorum quàm ad conſtitutionem Euchariſtiæ. Ex quibus omnibus concludo vt probabilius, omnino ingredi eam intentionem tanquam partem in conſtitutionem Euchariſtiæ, ac proinde ſi Deus ſine vlla intentione in Sacerdote conſecrante poneret nihilominùs ibi Chriſtum, vel non fore vllum Sacramentum, vel inadæquatè diuerſum à noſtro. Et ſatis de intentione Miniſtri.

Si Chriſtus ſub ſpeciebus poneretur ſine intentione non eſſet Sacramentum, aut non idē.

27 Quoad poteſtatem verò ipſius Sacerdotis videtur omnino debere nos negare eſſe partem: ea enim ſolùm ratione poteſtas illa requiritur, vt ſub ſpeciebus ponatur Chriſtus: ergo non eſt neceſſarium eam poteſtatem ponere vt partem. Aliunde tamen aliqua eſt in hac poteſtate ratio dubitandi, quia ſaltem videtur requiri vt Sacramentũ hoc fiat viſibile: ablata enim ea poteſtate etiamſi quis proferat verba, nihilominus nullus iudicabit ibi eſſe Sacramentum.

An poteſtas Sacerdotis ſit pars Sacramenti Euchariſtiæ.

Dices: Illa ipſa poteſtas non minùs eſt occulta quàm intentio Sacerdotis: ergo ex hoc capite nil per illam explicatur exteriùs magis quàm per intentionem; ac proinde nec erit maior ratio includendi hanc poteſtatem quàm includendi ipſam intentionem. Huic argumento reſpondet Cardinalis Lugo, Ad hoc Sacramentum non concurrere poteſtatem ipſam Sacerdotalem interiorem,

Cardinalis Lugo reſpondet argumento contra poteſtatem.

teriorem, ſed illam vt exteriùs collatam, ſeu quatenus exteriùs eum Sacerdotem conſecrauit Epiſcopus; vnde videtur tacitè innuere, etiamſi homo non eſſet re ipſa Sacerdos, quia Epiſcopus non habuit voluntatem illum ordinandi, vel quia reuera ipſe non voluit accipere Ordinem; ſi tamen ille deinde proferret verba conſecrationis, & Deus miraculosè poneret Chriſtum ſub illis ſpeciebus, futurum verum Sacramentum, non minùs quam ſi valida facta eſſet conſecratio à vero Sacerdote. Hæc ſolutio eſt ſatis probabilis, vt diximus ſuprà de intentione: adhuc tamen videtur eſſe difficultas aliqua contra illam; Primò, quia ob eam exteriorem ſenſibilitatem non requiritur exterior illa collatio poteſtatis, ſed ſufficeret, ſi Epiſcopus aliquis diceret ſe illum conſecraſſe in Sacerdotem: eo enim ipſo conſecratio facta ab illo ſic declarato Sacerdote eſſet ſignum ſenſibile gratiæ. Imò quando quis in prouincias aliquas remotas aduenit, & publico teſtimonio, falſo tamen, quia ad alium Sacerdotem pertinebat, aut quia ipſe illud confinxit pro ſe, oſtendit omnibus ſe eſſe Sacerdotem, ſequeretur eam publicationem, ſeu ea teſtimonia, eſſe partem Sacramenti Euchariſtici; ideóque ſi Deus ad fictam illius conſecrationem poneret ibi Chriſtum, fore idem numero Sacramentum cum eo quod iam eſt: hoc autem eſt abſurdum; quis enim dicat eſſe partem intrinſecam Euchariſtici Sacramenti fictas illas Bullas?

28 *Quæ ſenſibilitas requiratur in poteſtate Sacerdotali.* Reſpondebis fortè, Eas non poſſe eſſe partem Sacramenti, quia non habent ſufficientem ſenſibilitatem, cùm non ſit quid vniuerſaliter notum, ſed ſolùm legentibus: deinde eſt aliquid de quo dubitari poteſt, an ſint fictæ. Sed contrà, quia non ſunt minùs publicæ, imò multò magis quàm impoſitio manuum, quæ poteſt coram duobus aut tribus tantùm fieri in ſecreto cubiculo; imò in rigore ſolus Epiſcopus poteſt validè illum conſecrare ſine vllo alio teſte: quomodo ergo tunc eſſet maior publicitas in ea actione quam ſit in Bullis? Quod de dubitatione, cui Bullæ ſunt expoſitæ, dicitur, nullius eſt momenti: tum quia etiam poteſt dubitari, vtrùm Epiſcopus habuerit intentionem veram; item, vtrùm ipſe ſuſcipiens voluerit ſerò accipere Ordinem: & tamen hoc non obſtante pars eſt Sacramenti ea manuum impoſitio, quia moraliter præſumitur valida; poterit ergo eodem modo Bulla illa intrare vt pars. Et ſanè me eſſe Sacerdotem nemo hîc in Bohemia ſcit, niſi quatenus in litteris meorum Superiorum, qui me huc miſerunt, ſum vt Sacerdos agnitus: ordinationem enim meam nemo ex illis vidit; ergo eſto ea ordinatio re ipſa non fuiſſet, ſi eadem teſtimonia exteriora de meo Sacerdotio manſiſſent; eodem planè modo eſſet hîc in Bohemia ſenſibilis mea poteſtas celebrandi, ac de facto eſt; ergo eodem modo deberet tunc iudicari validum Sacramentum, ſi me tunc non habente intentionem conſecrandi Deus tantùm poneret Chriſtum ſub ſpeciebus, ac ſi iam quando verus ſum Sacerdos conſecrarem ſine intentione; & tamen Deus poneret Chriſtum ſub eis ſpeciebus, quia ſenſibilitas tunc eſſet eadem: Chriſtus autem eodem modo eſſet ſub ſpeciebus: ergo.

29 Dices fortè adhuc: Senſibilitas Sacramenti debet deſumi ab aliqua actione à Chriſto inſtituta, quæ etiam ſit ſenſibilis; nam partes Sacramenti non poſſunt niſi à ſolo Deo determinari: cúmque impoſitio manuum facta ab Epiſcopo ſit actio exterior inſtituta à Chriſto, optimè poteſt eſſe pars Sacramenti: at Bullæ illæ non ſunt inſtitutæ à Chriſto, ac proinde non poſſunt eſſe pars Sacramenti Euchariſtiæ. Sed contra, quia licet conſtet nobis Chriſtum requiſiuiſſe eam manuum impoſitionem pro valore Sacramenti Euchariſtici, nullo tamen modo conſtat requiſitam fuiſſe vt partem: dicunt enim Aduerſarij, ſolùm requiri vt ponatur ibi Chriſtus & per modum cauſæ efficientis; ac proinde ex nullo capite conſtat, ſed potiùs gratis ab his cum quibus ago docetur, Si ſub iis ſpeciebus poneretur Chriſtus independenter ab ea manuum impoſitione, non futurum Sacramentum Euchariſtiæ: in tantum ergo hi Auctores recurrunt ad eam impoſitionem, vt poſſit fieri ſenſibilis poteſtas. Atqui ea poteſtas ſit ſenſibilis per eas Bullas non minùs quàm per manuum impoſitionem; ergo. Neque obſtat, quòd Chriſtus non inſtituerit eas Bullas ad hunc finem, quia certiſſimum eſt, ſi Deus reuelaret nobis ſe Petro independenter à conſecratione per manus Epiſcopi dediſſe poteſtatem validè ponendi corpus ſub ſpeciebus, futurum tamen idem numero Euchariſtiæ Sacramentum quod ille Sacerdos tunc conficeret, ac noſtrum eſt de facto; & tamen nemo dicet, quod illa reuelatio eſſet à Chriſto inſtituta ad hoc, vt eſſet pars Euchariſtiæ, ſed purè putè ſe haberet vt manifeſtans eam poteſtatem; & quidem hoc haberet adæquate ex natura rei independenter ab omni alia inſtitutione: atqui illa teſtimonia publica ex natura ſua faciunt ſenſibilem eam poteſtatem; nam licet in hoc differant à reuelatione, quòd hæc non poſſet eſſe falſa, in illis verò teſtimoniis poſſit eſſe error: hæc tamen differentia tota eſt ad præſentem quæſtionem inutilis, quia ſenſibilitas quæ requiritur pro Sacramentis non eſt talis, cui non poſſit ſubeſſe falſum. *Senſibilitas illa non eſt talis cui non poſſit falſum ſubeſſe.* Etenim illa ipſa manuum impoſitio eſſe poteſt falſum ſignum, ſi Epiſcopus non habeat intentionem ordinandi. 30 *Oſtenditur exemplis.* Præterea ipſa verba, quibus dico, *Ego te baptizo*, poſſunt eſſe falſum Baptiſmi ſignum, ſi ego non habeo intentionem baptizandi; & tamen quia ex ſe moraliter faciunt ſenſibilem meam intentionem, ſunt ſufficientia ad Baptiſmum: ergo cum Ordo Sacerdotis non requiratur ipſe tanquam pars Euchariſtiæ iuxta hanc doctrinam, ſed purè putè vt re ipſa ponatur Chriſtus ſub ſpeciebus, exterior verò conſecratio ſolùm ſit neceſſaria, vt aliis conſtet de ea poteſtate; ſine dubio ſi daretur talis poteſtas, & de illa nobis conſtaret ſine conſecratione exteriori in Sacerdotem, vndecumque id ſciremus, eſſet id ſufficientiſſimum, vt poſtea dum ille celebraret, & Chriſtum poneret ſub ſpeciebus, eſſet ibi Sacramentum ſufficienter ſenſibile: ergo cùm iuxta ſolutionem quam diſcutio, eſto nullus ſit re ipſa Ordo in Sacerdote, ſi tamen reputetur talis, & faciat Sacrum, ac diuinitus Deus ſuppleat defectum ponendo ibi Chriſtum ſub ſpeciebus, eſſet verum Euchariſtiæ Sacramentum; profecto eodem modo debebit eſſe, eſto de Sacerdotio illius ficti Sacerdotis non conſtaret ex manuum impoſitione, ſed aliunde, dummodo eo faciente, aut potiùs fingente Sacrum, diuinitus tamen poneretur Chriſtus ſub ſpeciebus illis.

Dices

Digitized by Google

Obiectio de ſenſibilitate poteſtatis Sacerdotalis. Dices Secundò, Ea teſtimonia in tantum nobis oſtendunt poteſtatem Sacerdotalem; in quantum nobis manifeſtant conſecrationem factam ab Epiſcopo; ergo tota ſenſibilitas reſpectu noſtri tandem reducitur in eam exteriorem manuum impoſitionem, ac proinde ea erit propriè prò nobis ſignum ſenſibile; vti quando quis mihi dicit, *Hæ ſpecies ſunt conſecratæ*, haud dubiè ratio propria ſenſibilitatis etiam tunc non conſiſtit in dicto alterius referentis, ſed in verbis conſecrationis præcedentis, quæ mihi manifeſtantur tunc, & in quibus ego vltimò ſiſto: ergo ſicut hinc nón dicimus, dictum alterius eſſe formam ſenſibilem eius Sacramenti, ſed id ſolis verbis conſecrationis tribuimus; ita eodem modo dicemus in præſenti, non teſtimonia illa publica, ſed manuum impoſitionem, quæ per illa declaratur, eſſe partialem formam ſenſibilem huius Sacramenti.

31 *Impoſitio manuum ſenſibilis ad quid iuuet.* Reſpondeo, In ordine ad hoc, vt ego ſciam validam eſſe conſecrationem ſpecierum factam ab hoc Sacerdote, ideò requiri, quòd ego ſciam fuiſſe illum conſecratum ab Epiſcopo, vt ex conſecratione intelligam illum habere poteſtatem validè ponendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus: vnde ſi nihil dicendo de conſecratione præcedenti dicatur illum habere talem poteſtatem, idque credatur ab aliis, haud dubiè tunc conſecratio ſpecierum ab eo facta erit ſignum ſenſibile. Quòd ſi Chriſtus tunc ponatur re ipſa ſub eis ſpeciebus Deo ſpecialiter ſupplente illum defectum Ordinis, erit eo ipſo ibi verum Sacramentum. Ad inſtantiam ex verbis ipſis conſecrationis dicimus, illa propriè ſignificare corpus & ſanguinem vt cibum animæ, ac proinde illa eſſe veram partem componentem Euchariſtiam: quòd autem alius dicat, *Hæ ſpecies ſunt conſecratæ*, non ſignificat gratiam, niſi quatenus ſignificat ipſa verba; nam immediatè non ſignificat niſi præcedentia verba: quid ergò mirum ſi ea narratio non pertineat vllo modo ad rationem Sacramenti? At in noſtro caſu ea teſtimonia poſſunt mihi immediatè facere notam vim validè conſecrandi, quia eam poſſunt immediatè ſignificare. Ea autem ſola notitia ſufficit vt conſecratio ſit ſignum ſenſibile; ac proinde ſi aliunde, vt ſupponimus, conſtituatur ibi Chriſtus ſub eis ſpeciebus, ſit ibi ſignum ſenſibile gratiæ, eſto nihil cogitetur de vlla conſecratione. Vti conſecrationem à Chriſto factam dicimus ſignum ſenſibile gratiæ, nullo modo cogitando de vlla ordinatione ipſius Chriſti: vti etiam agnoſcimus Baptiſmum à quocumque factum eſſe validum, nihil cogitando de vllo ſigno exteriori, per quod ſit data poteſtas omnibus validè baptizandi: ergo vt concipiam eſſe validam conſecrationem ſpecierum, non eſt neceſſum mihi aliud cogitare quam, vt dixi, quòd Celebrans habeat vim ponendi ibi Chriſtum, ſiue tunc cogitem de manuum impoſitione, ſiue alio quocumque modo: vnde fit, vt meritò iuxta eam ſolutionem dici poſſint illa teſtimonia eſſe quibus ſenſibilis redditur illa poteſtas, ac proinde videatur ſequi abſurdum ſuprà poſitum.

32 *Poteſtas conſecrandi eſt pars Sacramenti Euchariſtiæ.* Iudico ergo magis conſequenter ad ea quæ tam de intentione conſecrandi, quàm vniuerſaliter de omnibus Sacramentis tradita à nobis ſunt nos diſcurſuros, ſi dixerimus poteſtatem Sacerdotalem validè conſecrandi eſſe partem huius Sacramenti; ſicut poteſtas validè baptizandi, validè ordinandi, validè inungendi, &c ſunt partes Baptiſmi, Ordinis, Extremæ Vnctionis, &c. ac proinde ſi Chriſtus poneretur ſub ſpeciebus non præcedente valida conſecratione earum ſpecierum, non futurum Sacramentum Euchariſtiæ, ſaltem quale nunc eſt. Dico *ſaltem*; nam verùm eo caſu miraculoſo Deus vellet conferre gratiam per eas ſpecies, necne, eſt omnino incertum; quia de eo puncto cùm purè putè ex voluntate Dei tunc penderet, & nihil reuelatum de ea voluntate ſit, non poſſumus nos niſi diuinando quidquam dicere. Circa Bullas verò, ſeu teſtimonia de quibus in replicis egimus, iudico eas eſſe omnino extra conceptum Sacramenti: *Bullæ & teſtimonia de poteſtate ſunt extra conceptum Sacramenti.* quod enim obiiciebatur, per illas fieri publicum Sacerdotium Celebrantis, non multum vrget; dicimus enim, ante illa teſtimonia iam fuiſſe per ſe publicum, eo ipſo quòd ab Epiſcopo collatum fuit per materiam ſenſibilem & verba ſenſibilia: neque neceſſum eſt vt poſteà in particulari conſtet cuilibet de eo Sacerdotio; vti ad hoc, vt Baptiſmus ſit validus, ſufficit enim adminiſtrari per verba & materiam, quæ natura ſua ſunt ſenſibilia; eſto nullus intelligat ea verba, neque ſciat quid ea ſignificent. Vnde dico, Eo ipſo quod poteſtas mea Sacerdotalis ex ſe ſit publica, quia collata mihi eſt per ſignum ex ſe publicum, dum accepi Ordinis Sacramentum, id ſufficere vt poſſim validè, & vt ſic dicam, ex ſe ſenſibiliter Euchariſtiæ Sacramentum conficere etiam in locis, vbi per accidens nihil ſciunt immediatè de mea ordinatione. Et ſatis de ea prima difficultate circa Sacramentum Euchariſtiæ.

SECTIO V.

Quomodo ea verba ſignificentur in Euchariſtiæ Sacramento.

33 *Sententia Cardinalis Lugo, Chriſtum in recto, verba in obliquè ſignificari: Probatio.* QVÆRIMVS, Vtrùm non ſolùm verba, iuxta dicta, ſint pars Sacramenti Euchariſtiæ, ſed etiam ſignificentur in recto, ſicut in aliis Sacramentis diximus. Negat Cardinalis Lugo ea diſput. 1. de Euchariſtia ſect. 4. quia illud ſignificatur in recto, quod ſignificatur per modum ſuſtentantis, ſeu per modum habentis; in Euchariſtia autem verba ſignificantur è contrario per modum adiacentium ſpeciebus; ergo Chriſtus ſignificatur in recto, verba autem in obliquo: in reliquis verò Sacramentis cùm ipſæ res ſint per modum actionis tranſeuntis non minùs quàm verba, & vna actio non benè ſignificetur per modum ſubiecti, aut è contrario per modum formæ habitæ ab altera actione; conſequenter verba non poſſunt concipi per modum habitorum, ſed debent in recto non minùs ſignificari quam res ipſæ, quidquid ſit de Euchariſtia, in qua ſpecies ſunt quid permanens; ideoque poſſunt iudicari per modum ſubiecti.

Reiicitur probatio ex Concilio Florentino. Iudico hanc rationem non eſſe ſolidam, & verò in ipſa ſtatim prima apparentia eſſe contra modum loquendi Concilij Florentini. Etenim ſignificari per modum habiti ab altero, nihil eſt aliud formaliſſimè quam ſignificari per modum formæ; id verò quod per modum habentis ſignificatur ſignificari per modum ſubiecti, ſiue per modum materiæ; nam materia & ſubiectum hic pro eodem vſurpatur.

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo ergo dicit hic Auctor in aliis Sacramentis verba ſignificari non poſſe per modum habitorum, hoc eſt per modum formæ, cum Concilium expreſsè dicat verba eſſe per modum formæ, hoc eſt per modum rei habitæ, & res dicat eſſe tanquam materiam, hoc eſt tanquam habentes, & vniuerſaliter quidem id definiat in omnibus Sacramentis? Adde ipſum hunc Auctorem agentem de Sacramentis in communi expreſsè docuiſſe, res eſſe per modum habentium verba; eſto deinde iam res quàm verba ſe habeant per modum materiæ reſpectu Sacramentalis inſtitutionis Chriſti. Vnde optimè ad rem noſtram infero, Etiamſi aliquo ſenſu dici poſſit verba conſecrationis eſſe per modum formæ, ſpecies verò per modum materiæ, cum hoc tamen benè cohærere, vt tam ſpecies quàm verba reſpectu inſtitutionis Chriſti ſe habeant vt ſubiectum, ac proinde illa omnia ſignificentur in recto; inſtitutio verò, quæ eſt vltima forma artificialis, non niſi in obliquo: vti in exemplo domus dixerat hic Auctor ſolam formam artificialem domus importari in obliquo; omnia autem alia ligna & trabes per modum ſubiecti. Atqui certiſſimum eſt, etiam in Euchariſtia verba conſecrationis non eſſe formam ipſam artificialem, ſeu ipſam inſtitutionem Chriſti, ſed hanc inſtitutionem non minùs cadere ſupra verba quam ſupra ſpecies: ergo ſi conſequenter eſt diſcutiendum, non minùs debemus ponere in recto verba tanquam ſimul cum ſpeciebus recipientia inſtitutionem Chriſti, quam in aliis Sacramentis ponamus verba recipientia eandem inſtitutionem. Quod autem dicebatur, vnam actionem non poſſe ſignificari per modum ſubiecti reſpectu alterius, falſum eſt, quando vna actio eſt minus declaratiua, ſeu minùs determinata quàm altera, vt oſtendimus ſupra, explicantes quo pacto verba in cæteris Sacramentis ſe habeant vt forma, & res vt materia.

Similitudo ab artefacto.

34 Secundum argumentum pro eadem doctrina deſumitur ab hoc Auctore ſectione 3. nam Sacramentum Euchariſtiæ ſolùm dicit in recto corpus Chriſti, ſpecies verò in obliquo; ergo multò minùs verba dicentur in recto. Conſequentia videtur bona; antecedens verò variè ab ipſo ſuadetur: Primò, teſtimonio Vualdenſis Tomo 2. de Sacramentis cap. 21. vbi ait: *Eſt igitur hoc venerabile Sacrificium verum Chriſti corpus in recto ſub forma panis, quam denotat in obliquo.* Ego tamen puto Vualdenſem non eſſe pro hoc Auctore, quia ibi non videtur condiſtinguere corpus Chriſti à ſpeciebus, ſed à forma panis quæ deſtructa eſt, & quæ non componit intrinſecè Sacramentum, vt diximus, ſed connotatur in obliquo: vnde non videtur agere de recto & obliquo quæ ſint partes intrinſecæ huius Sacramenti (vt docet Cardinalis) ſed condiſtinguere rectum ſeu intrinſecum ab extrinſeco; ponit autem corpus Chriſti, quia de illo ſolo erat dubium cum hæreticis, an eſſet in hoc Sacramento. Quidquid verò ſit, an Vualdenſis, Eſtius, Syluius & Alanus, quos pro ſe affert, illam docuerint, dicimus inde non magnam confirmationem deſumi; quia multò plures Scholaſtici ſtant pro contraria; nec tamen per hoc eam ſententiam dico ſingularem, vt cauſatur ibi numero 59. fuiſſe indicatam à Theologis Salmanticenſibus; non inquam eam iudico ſingularem, quia eſto eſſet, cum tamen ad purum modum, ſic liceat dicere, Grammaticalem exponendi partes huius Sacramenti pertineat, & nihil in Conciliis de eo modo loquendi ſit definitum, vt propterea cogamur de eo eſſe ſoliciti, res eſt planè leuis, ac proinde parum valdè intereſt, vtrùm dicam, Euchariſtia eſt Chriſtus ſub ſpeciebus, an verò dicam, Eſt Chriſtus & ſpecies.

Secundum argumentum Cardinalis Lugo.

Citat Vualdenſem pro ſe:

Sed ei non videtur fauere.

Iudicium Theologorum Salmanticenſium de propoſita ſententia.

Videamus tamen quid maximè pro eo modo loquendi adferat ex Patribus: igitur Primò adducit Ambroſium, qui libro de his qui initiantur cap. 9. ſic ait: *Sacramentum quod accipis Chriſti ſermone conficitur, & in illo Sacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti.* Ecce Ambroſius ſolum corpus Chriſti poſuit in recto. Reſpondeo tamen, Ambroſium ſolùm dicere, in hoc Sacramento eſſe corpus Chriſti, & compleri verbis Chriſti: id quod veriſſimum eſt, ſiue ſolum corpus dicatur in recto, ſiue etiam ſpecies; ſiue etiam è contrario corpus Chriſti dicatur in obliquo, & ſpecies in recto. Iuſtinum Secundò adducit, qui in Apocal. 2. ait hoc alimentum apud nos vocari Euchariſtiam, quam dicit eſſe carnem & ſanguinem incarnati Ieſu. Verùm hoc teſtimonium leue eſt, quia Iuſtinus volebat ibi gentes inſtruere; ideò oportebat illis oſtendere Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus: quòd enim ſpecies pertinerent ad Sacramentum, & comederentur, &c. nullus Gentilium negabat. Adde, cùm certum ſit, ſaltem in obliquo, ſpecies pertinere ad hoc Sacramentum, ſi rigorosè verba Iuſtini accipiamus, haud dubiè ea inueniemus falſa; nam eſto album ſolùm dicat ſubiectum in recto, qui tamen explicando quid ſit album, diceret, *Album eſt Petrus*, aut *ſubiectum*, nihil addendo de habitione albedinis, non integrè declararet album: cùm ergo Iuſtinus non addiderit ibi quidquam circa ſpecies, dicendus eſſet malè locutus, niſi exponatur vt à nobis eſt expoſitus. Eodem modo explicandi ſunt alij Patres, qui non loquuntur clariùs quam hi duo.

Cardinalis Lugo citat pro ſua ſententia Patres.

S. Ambroſius explicatur.

Vti & Iuſtinus.

Vrget, ipſum Chriſtum dixiſſe Ioannis 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Verùm hinc multò minùs quidquam deducitur: nam ſpecies non ſunt panis ſpiritualis: quo ſenſu loquebatur ibi Chriſtus. Si autem in rigore Scholaſtico loquamur, non ſolus panis ſpiritualis eſt Sacramentum; quia Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile, vt ſæpè diximus; panis autem ſpiritualis, vt eſt Chriſtus, non eſt ſignum ſenſibile, vt ſtatim vrgebimus. Adducit præterea idem Auctor à num. 4. varia alia teſtimonia Patrum, vt idem confirmet; quorum tamen aliqua planè non ſunt ad rem, quia in illis agitur ſolùm contra hæreticos negantes præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus; vt ex 42. de Conſecr. diſtinct. 2. vbi ex mandato Nicolai Secundi Papæ Berengarius debuit anathematizare ſuum errorem his verbis: *Anathematizo hæreſim, quæ adſtruere conatur, panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe*: id quod idem Berengarius morti vicinus ſimilibus verbis confirmauit. Vbi ſtatim miror ab hoc Auctore adduci ſimile teſtimonium, quaſi vellet anathematizare eos qui dicunt vtrumque in recto ſignificari; & quaſi Nicolaus Papa de hac Scholaſtica ſubtilitate circa rectum & obliquum fuiſſet ſolicitus. 35

Vrget ex Verbis Chriſti.

Berengarij error damnatus à Nicolao Secundo non fauet Cardinali Lugo.

Berengarius

Digitized by Google

Berengarius certè in hora mortis de recto & obliquo nominatiuo aut genetiuo caſu in ſignificatione huius Sacramenti non cogitabat, ſed purè putè de Catholica veritate, quam pertinaciter antea negauerat, hoc eſt de reali præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus. Adde potiùs, ex verbis illis, ſi rectè ponderentur, contrarium poſſe inferri: nam Berengarius aſſerit panem poſt conſecrationem eſſe Sacramentum & ſimul corpus Chriſti; id autem intelligi non poteſt de ſubſtantia ipſa panis deſtructa, quia illa, cùm poſt conſecrationem non maneat, eſſe non poteſt Sacramentum; ergo ibi de ſolis ſpeciebus loquitur: de his autem nequit etiam intelligi Berengarius aſſeruiſſe, eſſe illas Chriſti corpus, quia ſpecies non ſunt corpus Chriſti; eſt ergo ita intelligendus, vt dixerit ſpecies cum corpore Chriſti eſſe Sacramentum; hic autem ſenſus, qui videtur eſſe ab eo Auctore omnino intentus, potius nobis fauet; ſed nec valdè curo, an ibi nobis fauerit Berengarius, ob paulò antè dicta. Alia verò Patrum teſtimonia quæ non ſunt maioris efficaciæ omitto: diſcurrendum enim eſt de illis vti de Iuſtini teſtimonio diximus; quia cùm ſolum Chriſtum ponant, & nec quidem in obliquo mentionem faciant ſpecierum, videntur in rigore Scholaſtico minùs benè rem declaraſſe: debent ergo intelligi ſolum de veritate Catholica præſentiæ Chriſti locuti. Vnde concludo, vel nullum omnino vel leue admodum ex eis locutionibus deſumi pro ea ſententia fundamentum.

36 *Adducitur teſtimonium S. Auguſtini ad explicanda alterum Patrum teſtimonia.*

Et ad hoc pondero elegantia verba Auguſtini Epiſtola 23. ad Bonifacium: (ex quo loco alia verba contra ſe obiecit hic Auctor:) ibi ergo ſanctus Doctor, diſputans quomodo poſſit Baptiſmus, qui eſt Sacramentum Fidei, dici Fides, hæc habet: *Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent*: Vnde ad rem noſtram ſic infert: *Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus reſpondetur ad omnia loca ab hoc Auctore citata, Patres ſcilicet ex ſimilitudine, quam ſpecies panis habent cum Chriſto vt ſpirituali cibo, vſurpare ipſum Chriſtum pro hoc Sacramento; non quia ſolus Chriſtus ſit Sacramentum, ſed quia eſt res maximè ſignificata: imò liceat mihi addere, vt huius teſtimonij poſſe nos dicere, nec quidem eis locis Patrum oſtendi, Chriſtum dici vllo modo in recto, ſed ſolas ſpecies, vſurpari tamen à Patribus rem ſignificatam pro ſignificante. Et ſatis de iis teſtimoniis: aliquid enim adhuc addam ſtatim explicando noſtram ſententiam.

Species Sacramentales importantur in recto: ita Suarez.

Iudico ergo longè probabiliorem eſſe ſententiam quæ docet, ſpecies Sacramentales importari in recto; quam tenet Suarez diſput. 43. ſect. 4. Probatur autem Primò, quia cùm res hæc ſolùm ſpectet ad modum loquendi, & inter Scholaſticos, qui maximè modos loquendi proprios vſurpant, hæc ſit longè communior, imò multi è contrario ſolas ſpecies dicant importari in recto; profectò vel ex hoc ſolo capite redditur hæc noſtra concluſio longè probabilior. Secundò, quia ipſimet Patres dicunt ſæpè corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti contineri in hoc Sacramento; qui eo ipſo ſignificant clarè (& verò multò clarius quàm oppoſitum denotent ſuprà allata teſtimonia) hoc Sa-

Probatur ex modo loquendi Patrum.

cramentum non eſſe adæquatè corpus Chriſti; alioquin dicerent corpus Chriſti contineri in corpore Chriſti. Agnouit hoc ipſum hic Auctor; reſpondit tamen, frequentiorem eſſe alium modum loquendi. Verùm hæc ſolutio non ſatisfacit, quia data, non conceſſa ea aliquantulum maiori frequentia, cur quæſo ex vno aut altero loco ampliùs debemus communiorem in Scholis ſententiam reiicere? Dixi *data, non conceſſa*; quia ſi quis velit reuoluere loca Patrũ, in quibus de hoc Sacramento agitur; profectò pro vno teſtimonio in contrarium allato inuenirentur ſex aut ſeptem, quibus dicitur Chriſtus in Euchariſtia contineri; imò Euchariſtiam eſſe ſignum corporis Chriſti ibi exiſtentis: id quod videtur adhuc ſolas ſpecies in recto ſignificare. 37 Auguſtinus certè loco paulò antè citato, poſt verba quæ nos ponderauimus, addit in particulari de Euchariſtia, *Sacramentum corporis Chriſti eſſe quodam modo corpus Chriſti*: quæ verba Aduerſarij coguntur longè violentius explicare, quam nos explicemus quæ ab ipſis adferuntur; maximè cum Auguſtinus immediatè antè dixerit; *Nos paſſim loqui per figuram in his myſteriis.* Et ſanè nihil in omni locutione tam in Scholis quàm extra Scholas apud omnes Catholicos frequentius quam dicere; *In Sacramento altaris verè continetur Chriſtus, verè eſt præſens Chriſtus: in Sacramento altaris verè recipitur corpus Chriſti.* Quibus locutionibus etiam Patres ſunt pleniſſimi: atqui omnes hæ denotant in recto aliquid plus quam ipſum Chriſtum; alioquin, vt dixi, ſolùm ibi diceretur, In Chriſto eſt Chriſtus: quod eſt falſum propriè, & nihil declarat. Si ergo non vult hic Auctor vt quinque vel ſex loca, quæ ipſe pro ſe adfert, explicentur figuratè; quomodo ab aliis obtinebit, vt totius Eccleſiæ in omnibus occaſionibus, quando de hoc Sacramento agitur, modus loquendi accipiatur violenter? Profectò Diuus Thomas valdè fuit alienus à ſolo Chriſto ponendo in recto, dum dixit in Rhythmo, quo Eccleſia vtitur in Feſto corporis Chriſti, *Fracto demum Sacramento*: neque enim Chriſtum, ſed ſpecies frangi docuit: ergo Sacramenti nomine in recto adhuc ſolas ſpecies poſuit.

S. Auguſtini ſententia.

D. Thomas fauet noſtræ ſententiæ.

38 *Argumentũ ſecundum pro noſtra ſententia à ratione generica ad ſpecificam.*

Secundò principaliter probatur noſtra ſententia; nam certum videtur, id quod Sacramentum dicit in recto, debere etiam dici in Euchariſtia, vt ſaluetur illa rigoroſa propoſitio certiſſima inter Catholicos omnes, *Euchariſtia eſt Sacramentum*, & ſimul ſaluetur principium in Logica certiſſimum, omnia ſcilicet prædicata poſitiua, quæ dicit ratio generica in recto, dici etiam in recto in ratione ſpecifica adiuncta propria differentia: cuius ratio eſt; nam de ſpecie prædicatur in recto genus, licet totaliter; vt in hac, *Homo eſt animal rationale*, &c. Atqui de ſolo corpore Chriſti non poteſt affirmari id quod Sacramentum in recto dicit, nempe eſſe ſenſibile ſignum: etenim certiſſimum eſt non poſſe dici, *Corpus Chriſti eſt ſignum, quod præter ſpecies ſui, quas ingerit ſenſibus, facit nos in alterius rei cognitionem venire.* nec propriè loquendo dicimus *Video Chriſti corpus*; aut, *Corpus Chriſti eſt viſibile.* Vnde Diuus Thomas eo Rhythmo citato meritò dixit: *Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat Fides.* Hinc etiam Innocentius Tertius in cap. *Cum Martha.* de celebra

Teſtimonium Innocentij Tertij.

celebratione Miſſarum, dixit ſpecies eſſe Sacramentum ſolum; corpus autem Chriſti eſſe Sacramentum & rem. Reſpondet huic teſtimonio hic Auctor, ſpecies ideò dici Sacramentum, non quia ſint Sacramentum in recto, ſed quia ſunt pars Sacramenti, & illæ ſunt ſenſibiles, & illæ ſignificant. Verùm per hanc ſolutionem, præterquam quòd dat nobis occaſionem vt eodem modo nos reſpondeamus omnibus locis, quæ afferuntur ab ipſo ad probandum Chriſtum ſolum in recto eſſe Sacramentum: dicere enim etiam nos poſſumus, Ideò Chriſti corpus dici Sacramentum, non quia ſit Sacramentum in recto, ſed quia eſt pars Sacramenti; & illud eſt quod maximè cauſat gratiam, &c. præter hanc inquam occaſionem reſpondendi concedit nobis ea ſolutio totum intentum. Nam ſi ſpecies ſignificant, ſi ſpecies ſunt ſignum viſibile; profectò rectè inde infero, *Ergo illæ ſunt Sacramentum in recto*; quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ſignificans, ac proinde totum huius definitionis rectiſſimè conuenit ſpeciebus; ſunt ergo illæ Sacramentum in recto ſaltem inadæquatè.

Cardinalis Lugo reſponſio.

Tamen ſententia noſtra.

59 Dixi *ſaltem inadæquatè*, quia fortè alicui videretur, ex eo quòd illæ ſolæ ſint ſenſibiles, illas etiam ſolas ſignificare, ideoque illas ſolas eſſe Sacramentum. Quia tamen illæ locutiones quæ à Cardinale Lugo adducuntur in extremam oppoſitam ſententiam, & alij loquendi modi probabiliter perſuadent Chriſtum etiam dici in recto: ideò abſolutè dicendum cenſeo tam ſpecies quàm ipſum Chriſtum importari in recto, vt ſic ratione vtriuſque poſſimus ſaluare diuerſos modos loquendi Auctorum in hoc puncto.

Ad rationem verò in contrarium immediatè obiectam reſpondeo facilè, Etiamſi corpus in ſe non ſit viſibile, nihilominùs optimè poſſe ſimul cum ſpeciebus dici in recto, ac proinde iam habebit rationem ſigni ſenſibilis; quia vt aliqua res dicatur ſignum ſenſibile; non requirit vt omnes eius partes, quæ in recto dicuntur, ſint ratione ſui ſenſibiles immediatè; ſufficit ſi aliqua ex illis ſit talis, ideoque conſtituat vnum totum abſolutè ſenſibile.

Concluditur, tam Chriſtũ quàm ſpecies & verba importari in recto.

Concludo ergo, longè probabilius videri tam Chriſtum quam ſpecies, quàm verba importari in recto, & ſupra illa omnia cadere ſignificationem Sacramentalem; ſicut forma artificialis cadit ſupra ligna, trabes, calcem, &c.

Et ſatis de quæſtione ad purum putum modum loquendi pertinente & alioquin etiam in ipſo modo loquendi parui momenti; quia ſiue dicam, Chriſtus ſub ſpeciebus eſt Sacramentum; ſiue è contrario, Species, ſub quibus eſt Chriſtus, conſtituunt Sacramentum; ſiue media via Species, verba & Chriſtus eſt Sacramentum; idem omnino re ipſa dicimus, nec ex diuerſa ea terminorum vſurpatione vllum ſequitur inconueniens; aut vlla poſteà malè ſonans propoſitio infertur, ob quam rationem ſolam poteſt aliquando ob ſola verba inordinatè prolata incurri hæreſis. Et hactenus de digreſſione ratione Sacramenti Euchariſtiæ.

DISPVTATIO QVINTA.

Cuius qualitatis verba requirantur in Sacramentis: & quid in illis dicatur res, & quid Sacramentum?

ANTIQVAM de determinatione materiæ & formæ in Sacramentis noſtris tractemus, oportet in hac diſputatione breuiter expedire propoſita duo dubia quæ ad declarationem materiæ & formæ ſpectant: Primum quidem mouetur propter hæreticos, vt dicemus; Secundum verò propter Catholicos. Circa Primum ergo ſit

SECTIO I.

Vtrum verba in Sacramentis ſint concionatoria, an conſecratoria?

Quis ſit ſenſus hæreticorum circa verba.

NONNVLLI hæretici noſtri temporis, vt nihil inconcuſſum relinquerent, cùm non poſſent abſolutè negare verba eſſe neceſſaria ad validè conficienda Sacramenta, dixerunt ea ſolum ordinari ad inſtruendum populum, non autem debere imperatiuè proferri, quia id redolet quodammodò magiam: quatenus videmur loqui cum materia ipſa, v. g. cum ſpeciebus panis dum dicimus, *Hoc eſt corpus meum*; ac ſi ipſi materiæ imperaremus vt fieret corpus Chriſti. Nec defuerunt alij, qui adhuc grauiùs delirantes docuere, verba dici ſolum propter inſtructionem fidelium; in quo cum præcedentibus conueniunt; addiderunt tamen, etiamſi ea verba non proferantur, nihilominus Sacramentum fore validum. Quæſtio hæc ad Controuerſiſtas propriè ſpectat, ideò videndus eſt Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 19. & 20. & Valentia hac 3. Par. diſputat. 3. quæſt. 1. puncto 2. de eadem etiam egit, licet breuiter, Cardinalis Lugo diſputat. 2. de Sacramentis ſect. 4. Nos etiam breuiter rem totam expediemus.

Prima concluſio: Sacramenta eſſentialiter egent verbis.

PRIMA CONCLVSIO: Sacramenta eſſentialiter egent verbis, ita vt ſine illis validè confici non poſſint: (non loquor iam de matrimonio, in quo poſſunt ſigna loco verborum aliquando ſufficere.) Hæc eſt veritas de Fide definita in Concilio Florentino vniuerſaliter de omnibus Sacramentis, & in Tridentino quoad multa diuerſis in locis: fuit etiam in Eccleſia ſemper credita: in particulari autem de Baptiſmo conſtat ſatis probabiliter ex ipſa eius à Chriſto Domino inſtitutione, *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. vbi videntur expreſſè includi verba; in Euchariſtia verba illa, *Hoc eſt corpus meum*; in Confirmatione Act. 8. manus impoſitio, & oratio, quæ verbis fit. Circa quæ tamen optimè Cardinalis Bellarminus eo c. 19. ad hominem contra aliquos hæreticos, qui ſaltem in Baptiſmo dicunt neceſſaria eſſe verba, in aliis verò negant, oſtendit, niſi adiuncta traditione perpetua Eccleſiæ, nequaquam probari ſufficienter ex illis verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. neceſſarium eſſe adhibere verba; nam in Matth. 28.

nomine

Digitized by Google

nomine ſanctiſſimæ Trinitatis poſſet fieri Baptiſmus inuocatis ſola mente tribus perſonis. Vt ergo neceſſitatem verborum credunt ex Eccleſiæ traditione in Baptiſmo, cur non in aliis? Vide ibi varia teſtimonia ſanctorũ Patrũ pro ea veritate.

2 *Secunda concluſio: Verba conſecratoriè proferenda.*

SECVNDA CONCLVSIO: Non ſolùm verba neceſſaria ſunt, ſed etiam non per modum concionis, ſed conſecratoriè proferenda. Hoc etiam eſt de Fide. Ante illius verò probationem aduerte, Cardinalem Lugo loco antè citato iudicare, ſi ſemel concedatur ea neceſſitas verborum (vt pauci alij hæretici concedunt, ſimul docentes ea proferri modo concionatorio) quæſtionem eſſe de ſolo modo loquendi, dummodò adſit ſimul intentio efficax faciendi verum Sacramentum & proferendi verba eo modo quo ad valorem requiritur. Non dubito, ſi adſit huiuſmodi intentio, & verba debita proferantur, quæſtionem eſſe de modo loquendi, Vtrùm ſint dicenda concionatoriè, an conſecratoriè proferri. Nihilominùs tamen crediderim hæreticos hæreſim de re ipſa, & omnino diſtinctam ab ea quæ negat verba eſſe neceſſaria, tradidiſſe; quia eo ipſo quòd dicunt non eſſe conſecratoria, videntur negare, neceſſarium eſſe animum illum faciendi quod facit Eccleſia: Eccleſia enim non vult per hæc verba, *Baptizo te*, inſtruere vllum auditorem; nam prolata illa coram infante ſolo qui baptizatur, & qui ea non intelligit; aut prolata ea lingua quæ ab aliis præſentibus non intelligitur; aut denique adeò demiſsè vt non audiatur, faciunt veriſſimum Sacramentum: tunc autem nullus poteſt eſſe animus inſtruendi aut docẽdi populum, vt per ſe conſtat. Item è contrario poteſt eſſe animus inſtruendi populum ſine animo verè ipſum infantem baptizandi: id ipſum clariùs in pœnitentiâ conſtat; nam verba ibi debent dici à Sacerdote, vt à iudice habente poteſtatem abſoluendi: hoc autem longè plus re ipſa denotat quàm ea proferre animo inſtruendi, aut concionandi; ſunt ergo ibi diuerſi errores.

3 *Probatur concluſio contra hæreticos.*

Quidquid verò de inconſtantium hæreticorum mente ſit, Catholica concluſio facilè ſuadetur; Primò, quia in Baptiſmi inſtitutione Chriſtus nihil aliud requiſiuit quàm vt baptizarentur in nomine Patris & Filij, &c. vbi de concione nihil includitur. Secundò, quando ipſe inſtituit Euchariſtiam, nihil de concione; ſed accipiendo panem protulit verba, & iuſſit ita fieri. Tertiò; nam, vt paulò ante diximus, nemine qui intelligere poſſit audiente, poteſt infans baptizari; Sacerdos etiam in loco ſeparato nemine audiente poteſt conficere Euchariſtiam: in matrimonio etiam apparet nulla omnino eſſe verba concionatoria; & ſic de aliis; licet contra hæreticos (vt benè obſeruauit Bellarminus ſuprà) gratis defatigamur probando quidquam de Sacramentis; nam ipſi ſolùm Baptiſmum & Euchariſtiam indicant eſſe vera Sacramenta. Quartò ad hominem; nam ipſe Caluinus, qui maximè concionem requirit, fatetur Baptiſmum apud Eccleſiam Romanam collatum eſſe validum: eius verba è lib. 4. Inſtitutionum c. 15. refert Cardinalis Bellarminus ſuprà; quibus vocat furioſos Anabaptiſtas eos, qui aiunt Baptiſmum à Papiſtis conceſſum tanquã nullum iterandum eſſe: vnde cùm Papiſtæ non conferant Sacramentum hoc verbis concionatoriis, fateri debet ea non eſſe neceſſaria ad valorem Sacramenti. Verum quidem eſt in hoc ipſo non eſſe ſibi conſtantem Caluinum; nam in Commentariis c. 5. ad Epheſios docet, apud Papiſtas nullum eſſe validum Sacramentum, quia deſunt verba concionatoria: ſed non eſt multum curanda apud mendaces hæreticos conſequentia.

Hæretici in verbis conſecratoriis obiiciunt magiam:

Videamus breuiter quid illi obiiciant; & quidem Primò, quod de magia ſupra inſinuatum eſt planè ridiculum: rogo enim, An quãdo Chriſtus imperauit ventis vſus fuerit magia; an dum dixit, *Hoc eſt corpus meum*; dum miracula alia fecit; cùm tunc imperatiuè, & vt ſic dicam, conſecratoriis verbis ſit vſus? Nunquid non magia dicit pactum implicitum vel explicitũ cum diabolo? quomodo ergo ea quæ fiunt in Sacramentis virtute Dei (vt & ipſi hæretici fatentur) fieri dicentur per magiam? certè nomine Dei & monti dici poteſt (ipſomet Chriſto Domino teſte Marci 11.) *Tollere, & mittere in mare*, &c. nec video vnde potuit illis hic tam ſtulta cogitatio venire.

4 *Secundò obiiciunt Chriſti præceptum.*

Secundò obiiciunt, Matthæi vltimo Chriſtum præcepiſſe vt docerentur Gentes ante Baptiſmum; ergo ſunt neceſſaria verba concionatoria. Reſpondeo Primò, Eſto ex hoc loco poſſet oſtendi eſſe neceſſarium præmitti concionẽ, nullo tamen modo inferri, quòd ipſum Sacramentũ conficiatur huiuſmodi verbis; Chriſtus ergo requiſiuit ibi vt priùs inſtruerent adultos antequã illos baptizarent, vt benè Hieron. ad eum locum declarauit. Quomodo autem infantes poſſint licitè baptizari, alia quæſtio eſt, in qua ipſi hæretici ferè omnes tenent cum Eccleſia Catholica, ac proinde ipſi debent etiam reſpondere; de hoc tamen puncto dicemus aliquid infrà.

Tertia obiectio ex S. Hieronymo.

Tertiò obiiciunt Hieronymum, qui verba illa Pauli ad Epheſios 5. *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*, intelligit de verbo doctrinæ. Reſpondetur, Hieron. ſeipſum explicare dum ait ſe non loqui litteraliter, ſed alludendo etiam ad conuerſionẽ quæ fit in hominibus per prædicationem.

Quarta ex S. Auguſtino.

Quartò obiiciunt difficilem Auguſtini locum Tractatu 80. in Ioannem, vbi hæc habet; *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo; non quia dicitur, ſed quia creditur; nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum Fidei, quod prædicans ait Apoſtolus; quia ſi in ore tuo confeſſus fueris, quia Dominus eſt Ieſus, & credideris in ore tuo, quia Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.* De hoc teſtimonio egit Cardinalis Bellarminus ſuprà valdè fusè, vbi relictis aliis ſolutionibus concludit, Auguſtinum egiſſe ibi primariò quidem de efficacia prædicationis, quia explicabat locũ illum Chriſti Ioannis 15. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*, hac verò occaſione dixiſſe aliquid de Baptiſmo, ac proinde non omnia ad Baptiſmum applicanda eſſe. Quo poſito, ait Auguſtinum in omni mũdatione requirere verbum; quia & in Baptiſmo requiritur verbum, & extra Baptiſmum requiritur prædicatio; quomodo enim audient ſine prædicante? Quando autẽ dicit verbum prodeſſe, non quia dicitur, ſed quia creditur, ſolùm vult verba illa non ratione inſtitutionis Chriſti quam credimus illi ineſſe, iuſtificare, non quaſi Fides noſtra de ea inſtitutione ſit neceſſaria, ſed quia verba ob inſtitutionem ipſam, quam nos credimus, habeant eam vim. Hanc explicationem ibi fusè deductam ſecutus eſt etiam Cardinalis Lugo ſuprà.

Reſponſio Bellarmini.

Quam ſequitur Cardinalis Lugo.

5

Ego Primùm cenſeo, locum hunc non tam eſſe contra deciſionem præſentem de neceſſitate

Digitized by Google

verborum, quia ibi expreſſè requirit Auguſtinus verba, quàm ad probandum requiri Fidem ex parte ſuſcipientis: quæ eſt alia quæſtio diſtincta planè ab ea quam iam tractamus.

Bellarminus tribuit æquiuocationem S. Auguſtino.

Secundò cenſeo, etſi valdè probabilis ſit expoſitio Bellarmini, quia tamen aliquo modo videtur æquiuocationem aliquam tribuere Auguſtino, dum iam de Sacramento, iam de concione verba illius intelligit; id quod benè notauit ipſe Cardinalis; & conatur ibi explicare; ideò putarem fortaſſe poſſe Auguſtinum faciliùs intelligi, vt reuera egerit de ſolo Baptiſmo, & ibi Fidem requiſierit. Etenim ibi agebat Auguſtinus de adultis & rationis compotibus; in quibus eſto ad valorem Sacramenti non ſit neceſſaria vera Fides, ſed ſerius animus ſuſcipiēdi Sacramentum, tamen ad abſolutionem à peccato, de qua loquebatur Auguſtinus, & ad ſanctificationem ſine dubio debet Fides adeſſe in ſuſcipiente: hoc ergo poſito facillimè intelligitur ſenſus Auguſtini in eis verbis, *Non quia dicitur, ſed quia creditur*; hoc eſt, Non quia præcisè dicitur, ſed quia & dicitur & creditur: hæc enim duo neceſſaria ſunt, vt adultus qui baptizatur mundetur à ſuis peccatis, & poſſit de eo dici, *Iam vos mundi eſtis*. Quod verò addit, *Aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens*, non debet explicari, vt à Bellarmino explicatur, de virtute quæ manet in Baptiſmo ipſo: etenim ſicut verba in Baptiſmo v. g. quem ego do, tranſeunt; ita virtus effectiua eius Sacramenti tranſit, quia iam illud Sacramentum omnino perit, & ſolus manet effectus. Quod ſi de alio Baptiſmo, qui alteri perſonæ poteſt conferri, loquamur, & ideò dicant ij Auctores manere virtutem Sacramenti, etiam deberent dicere conſequenter, manere verba; ac proinde ex hoc capite nullam debuiſſet Auguſtinus ibi diſtinctionem facere inter verba & virtutem Sacramenti quoad defectibilitatem. Explicanda eſt ergo ea ſententia Auguſtini, vt verbum Sacramenti ideò dicatur tranſire, virtus è contrario manere, quia cenſet manere Fidem in corde hominis iuſtificati; vel quia gratia vel iuſtificatio cauſata per Sacramentum manet: non manet autem iam Sacramentum ipſum quod conſiſtebat in vſu, ideoque ſtatim in ſe perit.

Aliter explicatur S. Auguſtinus. 5

Quare dicatur à S. Auguſtino Sacramentum tranſire, virtus verò manere.

Verùm replicabis: Auguſtinus dicit in ipſo verbo aliud eſſe virtutem manentem, aliud ſonum tranſeuntem, ergo non de effectu Sacramenti aut de Fide, ſed de virtute in actu primo ipſius Sacramenti, quæ in verbis eſt, loquitur. Reſpondeo, Auguſtinum non poſſe intelligi de virtute Sacramenti; quia hæc (vt dixi) periit cum ipſis verbis, quia perit Sacramentum, & ſolùm manet illius effectus; virtutem ergo verborum commodiùs intelligimus ibi Fidem, quæ (vt diximus) neceſſaria fuit in ipſo ſuſcipiente adulto, vt conferretur ei gratia; & quaſi cum verbis coniuncta potuit dici eſſe in ipſis verbis. Et ſatis de hoc teſtimonio Auguſtini & de hac quæſtione controuerſiſtica.

SECTIO II.

Quid ſit in Sacramentis res tantùm & Sacramentum tantùm; & quid ſit res & Sacramentum ſimul?

6 *Difficultas proponitur ad*

HÆc eſt ſecunda huius diſputationis difficultas, de qua fusè nonnulli. Mihi res tota purè putè de nomine videtur; nam in Sacramento Pœnitentiæ v. g. validè confecto interuenire hæc debent, confeſſio, contritio, ſeu attritio, peccata præcedentia, quæ explicantur per confeſſionem, & de quibus eſt dolor; abſolutio, & gratia per illud Sacramentum conceſſa; hæc & non plura, nec pauciora ſunt neceſſaria: iam verò, vtrùm confeſſio, vtrùm abſolutio, vtrùm gratia ſint dicenda res, an verò Sacramentum, an vtrumque ſimul, quis non videat purè putè eſſe quæſtionem de voce: Facilè ergo ab hac quæſtione expediemur.

quæſtionem de nomine.

Pro quo aduertendum eſt, illud à Theologis vocari rem tantùm, quod non eſt ſignum alterius, illud verò dici Sacramentum, quod eſt ſignum (etiamſi non ſit propriè conſtitutiuū Sacramenti eo rigore quo definiuimus ſuprà Sacramentum:) vnde character dicitur Sacramentum; eſto ſit effectus Sacramenti: hinc fit vt illud dicatur Sacramentum tantùm, quod non eſt res in Sacramento ſignificata, ſed purè ſignificans; res verò & Sacramentum ſimul dicitur id quod & ſignificat & ſignificatur. Hoc poſito, videndum breuiter quomodo hæc dentur in omnibus Sacramentis.

Explicatur ſtatus quæſtionis.

In Baptiſmo quidem, Cōfirmatione & Ordine, quæ imprimunt characterem, facilè ea diſtinguuntur: nam materia & forma ſunt Sacramentum tantùm, quia ſignificant, non verò ſignificantur. Character dicitur res & Sacramentum, quia & ſignificatur per ipſam materiam & formam; & eſt Sacramentum, quatenus ſignificat poteſtatem conſecrandi vel ſuſcipiendi alia Sacramenta, vt in Baptiſmo; vel quatenus ſignificat gratiam ipſam: hæc autem eſt res tantùm, quia ſignificatur, ipſa verò nihil aliud ſignificat.

In Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis.

In Euchariſtia ea tria diſtinxit Hugo de Sancto Victore 3. Tomo, lib. 2. de Sacramentis Par. 8. cap. 1. & Innocentius Tertius in cap. *Cum Martha*. de celebratione Miſſarum: Species ſunt purum Sacramentum, quia ſignificant, non ſignificantur; corpus Chriſti eſt res, quia ſignificatur, & Sacramentum, quia ſignificat gratiam: hæc autem iuxta paulò antè dicta ſemper eſt purè res, quia purè ſignificatur. 7

In Euchariſtia diſtinguunt Hugo de Sancto Victore & Innocentius Tertius.

In Matrimonio verba contrahentium & materia ſunt Sacramentum tantùm, quia purè ſignificant; gratia autem habitualis purè res, quia purè ſignificatur; vinculum verò indiſſolubile, quod reſultat inter coniuges, dicitur res, quia ſignificatur per materiam & formam; vocatur etiam Sacramentum, quia ſignificat vinculum Chriſti cum Eccleſia.

In Matrimonio.

In Extrema Vnctione pro Sacramento ſolo ponunt ipſam materiam & formam, quia ſignificant, non ſignificantur, pro re tantùm gratiam, vt in aliis Sacramentis; pro re verò & Sacramento quidam ponunt hilaritatem mentis, confortationem animi, & ſuſtinentiam dolorum, quæ ſignificantur per Externam Vnctionem, & ſignificant gratiam interiorem: alij ponunt ſanitatem corporis, quæ ſignificatur per vnctionem, & ſignificat gratiam, ſeu ſanitatem interiorem; neque obeſt, inquiunt, quòd ſæpè ea ſanitas non cauſetur, quia per hoc non impeditur, quò minus de ſe Sacramentum habeat vim ad illam cauſandam.

In Extrema Vnctione.

In Pœnitentia res tantùm eſt gratia, Sacramentum tantùm confeſſio & abſolutio. Circa rem verò & Sacramentum quidam ponunt produci qualitatem quandam ſpiritualem quæ ſit ornatus;

In Pœnitentia. Variæ ſententiæ examinantur.

Digitized by Google

ornatus; & illam dicunt eſſe rem & Sacramentum. Sed huiuſmodi qualitas, vt plane conficta, ab omnibus aliis reiicitur. Alij dicunt dolorem eſſe rem, quatenus ſignificatur per confeſſionem, & eſſe Sacramentum, quia ſignificat gratiam.

8 Dices: Id quod eſt res debet cauſari per Sacramentum, vt patet in aliis Sacramentis; at dolor non cauſatur per confeſſionem & abſolutionem, ſed è contrariò confeſſio oritur à dolore; ergo. Reſpondent nonnulli, Contritionem, vt eſt efficax ad cauſandam gratiam, cauſari à confeſſione exteriori. Sed contra Primò, quia hoc ſenſu ipſa confeſſio poſſet dici cauſari ab abſolutione, & abſolutio à confeſſione, quandoquidem inuicem ſe reddunt efficaces ad cauſandam gratiam; nam vti confeſſio ſine abſolutione non eſt valida, ita neque abſolutio ſine confeſſione. Contrà Secundò, quia id eſt commune aliis Sacramentis, quando requirunt ad gratiam cauſandam aliquam diſpoſitionem ex parte ſuſcipientis, eo enim ipſo dici poſſet illa diſpoſitio res Sacramenti, quia vt coniuncta cum Sacramento cauſat maiorem gratiam. Denique, dignificari contritionem ab abſolutione, non eſt ab ea prodire, ſed ſimul cum illa producere effectum aliquem, quem ſola non poteſt.

Ideò alij dicunt, Ipſummet dolorem, quatenus data abſolutione augetur virtute Sacramenti, eſſe effectum & rem huius Sacramenti; quæ eſt explicatio Caietani, Scoti & aliorum apud Cardinalem Lugo. Verùm hæc ſententia facilè reiicitur, quia (vt benè idem Cardinalis Lugo & alij notarunt) cùm argumentum illud gratiæ neceſſariò debeat eſſe omnino diſtinctum ab actu præcedenti; profectò ſi cauſatur de nouo virtute Sacramenti, erit quidem ille effectus Sacramenti; quia tamen præceſſit iam totum Sacramentum, non poterit eſſe pars illius, ſeu, non poterit eſſe ſimul Sacramentum: ſi verò ipſum actum præcedentem vt adhuc manentem illi Auctores intelligant, etiam reiicientur, quia illa perſeuerantia, quæ eſt effectus, non eſt pars Sacramenti: licet enim ſit idem numero actus, pro præſenti tamen debet quaſi in duos diſtingui, nam duratio illius ante abſolutionem gerit ſe vt Sacramentum; altera duratio deinde ſecuta, quæ eſt realiter diſtincta, habet ſe vt effectus; ac proinde non ponitur propriè vna eademque res, quæ ſit effectus & Sacramentum. Adde; per accidens omnino eſſe ad hoc Sacramentum, vti ad omnia alia, quòd eo completo habeat iam homo nouos actus, aut quòd in antiquis duret; imò etiam eſt per accidens, quòd non excludat à gratia inſtanti ſequenti.

Sententia Caietani, Scoti & aliorum reiicitur.

9 Tertiò, Pater Suarez ſuprà numero 13. eumdem dolorem vt informatum gratia Sacramenti, qua ſit magis meritorius, dicit eſſe effectum eiuſdem Sacramenti. Hanc reiicit Cardinalis Lugo, quia rarò contingit, quòd in eodem inſtanti, in quo perficitur Sacramentum, perſeueret actualiter dolor, qui eſt pars eius Sacramenti. Ego tamen contrarium iudico longè certius: homo enim ordinariè manet in eo dolore; & verò quando accipit abſolutionem frequenter ſolet augere dolorem; certiſſimum autem eſt totum illum dolorem influere vt partem Sacramenti.

Sententia Suarez, dolorem informatum gratia eſſe effectum Sacramenti.

Fortaſſe quis reſponderet, non eſſe partem Sacramenti Pœnitentiæ niſi illum dolorem qui imperauit confeſſionem externam; illum autem rarò durare peracta confeſſione. Sed contrà, quia eſto, ſi non eſſet dolor ante confeſſionem, fortaſſe non ſufficeret ſolus ille qui ſequitur: non enim faceret doloroſam, vt dici ſolet, eam confeſſionem; de quo alibi; ſi tamen ſemel illa eſt imperata à vero dolore, non dubium quin etiam totus ille dolor, qui eſt dum homo accipit abſolutionem, concurrat vt diſpoſitio ad gratiam abſolutionis: quis autem dicet, raram eſſe hominem actu dolere dum Sacerdos profert verba, cùm planè contrarium ferè ſemper contingat?

Suarez ſententia reiicitur.

Meliùs ergo reiicitur Suarez, quia eo ſenſu etiam in aliis Sacramentis voluntas ſeu intentio ea ſuſcipiendi dici deberet Sacramentum & res, quatenus ea voluntas, ſi tunc manet eo inſtanti, redderetur magis meritoria. Idem dico de attritione, quæ in adultis ſuſcipientibus Baptiſmum neceſſaria eſt. Secundò, quia hæc ſententia relabitur planè in ſuprà poſitam, quòd dolor vt cauſatiuus gratiæ ſit effectus: quòd enim ibi dicitur vt cauſatiuus gratiæ, hìc dicitur vt cauſatiuus maioris gratiæ: hæc autem differentia eſt per accidens ad ſoluendum argumentum quod ibi fecimus, ſcilicet, eò quòd contritio reddatur magis cauſatiua per abſolutionem, non propterea poſſe propriè illam dici effectum Sacramenti: ſicut, eò quòd per abſolutionem reddatur ſimpliciter cauſatiua gratiæ, abſolutè non dicitur cauſari ab ea gratia. Denique videtur ea ſolutio falſum ſupponere; nam ea contritio poſtquam dignificata eſt per gratiam de nouo infuſam, non fit magis meritoria quàm antea: ſuppono enim ex maiori gratia non creſcere merita. Quidquid verò de eo augmento ſit, quando maior gratia præcedit opus, certum eſt per gratiam datam intuitu operis non augeri meritum eius operis eodem inſtanti. Quòd ſi ideò Suarez loquatur de eodem opere vt perſeuerante pro ſequentibus inſtantibus, iam debebit impugnari eodem modo quo præcedens nam ea perſeuerantia non eſt Sacramentum: habet enim ſe per accidens ad illud.

Quartò alij dicunt contritionem, antequam formetur gratia, eſſe Sacramentum, eandem verò vt formatam eſſe rem Sacramenti; quia vt ſic cauſatur à Sacramento, & vt ſic cauſat remiſſionem peccati, quæ eſt effectus peccati. Meritò hanc reiicit Cardinalis Lugo ſuprà, quia contritionem vt formatam gratia cauſare peccati remiſſionem nihil eſt aliud formaliſſimè quàm dicere, ipſam gratiam ſolam cauſare remiſſionem peccati; vti dicere, Album quà album diſgregat viſum, nihil eſt aliud quàm dicere, Albedo ſola diſgregat viſum. Atqui gratia vt cauſat remiſſionem peccati, quia ſe habet in genere cauſæ formalis, non dicitur cauſare Sacramentaliter: debet enim ea cauſalitas eſſe in genere cauſæ efficientis: ergo. 10

Quarta aliorum ſententia de contritione.

Impugnatur à Cardinale Lugo.

Quintus modus dicendi eſt, vt contritio ſit Sacramentum prout cauſat gratiam, ſit verò res Sacramenti, quatenus ipſa contritio cauſatur à Sacramento in voto: hoc enim vti cauſat gratiam, cauſat etiam vltimam diſpoſitionem ad illam, id eſt contritionem. Ita Ferrara 4. Contra Gentes cap. 72. Hæc tamen doctrina facilè reiicitur: Primò; nam Sacramentum hoc vt cauſet gratiam, non exigit præceſſiſſe votum illius; votum intelligo illud quod ſolet dici cauſare gratiam; nam huiuſmodi

Quinta opinio Ferraræ reiicitur.

votum eſt ſola contritio: hæc autem non requiritur ad hoc Sacramentum, ad quod ſufficit haud dubiè attritio, quæ propriè non dicitur votum pœnitentiæ. Secundò, ſi ipſa contritio eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, quomodo ea poteſt cauſari ab ipſo voto? hoc enim eſſet cauſari à ſeipſa. Deinde, quando homo iuſtificatur per votum Sacramenti, vel per contritionem, tunc Sacramentum non concurrit propriè; ac proinde ea contritio non poteſt tunc dici Sacramentum, aut res illius, &c.

Sexta ſententia, dolorem eſſe rē & Sacramentum.

11 Ideò alij Sextò dicunt, vt aliquid ſit res Sacramenti, non eſſe neceſſarium illam a Sacramento cauſari, ſed ſufficere ſi ſignificetur & ſignificet. Hinc inferunt, ipſum dolorem eſſe rem & Sacramentum, Sacramentum quatenus ſignificat gratiam, rem quatenus per ipſam confeſſionem ſignificatur: certum enim eſt, confeſſionem illam exteriorem eſſe interni doloris ſignum.

Impugnatur à Cardinale Lugo.

Non placuit hæc explicatio Cardinali Lugo, quia tota illa ſignificatio eſt ex natura rei non Sacramentalis, & ex Chriſti inſtitutione; debeat autem id, quòd eſt Sacramentum, ſignificare vel cauſare Sacramentaliter; alioquin dicendum etiam eſſet, intentionem ſuſcipiendi Sacramentum eſſe rem, quatenus illa ſignificatur naturaliter per ipſam actualem ſuſceptionem: hoc autem eſt contra omnes; ergo. Ideò ille putat pacem & conſcientiæ ſerenitatem, quæ frequenter cauſatur per hoc Sacramentum, iuxta Tridentinum Seſſione 14 cap. 3. eſſe rem & virtutem Sacramenti: ſicut communiter dicitur ſanitatem corporalem eſſe rem & Sacramentum in Extrema Vnctione; eſto ea ſanitas non ſemper cauſetur. Quòd verò ea ſecuritas, ſeu tranquillitas ſit res, patet: quia (vt Concilium dicit) ea cauſatur à Sacramento: quòd verò ipſa ſit Sacramentum, patet; quia ſignificat interiorem gratiam & remiſſionem peccati: neque enim (vt paulò ante diximus) eſt neceſſarium vt cauſet, ſed ſufficit ſi ſignificet aliquid pertinens ad Sacramenti effectus. Quòd ſi huic Auctori obiicias, Eo ſenſu etiam auxilia & gratias, quæ dantur per Sacramentum Ordinis ad rectè celebrandum, &c. eſſe rem ac Sacramentum; quia & ſignificant gratiam, & cauſantur per Sacramentum: Reſpondet, poſſe hîc fieri quæſtionem de voce; nam re ipſa vtrique ſunt effectus, & vtrique ſignificant: quia tamen hi effectus Sacramenti Ordinis ſunt longo etiam tempore poſt ſuſceptum Sacramentum, non ſolent vocari Sacramentum; ſecùs illa tranquillitas, quæ ordinariè ſtatim conceditur.

Sententia Cardinalis Lugo, pacem conſcientiæ eſſe rem & virtutem Sacramenti.

12 Iam dixi ego ſuprà hanc totam quæſtionem eſſe de nomine, ac proinde non ſolùm vltima hæc obiectio, ſed & præcedentes & omnia debuiſſet hîc Auctor dicere eſſe diſſenſionem de voce. Vnde vlteriùs infero, In ea quæſtione de voce ſextam illam ſententiam poſſe tam probabiliter defendi quàm hanc de tranquillitate conſcientiæ: etenim ſicut non obſtante paritate rationis inter auxilia data per Sacramentum Ordinis & eam tanquillitatem, dicit ipſe pro modo loquendi ſufficere quòd vnus effectus ſit tempore vicinus, alter id non exigat; ita ego dicam, non obſtante quòd intentio ſuſcipiendi Sacramentum ſit etiam res ſignficata per ipſam actualem ſuſceptionem, ſicut dolor per confeſſionem, ſufficere tamen pro eo diuerſo modo loquendi quòd ea intentio ſit quid nimis generale omnibus actionibus; quia & qui ambulat, & qui ſedet, & qui ſcribit ſignificat eo ipſo ſe habere volitionem ambulandi, ſedendi, &c. Theologi autem voluere ſignificare per rem Sacramenti aliquid magis determinatum, quodque non adeò connaturaliter ſignificetur per actionem Sacramenti; id autem omnino conuenit dolori, quia licet ſignificetur ex ſe per confeſſionem externam hîc & nunc, non tamen adeò neceſſariò, ſicut voluntas ſcribendi ſignificatur per ſcriptionem: etenim dicere alteri peccatum quod feci, non eſt per ſe ſignum doloris interioris: poteſt enim id fieri vel animo ſe iactandi, vel animo confidenter ſua narrandi, vel petendi concilij cauſa, vel pœnam immitentem fugiendi deſiderio, &c. Vnde addo, ſatis probabiliter dici, hîc & nunc illum dolorem ſignificari Sacramentaliter, & ex vi inſtitutionis Chriſti: nam cùm Chriſtus promiſerit gratiam confitenti ſua peccata, non quomodocumque, ſed cum dolore, & cum animo accipiendi abſolutionem, rectè homines vi eius inſtitutionis colligunt illum cum dolore ea dicere Sacerdoti; vt abſolutionem & gratiam accipiat; ac proinde ea confeſſio, quæ, ſi Sacramentum hoc non fuiſſet inſtitutum à Chriſto, non fuiſſet determinatum ſignum doloris, iam illum ſignificat clarè & diſtinctè; ac proinde dici meritò poteſt, quòd illum ſignificet Sacramentaliter.

Conferetur ſexta ſententia cum ſententia Cardinalis Lugo.

13 Secundò eſt aliqua difficultas in ea explicatione, quia illa tranquillitas cordis etiam videtur ſignificari per Sacramentum omnino naturaliter; nam licet, quòd Sacramentum ſit cauſa gratiæ, non ſit quid naturale: at quòd ſuppoſita vi condonandi peccatum in Sacramento, & ſuppoſito quòd ego illud acceperim, ſim iam quietus, tanquam qui iam adhibui remedium ſufficiens pro illis; naturaliſſimè inde ſequitur, vt ſi Deus diceret mihi, Caſu quo peſtem contraxeris, ſi dicas ter Pater & Aue, certò non morieris; profectò licet quòd Pater & Aue liberaret à peſte, eſſet effectus, vt ſic dicam; Sacramentalis; & ea ſignificatio ſanitatis eſſet ad placitum Dei; tamen quòd recitato ter Pater & Aue ego iam non timerem mortem, ſeu iam meus animus eſſet omnino quietus, planè foret ſignum naturale ex priori puncto neceſſariò ſecutum. Et verò faciliùs deberemus in Euchariſtia dicere eſſe rem & Sacramentum illam dulcedinem quam ſentiunt communiter qui deuotè communicant: illa enim per Sacramentum ſignificatur, & ſignificat gratiam: deinde eſt tam vicina ei Sacramento quàm tranquillitas conſcientiæ Sacramento Pœnitentiæ; ergo. Eadem prætereà ratione in Baptiſmo adultorum ſimilis tranquillitas dici deberet Sacramentum & res Sacramenti; quia etiam ibi ſequitur per ſe, ſuppoſita vt dixi, Fide, quòd ſit neceſſarius Baptiſmus ad remiſſionem originalis & actualium præcedentium. Hæc autem ſunt omnia contraria, communi modo loquendi Theologorum. Vnde cùm de facto, vt dixi; ſolùm ſimus in quæſtione de voce, non debemus eum modum loquendi ſequi, qui contrarius eſt planè communi locutioni. Neque habet difficultatem quod ex Tridentino obiicitur; nam etiamſi ibi inter res ſeu effectus huius Sacramenti numeretur ea pax & tranquillitas, nihil contra nos, qui non negamus eam debere dici effectum huius Sacramenti, ſicut auxilia ſpecialia, quæ ob Sacramentum Ordinis dantur

Opinio Cardinalis Lugo patitur difficultatem.

Soluitur obiectio ex Concilio Tridentino.

Digitized by Google

tur, ſunt illius effectus; ſed dicimus non debere vocari Sacramentum & rem, vti ea auxilia non vocantur: vti etiam illa conſolatio ſpiritualis, quæ ex Euchariſtia ſequitur, non vocatur res & Sacramentum Euchariſtiæ.

Concluditur, totã quæſtionem eſſe de nomine.

Concludo denique (vt initio dixi) rem eſſe totam de voce; quia quæ in eo Sacramento reipſa reperiuntur, certa ſunt; vtrùm autem dolor eo modo quo ſexta ſententia illam explicuit, an verò ea tranquillitas eo modo quo à Cardinale Lugo traditur, vocanda ſit res & Sacramentum, nullius planè eſt momenti. Poſui autem omnes opiniones, vt, quid myſterij in hoc puncto lateat, intelligatur.

DISPVTATIO SEXTA.

De determinatione materiæ & formæ in Sacramentis

SECTIO I.

Præmittitur certa doctrina.

Potuit Chriſtus relinquere Eccleſiæ determinationem materiæ & formæ: De facto ipſe determinauit

1 SVPPONO potuiſſe Chriſtum Dominum reliquiſſe liberam Eccleſiæ determinationem materiæ & formæ, quia in hoc nulla eſt contradictio; de facto tamen, ne in re tanti momenti eſſet varietas, vel diſſenſio, prudentiſſimè materiam & formam omnium Sacramentorum determinaſſe; in Baptiſmo aquam naturalem, & verba illa, *Ego te baptizo*; in Euchariſtia panem triticeum & vinum ex vite cum verbis, *Hoc eſt corpus meum* &c. Et idem ſuo modo de aliis omnibus dicendum, vt ex traditione perpetua Eccleſiæ, & ex definitionibus Conciliorum, præſertim ex Florentino ſæpè citato; clarè conſtat. Hæc autem determinatio non eſt æqualis in omnibus; nam in aliquibus eſt ad ſpeciem atomam, vt aqua naturalis in Baptiſmo; in aliis eſt ad rationem genericam, vt in confeſſione dolor, ſiue ſit attritio, ſiue contritio, & in matrimonio conſenſus ſiue per verba ſiue per nutus.

Obiectio.

Sed obiicies, Ergo non potuit Eccleſia annullare matrimonium clandeſtinum; quia eo ipſo iam mutaſſet materiam matrimonij. Fusè valdè nonnulli de hac obiectione: mihi videtur res valdè facilis. Reſpondeo, A Chriſto Domino inſtitutum pro materia huius Sacramenti contractum humanum; hæc autem inſtitutio ſemper manet fixa: neque enim Eccleſia poteſt facere vt contractus humanus validus non ſit materia matrimonij; cum quo tamen optimè ſtat, quòd eadem Eccleſia pro libitu has, vel illas conditiones addat ad hoc, vt contractus ſit humanus. Poſt Tridentinum ergo iam non eſt ampliùs contractus humanus validus, niſi fiat coram Parocho & teſtibus; quomodo etiam Principes ſæculares ſolent paſſim in contractibus ciuilibus nouas & diuerſas circumſtantias exigere ad hoc vt validi ſint, vel deſignando certum numerum teſtium, vel ætatem contrahentium determinando, vel alias ſolemnitates requirendo. Et verò ex hoc capite Principes ſæculares poſſent etiam nouas addere conditiones ad valorem matrimonij, niſi ab Eccleſia id eis iuſtas ob cauſas fuiſſet prohibitum: de quo Pater Sanchez lib. 1. de Matrimonio diſput. 3. Imò, quòd mancipia re ipſa de facto ſint incapacia contrahendi matrimonij ſine licentia Dominorum, prouenire videtur à poteſtate ſæculari ſaltem originaliter; quatenus fecit eadem mancipia incapacia omnis contractus. Adde, ſimilem mutationem etiam in aliis Sacramentis poſſe fieri; quia etiamſi Chriſtus in his determinatis verbis Latinis, *Hoc eſt corpus meum*, conſecraſſet, poſſet Eccleſia facere vt ea iam non eſſent ampliùs forma ſufficiens, ſi ſcilicet mutaret ſignificationem, & faceret vt ſignificarent idem ac *Ego amo Deum* Quod idem intelligendum de ipſis verbis Hebraïcis quibus actu conſecrarunt; nam ſi apud eos qui Hebraïcè loquuntur mutaretur illorum verborum ſignificatio, eo ipſo iam illa verba non eſſent conſecrationis forma ſufficiens: & idem eſt in omnibus formis Sacramentorum. Certum autem eſt, id non eſſe mutare materiam aut formam a Chriſto inſtitutam, ſed huic vel illi rei dare aut auferre eam ſignificationem ad placitum aut valorem moralem, ſub quo à Chriſto inſtitutæ ſunt illæ res pro materia aut forma Sacramentorum.

Quomodo Eccleſia potuerit matrimonium clãdeſtinum annullare.

Ducitur exemplum à cõtractibus ciuilibus.

Poteſt Eccleſia mutare circumſtantias.

Dices: Græci in fermentato, Latini verò in azymo conſecrant; ergo determinant ſibi materiam. Reſpondeo, eam diuerſitatem eſſe non quoad ſubſtantiam, quia hæc ſolùm petit panem triticeum, ſed quoad circumſtantias aliquas, quæ ſunt extra ſubſtantiam materiæ: quando autem aliquid ſit iudicandum circumſtantia, quando verò ſubſtantia, ſequenti diſputatione explicabitur.

SECTIO II.

Proponitur difficultas ex Sacramento Ordinis.

GRAVIOR difficultas moueri ſolet propter Sacramentum Ordinis, in quo planè videtur Eccleſia mutaſſe materiam & formam. Etenim Eccleſia Græca conſentiente, ac vidente ipſo Romano Pontifice, ordinat per ſolam manus impoſitionem Presbyterum per hæc verba; *Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat ſeu promouet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum: oremus igitur pro eo.* In Eccleſia verò Latina confertur idem Sacramentum per longè diuerſam materiam, ſcilicet per exhibitionem panis & vini cum aliis verbis; ergo vel à Chriſto non eſt determinata materia & forma huius Sacramenti: id quòd videtur planè eſſe contra mentem omnium Theologorum: vel, quod peius eſſet, Eccleſia mutaſſet eam materiam. De hac difficultate agit Cardinalis Lugo diſp. 2. ſect. 5. & Petrus Arcudius de Concordia Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis in Sacramentorum adminiſtratione lib. 6. c. 4. quem ipſe Lugo ibi citat, in ea autem includuntur duo diſtincta dubia: vnũ an Eccleſia mutauerit materiam & formam huius Sacramenti: alterum, 2

Græca Eccleſia ordinat per manus impoſitionem;

Latina per exhibitionem panis & vini.

rum , an in Eccleſia Latina impoſitio manuum ſupra caput ordinandi ſit ſaltem partialis materia de facto huius Sacramenti : quia verò impoſitio manus eſt duplex, vna ad initium, altera in fine, quando datur poteſtas abſoluendi, poſſet rurſus noua eſſe quæſtio, an ambæ illæ, an vna tantùm, & quæ ex illis ſit materia Ordinis. Verùm hoc vltimum facilè vno verbo deciditur: vltima enim impoſitio ſolùm eſt materia Ordinis, quatenus includit poteſtatem abſoluẽdi: de quo puncto nulla eſt inter Auctores quæſtio ; tota ergo manet circa primam impoſitionem , in qua eſt duplex ea difficultas propoſita , quam diſtinctè explicabimus.

Impoſitio manuum , qua datur poteſtas abſoluendi, eſt pars Ordinis.

SVBSECTIO I.

Expeditur prima difficultas.

3 *Concluſio Eccleſia nõ mutauit materiã in Sacramẽto Ordinis.*

CIRCA illam dicimus , Eccleſiam aſſignando traditionem calicis & patenæ pro materia Presbyteratus nullatenus mutaſſe materiam huius Sacramenti , prout ea fuit a Chriſto inſtituta. Ratio eſt, nam Chriſtus non determinauit materiam in indiuiduo , ſed ſolùm voluit conferri Ordinem per ſignum aliquod ſenſibile ſignificatiuum eius poteſtatis, quæ traditur in Sacramento illo, & per aliqua verba eandem etiã poteſtatem ſignificantia. Ita docet Cardinalis Bellarm lib. 1. de Sacramento Ordinis c. 9. & fuſiùs Cardinalis Lugo ſuprà, qui adducit in confirmationem illius Innocentium Quartum, ſeu Sinnibaldum de Fliſco, in Commentario cap. *Preſbyter.* de Sacramentis non iterandis; vbi ait tempore Apoſtolorum formam ſeu ritum conferendi Ordines fuiſſe manuum impoſitionem, nec aliam fuiſſe tunc in vſu: additque Sinnibaldus; *Vnde credimus, quòd niſi eſſent formæ poſteà inuentæ, ſufficeret ordinatori dicere, Sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba; ſed in ſubſequentibus temporibus formas, quæ ſeruantur, Eccleſia ordinauit.* Ego tamen in his verbis Sinnibaldi aliquam difficultatem inuenio, potiùs enim ex eis videtur ſequi, Chriſtum non reliquiſſe liberam eam materiam; nam ſi hoc eſſet, non poſſet Eccleſia efficere, ne non ſufficiat manuum impoſitio: vti eadẽ Eccleſia non poteſt efficere , ne pro Altaris Sacramento ſufficiat vinum rubrum, eo ipſo quòd Chriſtus eodem modo permiſit in rubro ac in albo fieri. Atqui iis citatis verbis clarè dicit Innocentius iam non ſufficere pro ordinatione manuũ

Difficultas in verbis Sinnibaldi diſcutitur.

4 impoſitionem, eò quòd Eccleſia nouam formam inſtituerit. Fortaſſe reſponderi poſſet , Chriſtum ita dediſſe Eccleſiæ poteſtatem determinandi materiam, vt ſola ea, quam Eccleſia requireret, eſſet ſufficiens, aliæ verò diuerſæ, etſi idem ſignificantes; ac proinde etſi tales , quæ potuerint ab Eccleſia eligi, non tamen ſufficerent, eo ipſo quòd electæ non eſſent. Sed contrà quia eſto hoc modo potuerit Chriſtus diſponere (de quo nullo modo dubito) non habemus tamen fundamentum ad iddicendum; imò id dicere , eſſet deſtruere iam concluſionem communem & certam ſuprà poſitam; quia tunc non dixiſſet Chriſtus, *Materia Ordinis ſit quodcumque ſignum ſenſibile facultatis cõceſſæ per Ordinem;* vti ſupponimus in ea concluſione fuiſſe inſtitutam; ſed dixiſſet, *Non aliam volo materiam quàm quæ ab Eccleſia determinetur;* hoc autem videtur eſſe contra communem ſententiam, quæ negat Eccleſiæ poteſtatem mutandi directè aut determinandi materiam Sacramentorum. Contrà Secundò, quia per hoc aperitur porta , vt dicamus Eccleſiam , poſſe iam hanc iam illam pro ſuo libitu mutare; niſi fortè iterum diuinando dicamus Chriſtum dediſſe Eccleſiæ poteſtatem determinandi ſolùm pro prima vice: imò neque adhuc hoc modo reſpondetur directè obiectioni ; nam videtur planè in Eccleſia multo tempore non fuiſſe pro materia eam traditionem calicis & patenæ , ſed ſolam manuum impoſitionem , vt de facto eſſe in Eccleſia Græca diximus paulò antè; ergo Eccleſia etiam poſt primam acceptationem adhuc mutauit materiam. Ideò iudico illam confirmationem ex Innocentio in Commentariis eius capitis *presbyter* non ſubſiſtere. Vnde maior quòd abſolutè dixerit Cardinalis Lugo eam doctrinam eſſe communiter receptam : fortè quatenus docet , olim per manus impoſitionem collatum fuiſſe Ordinem, admitti poteſt , at quoad ea verba , quæ addit Sinnibaldus, reuerà videtur continere doctrinam omnino falſam, & verò etiam ipſimet Cardinali Lugo contrariam , qui expreſsè fatetur, ſi tota forma conſecrationis applicaretur ad manuum impoſitionem , futuram etiam nunc validam eam conſecrationem ante traditionem patenæ , &c. id quod Innocentius in eo Commentario negat. Quomodo tamen iuxta noſtram doctrinam poſſint in bonum ſenſum trahi ea verba Sinnibaldi dicam inferiùs.

Malè ex verbis Sinnibaldi confirmat ſententiam Cardinalis Lugo.

Fortaſſe ſuaderetur meliùs ea doctrina ex ipſo Pontifice Gregor. IX. auctore eius capitis ; ibi enim ait manus impoſitionem , qua Sacerdotes ordinantur , eſſe ritum ab Apoſtolis introductum : vnde infertur , illum à Chriſto Domino non fuiſſe inſtitutum. Quòd enim aliqui (inter quos eſt Bellarminus) dicant eam impoſitionem manuum ideò dici ab Apoſtolis introductam , quia ipſi primò eam vſurparunt , non videtur eſſe ad rem (vt benè Vaſquez Tomo 3. diſput. 140. num. 59. & poſt eum Cardinalis Lugo ſuprà notarunt ;) nam eo ſenſu etiam dici poſſet Pœnitentia , Confirmatio , &c. introducta ab Apoſtolis, quia illi primò vſi ſunt eis Sacramentis : id autem planè videtur eſſe contra communem modum loquendi. Retorquebis tamen contra nos eum locum : nam in eo Pontifex potiùs videtur ſupponere è contrario, illam alteram materiam , nempe traditionem calicis & patenæ pro Sacerdote , ac libri Euangeliorum pro Diacono, eſſe ab ipſo Chriſto inſtitutam : cùm enim in eo Sacramento duo ſint, de quibus dubitari poteſt , an ſint à Chriſto inſtituta ; vnum eſt manuum impoſitio , alterum ea traditio patenæ , & ſi quid aliud de facto requiritur ; & de primo ſeu manuum impoſitione dicat eſſe ab Apoſtolis introductam , de altero verò nihil dicat ; videtur eo ipſo ſupponere illas alias materias immediatè à Chriſto inſtitutas : & licet hoc non videatur locum habere in Diacono ; certum enim eſt etiam ante ſcripta Euangelia , quando non poterat vlla traditio eſſe illorum , fuiſſe tamen Diaconos ordinatos, & Apoſtolos , qui per totum mundum ſparſi erant , ſine vllo libro Euangeliorum conſecraſſe multos vbique Diaconos : licet inquam hæc ratio videatur obſtare , quia tamen potuit Chriſtus Apoſtolos ea de re inſtruere , vt quamdiu non eſſet Euangelium ordinarent Diaconos per manuum impoſitionem , ſimul tamen immediatè inſtituendo traditionem Euangeliorum pro materia eo tempore quo iam Euangelia extarent; 5

Aliud argumentum ex Gregorio Nono.

Digitized by Google

ſtarent; ideò adhuc videtur vrgere textus ille Gregorij, ac probare eam traditionem patenæ & librorum fuiſſe à Chriſto immediatè ac determinatè inſtitutam, contra id quod in concluſione noſtra diximus.

9 Reſpondeo ergo, Pontificem ibi de manuum impoſitione egiſſe, quia de illa interrogabatur: per quod nullatenus infertur, eum quidquam in contrarium de alia materia dixiſſe, quantumuis de illa non affirmauerit id quod de manuum impoſitione. Confirmari Tertiò poſſet noſtra ſententia ex eodem capite *Presbyter*; nam ibi dicitur, Si Diaconus aut Presbyter non acceperint manuum impoſitionem quando ordinati ſunt, non eſſe vllatenus iterandum Ordinem, ſed cautè ſupplendum quod per errorem fuit prætermiſſum: hinc enim colligitur, eam manuum impoſitionem non eſſe eſſentialiter requiſitam; alioquin non ſufficeret poſt tres menſes adhibere illam aliam formam, ſed Sacramentum tanquam irritè factum de nouo deberet totum repeti; ergo impoſitio manuum non eſt materia eſſentialiter à Chriſto requiſita, iuxta mentem Gregorij Noni.

Explicatur Gregorius Nonus.

Ex mente Gregorij impoſitio manuum non eſt materia eſſentialiter requiſita.

Fortè quis reſponderet, Pontificem agere de ſecunda impoſitione manuum quæ fit in fine Miſſæ, quando datur poteſtas abſoluendi: cùm enim ea poteſtas ſit per ſe diſtincta à poteſtate conſecrandi, optimè intelligitur eam concedi poſſe deinde ſine vlla repetitione prioris formæ. Hæc tamen explicatio patitur difficultatem quam tetigit Cardinalis Lugo: Quòd Pontifex loquatur ibi de ea impoſitione manuum, quam immediatè ſequitur eleuatio manuum & oratio Epiſcopi; hoc autem totum fit in prima impoſitione; ergo de illa loquitur Pontifex.

Duplex impoſitio manuum.

Ego in hoc puncto iudico vtrumque eſſe dubium, de qua impoſitione manuum ibi loquatur Pontifex; nam Primò ea Decretalis non extat integra, vt poſſimus intelligere de qua manuum impoſitione fuerit Pontifex interrogatus: id quod benè notauit Vaſquez ſuprà numero vltimo. Secundò, mihi videtur ille, qui extractum fecit eius Epiſtolæ, poſuiſſe ibi gratis verba illa; *Suſpenſio autem manuum*, &c. hoc enim in Cæremoniali continetur: & eſt res planè diſparata à puncto repetitionis totius Sacramenti: de qua ſola repetitione videbatur ibi interrogatus Pontifex. Vnde fortaſſe omiſſæ ſunt aliquæ clauſulæ quæ notam continebant interrogationem. Et ſanè (vt infrà ponderabo contra Cardinalem Lugo, qui maximè vrget hunc textum) ſi ea manuum impoſitio ab Eccleſia traditur vt partialis materia, & (eo ipſo Auctore teſte) in trium menſium diſtantia non poteſt facere vllam connexionem cum præcedenti forma, non capio, cur deberet repeti illa adhibita noua forma, & non potiùs totum Sacramentum tāquam ab initio irritè adminiſtratum. Scio Eccleſiam in Baptiſmo & aliquibus Sacramentis ſolere repetere omiſſas cæremonias; at ſi ea impoſitio ſit propria materia eſſentialis, non video qua vtilitate repeti poſſit ſine vlla planè applicatione verborum: eo enim ipſo eſt inutilis repetitio: ac proinde ſatis probabilis mihi videtur explicatio quæ dicit ibi eſſe ſermonem de impoſitione manuum in fine, & eam debere poſteà fieri cum ſuis proportionatis verbis, eſto de verbis nihil dicat ibi Pontifex; quia ſupponebat Epiſcopum cum ea cœremonia prolaturum etiam verba in Cæremoniali præſcripta; ideoque tandem ea tertia confirmatio ex Gregorio Nono non erit efficax. Adhuc tamen video nouam hîc difficultatem; nam ſi de hac ſola vltima impoſitione manuum erat ſermo, cùm (iuxta dicenda infrà) per eam conferatur primò poteſtas abſoluendi, debuit ſupponere Pontifex illum Presbyterum non habuiſſe poteſtatem abſoluendi; ac proinde debebat monere, vt ſi qui confeſſi erant, repeterent ſuas confeſſiones.

De qua agat Gregorius incertum.

Probabile eſt agere de impoſitione manuum qua fit in fine ordinationis Preſbyteri.

Reſpondeo tamen, Neque hinc quidquam certò colligi; fortaſſe enim Epiſcopus ille Londonenſis, qui Gregorium conſuluit, monuit etiam eundem Pontificem, quòd Presbyter ille non audiuiſſet vllas confeſſiones; vel quia occaſio non fuit; vel quia, eò quòd non eſſet ei data poteſtas abſoluendi, ſciebat iam ſe non poſſe abſoluere; vel quia nulla erat ei data iuriſdictio; vel denique quia totum dubium erat, an fuiſſet valida prior ordinatio in Ordine ad conſecrandum corpus Chriſti. Ex quibus concludo, ex prædicto textu non deſumi confirmationem ſufficientem pro noſtra concluſione, ideoque non poſſe eam meliùs probari quàm ex ipſa ratione dubitandi, quam ſuprà poſuimus, quòd ſcilicet Eccleſia Græca vtatur diuerſa materia ab ea qua vtitur Romana; vtraque autem approbetur à Pontifice: vnde infertur ſatis probabiliter, à Chriſto nullam determinatè inſtitutam, dicere enim, illum inſtituiſſe diuerſam pro vna Eccleſia quàm pro altera, cùm eius diuerſitatis nulla apud Patres mentio fiat, non videtur eſſe probabile; & connaturaliùs videtur ipſum præſcripſiſſe tantummodò pro materia exteriorem actionem & verba ſignificantia poteſtatem illam quæ confertur, ideoque Eccleſiam Græcam vſurpaſſe manuum impoſitionem cum verbis ſuprà poſitis, Latinam verò eam traditionem; quæ diſtinctè valdè ſignificant poteſtatem quæ tunc traditur. 7

Concluditur, materiam pro neutra Eccleſia à Chriſto determinatè inſtitutam.

SVBSECTIO II.

Explicatur, an de facto impoſitio manuum ſit ex ſe ſufficiens materia Ordinis?

VIDEMVS ſuppoſuiſſe præcedenti ſubſectione eam manuum impoſitionem eſſe ex ſe à Chriſto relictam vt ſufficientem materiam Ordinis; inde vlteriùs infertur, etiam ante patenæ & calicis traditionem conferri per illam Sacramentum Ordinis: id quod valdè eſt alienum à ſenſu communi Doctorum. Cardinalis Lugo omnino iudicat illam ſufficere; ac proinde ſi tunc applicarentur verba, ſeu forma, omnino conferendum Ordinem; de facto verò hunc non conferri, quia deſunt verba, quæ primò deinde proferuntur ſub traditione calicis. Hæc ſolutio grauem patitur difficultatem ex eo, quòd tam expreſſa verba videtur Eccleſia Latina nunc ad eam impoſitionem manuum vſurpare, quàm vſurpet Eccleſia Græca. hæc enim ſolùm dicit: *Diuina gratia creat, ſeu promouet hunc venerabilem Diaconum in Preſbyterum*; oremus igitur pro eo: Latina autem dicit; *Oremus fratres chariſſimi Deum Patrem omnipotentem, vt ſuper hos famulos ſuos, quos ad Presbyterij munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & quod eius dignitate ſuſcipiunt, ipſius conſequantur auxilio.* Ecce ſicut ibi 8

Cardinalis Lugo ſentit manuū impoſitionem ſufficere modò adſint verba.

Impugnatur Cardinalis Lugo.

Digitized by Google

ibi eſt *creat*, hic eſt *elegit*; & ſicut ibi eſt oratio, hic etiam: ergo ſi verba Eccleſiæ Græcæ ſufficienter exprimunt eam ſuſceptionem, etiam verba Latinæ eandem exprimunt. Imò, quod grauius eſt, ſi attendamus ad modum, quo eadem Eccleſia Latina degradat, videtur alicui dicendum in patenæ & calicis traditione cum eis verbis, *Accipe poteſtatem*, non imprimi characterem, neque conferri propriè Sacramentum Ordinis; nam in ea degradatione auferuntur ab eo patena & hoſtia cum his verbis; *Amouemus à te, quin potiùs amotam eſſe oſtendimus poteſtatem offerendi Deo ſacrificium Miſſamque celebrandi tam pro viuis quàm pro Defunctis.* Atqui Eccleſia nec auferre nec declarare poteſt ablatum Sacramentum Ordinis & characterem. Ergo ea verba ſolùm oſtendunt, poteſtatem licitè honeſtéque ſacrificandi ablatam eſſe, ergo dum per contrarium verbum *damus* loco *auferimus* conceſſit eam poteſtatem Eccleſia, non de Ordine ipſo (quem iam videtur ſupponere conceſſum) ſed de poteſtate licitè honeſtéque celebrandi loqui videtur: quaſi dicet; *Cùm iam ſis conſtitutus Sacerdos, liberam tibi damus poteſtatem celebrandi.* Et licet in contrarium auctoritas Eugenij videatur ſtare; minimùm enim requirit, vt dicamus eam traditionem patenæ, &c. eſſe partialem

Explicatur Eugenius Papa.

materiam huius Sacramenti; poſſet tamen quis dicere, ibi Eugenium non tam fuiſſe ſollicitum de determinanda in particulari huius Sacramenti materia, quàm vt in vniuerſum decideret, omnia Sacramenta noſtra conſtare rebus vt materia, ac verbis vt forma; idcóque ibi, quaſi abſtrahendo ab omni ſententia, dixiſſe eam eſſe huius Sacramenti materiam, per quam traditur poteſtas ſignificata, vt in Sacerdotio per traditionem patenæ: vbi non niſi per modum ponentis exemplum eam materiam tetigit, referendo ſe de reliquo ad Pontificale illis verbis, quæ idem Eugenius addit, *Prout habetur in Pontificali.*

10 Quia tamen hoc non niſi diuinando dicitur, ideò reſponderi ei difficultati aliter poteſt; Primò, reuera illam priorem manuum impoſitionem & verba, quæ in ea dicuntur, ex ſe eſſe ſufficientem formam & ſufficientem materiam, vt ſi accederet intentio Epiſcopi, conficeretur Sacramentum Ordinis; de facto tamen in Eccleſia Latina non conferri, niſi quando traditur patena, & profertur illa forma, *Accipe*, &c. quia ita omnes Epiſcopi ſupponere videntur.

Impoſitio manuum eſt indifferens ad ſignificanda multa & diuerſa.

Secundò reſpondetur, & fortaſſe ſolidiùs, cùm huiuſmodi materia non ſignificet planè ex natura rei, ſed ad placitum; nam impoſitio manuum eſt omnino ex ſe indifferens ad ſignificandum vel ſuſceptionem Ordinis, vel condemnationem ad mortem: ita enim ſenes illi Danielis 13. vt Suſannam noxiam declararent, poſuerunt manus ſupra caput eius: ponuntur etiam aliquando à Sacerdote ſupra caput abſoluendi, ſupra capita infirmorum dum leguntur Euangelia; ergo ſignum illud natura ſua vel parum vel nihil de poteſtate conſecrandi ſignificans, non poteſt niſi ex libitu hominum eſſe perfectum ſignum; ſicut vox hæc *homo* non ſignificat, niſi quia homines ita voluerunt. In his autem ſignis requiritur communis auctoritas: neque enim quilibet pro ſuo libitu dare poteſt ſignificationem vocibus. Ex hoc ergo principio dico Eccleſiam Græcam, quæ eſt communitas & Reſpublica quædam, acceptaſſe eam impoſitionem manuum cum illis verbis ad ſignificandam collationem Ordinis; Eccleſiam verò Latinam, eſto fortè olim eam etiam materiam conſtituerit in ratione ſigni, deinde tamen mutaſſe, dum noluit materiam eſſe aliquam aliam præter eam traditionem patenæ & calicis cum hoſtia; ac proinde in Republica Latina illam impoſitionem manuum non eſſe ſignum ad placitum, eſto ſit apud Græcos; vti vox *homo* apud Latinos ſignificat animal rationale, apud Græcos verò nequaquam; & idem ſuo modo dico de impoſitione manuum ſupra Diaconum.

Eam impoſitionem Eccleſia Græca vſurpat ad ſignificandam collationem Ordinis.

11 *Quædam inferuntur contra Cardinalem Lugo.*

Ex hac doctrina infero Primò contra Cardinalem Lugo, eam impoſitionem manuum non ea præciſa ratione, quòd cum illa non profertur tota forma, deſinere eſſe adæquatam materiam ſufficientem ad conferendum Ordinem; quaſi ſi Epiſcopus tunc diceret; *Accipe poteſtatem*, &c. eo ipſo conferretur Sacramentum: id enim videtur mihi valdè difficulter poſſe cohærere cum definitione Eugenij Quarti, qui ſaltem vt partialem materiam eſſentialiter requirit illam traditionem calicis & patenæ: ergo non ex ſolo defectu verborum non confertur Ordo per manuum impoſitionem, ſed quia illa ipſa impoſitio non eſt de facto apud Latinos ſufficiens & vera materia, quia non eſt acceptata ab Eccleſia ad rationem ſigni ad placitum collationis Ordinis; ac proinde etiamſi Epiſcopus tunc diceret, *Accipe poteſtatem celebrandi Miſſam*, &c. dico non fore validè ordinandum Sacerdotem. Quam doctrinam videntur Theologi omnes & Scholaſtici & Morales vt certam ſupponere.

Explicatur fuſiùs Innocentius Quartus & cum eo Sinnibaldus.

Infero Secundò, iuxta hanc doctrinam optimè explicari quod in caput illud *Presbyter* dixit Sinnibaldus de Fliſco, Si Eccleſia nouas non inueniſſet materias, validè conſecrandum Sacerdotem per ſolam manus impoſitionem; vbi haud dubiè manifeſtè ſupponit doctrinam immediatè ante traditam, quòd ſcilicet iam non ſufficiat ea impoſitio, etiamſi haberet verba; (nam verba in qualibet materia debent interuenire, etiam in ea quæ iam eſt inuenta ab Eccleſia;) ergo attendendo rationem ipſam materiæ illam dixit Innocentius eſſe inſufficientem de facto; optimè autem dixit illam fore ſufficientem, ſi Eccleſia non inueniſſet alias: nam dum Eccleſia Latina alias inuenit, quibus neceſſariò voluit vti, abſtulit haud dubiè ab illa manuum impoſitione vim ſignificandi ad placitum, quam antea habebat; quia ea ſignificatio vti in primo eſſe fuit dependens à publica auctoritate; ita in conſeruari ab illa ipſa auctoritate pependit; ac proinde ſi Eccleſia noluit retinere tale ſignum, eo ipſo iam illud non eſt ſufficiens ad rationem materiæ, ſaltem totalis.

12 *Obiectio.*

Dices contra hanc limitationem, Si Eccleſia retinuit vt partialem eam materiam, ergo eo ipſo accedente forma poteſt eſſe ſufficiens: ergo non benè cohæret hæc limitatio *ſaltem partialis* cum priori doctrina.

Soluitur.

Reſpondeo, Vti Eccleſia potuit efficere, ne ea impoſitio manuum eſſet adæquatum ſignum ad placitum ex parte rerum; ita potuit efficere, vt ſimul cum altera materia conſtitueret vnum ſignum; quia in his ſignis ad placitum poteſt & vna res ſola, poſſunt & multæ ſimul accipi pro libitu inſtituentis: ergo quidquid ſit iam, vtrùm re ipſa ea manuum

manuum impoſitio ſit de facto partialis materia (de quo paulò poſt) ſaltem, iuxta ſuperiùs dicta, non poteſt de facto dici ſufficiens vt Sacramentum Ordinis conferatur, eſto verba alioquin ſufficientia proferrentur. Et hæc quoad conciliandam authoritatem Sinnibaldi de Fliſco, ſeu Innocentij Quinti.

SVBSECTIO III.

Reſpondetur ſecundo dubio ſuprà poſito.

13 INFERO Tertiò vt longè probabilius, eam impoſitionem manuum, quæ fit ante traditionem patenæ, nec partialem quidem eſſe materiam Ordinis, ſed purum ritum ſeu cæremoniam ab Eccleſia retentam, eò quòd olim fuerit vera & valida materia conſecrationis; quo reſpondetur ſecundo dubio ſuprà poſito: & quidem quòd non ſit materia neceſſaria, patet ex eo citato capite, vbi Pontifex dicit, Eſto omiſſa ſit, non debere formam conſecrationis repeti: id quod alioquin fuiſſet neceſſarium, ſi eſſet materia neceſſaria, nam materiæ neceſſariæ applicatio tribus menſibus poſtquam verba ſunt prolata non faceret coniunctionem moralem ad validè conferendum Sacramentum, vt bene notaſſe Cardinalem Lugo ſupra diximus.

Impoſitio manuum non eſt materia neceſſaria.

Quòd ſi forte ea verba capitis citati de impoſitione manuum, quæ fit in fine Sacri, intelligantur (vt ſuprà inſinuauimus poſſe probabiliter intelligi) tunc etiamſi directè nulla inde confirmatio deſumatur pro hac parte illationis noſtræ, non ideò tamen ea deſinit eſſe probabilior: eſt enim planè iuxta ſenſum omnium ferè Theologorum huius ſæculi, adeò vt Pater Vaſquez ſuprà dixerit eſſe omnino improbabile, & à nemine doceri eam impoſitionem manuum eſſe partialem Sacramenti materiam, & licet nequaquam auſim, ſtante Cardinale Lugo in contrarium, eam cenſuram improbabilitatis inurere; ad òque noſtram concluſionem præciſè vt probabiliorem defendam, negari tamen non poteſt eam confirmari vehementer eo communi Theologorum ſenſu. Vnde & Cardinalis Bellarminus cum Vaſquez nullam aliam ponit manuum impoſitionem, quæ pertineat vt pars materiæ ad Ordinem, quàm vltimam in fine Miſſæ, qua confertur poteſtas abſoluendi.

14 Deinde confirmatur noſtra reſolutio, quia inauditum planè eſt in aliis Sacramentis, vt vllus applicet materiam eſſentialem, qui non ſit miniſter capax ad adminiſtranda Sacramenta, imò & qui hic & nunc non adminiſtret: nemo enim abluit infantem, niſi qui illum baptizat; nemo vngit vel infirmum, vel confirmandum, niſi qui confert confirmationem vel Extremam Vnctionem; & ſic diſcurrendo de aliis; ergo impoſitio manuum, quæ iam fit in Eccleſia Latina ante traditionem patenæ, &c. cùm etiam fiat ab omnibus Sacerdotibus ibi præſentibus, qui nec conferunt, nec conferre poſſunt Sacramentum Ordinis, non poteſt probabiliter dici materia Ordinis.

Confirmatur reſolutio.

Reſpondebis, Ibi eſſe diſtinctiſſimas manuum impoſitiones: alia enim eſt quæ ab Epiſcopo ab ea quæ à Sacerdotibus præſentibus; vnde dicere facilè poſſumus, eam, quæ ab Epiſcopo fit, eſſe materiam, alias verò, quæ à Sacerdotibus, non eſſe materiam; ac proinde ſemper erit verum, non applicari materiam niſi à ſolo conferente Ordinem. Sed contrà, quia meum argumentum in eo fundatur, quòd in nullo Sacramento applicetur ſimilis materia ab vllo qui non profert verba. Vnde ſolus qui dicit, *Ego te baptizo*, abluit, &c. quo caſu ſi alius non dicturus verba partialiter ablueret, etiam poſſemus reſpondere vt iam reſpondetur, ſolam eam ablutionem, quæ à baptizante fit, eſſe materiam, illam verò, quæ fit à non proferente verba, non eſſe: idem dico de Vnctione, &c. & tamen Eccleſia non vult in ſimilem actionem efficiant illi qui non conferunt Sacramentum, ergo pari ratione debemus dicere, (cùm è contrario eandem manuum eleuationem Eccleſia præcipiat fieri à Sacerdotibus qui adſunt, & ſunt incapaces ad conferendos Ordines, ac proinde non poſſunt propriè veram materiam applicare) neque illam impoſitionem manuum, quam ipſe Epiſcopus tunc facit, eſſe materiam eius Sacramenti, ſed quandam cæremoniam per modum diſpoſitionis ad illud ſuſcipiendum.

Exempla ſumpta ab aliis Sacramentis.

Tertiò idem confirmatur; nam ea eleuatio manuum fit ſine vllis verbis; ergo non applicatur vt materia, quia nunquam in Sacramentis applicatur materia ſine verbis. Reſpondet Cardinalis Lugo ſuprà, Non adeò inter ſe diſtare eam manuum impoſitionem à traditione calicis & verborum prolatione, vt non habeant propinquitatem moralem; vt patet in Diaconis quibus dicitur forma omnibus ſimul, & poſteà tangunt ſucceſſiuè librum. Vnde ſi ordinarentur ſimul centum Diaconi, eſſet magna diſtantia phyſica inter prolationem & contactum. Hæc tamen ſolutio non omnino ſatisfacit; nam ea diſtantia non eſt adeò parua: interponitur enim ſatis longus cantus Epiſcopi, deinde intonatur, *Veni Creator*; poſteà cuilibet inunguntur manus: cæremonia ſatis longa quando ſunt multi; non videtur autem vlla eſſe connexio in cantu & vnctione cum præcedenti eleuatione & impoſitione manuum, vt faciat idem Sacramentum. Inſtantia ex Diaconis non eſt ad rem, quia quando eis eſt dictum, *Accipite poteſtatem*, &c. & illi vi eius dicti ordine veniunt ad tangendum, ſeu accipiendum librum, ſine dubio moraliter illa duo coniunguntur, quia verba influunt in eum motum; in eleuatione autem manuum nihil eſt quod faciat illam eſſe connexam cum illis verbis quæ poſteà dicuntur ſupra nouam materiam; ergo hic obeſt diſtantia, quidquid ſit in caſu ſolutionis. Vrgeo hanc impugnationem ex ſuprà citato capite *Presbyter*, vbi præcipitur, vt ſi neglecta fuit ea manuum impoſitio, eius deinde repetitio fiat ſine vlla forma: quo caſu hic Auctor fatetur inter eam manuum impoſitionem factam tribus menſibus, fortè etiam tribus annis, poſt prolationem formæ nullam eſſe moralem connexionem cum ea prolatione. Vnde argumentor: Ergo ea manuum impoſitio non repetitur vt materia eſſentialis, nec quidem partialiter, ſed vt pura cæremonia. Probo hanc conſequentiam, quia materia non habens formam, neque eſt moraliter cum illa connexa, inutiliter penitus adhibetur; at ſi dicamus eam repeti vt cæremoniam, & per modum orationis, ad obtinenda Sacerdotibus ſpecialia auxilia pro fideliter ſuo munere exercendo, habet optimè locum etiam tunc; quia etiam 15

Confirmatur opinio noſtra contra Cardinalẽ Lugo.

Vrget locum Gregorij Papa contra Cardinalem Lugo.

Digitized by Google

etiam illo tempore eſſent eis auxiliis, & poſſunt obtineri per illas preces: ergo ea repetitio fit per modum cæremoniæ: ergo eadem eleuatio priùs fuerat etiam per modum cæremoniæ: patet hæc conſequentia; nam eo modo præcipit Gregorius illam ſuppleri, quo neglecta eſt: ergo ſi tantùm ſuppletur vt cæremonia, tantùm fuit cæremonia, quando in aliis exhibita fuit. Et ſanè hæc deductio mihi videtur valdè confirmare hanc doctrinam.

16 *Vera forma Ordinis Sacerdotalis profertur in traditione instrumenti.*

Reſpondebis Secundò, A nobis ſuprà dictum, etiam proferri tunc verba aliqua quæ poſſunt eſſe ſufficiens forma pro Sacerdotio. Sed contra, quia ego ſuppono in hac impugnatione tanquam omnino certum, & admiſſum ab ipſo Cardinale Lugo, ea verba, quæ tunc proferuntur, non eſſe veram formam huius Sacramenti; vera enim forma in omnium ſententia ſolùm in traditione patenæ profertur. Cur autē abſolutè verba illa non ſint forma, reddi ratio poteſt conſequenter ad dicta de ipſa materia, quia non accipiuntur ab Eccleſia niſi per modum orationis, non per modum actus quaſi efficacis ſeu iuriſdictionis, quo Epiſcopus oſtendat ſe actu conferre Ordinem: id quod maximè locum habet iuxta dicta immediatè, quòd ſcilicet ea eleuatio manuum non ſit materia ſaltem adæquata, vt omnes fatentur; inde enim ego infero, nec inadæquatam eſſe, ac proinde verba illa, vtpote non cadentia ſupra materiam, non poſſe eſſe hîc & nunc formam.

Citati Patres pro manuum impoſitione à Cardinale Lugo & Concilium Carthaginenſe.

Dices cum Cardinale Lugo ea diſputat. 2. ſect. 5. Patres antiqui dicunt in conſecratione Sacerdotis debere eſſe manuum impoſitionem; maximè autem id tradidit Ambroſius in Epiſt. ad Timotheum capit. 4. clarè & diſtinctè aſſerens per impoſitionem manuum tribui Sacerdoti poteſtatem ad ſacrificium offerendum. Idem etiam Concilium Carthaginenſe quartum capit. 3. & 4. docet dum ait, *Cùm ordinatur Presbyter debere Epiſcopum tenere manus ſuper illius caput.* Ex quibus locis reiicit hic Auctor tam Patrem Vaſquez quàm Cardinalem Bellarminum, qui dicunt, Patres, dum loquuntur de manuum impoſitione, loqui de ea impoſitione quæ fit in fine Miſſæ, quando datur Sacerdoti poteſtas abſoluendi, & quando completur Sacramentum Ordinis, iuxta ſuperiùs dicta.

17 *Explicantur Patres & Concilium Carthaginenſe.*

Reſpondeo Primò huic obiectioni, Quoad Patres antiquiores & quoad Ambroſium nullam eſſe difficultatem; nam (vt diximus ſuprà) illis temporibus concedebatur Ordo per eam manuum impoſitionem etiam ſine traditione calicis: vnde nihil infertur quoad præſens tempus. De Carthaginenſi Concilio fortè eodem modo quis reſponderet, adhuc eo tempore factam ordinationem per impoſitionem manuum, ac proinde nihil inde contra nos. Hæc tamen ſolutio habet contra ſe difficultatem quam ſuprà tetigimus, quòd ſcilicet nunquam ad applicationem materiæ concurrat niſi qui collaturus eſt Sacramentum. Cùm ergo in eo ipſo Concilio etiam omnes Presbyteri iubeantur apponere manus ſupra caput ordinandi, non videtur id factum per modum materiæ.

Meliùs ergo reſpondetur, Concilium quidem agere ibi de manuum impoſitione quando ordinatur Sacerdos; at non dicere, quòd per eam ordinetur (de quo ſolo puncto eſt præſens quæſtio,) quòd autem tempore ordinationis (ſub quo ſine dubio etiam comprehenditur illud tempus quod ad ipſas cæremonias ſpectat) imponatur manus, nemo dubitat.

Dices, Concilium illud aſſignat pro Subdiaconatu traditionem patenæ & calicis vacui; aitque eam traditionem fieri loco impoſitionis manuum, ſeu quia non imponuntur ei manus ſicut Sacerdoti: ergo oſtendit eam manuum impoſitionem eſſe in Diacono & in Presbytero veram materiam reſpondentem traditioni patenæ vacuæ in Subdiaconatu, aliàs inutiliter feciſſet eam contrapoſitionem: atqui in Subdiaconatu ea eſt vera materia: ergo etiam manuum impoſitio erit in Diaconatu & Presbyteratu. Vbi aduerto, Patrem Vaſquez non ſatis conſequenter diſcurrere ad hunc locum, dum ex eo, quòd Concilium ibi dicat *Cùm ordinatur*, conatur probare eſſe certum ibi agi de materia propria Subdiaconatus, debuiſſet enim aduertere hic Auctor eadem verba vſurpari à Concilio dum de impoſitione manuum loquitur, *Cùm ordinatur Diaconus*, &c. & tamen ipſe Vaſquez ait (vt ſuprà diximus) eam manuum impoſitionem non eſſe materiam Diaconatus & Presbyteratus, imò addit eſſe improbabile id aſſerere: ergo vel ea probatio ex verbis illis *Cùm ordinatur* nulla eſt, vel nimium & contra ipſum Vaſquez probat.

Vaſquez inconſequentia arguitur.

18 *Variæ reſponſiones ad Concilium.*

Reſpondeo Primò, Hoc teſtimonium contra omnes eſſe; nam ex eo videtur inferri, ſolam manuum impoſitionem eſſe nunc materiam Diaconatus & Presbyteratus, quia nulla alia ponitur in eo Concilio; vti ob eandem rationem videtur inferri, ſolam eam traditionem calicis & patenæ eſſe materiam Subdiaconatus. Fortaſſe aliquis ideò diceret cum Viguerio apud Vaſquez diſput. 238. capit. 5. materiam Subdiaconatus eſſe traditionem libri Epiſtolarum: id quod videtur valdè efficaciter ſuaderi, eò quòd ſicut Diaconatus confertur per traditionem libri Euangeliorum cum illis verbis, *Accipe poteſtatem legendi Euangelia*, &c. ita videatur Subdiaconatus conferri per ſimilem traditionem libri Epiſtolarum, & ſimilibus verbis, *Accipe poteſtatem legendi Epiſtolas*, &c. maximè cùm in traditione calicis cum patena non videantur vlla proferri verba quæ poſſint habere rationem formæ. Data autem hac opinione facilè reſpondetur conſequenter ad dicta, vti impoſitio manuum non eſt materia, ſed cæremonia in Diaconatu & Presbyteratu, ita eam traditionem patenæ vacuæ eſſe in Subdiaconatu puram cæremoniam. Obſtat tamen huic ſolutioni locus ex Eugenio IV. in litteris vnionis; ibi enim expreſsè dicit eam traditionem eſſe materiam: vnde Vaſquez ſuprà putat id negari non poſſe ſine erroris nota.

Secundò ergo poteſt reſponderi, Carthaginenſe Concilium non facere auctoritatem, quia neque eſt generale neque à Pontifice confirmatum.

Tertiò, & meliùs, vti omnes fatentur, in eo non deſcribi materiam ſub qua iam confertur Diaconatus & Presbyteratus; diximus enim in eo nullam fieri mentionem libri Euangeliorum & traditionis calicis & patenæ: vnde clarè vnum è duobus colligitur, aut eo tempore in ea Eccleſia fuiſſe alias materias eorum duorum Ordinum quàm iam ſint; aut certè in eis Canonibus non fuiſſe illas exactè declaratas: ita nos diſcurrimus de Subdiaconatu, dicimuſque è 19

contrario

contrario fortè tunc illam ipſam traditionem patenæ non fuiſſe materiam, ſed cæremoniam, ſicut de impoſitione manuum diximus, omiſſam autem ſilentio ipſam materiam propriam Subdiaconatus, ſicut fuit omiſſa in Presbyteratu & Diaconatu, inde autem non inferri quidquam circa ea quæ de facto fiunt: vti enim diximus fuiſſe in Eccleſia poteſtatem hæc vel illa ſigna ad placitum accipere pro materia Ordinis; ita potuit contingere vt ex illis ſignis, quæ Carthaginenſe Concilium enumerat, Eccleſia acceperit vnum pro materia Subdiaconatus, quale eſt ea traditio patenæ & calicis vacui, alia verò duo pro Diaconatu & Presbyteratu ſolùm pro cæremonia præuiſa: id quod neceſſariò debent fateri omnes (excepto Cardinale Lugo, qui contra communem omnium ſententiam docet, eam manuum impoſitionem eſſe partialem materiam:) omnes enim fatentur, in eo Concilio Carthaginenſi non niſi Subdiaconatus materiam explicari; ſiue interim putent illam materiam eſſe immediatè determinatam ab ipſo Chriſto, ſiue, vt Bellarminus, Lugo & nos defendimus, propter conſuetudinem Græcam dicant Chriſtum ſolùm præſcripſiſſe in communi aliquod ſignum externum eius poteſtatis: de quo ſolo puncto nunc diſputamus. Concludo ergo totam hanc quæſtionem, dicoque ab Eccleſia non mutatam propriè materiam Ordinis prout eſt à Chriſto Domino inſtituta, ſed diuerſis temporibus conſtituta diuerſa ſigna ad placitum, ad ſignificandam poteſtatem, quæ per Ordines traditur; cùm Chriſtus tamen requiſiſſet ſignum aliquod externum abſtrahendo ab hoc vel illo in particulari. Et ſatis de ea digreſſione ratione Ordinis.

Concluditur, non eſſe mutatam ab Eccleſia materiam Ordinis.

DISPVTATIO SEPTIMA.

Quæ mutatio in materia aut verbis deſtruat Sacramentum?

1 *Duplex mutatio accidentalis & ſubſtantialis.*

SI ad concluſiones generales in hac materia attendere velimus, facilè duobus verbis reſpondere poſſemus illam mutationẽ nõ irritare Sacramentum quæ eſt accidentalis: illam verò quæ eſt ſubſtantialis irritare: nam vti accidentia ſunt extra ſubſtantiam rei, ita illis ſolis abſentibus non perit formaliter eſſentia: quia verò per hoc non penitus declaramus in particulari; non enim dicimus quid ſit accidentale, quid vero omnino ſubſtantiale Sacramentis, faciliùs fortè decidi poſſet quæſtio, ſi priùs ſupponerentur declaratæ in particulari materiæ & formæ, quæ ſunt eſſentialiter requiſitæ: inde enim infertur, ſi illæ non maneant, non manere Sacramentum; ſi verò adſint, fore validum Sacramentum, eſto abſint alia, quæ, vt licitè & debito modo adminiſtrentur Sacramenta, exiguntur ab Eccleſia, per modum tamen accidentis ſubiectum perficientis. Hæc inquam videretur eſſe adæquata eius dubij ſolutio; ſed quia in multis caſibus, etiamſi alioquin iam ſciatur, quæ ſit materia eſſentialis, vix poteſt decidi, an ea ipſa mutetur eſſentialiter, oportet per caſus aliquos particulares rem totam expedire.

SECTIO I.

Proponuntur aliqui caſus particulares.

2 *Accidentia materiæ ſunt accidentaria Sacramento.*

PRIMÒ ergo certum ſit, ea quæ ſunt manifeſtè accidentia materiæ, eſſe etiam accidentaria Sacramento; vt quòd vinum & panis ſit calidum aut frigidum pro conſecratione, & aqua pro Baptiſmo; item quòd vinum ſit album, aut rubrum: licet enim fortè detur differentia phyſica inter ea duo vina; de quo iam non diſputo; ea tamen eſt omnino in genere moris accidentaria.

Idiomatis mutatio cenſetur accidentalis.

SECVNDO DICENDVM, Etiam eſſe accidentalem mutationem variationem idiomatis in verbis: neque enim Chriſtus Dominus requiſiuit determinatè linguam Hebraïcam potiùs quàm Latinam, aut Hiſpanam. Vbi tamen rogabit quis, Vtrùm ſi aliqua vocabula ſint vnius idiomatis, alia alterius, fiat mutatio ſubſtantialis? Videtur enim omnino fieri; nam tunc propriè homo ille nulla loquitur lingua: nec enim facit connexionem illa vox *Hoc eſt*, quæ eſt Latina, cum Gallica, vel Hiſpanica ſignificante corpus; neque illæ duæ faciunt connexionem cum Germanica aut quacumque alia alterius idiomatis ſignificante *meum*: vt ſi quis diceret, *To eſt telo mio*, ex Græco, Bohemico, Latino & Hiſpanico. Reſpondeo, qui diceret eam non eſſe ſufficientem formam, haud multum à vero aberraturum, quia reuerà quia ita loqueretur, non cenſeretur moraliter loqui.

Ad valeat forma ex diuerſis idiomatibus conflata.

Dices: Frequenter ſolemus in ordinariis colloquiis miſcere aliqua verba alterius idiomatis; ergo. Reſpondeo, Id fieri quando audientes ſupponuntur vſurpaſſe illa verba loco ordinariorum, & feciſſe iam quaſi ſua. Deinde, in vna propoſitione longa tranſit vnum peregrinum verbum vnius alterius idiomatis; at in vna propoſitione quatuor verborum v. g. ponere Turcicum vnum, ſecundum Latinum, tertium Germanicum, quartum Bohemicum, vix poteſt moraliter cenſeri loquela humana.

Probabile eſt valere.

Nihilominùs tamen non caret etiam probabilitate contraria ſententia; nam abſolutè ea verba ſunt ſignificatiua: quòd autem ab audiente non intelligantur de facto non nocet, quia id non eſt neceſſarium; nam etiamſi ita demiſsè proferantur vt nequeant intelligi, fiet tamen validum Sacramentum: ſufficit enim eo caſu, quòd ipſe loquens intelligat quod dicit.

Sed dices: Quòd ſi ille planè neſciens vim eorum verborum caſu ea proferret, haberetque intentionem faciendi Sacramenta, & per illa ſignificandi id quod re ipſa ſignificant; eſſetne validum Sacramentum? Reſpondeo, Si ea omnia concurrerent in eo caſu moraliter alioquin impoſſibili, futurum validum Sacramentum: non enim in rigore eſt neceſſarium vt ipſe loquens intelligat quod dicit; ſufficit enim quod proferat verba verè ſignificatiua. 3

Digitized by Google

Eſt mutatio accidentalis in ſynonyma.

TERTIÒ DICENDVM, A fortiori non eſſe mutationem eſſentialem, ſi intra eandem linguam verba mutentur in alia ſynonyma. Vbi aduerte, non omnia eſſe ſynonyma quæ explicant eandem rem: *homo* enim ſignificat idem quod *animal rationale*; & tamen duæ illæ voces non ſunt ſynonymæ, quia non correſpondent eiſdem conceptibus de homine; ſimiliter Trinitas non eſt ſynonyma cum Patre & Filio & Spiritu ſancto, quia licet eandem rem, multò tamen clarius & diſtinctius ſignificant hæc vltima quàm prius verbum. Vnde dicere, *Ego te Baptizo in nomine Trinitatis*, eſſet mutatio ſubſtantialis; non tamen ſi diceretur, *In nomine Genitoris, Geniti & Procedentis ab vtroque*, quia hæc idem eodem modo ſicut Pater & Filius ſignificat. Sed de his redibit aliàs ſermo, vti de illa, *Ego te baptizo in nomine Chriſti.*

Hoc eſt corpus Chriſti eſt mutatio accidentalis cōtra Suarez.

Rogabis, An ſi in verbis conſecrationis loco *meum* dicatur *Chriſti*, *Hoc eſt corpus Chriſti*, ſit mutatio accidentalis. Reſpondet Pater Suarez diſput. 59. ſect. 2. eſſe ſubſtantialem, quia neceſſium eſt Sacerdotem loqui in perſona Chriſti. Probabilius tamen cenſeo eſſe ſolùm accidentalem, quia in primis non videtur eſſe neceſſum vt inducatur Chriſtus loquens; deinde etiam ipſe Chriſtus poteſt ſeipſum proprio nomine, ablato pronomine *meum*, deſignare; vti ego dicere poſſum de me, *Hoc eſt corpus Roderici*: nam licet ex ſe non ſint determinata ea verba ad hoc vt ſupponantur pro ipſo loquente, ſicut nec *meum* de ſe eſt determinatum ad Chriſtum, quia etiam poſſet ad ipſum Sacerdotem applicari; ſi tamen Sacerdos velit ea verba determinare, tunc procul dubio nomine Chriſti poterit intelligi idem ac per illam alteram, *Hoc eſt corpus meum.*

Tò enim & tò ego ſunt accidentalia Baptiſmo.

4 QVARTÒ DICO, Si ex ordinaria forma auferantur aliqua verba, quæ non tollunt ſignificationem requiſitam, non impediri valorem Sacramenti: vnde ſi auferatur *tò enim* in conſecratione, & *tò ego* in Baptiſmo, &c. omnino conficietur Sacramentum; quia retinetur ſenſus idem.

Dices: Quid ſi dicatur cum Græcis, *Baptizetur ſeruus Chriſti?* Reſpondeo, Eſſe validum Baptiſmum, quia eadem eſt ſignificatio, niſi fortè optatiuo modo, & non imperatiuo & iuridico, ea verba vſurpentur; quia tunc non tam eſſet facere Baptiſmum, quàm optare vt fieret. Sed de hoc etiam redibit ſermo diſputatione de Baptiſmo. Tandem, ſi in eadem forma auferatur *tò te*, mutationem non accidentalem, ſed ſubſtantialem fore; quia non manet vllus ſenſus propoſitionis, cum non dicatur quid baptizetur, niſi ponatur aliud verbum determinans; vt ſi dicamus, Baptizo hunc hominem Petrum.

Tò te eſt ſubſtantiale.

Non omnis mutatio phyſicè accidentalis eſt moralis accidentalis.

QVINTÒ DICENDVM, Non omnem mutationem phyſicè accidentalem eſſe, etiam moraliter accidentalem, & è contrario: fortè enim maſſa non differt phyſicè ſpecie à pane cocto, & tamen moraliter valdè differt; quia maſſa non eſt ſimpliciter panis, ideoque non eſt materia capax conſecrationis: ſimiliter aqua congelata licet non differat ſpecie à ſoluta, tamen quia omnino eſt inutilis ad ablutionem, quæ eſt materia proxima Baptiſmi, idcò pro illo ſtatu non eſt materia Baptiſmi. At pro conſecratione vinum etiam congelatum eſt ſufficiens materia, quia non requiritur niſi vt ſit vinum; id quod habet, etiamſi congelatum ſit.

Dices: Quamdiu eſt congelatum non poteſt bibi; ergo non eſt materia ſufficiens. Reſpondeo, Non requiri ad conſecrationem vt actu & immediatè poſſit bibi; nam etiam panis duriſſimus, qui niſi comminuatur, non poteſt comedi, poteſt eſſe materia conſecrationis. Vinum ergo congelatum poteſt bibi, quia poteſt liquefieri. Cùm autem hoc Sacramentum non conſiſtat in vſu vti Baptiſmus, non eſt neceſſum vt actu vinum ſit liquidum; ſicut pro Baptiſmo aqua debet eſſe actu liquida, non glaciata. 5

Cur vinum congelatum ſit materia conſecrationis.

Quæres, An Baptiſmus in aqua roſacea, & conſecratio in pane hordeaceo, aut in vino non ex vite, ſed ex aliis fructibus ſit valida. Reſpondeo, Non eſſe, quia ea eſt mutatio planè ſubſtantialis. An autem panis ſiligineus ſufficiat dicam infrà. Nunc aduerto, quando dicimus requiri ad Baptiſmum aquam elementarem naturalem, & ad Eucharistiam vinum ex vite, non velle nos excludere aquam eiuſdem ſpeciei cum elementari, miraculosè tamen à Deo creatam; ſimiliter nec vinum: quale fuit in nuptiis Canæ Galilææ; quia dummodò ſint eiuſdem omnino naturæ ex ſe cum naturalibus, non ideò quòd de facto per accidens actione miraculoſa producta fuerint, extrahuntur à ratione materiæ capacis. Aduerto præterea; dummodò maior pars ſit aquæ elementaris, non ideò inualidari Sacramentum, quòd aliquid ſit admixtum de aqua fictitia, ſiue roſacea, ſiue alterius rationis.

Vinum miraculoſum & aqua miraculoſa ſunt apta materia.

DICENDVM SEXTÒ, Si in conſecratione panis loco *Hoc* ponatur, *Hic eſt corpus meum*, idque fiat tantùm ex errore in Latina lingua; non obeſſe valori Sacramenti; eſt enim perinde ac ſi diceret, Abſoluo te bi; ſi verò aduerbialiter ſumatur, deſtruere ſubſtantiam, quia non denotat conuerſionem panis in corpus Chriſti: etenim ibi adhuc manente pane verè dicitur, *Hic eſt corpus Chriſti*; ſi ſimul etiam re ipſa ibi ſit. 6

Hic aduerbialiter ſumptū loco Hoc obeſt valori Sacramenti.

Obiectio:

Dices; Subſtantia Sacramenti ſolùm conſiſtit in eo, quòd Chriſtus ſit ſub ſpeciebus panis & vini; quòd autem panis non ſit ibi, non eſſe de ſubſtantia Sacramenti, etiamſi re ipſa de facto ille expellatur: ergo verba, quæ ſufficiunt vt ponatur Chriſtus, etſi non ſufficiant vt expellatur panis, erunt ad valorem Sacramenti ſufficientia. Reſpondeo; Licet fortè quoad vtilitatem noſtram eſſet omnino per accidens ea permanentia panis, quia tamen non habuit Chriſtus de facto voluntatem ponendi corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus, niſi expellendo ſimul inde panis & vini ſubſtantiam; id quod ex verbis ipſius, quibus de facto conſecrauit, fuſiùs deducetur infrà; ideò non habemus vllum fundamentum ad dicendum (ſed potiùs ad negandum) ſufficere verba quæ oſtendant ibi Chriſtum, ſi ſimul admittant panem; qualia ſunt illa, *Hic eſt corpus Chriſti.*

Soluitur.

Iam hinc oritur nouum dubium, Quid ſi hoc modo conſecratio fiat, *Ecce corpus meum?* Pater Suarez dicit, Probabile eſſe ſufficere. Sed contrà, quia eodem modo videtur poſſe dici, *Ecce corpus meum*, adhuc manente ibi pane, ac poteſt dici aduerbialiter, *Hic eſt corpus meum*: atqui hæc verba non ſufficiunt, ergo neque illa. Poſſet quis reſpondere, *tò Ecce* ſupponi pro toto quod demonſtratur. Vnde quando duo ſubſtant eiſdem accidentibus, ita 7

Ecce corpus meum non eſt apta forma cōtra Suarez.

vt

vt vnum ſine altero demonſtrari non poſſit (vt contingeret , caſu quo ſimul ſub ſpeciebus eſſet Chriſtus & ſubſtantia panis) tunc τὸ *Ecce* neceſſariò exprimeret vtrumque ; ergo non eſſet verum dicere, *Ecce corpus Chriſti*, manente ibi pane. Cuius rei ea poteſt eſſe ratio ; quòd τὸ *Ecce* æquiualet huic propoſitioni, *Quod tibi oſtendo eſt* , &c. ergo cùm etiam oſtendatur panis , & ille non ſit Chriſtus , non eſſet vera ea locutio. Conuincit me hæc ſolutio. Aliunde tamen reiicio eam Patris Suarez doctrinam, quia τὸ *Ecce* in communi acceptatione non requirit approximationem. Vnde propriiſſimè oſtendendo montes valdè procul ſitos poteſt dici, *Ecce tales & tales montes*,licet non poſſit dici *Hi montes*,ſed *Illi*. Ratio eſt,quia ea omnia quæ oſtendi poſſunt propriiſſimè , denotantur particula *Ecce*. Ad conſecrationem verò requiritur particula ſignificans rem præſentem conſecrantis,qualis eſt τὸ *Hoc*;ergo, &c.

SECTIO II.

Quid ſi verba habeant ſenſum æquiuocum?

8

In verbis æquiuocis valor Sacramenti pendet ab intentione conficientis.

CONCLVSIO ſit ; Si mutatio in verbis reddat ſenſum æquiuocum , tunc pendet ex intentione conficientis , quòd fiat validum Sacramentum (non loquor de intentione faciendi Sacramentum ; ab hac enim etſi propoſitio non ſit æquiuoca , ſemper tamen pendet Sacramenti valor; ſed loquor de intentione circa ſignificationem :) ſi enim intendat rectum ſenſum , validum faciet Sacramentum ; ſi verò ſenſum alienum à Sacramento , nihil faciet: v. g. τὸ *Hic* in forma calicis eſt de ſe æquiuocum;poteſt enim ſumi aduerbialiter,poteſt etiam adiectiuè : ſi ergo conſecrans velit ſignificare aduerbialiter , nihil faciet , iuxta dicta paulò ante circa vocem *Hoc* , quæ doctrina vera eſt, licet conſecrans habeat intentionem faciendi Sacramentum, perinde ac ſi cum ea intentione diceret , *In hoc calice eſt ſanguis Chriſti* : ſi verò vſurpet adiectiuè , tunc valida erit conſecratio. Ratio à priori eſt , quia in verbis æquiuocis pendet ex animo loquentis, quòd habeat hunc vel illum ſenſum determinatè. Obiectionem contra hanc doctrinam ex Cardinale Lugo vide paulò inferiùs.

In propoſitione æquiuoca ſufficit determinatio loquentis.

Hinc inferes falli illos qui dicunt , quando propoſitio eſt æquiuoca , non ſufficere determinationem loquentis,ſed debere addi exterius aliquid quo determinetur potiùs ad hunc quàm ad illum ſenſum : falli inquam ; nam alioquin qui haberet ante ſe duas hoſtias , etiamſi internè dextram elegiſſet ad conſecrationem, & proferret verba , *Hoc eſt corpus meum* , cum debita intentione ſupra ipſam,non conſecraret:quod eſt contra Aduerſarios & omnes. Sequela verò patet, quia τὸ *Hoc* tunc temporis eſt æquiuocum ad ſignificandam hoſtiam dextram , vel ſiniſtram, vel vtramque , cùm æquè ſint illæ demonſtrabiles ob æqualem approximationem per particulam *Hoc* ; Conſecrans autem,vt ſupponimus, nihil dixit , quo oſtenderet ſe de dextra loqui potiùs quàm de ſiniſtra ; ergo iuxta principia eorum Auctorum non loqueretur ille Sacerdos tunc verè de illa , ideoque nec faceret Sacramentum : ſimiliter nunquam validè conſecraremus calicem , quia nunquam exteriùs aliquid dicimus quo declaramus τὸ *Hic*, quod eſt æquiuocum , a nobis vſurpari non aduerbialiter , ſed adiectiuè.

Ex hac doctrina colligo ſolutionem difficultatis circa illam formam , *Ego te baptizo in nomine Patria*, &c. Si enim voluit ille Sacerdos Trinitatem femineam ſignificare , nullum fecit Sacramentum ; ſi autem id dixit ex errore Latinæ linguæ , volens tamen ſignificare veram Trinitatem, validè baptizauit : & hoc eſt quod voluit Zacharias Papa Epiſtola 4. Decretalium, Tomo 2. Epiſtolar. Pontific. agens de hoc caſu; *Si factum fuit animo introducendi errorem, non fuiſſe verum Baptiſmum* ; *ſecùs ſi ex ignorantia* Voluit ergo Pontifex denotare , ſi animo ſignificandi feminas , ad quod verba illa ſunt æquiuoca , ea protulit , non ſignificauit veram Trinitatem etiam exteriùs , ideoque nihil effecit. Nec poteſt Pontifex de ſolo animo inducendi errorem explicari ; nam animus præcisè introducendi errorem, ſi exterius adhibeat rectam formam , non deſtruit Sacramentum: vt patet in Græcis validè baptizantibus, etiamſi dicant, *Baptizetur ſeruus Chriſti* , & hoc animo introducendi errorem, ſcilicet neceſſaria eſſe ea verba , nec ſufficere illa quibus vtitur Eccleſia Romana; ergo recurrendum eſt ad noſtram doctrinam, quòd ſcilicet propter verborum æquiuocationem, ſi habuit malam intentionem,non adhibuit nec quidem debitam formam. 9

Zacharias Papa mens de Baptiſmo in nomine Patria, &c. collatio.

Oſtenditur contra Vaſquez æquiuocatio in verbis Patria, Filia, &c.

Ergo hoc contra Vaſquez docentem in eo caſu , ex defectu intentionis baptizandi in nomine veræ Trinitatis, & quia hunc errorem aliquo modo expreſſit , non fuiſſe validum Baptiſmum , non verò ex verborum æquiuocatione. Vbi in primis noto malè dici , Sacerdotem illum expreſſiſſe ſuum errorem exterius, ſi aliunde verba non ſunt æquiuoca ,ſed determinata ad ſignificandum Patrem. Quomodo enim ſignificatur exteriùs error per verba quæ illum nequaquam ſignificant ? Sed quidquid de hoc puncto ſit , ſic argumentor:Si in prædicto caſu Baptiſmus ille non fuiſſet validus , eò quòd Sacerdos voluiſſet inuocare falſam Trinitatem; profectò etſi dixiſſet Sacerdos , *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, non feciſſet validum Sacramentum ; quia eſto poſuiſſet bona & ſufficientia verba,malam tamen habuiſſet intentionem ; ergo ſi proferendo *Patria* , *Filia*, &c. non fecit validum Sacramentum , cauſa fuit , quòd verba fuerint æquiuoca , & per intentionem illam determinata ſint ad falſum ſenſum. Vt verò rem hanc radicitus explicemus.

Quæ intentio debeat eſſe in Miniſtro in æquiuocis.

Aduerto, rectè poſſe in Miniſtro eſſe voluntatem faciendi quod facit Eccleſia vera , & ſimul animum introducendi errorem : licet enim hæc re ipſa in ſe contraria ſint , ideoque ſine ignorantia ſimul non poſſunt cohærere , ſi tamen error ſit in intellectu, quia putat illa inter ſe non eſſe contraria , rectè poteſt vtrumque amari, ſicut dum abſolutè amo , ſeu volo amicum meum Petrum v. g. viuere ; aliunde autem ex ignorantia videns eminus eundem Petrum , putaui eſſe meum hoſtem , cuius vitam odio habeo ; in eo caſu circa illum Petrum ex ignorantia ſunt in me duæ voluntates contrariæ , vitæ & necis : ita etiam Miniſter ex ignorantia iudicans à vera Eccleſia ſuum errorem doceri , poteſt ſimul velle facere quod facit Eccleſia vera , & aliunde velle ſuum errorem intro- 10

troducere. In hoc caſu ſi Sacerdos ille habuiſſet intentionem faciendi quod facit Eccleſia per illa verba *Patria*, *Filia*, &c. & aliunde haberet animum inuocandi Trinitatem femineam, quia hanc putat inuocari à vera Eccleſia, certè non caruiſſet intentione debita: vnde ſi exteriùs ex alia ignorantia, ſcilicet quòd Patris & Filij ſignificent perſonas femineas, dixiſſet è contrario tamen, *In nomine Patris*, in omnium ſententia, non obſtante illa voluntate inducendi errorem, validum feciſſet Sacramentum; ergo ſi non fecit quando dixit *Patria*, *Filia*, &c. non id contigit ex defectu inuocationis veræ Trinitatis, quandoquidem voluit inuocare eam quam vera Eccleſia voluit; ſed quia ex alia intentione circa vocem æquiuocam fecit vt verba illa *Patria*, *Filia*, &c. de ſe æquiuoca non ſignificarent exteriùs veram, ſed femineam Trinitatem; quia in æquiuocis, quòd hoc vel illud ſignificetur, pendet, vt dixi, ex voluntate loquentis circa ſignificationem: vnde ſi ex eadem ignorantia diceret *Matris*, non faceret Sacramentum, quia non eſt verbum æquiuocum; ac proinde licet haberet bonam intentionem ſignificandi, non tamen re ipſa ſignificaret exteriùs Patrem.

Tò in nomine eſt æquiuocum contra Vaſquez.

11 Quæres, Quid ſi poſt illa verba *Patris* & *Filij* adderetur & *in nomine Beatiſſimæ Virginis*, faceretne verum Sacramentum? ante reſponſionem aduerte contra Vaſquez, τò *in nomine* eſſe omnino æquiuocum ad ſignificandam & auctoritatem & interceſſionem, non verò determinatum ad ſolam auctoritatem, vt patet ex eadem Eccleſia in commendatione animæ, vbi dicitur, *Egredere*, &c. *in nomine Trinitatis*, & poſteà *in nomine Angelorum*; & ſic diſcurrit Eccleſia per omnes ordines Sanctorum: ſupra quem modum loquendi Vaſquez ſe non reflexit dum contrarium docuit. Hoc poſito dico, Si Miniſter velit inuocare interceſſionem ſolùm Virginis, facturum illum validum Sacramentum (licet habeat animum introducendi errorem, quòd ſcilicet ea verba ſint neceſſaria) quia applicat debitam formam cum intentione ſufficienti. Si verò per τò *in nomine* velit etiam poteſtatem Virginis proteſtari, tunc dico eum non adhibiturum exteriùs veram formam, & conſequenter non facturum Sacramentum, niſi caſu quo decreuiſſet eam additionem poſt adhibitam iam materiam & prolata alia verba cum debita intentione: tunc enim quia iam erat factum Sacramentum, etiamſi verba quæ addita eſſent, eſſent contraria, maneret Sacramentum, perinde ac ſi poſt τò *Spiritus Sancti* cum recta intentione prolati adderet quis *falſi*, adhuc tamen conficeret Sacramentum: de quo vltimo puncto inferiùs nobis redibit ſermo agentibus, vtrùm requiratur morula poſt rectam formam.

An & quando aliquid additum formæ vitiet illam.

SECTIO III.

Satisfit obiectioni contra doctrinam traditam.

12 DICES: Etiamſi verba ſint æquiuoca, dummodò Miniſter habeat intentionem generalem faciendi quod facit Eccleſia, proferatque verba ex ſe ſignificantia, adhuc conficiet Sacramentum; nam per illam intentionem generalem corriget quidquid videtur retractare per particularem; conſequenter autem ad hanc doctrinam poteſt ad caſum illum de baptizante *in nomine Patriæ, Filiæ & Spiritæ Sanctæ* reſponderi, illum talem ideò non feciſſe validum Sacramentum, non quia illa verba ſint æquiuoca, ſed quia reuera non ſunt forma propria, & quodam modo ex ſe determinata ad ſexum femineum ſignificandum; quid ergo mirum, ſi intentione mala accedente non faciat Sacramentum? Cardinalis Lugo ea diſput. 2. de Sacramentis omnino putat eam intentionem priuatam nihil obeſſe, ac proinde in caſu à nobis ſuprà poſito de eo qui diceret, *Hic eſt calix*, volens τò *Hic* ſumere aduerbialiter, fore vt validum conficeretur Sacramentum, ſi ille haberet intentionem faciendi verum Sacramentum, & proferendi voces in vero earum ſenſu: cuius fundamentum eſt, quia illa priuata voluntas minùs efficax non poteſt præualere contra alteram magis fortem: id quod confirmat exemplo illius Sacerdotis, qui ad initium Sacri habuit intentionem conſecrandi omnes hoſtias quæ ſunt in pyxide, & poſteà circa tempus conſecrationis oblitus eius intentionis dirigit verba ad ſolam hoſtiam maiorem; quo tamen caſu omnes aliæ communiter cenſentur conſecratæ; ergo pari ratione qui habet volitionem vniuerſalem faciendi quod facit Eccleſia, licet ex priuato errore dirigat ſuam intentionem ad ſolum illum ſenſum falſum, nihilominùs verum faciet Sacramentum. Confirmatur id Secundò inſtantia illius qui ignarus linguæ Latinæ proferret verba, *Ego te baptizo*, ſi haberet intentionem baptizandi, verè baptizaret, eſtò non ſciret quid faceret; ergo ſufficit quòd in confuſo velit proferre ſenſum illum qui latet in verbis, eſto ipſe non intelligat quid per illa ſignificetur.

Cardinalis Lugo docet in æquiuocis ſufficere intentionem generalem faciendi quod facit Eccleſia.

Iudico tamen contrarium longè eſſe probabilius, vti Vaſquez expreſsè docet diſput. 129. num. 102 ac proinde perſiſtendum in noſtra concluſione ſuprà poſita: vt autem illam perfectè intelligas aduerte, dupliciter illum hominem poſſe ſe habere in tali caſu; Primò, vt dicat, Ego omnino volo ſignificare per τò *Hic* aduerbium loci, quia hunc puto eſſe ſenſum huius propoſitionis; ſi tamen aliud re ipſa ſignificat, volo illud ſignificare; in hoc caſu libentiſſimè admitto talem hominem confecturum validè Sacramentum, quia per illam conditionalem voluntatem corrigit priorem: cùm enim ſubſiſtat ea conditio dependenter, à qua vult, vt dixi, veram ſignificationem, haud dubiè abſolutè erit actu efficacior ea voluntas quam prior: & in hoc ſenſu acquieſco ei Auctori. Alio ergo modo poteſt eſſe diſpoſitus ille homo, vt licet voluntate illa generali velit efficere Sacramentum, in applicatione tamen mediorum erret, volendo v. g. per τò *Hic* ſolùm ſignificare aduerbialiter; ac ſi diceret, Volendo τò *Hic* vſurpare aduerbialiter, volo facere verum Sacramentum: quo caſu iudico nullo modo illum validè adminiſtrare Sacramentum. Probatur autem id efficaciter; nam ille tunc re ipſa exteriùs purè aduerbialiter loquitur per τò *Hic*: iam enim dixi in vocibus æquiuocis ex intentione loquentis effici, vt illæ hîc & nunc ſignificent potiùs hoc quàm illud; hanc autem intentionem non retractat ille per voluntatem faciendi Sacramentum, quia cùm habeat hoc iudicium, quòd Sacramentum fiat per illam ſignificatio- 13

Vaſquez contrarium ſentit probabilius.

Quo ſenſu & intentione τò Hic accipiendum ſit ad valorem Sacramenti Euchariſtiæ.

nem

nem aduerbialem, nec in contrarium vllam habet dubitationem, nullam etiam habet repugnantem voluntatem ei ſignificationi, eſto velit re ipſa facere Sacramentum: id quod repugnat implicitè priori voluntati, vti ille, qui in nomine Matris baptizaret; ſeriò tamen deſiderans conficere Baptiſmum, vellet quidem re ipſa aliquid quod in ſe repugnat; circa vocem tamen illam *Matris* non haberet voluntatem retractantem: ſuppono enim illum ex errore inuincibili putare primam perſonam Trinitatis eſſe fœminam, & vt talem velle illam inuocare: neque enim nouum eſt in voluntate vniuerſali finis aliquem non errare; nihilominus ex eo quòd medium ineptum applicet, nihil omnino efficere.

Obiectio de τὸ Hic ſoluitur.

14 Dices: Si ille ſciret, quòd τὸ *Hic* non ſit acceptum à Chriſto aduerbialiter, non illud proferret vt tale. Sed contrà, quia eo ſenſu nullus neque hæreticus vnquam haberet intentionem malam. Quis enim vt faciat Sacramentum applicabit medium, quod ſcit ineptum eſſe ad Sacramentum? Dico ergo, Etiamſi eo caſu ille ita eſſet diſpoſitus habitualiter, vt ſi ſciret contrarium requiri, illud omiſſo vellet, non continuò ſequi, re ipſa actu habere neceſſariam volitionem; etenim cùm nullo modo ei occurrat τὸ *Hic* eſſe pronomen, ſed omnino putet eſſe aduerbium, & vt tale velit illud proferre, eo ipſo non ponit ea quæ ad Sacramentum requiruntur.

Altera obiectio laborat vitio ſyllogiſtico.

Dices Secundò: Ille vult tunc facere per ea verba quod facit Eccleſia; ſed Eccleſia ea profert in vero ſenſu, ergo & ille. Reſpondeo, Hoc argumentum conſtare quatuor terminis: in maiori enim dicitur *vult facere*, quæ præpoſitio denotat intentionem finis: in minori autem agitur de ſignificatione vocis, ac proinde mutantur termini. Iam dixi ſuprà, illum velle quidem facere Sacramentum, at proferendo τὸ *Hic* in ſenſu aduerbiali, quia putat ab Eccleſia in eo ſenſu vſurpari, velle quidem eundem finem quem vult Eccleſia, per contrarium tamen & inſufficiens medium, ideoque nihil obtinere.

15 Hinc conſtat, non eſſe ſufficientem ſolutionem quam Aduerſarij afferunt, dum dicunt, Ad hoc vt homo loquatur verè, ſufficere quòd in confuſo apprehenderit verum ſenſum, eſto ipſe actu illum non concipiat: oſtendimus enim eum nec quidem in confuſo id voluiſſe; ſupponimus enim illum nec rationem dubitandi habuiſſe, quòd illa vox ſignificet aliud quàm aduerbialiter: quod enim velit facere quod facit Eccleſia, iam dixi magis eſſe voluntatem finis; id eſt, Volo ponere hic Chriſti corpus & ſanguinem: in qua voluntate nihil dicitur de ſignificatione illa vera; per alteram verò voluntatem purè putè determinatè fertur ad ſignificationem aduerbialem, nec quidem dubitando de alia.

Reſpondetur contrariis inſtantiis.

Iam hinc facilè erit reſpondere contrariis inſtantiis, quatenus videntur poſſe obeſſe noſtræ ſententiæ. Ad eam de Sacerdote, qui ad initium voluit hoſtias omnes in pyxide conſecrare, & deinde obliuiſcitur, & nihilominus eas conſecrat, Reſpondeo, Eſſe magnam diuerſitatem; nam talis Sacerdos non habuit vllam voluntatem tempore conſecrationis contrariam priori, ſed, vt ſic dicam, diſparatam; quia non dixit, *Nolo conſecrare niſi hanc magnam*, ſeu, *Volo ſolam hanc*; ſi enim hoc dixiſſet, expreſsè ex integro oblitus prioris intentionis, profectò nemo poſſet cum vlla probabilitate aſſerere eum validè illas alias conſecraſſe: habuit ergo voluntatem poſitiuam conſecrandi illam magnam, non excludendo tamen alias; ac proinde rectè cenſeri poteſt permanere prior voluntas influens moraliter in eam conſecrationem, vtpote nondum retractata. Non ſic contingit in noſtro caſu: habet enim Sacerdos ille voluntatem planè contrariam veræ ſignificationi, quia expreſsè vult aduerbialiter ſignificare τὸ *Hic*; quòd autem velit facere quod facit Eccleſia, eſt, vt ſæpè dixi, voluntas finis, non mediorum. Nullam autem circa ſignificationem veram ſupponimus voluntatem contrariam qua retractet ſuum errorem.

Replica.

16 Fortaſſe quis hîc vrgeret: Velle facere Sacramentum, & velle habere veram ſignificationem eius vocis, nullo modo diſtinguuntur, quia Sacramentum includit vt partem ſui ſignificationem ipſam bonam; ergo habet ille eo caſu volitionem ſaltem confuſam bonæ ſignificationis. Reſpondeo Primò, Etiamſi phyſicè Sacramentum includat ipſam ſignificationem veram, ordinariè tamen ea duo apprehendi vt diſtincta; & dum dicitur quis inter Chriſtianos velle facere quod facit Eccleſia baptizando, conſecrando, ordinando, directè tunc dici eum intendere, non tam applicare eandem materiam, & eadem verba quæ applicantur ab Eccleſia; nam cùm in re ipſa id faciat, quia re ipſa abluit, & dicit, *Ego te baptizo*, &c. non eſt neceſſaria tunc intentio talis, quæ ad materiam & formam feratur; eſt ergo illa voluntas applicandi eam materiam animo quo Eccleſia eam applicat, vbi virtualiter eſt animus cauſandi gratiam & alios effectus qui conſequuntur Sacramentum; de ſignificatione autem tunc nihil cogitat ille, quia ſignificationem putat eſſe independentem ab inſtitutione Eccleſiæ, & ex priori Latinorum Auctorum ſola voluntate pendentem; ac proinde ille tunc quaſi ſic dicit; *Significando per hæc verba id quod ex ſe ab Auctoribus Latinis inſtituta ſignificant; volo obtinere quod Eccleſia obtinet ſimilia verba in ſimili ſignificatione proferendo.* Hæc eſt genuina explicatio eius intentionis. Cùm ergo aliunde ſupponamus, in tali caſu hunc non cogitare in τὸ *Hic* niſi de ſignificatione aduerbiali, profectò ille nullam habet volitionem, nec quidem virtualem ſignificandi adiectiuè; licet autem concedamus eum tunc velle in ſignificatione, qua Eccleſia ea verba vſurpat, ea accipere, cùm tamen habeat actu eam firmam perſuaſionem, ab Eccleſia etiam vſurpari ſolùm aduerbialiter, & nec per vmbram cogitet de vlla alia ſignificatione, profectò niſi tunc expreſsè habeat illam volitionem, quam nos diximus ſuprà, *Volo tamen eam vocem accipere in ſenſu quem re ipſa habet*; non video quomodò poſſit conficere Sacramentum.

Solutio.

Genuina explicatio intentionis in conficiendis Sacramentis.

Vniuerſalis voluntas faciendi quod facit Eccleſia confertur voluntati particulari.

17 Quod verò dicebatur ab hoc Auctore, illam voluntatem faciendi quod facit Eccleſia eſſe potentiorem altera particulari, non eſt vniuerſaliter verum; vel certè petetur principium in ea doctrina: nam ſi dicat ideò illam volitionem eſſe fortiorem, quia potentior eſt ad conficiendum validè Sacramentum, quàm altera ad reſiſtendum, tunc petetur principium: quia de hoc ipſo eſt quæſtio; & nos contrarium diximus, eò quòd hæc ſit voluntas magis explicita; vnde ſi ex integro ſit contraria alteri, erit potentior quàm illa, ſi verò ideò dicatur potentior, quatenus fortius in modo volendi ille appetit efficere Sacramentum, quàm

Digitized by Google

eam falſam ſignificationem inducere, tunc neganda eſt ea propoſitio; quia licet magis appretiatiuè homo appetat finem quam media, non poteſt tamen minùs efficaciter velle medium quod iudicat vnicè neceſſarium, cùm nullo modo poſſit finis exiſtere, niſi medium omnino neceſſarium pro illo exiſtat, ergo qui planè iudicat non eſſe alium modum conficiendi Euchariſtiam, quàm ſi proferat aduerbialiter *Tò Hic*, & nec quidem illi vel ſuſpicio occurrit, quòd debeat aliter accipi; non intelligo quomodo minus efficaciter velit ea verba proferre aduerbialiter quam Sacramentum conficere.

Reſponſio ad alteram confirmationem.

Ad ſecundam confirmationem, de illo qui omnino ignorans ſignificationem verborum baptizaret proferendo debita verba, Reſpondeo, Eo ipſo quòd omnino ignorat verborum illorum vim, clariſſimè apparere quòd non habeat voluntatem aliud ſignificandi, quam quòd ſignificant apud eos qui illis verbis vtuntur: vnde non mirum ſi id ipſum exteriùs ſignificent; & ex integro ceſſet omnis oppoſitio voluntatum. Nos autem ſumus in caſu, quo ille, vt diximus, indicat ſignificationem huius vocis eſſe aduerbialem, vti re ipſa eſt; & aliunde nec per vmbram cogitat de ſecunda ſignificatione, aut ſi cogitat eam reiicit: quo ergo iure dicemus eum magis tunc velle hanc ſecundam veram quam illam falſam? Quòd ſi non magis vult: ergo non profert debitam formam, niſi, vt dixi, habeat voluntatem qua ſe conformet etiam in ipſa ſignificatione hoc modo; *Eſto ego putem hanc eſſe veram, ideòque ea intentione eam proferam, ſi tamen in alio ſenſu accipi debet, volo in eo ea vti*, in hoc enim caſu dixi me libenter fateri, non obeſſe eum priuatum errorem. Et de hoc puncto ſatis.

SECTIO IV.

Quando per additionem verborum fiat irritum Sacramentum?

18 CIRCA quòd Primò quæritur, Si poſt dicta verba neceſſaria addantur aliqua quæ ſenſum turbare videantur, an tunc impediatur Sacramentum? v.g. dicit quis in conſecratione, *Hoc eſt corpus meum aërium*, aut, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis non tradetur*, facitne Sacramentum? Cardinalis Lugo ea diſp. 2. ſect. 6. in primo caſu dicit impediri, negat in ſecundo: rationem diſparitatis eam adfert, quòd ibi *Tò aërium* planè ponitur vt determinans priora verba, ac proinde reddens ſenſum falſum; in ſecundo verò *Tò quod pro vobis*, &c. ponitur vt noua propoſitio & diſtincta à præcedenti, ac proinde non reddens præcedentem falſam, eſto ipſa in ſe falſa ſit: (quæ etiam fuerat doctrina Patris Suarez diſput 60. ſect. 1.) nam de facto recitamus aliquot articulos Fidei in Symbolo Apoſtolorum, quorum ſinguli habent ſuam veritatem diſtinctam, & vna eſt independens ab altera, etiamſi omnes illi continuatione ſermonis inter ſe connectantur.

Sententia Cardinalis Lugo & Suarez.

Ego tamen in hac doctrina eam inuenio difficultatem, quòd ſi res diligenter diſcutiatur, non videtur vlla re ipſa eſſe hic diuerſitas. Etenim *Tò aërium* eſto ſit voce adiectiuum, æquiualet planè his verbis, *Hoc eſt corpus meum quod eſt aërium*; ac proinde ſit idem ſenſus qui in illa altera propoſitione, *Hoc eſt corpus meum quod non tradetur.* Secundò, hæc vltima propoſitio moraliter eſt eadem ac ſi diceret quis, *Hoc eſt corpus meum non tradendum pro vobis.* Vides eandem omnino eſſe in vtroque caſu difficultatem: quòd enim illa additio fiat per verbum adiectiuum, vel per relatiuum illud *quod*, eſt omnino per accidens ad rem noſtram; quia ſemper continet nouam veritatem, & quidem diſparatam à priori. Nec aliter homines accipiunt has & ſimiles propoſitiones, *Hic eſt Petrus ſapiens, Hic eſt Ioannes ſanctus, Hic eſt Antonius diues*, quàm *Hic eſt Antonius qui eſt diues, qui eſt ſapiens, & qui eſt doctus*, &c. non ergo ex eo capite prout poteſt vlla deſumitur diſparitas.

Additio per verbum relatiuum vel adiectiuum.

Fortè diceret quis, Facilius aliunde poſſe aſſignari diſparitatem, non quòd dicatur adiectiuè, vel relatiuè, ſed quia *Tò aërium* ita connectitur cum præcedenti, vt planè deſtruat ſubſtantiam illius; nam eſſe aërium vel carneum eſt ſubſtantia ipſius corporis: at quòd ſit tradendum vel non tradendum illud corpus, ita eſt accidentale, vt eſtò non fuiſſet traditum, adhuc tamen idem numero corpus manſiſſet, quod nunc eſt poſtquam eſt traditum; hinc ergo fit vt per hanc additionem, ſiue fiat per *Tò Quod pro vobis non tradetur*, ſiue adiectiuè hoc modo, *Non tradendum*, maneat integra & ſalua veritas priorum verborum, ſecus additio *Tò aërium*: vt ſi quis diceret, *Hic eſt Petrus qui eſt purus Angelus*, deſtrueret planè conceptum Petri; non enim conciperemus hominem; ac proinde eſſet idem ac dicere, *Petrus non Petrus*: ſi tamen diceret, *Hic eſt Petrus ſanctus* (& ſuppono non eſſe ſanctum) oſtenderet quidem verum Petrum, & in hoc verum diceret; deciperetur verò in altera parte propoſitionis, quæ illi tribuat ſanctitatem. 19

Dices, In communiori opinione, quam defendi vt longè probabiliorem, negante formas partiales, differentia tota corporis carnei ab aërio præciſè conſiſtit in accidentibus; ergo etiam potuit manere tota ſubſtantia corporis Chriſti, nempe eadem materia prima, etiamſi diuerſis diſpoſitionibus ſit affecta in vno caſu pro altero; ſeu eſto eſſet aërium. Reſpondeo Primò, Etiamſi philoſophicè loquendo ea differentia in corpore non ſit ſubſtantialis, ſed ſolùm accidentalis, moraliter tamen cenſeri planè ſubſtantialem; quia cenſetur corpus aërium includere etiam ipſam formam aëris, imò & carere anima rationali; ac proinde licet ex parte ſolius corporis non ſit (vt dixi) differentia ſubſtantialis, ex parte tamen totius, quod ibi ſignificari vulgariter videtur, eſt differentia ſummè ſubſtantialis; ideóque illud prædicatum dici iure merito poteſt deſtruere planè conceptum, quem de ſubſtantia eius corporis habebamus; verba autem illa, *Quod pro vobis non tradetur*, præciſè deſtruere opinionem de ſecundo puncto, id eſt de paſſione Chriſti.

Quando additio deſtruat conceptum.

Secundò & meliùs reſponderi poteſt, Nequaquam attendendum ad huiuſmodi diuerſitatem, ſed aliter totam quæſtionem explicandam. Pro quo obſeruo, dupliciter poſſe eam additionem contingere; vel vt ab initio, ſeu ante vltima ea verba, quæ ſunt vera forma, voluerit Miniſter additionem illam facere; vel certè vt forma debita & iam abſoluta venerit illi in mentem alia addere, idque continuato ſermone fecerit. Si res hoc ſecundo modo contingat, puto omni- 20

Dupliciter poteſt additio contingere.

no

no validè conficiendum Sacramentum: vt enim videbimus infrà, Sacramenta omnia, excepto Matrimonio, gratiam cauſant, ſeu vltimò perficiuntur in prolatione vltimæ ſyllabæ ex forma neceſſaria nulla expectata mora; ergo ſi ſupponimus illum debitam formam protuliſſe cum debita intentione; profectò Sacramentum confecit, quidquid eo ipſo momento poſt prolationem mutata intentione addiderit alia quocunque modo contraria. Quòd ſi ab initio ſeu ante finem verborum decreuit addere illa verba, quibus ſenſus planè turbatur, ſiue illud quod addit ſit per modum adiectiui, ſiue ſubſtantiui, dico nullum confici Sacramentum. Qui enim ab initio voluit dicere, *Hoc eſt corpus Chriſti non crucifixi*, aut, *qui in peccatis natus eſt*, quia reuera non ſignificat verum Chriſtum, non facit verum Sacramentum.

Replica de errore addito ſoluitur.

Dices, Quòd ille erret in puncto mortis Chriſti, non facit illum errare circa inſtitutionem huius Sacramenti, & circa veram formam illius, imò nec circa ſubſtantiam ipſius Chriſti; ergo nec impediet quò minùs validum faciat Sacramentum: neque enim ex eo, quòd Lutherus aut hæreticus alius errauit circa articulos alios Fidei, ſequitur eo ipſo illos etiam erraſſe circa ſubſtantiam perſonæ Chriſti, & circa Euchariſtiam, aut illos non poſſe validè conſecrare. Reſpondeo, Si ſolùm illum errorem reſpiciamus, ita omnino eſſe vt contendit obiectio; ac proinde ſi talis nihil addidiſſet in forma, per quod falſum ſenſum reddidiſſet, ſine dubio confeciſſet Sacramentum: quia tamen verba poſuit, quæ non ſolùm falſum ſenſum reddiderunt, ſed videntur denotare alium Chriſtum diſtinctum ab eo qui re ipſa inſtituit Sacramentum, videtur etiam inſufficientem formam applicuiſſe; quòd ſi tamen ita ille voluit Chriſtum verùm ſignificare; vt tantùm ſolùm erret circa punctum mortis, probabilius videtur talem effecturum validum Sacramentum.

21 *Dubium de hæreſi addita formæ.*

Hinc autem ſoluitur aliud dubium quod poſſet moueri, Vtrùm ſcilicet ſi quis diceret, *Hoc eſt corpus Chriſti, qui octauo die poſt reſurrectionem cælos aſcendit*, conficeret Sacramentum: ex vna enim parte cùm ſenſum falſum efficiat, non videtur validè conſecrare; aliundè autem id negare eſt valdè durum, cùm tota veritas poſitionis corporis Chriſti ſub eis ſpeciebus ſit independens ab eo errore circa tempus Aſcenſionis Chriſti: huic inquam dubio reſpondetur ex dictis, Etſi alicui fortaſſe videri poſſit ob tam falſum ſenſum non fieri Sacramentum, neque id iudicet abſurdum, probabilius tamen eſſe validè conficiendum; nam licet, vt hucuſque oſtendimus, quando propoſitio, vel adiectiuum, quod deinde additur, deſtruit ſubſtantiam ſenſus præcedentis, non fiat Sacramentum; vt ſi quis baptizans ab initio decreuiſſet dicere In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, qui eſt minor Patre, idque re ipſa diceret, haud dubiè non baptizaret; quia τὸ *qui eſt minor* deſtrueret totam eſſentiam Spiritus ſancti: quando tamen additio non turbat ſenſum propoſitionis quoad ſubſtantiam, non irritat Sacramentum: vt ſi ab initio voluiſſet dicere In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, qui non apparuit in Iordane, ſine dubio baptizaret; quia ille error circa apparitionem non deſtruit vel in minimo ſubſtantiam perſonæ Spiritus ſancti, ac proinde inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis

Quid dicendum, ſi additio deſtruat ſenſum propoſitionis quoad ſubſtantiam.

neceſſariam pro Baptiſmo ex integro perfectam relinqueret.

Replicabis, ſiue deſtruatur ſubſtantia ſenſus intenti, ſiue non, abſolute tota illa propoſitio eſt falſa; quia ad falſitatem vnius propoſitionis ſufficit, ſi in aliquo erret; per propoſitionem autem falſam non videtur poſſe fieri valida conſecratio. 22

Quid ſi quoad veritatem

Reſpondeo, Licet ab illo ſingulari errore dicatur, ſeu denotetur tota propoſitio falſa, id tamen non obſtare quò minùs re ipſa habeat aliquem ſenſum verum, iudiceturque apud homines quaſi eſſet duplex, & ex vna parte veritatem tangeret, ex alia non: vt ſi quis diceret, *Ego te baptizo hac aqua clara*, eſſet autem turbida, ſine dubio faceret ſenſum falſum abſolutè; quia tamen ea falſitas eſt accidentalis, & manet verus ſenſus neceſſariò requiſitus, ſine dubio faceret verum Sacramentum Baptiſmi.

Quid ſi in Baptiſmo præponeretur Filium Patri.

Rogabis, Quid ſi Miniſter volens oſtendere Patrem eſſe minorem Filio, præponeret in forma Baptiſmi Filium dicens In nomine Filij & Patris, &c. faceretne validum Sacramentum? Reſpondeo in primis, Quoad exteriorem formam nullam eſſe difficultatem; maneret enim bona forma, quia ea propoſitio nihil ſignificat de minoritate; nam de facto Filius & Spiritus ſanctus poſtponuntur Patri; & tamen non ideò denotantur eſſe minores; quoad intentionem verò, ſi talis ſimul habeat voluntatem faciendi id quod per ea verba poteſt fieri, qua voluntate corrigit quodam modo illum errorem, fieri validum Sacramentum. Et ita docet Cardinalis Lugo ſuprà numero 107.

Faceret verum Sacramentum ſecundum Cardinalem Lugo.

23 Dices: Talis non habet intentionem inuocandi verum Patrem, ſed ſolum Filium: ergo non facit Sacramentum. Reſpondeo, Ideò me requirere vnam aliam intentionem qua corrigat quodam modo eum errorem dum dicit, Volo tamen ſignificare id quod verba hæc ſignificant in ſe, & per eam facere quod fieri poteſt.

Quid ſi in Baptiſmo cuilibet perſonæ addatur peculiare adiectiuum.

Hinc a fortiori colligitur validum fore Sacramentum ſi dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filij ſapientis, & Spiritus ſancti Paracliti*, eſto intenderit errorem aliquem inducere, quòd ſolus Pater ſit omnipotens, ſolus Filius ſapiens; Vaſquez quidem ea diſputatione 129. num. 104. negat eſſe validum, putat enim non adhiberi tunc bonam formam. Noſtra tamen illatio eſt probabilior, & quidem exterius nullum vitium eſſe in ea forma eſt certiſſimum, quia ipſa Eccleſia vtitur paſſim ſimili phraſi, *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem*: *Deus Pater omnipotens*: vbi licet non tribuat Filio expreſſè idem adiectiuum, per hoc tamen nullo modo illud ei negat. Ratio autem eſt, quia affirmare v. g. Petrum eſſe iuſtum, non eſt negare Paulo iuſtitiam. Vnde benè notauit Cardinalis Lugo, talem hominem, eſto voluiſſet exteriùs ſuam interiorem hæreſim manifeſtare, non tamen futurum exteriorem hæreticum; quia verba, quibus vſus eſt, in rigore non ſignificant talem errorem. Dicendum ergo eſt, Si præcisè conſideremus formam externam, validè fieri Sacramentum; ac proinde niſi ille nolit reuera verum Patrem inuocare (dato enim eo caſu ex defectu intentionis nihil fieret) futurum validum Sacramentum, vt benè eo num. 117. docuit Cardinalis Lugo; qui num. 11. benè etiam notauit eam tranſmutationem verborum, quæ in modo ordinario loquendi inuſitata eſt, non obeſſe Sa-

Valet contra Vaſquez.

Idem ſentit Cardinalis.

 cramento,

cramento, dummodò ſaltem apud Peritos locum habeat; vt, *Ego Patris te baptizo in nomine, Filij & Spiritus ſancti*: quam tamen eſſe bonam negauit Scotus in 4. diſt. ſect. 3. quæſt. 2. quòd ſi ita verba miſceantur, vt mutetur ſenſus, nullum fit Sacramentum: vt ſi quis dicat, *Ego in te baptizo nomine Patris*, &c. quia τὸ *in te* deſtruit iam ſenſum, cùm τὸ *te* iam non ſignificet illum eſſe qui baptizatur.

Quid ſi ſit deſectus conſtructionis Syntaxica.

24 *Quid ſi ignorãtia Syntaxeos.* Dices: Si ex ignorantia Syntaxeos putet ille τὸ *baptizo* regere accuſatiuum aut ablatiuum cum præpoſitione, non magis declarabit ſuam mentem, quàm ſi dixiſſet, *Abſoluo tibi à peccatis tuis*; vbi tamen ex omnium conſenſu valida confertur abſolutio, vt ſuprà diximus, ergo. Non caret ſua difficultate hæc obiectio, & fortaſſe ſi homo ille alioquin eſſet in reputatione omnino ignari in lingua Latina, ideoque præſentes merito iudicarent id ex ignorantia facere, poſſet cenſeri conficere validum Sacramentum. Secundò tamen dico in linguis eſſe tales errores, qui per ſe ſtatim agnoſcantur vt errores; & tali eſt *Abſoluo tibi*, quia habere vix poteſt alium ſenſum; in his ergo non videtur poſſe negari valide confici Sacramentum: alij autem ſunt errores, qui licet ex lingua ignorantia oriantur, faciunt tamen exteriùs diuerſam omnino ſignificationem, ac proinde mutant ſenſum ad formam Sacramenti requiſitum; & talis eſt, *Ego in te baptizo nomine Patris*, &c. nam eſto quia parte præpoſitionem *in* auferit a voce illa *Patris*, ſubſiſtere poſſet ſenſus; videtur enim idem ſignificare audientibus *Baptizo te nomine Patris*, ac *In nomine Patris*; (de quo tamen adhuc nonnulla eſſe poſſet ratio dubitandi;) nihilominùs, quatenus ponit τὸ *in* ante *te*, iam reddit planè alium ſenſum, quia nequaquam denotat illum cum quo loquitur baptizari, ſed in illo alium, ac proinde non facit Sacramentum.

Abſoluo tibi valet.

Baptizo in te non valet.

25 *Quid vniuerſim dicendum circa o-* Denique circa omiſſionem aut additionem verborum non neceſſariorum, nec vllo modo reddentium dubium ſenſum, dicendum eſt, Si quis omittat in verbis aliquid quod putat neceſſarium, cùm tamen reuera non ſit, ſi aliunde habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia per ea verba quæ dicit, facturum ſine dubio Sacramentum; quia ratione illius voluntatis habet ſufficientem intentionem, & aliunde ponit debitam formam: v.g. ſi omittat τὸ *qui pro vobis, & pro multis*, &c. putans eſſe de neceſſitate formæ.

miſſionem aut liquorũ verborum.

Dices: Non poteſt quis velle finem, qui non vult medium quod reputat neceſſarium ad finem. Reſpondeo, Ex ignorantia poſſe non ſolum medium reſpuere & finem velle, ſed vnam & eandem rem velle & nolle, vt ſuprà oſtendi. Nunc autem hoc exemplo declarabo: Si quis putat pallium non eſſe ſuum, non poteſt abſolutè illud velle donare, quia nemo donat quod ipſius non eſt; poteſt tamen dicere, *Ego volo tibi transferre dominium in illud in quantum poſſum*; ex qua voluntate ſi pallium à parte rei ſit ipſius ſic donantis, manebit alteri donatum: idem in præſenti contingit, iſte dum omittit quæ putat neceſſaria, non poteſt abſolutè & omnino efficaciter velle facere Sacramentum; poteſt tamen dicere *Volo facere quidquid per hæc quæ dico fieri poteſt*; cùm autem per illa verba fieri poſſit Sacramentum, abſolutè illud facit; quia per hanc ſecundam voluntatem *Volo tamen* retractat quodammodò priorem: ſimiliter ſi è contrario reputaret aliqua verba, quæ de facto ſunt, neceſſaria non eſſe, & illa proferret, ſi haberet intentionem generalem per ea omnia verba quæ profert faciendi quod facit Eccleſia, quod fieri poteſt per illa, procul dubio faceret Sacramentum; at ſi ſuam intentionem præciſè limitaret ad ea quæ ipſe reputat neceſſaria nullam aliam habendo voluntatem, profectò cùm alia etiam verba re ipſa eſſent neceſſaria, & intentio ipſius non fuiſſet ad illa extenſa, non faceret Sacramentum; quia partem verborum neceſſariorum proferret ſine intentione debita. Et ſatis de his mutationibus: caſus enim alij, qui in particulari poſſunt occurrere, debent ex dictis decidi.

Declaratur ſimilitudine.

DISPVTATIO OCTAVA.

VTRVM IN STATV IVSTITIÆ ORIGINALIS, ET poſt peccatum, ante legem ſcriptam fuerint Sacramenta?

1 *Status diſputationis proponitur.* HÆc quæſtio ſolet aliis terminis tradi, an ſcilicet neceſſarium ſit omni tempore eſſe Sacramenta? Verùm quia circa neceſſitatem nullam video, vllius momenti rationem dubitandi; inſtitutio enim Sacramentorum oritur ex merâ Dei voluntate, ac proinde nulla omnino neceſſitas eſt quæ illum ad ea inſtituenda cogat; ideò magis videtur controuerſa quæſtio ſub terminis à me allatis: quærimus enim quibus temporibus fuerint Sacramenta, ſiue ea exiſtentia fuerit neceſſaria, ſiue non? Quadruplex tempus eſſe ſolet de quo præſens intelligatur quæſtio: Primum ſtatus Iuſtitiæ originalis ante peccatum: Secundum ſtatus Legis naturæ à lapſu Adami vſque ad Legem ſcriptam: Tertium ab hac Lege ad Chriſtum: Quartum à Chriſto ad finem mundi: de quibus ſeorſim diſquirendum eſt; & quidem de duobus primis in hac diſputatione, de aliis in ſequenti.

SECTIO I.

Quid de facto fuerit durante ſtatu Iuſtitiæ originalis: & proponitur difficultas, quid ſi ille duraſſet diutiùs?

CIRCA primum CONCLVSIO ſit: De facto probabilius eſt nulla fuiſſe Sacramenta ante Adami peccatum. Ita Diuus Thomas quæſt. 6. art. 2. Hugo Victorinus lib. 1. de

Nulla Sacramenta fuerunt ante Adami peccatum.

Digitized by Google

de Sacramentis Par.9.cap. 3. & Theologi communiter. Cuius ratio eſt, quia nec auctoritate, nec ratione vel apparenter contrarium poteſt aſſeri; ergò. Confirmatur: Ille ſtatus præuidebatur à Deo breuiſſimo tempore duraturus; vt quid ergo pro duobus vel tribus diebus aut hebdomadis Sacramenta inſtituerentur?

2 *Obiectio.* Dices contra hanc rationem ex præuiſione breuitatis deſumptam: Illa præuiſio Dei erat poſterior natura ad totam durationem ſtatus; ergo non potuit eſſe cauſa, cur Deus ante finem illius ſtatus præuiſum non inſtitueret aliquod Sacramentum. *Soluitur.* Reſpondeo, Si loquamur de præuiſione breuitatis per abſolutam ſcientiam, veriſſimum eſſe quod obiectio contendit; nam ſine mutua prioritate non poteſt concedi, quòd ex ea præuiſione Deus fuerit permotus ad non inſtituenda Sacramenta. At nos de ſola præuiſione per ſcientiam mediam locuti ſumus: viderat enim Deus, Si creauero Adamum in Iuſtitia originali, &c. peccabit intra breuiſſimum tempus, &c. ex hac præuiſione, quæ eſt ante omnem abſolutam futuritionem, rectè potuit dirigi ad non volendum inſtituere Sacramenta vlla pro tam breui tempore.

Non eſt abſolutè certum non fuiſſe tūc Sacramenta Dixi paulo antè, Probabilius tantùm eſſe non extitiſſe tunc vlla Sacramenta; quia nihil poteſt certò nobis conſtare, cum neque ex Scriptura, aut Patribus, aut Conciliis probari poſſit negatiua pars: quod benè obſeruauit Suarez diſp.4. ſect.3.

Circa ſecundum ſectionis huius dubium, quid eſſet futurum eo ſtatu durante, duo in dubium veniunt: Primum de poſſibili, an eſſent conuenientia, an diſconuenientia Sacramenta cum eo ſtatu: Secundum, an de factò eſſent futura. *Diſcutitur à Doctoribus quis fuerit ſenſus D.Thomæ de ſtatu Innocentiæ perdurante.* Dubitari autem ſolet hìc ſtatim, vtrùm Diuus Thomas diſcuſſerit ea quæſt. 61. art. 2. hanc difficultatem Caietanus enim, quem ſequitur Vaſquez, & Cardinalis Lugo putant ſolùm egiſſe Sanctum Doctorem de ſtatu Innocentiæ, qui re ipſa in Adamo fuit, non qui eſſet futurus, ſi non peccaſſet: mouentur maximè Primò, eò quòd Diuus Thomas dixerit *an fuerint*, non verò *an fuiſſent*. Secundò addit Cardinalis Lugo: Nam Diuus Thomas non volebat agere de ſtatibus poſſibilibus, ſed præcisè de illis qui re ipſa fuerunt. Mihi tamen fere euidens eſt, Sanctum Doctorem vniuerſaliter de eo ſtatu qui fuit, & qui futurus eſſet, egiſſe, vt docuit Ledeſma & Sotus apud eundem Vaſquez, quos priùs retulerat, & ſecutus fuerat Pater Suarez. Moueor Primò, quia omnia

3 argumenta, quæ ibi Diuus Thomas adfert, ſunt communia tam illi ſtatui qui fuit re ipſa, quàm illi qui eſſet futurus Adamo non peccante. Secundò, mihi hæc ratio occurrit moraliter *Quot diebus durauerit ſtatus Innocētiæ.* euidens: nam cùm ille ſtatus non niſi duobus vel tribus diebus, ſummùm autem, iuxta quorumdam ſententiam, octo circiter durauerit, profectò ſi de eo ſolo egiſſet D.Thomas, vnico verbo toti quæſtioni reſpondiſſet dicens, Sacramenta pro octo vel ſex diebus nequaquam fuerunt vtilia, quia ea exercendi occaſio ita in momento non poterat occurrere. Diuus autem Thomas nec verbum ea de re dicit; ergo loquitur ille magis vniuerſaliter etiam ad illum ſtatum vt diutiùs durantem ſaltem in ipſo Adamo. Aduerſa autem fundamenta faciliè ſoluuntur; & quidem non poſſe ex titulo articuli deſumi argumentum in contrarium probatur, quia in eo non tam dicit Sanctus Doctor *an fuerint*, quàm *an neceſſaria fuerint*; cùm ergo neceſſitas non fundetur in eo, quòd duobus tantùm aut octo diebus durauerit ſtatus, ſed in natura ſtatus illius, hæc autem communis ſit illi ſtatui duraturo, certè inde leue deſumitur argumentum: habet autem hæc ſolutio maiorem inde vim; nam (vt dicere ſolent Logici) in definitionibus, ſeu quaſi definitionibus, quod de vno dicitur, dicitur de omnibus illi ſimilibus indiuiduis. *Egit Diuus Thomas de ſtatu poſſibili Innocentiæ diuturnioris.* Ea autem omnia quæ de Adamo dicit Diuus Thomas ſunt, vt diximus, quaſi eſſentialia toti illi ſtatui etiam diu duraturo: ergo eſto vſus fuerit verbis, quæ ſi ſumantur materialiter, ſolùm denotant illud breue tempus; re tamen ipſa vniuerſaliùs ille fuit locutus.

Secunda confirmatio, quòd Diuus Thomas non egerit de ſtatibus poſſibilibus, ſed de his qui extiterunt, nequaquam viget, quia nec nos facimus diuerſum eum ſtatum ab eo qui de facto fuit; ſed damus illi maiorem perſeuerantiam ſeu durationem; maior autem duratio nequaquam facit diuerſum ſtatum, ac proinde non inducimus D. Thomam loquentem niſi de ſtatibus qui fuerunt, extendendo tamen illum ad durationem maiorem quàm re ipſa habuerit.

Adhuc tamen replicabis cum Caietano: Diuus Thomas vtitur ea ratione quæ non habet vim niſi in Adamo; ergo. Patet antecedens: vtitur enim independentia ſcientiæ à phantaſmatibus; hanc autem non haberent poſteri, quia ſoli Adamo data eſt ſcientia per accidens infuſa. *Replica Caietani nō à reiicitur à Vaſquez.* Pater Vaſquez etſi hanc deductionem Caietani non approbet, ita tamen illi reſpondet, vt non explicet, quo pacto ratio Diui Thomæ locum haberet in ſtatu illo diutiùs duraturo; imò potiùs ita eam reiicit, vt pro nullo ſtatu quidquam probet. Meliùs ergo Suarez & defendit argumentum Diui Thomæ, & ſimul oſtendit ex eo non bene diſcurriſſe Caietanum; ait ergo Sanctum Doctorem non locutum de ſcientia naturali quæ Adamo fuit infuſa, quæque non fuiſſet ipſius filiis infuſa, ſed de naturali perfectione ſcientiæ & gratiæ, in quibus non expediebat hominem in eo ſtatu ſubiici rebus corporalibus ad capiendum fructum. Quæ ratio eodem planè modo habuiſſet locum in eo ſtatu diutiùs durante.

Dices: Supernaturalis ſcientia, imò & ipſa gratia, non aliter nunc pendet à corporalibus quàm penderet eo tempore, quia ſolùm de facto ea ratione pendet, quatenus ſcientia naturalis dependet à phantaſmatibus; ſupernaturalis autem cognitio pendet à naturali; ergo per hoc non defenditur ratio Diui Thomæ vt bona. 4 *Subſiſtit ratio D.Thomæ.* Reſpondeo, Eſſe quidem ſatis obſcuram eam rationem, per hoc tamen nihil contra nos, quia ſiue efficax ſit ea ratio, ſiue non, ſemper eſt verum, eam vniuerſaliter probare de eo ſtatu diutiùs durante, ac de eodem prout de facto fuit: id quod nos præcisè nunc quærimus. Abſolutè dici poſſet, Diuum Thomam ſupponere eo ſtatu dandam hominibus ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſam, independentem à phantaſmatibus, ideoque omnino ſubſiſtere eius rationem.

Vltimò tandem replicabis: Diuus Thomas dicit non fuiſſe Sacramenta ante peccatum; ergo non loquitur de ſtatu illo vt duraturo, quia vt ſic non eſſet ante peccatum, ſed ſine peccato. Reſpondeo Hanc conſequentiam eſſe leuem, quia τὸ *ante* vſurpatur frequenter perinde ac

ſine,

Digitized by Google

ſine, maximè à Scholaſticis, qui non eo grammaticali rigore vtuntur: & fanè ex ſacra Scriptura adduci poteſt ille notiſſimus locus Matthæi 1. *Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Et de Diuo Thoma ſatis.

Iam ad ſubſtantiam quæſtionis: Eam ſic ferè inchoat Pater Vaſquez diſput. 130. cap. 2. Recentiores nonnulli parum attendentes vim conditionalium, de quibus quæſtio poſita eſt, multa ex ſuo cerebro facilè ponunt, aut, quaſi ipſorum iudicio tantùm res in eo ſtatu componendæ & conſtituendæ eſſent. Si ferè verbo ad verbum non poneret Vaſquez quæ Pater Suarius habet circa hanc quæſtionem, putaſſem illum loqui de aliquibus aliis Recentioribus, qui neſcio quæ figmenta tradidiſſent; cùm tamen dubitare non poſſim in Patrem Suarium ea dici, vehementer admiror modeſtiſſimum & prudentiſſimum eiuſdem Suarez diſcurſum adeò grauiter ſine vlla cauſa reiectum. Pro quo

Defenditur Suarez contra Vaſquez.

5 aduerte, duas ibi quæſtiones à Suario tractatas, quas & nos ſuprà diſtinximus: vnam, quæ ei ſtatui eſſent repugnantia, quæ verò non; ſeu, an in eo ſtatu eſſent conuenienter poſſibilia aliqua Sacramenta: alteram, quid re ipſa Deus tunc eſſet facturus ex ſua libera voluntate. Prima quæſtio cùm non tangat factum ipſum, quòd ſolùm pendet ex voluntate libera Dei, ſed concernat naturas ipſas rerum, & de connexione inter vnam & alteram agat, ſine dubio debet rationibus deduci; neque ibi habet locum obiectio illa Vaſquez, *Quaſi res ipſorum arbitrio eſſent componendæ.* In hac quæſtione maxima cum probabilitate diſcurrit Suarez (vt videbimus) traditque doctrinam ferè omnino certam. Quoad ſecundam verò partem fatetur expreſsè ipſe Suarez, nihil penitus certi dici poſſe, quia res tota pendet à ſola Dei voluntate; de qua cùm nihil nobis ex reuelatione conſtet, non poſſumus quidquam determinare. Vbi non video quid potuiſſet aptius dici, quodque magis eſſet alienum ab ea cenſura quàm in Suarium tacito nomine à Vaſquezio fertur. Et ſanè in eo diſcurſu longiſſimè Suarius abeſt ab ea ſuperba cogitatione; quaſi omnia in eo ſtatu conditionali eſſent pro ſuo arbitrio componenda. Quòd verò deinde Suarez addat, *Si tamen ex his coniecturis, & ex his quæ videmus, aliquid probabiliter diuinare licet, indicio hoc & hoc tunc fore,* prolatum eſt adeò circumſpectè & prudenter, ac iuxta id quòd ferè omnes graues Theologi in ſimilibus materiis dicunt, vt rurſus mirari debeam vehementer, id vel potuiſſe reprehendi ab vllo, taceo à Patre Vaſquez. Et pro Suario hanc quæſtionem tractante ſatis. Et verò cùm ipſe Vaſquez neget ſine vlla limitatione futura eo caſu Sacramenta, fortaſſis potiori iure de eo dici deberet, diſponere ipſum pro eo ſtatu omnia, ac ſi illa componenda pro ipſius arbitrio forent: quòd enim Suarius componat ſtatum dicendo aliqua futura, Vaſquez verò dicendo nulla futura, per accidens omnino eſt ad punctum diſponendi pro arbitrio, quia & aſſerere fore, & aſſerere non fore, vtrumque eſt ad arbitrium. Sed de hoc ſatis; iam ad lineam.

Doctrina Suarez magis explicatur.

Modeſtia Suarez laudatur.

Vaſquez notatur.

SECTIO II.

Quid de poſſibilitate ſeu de decentia Sacramentorum in eo ſtatu?

CONCLVSIO: Nullo modo illi ſtatui repugnarent Sacramenta, imò valdè illi congruerent: ita Pater Suarius ſuprà, & multi alij: facileque id probatur, quia etiam in illo ſtatu homo non cognoſceret res ſpirituales immediatè & quidditatiuè in ſeipſis; ergo congruè poſſet ſigno viſibili de illis certior fieri. Secundò, tunc populus fidelis conueniret in vnam Rempublicam externam & viſibilem; ergo congruè haberet etiam communia externa ſigna ſacra, quæ pro illo populo eſſent pignus gratiæ. Quod autem dico de Sacramentis, multò magis intelligenda ſunt de Sacrificiis, quæ præcipuè ad cultum Dei ordinantur; quibus ratio clara ſuffragatur; nam ſicut tunc homo animam & corpus à Deo accepiſſet, ita etiam eſſet valdè congruum, vt corporales & materiales res in ſignum eius dominij Deo ſacrificaret, iuxta illud 1. Paralipomenon 29. *Tua ſunt omnia, & de his, quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Quod confirmatur, quia adhuc in cœlo Sancti Deum cultu exteriori & laudatoriis vocibus venerabuntur: multò ergo meliùs id poſſet fieri in ſtatu Iuſtitiæ originalis; non ergo vllo modo cæremoniæ externæ ſacræ, Sacrificia aut Sacramenta illi ſtatui contrariantur, imò ſunt illi valdè conuenientia. Vide hæc fuſiùs apud Suarium deducta. 6

In ſtatu Innocentiæ perdurante non repugnaſſent Sacramenta.

Neque Sacrificia.

In contrarium videtur Diuus Thomas ſtare, qui docet ſtatui Innocentiæ non futura conuenientia Sacramenta. Reſpondeo, Diuum Thomam ſummùm negare de facto illa fuiſſe; & licet rationes videantur etiam ampliùs aliquid probare, facilè tamen poſſunt explicari, quòd ſolùm negauerit in eo ſtatu futuram eam neceſſitatem Sacramentorum, quæ eſt poſt peccatum; vti in ſimili, quando idem Sanctus Doctor ait non fuiſſe conueniens ab initio ſtatim poſt peccatum Deum incarnari, intelligendus eſt omnino docere, non fuiſſe conueniens ita ac fuit poſteà, vt agnoſcerentur damna per peccatum illata: nam, abſolutè loquendo, quis dubitat, ſi Deus voluiſſet, conuenientiſſimè potuiſſe ab initio incarnari paulò poſt Adami peccatum?

Mens Diui Thomæ explicatur.

Obiicies Secundò à ratione: Non eſſet congruum in eo ſtatu hominem eſſe ſubiectum rebus materialibus, & per illas gratiam accipere. Reſpondeo Primò, Quòd Deus præter alia opera ex ſe meritoria gratiæ (quæ tunc forent) inſtituiſſet modum aliquem diuerſum augendi eandem gratiam, etiamſi ille modus eſſet actio aliqua materialis, nequaquam redderet hominem tunc ſubiectum rebus materialibus, quia tam liber eſſet ab illis quàm ſi ea inſtitutio non eſſet, præciſè ergo inde ſequeretur ex ſupererogatione etiam per res materiales poſſe illum acquirere gratiam, quam non tenebatur Deus illi alioquin dare, hoc autem eſſet noua felicitas, & magnus fauor illius ſtatus potiùs quàm imperfectio illius: quò enim Deus nobis plures ad augmentum gloriæ occaſiones offert, & media parat, maximè quando illa cauſant gratiam ex opere operato, profectò eò nobiſcum liberaliùs agit, eò nos reddit feliciores. 7

Obiectio à congruentia ſoluitur Primò.

An,

Digitized by Google

An, ſi vera eſſet ſententia docens per actionem ipſam externam augeri meritum, diceret obiiciens fore vt in illo ſtatu penderent homines à rebus materialibus, aut id reputaret alienum ab eo ſtatu; vtpote illo indignum? Secundò reſpondeo, Sacramentum illud potuiſſe eſſe pignus gratiæ, non quidem per ipſum dandæ, ſed per bona opera; eſſetque vna externa arrha declarans voluntatem Dei de præmiandis noſtris bonis operibus per augmentum gratiæ: in quo caſu certum eſt nullam fore hominis ſubiectionem ad res materiales. Tertiò reſpondeo, Gratis dici, omnem ſubiectionem ad rem materialem, ſeu dependentiam omnem ab illa, eſſe indignam illo ſtatu; & multò minùs vrget quod alij dicunt, indignum eſſe hominem accipere ſpecies à rebus materialibus. Nam certiſſimum eſt, etiam in illo ſtatu hominem vſurum materialibus ſenſibus, & per illos multa cogniturum; poſſet ergo inter alia cognoſcere futuram gratiam, vel certior reddi per ea Sacramenta materialia de gratia ſibi conferenda. Neque video quid poſſit vllius momenti adduci ad probandam, vel impoſſibilia vel minùs decentia tunc fore Sacramenta.

Secundò.

Tertiò.

SECTIO III.

Quid de facto foret in eo ſtatu?

8 CIRCA hoc ſecundum punctum, Vtrùm de facto futura eſſent in eo ſtatu Sacramenta, CONCLVSIO ſit: Non poſſumus vllo modo certò nos determinare in alterutram partem. Ratio eſt, quia eſto pro affirmatiua, aut pro negatiua excogitemus varias & pulchras congruentias, eis tamen omnibus non obſtantibus Deus potuit pro ſuo libitu quamcumque ex eis partibus eligere inueniendo innumeras congruentias, quibus factum illud cohoneſtaretur; quod ſi contrarium voluiſſet, inueniſſet etiam & tunc alias in oppoſitum congruentias. Si ergo res ex eius ſola voluntate pendet, vnde ſciemus quid eſſet facturus, cùm ea de re nulla ſit reuelatio?

Res eſt incerta.

Congruentia nil probant.

Dices: Multi poſſent in illo ſtatu peccare; ergo ſaltem pro illis eſſet Sacramentum. Reſpondeo, Hanc bonam eſſe congruentiam, non tamen vrgentem: quia plures peccarunt poſt Adamum vſque ad Chriſtum, & tamen toto illo tempore non fuit pro adultis aliquod Sacramentum condonans peccatum actuale.

SVBSECTIO I.

Quid de Patris Vaſquez ſententia?

9 IN hac concluſione contrarios habemus & Patrem Vaſquez, qui abſolutè ſine vlla dubitatione negat, & Patrem Suarez, qui, licet cum formidine, affirmat tamen; Vaſquez totus eſt capite 2. vt oſtendat, nullum Scholaſticum ex antiquioribus huius futuritiônis Sacramentorum defenſorem fuiſſe: deinde ſuam deduxit ex Diuo Thoma in 4. diſtinct. 1. artic. 2. quæſt. 2. Verùm paulò antè dixi Diuum Thomam non negare niſi eam neceſſitatem Sacramentorum quæ iam eſt; nam omnino concedenda eſt Deo potentia inſtituendi etiam eo tempore Sacramenta; neque potuit hoc à Diuo Thoma negari; ſolùm ergo ille agit de congruentia, quæ neceſſitatem aliquam denotaret ad modum, quo Incarnatio poſt peccatum dicitur neceſſaria.

Vaſquez negans futura fuiſſe Sacramenta pro ſe citat D.Thomã & alios Doctores.

Quid autem eo caſu Deus re ipſa eſſet voliturus, non potuit Diuus Thomas ex eis rationibus probare; ergo nequaquam eſt nobis contrarius, qui non affirmamus futura Sacramenta, ſed potius dicimus re ipſa non eſſe fundamentum ad id aſſerendum, aut ad id negandum; quia non habemus vllam reuelationem Dei circa id quod ipſe poſita tali conditione facturus eſſet in hoc puncto. In rebus autem quæ à ſola Dei voluntate pendent certiſſimum eſt non poſſe nos decidere quid eſſet, quid fuit, &c. niſi vel quia id nos experimur: hæc autem ratio non habet locum pro eo ſtatu, de quo nihil experti ſumus, & nec poſſumus, quandoquidem re ipſa non extitit; vel quia ex reuelatione ipſius Dei nobis ipſius voluntas innoteſcit; nulla autem eſt, vt dixi, reuelatio negans eo caſu Deum voliturum Sacramenta.

Oſtenditur D. Thomam non pugnare contra noſtram opinionem.

Vt ratione confirmet Vaſquez ſuam ſententiam, ſupponit, in præſenti non agi de aliis Sacramentis diuerſis à noſtris quæ poſſent tunc eſſe, ſed de ſolis his quæ de facto ſunt: vti quando agitur, An Chriſtus eſſet venturus, ſi Adamus non peccaſſet, non agitur, An eſſet venturus in alia humanitate, ſed in hac numero, in qua de facto venit. Nam cùm ſit quæſtio de facto, & non de poſſibili, intelligi debet de his quæ fuerunt, an eodem modo futura eſſent quo nunc; non autem de his quæ eſſe potuerunt. Nam neque ipſe Deus nouit quid eſſet facturus ſub conditione, cùm apud ſe nihil hoc modo definiat, ſed tantùm abſolutè. Quòd ſi quæſtio eſſet de nouo Dei decreto, tunc temerè nos diſcutimus hoc vel illud futurum: de decreto enim quod Deus haberet, non poſſumus nos vlla ratione diuinare. 10

Quid ſupponat Vaſquez pro ſua ſententia.

Secundò ſupponit in præſenti ſolùm eſſe iudicandum ex connexione ipſarum rerum inter ſe, ita vt ablata cauſa auferatur etiam illud quod ex illa & propter illam decretum eſt. Quare ſi Adami peccatum non fuit cauſa inſtitutionis Sacramentorum, tunc forent Sacramenta etiam Adamo non peccante; ſi autem fuit cauſa, tunc non forent Sacramenta. Vnde infert, Congruentias pro hac vel illa re nihil omnino probare, quia non ſufficit, quòd hoc vel illud nobis videatur conueniens, vt proptereà ſtatim dicamus illud tunc futurum. His ſuppoſitis ait, Si ſermo ſit de aliis Sacramentis, conditionem illam eſſe diſparatam, ac proinde vtramque partem contradictionis eſſe falſam, ſcilicet & dicere *forent*, & dicere *non forent*; vti vtraque pars eſt falſa in hac propoſitione, *Si Turca dormit, ego hic orabo*; & altera, *Si Turca dormit, ego hic non orabo*.

Dico *de aliis Sacramentis*; nam in ordine ad præſentia Sacramenta non dicit Vaſquez conditionem illam eſſe diſparatam, prout illi videtur tribuere Cardinalis Lugo ea ſectione 1. numero 6. dum abſolutè inducit Vaſquez docentem vtramque eam propoſitionem, *Si ſtatus Innocentiæ duraret, eſſent Sacramenta*, & alteram, *non eſſent*, eſſe falſam; non ergo abſolutè loquitur Vaſquez, ſed de illa, *Eſſent alia Sacramenta*. Iam videamus quid addat; ait ergo, Si eo caſu eſſent futura alia Sacramenta, ea non forent niſi vi alterius decreti, quod Deus tunc haberet; nos autem nullum habemus fundamentum ad dicendum fore tunc huiuſmodi 11

Vaſquez malè intellectus à Cardinale Lugo.

Digitized by Google

iuſmodi nouum decretum. Quòd verò tali conditione poſita nullum ex his Sacramentis præſentibus foret, probat, quia neque Chriſtus tunc erat venturus, neque veniret in carne paſſibili: atqui Sacramenta hæc pendent de facto à Chriſto in carne paſſibili exiſtente; ergo cauſa illorum tunc ceſſante, omnia illa ceſſarent. Capite deinde 4. fusè agit Vaſquez de illa conditionali, *Vtrùm ſi Adamus non peccaret, poſteri eius peccarent*; & dicit vtramque partem eſſe falſam, quia cenſet peccatum Adami eſſe omnino diſparatum cum peccato poſterorum; vt in illo exemplo, *Si Turca dormit, ego orabo.*

11 *Argumenta Vaſquez non ſubſiſtunt.*

Multa in hac doctrina ſunt quæ minùs mihi placent: & quidem quod ait, Non poſſe hîc diſputari de aliis Sacramentis diuerſis à noſtris, non poteſt ſubſiſtere; quia licet ea Sacramenta inſtituere, aut non inſtituere, haud dubiè pendeat à decreto diuino, quod tunc foret; id quod benè ipſe notauit; quòd tamen eo loco addit, Deum non ſcire quid tunc eſſet facturus, ſeu quod decretum tunc eſſet habiturus, eſt omnino improbabile in ſententia Societatis admittente ſcientiam mediam; non enim ſolùm Deus ſcit quid ego in hac vel illa occaſione, & ſub his aut illis auxiliis facerem; ſed quid ipſemet vellet data tali aut tali conditione; minùs autem benè confundit eo in loco Deum actu ſcire quid eſſet voliturus, & Deum actu velle id quod faceret tunc: admitto ergo Patri Vaſquez, Deum de præſenti non habere vlla decreta de his quæ forent in hac vel illa occaſione (quod tamen, vt ſuo loco vidimus, adhuc eſt ſub lite;) inde tamen non infertur, Eum de facto non ſcire quid foret, ſeu quid tunc faceret: vti enim ſcit quid ego eſſem tunc voliturus, nec ideò habet nunc decretum de ea mea volitione conditionata; ita ſcit quid ipſe fuiſſet voliturus, ſi Adamus non peccaſſet, etiamſi de ea re non habeat de præſenti vllum abſolutum decretum. Ratio autem eſt manifeſta in ſententia, vt dixi, Societatis de ſcientia media: nos enim non dicimus Deum noſcere ea futura conditionata in ſuis decretis, ſed in ipſamet futuritione; quoad hoc autem eadem omnino ratio eſt de volitione diuina conditionatè futura, quæ eſt de mea volitione etiam conditionatè futura. Ergo Deus poteſt ſcire quid eſſet ipſe tunc voliturus, & conſequenter an eſſet tunc inſtituturus aliqua Sacramenta etiam diuerſa ab iis quæ de

Scientiã Dei mediam videtur excludere Vaſquez.

13 facto ſunt. Quòd ſi Deus id ſcit, cadere certè in quæſtionem poteſt, Vtrùm de ea ſua volitione aliquid nobis reuelauerit; quòd ſi tamen nihil omnino reuelauit, tunc præcisè infertur, *Nos non poſſe potiùs in hanc quam in illam partem quidquam dicere*; id quod in noſtra concluſione nos tradidimus; at determinatè non infertur negatiua pars, multò autem minùs quòd vtraque propoſitio eſſet falſa, perinde ac ſi locuti fuiſſemus de aliqua conditione diſparata. Quòd enim nullo modo illa ſit diſparata conditio ſtatim fuſiùs oſtendam.

Secundò etiam mihi diſplicet, quòd ait, Non debere nos niſi ex permanentia cauſarum quidquam decidere de eo ſtatu: etenim etiamſi de facto ſolum peccatum fuerit cauſa inſtitutionis Sacramentorum; nihilominùs tamen ſicut abſolutè potuit Deus ceſſante ea cauſa inſtituere tunc hæc Sacramenta; neque enim Vaſquez Deo negabit potentiam; ita poteſt quæri, an eo caſu etiam ceſſantibus præſentibus cauſis Deus re ipſa id facturus eſſet; quia fortè ex aliqua reuelatione poſſet nobis conſtare quid eſſet voliturus tunc.

Hinc Tertiò diſplicet, quòd abſolutè & determinatè dicat, Non futura ea Sacramenta; nam cùm oſtenderimus id tunc purè putè à ſola voluntate Dei fore dependens; & ſicut non habemus vllam reuelationem, quòd tunc eſſet eam volitionem habiturus, ita nec habemus in contrarium, quòd non eſſet eam habiturus; ergo ſolùm debuiſſet nobiſcum dicere, rem eſſe omnino dubiam; quia pro neutra parte vllum eſt argumentum.

Quartò, quòd ait, Quando diſputatur, Vtrùm ſi Adamus non peccaſſet; Chriſtus eſſet venturus, ſolùm diſputari an in hac numero humanitate, non verò in alia, etiam eſt falſum; quia quæſtio ſolùm eſt, an Verbum tunc aſſumeret carnem ſiue in hac ſiue in illa humanitate, & ſiue ex muliere ſiue immediatè à ſolo Deo crearetur, vti Adamus eſt creatus.

Iam verò veniamus ad ea quæ de eis diſparatis conditionalibus docet; & quidem in illa; *Si Adamus non peccaret, an poſteri peccarent*, clariſſimè reiicitur: vti enim ipſo teſte, quòd Adamus creatus fuerit in ſtatu Innocentiæ, fuit conditio per ſe connexa ad hoc, vt Deus per ſcientiam mediam ante futuritionem abſolutam illius ſciret. *Si Adamus creetur in Iuſtitia originali, & taliter tentetur, ſuccumbet*: quam ſcientiam mediam nemo ex Societate Deo negabit: eadem certe conſequentia dicendum, reſpectu poſterorum non eſſe conditiones diſparitas illas alias ſimiles in ordine ad eorum peccatum; *Si poſteri naſcantur in Iuſtitia originali, conſeruabunt illam ſemper, necne?* Certè in ordine ad hunc effectum non poteſt vlla alia eſſe conditio magis connexa. Vbi nota, Patrem Vaſquez ſumpſiſſe peccatum Adami vt proprium illius, & diſparatum cum Iuſtitia in poſteros transfundenda; vt ſic autem fortè eſſet impertinens ea conditio. At aduertere debuiſſet, ex carentia peccati Adami deriuandam fuiſſe Iuſtitiam originalem etiam in quemlibet ex poſteris; ea autem Iuſtitia reſpectu cuiuſque ex poſteris non eſt diſparata conditio etiam in ordine ad ipſius peccatum. Deinde addo, ex perſeuerantia fortè Adami, vt capitis vniuerſalis potuiſſe Deum etiam moueri ad non permittendum vllum filium ipſius labi: id quod multi docuerunt de facto futurum fuiſſe. Ecce adhuc ipſum peccatum Adami in ſe non eſt diſparatum in ordine ad poſteros. Ratio à priori eſt, quia vt aliquid ſit conditio per ſe ad effectum, nõ eſt neceſſarium vt infallibiliter inferat talem effectum: hoc enim illi ſoli dicunt, qui non agnoſcunt aliam ſcientiam mediam niſi ex connexione neceſſaria conditionis cum effectu: v. g. *Si Sol lucet: dies eſt*; aut, *Si prædeterminatur Petrus, operabitur.* At nos contrarium meritò ſupponimus, ſcilicet etiam de effectibus qui contingenter eueniunt poſita conditione, eſſe poſſe ſcientiam mediam; vt ſi ego in tali occaſione ponar, peccabo, an reſiſtam; licet ea occaſio neutrum inferat determinatè. Ex his conditionibus eſt peccatum Adami reſpectu peccati poſteriorum habens quidem connexionem aliquam; licet non neceſſariò illud inferat, aut illud impediat. Et ſatis de illa conditionali, *Si Adamus peccaret, peccarent poſteri.*

14 *Impugnatur idè Vaſquez in diſparatis conditionalibus.*

Iam

Digitized by Google

Exemplo humano redarguitur Vaſquez.

15 Iam ad alteram conditionem de Sacramentis, vbi etiam res eſt clara; Primò, quia adhuc inter homines, quorum ſcientia limitata & imperfecta valdè eſt, ſolet communiter & prudenter præuideri à Principibus, v. g. *Si talis eſſet mea Reipublicæ ſtatus, ego hoc vel illud in ea facerem: ſi verò alia eſſent circumſtantiæ, alium etiam ordinem ſeruarem.* Si ergo hoc Princeps apud ſe diſponere poteſt, cur Deus nō ſciet; *Si humana Reſpublica in ſtatu Innocentiæ duraſſet, ego illi prouidiſſem talia media, & non talia:* vbi etiam cognoſcit Deus, an eſſet nécne illis daturus Sacramenta. Nec poteſt dici Deum non ſcire per ſcientiam mediam, quid eſſet ipſe facturus in hac vel illa occaſione: hoc enim paulò antè reiectum eſt.

Vnde pendeat veritas propoſitionis.

Secundò idem oſtendo, quia licet Deus id non cognoſceret, adhuc propoſitiones illæ eſſent vel determinatæ veræ, vel falſæ. Nam poſito illo ſtatu, neceſſariò vnum è duobus extremis ſecuturum eſſet, quia ab vtraque contradictoria non poteſt realiter præſcindi: demus ergo non ponendum Sacramentum, tunc propoſitio, quæ affirmauit non ponenda, fuit vera, & altera falſa, etiamſi nec nos nec Deus id cognouerimus; quia veritas propoſitionis non pendet ab eo quòd cognoſcatur, ſed potius ideò cognoſcitur, quia eſt vera.

16 Tertiò idem ſuadeo ratione à priori. Nam peccatum Adami non eſt conditio diſparata ad Sacramenta (vt benè ponderauit Cardinalis Lugo diſput. 3. ſect. 1.) cùm, iuxta communem ſententiam, propter peccatum Adami tollendum ſint inſtituta Sacramenta; ergo carentia eius peccati non poteſt eſſe diſparata ad Sacramenta, vel ſaltem ad negationem Sacramentorum, ſiue hæc ſint, ſiue alia. Ad exemplum autem de Turca, &c. ex dictis conſtat, cur illæ in ſtatu conditionali ſint falſæ; quia mea oratio nec cum ſomno Turcæ nec cum eius carentia habet non ſolùm infallibilitatem, ſed nec vllam omnino connexionem, nec quidem contingentem; at in his aliis propoſitionibus (de quibus nos) ſatis aperta eſt connexio, licet non omnino neceſſaria & infallibilis: vnde in his debet vna neceſſariò eſſe vera, & altera falſa; ibi autem ambæ falſæ, ſi in ſenſu proprio conditionali ſumantur.

Quæ ſint vera & ſeparata cōditiones dicēda.

Dixi, *vtramque eſſe falſam, ſi in ſenſu proprio conditionali ſumantur.* Nam in materia de ſcientia Dei docui, ſi non denotetur per eas niſi & Turcam dormiturum & me oraturum tunc, ſi vtrumque re ipſa exiſtat, erit vera illa, *Si Turca dormit, ego orabo*, falſa verò è contrario contradictoria: quæ falſitas illi conueniet, ſi ego non orem Turca dormiente, aut è contrario: ſi denique vſurpentur in medio quodam ſenſu, vt ſignificent Turcæ ſomnum, caſu quo exſtat, non futurum ſolum ſine mea oratione, dico in hoc ſenſu eius propoſitionis veritatem non pendere ab abſoluta futuritione meæ orationis: ſi enim Turca non dormiat, licet ego non orem, adhuc propoſitio eſſe poterit vera, dummodò Turcæ ſomnus non ſit ſine mea oratione; ſiue id proueniat ex vtriuſque connexione, ſiue ex caſuali vtriuſque concurrentia; vera enim erit tunc affirmatiua, contraria verò falſa; vel ſi Turca dormiat, & ego non oro, falſa erit affirmatiua, negatiua verò vera: in hoc autem ſaltem ſenſu accipi pro præſenti quæſtione poſſent illæ, *Si Adamus non*

peccaſſet, eſſéntne Sacramenta? etiamſi inter ſe eſſent omnino diſparata illa obiecta. Et contra Vaſquez ſatis.

SVBSECTIO II.

Quid de Patre Suario.

Suarez coniicit futura fuiſſe Sacramenta.

Circa Patrem Suarez verò, quem diximus etiam nobis eſſe aduerſarium, non eſt tanta difficultas; quia ille (vt ſuprà notauimus) non niſi valdè coniecturaliter nec omnino aſſertiuè diſcurrit; ideóque ſatis probabiliter: videamus tamen ſuccinctè quid dicat. Igitur præter illa quæ ad cultum Dei per Sacrificia ex ipſo ſuprà retulimus, circa Sacramenta ait, Si dicatur Chriſtum eo caſu non venturum, negari etiam debere futura tunc vlla Sacramenta: id quod probat, quia omnia Sacramenta noſtra fuêre de facto inſtituta ad ſignificandum Chriſtum & gratiam ab illo manantem: & omnia ſunt contra peccata quæ eo tempore non ſupponuntur futura. Quoad aduentum verò Chriſti eo tempore ait, Si congruentiis res ſit decidenda, maiores eſſe longè vt dicamus Deum tunc etiam futurum fuiſſe hominem, quàm vt dicamus eo non facto homine futura tamen aliqua Sacramenta: vnde concludit, Ergo ſi negatur eum fore hominem, etiam Sacramenta neganda ſunt. In qua doctrina illi aſſentitur Cardinalis Lugo. 17

Deum etiam futurum hominem.

Idem ſentit Cardinalis Lugo.

Probabilis eſt valdè hæc deductio; quia tamen (vt ipſe Suarez immediatè antè notauit) Deus non ſemper operatur id quod humano diſcurſui videtur congruentius, adhuc omnino relinquitur dubia ea deciſio. Adde, non videri vniuerſaliter verum, maiores eſſe congruentias eo tempore pro aduentu Chriſti quàm pro Sacramentis; imò contrarium mihi longè probabilius videtur. Nam quò Incarnatio maioris eſt momenti, & opus ſummæ, vt ſic dicam, virtutis Dei, eò videtur exigere plura motiua, vt actu fiat; deficiente autem peccato deficeret maximum Incarnationis motiuum; ergo: at Sacramenta ſunt longè minoris momenti; ergo ex eo capite faciliùs etiam Chriſto non veniente poſſent illa admitti. Quòd verò omnia Sacramenta, quæ de facto ſunt, ſint inſtituta contra peccatum, habet etiam ſuam difficultatem; nam Euchariſtia non eſt directè contra peccatum ſaltem mortale; imò multi fortiter negant per illam etiam indirectè vnquam illud remitti: (quod idem multi tradunt de omnibus Sacramentis quæ dicuntur viuorum:) quòd autem venialia remittat, non habet ex primaria ſua inſtitutione; quòd ſi tamen peccatum eſſet neceſſarium pro inſtitutione Sacramenti, poſſent fortè dici futura in eo ſtatu Innocentiæ venialia. Sed omiſſa hac conſideratione, ſaltem haberent eo tempore locum alia Sacramenta, quæ ad perſeuerantiam in eo ſtatu & ad gratiam hominibus augendam ordinarentur; neque ſunt congruentiæ vllæ ad oſtendendum ea tunc non futura: manet igitur ſententia noſtra adhuc omnino incerta.

Impugnatur Suarez opinio.

18 Secundò ait Suarez, Si ſupponamus eo ſtatu Chriſtum venturum, tunc probabilius dici futura aliqua Sacramenta, maximè Euchariſtiam; quia hoc Sacramentum eſt maximè appetibile & independens à peccato, & valdè congruum Deo incarnato. De Sacramento Ordinis, quod

An fuiſſet Sacramentum Euchariſtiæ?

An Ordinis.

Digitized by Google

videtur ad Euchariſtiam conficiendam neceſſarium, ait eſſe aliquam difficultatem, tamen abſolutè eſſe incertum. Bonè Deus! quomodo diſplicuit Petri Vaſquez, quòd Suarez non eadem neceſſitate duo hæc Sacramenta conſtitueret, cùm neceſſarij etiam eſſent tunc Sacerdotes pro conficienda Euchariſtia? Verùm non eſt quòd vllam Pater Vaſquez ibi timeat inconſequentiæ notam; Primò, quia valdè probabiliter dici poteſt eo tempore Euchariſtiam non futuram Sacrificium: in multorum enim ſententia, & ferè certa, ea ſolùm ratione Euchariſtia nunc eſt Sacrificium, quatenus eſt repræſentatio mortis Chriſti, & quatenus vi verborum ſolùm ſub vna ſpecie ponitur corpus, ſub alia ſanguis: quæ omnia tunc ceſſarent. Si autem Euchariſtia non eſſet Sacrificium, non fuiſſet requiſitum Sacerdotium pro ea conficienda, ſed ſufficeret poteſtas alio modo hominibus conceſſa. Secundò, eſto dicamus fore tunc Sacrificium, ac proinde à ſolis Sacerdotibus illam conficiendam, non eſt neceſſum dicere, eos Sacerdotes fore per verum Sacramentum ordinando; poſſet enim tunc alicui fortè familiæ id officij eſſe annexum, vel alio modo deſignati Sacerdotes ſine vllo Sacramento. Et de Suarij inconſequentia ſatis.

Suarez contra Vaſquez defenditur.

Ordo non requiritur ad conficiendam Euchariſtiã;

Et adhæret Cardinalis Lugo numero 17. qui benè retorquet argumenta, quibus Pater Vaſquez contrarium defendit, oſtendens, eſto non veniret eo tempore Verbum in carne paſſibili, adhuc poſſe dari multa dona hominibus ob merita illius: materia enim non pendent à carne paſſibili. Secundò, benè oſtendit poſſe tunc inſtitui Sacramenta tum ad ſatisfactionem pro peccatis in his hominibus qui eo tempore peccarent actualiter, tum ad præſeruandum, tum etiam ob alios fines. Hæc ſecunda doctrina Patris Suarez eſt, vt dixi, valdè probabilis; & in rigore non eſt contraria nobis, quia ſolùm ille eam defendit coniecturaliter. Adde, nos in noſtra concluſione ſolùm locutos ſupponendo Chriſtum non venturum, ſi Adamus non peccaret: quo caſu res eſſet omnino dubia.

Etiam à Cardinali Lugo.

19 Dices tamen cum Cardinale Lugo, Si Chriſtus non veniret, deberemus potiùs cùm Patre Vaſquez dicere nulla futura Sacramenta, ſi ex coniecturis liceat argumentari; nam etiam de facto poſt peccatum Adami ante aduentum Chriſti nullum fuit Sacramentum ordinatum ad remedium peccati pro adultis; ergo multò minus non præuiſis meritis Chriſti debuiſſent dari ea remedia pro iis qui tunc peccarent. Probabilis congruentia, quæ tamen non vrget; quia haberent ſaltem tunc locum alia Sacramenta, quæ eſſent pro iis qui non peccauerant. Secundò, quia cùm de facto omne remedium peccati fuerit ex meritis Chriſti, expediens fuit ea non inſtituere ante aduentum ipſius Chriſti, vt eò meliùs noſceretur ab ipſo ea omnia prouenire; in noſtro autem caſu cùm nihil eſſet dandum ob Chriſtum, quia ſupponitur non venturus, & aliunde illi ſtatui fuiſſent congruentia Sacramenta, fortaſſe illa Deus inſtituiſſet, fortaſſe etiam non: concludo ergo, rem eſſe omnino dubiam, vt initio dixi.

Congruentia Cardinalis Lugo pro ſententia Vaſquez non vrget.

Concluditur, omnino dubium eſſe quid futurũ fuiſſet.

SECTIO IV.

Vtrùm in Lege naturæ fuerint de facto Sacramenta?

Legem naturæ intellige ſtatum ab Adami peccato ad Legem per Moyſen traditam. Supponendum autem eſt pro paruulis eo tempore decedentibus ante vſum rationis fuiſſe remedium aliquod à Deo inſtitutum, quo poſſent ab originali peccato liberari. Hæc ſuppoſitio adeò communis eſt, vt tantùm ab vno aut altero innominato apud Patrem Vaſquez diſputatione 105. num. 1. negata fuerit; vnica eius probatio, vtpote quæ concernit materiam à ſolo Deo pendentem, vnicè deſumenda eſt ab auctoritate, ex qua colligimus quid Deus de facto in hoc puncto voluerit: eſt autem pro hac veritate tota ferè auctoritas, quæ infra gradum ſententiæ de Fide eſſe poteſt: vt enim dixi, eam omnes Scholaſtici defendunt; ex Patribus verò eam multi tradunt, vt Auguſtinus ſæpè, maximè lib. 2. de Nuptiis cap. 11. & libro Contra Iulianum Pelagianum, Gregorius Magnus lib. 4. Moralium cap. 2. Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis §. 11. cap. 6. & Par. 12. cap. 2. Beda Homilia de Circumciſione Domini Tomo 7. & lib. 1. in Lucam cap. 8. eandem tradidit Innocentius III. in cap. *Maiores* de Baptiſmo: vbi doctrinam poſui, quæ includit generaliter omnes ſtatus: *Abſit enim* (inquit) *vt vniuerſi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad ſalutem.* Non eſt ergo de hac concluſione dubitandum; ſed ea ſuppoſita, 20

Aliquod remedium ad delendum peccatum originale fuiſſe tradunt Patres.

Præcipuum in præſenti dubium eſt, quale illud fuerit remedium, an actio aliqua exterior, quæ proinde haberet rationem veram Sacramenti, an ſola Fides interior parentum, aut aliorum fidelium applicata eis paruulis, an denique tam Fides interior quàm exterior actio fuerit neceſſaria, ita vt vna ſine altera non fuerit ſufficiens.

Quale fuerit illud remediũ.

SVBSECTIO I.

Sententia negans illud remedium fuiſſe Sacramentum.

Pater Vaſquez 1. 2. diſput. 184. cap. 4. de Circumciſione, & hîc diſput. 165. cap. 3. fortiter agit pro ſententia aſſerente ſolam interiorem Fidem ſuffeciſſe; ac proinde non agnoſcit vllum verum Sacramentum pro remiſſione originalis in paruulis, multò autem minùs in adultis: probat ſuam ſententiam (quàm dicit hîc quæſt. 61. artic. 1. in Notationibus eſſe communem) ex Diuo Thoma in 4. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 6 vbi eam clarè defendit. Aduerto tamen, etſi quoad punctum iuſtificandi paruulos Diuus Thomas teneat ſententiam Patris Vaſquez, abſolutè tamen in illo ſtatu naturæ eum admittere expreſsè alia vera & propria Sacramenta; vnde in puncto negandi vniuerſaliter pro eo ſtatu omnia Sacramenta contrarius haud dubiè eſt Patri Vaſquez Diuus Thomas: quòd autem tunc admittat vera Sacramenta, patet mani- 21

Vaſquez negat fuiſſe Sacramentum.

Fauet illi opinioni D. Thomas quoad paruulos;

Non vniuerſaliter.

Digitized by Google

manifeſtè; nam reſpondens ad tertiam quæſtionem ponit ob auctoritatem Diui Gregorij diſcrimen inter adultos & infantes, quòd hi ſine vllo ſigno exteriori, quod conſtitueret Sacramentum, iuſtificabantur; per quod tamen non negat ſæpè illam ipſam interiorem Fidem parentum fuiſſe aliquo exteriori ſigno ſaltem per accidens coniunctam: verum ergo Sacramentum pro ea iuſtificatione negat; pro adultis tamen per ſe requirit eam actionem exteriorem coniunctam Fidei internæ: quibus verbis oſtendit clarè illam fuiſſe tum verum Sacramentum: etenim actio exterior à Deo inſtituta ad cauſandam gratiam eſto requiſierit Fidem interiorem pro eo affectu; ſine dubio fuit Sacramentum, & vt tale à Diuo Thoma reputatur. Etenim ſi non credidiſſet illud fuiſſe proprium Sacramentum, potuiſſet vno verbo quæſtioni reſpondere, ac dicere, in eo ſtatu non fuiſſe vlla vera Sacramenta; dum verò in paruulis negat, in adultis verò requirit illud ſignum externum, clarè oſtendit Sanctus Doctor ſe pro adultis vera agnouiſſe Sacramenta.

Pro adultis admittit.

22 *Obiectio pro Vaſquez.* Dices; Ibi ait ea ſigna non fuiſſe à Deo inſtituta; diximus autem nos, non poſſe Sacramentum ab vllo alio quàm à Deo inſtitui. Deinde docet, illa ſigna non habuiſſe vllam efficaciam, ergo non erant Sacramenta vera. *Solutio.* Reſpondeo, Diuum Thomam ſolùm ibi docere non fuiſſe tunc vllum determinatum ſignum ex præcepto diuino obligans; per quod nullo modo aſſerit in communi non fuiſſe à Deo aliquod inſtitutum, vt ſuo modo diximus ſuprà, Chriſtum non determinaſſe materiam Sacramenti Ordinis: vt autem illud ſignum fuerit Sacramentum, ſufficiebat quòd Deus in communi præcepiſſet, vt aliquo ſigno externo ab ipſis determinando ſuam Fidem proteſtarentur; id autem tunc fuiſſe ſatis inſinuat Sanctus Doctor, cùm ait Fidem illis dictaſſe talium ſignorum adhibitionem. Si enim Fides dictabat illis eam adhibitionem ſignorum, omnino illa fuit ex aliqua Dei inſtitutione; nam ex natura rei nihil eſt quod de Sacramentis adhibendis Fides dictet. Quod verò obiicitur ſecundo loco, illas actiones exteriores non fuiſſe efficaces, ſolùm probat per illa Sacramenta vt talia non datam re ipſa gratiam: vti enim non fuit data per Sacramenta antiquæ Legis, quæ tamen agnoſcimus vera fuiſſe Sacramenta, quia erant pignora futuræ gratiæ dandæ per Chriſtum; ita nunc dicimus in eis Sacramentis Legis naturæ iuxta Diuum Thomam idem contigiſſe: de quo quoad alia Sacramenta eius temporis, quæ citato loco negaſſe videtur, ſatis.

23 *Suarez & Cardinalis Lugo aliter etiam pro paruulis interpretantur D. Thomam.* Abſolutè autem etiam pro paruulis putat Suarez, quem ſequitur Cardinalis Lugo ea ſectione 2. Sanctum Doctorem mutaſſe ſententiam hac 3. Par. quæſt. 61. art. 3. quia vniuerſaliter docet poſt peccatum debuiſſe eſſe aliqua ſigna viſibilia, quibus homo Fidem ſuam proteſtaretur de futuro Saluatoris aduentu. Pater verò Vaſquez ea diſput. 165. cap. 3. ait qui hanc explicationem adhibent Diuo Thomæ abuti ipſius verbis, & minùs benè ex hac quæſtione 91. citari quàm ex quæſtione 60. artic. 3. quia cenſet Sanctum Doctorem non requiſiuiſſe Circumciſionem pro danda gratia, ſed pro ſola proteſtatione exteriori Fidei. *Mens Diui Thomæ explicatur.* Ego quidem etſi probabilem iudicem Patris Suarij explicationem, arbitror tamen quod infantes non mutaſſe Diuum Thomam ſententiam, quia eis locis nihil dicit determinatè de Sacramento pro infantibus, ſed abſolutè quòd tunc fuerint aliqua Sacramenta; hoc autem eſt ipſiſſima doctrina quam in quarto tradidit: ibi enim dixit fuiſſe quidem aliqua Sacramenta pro adultis, non tamen pro paruulis. Quam differentiam maximè poſuit Sanctus Doctor, vt dixi, propter auctoritatem Gregorij Magni, quam eo loco in littera adduxerat Magiſter Sententiarum: vnde paulò ſuperiùs notaui, etſi Pater Vaſquez oſtendat Diuum Thomam ſtare pro ſe quoad infantes, non tamen quoad neganda abſolutè vera Sacramenta in ea naturali Lege. Et de Diui Thomæ mente in hoc puncto ſatis ſit.

Vaſquez ſuam opinionem probat ex Gregorio, Beda & Bernardo. Secundò probat Vaſquez ſuam ſententiam ex Gregorio, quem citat (vt diximus) Magiſter, item ex Beda & Bernardo, qui iuſtificationem paruulorum ſoli Fidei parentum tribuunt. Verùm Beda eo loco lib. 1. in Luc. cap. 8. in illa verba, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*, &c. non negat abſolutè fuiſſe tunc temporis tale Sacramentum, ſed vtitur particula *ſiue* diſiunctiua: ei ergo ſententiæ ſoli Bernardus & Gregorius maximè videntur fauere; quibus tamen alios ſtatim nos opponemus; fortaſſe etiam illi ipſi poſſent adhuc explicari, vt non negauerint requiſitam fuiſſe exteriorem manifeſtationem ipſius Fidei: non enim ex eo quòd interiorem petierint, continuò ſequitur negaſſe exteriorem. Quidquid tamen de his ſit, Tertiò probari ea ſententia poteſt; nam inſtitutio Sacramentorum pendet ex ſola voluntate diuina; nullum autem habemus fundamentum ſolidum, vt dicamus de facto Deum voluiſſe aliquod Sacramentum tunc inſtituere; ergo non debemus illud ponere.

SVBSECTIO II.

Contraria ſententia eſt probabilior.

PROBABILIVS tamen cenſeo, omnino fuiſſe tale Sacramentum pro paruulorum iuſtificatione: hanc enim concluſionem multò plures Scholaſtici tenent quàm contrariam. 24 *Fuit Sacramentum pro paruulis ita Alexander, Scotus, Durandus, &c.* Stant enim pro illa Alexander, Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Canus, Armacanus, Suarez, Lugo, Coninck, & Tannerus hîc diſput. 3. quæſt. 2. dub. 1. fuſiùs autem diſputat. 4. quæſt. 3. dub. 5. vbi refert etiam Patrem Valentiam & Alanum: ſtant item pro ea communiter Recentiores. Pro ſe autem Vaſquez præter Diuum Thomam, de quo paulò antè, non niſi duos vel tres refert; ergo in hoc ſaltem capite longè probabilior eſt noſtra ſententia, vtpote magis conformis Scholaſticis. Secundò eadem probatur ex Cypriano, ſeu ex Auctore de Operibus Cardinalibus Chriſti, capite de Chriſti Circumciſione: quòd enim reſpondet Vaſquez eum Auctorem non loqui de remiſſione originalis pro paruulis, ſed abſolutè abſtrahēdo à paruulis & adultis, non iuuat ipſum; nam ſi indiſtinctè Auctor ille loquitur de remiſſione originalis, profectò includit etiam paruulos, quia & in illis eſt originale. Tertiò ex Auguſtino, qui libro Contra Iulianum Pelagianum eandem tradidit his verbis; *Non eſt credendum ante datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat Mediatoris Fides, nullo Sacramento eius opitulatos eſſe paruulis ſuis; quamuis quod illud eſſet aliqua neceſſa-*

Digitized by Google

ria cauſa ; Sacra Scriptura tacere voluit : vbi manifeſtè loquitur de vero Sacramento;nam Fidem ipſam interiorem iam conſtat fuiſſe requiſitam: ſignum ergo illud externum , quod complebat Sacramentum , dicit eſſe ob iuſtam cauſam à ſacra Scriptura obuolutum ſilentio. Eandem ſententiam tenet Hugo de Sancto Vi-

25 ctore ipſo Vaſquez fatente. Rationes pro illa non puto diu quærendas ; quia cùm res vnicè pendeat à voluntate Dei , qui omnibus eis rationibus non obſtantibus potuit aliter rem diſponere , parum eis poteſt abſolutè conuinci, & potiùs debent dici congruentiæ : in quo genere non eſſet fortè etiam difficile aliquas in contrarium adducere ; inſinuabo tamen breuiſſimè quæ à Patre Suario adferuntur. Prima eſt, quia per illud medium paruuli initiabantur, ſeu conſecrabantur Deo. Verùm cùm(vt ſtatim dicemus) parens infantis potuerit ſolus in ſecreto illud remedium filio applicare , difficile eſt explicatu , quid illa exterior benedictio effeciſſet ad conſecrandum ſeu initiandum paruulum , & cur non ſuffeciſſet , ſi eidem paruulo parens , vel alius qui à parente id audiuiſſet, diceret deinde iam eſſe ſibi applicatam Fidem, ac proinde iam ſe eſſe iuſtificatum. Secundò argumentatur , quia tunc aggregabantur Eccleſiæ viſibili ; ergo per ſignum viſibile de quo poſſet conſtare : verùm cùm in ſecreto , vti dixi, potuerit illud ſignum applicari , & tunc debuerit,vt ea de re conſtaret , credi parenti affirmanti ſe illud ſignum applicuiſſe. Cur quæſo non potuerit eodem modo credi eidem parenti dicenti ſe iam illi infanti applicuiſſe ſuam interiorem Fidem ? Tertiò , quia ad ſalutem requiritur Fides & profeſſio eius. Hoc etiam non vrget , quia profeſſio exterior Fidei per ſe non requiritur ad ſalutem etiam in adultis , multò autem minùs in infantibus. Quartò , quia coniungebantur Chriſto vt capiti ; Chriſtus autem eſt caput viſibile Eccleſiæ ; ergo debebant viſibiliter coniungi. Hoc argumentum relabitur in ſecundum , ideò eodem modo ei reſpondendum , ſcilicet exiguam fuiſſe illam viſibilitatem per ſolius parentis in ſecreto benedictionem. Deinde, cur non quæſo ſuffeciſſet , ſi parens id deinde alijs reuelaret , vt ad ſecundum argumentum diximus ? Replicabis , Ergo eodem modo excluditur neceſſitas Baptiſmi in Lege gratiæ. Reſpondeo , Nullam eſſe hanc conſequentiam ; etenim nullo modo ego nego potuiſſe à Deo requiri illud ſignum , ſed dico eam rationem non vrgere vt debuerit requiri ; vnde addo de facto Chriſtum Dominum non ex neceſſitate eius rationis , ſed ex ſua voluntate requiſiuiſſe neceſſariò Baptiſmum per ſe loquen-

26 do. Dico *per ſe* ; nam etiam nunc poſſunt iuſtificari adulti per contritionem ante Baptiſmum , & tunc copulantur Chriſto, non tamen per ſignum exterius. Quintò argumentatur, quia peccatum originale communicatur per actionem exteriorem ; ergo eius remedium debuit etiam per actionem exteriorem applicari. Verùm neque hæc ratio vrget ; Primò , quia non eſt neceſſum vllo modo ſeruari eam proportionem : vt patet in adultis , qui per ſolam contritionem ſæpè iuſtificantur ab originali. Secundò , quia eſto actio aliqua exterior fuerit ad originale requiſita ; culpa tamen in volitione interiori Adami conſiſtit. Vltimò argumentatur , quia hic eſt modus connaturalis , quo quis alteri communicat ſuam Fidem. Reſpondeo, Etiam illam poſſe communicari dicendo ſe id feciſſe. Addo nunc contra omnes has rationes argumentum quod manifeſtè omnes reijcit ; nam ſiue illas accipias per modum congruentiæ , ſiue quocumque alio modo , profectò debent æqualem vim habere in adultis quam in paruulis. Nam adulti illi, quibus in infantia non erat applicatum illud remedium , cùm primùm deinde Deo inſpirante iuſtificabantur , & remittebatur eis originale , illi initiabantur ſeu conſecrabantur Deo non minùs quàm paruuli. Secundò , illi aggregabantur Eccleſiæ viſibili. Tertiò,illi iam erant in via ſalutis. Quartò, iungebantur Chriſto capiti viſibili. Quintò , etiam illi contraxerant originale per actionem exteriorem. Sextò,illi etiam debebant communicare ſuam Fidem alteri. Ergo omnes hæ rationes æqualiter planè vrgent in adultis;imò,ſi diligentiùs res examinetur , multò maiorem in eis videntur habere vim quàm in infantibus , quia magis expreſsè iungebantur Eccleſiæ , &c. & tamen cùm primùm iam illi erant capaces rationis,non poterat eis illud remedium applicari, vt Pater Suarez & alij communiter docent ; vel ſi applicabatur , per illud tamen neque gratiam neque remiſſionem originalis conſequebantur; ſed ea omnia obtinebant per ſolam interiorem Fidem & contritionem, aut amorem Dei ſupra omnia;cur igitur non potuit cum eadem facilitate in paruulis ille effectus cauſari per ſolam interiorem Fidem parentum eis applicatam?Et verò nec vnica ratio adducitur , cur magis fuerit in paruulis neceſſariū illud ſignum externum quàm in adultis;ergo eæ rationes nihil conuincunt.

Congruentiæ Suarez pro noſtra ſententia. Prima:

Secunda:

Tertia:

Quarta:

Quinta:

Sexta

Sed illæ omnes congruentiæ nil conuincunt magis pro paruulis , quàm adultis.

Cùm Cardinalis Lugo eas retuliſſet ex Patre Suario , addidit ſe maximè moueri , quia ſi illa interior applicatio Fidei ſuffeciſſet , potuiſſet applicari ea Fides abſenti infanti ; imò potuiſſet omnibus infantibus ab vno fideli applicari ; ac proinde omnes tunc liberati fuiſſent ab originali : id quod videtur valdè durum. Deinde potuiſſet mater etiam proli in vtero exiſtenti eandem Fidem applicare ; ac proinde etiamſi poſteà ante ortum moreretur in vtero , nihilominùs ſaluata ea proles fuiſſet : videtur autem hoc ex ſe difficile creditu , quia fuiſſet incomparabiliter tunc facilior infantibus ſalus quàm iam ſit. Hanc vltimam inſtantiam de puero in vtero matris tetigerat priùs Diuus Thomas eo loco ex quarto Sententiarū,eique reſpondit prolem,dum eſt in vtero matris,quoad vſus humanos non reputari aliud ſuppoſitū à matre. Verum hanc ſolutionē reiicit benè ibi Cardinalis Lugo, quia ea reputatio ſolùm videtur habere locum in ordine ad actiones phyſicas & politicas,non autem in ordine ad Deum.Quod vel inde confirmo ; nam ſi moriatur in vtero materno , non propterea ea anima ſequetur locum matris , ſed ad Lymbum puerorum deſcenderet:cur ergo non etiam potuit tunc eſſe capax remedij pro ſalute ipſius vt perſonæ diſtinctæ à matre applicandi? 27

Rationes Suarez approbat Cardinalis Lugo.

Faciliùs tamen reſponderi vno verbo poſſit his rationibus , quòd Fides parentum applicata paruulis fuerit eis vtilis non ex natura rei , ſed ex miſericordia & voluntate diuina factum eſſe ; eamque voluntatem fuiſſe tunc temporis reuelatam à Deo ; ita Deum noluiſſe , niſi vt ſoli infanti præſenti & iam nato applicaretur, imò fortaſſe non niſi à ſolis parentibus , idemque independenter ab omni exteriori applicatione

Quomodo neceſſaria fuerit Fides parentum pro paruulis:

Digitized by Google

tione alicuius Sacramenti. Ratio autem Cardinalis probat quidem optimè eam applicationem interiorem Fidei potuiſſe eadem facilitate fieri phyſicè abſentibus ac præſentibus; at quòd Deus conceſſerit priuilegium illud cum ea vniuerſalitate nequaquam oſtendit. Vltimò poſſet adduci ea ratio; nam ſi ſola Fidei applicatio interior ſuffeciſſet tunc ad iuſtificandos infantes, fuiſſet illis multò facilior ſalus quàm infantibus pro Lege gratiæ; hoc autem videtur valdè durum, quia in Lege gratiæ vti copioſiora ſunt auxilia, ita eſſe debet facilior via ſalutis: quòd verò hoc ſequatur, conſtat facilè; nam de facto ſæpè ex defectu aquæ & ex defectu ſcientiæ formæ Baptiſmi moriuntur infantes ſine remedio; tunc autem applicatio interior Fidei fuiſſet res facillima, cùm in omni occaſione haberet locum, quia neque vlla indigeret re externa aut exteriori applicatione. Reſpondent nonnulli, Etiamſi ex hoc capite fuiſſet illud remedium facilius, aliunde tamen fuiſſe difficilius, quia requirebat Fidem explicitam Chriſti futuri, quæ eo tempore erat fortè difficilior, quàm nunc ſit inuenire aquam vt baptizetur infans, & quàm ſcire formam Baptiſmi.

An explicita in Chriſtum.

28 Difficile eſt in hac ſolutione credere eam neceſſitatem expreſſæ Fidei: de quo inferiùs. Quidquid verò de hoc puncto ſit, adhuc argumentum vrget; nam obiectio ſolùm videtur agere de filiis credentium eo tempore, comparando illos cum filiis credentium nunc; (nam ſi loquamur abſolutè de omnibus, fortè tam difficile nunc eſt ethnicis quidquam ſcire de Baptiſmi neceſſitate, & vtilitate, quàm tunc fuerit vniuerſaliter habere Fidem explicitam Chriſti;) quòd ſi de ſolis filiis credentium loquamur, ſemper vrget ea obiectio, quia cùm iam illi ſupponerentur habere Fidem eam explicitam Chriſti, & applicatio purè interior non penderet ab vlla exteriori materia, vti nunc pendet Baptiſmus ab aqua, haud dubiè eſſet tunc ſimpliciter facilior ſalus infanti quàm iam ſit; adhuc ergo vrget ea obiectio. Reſponderi tamen poſſet, non eſſe inconueniens, ſi quoad punctum hoc concederemus aliquam maiorem tunc facilitatem ſalutis in pueris quàm nunc: neque enim neceſſum eſt vt in omnibus omnino rebus ſuperet hic noſter ſtatus ſtatum naturæ Legis. Fortaſſe enim aliquis diceret Sacramentum confeſſionis reddere ex parte difficiliorem ſalutem quàm tunc fuerit; nam tunc qui conterebatur, non tenebatur ampliùs; at nunc etiam qui conteritur, tenetur adhuc deinde ſubire Sacramentum Pœnitentiæ, quod ex ſe ſatis eſt arduum; ergo ex eo capite nihil ſolidi infertur. Ex quibus omnibus concludo, nequaquam poſſe ſententiam hanc communem vllis rationibus vrgeri, ſed vnicè defendendam ob maiorem auctoritatem.

Concluditur, ſententiam communem nõ ratione, ſed auctoritate ſubſiſtere.

SVBSECTIO III.

Reſpondetur Obiectionibus.

29 IAM oportet breuiter vnam vel alteram ſoluere obiectionem ex congruentiis deſumptam, quæ adduci contra nos poteſt. Vniuerſaliter autem Primò dicimus, Vti hi Auctores, non obſtantibus omnibus congruentiis nobis obiectis, nihilominùs non negant Deum potuiſſe ſine vlla difficultate requirere pro iuſtificatione paruulorum actionem aliquam exteriorem quæ haberet rationem veri Sacramenti; ita nos dicimus, Ex eis rationibus nihil penitus contra nos; quia ſi non obſtantibus eis congruentiis potuit Deus ita facere, profectò vi earum congruentiarum non inferetur eum de facto non ita feciſſe: vti quia poſita Fide poſſum peccare, malè quis inferret, Ego habeo Fidem; ergo de facto non pecco. Videamus nihilominùs in particulari quales hæ congruentiæ ſint. Prima eſt, Circumciſio vt Sacramentum non cauſauit gratiam; ergo multò minùs illam cauſauit remedium illud Legis naturæ; quia Circũciſio ſine dubio præſtantioris fuit virtutis illo remedio. Hoc argumentum maximè mouit Patrem Vaſquez, vt negaret eiuſmodi Sacramentum: et reſpondet Cardinalis Lugo, quidquid ſit de antecedente, conſequentiam non eſſe bonam; quia Patres, qui ſolent adduci ad probandum Circumciſionem non cauſaſſe gratiam, nihil dicunt de hoc Sacramento Legis naturæ. Probabilis ſolutio; diceret tamen Pater Vaſquez ſe ſupponere vt valdè rationi conforme, non fuiſſe minoris virtutis Circumciſionem quàm illud remedium fuerit: id quod haud leuiter confirmatur ex Innocentio III. ſuperiùs citato: ibi enim non minorem virtutem ad delendum originale tribuit Circumciſioni quàm remedio antiquo, ſeu naturalis Legis. Vnde ſi Patres eam vim negant Circumciſioni, benè inferri negandam ei remedio. 30

Obiectio à Circumciſione.

Reſponſio Cardinalis Lugo.

Replica Vaſquez.

Faciliùs igitur reſpondetur negando antecedens; de quo infrà; vbi oſtendemus originale fuiſſe remiſſum paruulis per Circumciſionem. Fortaſſe Secundò reſponderi poſſet inſiſtendo ſolutioni Cardinalis Lugo, & negando eam conſequentiam; nam cùm Circumciſio non fuerit remedium vniuerſale, quia nec puellis applicari poterat; nec qui ex aliis nationibus diſtinctis à Iudæis Deum verum colebant, tenebantur ſuos filios circumcidere; neque ipſi Iudæi poterant ante octauum diem Circumciſionem applicare, etiamſi infantes periclitarentur de vita; ergo debuit adhuc manere remedium aliud quo originale in paruulis remoueretur; non ergo fuit expediens vt Circũciſio haberet eam vim, ne eſſent tunc duo Sacramenta diuerſa ad remedium originalis. Hinc autem non licet colligere, non fuiſſe in Lege naturæ, aut etiam in ipſa Lege ſcripta, aliquod Sacramentum à Circumciſione diſtinctum, quod maiorem haberet vim ad iuſtificandum quàm ipſa Circumciſio; ergo ea conſequentia non eſt adeò legitima.

Solutio Cardinalis Lugo roboratur.

Secunda obiectio (quæ eſt Durandi in 4. diſtinct. 1. quæſt. 8.) deſumitur ex dictis à nobis ſuprà, quòd ſcilicet illud remedium non fuerit determinatum ad certam aliquam actionem, ſed in voluntate parentum fuerit hanc vel illam vſurpare; hinc enim videtur inferri, illud non habuiſſe eam ſtabilitatem & perpetuitatem quam ſuprà diximus eſſe neceſſariam ad rationem Sacramenti in communi. Reſpondeo, Vt Sacramentum dicatur perpetuum, ſeu ſtabile, non eſſe neceſſarium illud eſſe tale quoad omnimodam determinationem materiæ: ſufficit enim ſi conſtans ſit ea deſignatio diuina in genere; ſi v.g. dixiſſet, Volo vt ſignum illud, quo exteriùs proteſtatus fueris Fidem, &c. vti etiam de facto in aliquibus noſtris Sacramentis non eſt determinatio vltima materiæ, vt diximus ſuprà agentes de Ordine.

Obiectio Durandi.

Digitized by Google

Alia minoris momenti obiiciuntur, quæ prudens omitto, quia ex dictis facilè ſoluentur.

SECTIO V.

Diſcutiuntur aliqua dubia circa illud Sacramentum.

SVBSECTIO I.

Duo priora explicantur.

Remedium inſtitutum pro paruulis non remittebat originale in adultis.

31 PRIMVM eſt, Vtrùm illud remedium in adultis habuerit vim remittendi originale. Reſpondeo, Longè probabilius eſſe non habuiſſe; vti de Circumciſione dicemus infrà. Probatur autem, quia licet omnino potuerit Deus eam vim dare ei Sacramento, cùm tamen non habeamus vllum fundamentum ad id dicendum, quia auctoritas, quæ pro præcedenti concluſione erat, iam hîc ceſſat, imò ſtat in contrarium, non debemus vllo modo id aſſerere; ſi autem congruentiam valdè in hoc puncto efficacem velimus adducere, ea eſt, quòd pueri, cùm per ſeipſos non poſſent iuſtificari, indiguerunt aliquo remedio; quale fuit illud Sacramentum. Adulti verò rationis capaces (de his enim ſolis loquimur) poterant propriis actibus obtinere eam remiſſionem, ideoque non indigebant Sacramento habente vim iuſtificandi. Vnde obiter dico, Eos adultos, qui perpetuò fuerant amantes, debere inter infantes quoad punctum præſens omnino reputari.

Suarez & Cardinalis Lugo è diametro oppoſiti.

Media via probatur contra Cardinalem Lugo.

Secundum dubium eſt, Vtrùm ea Fides, quam proteſtabantur parentes, debuerit eſſe explicita mediatoris? Reſpondeo, Rem eſſe omnino dubiam. Cardinalis Lugo affirmat; Suarez verò adeò id negat, vt putet nec quidem vllam Fidem fuiſſe neceſſariam, ſed ſuffeciſſe in parentibus intentionem faciendi id quod vera Eccleſia faciebat; etiamſi ipſi nihil omnino crederent; ſicut de facto cum ſimili intentione poteſt infidelis baptizare. Dixi, Rem eſſe omnino dubiam. Nimis multum mihi videtur Cardinalis exigere, nimis à contrario parum Pater Suarez; ille multum, quia non poteſt oſtendi, cur eo tempore in adultis ad iuſtificationem propriam ex parte intellectus non ſuffeciſſet vera Fides vnius veri Dei, etiamſi nihil ille homo ſciret de redemptore futuro, ſeu de verbo incarnando. Quòd ſi ſemel dicamus adultis eam Fidem fuiſſe ſufficientem ad ſalutem adiuncto deindè actu amoris Dei, cur non admittemus applicationem eiuſdem Fidei fuiſſe ſufficientem ad iuſtificandos paruulos?

Auguſtinus non requirit expreſſam Fidem mediatoris.

Dices: Auguſtinus expreſsè requirit Fidem mediatoris. Reſpondeo, Eum non requirere expreſſam, ſed poſſe intelligi de implicita, quatenus qui in verum Deum credebat, ſperabat etiam ab illo remedium, eo modo quo ipſe Deus vellet; vbi implicitè intelligebatur Chriſtus venturus tanquam à Deo conſtitutus vnicus mediator; non eſt ergo cur tam explicitam Fidem requiramus.

Contra Suarez ex Patribus, Auguſtino, Gregorio, Bernardo & aliis.

32 Quòd verò è contrario Suarez nimis parum requirat, facilè oſtenditur; quia Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, & alij, ſemper requirunt pro ea iuſtificatione Fidem: nomine autem Fidei ſolùm intelligitur vera & propria Fides: quod benè ponderauit Cardinalis Lugo ſuprà. At intentio illa faciendi quod vera faciebat Eccleſia non eſt vera, imò nec ficta Fides; vti Gentilis, qui nihil credendo baptizaret animo faciendi quod nos facimus, nequaquam dici poſſet per applicationem ſuæ Fidei iuſtificaſſe infantem, &c. Secundò ratione idem oſtendo, quia cùm non eſſet tunc vllum certum & determinatum ſignum à Deo inſtitutum, & vlla certa forma, quæ conſtitueret illud Sacramentum; profectò ſi Fides aliqua vera interior, quæ ſignificaretur ab hominibus per ſignum exterius ab ipſis determinatum, non eſſet neceſſaria, vix explicari poſſet in quo conſiſteret illud Sacramentum, aut quomodo deberet dici eſſe conſecratio infantis. In quo puncto magna eſt differentia à noſtro Baptiſmo v. g. nam etiam qui neſcit quid faciat, ſi tamen applicat materiam & formam à Chriſto inſtitutam, & habet intentionem faciendi quod faciunt Chriſtiani, iam ponit totam eſſentiam Sacramenti à Chriſto inſtitutam; ideoque validè baptizat; at ſi nullum eſſet in particulari ſignum à Deo inſtitutum, & quodlibet in tantũ ſufficiebat, quatenus erat proteſtatio interioris voluntatis ſine interiori aliqua Fide in Deum & voluntate eam explicandi, ego non capio quæ eſſet ea eſſentia Sacramenti. Deinde (vt benè ponderauit Cardinalis Lugo) cuilibet eſſet facillimum aliquod ſignum exterius applicare conſecrando ſuos paruulos numini vero, quodcumque illud eſſet; non eſt autem credendum eo tempore adeò facilem fuiſſe ſalutem paruulorum; ergo nimis parum Pater Suarez requiſit.

Ratio contra ſententiam Suarez.

Argumentum ex S. Auguſtino pro Suarez ſoluitur.

33 Dices tamen pro illo: Auguſtinus lib. 2. contra Creſconium capite 31. æquiparat Circumciſionem Baptiſmo in eo, quòd ſicut Baptiſmus datus ab infideli non eſt iterandus, ita nec Circumciſio; hoc autem debet etiam dici de Sacramento Legis naturæ; ergo illud non requirebat in Miniſtro Fidem. Et verò ex ipſo Baptiſmo ſumitur noua confirmatio independenter à Circumciſione. Reſpondeo ex his quæ immediatè antè diximus, Negari conſequentiam à Sacramento Legis naturæ tam ad Circumciſionẽ quàm ad Baptiſmum; quia cùm hæc duo habeant determinatum ritum inſtitutum à Chriſto, ſeu à Deo, facilè intelligitur, quomodo in eius ritus executione cum animo faciendi quod facit vera Eccleſia, ſaluetur ratio Sacramenti: id quod difficulter explicatur in actione externa accepta pro libitu humano; nam ſi illam non concipiamus vt proteſtatiuam alicuius interioris Fidei in Deum verum, certè nihil videtur habere de ratione Sacramenti. Cardinalis Lugo reſpondet aliter ad hanc inſtantiam de Baptiſmo, Illum ea ratione non indigere Fide, quia eius præcipuus Miniſter eſt Chriſtus; mirum ergo non eſt, ſi vt actio Chriſti non indigeat Fide baptizantis. At illud Sacramentum cùm non eſſet actio Chriſti, oportuit vt includeret Fidem in Chriſtum ad hoc, vt acceptaretur à Chriſto. Hæc tamen ſolutio, quatenus ſupponit debuiſſe eſſe explicitã Fidem in Chriſtum ad valorem illius Sacramenti, mihi minùs probatur, vt paulò antè oſtendi. Deinde fortaſſe aliquis diceret, Eo ipſo quòd in Baptiſmo Chriſtus ſit Miniſter, magis eſſe neceſſariam Fidem explicitam ipſius Chriſti in Miniſtro, proximo, vt ſciat cuius nomine Sacramentum adminiſtrat, quàm fuerit eo tempore. Relictis ergo his congruentiis, quæ facilè

Solutio Cardinalis Lugo reiicitur.

Solutio vera.

Digitized by Google

cilè poſſunt in contrarias partes trahi, non video meliorem rationem, quàm quòd Chriſtus noluerit pro Baptiſmo exigere illam Fidem; de qua Chriſti voluntate nobis ex Eccleſia conſtat; cur autem Fides Dei fuerit in Sacramento eo antiquo neceſſaria iam diximus.

Argumentum ex Patribus contra ſolutionem.

Secundò obiicies, ſeu potiùs replicabis contra datam ſolutionem: Patres ſicut dicunt fuiſſe tunc iuſtificatos paruulos Fide parentum, ita idem docere de facto in Lege gratiæ: vt ergo non obſtante eo modo loquendi non eſt neceſſaria de facto Fides ad valorem Baptiſmi; ita dicendum, neque tunc fuiſſe. Quòd autem eodem modo Patres loquantur, poteſt ex Iuſtino ad Orthodoxos quæſtione 56. probari; ibi enim ait pueros iudicari dignos bonis quæ affert Baptiſmus propter Fidem parentum. Verùm facilè reſpondetur, Iuſtinum non reddere pro cauſa meritoria Fidem baptizantis, ſed Fidem eos offerentium Baptiſmo. Deinde non includit Fidem vt dantem valorem Baptiſmo, ſed vt cauſam, ob quam Deus eos adduxit ad ipſum Baptiſmum, vt benè notauit Cardinalis Lugo.

Iuſtinus explicatur.

34 *Obiectio à Fide Miniſtri incerta.*

Obiicies vltimò: Si requirebatur Fides in Miniſtro, ergo reddebatur valdè dubium illud Sacramentum. Reſpondeo; Sicut nunc Baptiſmus poteſt reddi dubius ex defectu voluntatis faciendi quod facit Eccleſia, neque hoc iudicatur abſurdum; ita etiam tunc potuiſſe ex defectu eius Fidei reddi dubium. Adde, Probabile eſt non fuiſſe tunc requiſitam Fidem ſupernaturalem, ſed ſuffeciſſe naturalem, quæ facilè haberi poterat à Miniſtro eius Sacramenti. Sed de hac ſupernaturalitate ſtatim fuſiùs. Putarem ego neceſſariam fuiſſe veram Fidem inferiorem vnius veri Dei (eſto de venturo Redemptore nihil crederetur, vt dixi) quam proteſtaretur per ſignum illud externum. Quia verò nos ſæpè diximus abſolutè poſſe per actum etiam naturalem credi Deum vt vnum, vti illum de facto credunt omnes hæretici in aliis tantùm materiis errantes; quæri etiam ſtatim poteſt, Vtrùm ea Fides debuerit eſſe ſupernaturalis; an verò ſi quis, antequam haberet Fidem ſupernaturalem, per actum naturalem crederet in Deum vnum, & ei infantem ſuum conſecraret, ſufficeret id ad conſtituendum Sacramentum? Paulò antè dixi probabile eſſe, quòd non fuerit neceſſaria ſupernaturalis; nunc addo, rem eſſe valdè dubiam, quia non habemus principia vnde id decidamus; exigi quidem pro ſalute propria ſupernaturalem Fidem, idque etiam fuiſſe in Lege naturæ neceſſarium, non poteſt negari: at in ordine ad adminiſtrandum Sacramentum pro ſanctificatione aliena non eſt vnde probetur; ac proinde probabile eſt ſuffeciſſe tunc eam naturalem Fidem: & ita ſentiunt Paludanus & Scotus apud Patrem Vaſquez: qui tamen omninò requirit Fidem diuinam ſeu ſupernaturalem. Fundamentum illius non eſt magni momenti; ſolùm enim deſumitur ex eo, quòd tunc temporis parentes non dicerentur iuſtificare ſuos filios ex opere operato, ſeu per modum Sacramenti, ſed ex opere operantis: id quod dicit ſe probaſſe diſputatione 31. cap. 3. Vbi tamen nec verbum inuenio ea de re; nec video vnde poſſit probari, niſi quia negando tunc fuiſſe vllum Sacramentum, faciliùs videtur oſtendi; debuiſſe eam interiorem volitionem concurrere per modum meriti, ſaltem de congruo, ac proinde debuiſſe eſſe ſupernaturalem. Dixi paulò antè rem hanc eſſe incertam, nihilominùs noſtram deciſionem eſſe probabiliorem; quia cùm iuxta communiorem ſententiam verùm conceſſerimus Sacramentum, connaturaliùs diſcurrimus, ſi negauerimus illud concurriſſe per modum meriti; eſto omnino potuerit Deus idipſum meritum requirere ſimul cum Sacramento, cùm tamen in aliis Sacramentis de facto id non requiſiuerit, ſed illa reſpectu adminiſtrantis, ſolùm ex opere operato concurrant, cur non idipſum de eo Sacramento dicemus? Aliqua, quæ in contrarium obiici poſſunt, ſoluemus explicando ſequens dubium huic omnino connexum.

Examinatur, an ſuffecerit in parentibus Fides naturalis.

Suffeciſſe naturalem docet Paludanus & Scotus.

Vaſquez vult fuiſſe ſupernaturalem.

Probabilius eſt naturalem ſuffeciſſe.

SVBSECTIO II.

Tria vltima dubia ſoluuntur.

QVORVM primum, Vtrùm fuerit tunc neceſſarius ex parte parentum ſtatus gratiæ ad iuſtificationem paruulorum? Non ſcio vllum 35
ex Antiquioribus qui eam gratiam requirat; ſolus Pater Vaſquez ſupràait eſſe quidem probabile eam non fuiſſe requiſitam; contendit tamen oſtendere, contrarium eſſe magis conforme Auguſtino; additque ex aliis Patribus, nihil omnino contra neceſſitatem eius ſtatus gratiæ adduci poſſe. Quòd verò Auguſtino id ſit magis conforme probat, eò quòd Sanctus Doctor dicat *Famulis Dei non defuiſſet remedium pro paruulis.* Famuli autem Dei non poſſunt dici peccatores; ergò. Meritò tamen reſpondet Cardinalis Lugo, Etiam ab Eccleſia vocari Dei famulos ipſos peccatores. Certè in Collecta pro remiſſione peccatorum dicitur, *Vt famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſoluat.* Addo vlteriùs, Auguſtinum ibi quaſi egiſſe de Eccleſia quæ tunc erat, & ſaltem in aliquibus erat ſancta; ac ſi dixiſſet: *Eccleſia, quæ tunc fuit, non deerat remedium pro paruulis*: per quod nihil docet, quòd quilibet Miniſter in particulari applicans illud Sacramentum deberet eſſe in gratia. Ac ſi de Eccleſia Catholica de facto quis diceret, Non deeſt famulis Dei remedium pro paruulis; per quod tamen nequaquam denotatur miniſtrum Baptiſmi debere eſſe eo ſenſu famulum Dei, hoc eſt in gratia, imò nec quidem denotatur debere eſſe fidelem. Longè ergo probabilius eſt, eum ſtatum gratiæ non fuiſſe requiſitum: id quod ſuadetur tum communi auctoritate, tum inſtantia è noſtris Sacramentis; quæ etſi nobiliora longè ſint, non tamen requirunt eam diſpoſitionem ex parte adminiſtrantis, tum quia per hoc reddita fuiſſet valdè dubia ſalus paruulorum, & verò ſæpè data fuiſſet occaſio repetendi illud Sacramentum. Denique, cùm dixerimus probabilius eſſe, nec quidem ſupernaturalem Fidem fuiſſe neceſſariam, à fortiori non erit neceſſaria charitas, quæ eam Fidem ſupponit.

Nõ fuit neceſſarius in parentibus ſtatus gratiæ contra Vaſquez.

Durandus in 4. diſtinct. 1. quæſt. 8. num. 7. 36
putat neceſſarium fuiſſe vt illa Fides ſaltem in Eccleſia, quæ tunc erat, eſſet formata charitate, vt poſſet infanti mereri eam remiſſionem originalis & gratiam iuſtificantem. Verùm hæc doctrina ab omnibus reiicitur, quia gratis confingit eam neceſſitatem meriti. Id quod magis declaro: Vel enim loquitur de merito condi-

Durandi ſententia de Fide formata charitate reiicitur.

gno, & vt ſic loquitur improbabiliter, quia de facto nulla pura creatura meretur alteri de condigno gratiam iuſtificantem: eſſet enim id in damnum ipſius merentis, qui tunc amitteret augmentum gratiæ & gloriæ ſibi alioquin ob illud opus reſponſurum; imò non deſunt, qui nec de potentia abſoluta concedant poſſibilem talem modum merendi. Si verò Durandus loquatur de merito congruo, tunc non fuit neceſſarium recurrere ad ſtatum gratiæ in ipſo Miniſtro Sacramenti: etenim etiam peccator poteſt habere meritum congruum tam pro ſe quam pro altero. Denique (benè notauit Vaſquez) ad meritum illius actionis parum effeciſſet ſanctitas Eccleſiæ, ſi ipſe Miniſter non erat in gratia: etenim tunc illud opus non habuiſſet actu & proximè conditiones omnes ad meritum requiſitas, qui nulla eſſet ibi ſupernaturalis volitio dignificata per gratiam quæ Deum moueret.

Occurrit Auctor tacitæ obiectioni. Fortè contra hanc rationem obiici poſſet ex noſtris principiis, Actiones noſtrorum Sacramentorum, eò quòd fiant nomine Chriſti, quantumuis Miniſter ſit in peccatis, reddi tamen meritorias de condigno gratiæ; ergo etiam poterant tunc ab Eccleſia reddi meritoriæ actiones Miniſtri peccantis. Reſpondeo (vti dicemus infra) Etiam noſtra Sacramenta non eſſe meritoria niſi per modum actionis exterioris denominatæ à volitione, qua Chriſtus conſtituit Vicarios ſui Miniſtros Sacramentorum; & quia quodlibet opus Chriſti eſt infinitè meritorium, poteſt etiam denominare meritorias quaſcumque exteriores actiones Miniſtrorum: denique, illa delegatio ſemel facta habet locum in perpetuum. Nihil horum poſſumus tunc de Eccleſia dicere ad rem præſentem. *Gratiam requirit Durandus gratiam in Miniſtro;* Etenim Durandus exigit pro eo ipſo momento, quo conferebatur illud Sacramentum, gratiam in Eccleſia; ea autem tunc fuit omnino impertinens, quia eo momento illi fideles in gratia exiſtentes non conſtituebant eum Miniſtrum Sacramenti tanquam ſui delegatum; nihil enim dicebant, ſed ipſi ex ſe adminiſtrabant Sacramentum; ergo ea actio exterior non poterat eſſe moraliter actio Eccleſiæ; ac proinde nec illi poterat per denominationem extrinſecam tribui valor Eccleſiæ; non enim poſſumus recurrere ad transfuſionem vllam voluntatum illius Eccleſiæ in voluntatem Miniſtri, transfuſionem inquam miraculoſam, eo modo quo Deus noſtras voluntates transfudit in Adamum: id enim eſt planè arbitrarium. *Aut Eccleſiæ meritum.* Deinde, ſi in illa Eccleſia tunc pauci fuiſſent in gratia (non enim Durandus exigit niſi vnum aut alterum ad hoc, vt dici potuerit abſolutè Eccleſia eſſe in gratia) non potuiſſet tunc opus illud, eſto imperatum ab eis paucis iuſtis, denominari in multis Miniſtris qui tunc conficerent Sacramentum meritorium de nouo gratiæ; quia in vno aut altero exhauſta eſſet tota illius virtus. Imò cùm Durandus nullum bonum opus requirat in eis iuſtis, clariùs apparet, nec per modum actionis exterioris potuiſſe à ſanctitate Eccleſiæ denominari illud Sacramentum ſanctum. Et contra Durandum ſatis.

37 Hoc addiderim, ſi dicatur pro illius Sacramenti valore fuiſſe requiſitam Fidem veram ſupernaturalem, probabiliſſimè dici poſſe, fuiſſe eam actionem vt ab ipſo Miniſtro de congruo meritoriam remiſſionis pro infante; nam actus ille ſupernaturalis Fidei requiſiuit omnino piam affectionem ſupernaturalem ex parte voluntatis; ea autem pia affectio neceſſariò eſt meritoria; ergo neceſſariò dato eo actu Fidei reperitur ibi quidquid ad rationem meriti congrui requiritur: per quod tamen non dico eam neceſſariò debuiſſe acceptari ad huiuſmodi meritum; ſcio enim Deum non ſemper acceptare ad meritum congruum actiones alioquin illius ex ſe capaces.

Replica ab actu Fidei malo fine viciato ſoluitur. Dices; Potuiſſet ille actus Fidei vitiari ex malo aliquo fine vanæ gloriæ; ergo tunc non habuiſſet conditiones ad meritum congruum. Reſpondeo, Vel non poſſe dari tale imperium, vt multi opinantur, de quo nos alibi; vel dato eo imperiò adhuc illum actum futurum in ſe abſolutè bonum; quia cùm habuiſſet propriam libertatem & honeſtatem, non fuiſſet ablata illi bonitas ſufficiens ad proprium meritum, eſto habuiſſet aliquam denominationem venialiter mali ab imperio, quod tunc per accidens influxiſſet in eam piam affectionem.

Quid ſi ex malo fine mortaliter. Vrgebis: Quid ſi ex malo mortaliter fine imperata fuiſſet? Certè tunc non potuiſſet eſſe meritoria. Reſpondeo, Vel caſum repugnare, vel eo dato, ſi pia affectio retinuiſſet ſuam propriam libertatem, etiam retenturam fuiſſe rationem meriti: neque enim eſſet inconueniens, vt per duos actus ſimul & ſemel productos homo ille tunc mereretur & demereretur. Sed de hoc puncto fusiù. Tomo quinto.

Nunc dico vltimò, vt ab his caſibus planè extraordinariis abſtrahamus, concluſionem noſtram intelligendam per ſe, eo modo quo ordinariè pia affectio ſolet imperare actum ſupernaturalem Fidei. Et de conditionibus ex parte eius Sacramenti hactenus.

Quartum dubium eſſe poteſt, Vtrùm potuiſſet illud remedium à quocumque applicari, ſicut nunc conferri poteſt Baptiſmus. Variæ ſunt ſententiæ in hoc puncto. 38 *Variæ ſententiæ de Miniſtro Sacramenti ad delendum originale in paruulis.* Quidam enim opinantur ſolos parentes, vel illos, ſub quorum cura infans fuiſſet, potuiſſe applicare hoc remedium. Alij dicunt, indifferenter omnes potuiſſe, etiam licitè; in quo magis extendunt facultatem concedendi illud Sacramentum quàm poteſtatem dandi Baptiſmi, quia hic licitè non poteſt inuitis parentibus; ita Pater Vaſquez diſput. 163. num. 46. fortaſſe quia cùm cenſeat illam applicationem non fuiſſe niſi actum interiorem Fidei; actus autem ille interior non haberet vllam ſubordinationem cum voluntate parentum, & aliunde eſſet in magnum bonum infantis; non eſt cur debuerit pendere à licentia parentum. Alij dicunt, extra vrgentem neceſſitatem non potuiſſe niſi à parentibus, vel his qui curam infantis haberent. Alij eodem modo de eo Sacramento quo nunc de Baptiſmo diſcurrunt; dicunt enim eaſdem eſſe rationes, vt dicamus illicitum fuiſſe inuitis parentibus adhibere illud Sacramentum; quæ ſunt, vt idipſum dicamus de Baptiſmo: id quod tradit expreſsè Cardin. Lugo, & videtur etiam tradi à Suario, licet non ita diſtinctè.

Mihi res hæc tota eſt dubia, quia cùm Deus in inſtitutione eius Sacramenti adhibere potuerit has vel illas conditiones pro ſuo ſolo libitu; quocumque verò modo illud inſtituiſſet, habuiſſet congruentias optimas, ſiue voluiſſet magis limitare, ſiue magis extendere eam potentiam, non ſolùm quantum ad hoc vt licitè, ſed etiam vt validè adminiſtraretur; cumque non habeamus

beamus vllam auctoritatem, vnde poſſimus colligere quid Deus re ipſa voluerit, ſine dubio non poſſumus concludere, hoc aut illud eſſe factum, niſi putè putè diuinando: ſi tamen volumus à ſimili ex his quæ in Baptiſmo videmus diſcurrere, omnino iudico cum Cardinale Lugo, Suario, & nonnullis aliis, eſto validè à quocumque potuerit conferri, non tamen licitè ſine parentum licentia. Vnde iudico minùs probabilem doctrinam Vaſquez, quòd ſcilicet quilibet potuerit etiam inuitis parentibus illud Sacramentum licitè adminiſtrare. Nam licet ea applicatio purè eſſet interior (iuxta eundem Vaſquez) & ex hoc capite non facilè oſtendatur, cur eſſet illicita in eius ſententia etiam inuitis parentibus; at ex hoc ipſo capite videtur nimis multum extendere vim eius oblationis, vt ſcilicet qui voluiſſet pro ſolo ſuo nutu, potuiſſet quoſcumque infantes à culpa originali liberare, ſolùm
39 interiùs dicendo *Eos offero Deo*. Vnde fortaſſe iuxta doctrinam Vaſquez etiam licitè poſſet infans contra parentum voluntatem Deo offerri, quia ſine dubio licitum fuiſſet etiam tunc optare vt aliorum filij Deo conſecrarentur; ideoque etiam fuiſſet licitum eos ex ſe offerre Deo; non tamen propterea valida eſſet ea oblatio in ordine ad peccati originalis remiſſionem.

Sententia Cardinalis Lugo & Suarez probatur; potuiſſe quidem validè adminiſtrari ab omnibus, ſed non licitè ſine parentum licentia; contra Vaſquez.

Quintum dubium, Vtrùm illa oblatio fuerit omnino infallibilis virtutis in omnibus omnino caſibus? Pater Vaſquez etſi id negare non audeat, ſed abſolutè cum Scholaſticis dicat fuiſſe infallibilem, fusè tamen conatur oſtendere, id non poſſe ex Patribus ſuaderi. Non puto nos debere diu in ſimilibus quæſtionibus hærere, quia Patres abſolutè dixerunt fuiſſe tunc remedium pro paruulis; an autem ſemper habuerit ſuum effectum, non diſputarunt: cùm tamen illi aliquando quoad effectum comparauerint Baptiſmo hoc remedium, & ſuppoſuerint etiam eſſe per modum Sacramenti; in Sacramentis autem effectus ex opere operato ſit infallibilis; non video cur debeamus dubitare, an Patres ſenſerint infallibile fuiſſe illud remedium, eſto expreſsè id non aſſeruerint; ſine dubitatione ergo dicendum omnino fuiſſe infallibile. Et de remedio pro paruulis hactenus.

Remedium pro paruulis infallibilem habuit effectum.

SECTIO VI.

An in Lege naturæ fuerint alia Sacramenta?

ILLVD vltimò quæri poſſet circa ſtatum Legis naturæ, Vtrùm præter Sacramentum, 40
de quo hucuſque, fuerit aliquod aliud pro adultis, ſiue illud cauſauerit in eis gratiam, ſiue non, eo modo quo in Lege ſcripta fuere multa Sacramenta præter Circumciſionem; quæ tamen de præſenti non cauſarunt gratiam, ſed fuere pura illius pignora? Pater Suarez ſuprà præter Sacramentum hoc paruulorum opinatur ex ſpeciali Dei fauore in vna aut altera familia fuiſſe verum aliquod Sacramentum; putat autem tale fuiſſe oblationem panis & vini factam à Melchiſedech: nam aliqui Patres eam vocant Sacramentum. Sententia hæc impugnatur variè à Vaſquez & Recentioribus; omnia tamen argumenta ad hoc reducuntur, quòd ſine fundamento id à Suario dicatur; quibus ille poteſt reſpondere, ſufficiens fundamentum eſſe eam Patrum locutionem. Aliunde tamen efficaciùs reiicitur Suarez: vt enim ex ipſo oſtendimus ſuprà, Sacramentum debet eſſe aliquid ſtabile & fixum, publicaque Lege promulgatum; ob cuius ſtabilitatis & promulgationis defectum excluſit ipſe Suarius à ratione Sacramenti illa verba Chriſti Domini, *Remittuntur tibi*, &c. & illa, *Accipite Spiritum Sanctum*; etiamſi eſſent actiones externæ ſigna & pignora gratiæ iuſtificantis: ergo licet oblatio Melchiſedech eſſet ſignum & pignus gratiæ (de quo tamen adhuc non conſtat;) non tamen potuit eſſe verum Sacramentum, vel quia tantùm ſemel exercita eſt, vel quia etiamſi aliquoties repetita, nunquam tamen fuit ſtabilis & publica: neque Patres eam dicunt proprium Sacramentum, ſed ſecundùm quid, & fortè analogicè, quatenus fuit figura veræ Euchariſtiæ: ceſſante autem hoc fundamento non poſſumus niſi diuinando aſſerere, tunc alia fuiſſe Sacramenta; ideoque abſolutè concludo, in re dubia probabilius eſſe, nulla talia extitiſſe.

Suarez docet oblationem Melchiſedech fuiſſe Sacramentum.

Contrarius eſt Vaſquez.

Matth. 9. Lucæ 7. Ioann. 20.

Refutatur Suarez.

Concluditur, nulla alia fuiſſe in Lege naturæ Sacramenta.

DISPVTATIO NONA.

Vtrùm in Lege ſcripta & Lege gratiæ debuerint eſſe Sacramenta?

1 IN Lege ſcripta varia fuiſſe Sacramenta communis eſt omnium ſententia: ita enim Concilium Florentinum, & Tridentinum paſſim ſupponunt, dum comparant noſtra Sacramenta cum Sacramentis illius Legis, & ſolùm in hoc puncto aſſignant differentiam, quòd noſtra cauſent gratiam, illa verò eam non cauſauerint, ſed figurauerint dandam ſeu cauſandam per noſtra. Non eſt ergo cur in hoc puncto diutiùs hæreamus.

Fuerunt Sacramenta in Lege ſcripta.

Duo autem poſſunt nunc in dubium verti: Primum, quot & qualia fuerint ea Sacramenta? Hæc tamen quæſtio exigui momenti nunc eſt, & aliunde omnino incerta; quia cùm Eccleſia nihil penitus de ea re dicat, & in ea Lege fuerint tot ac tam diuerſæ cæremoniæ, ſigna, Sacrificia, &c. non facilè poteſt dignoſci, quæ ex illis habuerint rationem veram Sacramenti, quæ non? Vide Patrem Suarez diſput. 5. ſect. 2. vbi cum Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ea reducit ad tres claſſes; quædam ad conſecrationem Sacerdotum & Pontificum, quæ fuerint ſigna noſtri ordinis; alia ad recognitionem beneficiorum Dei, vt fuit agnus Paſchalis, qui erat figura ſanctiſſimæ Euchariſtiæ; alia denique ad expiationem & purificationem legalium irregularitatum, quæ fuere ſigna Sacramenti Pœnitentiæ. Præter hæc autem fuit Circumciſio ad remedium originalis in figuram noſtri Baptiſmatis. Vbi vlteriùs benè addit (excepta Circumciſione) illa non fuiſſe ad ſalutem neceſſaria

Digitized by Google

ſaria neceſſitate medij, quia non cauſabant gratiam; neceſſitate verò præcepti fuiſſe neceſſaria iuxta modum quo Lex obligabat in his aut illis occaſionibus ad eorum Sacramentorum vſum.

An Circumciſio cauſauerit gratiam, & peccatum originale remiſerit.

Alterum & præcipuum dubium eſt, Vtrùm per Sacramentum Circumciſionis fuerit tunc temporis gratia cauſata, & originale remiſſum; an verò in alium præcisè finem fuerit inſtituta. De hac quæſtione fuſiſſimè agit Pater Suarez diſp. 5. ſect. 1. dum de fine ac inſtitutione Circumciſionis, & diſput. 10. agens de inefficacia Circumciſionis & veterum Sacramentorum ad cauſandam gratiam: agit item ea de re Vaſquez. 1. 2. diſput. 184. & Cardinalis Lugo diſp. 5. per totam; quæ eſt ſatis longa: apud quos multi alij videri poſſunt.

SECTIO I.

Status quæſtionis magis declaratur, & fundamenta ſententiæ negantis proponuntur.

2 *Sententia negans Circumciſioni remiſſionem originalis.*

QVÆSTIO hæc, vtpote vnicè pendens à voluntate Dei, qui haud dubiè potuit eam vim remittendi peccatum tribuere Circumciſioni, potuit è contrario omnino illam negare, vnicè etiam eſt decidenda ex auctoritate; quia verò (vt ſtatim videbimus) auctoritas eſt in hac parte valdè dubia, eò quòd multi affirment, multi negent, procurandum erit ei parti adhærere, quæ maiori auctoritatis pondere fulcitur. Aduertendum autem, quæri duo in præſenti poſſe: Primum, an illud remedium, quod diximus ad expurgationem originalis fuiſſe in Lege naturæ, manſerit etiam poſt Legem datam, ideoque potuerit Iudæis applicari, ſiue interim Circumciſio habuerit eam vim, ſiue non; an verò illud mutatum fuerit à Deo in ipſam Circumciſionem, vt fuerit hæc omnino neceſſaria, ſaltem pro maſculis Iudæis, in remedium originalis? Dico *ſaltem pro Iudæis*, quia etiam verti in dubium poteſt, Vtrùm debuerint aliarum gentium infantes, vt ab originali mundarentur, circumcidi? Denique in dubium verti poteſt, an Circumciſio fuerit ordinariè coniuncta cum applicatione eius remedij Legis naturæ; ac proinde licet non ratione ſui, ſaltem ratione remedij adiuncti gratiam cauſauerit & originalis remiſſionem. Hæc enim omnia diſtincta ſunt, & debent vt talia decidi. Hoc poſito;

Videtur omnino certum pro aliis, qui non erant ex ſexu Hebræorum, perſeueraſſe adhuc remedium illud, quod fuerat in Lege naturæ vniuerſale ad omnes nationes. Conueniunt in hoc ferè omnes. Et ratio eſt clara, quia mandatum Circumciſionis non extendebatur niſi ad ſolos Hebræos ex ſemine Abrahæ per Iacob, nec tenebantur alij, qui Deum verum adorabant, circumcidi. Si ergo ad ſalutem neceſſaria non fuit Circumciſio, relictum ſanè eſt aliis populis remedium, vt infantes ſuos poſſent liberare à peccato, ſicut fuerat ante promulgatam Legem Circumciſionis; quia non eſt credendum Deum tunc magis excluſiſſe infantes totius orbis, exceptis Iudæis, à ſalute quàm ante Circumciſionem.

Mandatum Circumciſionis ad ſolos Hebræos extendebatur.

3 Hinc Secundò certum videtur, ſiue quia pro Iudæis illud antiquum remedium erat coarctatum ad Circumciſionem, ſiue quia poterant Iudæi non minùs per Circumciſionem quàm per quodcumque aliud ſignum proteſtari ſuam Fidem; certum inquam videtur potuiſſe tunc per Circumciſionem ſaltem, vt per medium Legis naturæ, remitti originale, & cauſari gratiam. In quo puncto omnes debent conuenire quicumque admittunt, remedium Legis naturæ contra originale fuiſſe verum Sacramentum, & vt tale ad eam remiſſionem originalis neceſſarium. Quæ doctrina ponderanda valdè eſt pro dicendis infrà circa teſtimonia Patrum negantium Circumciſioni cauſalitatem gratiæ.

Status quæſtionis elucidatur.

Vbi rurſus ponderandum eſt, aliud eſſe quærere, An pro Iudæis ritus ille Circumciſionis fuerit neceſſarius ad remiſſionem originalis in infantibus, ita vt in ea conferretur gratia, & ſine illa non; aliud verò quærere, Vtrùm fuerit ſimul neceſſaria Fides ipſius circumcidentis: quæ duo minùs videntur à nonnullis diſtingui.

Tertiò vlteriùs eſt obſeruandum, nouam iterùm poſſe moueri quæſtionem, Vtrùm, dato quòd Fides fuerit neceſſaria ſimul cum externo cultu, dicendum ſit tunc gratiam reſpondiſſe Fidei interiori vt cauſæ, ipſi verò externo ritui Circumciſionis tanquam conditioni: hoc enim ad modum loquendi videtur pertinere, vt dicam inferiùs. Quidquid verò ſit, an ea ſit quæſtio de voce, eſt certè omnino diſtincta ab ea quam iam tractamus; quia, vt dixi, ſolùm inquirimus, an debuerint interuenire ille exterior ritus ad cauſalitatem gratiæ. In quo puncto, vt infrà etiam notabo, minùs diſtinctè nonnulli Scholaſtici procedunt. His ergo ſuppoſitis.

Circa præcipuum dubium, Vtrùm ea Circumciſio fuerit neceſſaria & vtilis ſiue per modum conditionis, ſiue alio modo ad remiſſionem originalis in paruulis, videtur eſſe ſententia multorum ex antiquioribus Patribus (quorum loca fusè refert Suarez diſput. ea 5. ſect. 1. & poſt illum Vaſquez ac Cardinalis Lugo ſuprà) negantium omnino Circumciſioni vim cauſandi gratiam. Ita Iuſtinus Martyr Dialogo contra Triphonem, vbi ea ratione oſtendit Circumciſionem non fuiſſe in ſalutem, quia non applicabatur feminis; quidquid autem erat pro ſalute, debebat eſſe commune etiam pro feminis; ait autem ibi Scripturas cogere ad ita ſentiendum. Irenæus lib. 4. cap. 3. in eandem ſententiam loquitur, Epiphanius hæreſi 30. Ambroſius in cap. 4. ad Romanos ait: *Non ergo Circumciſio aliquid habet dignitatis, ſed ſignum eſt tantùm.* Chryſoſtomus Homilia 27. in Geneſim, Theodoretus, Theophilactus, & Oecumenius ſupra illa verba ad Romanos 2. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues*, Tertullianus libro Contra Iudæos, Cyprianus lib. 1. Contra Iudæos. Vide Bellarminum lib. 2. de Sacramentis cap. 15. & Suarium ſuprà, vbi multos alios inuenies. Oſtendi autem hoc ipſum poteſt ex Philone & Ioſepho, qui cùm vtilitates Circumciſionis eiuſque cauſas proſecuti ſint fusè, nihil tamen de ea remiſſione peccati dixerunt. Secundò principaliter confirmatur ea ſententia ex ſacra Scriptura & Conciliis: ex Scriptura quidem, quia Paulus videtur expreſſè ſæpè, ad Romanos 3. & 4. 1. ad Corinth. 7. ad Galatas 4. non aliam in Circumciſione vtilitatem agnoſcere, quàm quòd occaſione

4 *Circumciſioni vtilitas ad remiſſionem originalis à Patribus negatur.*

Digitized by Google

ſione illius conceſſa eſſent Iudæis eloquia Dei, &c. ex Conciliis verò; nam in Seſſione vltima Florentinum abſolutè definit, antiqua Sacramenta non cauſaſſe, ſed figuraſſe gratiam cauſandam per noſtra: quam definitionem videtur Tridentinum approbare tacitè Seſſione 7. can. 2. dum damnat illos, qui dixerint noſtra Sacramenta ab antiquis ſolùm differre, eò quòd ſint diuerſi ritus: hunc autem canonem putat Bellarminus fuiſſe editum contra Lutherum, qui aſſerebat non differre noſtra ab antiquis in vi cauſatiua gratiæ. Denique congruentiæ pro hac doctrina ſunt hæ: Prima, quam ex Iuſtino tetigimus, quòd remedium contra originale debet eſſe commune etiam feminis. Secunda, quòd Circumciſio ante octauum diem non poterat applicari; & tamen non erant tunc infantes qui moriebantur incapaces remedij. Tertia, quia aliæ nationes poterant iuſtificari per remedium Legis naturæ; ergo etiam Iudæi; quia non erat illud remedium apud ipſos reuocatum. Denique cùm per quadraginta ferè annos in deſerto nullus fuerit circumciſus, non eſt credendum omnes eo tempore natos caruiſſe remedio contra originale; ergo Circumciſio non erat requiſita tunc etiam pro Iudæis in remedium originalis.

5 Pro hac ſententia ex Scholaſticis citatur Diuus Thomas tum à Vaſquez, tum à Cardinale Lugo & aliis hìc quæſt. 62. art. 6. ad 3. & quæſt. 70. artic. 4. Ego tamen miror Diuum Thomam pro ea adduci; nam licet illa quæſtione 62. articulo 2. ad 3. dicat; *Et ideò meliùs dicendum videtur, quòd Circumciſio, ſicut & alia Sacramenta veteris Legis, erat ſolum ſignum Fidei iuſtificantis*; quibus verbis negare videtur per eam fuiſſe datam gratiam; ſtatim tamen addit; *Et ideò in Circumciſione conferebatur gratia, in quantum erat ſignum paſſionis Christi futuræ vt infrà.* Ecce iam admittit per Circumciſionem gratiam datam, etiamſi ad explicandum modum, quo illa dabatur, recurrat ad rationem ſigni paſſionis Chriſti: id quod pertinet ad alteram quæſtionem, de qua paulò pòſt. Infra verò quæſt. 70. artic. 4. in corpore, adeò clarè tradit cauſalitatem gratiæ in Circumciſione, vt de eius mente nec dubitari quidem poſſit. Vbi ſimul maximum robur adfert ei ſententiæ affirmanti, dum addit ab omnibus ſentiri, quòd in Circumciſione remittebatur peccatum originale; ergo, iuxta Diuum Thomam, eo tempore ſententia communis erat inter Scholaſticos, Circumciſionem fuiſſe vtilem ad eam remiſſionem. Deinde cùm reieciſſet varias ſententias Scholaſticorum, qui dicebant in Circumciſione vel remitti originale ſine gratia, vel infundi gratiam, non tamen quoad effectus omnes illius, tandem concludit in hæc verba; *Et ideò dicendum, quòd in Circumciſione conferebatur gratia quantum ad omnes effectus gratiæ, aliter tamen quàm in Baptiſmo. Nam in Baptiſmo confertur gratia ex virtute ipſius Baptiſmi, in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti iam perfectæ; in Circumciſione autem conferebatur gratia non ex virtute Circumciſionis, ſed ex virtute Fidei paſſionis Chriſti; ita ſcilicet, quòd homo, qui accipiebat Circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem Fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro paruulis.* Ecce Diuus Thomas expreſſiſſimè eam cauſalitatem gratiæ admittit, eſto dicat ad eam fuiſſe neceſſariam profeſſionem illam exteriorem Fidei. Vnde cùm in tertio argumento obieciſſet id quod & nos ſuprà tetigimus de quadraginta annis, quibus in deſerto non ſunt circumciſi, an ſcilicet fuerint iuſtificati illi infantes, nequaquam reſpondit; (id quod neceſſariò vel inuitus debuiſſet reſpondere, ſi fuiſſet in ea ſententia pro qua citatur;) non inquam reſpondit, Circumciſionem non fuiſſe neceſſariam ad originalis remiſſionem, vti non erat in feminis, &c. ſed, ſuffeciſſe Fidem parentum interiorem purè, vel cum aliquo externo ſigno à Circumciſione independenti: quæ omnia poterant in deſerto applicari. Nihil horum dicit Sanctus Doctor; *Sed quòd nullus ex circumciſis natis eo tempore fuit mortuus; quòd ſi aliqui ſint mortui, idem dicendum de illis, quod de his qui ante inſtitutam Circumciſionem ſunt mortui.* Nec ſcio quomodo clariùs potuerit aſſerere neceſſitatem Circumciſionis ad originalis remiſſionem: vnde vix capio, quomodo ex hoc loco citetur pro opinione negante. Quidquid verò 6 de Diuo Thoma ſit, eam ſententiam negantem tenet Pater Vaſquez ſuprà, licet non ſatis ſuam mentem declaret; nam abſoluè docet in Circumciſione datam fuiſſe gratiam, ob fidem tamen circumcidentis; non declarat autem, an neceſſaria fuerit ad effectum ipſa Circumciſio exterior néce. Nam ſi neceſſaria fuit Circumciſio, iam conuenit cum Auguſtino & aliis qui tenent ſecundam ſententiam; ſi verò dicit Circumciſionem ipſam non fuiſſe neceſſariam, non video quomodo queat abſoluiè aſſerere, in Circumciſione fuiſſe gratiam datam; nam quo fundamento ille diuinare poterit, parentes non habuiſſe actum illum interiorem Fidei vnquam, niſi quando circumcidebant? vnde vlteriùs fit eum non poſſe reſpondere Patribus, qui abſoluiè dicunt in ea fuiſſe datam gratiam. Stat pro ea etiam Cardinalis Bellarminus Tomo 2. lib. 2. de Sacramentis à cap. 14. vbi tamen meo iudicio non ſatis quæſtionem diſtinxit; ex vna enim parte ſolùm videtur velle probare non datam gratiam per Circumciſionem ex opere operato ſine autem capitis 13. ſupponit datam quidem gratiam dependenter à Circumciſione, eam tamen gratiam non reſpondiſſe Circumciſioni, niſi vt conditioni: non explicat autem, quomodo dari gratiam dependenter ab ea conditione, non ſit dari eam ex opere operato. Deinde, quod grauius eſt, capitibus ſequentibus ita adducit loca Patrum & Conciliorum, vt planè eis intendat probare, non fuiſſe vllo modo datam gratiam per Circumciſionem, nec quidem per modum conditionis. Vbi confundit Catholicorum & hæreticorum ſententias, quas tamen anteà meritò diſtinxerat; & proptereà dixi ſuprà, non ſatis diſtinctè in hac quæſtione etiam aliquos Scholaſticos proceſſiſſe. Citantur etiam alij pro eadem ſententia, qui fortè non loquuntur in ſenſu iam à nobis intento.

D. Thomas non benè citatur pro ea ſententia à Vaſquez & Card. Lugo.

Admittit in Circumciſione cauſalitatem gratiæ.

Vaſquez in hac opinione ſecum pugnat.

Card. Bellarminus eam defendit, ſed non ſatis diſtinctè.

Digitized by Google

SECTIO II.

Sententia affirmans.

7 *Tribuis Circumciſioni cauſalitatem gratiæ ſanctus Auguſt.*

STAT pro illa D. Auguſtinus variis in locis; vt lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 17. lib. 2. de Peccato originali cap. 30. & 31. lib. 4. de Baptiſmo contra Donatum cap. 23. & 24. & in aliis locis ſæpè; imò id conatur oſtendere ex ſacra Scriptura Geneſis 17. nam ad verba illa, *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur*, addit ipſe ex Septuaginta Interpretibus *octauo die*: vnde colligit intelligi debere de pueris qui octauo die circumcidebantur: cúmque illis Deus comminetur pœnam niſi circumcidantur, debet id intelligi de pœna quæ debeatur originali. Hanc probationem non cenſent efficacem Vaſquez, Cardinalis Lugo, & alij, quia non ſequitur Vulgatam; & quia poteſt etiam addito, τὸ *octauo die* intelligi ille locus de pœna mortis temporalis, aut ſeparationis à populo illo. Nihilominùs negari nequit, illationem D. Auguſtini eſſe valdè efficacem, quia (vt notauit optimè Pater Suarez ea diſp. 5. ſect. 1.) illa lectio Septuaginta retenta eſt in editione noua iuſſu Sixti V. fact; cumque nullo modo ſit contraria editioni Vulgatæ, ſed potiùs illam explicet, non videtur poſſe facilè illa comminatio ad ſolos adultos coarctari. Quidquid verò de ea additione ſit, certè verba illa, *Maſculus, cuius*, &c. vniuerſalia ſunt & indefinita, ac proinde debent etiam ad infantes extendi, ſine timidè ad adultos ſe extendant: ſicut in ſimili caſu Chriſti Domini verba Ioan. 3. *Niſi qui renatus fuerit*, &c. comprehendunt non ſolùm adultos, ſed etiam infantes: maximè autem id vrgetur; nam in Geneſi, poſtquam dictum fuit, *Infans octo dierum circumcidetur in vobis; eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*; ſtatim additur, *Maſculus, cuius præputij*, &c. quo oſtenditur manifeſtè comprehendi ibi etiam infantes, nec poſſe probabiliter ad ſolos adultos eam comminationem coarctari. Hinc autem vlteriùs infertur, verba illa, *Delebitur anima illa de populo ſuo*, debere intelligi non de pœna huius vitæ, quia infantes non circumciſi eam non merebantur, cùm non peccaſſent; & tunc potiùs eſſent puniendi parentes tanquam negligentes mandatum Dei quàm ipſi infantes; ergo debet intelligi de pœna exterminationis à libro vitæ. Sæpè enim in veteri Teſtamento cùm moriebantur iuſti, dicebantur apponi ad populum ſuum, vel ad cœtum Sanctorum: ita Geneſ. 25. 35. & 49.

Quidquid repugnent Vaſquez & Cardin. Lugo.

8 Confirmatur tota hæc expoſitio; quia (vt notarunt Burgenſis ad citatum locum Geneſ. 17. & Gloſſa ordinaria) nunquam Hebræi intellexerunt impoſitam ibi pœnam mortis temporalis aut paruulis incircumciſis aut adultis non circumcidentibus; neque eſt inuenire exemplum, quòd ea de cauſa fuerit vllus mortis pœna punitus, aut legaliter ſeparatus, ſiue excommunicatus; ergo intelligendus eſt ille locus de alia pœna: non ob culpam in non-Circumciſione commiſſam; quia infantes non eam habebant, ſed ob peccatum in Adamo commiſſum, & non deletum per cæremoniam illam, quam Deus ipſe conſtituerat illis pro neceſſario remedio ad eam remiſſionem; vt dicitur in Lege gratiæ: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire*, &c.

Dices: In adultis ea Circumciſio non cauſabat gratiam; ergo non erat illis neceſſaria ad vitam æternam; ergo ſi ea comminatio comprehendit etiam adultos, non poteſt de æterna pœna, ſed de temporali intelligi. *Replica.* Reſpondeo, Idem argumentum ferè in ſimili poſſe fieri contra verba proximè ponderata de Baptiſmo, *Niſi quis renatus*, &c. nam certiſſimum eſt adultos, iuſtificatos per actum contritionis ante Baptiſmum, non poſſe per Baptiſmum obtinere remiſſionem originalis; & tamen ea verba etiam extendantur ad illos; ergo. Reſpondeo abſolute. *Soluitur.* Reſpectu adultorum illa verba intelligi etiam de pœna æterna; quia vel adhuc non ſupponebantur in gratia, & tunc iuſtificari non poterant, niſi circumciderentur, vel haberent votum Circumciſionis: vel erant iam in gratia, & tunc ne ab ea exciderent tranſgrediendo præcepta, debebant circumcidi; ac proinde meritò etiam ad illos extenditur comminatio illa excluſionis à libro æternæ vitæ. Ex quibus omnibus conſtat expoſitionem hanc, quæ etiam eſt Eucherij lib. 2. in Geneſ. cap. 24. eſſe valdè efficacem pro hac ſententia, ac proinde hanc doctrinam ſatis eſſe in Scripturis fundatam, etſi non ſit de Fide.

9 *S. Auguſtin. accedunt Gregorius, Bernardus, Cyprianus, & alij.*

Auguſtino in doctrina ſubſcribit manifeſtè Gregorius Magnus 4. Moral. cap. 2. vbi ait apud eos, qui de ſtirpe Abrahæ prodierunt, idem effeciſſe prò remiſſione peccati myſterium Circumciſionis, quod apud nos efficit aqua Baptiſmi. Eodem modo loquitur Bernardus Sermone 2. de Aſſumptione, item Cyprianus, ſeu Auctor de Cardinalibus Chriſti operibus, cap. de Circumciſione, Ambroſius, ſeu Proſper, qui dicitur eſſe Auctor Epiſtolæ 84. idem Proſper lib. de Promiſſione Dei 1. Par. cap. 14. Iſidorus lib. in Geneſ. cap. 13. Rupertus Abbas lib. 5. de Operibus Trinitatis, in Geneſ. cap. 33. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis Par. 6. cap. 3. Clariſſimè autem id docuit Beda hom. in cap. 2. Lucæ ad Euangelium in die Circumciſionis; vbi ait idem omnino effeciſſe Circumciſionem quoad ſalutiferum auxilium contra peccati originalis vulnus, quod iam efficit Baptiſmus; niſi quòd tunc nondum erant apertæ portæ cœli. Ac denique eam ſententiam vt ex mente Patrum tradidit Magiſter in 4. diſtinct. 1. etſi addat ibi aliquid quod non poteſt cum veritate ſubſiſtere. Vides ergo meritò dixiſſe D. Thomam ſuprà, hanc ſententiam ab omnibus teneri? Eandem vt omnino certam ſuppoſuit Innocentius Papa Tertius in cap. *Maiores*, de Baptiſmo: vbi etſi id non definiat, quia de ea re non agebat ex propoſito, ita tamen ait: *Quoniam etſi originalis culpa remittebatur per Circumciſionis myſterium*, &c. Ex Scholaſticis (pauciſſimis exceptis) ferè omnes pro illa ſtant, vt videre eſt apud citatos, maximè apud Tannerum diſput. 4. quæſt. 3. dub. 5. à num. 144. quam ego etiam iudico omnino defendendam. Rationes pro illa adduci non poſſunt, quia res eſt facti (vt ſuprà notaui) pendens à ſola Dei voluntate: illa tamen congruentia eſt valdè probabilis, quam Diuus Thomas tetigit tum quæſt. 62. art. 5. ad 2. tum quæſt. 70. art. 4. ad 2. quòd ſcilicet ſub Lege, quando iam erat populus magis coniunctus in vnam religionem, oportuit vt magis eſſet determinatum

Sacra

Sacramentum quàm ante Legem; ac proinde probabiliſſimum eſt Deum ſignum illud, quod anteà erat ad placitum hominum, determinaſſe ad ipſam Circumciſionem pro Iudæis, aut proinde illam vtilem & neceſſariam fuiſſe pro paruulis iuſtificandis.

SECTIO III.

Examinatur breuiter quædam media ſententia.

Suarez ſententiam mediam proponit:

10 PATER Suarez ea diſputatione 5. ſect. 1. quamdam ſententiam proponit, quam etſi non omnino ſequatur, non tamen ab ea abhorret; ea autem eſt, Circumciſionem potuiſſe eſſe vtilem ad remiſſionem originalis, ſi tamen priùs infanti non erat applicatum remedium Legis naturæ: nam ipſa Circumciſio erat etiam ſignum externum proteſtatiuum Fidei; ac proinde parentes, in quorum voluntate poſitum erat eligere ſignum quod vellent, potuerunt haud dubiè eligere Circumciſionem pro ea proteſtatione: quòd ſi ante Circumciſionem applicuiſſent, vt poterant, aliud ſignum, iam Circumciſio non videbatur vtilis. Hanc doctrinam libenter amplexus eſt Cardinalis Lugo, vt vtrique ſententiæ aliquid tribueret: placuerunt enim etiam illi verba hæc eiuſdem Patris Suarez ea ſectione 1. *Vtraque iſtarum ſententiarum tanto auctoritatis pondere & tam probabilibus nititur fundamentis, vt noſtri muneris eſſe videatur, neutrum, ſi fieri poteſt, reiicere, ſed vtrique aliquid concedere.* Vnde addit Cardinalis Lugo, Conabimur Patres & Concilia in vnam & eandem ſententiam reuocare: quam reuocationem in vnum ex integro poſuit Suarez; qui tamen re maturè ponderata addidit non eſſe ſufficientem pro Auguſtino & aliis. Igitur idem Suarez ſectione 1. §. *Rurſus verò*, circa medium, & Cardinalis Lugo ſuprà docent Iudæos diſtuliſſe, ordinariè loquendo, remedium Legis naturæ vſque ad diem Circumciſionis, eaque vnica cæremonia ſatisfeciſſe vtrique obligationi, præcepto ſcilicet Circumciſionis & ſaluti infantis; ita vt ſi antè voluiſſent applicare remedium Legis naturæ, antè etiam iuſtificaretur infans. Iuxta hanc ergo ſententiam Circumciſio nullam penitus habuit ex ſua inſtitutione vim iuſtificandi aut tollendi originale, ſed ſolùm data eſt in ſignum & characterem populi Iudaici; videturque id neceſſariò dicendum ad ſaluanda teſtimonia Patrum & Conciliorum: cum quo tamen (inquiunt) optimè ſtat, quòd in Circumciſione & per Circumciſionem paruuli iuſtificarentur regulariter, quia vna eademque actione ſatisfiebat præcepto Circumciſionis, & applicabatur remedium Legis naturæ: per quam ſecundam partem putant ſe ſatisfacere alteri opinioni tribuenti Circumciſioni peccati originalis remiſſionem.

Eam tenet Cardinalis Lugo.

11 Suarez eo citato loco poſt poſitam hanc ſententiam fundamentum vnum vel alterum, quod amplexus eſt Cardinalis Lugo, addit. Vt dixi, hæc ſententia videtur claritatem quamdam & probabilitatem præ ſe ferre; verum tamen non eſt, iuxta mentem Auguſtini & Innocentij, &c.

Ego verò dico, Suppoſito quòd per remedium Legis naturæ fuerit ablatum originale, non poſſe in dubium verti quin data fuerit gratia in Circumciſione ſaltem hoc modo; ac proinde ſupra dixi certum omnino eſſe, vel hoc modo, vel eo quem ſect. præcedenti poſuimus, fuiſſe gratiam datam.

Hæc ſententia aſſeritur ſine fundamento.

Nunc Secundò dico, aliquantulùm videri in hac doctrina media diuinari ſine fundamento. Si enim poſitum erat in voluntate parentum Iudæorum quocumque ſigno, v.g. benedictione, eleuatione manuum aut alio modo proteſtari ſuam Fidem, & infantem liberare, vt quid quæſo, illi expectaſſent ad octauum diem cum remedio animæ, cùm fieri facillimè poſſet, vt ipſis non aduertentibus infans moreretur repentè, & in perpetuum periret? Cùm ergo huius ſententiæ Auctores nullum penitus habeant argumentum, quo poſitiuè probent eam dilationem, niſi ſolùm, quòd abſolutè potuerit ita fieri; nonne longè meliùs nos diſcurremus, ſi dixerimus, Potuit etiam facilliméè, ſuauiſſimè & longè ſecuriùs illo alio modo fieri ſalus? ergo illo factum eſt. Eo autem ipſo quòd ea dilatio remedij vſque ad octauum diem redditur minùs probabilis, profectò iam nec minimo teſtimonio ex his, quæ in fauorem Circumciſionis allata ſunt, ſatisfacere hi Auctores poterunt. Quid autem quæſo fuiſſet eis naturalius quàm in ipſa lætitia partus accipere in vlnas infantem, & Deo illum offerre? Ecce iam applicatum remedium Legis naturæ; ſi aliqui alij ſumptus faciendi aut graues cæremoniæ fuiſſent neceſſariæ, poſſet fortè cùm aliqua probabilitate dici, eos Iudæos expectaſſe vſque ad octauum diem, vt (ſicut dici ſolet) vna fidelia dealbarentur duos parietes, & laboribus ſumptibuſque parcerent: at cùm per ſolam eleuationem manuum, per ſolas has ſimiléſve voces, *Gratias tibi Deus pro hoc filio ago, illum tibi conſecro*, &c. iam fuiſſent ſecuri de ſalute æterna illius; reuerà non capio, quomodo ſolidè diſcurrendo poſſimus eam dilationem adſtruere. In quo puncto Pater Suarez probabiliùs diſcurrit; nam licet dixerit potuiſſe ita fieri, non tamen aſſeruit ita ſemper factum eſſe apud Iudæos: id quod tamen Cardinalis Lugo ſine dubitatione defendit.

Si oblatio infantium Legis naturæ durauit, ad quid Circumciſio?

Tertiò circa eandem ſententiam dico (id quod ſæpè in aliis mediis viis notaui) Si res diligenter ponderetur, neutri penitus parti fieri ſatis per illam, ac proinde incurri ex integro in vtriuſque oppoſitæ ſententiæ argumenta; dum intendunt vtrique ſatisfacere: id quod nunc clarè oſtendo. Pro quo aduerte hos Auctores dicere, Patres, qui aſſerunt Circumciſionem valuiſſe ad dandam gratiam, locutos in ſenſu materiali, vel non de Circumciſione quatenus talis erat, ſed quatenus erat remedium Legis naturæ, alios verò è contrario Patres, qui dixerunt illam nihil valuiſſe, locutos fuiſſe in ſenſu formali; hoc eſt, illam, quatenus erat Circumciſio, non valuiſſe. Vbi ſtatim noto aliam diuinationem in hac ſolutione; Quomodo enim ſibi quis perſuadebit omnes Patres negantes tenuiſſe eumdem ſenſum formalem, & non aliquando materialem, è contrario verò omnes affirmantes tenuiſſe materialem & non formalem; quandoquidem tam ille ſenſus formalis quàm è contrario materialis, poſſit ex ſe vtriſque propoſitionibus adhiberi, & verò vt infrà dicemus, contextus verborum ſæpè requirat vtrumque ſenſum? 12

Eadem ſententia amplius impugnatur.

Varius ſenſus Sanctorum Patrum de cauſalitate gratiæ in Circumciſione.

Iam ergo oſtendo determinatè nequaquam

Renouatur Patrum citatorum auctoritas, tribuentium cauſalitatẽ Circumciſioni.

ſatisfieri eis Patribus; & verò non ſatisfieri Auguſtino & Innocentio eſt adeò clarum, vt neque in dubium verti poſſit. Nam Auguſtinus & Innocentius non ſolùm dant vtilitatem Circumciſioni, ſed neceſſariam omnino illam dicunt tunc fuiſſe; at hanc neceſſitatem negant hi Auctores medij, & in ordine ad illam non habet locum ſenſus ille materialis & identicus. Ambroſius etiam in ea epiſtola neceſſitatem Circumciſionis ponit. Iſidorus lib. in Geneſ. cap. 13. cùm eodem modo quo Auguſtinus exponat τὸ *Paruulus, cuius, &c. peribit*; profectò neceſſitatem adſtruit. Gregorius item Magnus cum faciat diſtinctionem inter paruulos non-Iudæos & Iudæos, & illis diuerſum remedium, his verò Circumciſionem aſſignet, dubitari non poteſt, manifeſtè eſſe contra hos Auctores, qui æqualiter illud remedium Iudæis & aliis profuiſſe & neceſſarium fuiſſe dicunt. Bernardus item comparans Baptiſmum cum ritu Circumciſionis eamdem neceſſitatem ponit: & idem dico de aliis Patribus; omnes enim neceſſitatem & cauſalitatem per ſe Circumciſionis in remedium illud concedunt. Quidquid verò ſit de voce *neceſſitas*, vrgeo manifeſtè hanc impugnationem ex his quæ paulò antè dixi, quia nec leue eſt in Patribus verbum videre, quo denotent ex Circumciſionis coniunctione cum remedio Legis naturæ eam iuſtificationem eueniſſe; cumque pro libitu ſuo potuiſſent Iudæi antè & poſt ſuos infantes iuſtificare; quòd verò iunxerunt vtrumque, fuerit omnino caſuale; quomodo quæſo illi Patres tam audacter id Circumciſioni ſemper tribuiſſent, niſi quia eam neceſſariam iudicaſſent? aut cur nec ſemel eam poſuerunt limitationem, *Niſi prius applicatum illis fuiſſet remedium Legis naturæ*? De Diuo Thoma non poteſt etiam eſſe ratio dubitandi ob dicta ſuperiùs: idem eſt de Hugone Victorino, de Beda, &c. ergo hi Auctores minimè ſatisfaciunt Patribus affirmantibus.

13

Argumentum à contrario ex Suarez & Cardinalis Lugo ſententia.

Secundò iam oſtendo è contrario minùs ferè ſatisfacere negantibus, quia, in Suarij & Cardinalis Lugo ſententia licet Circumciſio non fuerit neceſſaria, fuit tamen vtilis, & quidem valdè; atqui Patres illi vtilitatem maximè negant, ideoque eam dicunt vacuam, inanem, &c. Reſpondent hi Auctores, Intelligendum id de Circumciſione qua tali, ſeu in ſenſu formali; ſicut poteſt dici, Muſica eſt inutilis ad gratiam cauſandam, cùm tamen, ſi quis cantet abſolutionem, aut formam Baptiſmi, illa muſica ſit vtilis; quia ibi muſica & voces illæ non ſunt quid diſtinctum; voces autem vtiles ſunt ad cauſandam gratiam: ſimiliter, ſi quis ſit ſimul Prorex Neapolitanus & Archiepiſcopus, poteſt dici, Prorex inutilis eſt ad excommunicandum, cùm tamen ille idem qua Archiepiſcopus poſſit excommunicare. His duabus inſtantiis putant ſe rem manifeſtè declarare: quidquid de illis ſit, de quibus ſtatim, ego loco illarum adducam in contrarium mille.

Inſtantia contra inſtantiam.

Etenim eò quòd ego poſſim extinguere disiunctiuè ſitim vel aqua, vel vino, vel cereuiſia, quis quæſo vnquam abſolutè in communi ſermone dixit, Vinum eſt inutile, eſt vacuum elementum, inane, &c. ad extinguendam ſitim? idem dico de carnibus, pane, & aliis cibis: idem dico de oculis; quis enim dixit dextrum oculum eſſe inutilem ad videndum, quantumuis ſine illo poſſim ſiniſtro videre? quis dixit mulum eſſe inutilem ad faciendum iter eò quòd poſſim equo? quis dixit ſericum eſſe inutile ad veſtitum, quia ex panno poſſim indumenta facere? & idem eſt in omnibus omnino rebus quæ non ſunt determinatè requiſitæ ad aliquem effectum, ſed hæc vel illa ſufficit. Cùm ergo in ſententia horum Auctorum ſigna externa proteſtantia Fidem, è quorum numero vnum erat Circumciſio, fuerint potentia ad ſalutem, profectò licet de quolibet meritò dici poſſit, quòd non fuerit neceſſarium, non tamen vllo prorſus modo dici quòd fuerit inutile, vacuum, inane, &c.

Hinc autem facile erit euidenter eas duas inſtantias reiicere; & quidem illa de Vicerege aut Prorege potiùs eſt contra hos Auctores; nam oſtendendo hunc Proregem nequaquam dici poſſet eo caſu, Hic Prorex eſt inutilis ad ferendas leges Eccleſiaſticas, aut ad excommunicandum, ſed potiùs abſolutè & ſimpliciter contrarium eſſe verum; qui autem diceret abſtrahendo ab hoc indiuiduo, *Prorex eſt incapax*, &c. loqueretur iam iuxta ordinariam phraſim, non de hoc qui eſt ſimul Archiepiſcopus, ſed de alio qui purè eſſet Prorex. Argumentor iam hinc manifeſtè: Patres locuti ſunt de indiuiduis, vt ſic dicam, Circumciſionibus, v. g. de Circumciſione Iſaac, de Circumciſione Moyſis, & de omnibus quæ ſunt factæ, illas dicunt non habuiſſe vtilitatem, nec conduxiſſe ad ſalutem, fuiſſe vacuum elementum, &c. hoc autem iuxta hos Auctores eſt planè falſum, quia reuera illæ omnes cauſarunt gratiam, fuere plenæ, &c. 14

Inſtantia Aduerſariorum contra ipſos retorquetur.

Vrgeo id, Si ego dicerem, Mapphæus Barberinus eſt incapax ad excommunicandum, dicerem falſiſſimum, eſto in ſenſu formali qua Mapphæus, niſi eſſet Papa, nihil poſſet.

Declaratur res ſimili.

Et verò hîc habet locum, quod idem Cardinalis dicit ea diſput. 5. num. 26. contra eos, qui Patribus negantibus Circumciſioni vim cauſandi gratiam reſpondent eam Circumciſionem ſolùm fuiſſe conditionem ad gratiam; contra hanc enim reſponſionem argumentatur ille ſic: Si attendamus ſincerè ad verba & mentem Conciliorum & Patrum, aliquid plus videntur intendiſſe; quia quod attinet ad ſuſcipientium vtilitatem, parum etiam refert, quod Circumciſio per modum conditionis, &c. Vnde Florentinum non ſolùm excluſit omnem cauſalitatem phyſicam & moralem ab illis Sacramentis, ſed omnem etiam prorſus vtilitatem. Hæc quæ ibi tradit Cardinalis, eodem modo hic probant contra ipſum, non debuiſſe dari gratiam per Circumciſionem non ſolùm ex neceſſitate, ſed nec materialiter; quia ego etiam dicerem, Per accidens eſt quoad vtilitatem ſuſcipientis, quòd materialiter, vel quòd formaliter cauſauerit gratiam, ſi tamen re ipſa abſolutè eam cauſauit.

Similitudo à muſica refutatur.

Altera inſtantia de muſica etiam non vrget, quia eſto ea muſica ſit vox indiuidua eſſentialiter acuta, grauis, media, &c. homines tamen moraliter apprehendunt muſicam per modum accidentis reſpectu vocis, ac proinde dicunt illud accidens eſſe inutile ad ſalutem. 15

At in Circumciſione iuxta hanc ſententiam aliter ſe res habet; ea enim non apprehenditur vt accidens, ſed apprehenditur vt vna ſpecies, ſeu vt vnum indiuiduum ſignum externum proteſtans Fidem diſtinctumque ab alio etiam ſigno proteſtante Fidem: ſicut panis apprehenditur vt vnum indiuiduum potens ſuſtentare, & apprehenditur

Digitized by Google

prehenditur vt diſtinctum à carne. Vnde ſicut quando quis eligens carnem præ pane, aut è contrario, panem præ carne ad ſuſtentationem, non poteſt dici, quòd nullam vtilitatem habuerit ex eo pane, eſto aliunde potuerit ſe ſuſtentare; ita qui vſus eſt indiuiduo ſigno Circumciſionis loco alterius ſigni, ſi tamen per illud obtinuit ſalutem (vt reuera obtinuit) non poteſt abſolutè dici, nullam vtilitatem habuiſſe ex ea Circumciſione. Adde etiam, in ipſa indiuidua muſica non poſſe abſolutè ſine limitatione denotando eam muſicam dici, Hæc muſica nullam adfert vtilitatem ad ſalutem, ſi ſupponamus per eam dati Baptiſmum aut pœnitentiæ abſolutionem; ergo cùm iam oſtenderim Patres, & Concilia, etiam agentia indiuiduo de ea Circumciſione quæ fuit exercita in Iſaac, Iacob, Moyſe, &c. dixiſſe, eam non habuiſſe vllam vtilitatem; profectò iam eorum propoſitiones non ſunt capaces veritatis abſolutè prolatæ: ſicut falsò aliquis diceret, Hæc muſica non eſt mihi vtilis ad ſalutem. Denique, quidquid ſit de vna aliaue inſtantiola minoris momenti, non eſt ea explicatio in ordinario modo loquendi vſurpata; neque poſſumus omnibus illis Patribus tam violentum modum loquendi tribuere, maximè cùm facillimum in illis fuiſſet ſe declarare vnico verbo, ſi eo ſenſu huius Auctoris fuiſſent locuti. Conſtet ergo, quod ſuprà dixi, neutri parti fieri ſatis per hanc quaſi mediam viam.

Concluditur, per mediam ſententiam neutri parti ſatisfieri.

SECTIO IV.

Reſpondetur argumentis contra noſtram ſententiam.

16 *Variæ reſponſiones ad teſtimonia Patrum examinantur. Prima ſolutio reiecta.*

RESTAT explicare teſtimonia quæ pro parte negante adduximus ſect. 1. Et quidem Cardinalis Lugo refert ſex diuerſas ſolutiones vniuerſales pro omnibus teſtimoniis quas fusè impugnat ſectione 2. & nos breuiſſimè tangemus. Prima eſt, quòd Patres & Concilia loquantur de ſolis Sacramentis Legis ſcriptæ; Circumciſio autem ſit Legis naturæ ſub Abrahamo inſtituta. Verùm cùm Patres & Paulus loquantur expreſsè de Circumciſione, non poteſt ea ſolutio vniuerſaliter habere locum.

Reiicitur ſecunda.

Secundò alij differentiam conſtituunt in eo, quòd noſtra Sacramenta cauſent phyſicè gratiam, antiqua verò ſolùm moraliter. Verum & hæc falſum ſupponit; (de quo infrà;) & eo dato non eſt ad rem; quia eo ipſo quòd moraliter cauſauerit gratiam; non poteſt dici inutilis, vacua, &c. Vnde eſto noſtra opera in gratiâ facta ſolùm moraliter ſint cauſa augmenti gratiæ, non poſſunt dici vacua, inania, &c.

Tertia ſolutio.

Tertiò alij dicunt Circumciſionem non fuiſſe cauſam nec quidem moralem, ſed ſolùm conditionem ſine qua non, noſtra verò Sacramenta eſſe cauſas morales; vel (vt alij dicunt) Circumciſionem non continuiſſe gratiam, ſicut eam continent noſtra Sacramenta, quæ ſunt actiones Chriſti. Hanc ſolutionem reiicit Cardinalis Lugo verbis quæ ſectione præcedenti retulimus, & in ipſum retorſimus, hîc tamen habent locum; ait ergo in ordine ad Patrum intentum, & ad explicandam inanitatem & vacuitatem Circumciſionis, parum eſſe quòd per modum conditionis, vel per modum cauſæ attulerit gratiam. Verùm hic Auctor, quidquid ſic de explicatione Patrum, relabitur in eandem ſolutionem; nam cùm expreſsè dicat, ſaltem aliquando, & tanquam remedium legis naturæ, per Circumciſionem fuiſſe cauſatam gratiam; debet explicare, quomodo illud remedium dicatur vacuum, &c. hoc autem ipſe ſolùm explicat per eam cauſalitatem quam iam reiicit.

Impugnatio Cardinalis Lugo reiicitur.

Quartò alij dicunt in Circumciſione fuiſſe datam gratiam, non propter illam, ſed propter actum Fidei qui in eo interueniebat: pro quo magis explicando recurrunt hi ad præuiſionem Dei per ſcientiam mediam, & ad neſcio quas determinationes circa has numero Circumciſiones; vti in ſimili agentes de conſtitutiuo Sacramenti diximus ab iiſdem Recentioribus limitatam electionem Dei ad has numero intentiones præuiſas per ſcientiam mediam. Non eſt animus contra hos iterùm agere, quia ex terminis apparet eos abuti illa ſcientia media, & ſine neceſſitate negare, inſtitutionem Dei ſe extendiſſe ad omnes Circumciſiones, ſi ponerentur; hoc ergo puncto nunc reſpecto inde reuincitur doctrina, quia ſiue ob Fidem circumcidentis data fuerit gratia, ſiue ob Circumciſionem; profectò ſi hæc fuit neceſſaria vt daretur ea gratia, non videtur poſſe dici inutilis, vacua, &c. vt à Paulo & Patribus dicitur. 17

Quarta ſolutio.

Vnde etiam reiiciuntur illi, qui Quintò differentiam in eo conſtituunt, quòd noſtra Sacramenta cauſent gratiam ex opere operato, antiqua verò ex opere operantis, vel ratione Fidei circumcidentis: id quod maximè defendit Bellarminus; reiiciuntur inquam, quia ſi (vt immediatè diximus) ipſa actualis Circumciſio erat neceſſaria ad effectus illos gratiæ, minùs benè diceretur egena, vacua, inutilis, &c. ſiue interim ex opere operato, ſiue ex opere operantis ſit dicenda concurriſſe.

Quinta ſolutio item Bellarmini differentia inter noſtra & antiqua Sacramenta reiicitur.

Sextò alij putant Circumciſionem non fuiſſe primariò inſtitutam pro remedio originalis, ſed ad diſtinctionem populi Iudaici, ideoque dici vacuum elementum. Sed & hæc reiicitur, quia ſi habebat eam vtilitatem iuſtificandi, vndecumque ea illi prouenieſſet, ſiue ex primaria inſtitutione, ſiue ex ſecundaria; profectò iam non poterat dici egenum vacuumque inſtrumentum, ſed valdè vtile & neceſſarium.

Sexta ſolutio.

Hæ ſunt ſolutiones quæ adhibentur communiter. Mihi res facilior videtur, ſi diligenter inſpiciamus mentem Apoſtoli Pauli dum de Circumciſione locutus eſt; inde enim quid ipſe intenderit tradere ad rem noſtram clarè colligetur; explicabuntur etiam Patres & Concilia, quæ maximè videntur imitata locutionem Apoſtoli. Pro quo ſuppono Paulum maiori ex parte feciſſe comparationem inter Iudæos & inter incircumciſos, ideoque dixiſſe, *Quid amplius habet? quid amplius valet Circumciſio?* dixiſſe item, *Apud Deum eiuſdem rationis fuiſſe & Iudæum & Gentilem, Græcum & Barbarum.* Quibus verbis haud dubiè Apoſtolus non intendit è contrario docere, Circumciſionem fuiſſe minoris vtilitatis quàm præputium; ſed purè putè docet non fuiſſe maioris in ordine ad ſalutem; ſed ſolùm fuiſſe vtiliorem in ordine ad traditionem eloquiorum Dei. Vnde infero, Vti non negauit Paulus illis verbis Gentibus ſeu præputio remedium contra originale peccatum in paruulis, ita nec negaſſe Circumciſionem apud Iudæos habuiſſe 18

Examinatur Pauli mens de Circumciſione.

Galat. 5 & 6.

Rom 10.

buiſſe eam vim, ſed ſolùm docuiſſe, Iudæos circumciſos nihil habere quod gloriarentur, & quod alios contemnerent, &c. niſi ratione eloquiorum ſibi traditorum; quia quidquid ipſi per Circumciſionem habere poterant pro ſalute æterna, alij habere etiam poterant per præputium. Vnde ad mentem Iudæorum, quia in Circumciſione quà tali, & vt diuerſa à præputio, putabant eſſe magnam vtilitatem pro ſalute, meritò potuit dicere Paulus eam eſſe egenum vacuumque inſtrumentum, & nullam habuiſſe vtilitatem: etſi enim aliquam haberet, non tamen ita, vt Gentes non circumciſæ non haberent eandem: vti ſi quis gloriaretur; quaſi in ſola ſua patria eſſet vinum, & ſola ea patria ad ferendas vuas haberet vim, meritò illi ſoli dici poſſet; *Quid gloriaris, aut quid te iactas? tua patria quà talis, & vt à reliquis diuerſa, nullam habet vtilitatem; quia nihil ſpeciale affert, quod æqualiter aliæ non afferant.* Certum enim eſt materiam gloriandi coram aliis proprie eſſe aliquid in quo excedit alios: in eo enim, quo eſt omnibus aliis par, nemo gloriatur: nemo enim coram aliis gloriatur ſe eſſe hominem, quia & illi ſunt; at gloriatur ſe eſſe nobiliorem, doctiorem, &c. Meritò ergo Apoſtolus in ordine ad eam vaniſſimam Iudæorum gloriationem dixit Circumciſionem nihil eſſe, vacuam eſſe; quia licet haberet vtilitates, illæ tamen non erant materia gloriationis; quia eaſdem vtilitates habebat præputium; ac proinde vt erat ritus diuerſus, nullam omnino habebat vtilitatem, ſed vt erat Sacramentum commune cum Sacramento aliorum; per quod tamen negatur illi ea vtilitas, quæ alteri Sacramento conueniebat.

Et explicatur.

19 Hæc mihi videtur eſſe genuina Pauli explicatio, quia, vt dixi, maximè agit de comparatione cum præputio, & de occaſione gloriationis apud Iudæos; vt illa verba denotant: *Quid amplius eſt? Multum per omnem modum, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Non dixit, *Quid habet Circumciſio*; ſed dixit, *Quid amplius habeo quàm præputium?* ergo non negat, vt dixi, vtilitatem communem; nec abſolutè vacuam dicit, ſed præ aliis nihil plus illam habuiſſe. Et quoad Paulum ſatis. Iam hinc dico, multos ex Patribus citatis pro ſententia negante in eodem planè ſenſu locutos, & non niſi omnem ſpecialem vtilitatem præputio negaſſe. Addo Secundò, aliquos ex illis locutos de Circumciſione vt collata Abrahamo iam adulto; nos autem dicimus adultis eam non contuliſſe gratiam, ſed infantibus. Ita Iuſtinus Martyr primo loco citatus: locus item eiuſdem, quo dicit Deum dediſſe Circumciſionem non vt conſummatricem iuſtitiæ, ſed in ſignum, non eſt ad rem; quia ſenſus illius videtur eſſe longè alius; hoc eſt, Deus non dedit Circumciſionem, quaſi illa conſtitueret conſummatum ſtatum iuſtitiæ: adhuc enim ex illa aſcendendum erat ad altiorem ſtatum, id eſt noſtrum gratiæ. Solus Chryſoſtomus videtur explicationem non pati; at eius auctoritas non præponderat Auguſtino & aliis, quos pro noſtra ſententia in contrarium adduximus.

Rom. 3.

Circumciſio infantibus contulit gratiam, non adultis. Ita Iuſtinus.

Ad Concilium Florentinum dicimus, illud vniuerſaliter locutum de omnibus Sacramentis antiquis, ideoque meritiſſimè dixiſſe, illa à noſtris in hoc differre, quòd noſtra gratiam cauſent, illa verò non: etenim noſtra omnia omnino eam cauſant, illa verò omnia non cauſabant, ſed vnum tantùm ex illis, & hoc quidem in ſolis infantibus. Et verò hanc ſolutionem tenentur adhibere huic loco omnes, etiam Aduerſarij (vno excepto Patre Vaſquez;) quia cùm omnes admittant illud remedium, quod fuit in Lege naturæ pro peccato originali, fuiſſe verum ac proprium Sacramentum, & perſeueraſſe in Lege ſcripta, caſu quo Circumciſio ad id dicatur valorem nullum habuiſſe; profectò ſub illa vniuerſali aſſertione, *Sacramenta antiqua*, etiam includebatur Sacramentum illud in Lege quidem naturæ inſtitutum, durans tamen ad Legem ſcriptam. Cùm ergo Florentinum non loquatur in particulari de Circumciſione, ſed de omnibus Sacramentis antiquis, videtur negaſſe etiam illud Sacramentum à Circumciſione diſtinctum cauſaſſe gratiam. Iam autem dixi hoc eſſe contrarium his omnibus Auctoribus; oportet ergo vt illi obiectioni omnes reſpondeant, Concilium non de vno illo Sacramento, ſed de tota aggregatione locutum: & idem dico de Tridentino.

Explicatur Concilium Florentinum.

Quod de Philone & Ioſepho dicitur non vrget, quia illi loquebantur inter Gentiles, qui bus materia peccati originalis nota non erat; ideò noluerunt eam ſpecialem vtilitatem tradere. Fortaſſe etiam Deus iam eam exiguam notitiam, quæ anteà fuerat in Iudæis de peccato originali & remedio illius ſiue per Circumciſionem, ſiue per aliud Sacramentum, abſtulerat ab eis. Denique auctoritas negatiua non multum vrget in præſenti. 20

Explicantur locutiones Philoni & Ioſephi.

Ad rationes, ſeu congruentias, quæ pro contraria ſententia adducuntur, facillimè reſpondeo vno verbo, Fruſtrà rationibus agi in iis quæ Deus pro ſuo libitu potuit hoc vel illo modo diſponere. Speciatim tamen dico, Vti Deus Circumciſionem pro ſolis viris inſtituit, ita etiam voluiſſe vt per illam illi ſoli iuſtificarentur; pro feminis verò reliquiſſe remedium Legis naturæ: eodem modo reſpondendum eſt ad alteram rationem de his qui non erant ex ſemine Abrahæ. Ad tertiam, quòd ante octauam diem non poterant circumcidi, vnde qui ante illam diem moriebantur, videbantur excluſi à ſalute, reſpondent nonnulli, in caſu neceſſitatis potuiſſe citiùs circumcidi. Sed quidquid ſit de hac ſolutione, quæ fortaſſe inde habet difficultatem, quòd tunc per Circumciſionem, vtpote ſatis grauem, acceleraretur potiùs mors infanti, ideoque minùs eſſet adhibenda, faciliùs reſpondetur, potuiſſe tunc applicari remedium Legis naturæ. Ad hiſtoriam de his qui per quadraginta annos in deſerto non ſunt circumciſi ſufficit reſponſio Diui Thomæ, quòd nullus ex illis fuerit mortuus ante Circumciſionem; quia ſoli illi, qui vſus rationis capaces exierunt ex Ægypto, mortui ſunt in deſerto. Fortaſſe etiam diſpenſauit cum illis Deus, vt vterentur remedio Legis naturæ, vti in caſu neceſſitatis. Concludo ergo, longè probabilius eſſe per Circumciſionem datam fuiſſe gratiam infantibus: de adultis, cùm non habeamus vllum fundamentum id aſſerendi, ſatiùs negatur. Et ſatis de tota hac quæſtione.

Reſpondetur rationibus & congruentiis pro contraria ſententia allatis.

Ad delictum originale in feminis fuit remedium Legis naturæ.

Concluditur, infantibus datam gratiam per Circumciſionem, non verò adultis.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO V.

Vtrùm in Lege gratiæ debuerint eſſe Sacramenta; & quot illa ſint?

21 DVpliciter poteſt vſurpari verbum illud *debuerint*; vel vt denotet neceſſitatem ſimpliciter ac abſolutè, quaſi aliud non potuerit Deus facere quàm Sacramenta inſtituere; aut quaſi homo non potuerit redimi niſi per illa; & in hoc ſenſu certum videtur eſſe, non fuiſſe vllum debitum circa exiſtentiam Sacramentorum etiam in Lege gratiæ, quia data iam redemptione per Chriſtum potuit Deus nobis perfectiſſimè eam applicare ſine vllis Sacramentis, præcisè dando nobis auxilia gratiæ ad benè operandum, & gratiam ſupernaturalem per opera, nullo inſtituto Sacramento conferente gratiam ex opere operato. Aliter ergò *τὸ debuerint eſſe Sacramenta* vſurpatur pro decentia, conuenientia & vtilitate. In quo ſenſu etiam eſt extra controuerſiam, debuiſſe eſſe Sacramenta in Lege gratiæ: ſunt enim illa honeſtiſſima, ſunt conuenientiſſima, ſunt vtiliſſima: de quo non eſt neceſſum nobis ex propoſito agere, quia res eſt inter Catholicos omnino certa. Sunt enim & actiones in cultum & laudem Dei inſtitutæ, ideóque honeſtiſſimæ ſunt, vtiliſſimæ ratione gratiæ quam in nobis cauſant: de qua infrà. Variæ rationes congruentiæ congeruntur in præſenti quæ videri poſſunt apud Suarez, Vaſquez & Cardinalem Lugo. Circa excellentiam verò noſtrorum Sacramentorum ſupra antiqua non eſt cur immoremur, cùm antiqua ſolùm fuerint vmbra noſtrorum, & verò (excepta Circumciſione) nullum ex eis cauſauerit gratiam; quam tamen omnia noſtra cauſant in excellenti gradu: de quo infrà. Alias excellentias inuenies congeſtas apud Patrem Suarez diſput. 6. ſect. 2.

Abſolutè non fuerunt neceſſaria Sacramenta in Lege gratiæ.

Conuenientiſſimè tamen ſunt inſtituta.

De numero verò noſtrorum Sacramentorum conſtat ex Conciliis contra hæreticos huius temporis ea eſſe ſeptem; quæ ſpecialiter ſuis in locis explicanda erunt. Poteſt tamen in contrarium obiici; Sumptio Euchariſtiæ eſt Sacramentum, & quidem diſtinctum ab ipſa Euchariſtia; ergo ſunt octo Sacramenta. Hæretici, qui Euchariſtiam in vſu conſtituunt, dicent illum ſolùm ſignificari nomine Euchariſtiæ; ſed quia Tridentinum Seſſione 13. cap. 4. definiuit, poſt conſecrationem dari verum Sacramentum, obiectio habet difficultatem. Aliqui Catholici negant ſumptionem eſſe Sacramentum, ne cogantur admittere octo. Sed hoc ipſum obiectio intendit. Vnde oportet dare rationem, cur negatur antecedens, vel diſtinguere conſequens. Vrgeo; nam ſi hæc ratio quidquam valeret, probaret ſpecies vini conſecratas non eſſe Sacramentum; quia Tridentinum de hoſtia in Altari ſeruata loquens dicit eſſe Sacramentum, eſto ibi non ſint ſpecies vini: ergò ex eo modo loquendi Concilij nihil infertur de ſumptione.

Obiectio contra ſeptenarium numerum Sacramentorum ab Euchariſtia.

Pro reſponſione aduerto, duo diſtincta poſſe in præſenti controuerti: vnum, An ſumptio ſit partiale Sacramentum, ſeu pars integralis aut eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ? alterum, An ita ſit Sacramentum, vt ſit omnino diſtinctum à Sacramento ex ſpeciebus & Chriſto ſub eis contento reſultante, ita vt efficiat numerum octauum Sacramentorum? Primum punctum non pertinet huc, ſed infra in materia de Euchariſtia diſcutitur; quia nunc præcisè quærimus, Vtrùm ſint octo Sacramenta inter ſe diſtincta? Vtrùm autem aliquod illorum habeat partes integrantes, in quarum qualibet ſaluetur denominatio eius Sacramenti? non ſpectat huc. Vnde obiter reſpondetur obiectioni alteri, quæ ex Sacramento Ordinis poterat deſumi, in quo ſunt minimùm tria partialia Sacramenta, Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus; quæ tamen vnum ſimpliciter conſtituunt Sacramentum Ordinis. Dixi minimùm eſſe tria, quia iam non diſputo, An quatuor minores Ordines & prima tonſura ſint vera Sacramenta; (de quo infra;) ſi enim dicamus eſſe, reſpondendum eſt vti de Diaconatu & Subdiaconatu immediatè diximus eſſe partes integrales. Et hæc circa primum dubium.

Explicatur difficultas;

A ſimili de Ordinibus.

Secundum dubium, An ita ſumptio ſit Sacramentum vt conſtituat planè diſtinctum Sacramentum à reliquis ſeptem, ideoque ſint octo Sacramenta, pertinet magis propriè huc; quia tamen infrà probaturi ſumus in materia de Euchariſtia omnino illum vſum eſſe etiam extra rationem Sacramenti, nolo hac de re fuſiùs hic agere. Illud breuiter dico, Etſi fortaſſe poſſint excogitari aliquæ rationes probabiles, vt dicamus illam eſſe partem integrantem Sacramenti ex ſpeciebus conſecratis conſtituti, ſeu quod ex ſpeciebus & ſumptione conſtituatur vnum Sacramentum Euchariſtiæ; vt tamen dicatur conſtituere diuerſum planè Sacramentum, nullum eſſe fundamentum, cum ea ſumptio non niſi ratione ſpecierum cauſet gratiam, eamque ſignificet: ac proinde non poſſet omnino diuerſum Sacramentum conſtituere. Sed de hoc me vide infrà, vbi etiam agemus, quo pacto binæ ſpecies conſtituant idem Sacramentum.

DISPVTATIO DECIMA.

De cauſalitate morali noſtrorum Sacramentorum in gratiam.

SVBSECTIO I.

Quædam ſupponuntur.

PRIMO, à Theologis agnoſci duplicem modum cauſandi gratiam; vnus eſt ex opere operato, alter ex opere operantis. Quomodo autem inter ſe duo hi modi cauſandi differant, diſputant fusè Auctores. Res autem eſt meo iudicio facilis. Gratiam ergo cauſari ex opere operato dicunt aliqui eſſe, eam dari à Deo ad præſentiam alicuius operis, non qua eſt meritorium aut bonum in ſe; ſed planè independenter ab ea bonitate. Vti de facto datur gratia puero dum baptizatur propter actionem illa Baptiſmi, non qua in ſe eſt bona & meritoria; nam puer tunc nullius meriti eſt capax; ex par-

Quid ſit gratiam cauſari ex opere operato:

te autem baptizantis non requiritur etiam vllum meritum; datur ergo ad præſentiam illius Baptiſmi vt puræ conditionis, id eſt, ex opere operato: dari verò ex opere operantis eſt dari ratione bonitatis & valoris ipſius operis, quod dicitur cauſaſſe gratiam. Vt quando quis elicit actum charitatis condignum gratia vt ſex, & ea illi infunditur, datur gratia illa ex opere operantis. Ita Vaſquez, & Cardinalis Lugo illa diſput. 3. hîc verò diſput. 4. ſect. 1. Hæc explicatio valdè eſt probabilis, includitque ea omnia quæ de facto dicuntur cauſare gratiam ex opere operato, & ex opere operantis. Fortaſſe tamen aliquis non minori cum probabilitate aſſereret non eſſe contra rationem cauſalitatis ex opere operato, quòd requirat aliquam bonitatem in opere ipſo. Nam ſi Deus conſtituiſſet ob merita Christi Domini dare nobis duplo plus de gratia quàm meremur per opera ſupernaturalia: actus amoris v. g. dignificatus gratia meretur gratiæ augmentum vt ſex, ſi voluiſſet Deus intuitu meritorum Christi addere alios ſex; profectò iure merito dici poſſent illi ſex gradus vltimi nobis dari ex opere operato, & tamen per ſe illi penderent à bonitate operis. Vnde fortaſſe clariùs & vniuerſaliùs dicetur id dari ex opere operato, quod datur ſupra totum meritum operantis. Dico *ſupra totum*, vt excludam meritum etiam congruum. Sed res hæc ferè tota eſt de voce. Quod dixi de merito, debet etiam de ſatisfactione intelligi, hoc eſt, eam eſſe ex opere operato, quæ eſt ſupra omne meritum; illam ex opere operantis, quæ reſpondet merito.

Quid ex opere operantis.

Decidetur vniuerſaliùs, quid ſit dari gratiam ex opere operato.

2 Dices; Ergo quando alter mihi applicat ſuam ſatisfactionem, dicar ergo ex opere operato ſatisfacere; ſicut quando lucror Indulgentias dicor acquirere eas ex opere operato. Reſpondent aliqui negando conſequentiam, quia in hoc modo loquendi attenditur ad vltimum opus, ob quod res confertur, quando ſcilicet illud non eſt bonum, ſiue quando non requiritur vt ſit bonum, tunc res dicitur dari ex opere operato; quando verò debet eſſe bonum, dicitur ex opere operantis. Cùm ergo, quando alter mihi applicat ieiunium v. g. ſuum, illud ſit opus vltimum, ob quod mihi conceditur eius ſatisfactio, & illud opus verè mereatur eam remiſſionem pœnæ, non dicitur tunc abſolutè ea remiſſio ex opere operato, ſed ex opere operantis. Probabilis ſolutio, fortaſſe tamen poſſet concedi conſequentia; quia revera reſpectu mei non eſt ex opere operantis; quòd enim alter habuerit meritum condignum, nequaquam obeſt; nam etiam in Sacramentis, per quæ nobis confertur gratia ex opere operato, intelligimus merita Christi, quæ haud dubiè ſunt condigna, & plus quàm condigna gratiæ. Et verò Theologi in eo modo loquendi nihil aliud videntur attendiſſe, quàm vt ei, cui datur gratia, detur vltra id quod exigit opus ipſius meritorium ſiue de congruo, ſiue de condigno; hoc autem reperitur omnino in ea ſatisfactione alterius mihi applicata. Sed iam dixi totum hoc ad ſolum modum loquendi ſpectare, & explicatis terminis non poſſe eſſe vllum de re dubium.

An ſatisfactio cauſet gratiam ex opere operato.

3 Hac occaſione quæri poteſt, Vtrùm martyrium ſit dicendum conferre gratiam ex opere operato. Qui putant contra donationem ex opere operato eſſe, ſi detur ob meritum, ſeu ob bonum opus operantis, eſto ſit ſupra exigentiam illius, non poſſunt hîc admittere opus operatum, niſi dicant propter ipſam actualem mortem, quæ in ſe nullum habet meritum, vltra voluntatem interiorem dari aliquos gradus gratiæ; qui alioquin non darentur, ſi non fuiſſet ſecuta re ipſa ea exterior mors. reſpectu enim huius augmenti rectiſſimè dicetur mors illa cauſa ex opere operato: illud enim augmentum non reſpondet vlli prorſus merito. Et ita cenſet Cardinalis Lugo diſput. 4. ſect. 1. Ego quidem hanc ſolutionem ſufficientiſſimam iudico, ſi verum ſit dari eam maiorem gratiam propter exteriorem tolerantiam mortis, ſeu ictus lethalis, prout ad exterius martyrium requiritur; quia tamen ipſam gratiæ collationem fortè verteret quis in dubium, Vtrùm illa detur ipſo momento, quo vltimò homo ſe liberè diſponit ad mortem, an verò in inſtanti, quo lethalem accipit ictum; ideò ea doctrina non eſt omnino certa. Nihilominùs dico abſolutè probabiliùs eſſe eam dari; nam ſi homo ſit ſolùm attritus, eſto habeat voluntatem tolerandi martyrium, non remitteretur illi peccatum, ſi re ipſa non ſequatur martyrium; ſi verò ſequatur, remittetur: ergo illa gratia tunc ei conceſſa pependit ab opere illo externo, quod, vt iam ſupponimus, nullum penitus addit meritum: ſi autem illi datur gratia eo caſu, profectò etiam dabitur illi qui anteà erat in gratia, quia non eſt peioris conditionis quàm alter qui peccato ſupponebatur; ergo ſemper dabitur; ac proinde ſemper dabitur non ob bonum opus liberum interius, ſed ob actionem externam, quæ omnis omnino noui meriti eſt incapax.

An martyrium conferat gratiam ex opere operato.

Mens Card. Lugo ſub conditione approbatur.

Martyrium cauſat gratiam ex opere operato.

Addo tamen Primò iuxta doctrinam eorum Auctorum, de quibus paulò antè, cùm ea gratia ſaltem inadæquatè pendeat à bono opere, non debere dici purè ex opere operato; vel certè debuiſſet alio modo explicari opus operatum, non tam per excluſionem boni operis meritorij, quàm per hoc, quòd non detur ea gratia ſolùm ob bonum opus, ſed etiam ob indifferens, aut etiam aliquando ob exterius malum. Verùm hoc vltimum ad modum potiùs loquendi ſpectat. Et ſatis de explicatione operis operati & operantis. 4

Secundò contra hæreticos huius temporis variè delirantes circa finem, ob quem noſtra Sacramenta ſunt inſtituta, ac re ipſa propriam cauſalitatem gratiæ illis negantes, ſupponendum eſt, per ea verè cauſari gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. Ita ſenſit ſemper Catholica Eccleſia, quæ ſaltem quoad aliqua Sacramenta id deduxit ex Scriptura; nam de Baptiſmo dicitur, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Vbi manifeſtè inſinuatur, remiſſionem peccatorum, ac proinde gratiam, ſine qua nunquam de facto remittuntur peccata, concedi per actionem ipſam Baptiſmi, adeóque illam actionem, etiam vt condiſtinctam ab interiori diſpoſitione, eſſe cauſam gratiæ: id quod etiam clarè docuit Paulus Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* idem etiam habet Tit. 3. & Petrus 1. Epiſt. c. 3. & Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum*, & Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Ad quæ teſtimonia multa ex ſanctis Patribus congerun

Per Sacramenta cauſatur gratia ex opere operato.

De Baptiſmo probatur Ioan. 3. Epheſ. 5. & alijs locis.

geruntur, quæ apud Controuerſiſtas videri poſſunt.

5 *Obiectio.*

Fortaſſe tamen aliquis obiiceret, ea nihil probare de cauſalitate Sacramentorum in gratiam, ſed præciſè hæc eſſe neceſſaria neceſſitate præcepti ad ſalutem; vti dici iure optimo poteſt: *niſi quis ceſſauerit fornicari, peierare*, &c. *ſaluus non erit*; non tamen propterea infertur, Eam ceſſationem eſſe cauſam gratiæ, cùm fieri optimè poſſit, vt quis omittat ea peccata mortalia per actum venialiter peccaminoſum, aut certè per indifferentem, ideóque nullo modo cauſantem gratiam.

Soluitur. Primò,

Reſpondeo Primò, Etſi fortè in ea loca, quæ præciſè dicunt, *Niſi quis renatus*, &c. videri poſſit cadere ea ſolutio; alia tamen, quæ poſitiuè aſſerunt dari per Baptiſmum remiſſionem peccatorum, homines per illum mundari, &c. qualia ſunt citata proximè ex Paulo & ex Actis Apoſtolorum, non poſſe de illa ſola neceſſitate præcepti explicari, ſed neceſſariò debere de cauſalitate in gratiam intelligi.

Secundò.

Reſpondeo Secundò, Illud ipſum verbum Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, denotare per aquam homines renaſci, ac proinde illam etiam concurrere ad natiuitatem illam ſpiritualem vtique per gratiam; nam per Baptiſmum non renaſcitur homo corpore.

Obiectio aliter occurritur.

Secundò adhuc dices, Eſto de Baptiſmo id probetur, de aliis tamen Sacramentis nihil dici in Scriptura. Aliqui ea loca pro Baptiſmo adducentes ſuprà ſupponunt eandem eſſe rationem de aliis Sacramentis. Ego tamen non capio, quomodo ea conſequentia inferatur vi Scripturæ, cùm nullibi in ea dictum ſit, Baptiſmum non eſſe alio modo cauſantem gratiam quàm alia Sacramenta, vt oportuiſſet dici, ad inferendam eam conſequentiam ex Scriptura à Baptiſmo ad alia Sacramenta; maximè cùm de aliquibus Sacramentis, de Matrimonio v. g. nihil in ſacra Scriptura habeatur, quòd ſit Sacramentum; non ergo ea loca, quæ pro Baptiſmo adducuntur, ſufficientia ſunt pro ea conſequentia; ſed ſpecialiter id eſt aliis teſtimoniis

6 perſuadendum.

Vbi institutio Sacramentorum probatur.

Adduci ergo ſingulariter poſſunt nonnulla, quibus aliorum Sacramentorum inſtitutio probatur; vt pro Confirmatione ex Actis Apoſtolorum in diuerſis capitibus: *Imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum ſanctum*: de Ordinibus Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata*, &c. de Euchariſtia multa ſunt loca: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*: de Pœnitentia clariſſimè ex illis locis: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. pro Extrema Vnctione illud Iacobi 5. *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* (Ioann. 6.)

Pro matrimonij institutione stat definitio Ecclesiæ.

Pro Matrimonio ex ſacra Scriptura non poteſt id ſuaderi; ſufficiat tamen definitio Eccleſiæ in Florentino, in decreto Eugenij & Leonis X. in Bulla contra Lutherum, & Tridentini Seſſione 7. can. 4. Vide Bellarminum lib. 2. de Sacramentis in genere à cap. 3. Suarium diſput. 7. ſect. 1. Valentiam Tomo 4. diſput. 3. quæſt. 3. puncto 2. & alios Controuerſiſtas, qui rem hanc fusè & eruditè tractant. Nobis hæc ſufficiat tetigiſſe.

7 *Obiectio hæreticorum de neceſſitate Fidei ad ſalutem.*

Contra hanc veritatem obiiciunt hæretici aliqua loca, quibus dicitur Fides neceſſaria ad ſalutem; alia, quibus ſola Fides dicitur ſufficere ad ſalutem. Verùm priora ea loca non ſunt ad rem, quia non dicimus poſſe ſine Fide adultos ſaluari; at quomodo quæſo ex neceſſitate Fidei infertur, non poſſe per Sacramenta gratiam conferri? Poſteriora item loca minùs vrgent. Nam eſto daremus hæreticis, ſolam Fidem ſufficere ad ſalutem, non continuò inferretur, Ergo Sacramenta non poſſunt ex ſupererogatione conferre gratiam, ſeu augere illam; quòd verò ſola Fides non ſufficiat; ſed & bona opera, & Baptiſmus, & pœnitentiæ Sacramentum in relapſis neceſſaria ſint ad ſalutem, non eſt huius loci; aliunde id ſupponimus vt omnino certum.

Obiectio eorumdem de cæremoniis Catholicorũ.

Secundò obiiciunt, hanc eſſe iuſtitiam Phariſæorum, quæ in cæremoniis ſolis poſita erat. Reſpondemus negando ſuppoſitum; non enim in cæremoniis ſolis iuſtitiam ponimus, ſed in illis ſimul cum diſpoſitionibus aliis: ſi loquamur de adultis. Quòd verò in paruulis Baptiſmus ſolus ſine diſpoſitione vlla illorum ſufficiat, ortum eſt à ſapientiſſima miſericordiſſimi Dei prouidentia; ne illa ætas careret omni remedio ad ſalutem; & vt quæ ſine propria voluntate peccauerat, ſine propria ſaluaretur. Adde, quando reprehenditur iuſtitia Phariſæorum, id ea tantùm ratione fieri, quòd illi negligebant obſeruationem præceptorum naturalium, quæ ſine dubio erat maioris momenti, & confugiebant ad ſolas illas cæremonias; & hoc eſt quod illis obiiciebat Chriſtus Dominus: *Væ vobis qui decimatis mentham*, &c. At Catholici nequaquam dicunt ita Sacramenta cauſare gratiam, vt negligere liceat alia præcepta, & opera bona; ſed dicimus vtrumque requiri. (Matth. 23. Lucæ. 11.)

8 *Argumentum eorumdem à Circumciſionis ineffica ad Baptiſmi inefficaciam.*

Tertiò obiiciunt, à Paulo negari Circumciſioni, cui ſucceſſit Baptiſmus, virtutem conferendi gratiam; & aſſeri, eam ſolùm fuiſſe ſignum ad exercendam Fidem. Reſpondeo, Et antecedens eſſe falſum; nec enim id Paulus docet, de quo egimus ſuprà; & conſequentiam eſſe nullam; quia eſto id negatur Circumciſioni, non valet ad Baptiſmum inde conſequentia, cùm Circumciſio fuerit Baptiſmi ſignum, & imperfecta figura; ac proinde Baptiſmus debeat eſſe maioris virtutis. De Circumciſione non habemus teſtimonia in ſacra Scriptura, quòd cauſaret gratiam; habemus autem ea de Baptiſmo: malè ergo ex illa ad hunc diſcurritur.

Obiectio à Dei ſolius poteſtate.

Quartò obiiciunt, ſolum Deum liberare poſſe conſcientiam, & cauſare gratiam; ergo Sacramenta nihil poſſunt. Reſpondeo, Deum ſolum, vt cauſam donantem principalem (fortè etiam phyſicè loquendo) ſolum poſſe gratiam cauſare; per hoc tamen non prohiberi, quò minùs ipſe vtatur Sacramentis vt inſtrumentis moralibus, ſeu impetratione ex parte Chriſti iuxta ea quæ inferiùs dicemus, ſiue vt conditionibus, ſine quibus poſitis non voluit dare gratiam. Id quod manifeſtè oſtenditur ad hominem contra ipſos hæreticos; nam quantumuis ſolius Dei ſit dare gratiam, ſaltem ipſi admittunt eam per Fidem cauſari: ſicuti ergo eis licet non obſtante omnipotentia Dei tribuere iuſtificationem omnem Fidei; liceat nobis etiam tribuere Sacramentis & aliis operibus cauſalitatem aliquam gratiæ.

9 *Explicantur, Patres citati ab hæreticis.*

Ex huius ſolutionis doctrina reſpondendum etiam eſt aliquibus teſtimoniis Patrum, allatis ab hæreticis ad probandum ſolum Deum dare gratiam; vt ex Hieronymo ad verba illa Matthæi 3. *Ego baptizo in aqua*; ex Auguſtino lib. 83. Quæſt. quæſt. 53. ex Ambroſio Epiſt. 34. ad Demetr. & ex Cypriano lib. de Baptiſmo

Chriſti; reſpondendum inquam eſt, eos Partes non aliud dicere, quàm quòd ſolus Deus ſit cauſa principalis gratiæ, & in eius ſolius poteſtate ſit eam dare; per quod tamen nequaquam infertur, eum non potuiſſe exigere ad eam concedendam hanc vel illam actionem Sacramentalem, qua poſita infallibiliter eam conferat.

Replica ex S. Auguſtino ſoluitur. Replicabis: Auguſtinus ibi docet, Deum ſine media cauſa illuminare animas; ergo etiam excludit cauſalitatem Sacramentorum. Reſpondeo, Auguſtinum non negare, Deum aliquando illuminare animas mediis creationis, cum certiſſimum ſit, mediis Apoſtolis, maximè ſancto Paulo, illuminaſſe mundum; ait ergo, aliquando id ſolum facere. Deinde intelligi poteſt facilè de illuminatione ipſa quaſi proxima, nam ipſe ſolus dat auxilia, infundit inſpirationes ſupernaturales, &c. Et de veritate hac Catholica in genere ſatis.

Duplex genus cauſæ, phyſicū & morale. His ſuppoſitis, difficultas præſens inter Catholicos eſt circa modum, quo ea gratia a Sacramentis cauſetur. Pro quo Tertiò ſuppſonendum, duplex eſſe genus cauſæ, vnum phyſicum earum, quæ per ſe immediatè producunt effectum; vt Deus creaturas, Sol lucem, calor calorem: aliud morale earum, quæ obiectiuè media ſui cognitione alliciunt voluntatem ad faciendum aliquid; v. g. conſilium, exhortatio, qua Petrum moueo vt hoc aut illud faciat, eſt cauſa moralis operis a Petro deinde facti. Vbi aduerte, à nonnullis diſputari in præſenti, Vtrùm cauſa moralis ſit verè cauſa. Verùm id ad ſolum modum loquendi ſpectat; certum illud de re eſſe debet, cauſam moralem inducere ad operandum, hoc dicitur communiter vera cauſa ab omnibus: inde paſſim dicimus, Ille eſt cauſa mortis Ioannis v. g. qui mandauit vt occideretur. Imò in communi modo loquendi frequentiùs vſurpamus hanc vocem *cauſa* pro cauſa morali, quàm pro phyſica.

10 *Moralis cauſa duplex.* Moralis cauſa rurſus eſt duplex: alia, quæ per complacentiam in ſua bonitate iam exiſtente allicit voluntatem ad faciendum aliquid, v. g. egregium facinus militis mouens Regem ad præmiandum illum: alia, quæ ex bonitate apprehenſa vt poſſibili mouet ad procurandam ipſius exiſtentiam; quo pacto ægrotus ex bonitate apprehenſa in ſanitate poſſibili mouetur ad illam procurandam. Hoc poſito, inquirimus An Sacramenta ſint cauſæ phyſicæ gratiæ, an verò morales primo tantùm modo; ſcilicet, an vt exiſtentia ex bonitate in ipſis cognita Deum alliciant ad conferendam gratiam.

Non eſt animus occaſione cauſalitatis moralis hîc totam materiam de actibus liberis diuinis tractare, vt nonnulli faciunt ad explicandum quo pactò cum identitate actuum liberorum Dei inter ſe & cum improducibilitate ipſorum cohæreat, Sacramenta propriè & realiter eſſe cauſam moralem, ſeu per complacentiam ſui mouere Deum ad volendum dare gratiam: hoc enim nō habet ſpecialem difficultatem in Sacramentis, quam in bonis operibus iuſtorum & Chriſti Domini; quæ vt cauſæ morales mouent etiam Deum ad dandum præmium, & è contrario iii peccatis

Quid intelligatur per moralem motionem. ad puniendum. Per hanc enim realem moralem motionem nil intelligimus aliud, quàm Deum ab æterno videntem extituram prò ſua diſferentia temporis bonitatem moralem Sacramentorum, in ipſa ſibi complacuiſſe, & ex hac complacentia habuiſſe voluntatem dandi nobis gratiam; ſicut ex complacentia in ſui bonitate inclinatur ad habendem voluntatem producendi mundum propter ſemetipſum tanquam propter finem. Neque enim eſt animus totam etiam difficultatem de productione Spiritus ſancti ex materia de Trinitate huc violenter trahere, vt explicetur, quo pacto Spiritus ſanctus non ſit cauſa moralis ad productionem ſui ipſius: neque enim Spiritus ſanctus vt cognitus iam exiſtens propter complacentiam in bonitate ipſius mouet Deum ad dandum præmium aliquod ab ipſo Spiritu dictum, quo pacto Sacramenta mouent ad gratiam; & de qua ſola motione nobis in præſenti diſputandum. Tandem, nec diſputare intendo, an Chriſtus per verba conſecrationis ſit cauſa phyſica vel moralis ſui ipſius; quia hîc ſolùm agimus de cauſalitate Sacramentorum in gratiam; Chriſtus autem Dominus in ſe non eſt gratia, ſed pars Sacramenti cauſans ipſam gratiam habitualem: non oportet autem arrepta quacumque etiam leuiſſima occaſione paſſim omnes mordere materias, relinquam propriis locis has difficultates, & ad noſtram quæſtionem deſcendo.

SECTIO II.

Noſtra Sacramenta ſunt cauſa moralis gratiæ.

IN hanc ſententiam vnanimiter conſentiunt Doctores, Molina 1 p. q. 45. diſput. 2. Vaſquez hîc diſp. 184. cap. 3. Suarez diſp. 9. ſect. 2. ante ſecundam ſententiam, Coninck quæſt. 66. art. 4. dub. 1. Ratione probatur à nonnullis, 11
quia ſi Sacramenta non cauſant moraliter gratiam, explicari non poteſt, quomodo Baptiſmus v. g. fictè ſuſceptus in peccato cauſet poſteà recedente fictione gratiam; quia cùm tunc non exiſtat iam phyſicè, non poteſt phyſicè operari; ergo debet moraliter gratiam cauſare. Nec ſufficit, ſi reſpondeatur, à Baptiſmo fictè ſuſcepto relinqui qualitatem, quæ poſteà phyſicè cauſet gratiam: hoc inquam non ſufficit; nam Baptiſmus ſolùm producit characterem qui non eſt productiuus phyſicè gratiæ; vt omnes fatentur.

Ratio aliquorum Theologorum pro hac ſententia refutatur. Non putarem vllo modo argumentum hoc eſſe ſufficiens; Primò, quia non eſt omnino certum, à Baptiſmo conferri gratiam recedente fictione. Secundò, ſolùm inde infertur, Baptiſmum in eo caſu moraliter producere gratiam, non verò quando recipitur ſine obice, ſeu fictione; & nec vniuerſaliter probat de aliis Sacramentis: quæſtio autem præſens eſt vniuerſalis ad omnia. Alij eam ſententiam Secundò probant, quia gratiæ actuales, illuminationes, & inſpirationes, quæ cauſantur à Sacramentis, non cauſantur eo tempore quo Sacramenta exiſtunt phyſicè, ſed poſtea occurrentibus occaſionibus; ergo eas gratias moraliter tantùm cauſat Sacramentum; ergo idem de habituali gratia dicendum erit. Reſpondeo, Hanc conſequentiam vltimam non eſſe bonam. Nam quoad gratias actuales ratio cogit ponere cauſalitatem moralem; quoad gratiam autem habitualem poteſt poni phyſica, ergo.

Probatio Coninck ex modis loquendi Patrum non ſatisfacit. Pater Coninck concluſionem probat ex Patrum locutionibus, quibus dicitur aqua lauare nos exteriùs, non verò interiùs; ergo Patres negant

Digitized by Google

negant aquæ cauſalitatem phyſicam gratiæ quà interiùs abluimur. Miror hoc argumentum pro cauſalitate morali fieri, cùm in eo videatur abſolutè negari omnis cauſalitas aquæ in gratiam; nam ſi vel ſolùm moraliter gratia nos abluit, ſimpliciter abluit: iam enim oſtendi ſupra in communi modo loquendi, eos effectus propriiſſimè alicui attribui qui ab eo procedunt moraliter; omnes ergo tenemur eis locis reſpondere, ac dicere, Patres ſolùm negaſſe aquæ virtutem ex ſe ad tollendum peccatum; non autem voluiſſe docere, nec quidem inſtrumentaliter, ſiue phyſicè, ſiue moraliter aſſumi eam ad depellendum originale. Adde, hunc locum magis directè eſſe ad negandam cauſalitatem phyſicam, quàm ad adſtruendam moralem.

12 Melius ergo cum eodem Coninck probatur concluſio, quia Patres & Concilia, quando dicunt Sacramenta cauſare gratiam, eodem modo videntur loqui de verbis ac de materia Sacramenti, & è contrario; atqui ſi Sacramenta non moraliter, ſed ſolùm phyſicè cauſent gratiam, vix poſſunt eiuſmodi locutiones verificari. Nam frequenter vel verba abſoluuntur phyſicè ante applicationem materiæ; vel hæc fit ante finem verborum; & moraliter ferè eſt impoſſibile vt in eodem inſtanti temporis terminetur actio exterior & verba; ergo non poteſt niſi in aliquo caſu valdè accidentali phyſicè cauſari gratia à verbis & ſimul à rebus, quæ ſunt duæ partes eſſentialis Sacramenti: nam gratia non cauſatur niſi in vltimò inſtanti, quo Sacramentum totum perficitur; ergo Patres, qui, non attendendo ad Mathematicam ſimultaneitatem verborum & rerum, abſolutè docent tam à rebus quàm à verbis gratiam produci, non poſſunt de productione phyſica, ſed de morali explicari. Confirmatur, quia non poſſunt Sacramenta phyſicè operari niſi ad ſummum per vltimum indiuiſibile verborum; nam quouſque proferatur verbum vltimum, aut vltima littera, non cauſatur gratia; tunc autem non exiſtunt cæteræ partes, quæ eo ipſo non poſſunt phyſicè gratiam cauſare: videtur autem planè extra mentem Patrum agentium de cauſalitate noſtrorum Sacramentorum in gratiam, dicere eos ſolùm voluiſſe, punctum indiuiſibile in Baptiſmo cauſaſſe gratiam; debent ergo explicari de cauſalitate morali, quæ poteſt ad totam materiam & omnes verborum partes extendi, etiamſi omnes non exiſtant ſimul. Nam ad cauſalitatem moralem non requiritur exiſtentia phyſica cauſæ. Denique ſtatuta explicatione communi cauſæ moralis, quam ſuprà poſuimus, quòd ſcilicet media ſui cognitione moueat moraliter agens liberum, negari non poteſt Sacramentis cauſalitas moralis in gratiam. Nam ſiue Deus ſe ſolo gratiam phyſicè producat, ſiue aſſumat ſimul eadem Sacramenta vt inſtrumentum phyſicum, vt cum eis producat gratiam, certiſſimum debet eſſe, ad id non moueri Deum niſi ex prouiſione eorundem Sacramentorum exiſtentium.

Altera Coninck probatio ex Patribus & Conciliis ſoluitur.

Quando Sacramenta cauſent gratiam.

13 Dices; Ergo eodem modo ignis v. g. erit etiam cauſa moralis calefactionis id quod videtur abſurdum. Sequela probatur, quia etiam oportet à Deo prouideri ignem applicatum ad hoc, vt velit cum illo concurrere ad calefactionem. Reſpondeo negando ſequelam. Diſparitas eſt facilis, quia ignis eſt phyſicè connexus cum calefactione, ideoque phyſicè determinat omnipotentiam Dei ad concurrendum. Vnde ſuppoſita voluntate generali Dei de concurrendo cum ſecundis cauſis naturaliter, independenter à volitione noua ipſius Dei, ſequitur calefactio. Scio aliquem Auctorem modernum in omni cauſalitate naturali admittere aliquid de morali ob rationem in obiectione inſinuatam. Verùm id vel ad modum loquendi reducitur, vel debet ex dictis reiici; quia ſuppoſita volitione generali non eſt neceſſaria vlla noua, ſicut in cauſis quæ dicuntur ſolùm moraliter mouere Deum; vt aqua Baptiſmi, quæ nullam habet connexionem phyſicam cum gratia, ſed ſolùm ex voluntate Chriſti, & vt eius merita repræſentat, debet moraliter ad eam gratiam cauſandam Deum mouere.

Obiectio ſumpta à cauſalitate ignis ſoluitur.

SECTIO III.

In quo ea cauſalitas moralis conſiſtat?

Statuta cauſalitate morali oportet explicare, in quo ea conſiſtat. Difficultas autem explicationis deſumitur ex dictis à nobis ſuprà de cauſalitate Circumciſionis in gratiam: illa enim cauſalitas etiam fuit moralis; & conſequenter videtur non poſſe vlla aſſignari diſparitas inter antiqua & noua Sacramenta, ſaltem quoad Circumciſionem; cùm tamen Concilium Florentinum & Patres ſupponant antiqua Sacramenta fuiſſe vacua elementa. 14

Quæri[illegible] differentia inter noſtra Sacramenta & Circumciſionem in cauſalitate.

SVBSECTIO I.

Proponuntur variæ ſententiæ.

Reſpondent Primò nonnulli: Sicut in genere phyſico aliquæ res ſunt per modum conditionis ad cauſandum, vt approximatio ignis; aliæ verò per modum cauſæ continentis ipſam ſubſtantiam effectus, vt ignis reſpectu caloris; ita in genere morali aliqua eſſe per modum conditionis, alia per modum cauſæ: Circumciſionem ergo dicunt ſolùm fuiſſe conditionem ad gratiam, noſtra verò Sacramenta eſſe cauſas morales. Bona doctrina; niſi tamen ampliùs declaretur, petit principium: non enim explicat, cur Circumciſio ſit conditio, & Baptiſmus cauſa moralis potiùs, quàm è contrario: in quo eſt tota penitus difficultas. 15

Aliquibus Circumciſio eſt conditio ad gratiam.

Alij reſpondent Secundò, noſtra Sacramenta mouere ratione meritorum Chriſti, antiqua verò ſolùm ex pacto Dei: vnde fit, vt noſtra moueant ex iuſtitia. Sed contrà, quia adhuc non declaratur difficultas; nam ideò noſtra mouent ex meritis Chriſti, quia ad poſitionem illorum mouetur Deus ad conferendam gratiam intuitu meritorum Chriſti: atqui etiam poſitis antiquis Sacramentis mouebatur Deus ad conferendam gratiam intuitu meritorum Chriſti vt futurorum; ergo eodem modo antiqua cauſabant gratiam ex iuſtitia ac noſtra, vel non plus noſtra quàm antiqua.

Alij dicunt noſtra Sacramenta mouere Deum ex iuſtitia, antiqua ex pacto. Hæc ſententia reiicitur.

Alij Tertiò dicunt noſtra Sacramenta eſſe vti chirographum, quo Deus ſe obligauit ad dandam gratiam; chirographum autem propriè eſſe cauſam moralem. Sed contrà Primò, quia & Circumciſio & Sacramentum legis naturæ erat chirographum ſeu pignus Dei de danda gratia; id enim ſuprà diximus eſſe commune omnibus Sacramentis. Contra Secundò, quia, 16

Alij dicunt noſtra Sacramenta operari ſicut chirographum. Hæc opinio [illegible] reiicitur.

vt

vt ibidem oſtendimus, pignus aut chirographum præciſè vt tale non mouet ad concedendam rem promiſſam propter condignitatem ſui cum ea re, ſed ex promiſſione illud dantis.

Coninck noſtra Sacramenta vocat burſam meritorum Chriſti. Similiter improbatur.

Alij Quartò dicunt noſtra Sacramenta eſſe veluti burſam plenam meritis Chriſti, ideoque eſſe cauſas gratiæ; hoc autem non conueniſſe antiquis Sacramentis. Ita Pater Coninck ſuprà. Sed contra, quia ideò noſtra Sacramenta videntur dici burſæ plenæ meritis Chriſti, quia ex huius meritis mouetur Deus ad dandam gratiam in Sacramentis: atqui poſita Circumciſione mouebatur Deus ex meritis Chriſti ad dandam gratiam; ergo etiam Sacramenta antiqua fuerunt plena meritis Chriſti: vel explicetur, in quo ſita ſit ea diuerſitas. Pater Vaſquez ſuprà cap. 4 docet noſtra Sacramenta eſſe cauſas morales gratiæ, quia ſunt impetratoria gratiæ, etſi non habeant condignitatem cum illis; poſſunt enim eſſe impetratoria ex pacto & promiſſione Dei. Verùm & hoc facilè reijcitur, quia etiam ex pacto & promiſſione Dei conferebatur in Circumciſione gratia, vt ſuprà oſtendimus. Contra, Secundò, quia eſſe id, quo poſito ex pacto Dei conceditur gratia; ſolùm denotat eſſe conditionem ad gratiam, non autem eſſe cauſam moralem; ergo non ſatisfit communi auctoritati, docenti noſtra Sacramenta eſſe veras cauſas morales gratiæ.

Vaſquez docet noſtra Sacramenta eſſe impetratoria gratiæ. Non ſatisfacit.

17 Septimò dici poteſt cum alijs, noſtra Sacramenta continere valorem & dignitatem ad gratiam, ex eo quòd præterita iam paſſio Chriſti potuit illis dare eum valorem, & condignitatem, quam non potuit conferre antiquis, quia nondum extiterat. Quòd ſi dicas, Baptiſmus & Euchariſtia fuère inſtituta antè Chriſti paſſionem, & tamen habuère condignitatem ad gratiam; ergo etiam antiqua, licet fuerint ante paſſionem Chriſti, potuerunt habere condignitatem ad eandem gratiam; facilè reſpondebitur, Ante Baptiſmum & Euchariſtiam alia ſaltem merita Chriſti præceſſiſſe, ex quibus habuerunt condignitatem tunc, quam iam habent ex paſſione. Nihilominùs non placet hæc doctrina, quia Chriſti merita mouent Deum vt præuiſa exiſtentia pro ſua differentia temporis; vnde fuerunt cauſæ morales totius gratiæ antiquis Patribus conceſſæ. De quo in materia de Incarnatione fuſiùs. Nam ad cauſalitatem moralem reſpectu Dei, qui ab æterno omnia intuetur, præceſſio temporis per accidens ſe habet, dummodò id quod eſt cauſa moralis ſit priùs natura præuiſum quàm effectus; ergo etiam antiqua Sacramenta habere potuerunt condignitatem moralem ex meritis Chriſti.

Alij docent noſtra Sacramenta continere dignitatem ad gratiã.

Neque hæc ſententia valet.

18 Octauò alij dicunt, ideò noſtra Sacramenta eſſe cauſas gratiæ, quia inſtituta ſunt per ſe ad eam cauſandam, antiqua verò non ita; etiamſi vnum aut alterum eam cauſauerit. Hæc tamen explicatio nullius eſt momenti, quia Sacramentum Legis naturæ & Circumciſio videntur primariò inſtituta ad cauſandam gratiam, ſeu ad remiſſionem originalis: hic enim videtur præcipuus & verò vnicus effectus illorum eſſe; quòd autem aliæ Sacramenta tunc non cauſauerint gratiam, ſeu quòd non fuerint inſtituta ad eam cauſationem, habet ſe omnino per accidens reſpectu Circumciſionis; ſicut ſi præter hæc noſtra ſeptem cauſantia gratiam fuiſſent alia inſtituta non cauſantia gratiam, non ideò minueretur valor & condignitas ſeptem iſtorum, imò quodam modo magis tunc emineret. Contrà Secundò, quia quòd ſit inſtitutum Sacramentum, vt eo poſito conferatur gratia, non eſt ratio ſufficiens, vt dicatur cauſa condigna gratiæ; nam finis inſtituentis non dat valorem ei actioni. Contrà Tertiò, quia fortè diceret aliquis Sacramentum Ordinis primariò non eſſe inſtitutum ad dandam gratiam, ſed ad conferendam poteſtatem conſecrandi & abſoluendi: non tamen propterea ſequitur illud non eſſe veram cauſam moralem gratiæ.

Alij docent noſtra Sacramenta eſſe inſtituta ad cauſandam gratiam. Neque hæc opinio ſolida eſt.

19 Nonò alij dicunt Chriſtum Dominum, tanquam habentem ſupremum dominium in rebus ſpiritualibus, contuliſſe valorem noſtris Sacramentis; ſicut Rex habens dominium in temporalibus poteſt conferre valorem monetæ, ratione cuius plus valeat moraliter quàm anteà; antiquis verò Sacramentis non dediſſe talem valorem, quia non voluit. Sed in primis hi Auctores non ſufficienter oſtendunt Chriſtum non dediſſe antiquis valorem ad gratiam. Cùm enim etiam per duo illa Sacramenta conceſſa fuerit gratia; nihil videtur illis defuiſſe pro valore ad eam gratiam. Contrà Secundò, quia (vt rectè Diuus Thomas hìc art. 1. & Alexander 4. Par. 5. membr. 3. art. 5. & 6. quos Vaſquez ſuprà ſequitur) quando Rex cudit monetam in vili materia, & vult eam æquiualere bonæ, non ideò illam efficit in ſe digniorem & meliorem materiam, ſed tantùm eam conſtituit vt conditionem puram, ratione cuius ſe obligat Rex ad dandum ſuo tempore in bona moneta, aut ad reſtituendum in alia materia, id quod ea mala denotabat; ſicut calculus ſupputatorius in ludo non habet moralem valorem quo æquiualeat vni aureo aut imperiali v. g. ſed eſt ſignum vt poſteà ſciatur quantum quilibet lucratus fuerit: id quod factum reperitur in ea moneta, etiamſi ad vitandas fraudes imprimatur illi ſigillum, quod non dat ei valorem propriè, ſed eam diſcernit, ne poſteà cuilibet liberum ſit oſtendere, quantum velit ex ea materia vili, & pro illa repetere bonam pecuniam. Idem dicendum eſt de aliis exemplis, quæ pro hac explicatione afferuntur, v. g. de baculo aut annulo paſtorali, cuius traditione confertur titulus aut Abbatis, aut Canonici, aut alius quilibet: non enim cenſendus eſt ille baculus habere condignitatem moralem, vt poſſit eſſe cauſa eius dignitatis: ſolùm enim eſt conditio aut ſignum ad placitum, requiſitum ad oſtendendam poſſeſſionem acceptam eius dignitatis; ſicut in ciuilibus ſolet requiri pro acquirenda poſſeſſione vel contactus manus vel pedis: quæ omnia puræ ſunt conditiones. Tertiò impugnantur, quia quidquid ſit de exemplis humanis, in ordine tamen ad valorem gratiæ non videtur ea ſolutio probabilis: Deus enim etſi ſit Dominus gratiæ, non poteſt pro ſuo ſolo libitu actioni alicui planè indifferenti dare valorem & condignitatem cum ea gratia; non enim poteſt efficere vt fricatio barbæ v. g. ſit condigna gloria: oportet enim illam actionem in ſe habere condignitatem & valorem, licet non ſemper ſit completa; & tamen etiam tunc complementum debet eſſe aliquid intrinſecum moraliter, ſaltem quo perficiatur; voluntas autem ſola Dei ſi nihil intrinſecum ponat in creatura, non videtur poſſe illi ſufficienter quaſi moraliter inhærere, vt eam actionem dignificet; & ob hãc cauſam Catholici omnes contra hæreticos huius temporis docent, nos nõ fieri iuſtos

Alij dicunt collatum valorem Sacramentis ſicut monetæ.

Hæc doctrina refutatur ex Diuo Thoma, Alexandro, & Vaſquez.

20

Explicantur aliqua ſimilitudines ad hanc quæſtionem pertinentes.

iuſtos & ſanctos per iuſtitiæ Dei extrinſecæ imputationem, aut per ſolam Dei voluntatem: & ob eandem rationem maior & melior pars Theologorum docet contra Scotum, noſtrorum operum valorem & condignitatem in ordine ad gloriam non prouenire præciſè ex acceptatione extrinſeca Dei; de quo in materia de Merito; & aliqua dixi in materia de Incarnatione.

Bonauentura docet Sacramenta antiqua non contuliſſe infallibiliter gratiã. Hæc ſententia non ſubſiſtit.

21 Decimò alij, vti Bonauentura in 3. diſtinct. 2. dicunt, Deum non decreuiſſe infallibiliter dare gratiam propter Sacramenta antiqua; ideoque a noſtris differre; quia noſtra ſemper connexam habent gratiam. Verùm neque hæc ſolutio ſatisfacit vllo modo; nam gratis dicitur non fuiſſe gratiam datam ſemper per antiqua Sacramenta: huiuſmodi enim incertitudo reliquiſſet planè ſine certo remedio infantes eius Legis. Deinde eſto id concedatur, adhuc tota difficultas manet, quomodo ſcilicet, quando conferebant gratiam, differebant a noſtris: quòd enim non toties hæc fuerit collata, non arguit diuerſitatem in ipſius cauſationis ſubſtantia, ſed in numero.

Aliqui dicũt antiqua non contuliſſe tantam gratiam quantam noſtra. Neque hoc doctrina valet.

Ideò Vndecimò aſſignatur diſcrimen inter antiqua & noua, quòd illa non tantam gratiam contulerint quantam noſtra. Verùm neque hoc ſatisfacit, quia tota hæc differentia maioris & minoris gratiæ etiam inter ipſa noſtra Sacramenta reperitur: neque enim omnia æqualem omnino conferunt; & tamen non ideò de eo Sacramento, quod minorem confert, dici poteſt abſolutè, quòd non conferat gratiam, vti dicunt Patres de antiquis.

Durandi ſententia, ſine noſtris Sacramentis non dari gratiã. Arguitur hæreſis.

22 Durandus aliter id explicat, ex eo quòd ſine noſtris Sacramentis non poteſt dari gratia, ſecùs ſine antiquis: erant enim olim aliæ viæ ad eam conferendam. Verùm (vt verum fatear) non capio quid voluerit Durandus aſſerere: etenim ſi dicat in Lege gratiæ non dari gratiam niſi per ſola Sacramenta, dicet hæreſim; quia opera alia bona ſupernaturalia merentur nunc gratiam non minùs quàm in Lege veteri: ſi verò dicat neceſſarium nunc eſſe ad ſalutem noſtra Sacramenta ſuſcipere, etiam eſt hæreticum dictum, ſi vniuerſale ſit; nam ſine Confirmatione, Ordine, Extrema Vnctione & Matrimonio ſalus obtineri poteſt; imò ſi homo non habeat peccatum graue, etiam adultis non eſt neceſſaria pœnitentia, quantum eſt ex iure diuino: abſtraho nunc, an vi præcepti Eccleſiæ teneatur talis ſingulis annis in Paſchate confiteri; eſt enim hoc per accidens ad punctum præſens; & tamen etiam hæc Sacramenta non neceſſaria dicuntur cauſare gratiam, & re ipſa illam cauſant. Cuius rei ratio facilis eſt; nam vt aliqua res dicatur verè & propriè alteram cauſare, non requiritur vt effectus ille non poſſit eſſe ſine tali cauſa; alioquin nec ignis diceretur calefacere, quia aliunde habere ego poſſum calorem, à Sole, &c. ſufficit ergo quòd talis cauſa hîc & nunc verè & propriè cauſet eum effectum. Denique hæc ipſa neceſſitas in Sacramentis antiquis fuit reperta; quia ſicut nunc ſine Baptiſmo, ita etiam tunc ſine Circumciſione non poterat conferri gratia Iudæis; intelligo id iuxta communem explicationem, ſine eo Sacramento in re, vel in voto: nullam ergo habet probabilem explicationem ea ſententia Durandi; aliunde igitur quærenda eſt eius difficultatis ſolutio.

Deinde ſine Circumciſione olim non fuit collata gratia.

SVBSECTIO II.

Reſpondetur quæſtioni.

23 HVIC difficultati reſpondit meo iudicio clariſſimè in manuſcriptis Pater Benedictus de Robles, meus in Theologia Profeſſor, & poſt ipſum Cardinalis Lugo, eiuſdem etiam diſcipulus, ſuprà num. 24 breuiter eam tangens; placuit autem rem paulò fuſiùs deducere quàm ab iis tradatur. Pro quo.

Actio externa denominatur meritoria ab interna.

Suppono actionem externam formaliter denominari & eſſe meritoriam, demeritoriam, ſeu impetratoriam ab actione interna, à qua procedit, ſeu à qua imperatur; v. g. homicidium externum verè eſſe & dici poſſe, & dignum æterna pœna, non quia in ſe ſit formaliter liberum intrinſecè, ſed quia conſtituit vnum quid cum volitione interna peccaminoſâ, à qua procedit, ſeu qua informatur: & eodem modo è contrario eleemoſynam, ieiunium, cæteraque opera externa bona, eſſe verè & propriè digna vita æterna, ſi procedant ſeu informentur ab actu ſupernaturali voluntatis & gratia habituali ſubiecti dantis eleemoſynam ieiunanti. Quæ doctrina certa omnino eſt inter omnes ex materia de Actibus humanis.

24 Suppono Secundò omnem actionem Miniſtri alicuius deputati ab altero cenſeri in prudentum hominum æſtimatione ac ſi eſſet actio ipſius deputantis, & ab huius voluntate bona aut mala denominari eam actionem Miniſtri bonam aut malam; denique tanti ferè æſtimari ac ſi ab ipſo deputante immediatè exerceretur. Sic matrimonium per procuratorem contractum tam eſt validum, ac ſi immediatè contractum fuiſſet per ipſos ſponſos. Similiter ſuffragia in electionibus per procuratores non reputantur ſuffragia procuratorum; vt ſunt Petrus aut Paulus; ſic enim nullum haberent valorem ad electionem; ſed vt ſunt à deputante ipſo: ob quam cauſam, etſi perſona in ſe non ſit tanti momenti, concedi tamen ferè ſolet locus idem qui datus fuiſſet perſonæ quam repræſentat: & idem eſt, quando vnus alteri vt Pontifici per Legatum ſuum obedientiam præſtat. Dixi, *ferè eſſe tanti valoris*, quia non diſputo, an in omni rigore tanti æſtimetur tunc ea actio; alibi enim dixi, ſimpliciter loquendo, minùs quodammodò æſtimari; nam circumſtantia illa, quòd immediatè per ſe id præſtet Rex v. g. aut Imperator, auget ſine dubio valorem: at nobis in præſenti ſufficit, quòd magnum inde accipiat valorem actio Miniſtri, etſi non omnino tantum, quantum haberet, ſi immediatè exerceretur à delegante.

Suffragia deputatorum & procuratorum cenſentur eſſe ipſorum mandantium: Suntque eiuſdem ferè valoris.

25 Suppono Tertiò Chriſtum Dominum ſubſtituiſſe Miniſtros Sacramentorum Legis gratiæ tanquam vicarios ſui ipſius, vt ipſius nomine Sacramenta adminiſtrent. Quæ videtur eſſe veritas valdè certa; Primò ex verbis conſecrationis, vbi manifeſtè Chriſtus Dominus medio Miniſtro conſecrat; ideò nomine ipſius Chriſti verba proferuntur, vt denotat pronomen *meum*: Secundò ex verbis Sacramenti Pœnitentiæ: homo enim non habet auctoritatem dimittendi peccata niſi auctoritate delegata ſibi; ergo quando dicit, *Ego te abſoluo*; loquitur ibi nomine Chriſti. Tertiò ex Scriptura: Ioannis primo capite dicitur de Chriſto, *Hic eſt qui baptizat*

Miniſtri Sacramentorum ſunt vicarij Chriſti.

in Spiritu ſancto ; quod non ſolùm de Baptiſmo immediatè per ſe à Chriſto tradito, ſed etiam de tradito per diſcipulos intelligendum eſt : nam Chriſtum Dominum baptizaſſe alios immediatè non legimus, niſi ſuum Præcurſorem. Vnde Auguſtinus Tractatu 5. in Ioannem hæc habet : *Actum eſt, vt per Miniſtros Dominus baptizaret ; id eſt, vt quos Domini Miniſtri baptizaturi erant, Dominus baptizaret : aliud eſt enim baptizare per poteſtatem, aliud per miniſterium.*

Tandem ex Tridentino ſuadetur Seſſione 22. capite 2. vbi comparans Sacrificium cruentum crucis cum incruento Altaris hæc habet ; *Vna eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit.* Quod autem docet Concilium de Sacrificio, eodem modo intelligendum de Sacramento Altaris, in quo vtraque ratio Sacrificij & Sacramenti concurrit ; & pari ratione de reliquis omnibus Sacramentis.

26

Quomodo in Sacramento Matrimonij contrahentes Miniſtri ſint vicarij Chriſti.

Dices contra hanc ſuppoſitionem ; Chriſtus Dominus non contrahit Matrimonium per Miniſtros; ergo hi non operantur nomine Chriſti, ſaltem in eo Sacramento. Reſpondeo, In Matrimonio ad rationem Sacramenti quaſi præſupponi traditionem mutuam corporum per contractum, ad quem fatemur libenter non concurrere Chriſtum Dominum vt cauſam principalem, ſed id conuenire ipſis contrahentibus : quod etiam ſuo modo in omnibus aliis Sacramentis reperitur. Nam ablutio ſi conſideretur vt actio phyſica eſt, non fit à Petro baptizante nomine Chriſti, & vt à Miniſtro illius, ſed auctoritate propria, & nomine proprio : nam ad phyſicam eam actionem, vt talis eſt, auctoritatem & poteſtatem habet quilibet homo. Aliud ergo debet conſiderari in omnibus Sacramentis (& vt obiectioni ſpecialiter reſpondeamus in Sacramento Matrimonij) ſcilicet ratio cæremoniæ externæ qua Deum quodam modo colimus, & ipſi conſecramur; item traditio quædam pignoris gratiæ, quod in omnibus Sacramentis reperiri dixi ſuprà. Chriſtus ergo ſubſtituit Miniſtros Sacramentorum, vt per eas actiones externas ſpecialiter Deum colant nomine ipſius Chriſti, & vt eiuſdem nomine pignus extrinſecum gratiæ conferant ſuſcipienti.

27

Miniſtri antiquorum Sacramentorum non fuerunt Dei vicarij.

Suppono Quartò, in Lege antiqua Miniſtros Sacramentorum non potuiſſe eſſe vicarios & ſubſtitutos Dei, vt Deus eſt; (abſtraho à Deo vt homine ;) nam Deus vt Deus eſt, non poteſt ſubſtituere delegatos, qui nomine ipſius ſe colant & adorent : nemo enim ſeipſum adorat aut colit nec immediatè, nec modò per delegatum: vnde licet poſſit Rex ſubſtituere Legatos, qui nomine ſuo obedientiam Pontifici præſtent, & ipſum venerentur ; non poteſt tamen per Miniſtros ſe colere, aut ſibi obedientiam præſtare. Ergo cùm actiones Sacramentorum, quatenus honeſtæ ſunt, ſint quidam cultus exterior Dei, non potuerunt fieri ab hominibus vt Miniſtris & vices gerentibus Dei : quod vniuerſaliter in omni Lege & de omni Sacramento verum eſt.

Dices : Pignus & promiſſio gratiæ à ſolo Deo propria auctoritate tribuitur ; ergo potuerunt in Lege antiqua & etiam in noua Miniſtri Sacramenti nomine Dei vt Dei conferre illud pignus, ergo & adminiſtrare Sacramentum vt vices gerentes Dei vt Dei. Reſpondeo, Eſſentiam Sacramenti non conſiſtere in ſola promiſſione & pignore gratiæ, ſed includere rationem cæremoniæ ſacræ qua homo Deum adorat, cique conſecratur. Vnde licet ad rationem conferendi pignoris poſſit homo eſſe Miniſter Dei vt Dei, & ſine dubio de facto fuerint eo modo Miniſtri antiquorum Sacramentorum, quia à nemine datur pignus gratiæ niſi à ſolo Deo; quia tamen in ordine ad actionem illam externam, vt eſt cultus Dei, non poteſt ipſe Deus ſubſtituere Miniſtros loco ſui, non poteſt ſimpliciter ad rationem Sacramenti adæquatos conſtituere delegatos ſui.

Obiectio ſoluitur, & oſtenditur non fuiſſe Dei vicarios.

Replicabis ; Vt abſolutè actiones illæ Sacramentorum dicantur nomine Dei factæ, non requiritur vt ſecundùm omnes conſiderationes, quas includunt, exerceantur ipſius nomine, vt dictum eſt in Matrimonio : dicitur enim illud Sacramentum exerceri nomine Chriſti ; & tamen quatenus eſt contractus & traditio corporum, non exercetur nomine Chriſti : ergo etſi ſecundùm rationem cæremoniæ ſacræ colentis Deum non exerceantur Sacramenta nomine ipſius Dei ; quia tamen exercentur nomine illius; quatenus ſunt pignora gratiæ, abſolutè exercebuntur nomine Dei. Reſpondeo, Aliquid hîc immiſceri de modo loquendi, an ſcilicet ea ratio inadæquata ſufficiat, vt dicatur Sacramentum illud exhiberi nomine Dei ; de re addo, differentiam eſſe magnam : non enim ſolùm quatenus eſt datio pignoris, ſed etiam quatenus eſt actio ſacra, honeſta & meritoria, aut deprecatoria, vel impetratoria apud Deum, poteſt Sacramentum exhiberi nomine Chriſti, non vero nomine Dei; nam Deus non poteſt habere actionem meritoriam: hæc enim eſſentialiter dicit ordinem ad aliquem Superiorem, quem non habet Deus vt Deus; quem tamen Chriſtus ratione humanitatis habet: cùm ergo in præſenti ſolùm quæramus valorem moralem in noſtris Sacramentis, & hic valor conſtituatur per ea Sacramenta, vt ſunt actiones honeſtæ, & in cultum Dei ordinatæ, rectè dicimus, ea vt talia non poſſe eſſe actiones nomine Dei vt Dei exhibitas, poſſe verò eſſe nomine Chriſti.

28

Replica à Matrimonio ſumpta.

Replicabis Secundò : Etiam Sacramenta noſtra ſunt cultus non ſolùm Dei, ſed etiam Chriſti vt hominis, & tamen fiunt nomine Chriſti; ergo etiam potuerunt fieri nomine Dei vt Dei, etiamſi ſimul ſint Dei cultus : tam enim repugnat Chriſtum ſeipſum colere quàm Deum ſeipſum. Reſpondeo, Sacramenta per ſe primò non eſſe cultum Chriſti vt hominis, ſed vt Dei : ipſe enim Chriſtus adminiſtrauit Baptiſmum, Euchariſtiam & Ordinem ; & tamen non ſe ea diminiſtratione coluit vt hominem, ſed vt Deum: quod idem eſt in aliis Sacramentis per Miniſtrum nunc exercitis : licet enim ſimul Miniſter colat quaſi nomine ſuo proprio Chriſtum, cuius vices gerit ; vti Legatus Regis nomine Pontificem adorans etiam nomine proprio ſuo, quatenus exequitur mandatum ſui Regis, colit ſuum Regem, nihilominùs vt repræſentat Regem, non colit illum formaliter.

29

Replica altera ſumpta ab omnibus Sacramentis.

Suppono Quintò & vltimò, in Lege veteri Sacerdotes, aut alios adminiſtrantes Sacramenta non fuiſſe Miniſtros Chriſti vt hominis. Hanc probat Cardinalis Lugo cum aliquibus; quia nemo poteſt antequam exiſtat ſubſtituere vicarios aut delegatos, qui nomine ſuo operan

Miniſtri Sacramentorum antiquorum non fuerunt Miniſtri Chriſti.

Probatio Cardinalis Lugo non ſufficit.

Digitized by Google

rantur; ſicut poteſt poſtquam exſtitit. Hæc ratio etſi probabilis ſit non tamen videtur ſufficere; quia ſi Chriſtus antequam phyſicè exiſteret, potuit mereri gratiam, & prædeſtinationem pro antiquis Patribus, etiam in particulari eos determinando, vt in materia de Prædeſtinatione dixi, etiam potuit determinatè deſignare aliquos, qui nomine ipſius Circumciſionem v. g. adminiſtrarent; nam cùm fuerit præuiſus à Deo priùs natura benè operans, & petens gratiam Adamo, &c. potuit etiam præuideri deſignans Miniſtros nomine ſui in ordine ad antiqua etiam Sacramenta: haud aliter planè quàm admittunt etiam hi ipſi, qui vtuntur argumento, cui reſpondemus, eundem Chriſtum Dominum in particulari & determinatè oraſſe pro Beatiſſima Virgine Maria vt fieret ipſius Mater, & liberaretur ab originali; quantumuis hæc omnia facta ſint priùs tempore quàm ipſemet Chriſtus exiſteret. Admittenda ergo eſt poſſibilitas eius ſubſtitutionis; ac propterea in ſuppoſitione tantùm dico, de facto non fuiſſe; id autem probo, quia nec leuiter in Scriptura, Conciliis aut Patribus id inſinuatur; nec ratio aliqua id perſuadet: non ergo poſſumus probabiliter dicere id de facto contigiſſe: non enim omnia quæ poſſibilia ſunt debemus ſtatim dicere ſine vlteriori fundamento, etiam de facto exiſtere. Secundò, quaſi ab abſurdo id probo; quia ſi exhibita fuiſſent nomine Chriſti, habuiſſent valorem & dignitatem ad gratiam vt perfectæ cauſæ morales, prout ex eo capite noſtra habent (vt paulò pòſt explicabo;) hoc autem non dicitur ſine abſurdo, quia videtur Florentinum contrarium ſupponere; ergo. Tertiò id deduco ex ſancto Paulo ad Hebræos 7. vbi ait in Lege antiqua multos fuiſſe Sacerdotes; *idcircò quòd morte probiberentur permanere: Ieſus autem eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* & infrà: *Habemus Pontificem, qui non habet neceſſitatem quotidie pro ſuis delictis hoſtias offerre.* Ex his ergo locis ſic argumentor: Si Chriſtus Dominus fuiſſet etiam ſummus Sacerdos Legis antiquæ, cuius nomine cæteri Sacerdotes offerrent Sacrificia, adminiſtrarent Sacramenta, &c. nulla penitus eſſet ea differentia, quam Paulus ponit inter nouam & antiquam Legem. In primis enim ſi de ſummo ipſo Sacerdote, cuius nomine cæteri operarentur, tunc temporis eſſet ſermo, idem fuiſſet in vtraque Lege Sacerdos; ergo quoad hoc nulla eſſet differentia: ſi verò loqueremur de ipſis Miniſtris, ſicut in antiqua Lege multi fuerunt Sacerdotes; ita eodem planè modo ſunt multi in noua. Item, ſicut antiqui Sacerdotes pro ſuis delictis orare debuerunt, aut ſaltem potuerunt, ita etiam & Sacerdotes nouæ Legis; corrueret ergo tota differentia à Paulo poſita: vt ergo teſtimonium Pauli integrum ſit, debemus neceſſariò dicere illum locutum de Sacerdote, cuius nomine in Lege gratiæ Sacrificium & Sacramenta adminiſtrantur; hunc autem eſſe Chriſtum, qui ſemper manet, ſemper viuit; & non habet delicta pro quibus oret; negaſſe autem è contrario Paulum Chriſtum fuiſſe eo modo antiquæ Legis Sacerdotem; & conſequenter in antiqua Lege ſummum Sacerdotem non nomine Chriſti, ſed proprio obtuliſſe Sacrificia, &c. ergo de facto non conſtituit Chriſtus Dominus Miniſtros nomine ſui

30 *Meliùs probatur ex Conciliis & Patribus.*

Et ex ſancto Paulo.

Chriſtus non fuit antiquæ Legis Sacerdos.

operantes in Lege antiqua. Ratio à priori eſſe poteſt, quòd voluerit eum ſingularem fauorem pro Lege gratiæ ſeruare, ſicut & multa alia priuilegia.

Ex dictis facilè reſpondetur præcipuæ difficultati; dicimus enim actiones Sacramentorum, quia ſunt actiones Chriſti moraliter ab ipſo per Miniſtros exercitæ, dignificari formaliter à voluntate Chriſti Domini, quæ eſt infiniti valoris, & ab illa reddi noſtra Sacramenta moraliter non ſolùm condigna gratiæ, ſed & infinitè illa maiora, ad modum quo paſſio externa ipſius Chriſti, & cæteræ actiones externæ imperatæ à voluntate interna illius habuère infinitum valorem; (vtrùm autem ſit per modum meriti, an per modum impetrationis, dicam ſectione ſequenti;) ex hoc ergo valore poſſunt noſtra Sacramenta eſſe cauſæ morales gratiæ, vtpote eam moraliter continentia; antiqua verò, quia non fuère actiones Chriſti Domini, nec aliunde potuerunt habere valorem æqualem gratiæ (vt paulò pòſt conſtabit) non fuiſſe cauſas morales illius, ſed præcisè puras conditiones, ad quarum poſitionem voluit Deus conferre gratiam. Ratio hæc ex poſitis ſuprà fundamentis videtur clara & conformis principiis generalibus in materia meriti: reſtant tamen obiectiones aliquæ, ex quarum ſolutione magis illa roborabitur. 31

Concluditur antiqua Sacramenta fuiſſe meras conditiones, noſtra verò eſſe, cauſas morales gratiæ.

SVBSECTIO III.

Soluuntur aliquæ obiectiones contra præcedentem diſcurſum.

PRIMA eſt, quia etiam in Lege veteri qui adminiſtrabant Sacramenta, operabantur ſi non Chriſti nomine, ſaltem Synagogæ, ſeu Eccleſiæ tunc exiſtentis, quæ habebat gratiam; & conſequenter eius opera potuerunt eſſe condigna gratiæ; ergo & Sacramenta habuerunt condignitatem ad gratiam. Reſponderet quis, Sacramenta antiqua ex eo capite habuiſſe ſufficientem condignitatem vt eſſent cauſa gratiæ, ſi Deus voluiſſet ea acceptare, & moueri de facto ad illam dandam propter ea Sacramenta; quia verò non voluit, ideò non fuiſſe cauſam gratiæ, ſed conditionem. 32

Obiectio prima, & eius quorumdam ſolutio refutatur.

Quòd ſi quæras, Vnde conſtet Deum de facto non motum fuiſſe ob valorem totum Sacramentorum, quandoquidem eis poſitis dedit gratiam; reſpondent, Deum acceptaſſe partem illius valoris, non autem totum, ideoque non concurriſſe Sacramenta vt cauſam moralem.

Solutio hæc meo iudicio eſt improbabilis: Primò, quia nullam rationem reddit, qua probet de facto Deum ita ſe geſſiſſe; vnde vt planè diuinans reiicienda eſt. Secundò, quia ſi ponatur ſemel adæquatus valor in Sacramento reſpectu gratiæ, & Deus dicatur moueri ab illo vt det gratiam, vix videtur intelligibile, quomodo moueatur ex ſola media parte valoris, & non ex toto; cùm ille valor ſit quid indiuiſibile, & non ſupponatur in vllo alio præmio occupatus. Tertiò, quia ſi ea Sacramenta habuiſſent valorem æqualem gratiæ, non potuiſſent dici à Paulo vacua & inania elementa: hæ enim voces non denotant præcisè Deum non conſideraſſe totum valorem; ſed multò maximè innuunt in ipſis Sacramentis non fuiſſe condignitatem: malè enim quis diceret de accedente

Refutatio prima.

Secunda.

Tertia.

ad mercatorem vt emat telas aureas v. g. ipſum non habere pretium, & marſupium illius fuiſſe inane & vacuum, eò quòd mercator noluerit dare telas illas pro vlla pecunia; ſi aliunde ſupponamus marſupium habuiſſe pecuniam ſufficientem pro illis emendis: & ratio eſt, quia valor & plenitudo (vt ſic dicam) marſupij & Sacramenti non conſideratur ex effectu; ſed ex virtute, ſeu valore in actu primo, quem habent ante effectum, ſiue hic ſequatur poſteà, ſiue non.

33 *Vera obiectionis ſolutio. Solutionis vera ratio prima:* Reſpondendum ergo aliter obiectioni, Etiamſi antiqua Sacramenta fuerint nomine Synagogæ exhibita, non tamen habuiſſe condignitatem ad gratiam. Cuius veritatis duæ ſunt claræ rationes: Prima, quia purus homo non meretur alteri gratiam de condigno, imò in multorum ſententia nec diuinitus poteſt: quidquid verò de poſſibilitate ſit, ratio, cur de facto non mereatur, ea eſt; nam actio meritoria puri hominis tota impenditur in promerenda gratia ipſi homini operanti: vnde nullus ei reſtat valor pro aliis; vti in humanis: da v.g. Regem delegantem Petrum, vt ſuo nomine Pontifici tanquam Chriſti Vicario præſtet obedientiam, habere actum ſupernaturalem & meritorium gratiæ, quo eligit Petrum; certè licet poſteà actus obedientiæ exhibitus à Petro cenſeatur informari actu ſupernaturali delegantis, & dicatur meritorius de condigno augmenti gratiæ, non tamen diſtinctæ gratiæ ab ea quam delegans ſibi meruit, cùm primùm phyſicè habuit eum actum; alioquin idem actus voluntatis ſine noua liberalitate duo habuiſſet præmia adæquata; vnum, quando phyſicè exercitus eſt Matriti v. g. vbi deſignauit Rex Legatum; alterum, quando moraliter Romæ per ipſum Legatum: hoc autem eſt abſurdum, quia iam duplo plus fuiſſet præmiatus quàm merebatur ille actus.

Secunda: Altera ratio, quia licet purus homo poſſit mereri de condigno gratiam alteri, non tamen remiſſionem mortalis, nec quidem diuinitus; ergo cùm Sacramentum antiquorum, quod gratiam cauſabat, ſimul etiam habuerit annexam remiſſionem originalis peccati, non potuit habere condignitatem ad gratiam remittentem originale: ergo ea gratia & remiſſio fuit conceſſa tantùm vt conditioni, non vt cauſæ condignæ & morali.

34 *Tertia.* Tertia ratio eſſe poteſt, quia licet nunquam in Synagoga defuerint aliqui iuſti, in ordine tamen ad adminiſtranda Sacramenta id videbatur per accidens: etenim caſu quo omnes eſſent in mortali, adhuc collata fuiſſet gratia per illud Sacramentum: & quoad hoc eadem eſt ratio in noſtris; nam licet nullus eſſet in Eccleſia actu iuſtus, eodem modo Sacramenta poſſent cauſare gratiam, ac ſi omnes eſſent iuſti; ergo etſi olim nomine Synagogæ adminiſtrata fuerint Sacramenta, non tamen propterea habuerunt condignitatem ad gratiam.

Obiectio ſecunda à malo fine Miniſtri petita expeditur. Obiicies Secundò: Actio Sacramentalis poteſt eſſe mala, ſi ex malo fine à Miniſtro exerceatur, aut quando eſt prohibita, vel non cum requiſitis conditionibus, &c. ergo non eſt actio Chriſti moraliter, quia Chriſtus nullam habet actionem malam. Reſpondeo, Eam actionem externam poſſe dupliciter conſiderari, vel vt eſt à Miniſtro, & ſic poteſt eſſe mala; vel vt à Chriſto, & vt ſic neceſſariò eſſe bonam: id quod in omni actione exercita per Miniſtrum contingere poteſt, vt ſcilicet reſpectu eius qui ſubſtituit Miniſtrum ſit meritoria & bona, reſpectu autem Miniſtri mala & demeritoria. Si v. g. iubeat dominus famulo dare eleëmoſynam alicui pauperi, famulus autem dat huic potiùs quàm illi, animo hunc alliciendi ad peccatum; ea eleëmoſyna, quæ moraliter eſt actio domini, eſt reſpectu illius meritoria, demeritoria autem reſpectu famuli. Ratio huius à priori eſſe poteſt, quia actio externa cùm non habeat à ſe bonitatem, aut malitiam, ſed per denominationem extrinſecam ab actu voluntatis à quo imperatur, poteſt eſſe reſpectu diuerſarum perſonarum bona & mala; quia ab vno imperatur per actum bonum, ab altero per malum: ſic paſſio externa Chriſti Domini, ſi cum Chriſto ipſo eam tolerante comparetur, ſanctiſſima eſt, & infinitè meritoria, ſi verò cum carnificibus eam infligentibus iniquiſſima eſt & grauiſſima pœna digna.

35 *Obiectio tertia à ſtatu Chriſti incapace meriti.* Obiicies Tertiò: Chriſtus de facto non eſt in ſtatu capaci merendi; ergo non poteſt per Sacramenta tanquam per actionem propriam de facto mereri. Reſponderi poteſt, Vt Chriſtus de facto dicatur mereri per Sacramenta nomine ipſius exercita, non eſſe neceſſarium vt tunc de facto ſit in ſeipſo intrinſecè capax meriti, ſed ſufficere quòd fuerit eo tempore, quo inſtituit Sacramenta, & quo delegauit Miniſtros. Sicut qui ſe inebriat, ſciens ſe poſteà impediendum ab auditione Sacri, peccare dicitur etiam eo tempore, quo tenebatur audire Sacrum, & non audit; etiamſi tunc non habeat libertatem ſufficientem ad peccandum propriè & immediatè. Addunt tamen huius ſolutionis Auctores requiri in Chriſto de facto exiſtentiam phyſicam; nam pro eo tempore, quo phyſicè per ſe non eſt, non poteſt nec delegatos ſubſtituere, nec benè aut malè operari, mereri, aut demereri.

Solutionis prima pars ſimili confirmatur. Prima pars ſolutionis veriſſima eſt, & eo exemplo ſufficienter probata; & poteſt vlteriùs in actionibus exhibitis per Miniſtros idem oſtendi magis ad rem noſtram: etenim etſi quando famulus dat eleëmoſynam nomine domini hic ſit diſtractus, aut dormiet, & conſequenter ſit proximè incapax meriti, nihilominùs tunc dicitur mereri per eam eleëmoſynam.

36 *Secunda pars ſolutionis ab aliis allata reijcitur.* Secunda verò pars omnino diſplicet; nam ſicut exiſtentia phyſica requiritur ad meritum proximum & quaſi intrinſecum, ita & libertas requiritur; ergo ſicut ſine libertate poteſt per denominationem externam à præcedenti libertate denominari merens, ita ſine actuali exiſtentia poteſt denominari nunc moraliter merens à præcedenti exiſtentia, aut etiam à futura: id quod patet in ipſo Chriſto, qui propriè dici poterat promeritus gratiam antiquis Patribus, quando illis ea dabatur ob merita ipſius Chriſti, etiamſi tunc non exiſteret phyſicè, ſed ſolùm moraliter in præuiſione. Quòd ſi nolis tunc dicere Chriſtum meruiſſe, ſed tantùm obtinuiſſe tunc meriti præmium; quia tunc nec per ſe nec per delegatos vllam exercebat actionem meritoriam; certè quando iam ſubſtituit delegatos, qui nomine ipſius moraliter operentur, licet phyſicè non exiſtat quando Legati operantur, poteſt optimè moraliter denominari benè operans, vt de facto nos, etſi phyſicè non extiterimus in Adamo quando ille peccauit;

Digitized by Google

peccauit; quia tamen ibi eramus moraliter, eo ipſo proprie in illo peccauimus: & eodem modo in humanis, ſi Rex aliquis mitteret Legatum, qui nomine ſuo obedientiam Pontifici præſtaret, Regnumque totum illi ſubiiceret; ſine dubio etiamſi iam eſſet mortuus, quando Legatus obedientiam præſtaret, & Regnum offerret, moraliter tamen diceretur etiam tunc Rex eam obedientiam præſtare.

Et eius replica.

Replicabis; Ergo ſi in caſu ſuprà poſito ebrius omittens Sacrum moreretur ante horam Sacri, adhuc dicendus eſſet peccans & omittens Sacrum, ex eo quod antecedenter dederit cauſam; quandoquidem non requiritur de facto exiſtentia illius. Reſpondeo negando conſequentiam, quia neque in Miniſtro ille permanet, vt ſaltem moraliter tunc reciperet illam denominationem.

37 *Obiectio à Sacramentis inſtitutis poſt reſurrectionem.*

Obiicies Quartò: (& ſit replica contra totam ſolutionem præcedentem:) Chriſtus Dominus inſtituit tria Sacramenta, ſcilicet Confirmationem, Ordinem, & Pœnitentiam poſt reſurrectionem, iuxta communiorem ſententiam tunc autem iam non erat capax meriti, quia totam ſuam viam terminauit in ara crucis: ergo ſaltem hæc tria Sacramenta non poſſunt eſſe meritoria reſpectu Chriſti. Reſpondeo, Chriſtum Dominum poſt reſurrectionem tam fuiſſe capacem meriti quàm ante illam; nam gloria corporis, quam ſolam tunc de nouo habebat, non reddebat illum incapacem meriti; vnde probabiliter dici poteſt, toto tempore, quo fuit inter homines vſque ad aſcenſionem, fuiſſe capacem meriti.

Reſponſio: Chriſtus poſt reſurrectionem fuit capax meriti.

Obiectio à valore Sacramentorum ex Chriſti paſſione.

Obiicies Quintò: Sacramenta habent valorem & dignitatem ad gratiam ex paſſione & morte Chriſti Domini, vt omnes Patres & Theologi ſupponunt; ſed ſi ea eſſent actiones externæ meritoriæ Chriſti Domini, non haberent valorem ex eius paſſione: ergo probatur minor, quia ea tria Sacramenta non ſunt actiones externæ reſpectu voluntatis Chriſti de morte & paſſione ſubeunda, ſed reſpectu voluntatis, qua conſtituit Miniſtros Sacramentorum ſui delegatos: ab hac enim præciſè voluntate imperantur tales actiones, ergo à voluntate patiendi & moriendi non poſſunt habere bonitatem vllam; quia actiones externæ ſolùm denominantur bonæ aut malæ ab internis, à quibus imperantur.

38 Propter hanc rationem cenſeo actiones Sacramentorum, etſi dignificentur à voluntate Chriſti, infiniti valoris, non tamen eſſe cauſam gratiæ propriè per modum meriti, ſed per modum orationis, ſeu impetrationis. Suppono, meritum diſtingui ab impetratione, ſeu oratione: (de quo alibi.) Suppono deinde, vnum actum meritorium charitatis v. g. quem modo exerceo, non dignificari in ratione meriti ab aliis actibus meritoriis, & quos anteà habui; quia vt Deus præmiet de condigno hunc actum, non conſiderat bonitatem aut dignitatem aliorum actuum, ſed huius ſolius: meritum enim eſt quaſi emptio præmij, pro qua non conſiderantur aliæ priores emptiones: vnde in Chriſto Domino actus, qui voluit ieiunare v. g. in ratione meriti non habuit maiorem valorem, eò quòd præceſſiſſent alij actus, quos de facto habuit, quam ſi non præceſſiſſent: eumdem enim valorem habuiſſet illud ieiunium, etiamſi fuiſſet primus actus inter omnes Chriſti; vnde infertur, Eodem modo actum illum, quo inſtituit Sacramenta, & ſubſtituit Miniſtros, in ratione meriti non accepiſſe valorem ab actu moriendi & conſequenter nec ea noſtra Sacramenta in ratione meriti habuiſſe vllum valorem ex voluntate moriendi; in oratione autem ſeu impetratione aliter ſe res habet; oratio enim accipit valorem non à ſola voluntate orandi, ſed etiam ab omnibus aliis obſequiis, & titulis propoſitis ſeu repræſentatis Deo ab ipſo orante ad hoc, vt obtineat rem quam petit: id quod verum eſt, etiamſi ea obſequia & tituli non ſint illius qui orat, ſed alterius, quem vt interceſſorem ponit. Orat quis Deum v. g. vt per merita Beatæ Virginis concedat Petro ſalutem; illa oratio, quæ ſi homo ſit in gratia, eſt etiam meritum, diuerſo modo dignificatur à meritis Beatæ Virginis in ratione orationis ac in ratione meriti: in hac in nullo modo creſcit, non accipit valorem à meritis B. Virginis; at vt oratio eſt, dignificatur ab eis meritis, vt poſſit Deus moueri per modum impetrationis ad conferendam Petro ſalutem ob merita B. Virginis. Quòd ſi quando merita ſunt aliena nolis hanc doctrinam admittere; certè quando propria ſunt, non poteris illam negare; nam licet meritum non creſcat ex maiori gratia operantis, aut ex meritis præcedentibus (vt communior docet ſententia) oratio tamen ſeu impetratio creſcit ex maiori gratia orantis & ex præcedentibus meritis: faciliùs enim exauditur, qui gratior eſt apud perſonam quam orat, vt ex terminis videtur per ſe notum.

Sacramenta in ratione meriti non acceperunt valorem ab actu moriendi.

Hinc dicimus, Sacramenta etſi ſint actiones externæ ſolius præciſè voluntatis ſubſtitutiuæ Miniſtrorum, & in ratione meriti ab hac ſola dignificentur (vt contendit obiectio,) nihilominus tamen in ratione impetrationis ſeu orationis dignificari etiam à paſſione Chriſti, qui dum ſubſtituit pro ſe Miniſtros, petiit ſimul à Patre æterno, vt daret gratiam in collatione eorum Sacramentorum propter paſſionem & mortem ſuam, vt dignificantem eas actiones ſuas externas; ſicut ſi peteret quis per Legatum ab alio ſibi conferri beneficium aliquod propter antiquam amicitiam & obſequia, &c. 39

In ratione impetrationis dignificantur à paſſione.

Hinc etiam conſtat, licet Chriſtus iam primò in cœlo inſtituiſſet Sacramenta, potuiſſe nihilominùs illa valorem & condignitatem habere ſufficientem ad gratiam in ratione orationis, non verò in ratione meriti; quia ad orandum etiam nunc eſt in ſtatu capaci, licet non ad merendum propter ſolam externam voluntatem Dei, vti & alij Beati; quia verò aliqui videntur etiam negare, Chriſtum orare pro nobis in cælo (in quo fortè eſt quæſtio de nomine; de quo egi Tomo 6.) dici poteſt, per modum ſaltem repræſentantis ſua merita poſſe de condigno impetrare gratiam per actiones Sacramentorum, etſi ea impetratio non dicatur oratio.

SVBSECTIO IV.

Obiectio ex Circumciſione explicatur.

OBiicies, Eò ipſo quòd Circumciſione poſita Deus dederit gratiam, dici debet ea Circumciſio cauſa moralis eius gratiæ; quia Circum vt præuiſa exiſtens mouit Deum ad eam collationem gratiæ, non minùs quàm

Quis ſit conceptus cauſæ moralis. Diſtinctio inter cauſam moralem & puram conditionem exemplis oſtenditur à Cardinale Lugo.

conſilium & mandatum mouent ad rem imperatam, &c. Conceptus autem cauſæ moralis eſt, quòd media cognitione ſui determinet aut inducat agens ad operandum. De hac obiectione fusè Cardinalis Lugo ſuprà à numero 75. vbi explicat multis exemplis differentiam inter cauſas & conditiones morales: infirmitas Petri v. g. mouet me vt eum viſitem; ſanè ea infirmitas non eſt cauſa moralis me mouens: moueor enim ſolùm ob honeſtatem in illa viſitatione repertam: eſt ergo pura conditio neceſſaria vt locum habere poſſit illud opus charitatis. Secundò, ſi votum facio, quòd velim diebus Feſtis orare roſarium, & deinde Epiſcopus iubeat ſanctam Catharinam v. g. celebrari, non dicetur Epiſcopus cauſa moralis eius meæ orationis; ad hanc enim ſolùm mouet votum; præceptum verò Epiſcopi eſt conditio, vt hìc & nunc poſſit habere locum illud votum. Id quod ratione à priori ſic declaratur; nam conditio videtur ſe tenere potiùs ex parte operis ipſius faciendi, cauſa verò ſe habet vt motiuum ad opus ipſum.

41 *Reiicitur modus explicandi conditionem à Cardinale Lugo aſſignatus.*

Ego quidem in exemplis illis allatis facilè admitto eam diuerſitatem quam hic Auctor ponit; hoc tamen vltimum non cenſeo eſſe verum, nam ſine dubio honeſtas moralis, quæ reperitur in eleëmoſyna, in temperantia, &c. eſt motiuum formale alliciens, ea tamen honeſtas tota quanta ſe tenet ex parte rei faciendæ, ſeu ex parte eleëmoſynæ dandæ; ergo non eſt verum vniuerſaliter illam eſſe conditionem moralem quæ ſe tenet ex parte operis faciendi. Deinde vix poteſt applicari ea ratio ad Circumciſionem: hæc enim non ſe tenet ex parte gratiæ quæ data fuit infantibus, (& idem dico de morbo reſpectu actus miſericordiæ: morbus enim non tenet ſe ex parte ſubleuationis illius; imò eſt id quod homo vult deſtruere;) & tamen Circumciſio & morbus ſunt per modum puræ conditionis.

Deinde ſicut morbus eſt conditio ad hoc, vt habeat locum opus miſericordiæ; ita præceptum Superioris eſt conditio, vt habeat locum actus obedientiæ; in vtroque autem caſu ſolùm mouet honeſtas quam habet actus obedientiæ, & actus miſericordiæ; cur ergo, quæſo, dicetur conſilium moralis cauſa, morbus verò conditio? Iudico ergo in hoc puncto multum miſceri de nomine circa modum quo debeant vocari illa, quæ nos diximus eſſe conditiones; quoad rem tamen ipſam differentia duplex mihi occurrit, per quam facilè explicatur tota obiectio: Prima eſt, quòd Sacramenta noſtra mouent Deum tanquam habentia valorem & condignitatem æqualem (imò, vt diximus, infinitè maiorem) cum gratia danda; ergo iure merito dicuntur cauſæ morales gratiæ, tanquam eam gratiam adæquatè eminenter continentes: conditio enim quà talis non continet effectum; id enim proprium eſt ipſarum cauſarum, maximè adæquatarum; at Circumciſio nequaquam continuit gratiam, ſed perinde ſe habuit ac ſi quis diceret, Cras, cùm primùm ortus fuerit Sol, tibi conferam hoc vel illud beneficium: ortus enim Solis nullam habet eius beneficij continentiam; neque aliter ſe habet in genere moris quàm approximatio ſe habet in genere phyſico ad hoc, vt ignis calefaciat: Deus enim; qui vti ſupremus Dominus gratiæ poſſet eam conferre cuicumque vellet, pro ſolo ſuo libitu poteſt etiam exigere quaſcumque velit conditiones, vt eam conferat; quantumuis illæ ſint omnino improportionatæ cum gratia, vti fuit improportionata Circumciſio; quia, vt ſuprà diximus, ex nullo capite erat eius gratiæ meritoria aut impetratoria de condigno; iure ergo merito debet iudicari pura conditio in genere moris; noſtra verò Sacramenta debent dici cauſa moralis gratiæ.

Facilis modus explicandi obiectionem.

Hinc ſoluitur facilè in forma obiectio ſuprà poſita; dicimus enim, Ex eo quòd neceſſarium fuerit præuideri Circumciſionem exiſtentem ad hoc, vt Deus vellet dare gratiam, ſolùm inferri id quod diximus, eam ſcilicet pertinere ad genus moris: quæcumque enim in eo genere concurrunt, neceſſariò debent ab agente rationali præuideri, vt ſic poſſint excitare voluntatem illius ad faciendum hoc vel illud; addo tamen, ſub hoc modo mouendi eſſe ſummam diuerſitatem, quia aliud eſt præuideri vt proportionatum cum effectu, aliud vt quid vacuum & inane, eſto hìc & nunc ex libertate agentis requiſitum ad talem effectum. 42

Soluitur in forma obiectio.

Declaro id ipſum ampliùs; nam eſto contritio non ſolùm per modum conditionis; ſed vt habens aliquam proportionem ſaltem congruam cum gratia, moueat Deum ad dandam eandem gratiam; quia tamen non mouet ex condignitate, dicitur communiter etiam à ipſo Concilio Tridentino ea gratia dari gratis, perinde ac ſi daretur ex pura puta liberalitate Dei, ac proinde in genere moris non reputatur cauſa iuſtificationis ea contritio, ſed conditio, quantò ergo cum maiori iure reputaretur, ſi nullam habuiſſet nec quidem congruitatem cum eadem iuſtificatione, ſed Deus v. g. dixiſſet, Si fricueris barbam, dabo tibi gratiam? certè nullus prudens diceret illam fricationem barbæ eſſe cauſam gratiæ, ſed puram conditionem ex ſola Dei voluntate requiſitam: Circumciſio igitur non aliter ſe habet quàm ea fricatio.

Declaratur data ſolutio.

Iuxta hanc doctrinam dico poſſe explicari, cur mandatum & conſilium dici meritò poſſint cauſæ morales, quia præceptum ratione reuerentiæ ipſi debitæ eſt dignum cui homo obediat, conſilium, quatenus proponit motiua, ob quæ res illa fieri debet, iure merito dicitur cauſa: quid enim potiori iure dicetur cauſa quàm motiuum ipſum rei faciendæ? morbus autem reſpectu infirmi potiùs habet rationem mali quod homo auerſatur, quod deteſtatur, quod vult deſtruere, quàm rationem motiui; ac proinde potiùs debet dici conditio quam cauſa. Neque obeſt quod nos aliquando in communi modo loquendi ſoleamus dicere, *Eo ad viſitandum illum quia eſt infirmus*; vbi τὸ *quia* inſinuare videtur morbum eſſe cauſam eius viſitationis, hoc inquam non obeſt: ſæpè enim τὸ *quia* etiam in rebus phyſicis applicatur ſoli conditioni; frequentiſſimè enim dicimus, Ignis calefacit, quia eſt applicatus, cùm tamen applicatio ſolùm ſit pura puta conditio: eodem modo homo dicitur pœnitentiam agere, quia peccauit, cùm tamen peccatum non ſit motiuum pœnitentiæ, ſed potiùs id quod homo deteſtatur.

Quare mandatum & conſilium dicantur cauſæ morales.

45 *Diſcrimen inter conditionem & cauſam moralem ab amore & cognitione.*

Secunda ratio, aut potiùs maior declaratio præcedentis, poteſt eſſe, vt ea ſola dicantur in genere moris conditio quæ concurrunt vt cognita, non vt amata; ea verò è contrario ſint cauſæ morales, quæ ob bonitatem ſuam præcog-

nitam

Digitized by Google

nitam aliciunt, non quæ ſine vllo amore purè cognita determinant; morbus quidem præcognoſci debet; vt ego poſſim actum miſericordiæ exercere in infirmum: at morbus ille non vt amatus, imò vt odio habitus mouet. Similiter ſi quis diceret famulo, *Omnibus habentibus veſtes virides da talem aut talem rem*, deberet quidem famulus, vt illam rem daret, agnoſcere Petrum habere tales veſtes virides; at tunc nullo modo illæ veſtes virides vt amatæ concurrerent, ſed purè purè vt cognitæ; honeſtas è contrario, quæ in parendo mandanti reperitur, me tunc moueret ad dandam illam rem. Cùm ergo Circumciſio Deum mouerit vt cognita, non propriè vt amata, quia iam diximus ſine vlla honeſtate ſpeciali, ob quam Deus eam amaret, illum mouiſſe, quatenus ipſe ex ſua libera voluntate ſe determinauerat ad gratiam dandam, ea poſita, meritò dici debet pura conditio; at Sacramenta noſtra, quæ tanquam actiones Chriſti Domini infinite Deo placebant, mouerunt illum vt amata, ideóque veriſſimè ſunt cauſa moralis.

44 Facilis & clara videtur hæc differentia, ſolumque poteſt obiici contra illam Primò, nam Circumciſio etiam placebat Deo; ipſe enim illam inſtituerat optabatque ſeriò vt mandaretur executioni; vnde è contrario quando à Iudæis negligebatur, offendebatur; ergo illa non erat pura conditio, ſed potiùs cauſa, iuxta explicationem ſecundo loco datam. Reſpondeo, Hinc probari, Circumciſionem non omnino fuiſſe purè purè conditionem præuiſam, ſed aliquo modo amatam, ſaltem ea ratione qua erat executio voluntatis diuinæ: omni enim Legiſlatori, maximè autem Deo, gratum eſt, ſi ipſius præcepta ſeruentur: poſſumus tamen hæc duo conſiderare ibi; Vnum eſt, quòd Circumciſio eſſet impletio præcepti diuini, & ſecundùm hoc fatemur Deo placuiſſe; at vt ſic non poterat dici mouere Deum ad dandam gratiam: nam etiam adultus, qui in infantia non ſuſceperat Circumciſionem, tenebatur tamen illam ſuſcipere; nec propterea conferebat tunc gratiam, etiamſi eſſet adimpletio præcepti. Idem dico, ſuo modo de omnibus aliis cæremoniis legalibus, quarum obſeruatio Deo erat grata; nec tamen cauſabat gratiam ex opere operato. Alterum, quod in ea Circumciſione poſſumus conſiderare, eſt, quòd fuerit à Deo determinatè requiſita, vt ea poſita daret ipſe gratiam infanti circumciſo; & ſecundùm hanc rationem dicimus non mouiſſe vt amatam, ſed quia ipſe ex ſua voluntate ſe determinauit ad non remittendum originale infantibus, niſi poſita ea Circumciſione, vti diximus ſuprà potuiſſe ſe determinaſſe ad non dandam gratiam ex opere operato niſi fricanti barbam; quo caſu ea fricatio non mouiſſet vt amata, ſed vt præcognita.

Obiectio ſumpta a Circumciſione a Deo amata expeditur.

Quomodo Circumciſio non mouerit Deum vt amata, ſed cognita.

45 Eſt tamen adhuc ſecunda difficultas circa præcedentem explicationem; nam etiam præceptum & votum non videntur mouere ad opus vt volita, ſeu amata, ſed purè vt cognita: optimè enim fieri poteſt, vt quis non libenter habeat præceptum, eo tamen poſito determinetur ad opus efficiendum ob honeſtatem repertam in obedientia: & idem dico de voto; nam etiamſi quis non libenter habeat ſe vouiſſe, non tamen vult negligere quod vouit, ne peccet; ergo tunc votum ſolùm vt cognitum concurret, non vt amatum; ergo iuxta explicationem datam non erit cauſa, ſed conditio; certum tamen eſt imperantem eſſe cauſam moralem, non conditionem; idem dico de voto. Reſpondeo, Mandatum & votum etiamſi aliquando eo modo concurrant vt cognita, non vt amata; nihilominùs etiam tunc diuerſo modo ſe habere circa illud opus, quàm circa morbum ſe habeat, qui ægroto inſeruit; nam eſto in eo caſu ille non amet præceptum, ex reuerentia tamen circa illud mouetur ad opus: idem dico de voto; at circa morbum potiùs habet odium, nullum autem habet affectum amoris aut reuerentiæ, cultus, honoris, &c. ideò meritò morbus dicitur pura conditio, mandatum verò & votum dicuntur cauſa illius operis. Satiſque ſit de hac obiectione quæ ad vocem ferè ſpectat.

Obiectio à voto & præcepto.

Solutio.

SVBECTIO V.

Aliæ Obiectiones expeditæ.

46 PRIMA ſit: Nam Sacramenta non mouent niſi vt actiones externæ Chriſti Domini; & conſequenter purè mouent, denominatiuè & per accidens; nam ratio tota meriti ſolùm fuit in ipſa volitione interiori, quæ (vt diximus ſuprà) ita adæquatè continet rationem meriti, vt ex eo quòd actio exterior deſit, non ſit minoris æſtimationis, quàm eſſet, ſi ſequeretur ea actio; quia hæc cùm non ſit libera, nihil addit formaliter de merito aut demerito. Hanc obiectionem tangit vbi ſuprà Cardinalis Lugo, eique benè reſpondit, Sacramenta noſtra non cauſare gratiam per modum meriti, ſed per modum orationis (vt ſuprà fuſiùs deduximus;) hanc verò eſſe inter impetrationem, ſeu orationem, & inter meritum differentiam, quòd meritum ita conſiſtat præcisè in voluntate interiori, vt exterior ei addita omnino per accidens ſe habeat ad illud neque augendo, neque minuendo; at in ordine ad orationem ſeu impetrationem ipſa actio exterior etiam concurrit æqualiter, ita vt ſi illa non ſequatur, non ſequatur etiam impetratio; vti in materia de Satisfactione nos diximus, actionem exteriorem eſſe propriè & non denominatiuè ſatisfactoriam, interiorem verò actum eſſe ſolùm meritorium. Vnde negatur actiones Sacramentorum ſe habere per accidens ad mouendum Deum in ordine ad gratiam; vti in ordine ad ſatisfaciendum non ſe habet per accidens, ſed valdè per ſe dolor ipſe phyſicus exterior. Fortaſſe poſſet etiam Secundò reſponderi, Licet actio exterior non addat nouum meritum ſupra volitionem interiorem, & conſequenter non addat nouam complacentiam Dei; non tamen ideò eam actionem non eſſe propriè dignam amore & beneuolentia diuina: oportet enim in hoc puncto duo diſtinguere (quæ ſunt inter ſe valdè diuerſa) ſubiectum ſcilicet denominationis alicuius, & formam ipſam quæ denominat. 47

Vnde facilè ad obiectionem dicimus, Etiamſi volitio interior ſola ſit forma, verè tamen illa opera exteriora dignificari vt ſubiectum, & reddi Deo grata ab ea volitione; vti Deo non ſolùm eſt grata ipſa gratia habitualis, ſed homo, qui ea gratia dignificatur; ad hoc ergo vt Sacramenta noſtra verè dicantur condigna gratia, ſufficit quòd ipſa informentur volitionibus interioribus honeſtis Chriſti Domini, licet in ſe ipſa nullam

Obiectio prima.

Reſponſio Cardinalis Lugo probatur.

Differentia inter impetrationem & meritum.

Altera ſolutio.

Digitized by Google

lam nouam habeant condignitatem;vti è contrario non eſt dubium quin fornicatio ipſa exterior diſpliceat Deo,& illa ſit pœna digna, eſto habeat id denominatiuè à volitione interiori eam amantis vt à forma: in quo maximè differunt noſtra Sacramenta ab antiquis,quia illa nullo prorſus modo habuerunt condignitatem neque intrinſecè neque extrinſecè (vt diximus ſæpè in hac materia;) noſtra verò eam habent modo explicato.

Contra proximam ſolutionẽ replica.

Sed contrà hæc ſit replica; Nam etiam Circumciſio erat per modum locutionis exterioris Dei: nam (vt alibi diximus) Sacramentum omne eſt per modum pignoris; pignus autem eſt quædam atteſtatio ex parte promittentis.Huic obiectioni reſpondet Cardinalis Lugo, etiam Sacramenta antiqua fuiſſe cauſam gratiæ, non quæ tunc data fuit, ſed quæ danda erat in Lege gratiæ, quia erant promiſſiones gratiæ nobis dandæ; promiſſio autem eſt cauſa gratiæ; eam verò gratiam, quam de præſenti cauſauit Circumciſio, non fuiſſet per illam promiſſam: neque enim Deus,aut Miniſter nomine Dei, promittebat eam gratiam, cùm ad hoc inſtituta non eſſet Circumciſio; ſed poſito Sacramento Deus ex vi ſuæ promiſſionis præteritæ dabat gratiam infanti circumciſo; vbi Sacramentum non ſe habebat vt cauſa gratiæ, ſed ſolùm vt conditio complens caſum pro quo Deus promiſerat gratiam. Hæc ſolutio mihi non omnino

Solutio Cardinalis Lugo non probatur.

48 probatur;Primò,quia ſine ſufficienti fundamento negat Circumciſionem fuiſſe promiſſionem gratiæ in ipſa danda. Secundò, quia videntur in ea ſolutione duo contraria dixi,ex vna namque parte negatur Circumciſionem fuiſſe promiſſionem gratiæ; ex altera verò dicitur, *Deum vi ſuæ antiquæ promiſſioni de danda gratia illam dediſſe*; vbi iam ſupponuntur promiſſio Dei de gratia per Circumciſionem conferenda: ſi autem hæc promiſſio præceſſerat, profectò ea videbatur renouari, quandocumque Circumciſio exercebatur, & dabatur per eam gratiam: quid enim illi quæſo deerat ad id? vti de facto noſtra Sacramenta promittunt eam gratiam,quam de præſenti dant; ergo Circumciſio vtráque gratiã promittebat,& præſentẽ & futurã.

Solidior ſolutio.

Meliùs ergo obiectioni propoſitæ reſpondetur ex dictis ſuprà,Deum ſecundùm ſe nec meriti nec impetrationis eſſe capacem:ideò etiamſi Circumciſio eſſet loquela exterior Dei, non tamen ideò fuiſſe condignam gratia vllo modo; vti actiones reliquæ Dei ad extra non cenſentur actiones morales habentes valorem aut dignitatem vllam in ordine ad mouendum aut impetrandum; alioquin & ipſa phyſica productio cœli, & ipſa creatio terræ, quia ſunt actiones dignæ infinito præmio; quod tamen nullus dixit. Ne verò fortè in hoc ipſo fiat aliqua quæſtio de voce, addimus, hanc totam condignitatem, quæ communis eſt omni actioni Dei ad extra, reperiri etiam in noſtris Sacramentis, & præter hanc reperiri illam aliam, quòd ſit actio Chriſti; hac autem dignitate carent Sacramenta antiqua, & ratione huius ſpecialiter noſtra poſſunt dici eſſe condigna gratia præ antiquis; &, vt ad intentum redeamus, noſtra eſſe veram cauſam moralem, antiqua verò eſſe tantùm conditiones.

Obiicies adhuc, & ſit ſecunda replica contra dicta: Nam ſi Chriſtus fecerat pactum ante
49 mortem cum Deo, vt poſito Baptiſmo daret gratiam; profectò etiamſi illud pactum fuiſſet per modum impetrationis; ſeu orationis, quia tamen Deus ſtatim annuit petitioni, videtur petitio ipſa externa, quæ poſteà ſecuta eſt, dicenda pura conditio: vti ſi quis alterum ſic rogaret, *Quæſo, vt quando miſero meum famulum, des illi pro me mille aureos*, & alter ſtatim annueret; ſanè petitio, ſeu aduentus famuli, non poſſet deinde reputari niſi per modum puræ conditionis. Reſpondet Cardinalis Lugo, Duobus modis poſſe illud pactum fieri; primò, vt petitio famuli ſit pura conditio; ſecundo modo; ità vt ipſæ etiam preces famuli ſint meritum. Si hoc ſecundo modo res fiat, ait ſine dubio preces eſſe cauſam moralem; & hoc ſecundo modo indicat contigiſſe in noſtris Sacramentis: vti enim Chriſtus promeruit nobis gratiam dandam per contritionem; ita tamen vt ipſa contritio ſit etiam motiuum gratiæ; ſic promeruit gratiam dandam per Sacramenta, vt hæc ipſa ſint etiam complementum eius meriti, ſeu impetrationis. Quòd ſi vlteriùs replices, Si datur gratia vi pacti præcedentis, repugnat dari eam tanquam ob meritum ratione ſecundæ petitionis; reſpondet negando ſequelam, quia benè poteſt pactum illud primum eſſe tantùm motiuum mediatum volitionis diuinæ, qua in executione datur gratia: id quod explicari ſic poſſet, vt Deus vi pacti, ſeu ex vi meritorum Chriſti, habuerit voluntatem reflexam habendi deinde ſecundam aliam volitionem, per quam det gratiam ob petitionem Miniſtri exercentis Sacramenta; vti poteſt, quis habere volitionem reflexam, quæ ſit amor Dei in ſe, & ſimul imperet voluntatem dandi eleẽmoſynam: quo caſu ea eleemoſyna per hunc ſecundum actum data, pro motiuo proximo non habebit niſi honeſtatem eleẽmoſynæ, eſto, mediatè habeat Deum pro obiecto, quatenus eſt imperata ab amore Dei.Contra hanc ſolutio-
nem duplex videtur vrgere difficultas; quia 50
cùm frequentiſſimè preces illæ adminiſtrantium Sacramenta ſint penitus in ſe indignæ exauditione, imò potiùs è contrario ſint grauiter peccaminoſæ, non poteſt facilè intelligi, quomodo illæ poſſint immediatè mouere Deum: repugnat enim me pactum facere, vt Petrus moueatur de condigno, vel etiam de congruo, ad conferendum beneficium ob eam actionem, quæ meretur potiùs grauiſſimam pœnam, v.g. ob preces famuli, qui petendo grauiſſimè illum offenderet; ergo ſi illa volitio ſecunda habet diſtinctum motiuum immediatum, debet illud eſſe tale quod gratiam mereatur: & in hoc magna eſt diuerſitas inter contritionem reſpectu gratiæ, & inter noſtrum caſum; nam ibi contritio eſt in ſe bona, laudabilis, de congruo meritoria, etiam vt condiſtincta à præcedentibus meritis Chriſti Domini; ac proinde rectiſſimè potuit Chriſtus paciſci cum Patre; vt deinde haberet volitionem, quá motus ob contritionem tanquam ob meritum congruum, daret gratiam: at in noſtro caſu ſupponuntur, vt dixi, preces illæ indignæ penitus, ergo non poſſunt eſſe motiuum immediatum niſi tanquam pura puta conditio. Imò ex hac inſtantia contritionis retorqueo ego argumentum; quia enim contritio in ſe non eſt niſi de congruo digna remiſſione peccati & gratia; profectò quamuìs præceſſerit opus Chriſti in ſe ſummè condignum;nihilominùs eam immediatam dationem gratiæ

Replica altera à pacto Chriſti cum Deo facto.

Similitudine firmata.

Reſponſio Cardinalis Lugo.

Contra reſponſionem Cardinalis Lugo duplex difficultas: Prima

Digitized by Google

gratiæ non obtinet de condigno, ſed de congruo; ergo actio Sacramenti, quando eſt mala, neque de congruo, cauſabit gratiam: quòd ſi ideò recurras ad volitionem Chriſti præcedentem, à qua impetratur actio illa Sacramentalis, dicaſque eam, non vt eſt Miniſtri, ſed vt eſt Chriſti, habere illud meritum, iam argumentum habebit vim, quòd ſcilicet totum meritum, ſeu tota impetratio ſit completa olim; de facto verò actio Sacramentalis ſolùm ſit per modum conditionis tam in genere meritorum

51 *Altera difficultas contra reſponſionem Cardinalis Lugo.*

quàm in genere impetrationis. Altera difficultas contra eam ſolutionem eſt, quòd ſi iam Chriſtus obtinuit ſuis operibus illam ſecundam volitionem Deî de danda gratia, poſita actione externa Sacramentali, non videtur in genere moris ea actio eſſe poſſe meritoria; quia nouo merito debet reſpondere in præmium aliquid, quod anteà non ſit ſub obligatione.

Secunda difficultas enodatur:

Hæc tamen ſecunda difficultas facilè enodatur, quia, iuxta ea quæ nos ſæpè diximus, cùm Deus non teneatur dare gloriam, etiamſi creatura ipſi offerat meritum æquale; ſicut non tenetur mercator ſuas merces vendere, etiamſi ego illi offeram pretium illis æquale; facillimè intelligitur, quomodo Chriſtus potuerit à Deo mereri,

Simili declaratur.

vt quandocumque ego offeram illi æquale aliquid pro gratia, Deus illam mihi det: vti ego poſſum obtinere à mercatore beneficio aliquo à me ipſi collato, vt quando Petrus venerit pro mercibus, & dederit pretium æquale, eas ei vendat, nec poſſit iam ei negare emptionem; per quod tamen non impeditur, quò minùs Petrus nihil accipiat gratis; ita etiam in præſenti dicimus. Quod autem addebatur, præmium debere eſſe tale, vt non debeatur ante meritum, omnino eſt veriſſimum; negamus autem in præſenti ante Sacramenti actionem deberi gratiam; concedimus deberi à Deo acceptationem operum Sacramentalium in ordine ad gratiam dandam; at negamus gratiam ipſam deberi, ſicut in exemplo poſito; etſi, antequam Petrus offerat pecuniam mercatori, tenetur hic ad contractum acceptandum, quando fuerint pecuniæ oblatæ; at, vt diximus, ad merces ipſas dandas non tenetur niſi pecunia oblata; cumque hæc ſit æqualis mercibus, haud dubiè tunc illa venditio erit ex toto rigore iuſtitiæ: nulla ergo eſt difficultas in ſecunda ea obiectione.

52 *Difficultas prima maior ex ſolutione reſponſionis oſtenditur.*

Maiorem nobis ingerit prima; ei aliquis reſponderet ex doctrina à nobis hîc ſæpè tradita, eas actiones Sacramentorum poſſe conſiderari pro it ſunt actiones Miniſtrorum, & vt ſic non eſſe cauſas morales gratiæ, imò ſæpè poſſe eſſe grauiter peccaminoſas; noſtram autem replicam ſolùm habere locum in eis eo modo conſideratis: conſiderari ergo aliter poſſunt, quatenus ſunt actiones Chriſti; & in hoc ſenſu illas poſſe eſſe condignas gratiæ, ſeu cauſas morales illius. Sed contra, quia in hoc ſenſu iam non facimus hîc duo merita, ſed præciſè vnum conflatum ex illa priori inſtitutione Chriſti, & ex Sacramento; vti non ſit duplex meritum ex actione interiori & ex exteriori, neque duplex impetratio.

Duplex ad difficultatem primam reſponſio Prima:

Nihilominùs tamen poteſt adhuc dupliciter reſponderi; Primò, per vnum actum fuiſſe à Chriſto obtentum, vt Deus noſtra Sacramenta acceptaret tanquam actiones, quas ipſe erat conſtituturus ſuas; per alterum verò deinde illas conſtituiſſe de facto deſignando ſuos Miniſtros Sacramentorum, vt nomine ipſius offerrent Sacramenta: quo poſito facilè intelligitur duplex meritum, vel impetratio; prima in actu illo priori ſecundùm ſe ſumpto; ſecunda in altero actu coniuncto cum operatione externa: Quæ doctrina eodem modo poteſt habere locum, ſi priùs habuiſſet Chriſtus voluntatem inſtituendi Sacramenta, & homines vt Miniſtros ſuos; deinde rogaſſet Patrem, vt eis Sacramentis daret gratiam. Et hæc eſt facillima obiectionis ſolutio, quam fortaſſe aliquis contenderet in vno eodemque actu habere poſſe locum, vt ille vnus quidem in ſe haberet duplicem conſiderationem; vnam, qua rogaret Patrem pro danda ea gratia; alteram, qua Miniſtros delegaret nomine ſuo, & Sacramenta inſtitueret; ac iuxta diuerſas has conſiderationes poſſet habere rationem meriti, ſeu impetrationis illius duplicis mediatæ & immediatæ. Quidquid tamen de hoc ſit, faciliùs res tota explicatur per duos eos actus.

53 *Secunda.*

Altera ſolutio eſt, in vno eodemque actu etiam ſine duobus illis reſpectibus poſſe optimè concurrere; & quòd in ſe ſit meritorius, & quòd ſimul informet illam actionem exteriorem, non quidem ad nouum meritum, ſed vel ad ſatisfactionem nouam, vel ad nouam impetrationem.

Exemplo explicatur.

Hinc enim explicuimus in materia de Pœnitentia, quo pacto actus interior amoris Dei v. g. imperans ieiunium ſimul ſit ex integro meritorius gratiæ & gloriæ, & ſimul per modum formæ dignificet ipſum ieiunium in ordine ad ſatisfaciendum etiam de condigno pro debito pœnæ temporalis in Purgatorio; eodem modo dicimus in præſenti illam externam orationem, vt dignificatam voluntate interiori Chriſti Domini, habere impetrationem condignam gratiæ & gloriæ; quæ impetratio eſt adæquatè diſtincta à merito illo, quod in eadem volitione interna reperitur; quia (vt ſuprà inſinuauimus) ratio impetrationis poteſt conuenire etiam actioni externæ, vt diſtinctæ ab interiori vt promerente, etiamſi debeat ab ea vt à forma dignificari. Et ſatis de hoc argumento.

Obiectio [?]: Quòd Sacramenta ſint principales cauſæ gratiæ Contrà Concilium Tridentinum.

Vltimò obiici poteſt, Sequi hîc è contrario nimis multum, ſcilicet Sacramenta eſſe cauſas principales gratiæ, non inſtrumentales: id quod videtur eſſe contrarium Concilio Tridentino Seſſione 6. cap. 7. vbi Baptiſmum dicit cauſam inſtrumentalem noſtræ iuſtificationis. Sequela autem probatur, quia Sacramenta quà talia concurrunt per virtutem ſibi intrinſecam, quatenus ſunt opera Chriſti; hoc autem eſt eſſe cauſam principalem gratiæ.

Confirmatio.

Confirmatur: Opera Chriſti Domini reſpectu ſalutis noſtræ nequaquam poſſunt dici inſtrumenta, ſed cauſa principalis; ergo Sacramenta, vti opera Chriſti, erunt cauſa principalis, non verò inſtrumentalis.

Reſponſio à ſimilitudine.

Reſpondetur: Vti in communi modo loquendi ea quæ Rex, Imperator aut Pontifex facit per Proregem vel Legatum, dicuntur communiter fieri ab ipſo Rege, Imperatore, &c. vt à cauſa principali, à Legato verò vt ab inſtrumento; ita Sacramenta, quæ ſe habent per modum delegatorum, dicuntur inſtrumenta, eſto moraliter dici poſſent cauſa principalis.

54 *Replica expeditur.*

Replicabis, Id quidem eſſe verum, ſi loquamur de ipſis Sacramentorum Miniſtris; quia

illi ſunt inſtrumenta Chriſti Domini; at ſi loquamur de Sacramentis, cùm illa ſunt actiones Chriſti, non videtur poſſe negari ea eſſe cauſas principales. Reſpondeo, illas ipſas actiones Sacramentales, cùm phyſicè loquendo non ſint Chriſti, ſed ab eo aſſumptæ ad intentum cauſandi gratiam, meritò dici inſtrumenta, non verò cauſas principales, in quo differunt valdè hæ actiones ab illis quæ ſunt propriæ Chriſti phyſicè: vnde etſi paſſio & aliæ actiones immediatè Chriſto conuenientes dicantur cauſa principalis, non ideò Sacramenta debent etiam dici principalis. Adde, etſi diceremus Sacramenta ſecundùm id, quod dicunt in obliquo, eſſe cauſas principales, non multum aberraturos. Neque Concilia contrarium ſentiunt vllo modo: illa enim loquuntur de cauſa inſtrumentali non eo ſenſu quo in Scholis, ſed vulgariter; vti ſolemus dicere ignem calefacere, ſeu operari per calorem tanquam per inſtrumentum, cùm Scholaſticè loquendo certum videatur calorem ignis eſſe cauſam principalem reſpectu caloris producti; in vulgari ergo phraſi ea omnia, per quæ alia nobilior cauſa operatur, dici ſolent inſtrumenta: quia ergo Chriſtus per Sacramenta cauſat in nobis ſalutem, dici ea ſolent inſtrumentum: quo ſenſu frequentiſſimè etiam dici ſolet mors & paſſio Chriſti inſtrumentum, per quod nos redemit.

Sacramenta ſunt cauſa inſtrumentales.

Quo ſenſu dici poſſint cauſa principales.

55 Secundò id ipſum adhuc clariùs patet; nam ſi quis imperet famulo vt occidat ſuum inimicum, licet famulus ſit cauſa principalis, & verò etiam adæquata eius necis; nihilominùs quia moraliter res tota incepit à domino præcipiente, ſolet dici famulus ille inſtrumentum domini: ſi quis item alterum adhibeat vt obtineat ſuis precibus aliquid à Rege, ſolet dici ille qui adhibuit vſus fuiſſe altero tanquam inſtrumento; quantumuis ipſe qui obtinuit ſua auctoritate, tanquam cauſa adæquata id obtinuerit: quo ſenſu iure merito Deus ſolus dicitur cauſa principalis noſtræ ſalutis, tum quia ipſe ſolus illam operatur phyſicè; nam ſolus ille gratiam producit tum maximè, quia ipſe humanitatem Chriſti ad hoc creauit: & licet, quando loquimur de Chriſto, quia includitur iam ibi Deus abſolutè, non poſſit dici Chriſtus cauſa inſtrumentalis, ſed principalis ſalutis noſtræ; tamen ſi de humanitate noſtra loquamur, dicere eam poſſumus inſtrumentum noſtræ ſalutis, eſto actiones ipſius fuerint æqualis valoris cum redemptione noſtra; ac proinde eſto in eo ſenſu fuerint cauſa principalis. Et ſatis de hac obiectione, quæ tota quanta ad modum loquendi pertinet.

Ratio inſtrumenti declaratur ſimili.

Conſtet igitur ex huc uſque dictis noſtra Sacramenta veras fuiſſe cauſas moralem, condignas gratiæ, tanquam actiones Chriſti Domini moraliter per ſuos Miniſtros exercitas, & in hoc maximè fuiſſe antiquis excellentiora; etiamſi admittamus in Circumciſione collatam fuiſſe gratiam primò quoad differentiam hanc etiamſi concederemus in omnibus illis Sacramentis antiquis fuiſſe datam: vti enim Circumciſio exceditur, ita omnia cauſarent gratiam. Et ſatis de hac cauſalitate morali, de qua egi fuſiùs, quia minùs diſtinctè ea fuerat ab Auctoribus declarata.

Concluditur, Sacramenta noſtra eſſe veras cauſas morales; & digniora antiquis.

SECTIO IV.

Diſcutiuntur aliqua dubia circa eam cauſationem gratiæ.

MVLTA ſub hoc titulo comprehenduntur quæ debent diſtingui. 56

SVBSECTIO I.

De infallibilitate eius cauſationis, & quæ ad illam ſit neceſſaria diſpoſitio?

CIRCA primum quærimus, An Sacramenta infallibiliter, ſeu ſemper cauſent eam gratiam. Reſpondeo, Sub hac generalitate rem eſſe de Fide; Tridentinum enim Seſſione 7. can. 7. hæc habet: *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit.* Rationem addit Suarius, quia Sacramenta nouæ Legis ſunt ſigna demonſtratiua gratiæ; ergo ſignificant gratiam, quæ datur in eorum ſuſceptione; ac proinde ſemper eam debent dare, vt vera ſit eorum forma. Si enim Sacerdos non ſemper remitteret peccatum, non poſſet dicere *Abſoluo te.* Secundam addit rationem, quia videntur habere annexam promiſſionem Chriſti infallibilem; vt de Euchariſtia, *Qui manducat hunc panem*, &c. & illa altera de Pœnitentia, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; quæ etiam haud dubiè denotant infallibilitatem effectus.

Noſtra Sacramenta infallibiliter cauſant gratiam.

Proponuntur rationes Suarez.

Ioann. 6.
Ioan. 20.

Ego quidem huius veritatis puto non aliam meliùs poſſe reddi rationem, quam Chriſti voluntatem agnitam in Eccleſia perpetua traditione, & deinde expreſsè definitam à Concilio (vt diximus: cùm enim res hæc vnicè pendeat ex voluntate Chriſti, non poteſt aliunde quidquam colligi, niſi ex eo quòd de illa voluntate aliquid ſit nobis reuelatum. Duæ autem hæ rationes Suarij fortaſſe in aliquibus Sacramentis locum habere poſſunt, non tamen in omnibus; nam in Matrimonij Sacramento nulla verba ſunt, quæ eam infallibilem promiſſionem gratiæ contineant; ac proinde non capio, quomodo verba formæ vera eſſe non poſſent, etiamſi non ſemper cauſarent gratiam. Idem etiam vrgeri poteſt in Sacramento Extremæ Vnctionis; nam licet dicatur, *Remittat tibi Deus peccatum*, &c. non eſt certum ibi eſſe ſermonem de mortalibus, ſed ſolùm de venialibus. Deinde, non eſt omnino certum non remitti venialia niſi per gratiæ infuſionem; ergo ex veritate formæ illius Sacramenti non colligitur ſemper infundi gratiam: & idem poteſt in Sacramento Ordinis probari.

Optima ratio peti debet à Chriſti voluntate in Eccleſia nota.

Rationes Suarez non habent locum in omnibus Sacramentis.

57 Dixi paulò antè, fortaſſe argumenta Suarij in nonnullis Sacramentis habere vim: iam addo, in nullo eſſe efficacia; (excipio Sacramentum Pœnitentiæ, quia, vt ſuo loco dicam, non poteſt validè ſuſcipi ſine fructu:) etenim alia Sacramenta retinent totam ſuam veritatem; & tamen non cauſant actu gratiam, quando indebitè recipiuntur; ergo ex veritate verborum nihil infertur de cauſatione infallibili gratiæ.

Neque ſunt efficaces.

Reſ

Reſpondebis, Ita eis Sacramentis ſignificari cauſationem gratiæ; vt intelligatur, quantum eſt ex parte Dei, ſi nullum ſcilicet homo ponat obicem; vnde ſi non poſito obice non daretur gratia, verba eſſent falſa. Sed contrà: nam verba non ſignificant conditionaliter, *Darem, ſi non haberes obicem*: ſed abſolutè dicunt, *Vngo te*, *Confirmo te*, *Baptizo te*, &c. quòd ſi ibi ſignificarentur expreſsè actualis datio gratiæ, profectò abſolutè non eſſent tunc vera: quòd ſi non vera, neque etiam efficerent validum Sacramentum; ergo debemus dicere, veritatem illam non pendere ab actuali cauſatione gratiæ; aliunde ergo probanda ea infallibilitas, vt diximus, ex voluntate Chriſti nobis traditione & definitione Concilij nota.

Quæ neceſſaria diſpoſitio ex parte ſuſcipientis Sacramenta.

Circa ſecundum dubium ſubſectionis, quæ diſpoſitio ſit neceſſaria ex parte ſuſcipientis, maior eſt difficultas? Reſpondeo tamen, quæſtionem debere decidi ſpecialiter in propriis materiis, dum de Sacramentis in ſpecie agitur, quia non eſt eadem diſpoſitio neceſſaria pro omnibus; quæ iam enim Sacramenta per ſe requirunt ſtatum gratiæ, alia non; ex his verò quæ gratiam requirunt, Euchariſtia requirit præuiam confeſſionem, ſi adſit conſcientia mortalis; ad alia verò ſufficit contritio. Hoc vniuerſaliter dici poteſt ad licitè ſuſcipienda omnia Sacramenta, pro omnibus Sacramentis, eſſe neceſſarium; ne quis accedat cum conſcientia mortalis habitualis non retractati: vnde multò magis requiretur, ne accedat cum actuali voluntate peccandi grauiter; quia tunc multò magis ſe opponet gratiæ; ſeu ſe reddet indignum ea remiſſione. Vnde Tridentinum ſupra dixit, ſemper Sacramenta conferre gratiam quantum eſt ex parte Dei; per quam limitationem denotat poſſe creaturam ob ſuam malam diſpoſitionem impedire eum effectum: vt enim dixit Cyprianus, *Non poſſunt eſſe Spiritus participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit.*

58 Secundò vniuerſaliter dicendum, eam retractationem, quando præcedit actuale mortale, neceſſariò debere eſſe ſaltem attritionem ſupernaturalem ad hoc, vt hoc fructuose recipiatur. Ratio eſt, quia Deus non remittit de facto vllum peccatum actuale ſine retractatione ipſius peccatoris: de quo alibi egimus: id quod videtur æquitas ipſa per ſe exigere, vt qui voluntariè ſe à Deo auertit, eum grauiſſimè offendendo & incurrendo grauiſſima mala, non obtineat ingens illud remiſſionis beneficium, niſi voluntariè retractet eam offenſam, doleatque ſe tam grauiter deliquiſſe.

Originale peccatum remittitur ſine diſpoſitione infantis.

Dixi *actuale*, quia originale in infantibus remittitur ſine vlla propria diſpoſitione per Baptiſmum: vti enim illi aliena ſolùm voluntate deliquerunt; ita Deus in illis non exigit pro eius peccati remiſſione propriam diſpoſitionem. Dixi Secundò, *ſaltem requiri attritionem*, propter quæſtionem ſuprà inter Catholicos controuerſam, Vtrùm omnia Sacramenta cauſent aliquando eam gratiam; nam qui id negant, conſequenter dicent extra Baptiſmum & pœnitentiam neceſſariam eſſe contritionem in aliis Sacramentis, vt ille, qui conſcientiam habet mortalis, recipiat gratiam. Dixi denique, *diſpoſitionem illam ſeu attritionem debere eſſe ſupernaturalem*: vt enim fusius dixi Tomo 4. & 5. actus naturales in ſubſtantia ſunt improportionati ad gratiam, per quam ſolam de facto remittitur mortale.

Dices cum nonnullis, Vel peccatum habituale quà tale eſt contrarium gratiæ, vel non: ſi non eſt, ergo etiamſi non adſit contritio aut attritio, producetur gratia per Sacramenta; ſi verò eſt contrarium, ergo etiamſi adſit attritio, non producetur; quia attritio adhuc relinquit ibi mortale. Ob hoc argumentum forte aliquis diceret non eſſe neceſſariam vllam diſpoſitionem poſitiuam, dummodò homo accedat bona Fide ad Sacramentum. Reſpondeo tamen, Illud nimis multum probare, ſcilicet, etiamſi quis accedat omnino aduertenter cum conſcientia mortalis, & non habeat attritionem aut contritionem, recepturum nihilominùs gratiam; iam enim hi ſupponunt habituale non eſſe gratiæ contrarium: quòd ſi dicant hominem illum tunc peccaturum ob neglectam diſpoſitionem, ad quam tenetur vi præcepti; facilè ego etiam inde reſpondebo, dicamque, Vi inſtitutionis Diuinæ ſeu voluntatis Chriſti requiri non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam medij, ad remiſſionem actualis mortalis aliquam deteſtationem ſupernaturalem, ſaltem quæ ſit attritio: vnde ad argumentum dico, Habituale ex ſe quidem ſemper eſſe contrarium gratiæ, niſi adueniat æqualis ſatisfactio, aut Dei voluntaria remiſſio; Deum tamen de facto medium quid decreuiſſe, ſcilicet, nec expectare adæquatam ſatisfactionem creaturæ, quia eam non poteſt illa offerre, neque etiam peccatum dimittere omnino gratis, ſed aliquam diſpoſitionem petere à creatura; vnde dico habituale non eſſe gratiæ oppoſitum de facto, niſi quatenus dixit negationem diſpoſitionis, ſeu attritionis, aut contritionis, quando Sacramentum ſuſcipitur.

59 Obiectio ſumpta à contrarietate peccati.

Nimis multum probat.

Reſpondetur obiectioni.

60 Illud nunc quæri poteſt, Vtrùm dari queat caſus aliquis, in quo liceat Sacramentum ſuſcipere ſine ſufficienti diſpoſitione ad gratiam. Pater Suarius diſput. 62. ſect. 5. vniuerſaliter negat; Vaſquez verò Tomo 3. diſput. 203. cap 1. quem Cardinalis Lugo ſequitur diſput. 9. ſect. 1. putat id eſſe nimis durum, quia etiam illa obligatio debet attendi ſecundùm alias circumſtantias, & ſecundùm inconuenientia grauiſſima, quæ poſſunt occurrere. Si quis ergo celebrans, dum ad ſuſceptionem hoſtiæ recordatur alicuius mortalis, & non poteſt ſe diſponere ad contritionem, niſi ceſſando à Sacrificio cum ſui honoris diſpendio, poteſt communicare; quia reuerentia Sacrificio debita non obligat cum tanto honoris diſpendio: id quod à fortiori habet locum in aliis Sacramentis quæ minorem requirunt puritatem.

An ſit licitum aliquando ſuſcipere Sacramentum ſine ſufficienti diſpoſitione.

Suarez negat: Vaſquez & Cardinalis Lugo affirmant exemplo Sacerdotis ſacrificantis.

Ego tamen magis adhuc propendeo in ſententiam Suarij, quia ſuſcipere Sacramentum indignè dicit intrinſecam irreuerentiam, quæ proinde non corrigitur ob extrinſecas alias circumſtantias; vti iuramentum falſum, fornicatio, pollutio, &c. maximè cùm tunc temporis ſuſceptio illa Sacramenti reddatur planè inutilis. Ad caſum illum dicimus, Vti talis homo, ſi ipſi denuntiatum fuiſſet tunc ſe ſtatim occidendum, teneretur ad contritionem ſe diſponere, ita vt ſi id non faceret, peccaret mortaliter de nouo; ita eo caſu obligari ad contritionem antequam ſuſcipiat Sacramentum. Neque res eſt adeò difficilis; nam cùm Deus adſit ſua gratia, non poteſt prætendere homo ille tunc

Magis probatur ſententia Suarez.

Attritio eſt neceſſaria. tunc impoſſibilitatem eius contritionis. Addo ſaltem, attritionem debere habere; quòd ſi tunc ob breuitatem temporis excuſaretur à culpa noua, accepturum illum gratiam, quia ſi (vt dicemus infrà) poteſt Euchariſtia aliquando cauſare primam gratiam, maximè eo caſu deberet. Quod dicebatur de graui infamia non viget, quia etſi tantillum hæreat Sacerdos ante ſumptionem dum ſe præparat, non patietur infamiam vllam, ſed ſummùm notam aliquam ſcrupuloſi, aut fortaſſe è contrario nomen valdè deuoti.

61 Vrgebis tamen, Quid ſi, poſtquam ille adhibuiſſet totum ſuum conatum, non elicuiſſet actum contritionis, deberétne recedere ab Altari, & Sacrificium relinquere imperfectum? Videtur enim omnino certum poſſe contingere vt aliquis tandem agnoſcat ſe non poſſe huiuſmodi contritionem elicere, ſiue illam reuerà non elicuerit, ſiue quòd ex errore putet ſe illam non habere. Reſpondeo, Si re ipſa ille faciat quidquid poteſt, habiturum omnino contritionem; quòd ſi tamen ex ignorantia iudicet ſe illam non habere, ſaltem habebit attritionem, quæ, vt dixi, ſufficit eo caſu ad gratiam. Quòd ſi tandem putet ſe neque hanc habere poſſe (quod tamen vix debet admitti) poterit tunc, ne Sacrificium illud maneat inchoatum, communicare; quia inter duo illa, quæ non videntur medium admittere, minus malum eſt accipere Sacramentum ſine ea diſpoſitione, quàm relinquere inchoatum Sacrificium. Quæ ratio in aliis Sacramentis non poteſt contingere; ac proinde in aliis non poteſt eſſe caſus, in quo id debeat admitti. Quod verò attinet ad infamiam in laicè communicante, ſi aliquis dum iam eſt inter confertam multitudinem communicantium, neque inde poteſt abire ſine grauiſſima nota, dico eum omnino debere tunc abire, ſi putet ſe non poſſe habere contritionem; quia reuera intrinſecè videtur malum ſuſcipere Sacramentum indignè, & fructum illius impediendo, cui non præponderat periculum illud infamiæ. Et de hoc puncto hactenus.

Quo caſu attritio ſufficiat.

Subeunda infamia potiùs, quàm Communio indignè ſuſcipienda.

62 Vltimò dicendum, Si ſuſcipiens Sacramentum iam ſit in gratia, eſto non habeat vllam poſitiuam diſpoſitionem, accepturum nihilominùs gratiam, quia nullum penitus habet obicem; neque conſtat (quod tamen potuit haud dubiè ſtatui) Chriſtum Dominum requiſiuiſſe pro eo augmento vllam aliam diſpoſitionem. Vnde (vt benè deduxit Pater Suarius ſuprà ſect. 4.) non obeſt huic augmento peccatum veniale, quia illud nequaquam eſt contrarium gratiæ. Reijcit item ibi benè eos qui dixerunt veniale non obeſſe infuſioni gratiæ in eſſe gratiæ, ſecùs infuſioni illius in eſſe qualitatis; hoc inquam reiicit benè Suarez, quia in eſſe gratiæ & in eſſe qualitatis idem omnino ſunt hîc & nunc, cùm ratio qualitatis ſit ratio generica, quæ non diſtinguitur realiter à ſpecifica; ac proinde non augetur vna realiter ſecundùm vnum conceptum, niſi ſecundùm alterum.

Effectui Sacramenti non obeſt peccatum veniale.

SVBSECTIO II.

Vtrùm omnia Sacramenta cauſent æqualem gratiam; vti, An gratia ex opere operato creſcat iuxta meliorem ſuſcipientis diſpoſitionem.

DVPLEX propoſitæ quæſtionis primæ poteſt eſſe ſenſus: primus eſt, ſi comparetur vnum Sacramentum cum altero diuerſæ ſpeciei: ſecundus ſenſus eſt, ſi comparetur vnus Baptiſmus cum alio Baptiſmo, vna Pœnitentia cum alia, &c. Quoad primam comparationem dicimus eam pertinere propriè ad tractatus ſpeciales de ipſis Sacramentis in particulari. Hoc tamen dicere vniuerſaliter poſſumus, rem eſſe ferè incertam; quia tota quanta pendet ex ſola Dei voluntate, de qua nihil in ſacra Scriptura aut Conciliis reuelatum nobis eſt: nam licet in eis dicatur Sacramenta cauſare gratiam, nihil tamen dicitur, an æqualem, an inæqualem. Videtur quidem valdè probabile, vt quandoquidem non omnia ſunt æqualis dignitatis (Euchariſtia enim haud dubiè cæteras excellit; Baptiſmus etiam nobilior eſt Matrimonio, Extrema Vnctione & Confirmatione; Ordo etiam nobilior eſt Matrimonio, &c.) neque etiam æqualem conferant gratiam; quoto autem gradu ſit hic exceſſus, eſt planè incertum, maximè quia debet id decidi non ſolùm ex nobilitate maiori Sacramenti, ſed etiam ex fine ad quem ordinantur: vnde de Euchariſtia, quæ (vt dixi) eſt maximum Sacramentum, dubitant non immeritò aliqui, vtrùm conferat plus gratiæ quàm Pœnitentia, quia hæc cum directè inſtituta ſit ad reconciliationem hominis cum Deo, & abolitionem peccati, qui duo effectus maximè exigunt gratiam, videtur plus collatura. Quæ ratio etiam in Baptiſmo habet locum, quia etiam eſt inſtitutus ad remiſſionem peccati, alia autem Sacramenta viuorum maximè videntur inſtituta ad obtinenda auxilia gratiæ pro bonis operationibus, licet ſimul vim habeant gratiam augendi: hæc ergo quæſtio relinquitur nunc vt valde dubia. 63

Explicatur ſtatus quæſtionis.

Sacramenta inæqualem conferunt gratiam.

Confertur Sacramentum Euchariſtiæ cum Pœnitentia.

Circa ſecundam comparationem intra idem Sacramentum, an ſcilicet receptum à Petro v. g. conferat eandem gratiam, quam acceptum à Ioanne, vel Paulo, &c. aduerto duplicem rurſus eſſe poſſe ſenſum; poteſt enim fieri comparatio, ſi ſupponamus vtrumque ſuſcipientem eſſe æqualiter diſpoſitum: poteſt item fieri comparatio, quando eſt inæqualitas ex parte diſpoſitionis: quo poſito circa primum dicendum eſt, ſi diſpoſitio ſit eadem, gratiam collatam eſſe eandem. In hac conueniunt omnes planè, vt videre eſt apud Suarium ea diput. 1. ſect. 5. obſeruo tamen, rationem huius non poſſe eſſe aliam quàm ipſam voluntatem Chriſti Domini nobis reuelatam per communem ſenſum Eccleſiæ; poteſtque ſatis probabiliter ea deduci ex Concilio Tridentino ſuprà citato, nam dum ait Sacramenta infallibiliter conferre ſuum effectum, ſupponit ea habere ex lege & voluntate Dei certum & determinatum effectum: ac proinde quando ex parte ipſius ſuſcipientis nulla eſt diuerſitas, nullam etiam fore ex parte gratiæ: vti etiam ſuo modo opera ſupernaturalia, ſi ſint æqualia in 64

Sacramenta cum æquali diſpoſitione ſuſcepta à diuerſis conferunt parem gratiam.

Digitized by Google

in duobus hominibus, & æqualem diſpoſitionem inueniant, conferunt æquales gradus gratiæ.

Obiectio à maiori ſanctitate ſuſcipientis accepta.

Dices fortaſſe ex hoc eodem exemplo; Etiamſi Petrus habeat æquè bonum opus cum Ioanne, ſi tamen Ioannes ſit in ſe ſanctior, obtinebit plures gradus gratiæ quàm Petrus; ergo etiamſi duo accedant cum æquali diſpoſitione, plures gradus obtinebit qui eſt ſanctior.

Soluitur Primò:

Reſpondeo Primò, Etiamſi concederemus conſequentiam, non tamen quidquam inde contra nos, quia iam eo caſu plures illi gradus gratiæ præexiſtentis in ſubiecto debent cenſeri per modum melioris diſpoſitionis reſpectu eius Sacramenti; nos verò agimus quando omnia

65 *Secundò.*

ſunt paria. Secundò reſpondeo, Antecedens minus eſſe verum; de quo fuſiùs ſuo loco; deinde eo admiſſo conſequentia adhuc eſt nulla, quia Auctores, qui dicunt ex maiori gratia merita creſcere, vtuntur hoc fundamento, quòd opus illud reddatur ex maiori dignitate perſonæ magis meritorium; vti opera Chriſti ex infinita dignitate perſonæ redduntur infinitè meritoria: hæc autem ratio non habet locum in Sacramentis; nam illa quoad gratiam ex opere operato ſuum valorem habent ex infinita dignitate Chriſti; ac proinde maior gratia ſubiecti non cauſat maiorem gratiā Sacramentalem; fortaſſe tamen habebit locum hæc obiectio, ſi admittantur duo hæc, & quòd ex maiori gratia creſcant merita, & quòd etiam gratia ex opere operato creſcat iuxta maiorem diſpoſitionem ſubiecti: de quo paulò pòſt.

Nihil confert maior ſāctitas Miniſtri.

Iam nunc ex dictis inferimus, Multò minùs ad inæqualitatem eam gratiarum facere, quòd miniſtrans Sacramentum ſit magis minuſve ſanctus: vti enim definitum eſt à Conciliis, & à Patribus traditum, peccatum Miniſtri non facere inutile Sacramentum; ita videtur eadem via eſſe definitum, nec maiorem illius ſanctitatem conferre ad eum effectum: id quod Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyprianus, & alij, quos refert Suarius ſuprà, tradiderant expreſsè.

66 *Obiectio ex D. Thoma de maiori ſanctitate Miniſtri.*

Dices: Diuus Thomas quæſt. 64. artic. 1. ad 2. ait; *Aliquid tamen annexum impetrari poteſt recipienti Sacramentum per deuotionem Miniſtri*; ergo ſentit Diuus Thomas conducere maiorem ſanctitatem Miniſtri ad maiorem effectum, Reſpondeo, Diuum Thomam eo loci expreſsè tradere communem ſententiam, quòd effectus Sacramenti non creſcat ex Miniſtri deuotione; illud verò annexum, quod docet poſſe obtineri, nihil eſt aliud quàm auxilia & vocationes ſpeciales aliquæ Diuinæ, quas etiam extra omne Sacramentum poteſt vnus iuſtus pro altero impetrare.

Diſſoluitur ſecunda quæſtio de diſpoſitione ſuſcipientium.

Circa ſecundùm, Vtrùm ex maiori diſpoſitione ſuſcipientis creſcat etiam ipſe effectus Sacramenti, diceret quis certiſſimum id eſſe: ſi enim duo accedant ad idem Sacramentum, maiorem accipiet gratiam ille qui cum meliori accedit diſpoſitione; nam eſto gratia ipſi Sacramento reſpondens ſit eadem, tamen ratione ipſius diſpoſitionis tanquam meriti concedi debet maior gratia. Hæc ratio nullius eſt momenti, quia poteſt fieri, vt ea diſpoſitio nullam habeat rationem meriti: ſi enim ſit intenſior attritio pro Baptiſmo (& idem dici debet de Pœnitentia, quando homo accedit adhuc in peccato) tunc ea attritio, quia non dignificatur per gratiam, non habet rationem meriti; & tamen in toto rigore eſt melior diſpoſitio pro Sacramento. Quòd ſi dixeris dignificari opus illud in ipſo inſtanti vltimo Sacramenti ad rationem meriti, facilè adhuc reiicieris; nam paſſim fit, vt quando Baptiſmus ſuſcipitur, non duret phyſicè ea diſpoſitio; ac proinde licet ea poſſit iuuare, vt conferatur gratia per Sacramentum; non poteſt tamen ipſa eſſe meritoria illius gratiæ: & idem dicendum de Pœnitentia; nam dolor attritionis poteſt non exiſtere phyſicè in eo inſtanti quo datur abſolutio. Vnde concludo ex hoc capite non eſſe certum, eum, qui cum meliori diſpoſitione accedit, debere habere maius augmentum gratiæ.

Reſtat ergo propria huius loci difficultas, 67
Vtrùm ipſa gratia, quæ per Sacramentum confertur, ſit maior ex meliori diſpoſitione ſuſcipientis, quaſi ipſum Sacramentum meliùs operetur adiutum nobiliori illo inſtrumento. Communis ſententia Theologorum videtur ita affirmare; imò vt omnino certum id ſupponit; ſuadeturque auctoritate Damaſceni, qui lib. 4. cap. 20. ait: *Quamuis peccatorum remiſſio omnibus æquè per Baptiſmum detur; Spiritus tamen gratia pro Fidei ac præcedentis purgationis modulo ac ratione comparatur.* Fauet etiam Tridentinum Seſſione 6. cap. 7. dum ait *nos iuſtificari, iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem*; cumque ibi Concilium agat de iuſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, videtur ſatis clarè inſinuare gratiam, quam Baptiſmus confert, eſſe inæqualem iuxta inæqualem diſpoſitionem ſuſcipientis. Ex quibus verbis tanquam ex reuelatione colligimus hanc fuiſſe Chriſti Domini voluntatem, qui haud dubiè, ſi voluiſſet, potuiſſet certos gradus gratiæ cuilibet Sacramento præſcribere, quos præcisè conferret ſubiecto diſpoſito, ſiue ea diſpoſitio eſſet maior, ſiue minor. Vt verò habuerit eam voluntatem ſatis bona congruentia poteſt adduci, quòd ad ſuauem Dei prouidentiam & iuſtiſſimam diſtributionem gratiæ videatur pertinere, vt meliùs diſpoſito maior gratia conferatur; expediebat id etiam, vt homines conarentur cum maiori accedere diſpoſitione, vt eo modo dupliciter augerent gratiam, & ratione præmij reſpondentis illi diſpoſitioni, quod eſt independens à Sacramento, & ratione ipſius Sacramenti; vti cauſæ naturales meliùs operantur, quando ſunt meliùs applicatæ.

Vtrùm Sacramentum meliùs operetur auxilio melioris diſpoſitionis.

Affirmant Damaſcenus & Concilium Tridentinum.

Hæc ſententia ſine dubio eſt longè probabilior, tum quia nihil eſt quod in contrarium obiiciatur vllius momenti; tum quia ſatis plauſibiliter illam ſuadent allatæ congruentiæ. Forſaſſe tamen aliquis diceret, Concilium eo loci non eſſe pro ea ſententia, nam licet egiſſet anteà de Baptiſmo, quando tamen venit ad citata verba, iam non tam agit de infuſione gratiæ vi Baptiſmi, ſeu ex opere operato (vt dici ſolet) quàm de modo quo formaliter iuſtificamur etiam extra Sacramentum, vult enim eis verbis reijcere hæreticorum huius temporis deliria, qui iuſtitiam ipſam Dei, qua ipſe iuſtus eſt, dicunt eſſe eam, qua ſumus nos iuſti, dicunt enim per ſolam extrinſecam denominationem & imputatio 68

Explicatio Tridentini nō fauet huic ſententiæ.

tatio

Digitized by Google

tationem formaliter non eſſe ſanctos: contra hanc ergo hæreſim incipit Concilium oſtendere, nos per aliquid intrinſecum in nobis receptum iuſtificari, vt denotant ea verba, quibus paulò ante immediatè citata exordiens nouam partem definitionis ita ait; *Demum vnica formalis cauſa* (noſtræ ſcilicet iuſtificationis) *eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur Spiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur, & ſumus*: poſt quæ addit illa quæ ſupra allata ſunt. Vnde apparet quòd quando dixit, *eiam iuſtitiam recipientes ſecundum menſuram Spiritus ſancti, & ſecundum diſpoſitionem propriam cuiuſque*, non valuerit directè definire, per Baptiſmum ex opere operato dari maiorem gratiam iuxta meliorem diſpoſitionem, ſed præcisè oſtendere, gratiam intrinſecè nobis infundi, & egiſſe ibi tam quando extra Sacramentum iuſtificamur, quam dum augemus iuſtitiam, quia etiam tunc iuſtitia intrinſecè infunditur; ac proinde poſſe τὸ *ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur, & ſecundum diſpoſitionem*, aptari ad eos alios caſus, eſto de puncto, de quo nos agimus, nihil ibi definierit; ac ſi dixiſſet: Ibi iuſtificatio fit per gratiam, quam Spiritus ſanctus, infundet per Sacramenta, & per eam quam homo propria diſpoſitione accipit extra Sacramenta. Quidquid tamen de hac explicatione ſit, negari non poteſt, maiorem eſſe eius ſententiæ probabilitatem quàm oppoſitæ.

Concluditur tamen, veram eſſe ſententiam communem.

69 *Obiectio de Sacramentorum efficacia ſoluitur.*

Dices Primò: Sacramenta cauſant gratiam ex opere operato, ſeu ex ſolis meritis Chriſti; ergo maior aut minor diſpoſitio ſuſcipientis nihil facit ad augmentum eius gratiæ. Reſpondeo negando conſequentiam; quia Chriſtus ipſe, qui applicuit ſua merita Sacramentis, ea ita applicuit, vt voluerit maiorem cauſati gratiam iuxta meliorem diſpoſitionem; non quòd ea diſpoſitio ſe habeat per modũ cauſæ reſpectu eius gratiæ, ſed quia eſt per modum conditionis.

Obiectio altera.

Dices Secundò: Ea melior diſpoſitio, ſi homo ſit in gratia, tota occupatur in promerendo augmento gratiæ ſibi proportionato; ſi v. g. eſt actus intenſus vt octo, habet ſuum præmium vt octo; ergo non poteſt ſimul augere gratiam, quæ reſpondet Sacramento: haberet enim eo ipſo duo præmia adæquata: quod repugnat. Reſpondeo, Reſpectu illius gratiæ maioris Sacramentalis non ſe habere eam diſpoſitionem vt meritum, ſed vt conditionem: Chriſtus enim, qui poterat ratione infiniti valoris ſuorum operum dare nobis gratiam v. g. vt mille per Sacramentum Confirmationis independenter ab omni diſpoſitione noſtra, dixit, Volo vt tantùm dentur decem gradus, ſi homo nullam habeat poſitiuam diſpoſitionem; ſi autem ille habuerit actum bonum vt octo, volo vt præter præmium vt octo, quod confertur ei homini propter illum actum, quodque fuiſſet etiam conferendum, ſi extra Sacramentum diſpoſitionem illam ſeu actum illum haberet, etiam dentur illi vi mei Sacramenti alij octo; vel ſi habuerit actum, vt viginti, dentur illi alij viginti, præter eos decem, qui dantur etiam illi qui nullam habuit diſpoſitionem. Vides hoc augmentum maius gratiæ non reſpondere ei actui tanquam merito, ſed tanquam conditioni: Chriſtus enim voluit ſua merita plus operari poſita ea meliori conditione, dubium autem nullum eſt, quin poſſit vnus idemque actus & eſſe cauſa meritoria vnius præmij, & conditio ad aliam gratiam: vti patet (etiam independenter ab hac quæſtione) in attritione, qua homo iuſtus accedit ad confeſſionem; certum enim eſt eam attritionem habere ſuum meritum adæquatum independenter ab vllo Sacramento; certum item eſt eam eſſe conditionem, vt Sacramentum Pœnitentiæ aliquam gratiam conferat, quam non contuliſſet, niſi aliquis fuiſſet actus bonus: vt ergo ille actus præter ſuum meritum ex opere operantis eſt conditio ad gratiam Sacramentalem; ita dico, ſi fuiſſet alius actus intenſior, potuiſſe illum præter ſuum præmium ex opere operantis eſſe conditionem ad maiorem gratiam per Sacramentum: & hic habet locum quod ſolet dici, Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis; ergo ex eo capite nulla omnino eſt difficultas in communi ſententia.

Poteſt vnus actus eſſe meritum, & conditio ad aliam gratiam.

SVBSECTIO III.

Quæ ſit melior diſpoſitio, ex qua creſcit effectus Sacramenti?

ILlud fortaſſe difficilius eſſet, quid debeat intelligi per maiorem eam diſpoſitionem, an ipſa maior habitualis gratia ſubiecti, an ſoli actus ſupernaturales: inter hos verò rurſus, an omnes, & qui illi; denique, quo tempore debeant exiſtere, vt cenſeantur eſſe diſpoſitio ad Sacramentum. 70

Maior gratia habitualis non cenſetur maior diſpoſitio.

Quoad maiorem purè gratiam habitualem non puto vllam eſſe difficultatem, maximè in noſtra ſententia negante ex maiori gratia merita creſcere: etenim illa gratia non eſt actus ipſius operantis, quem (vt ſi dicam) ille offerat Deo ex ſe: deinde Tridentinum videtur maximè intellexiſſe ibi cooperationem voluntatis; gratia autem non eſt cooperatio. Vtrùm autem in ſententia Suarij, docente ex maiori gratia merita creſcere, debeat dici ſaltem indirectè eam gratiam habitualem augere diſpoſitionem, quatenus efficit vt actus ſit melior, eſt valdè dubium; ipſe tamen Suarius in fine eius ſectionis videtur id obiter admittere. Ego verò dixi ſuprà probabile eſſe, neque in ea ſententia id neceſſariò dicendum: id quod ampliùs oſtendo, quia licet ea gratia maior augeat rationem meriti, in præſenti tamen melior diſpoſitio non concurrit ad augmentum illud per modum meriti, vt paulò antè oſtendimus, ſed per modum puræ conditionis requiſitæ à Chriſto ad magis excitandos homines, vt ſe meliùs diſponant, & melius, ſic dicam, cooperentur ipſi Chriſto per Sacramenta in nobis gratiam cauſanti: de qua Chriſti voluntate nobis conſtat probabiliter tum ex definitione illa Concilij, quæ valdè apparenter, licet non omnino expreſsè, id probat, tum ex communi ſenſu Theologorum. Ad hunc autem finem illa maior habitualis gratia habet ſe per accidens; quia (vt paulò antè oſtendimus) non eſt operatio aut cooperatio hominis, nec liberè Deo offertur, &c. ergo non eſt cur dicamus ex illa creſcere gratiam, quæ datur ex opere operato per Sacramentum. Probo conſequentiam facilè, quia cùm hoc ſit priuilegium planè extraordinarium, & vnicè à voluntate Chriſti pendens, non debemus magis illud extendere quàm auctoritas (ex qua de voluntate Chriſti nobis conſtat) id oſtendat; etiamſi Chriſtus haud

dubiè

dubiè potuerit illud magis extendere. Non habere autem nos fundamentum ſuprà probaui; ſufficiat ergo eam Christi inſtitutionem extendere ad meliorem actum, in quo propriè conſiſtit ratio diſpoſitionis habitualis gratiæ, maiori intenſione omiſſa in ordine ad hunc effectum.

71 *Quinam actus efficiāt meliorem diſpoſitionem.* Eſt ergo vltimum punctum difficultatis circa ipſos actus: de quibus ſi ex vna parte dicamus, omnes illos, qui ordinantur ad ſuſceptionem Sacramenti, conſtituere meliorem diſpoſitionem; profectò nimis multum ampliabimus eam diſpoſitionem: ſi enim quis duobus vel tribus diebus antè incipiat ſpeciales actus virtutum elicere, vt Sacramentum Euchariſtiæ deuotiùs ſumat, ſequeretur effectum eius Sacramenti debere creſcere ex omnibus illis actibus; hoc autem videtur nimis multum. Quòd ſi ad hoc inconueniens vitandum velimus dicere, non debere attendi niſi præcisè actum illum qui phyſicè tunc durat, vel qui certè immediatè ante ſuſceptum Sacramentum fuit elicitus, contrà occurrit difficultas grauior; nam pro diſpoſitione, vt Sacramentum conferat gratiam, ſufficit diſpoſitio etiam diu antè præterita: nam ſi quis hodie petat confeſſionem, & incidat deinde in amentiam, poteſt tamen validè etiam cras abſolui; ergo dolor hodiernus eſt diſpoſitio pro gratia cras cauſanda; ergo melior hodierna diſpoſitio erit etiam ſufficiens pro maiori gratia cras cauſanda; quia ſicut ſe habet (vt dici ſolet) ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis.

Actus, qui diu antè præceſſerunt, non pertinent ad diſpoſitionē. Hanc difficultatem tangunt obiter Auctores; eſt autem ſatis grauis. Ego omnino iudico non debere conſiderari eam diſpoſitionem quæ iam diu præceſſit, ſed quæ moraliter hîc & nunc influit in opus illud; vel quia tunc actu phyſicè durat; vel quia immediatè antè extitit, & moraliter cenſetur influere in opus; quia reuerà hæc ſola debet dici diſpoſitio actualis; alia verò, quæ multo tempore antè præceſſerunt, debent potiùs iudicari per modum diſpoſitionis habitualis quàm actualis: vti autem diximus maiorem gratiam habitualem ad illud augmentum non deſeruire, ita dicendum de eis actibus diu anteà exiſtentibus.

72 Ad rationem in contrarium reſpondeo, Sacramenta, per ſe loquendo, dummodò ſint valida, non exigere diſpoſitionem actualem vt conferant gratiam, ſed ſufficere ſi eis non ponatur obex; vt verò validè ſuſcipiantur, in adultis ſufficit quòd voluntariè ſuſcipiantur, ſi cætera adſunt, denique vt voluntaria ſint, ſufficit quòd ſemel homo ea petierit, vt cenſeatur manere moraliter in ea voluntate, ſi eam deinde non retractauit. Vnde colligo, ad recipiendam gratiam ex opere operato ſufficientem eſſe eam præcedentem diſpoſitionem quæ actu phyſicè non durat; nego tamen hinc colligi, ad augmentum illud ſufficere eas diſpoſitiones, quæ phyſicè omnino præterierunt; quia cùm huiuſmodi effectus ſit extraordinarius, non eſt concedendus ex eo quòd primus concedatur: ea autem opera, quæ diu præceſſerunt, ſi in rigore loquendum ſit, non ſunt cooperatio, ſed cenſentur nimis citò ceſſaſſe; nam cauſa cooperans debet ſimul eſſe cum altera quam iuuat.

Concilium Tridentinum pro contraria ſententia citatum explicatur. Replicabis tamen: Ergo ſi hodie duo petant Sacramentum Pœnitentiæ, vnus cum attritione intenſa vt viginti, alter cum intenſa vt duo præcise, & ambobus extra ſe iam factis detur validè abſolutio, non habebit plus gratiæ ille qui attritionem habuit vt viginti, quàm alter qui ſolùm habuit vt duo: id quod durum valdè videtur, & contra Concilium Tridentinum ſuprà: non enim iuxta diſpoſitionem ſuam acciperent illi gratiam. Reſpondeo, Me admiſſurum omnino in eo caſu illos fore æquales; nego autem id eſſe contra Concilium; nam hoc agit de diſpoſitionibus quæ ſunt propriè cooperatio, ac proinde quæ vel tunc actu phyſicè exiſtunt, vel certè immediatè antè, ita vt faciant moraliter vnum quid. Vti ad valorem Sacramenti Baptiſmi v. g. non ſufficit quòd hodie abluatur homo, & cras proferantur verba, quia tunc ea duo non cenſentur moraliter coniungi in vnum; non tamen ideò requiritur vt planè in eodem inſtanti ſint, ſed quaſi moraliter ſimul; ita dico de diſpoſitione quæ debet augere gratiam ex opere operato.

Contrarium tamen ſentit Cardinalis Lugo 73 *Contraria Cardinalis Lugo ſententia reiicitur.*
rem obiter attingens diſput. 9. n. 14. & 72. vbi, quod grauius eſt, docet, Licet poſt opera pia huius diei, quibus me præparaui ad Confirmationem v. g. exiſtens adhuc in peccato, poſteà oblitus & in peccato manens recipiam infructuosè eam Confirmationem, quando tamen poſteà reuiuiſceret eadem Confirmatio, poſita attritione intra pœnitentiam, aut contritione extra illam, dandam eſſe maiorem gratiam iuxta ea opera in peccato facta, ac proinde maiorem conferendam tunc per Confirmationem reuiuiſcentem, quàm ſi ea opera non præceſſiſſent eius ſuſceptionem. Ego tamen etſi cenſeam haud dubie Chriſtum potuiſſe rem ita diſponere, non poſſum tamen mihi perſuadere ita de facto id voluiſſe, & quidem cùm de reuiuiſcentia Sacramenti ex Sacra Scriptura vix quidquam habeamus, ſed ſolùm ex Auguſtino, multò autem minùs, quòd eo caſu diſpoſitiones illæ in peccato habitæ tantò ante ſuſceptionem actualem Sacramenti, ac deinde per indignam ſuſceptionem omnino interruptæ, debeant valere ad hoc, vt maior gratia propter illas detur, non iudico id vllo modo admittendum: fortaſſe quando non interrumpuntur, ſed ſequitur poſteà digna ſuſceptio Sacramenti, probabiliùs id admitterem: nec tamen abſolutè cenſeo etiam tunc admittendum propter rationem datam. Neque nouum adfert hic Auctor argumentum, quod indigeat explicatione, niſi præciſam aſſertionem, quòd nomine diſpoſitionis debeant intelligi illa etiam opera quæ duobus vel tribus diebus anteà præceſſerunt: id quod negatum eſt à nobis, quia tales diſpoſitiones ſunt valdè remotæ, ideoque conſiderandæ non ſunt in ordine ad maius augmentum gratiæ, alioquin & qui poſt annum primò vellet confiteri ac communicare, ac in ordine ad hoc ſingulis diebus aliquod bonum opus faceret, eſto ſemper eſſet in peccato mortali toto eo anno, deberet deinde accipere & per pœnitentiam & per Euchariſtiam maius augmentum gratiæ ex opere operato reſpondens eis operibus toto anno in peccato factis: id quod mihi videtur valdè abſurdum.

Nomine diſpoſitionis nō poſſunt intelligi opera quæ duobus vel tribus diebus antè præceſſerunt.

74 *Confirmatur exemplo.* Confirmo, & explico: Si talis hodie ob alium finem ieiunaret, non cogitans de Communione poſt annum ſecutura, ſanè hoc ieiunium non deſeruiret vllo modo ad obtinendam maiorem gratiam ex opere operato per Euchariſtiam poſt annum ſumendam, vt fatentur omnes; alioquin ex omnibus bonis operibus in peccato

peccato factis deberet deinde augeri gratia quæ datur ex opere operato per omnia Sacramenta ſequentia, v.g. per Communiones omnes deinde ſecutas; quia ad omnes præceſſerunt ea bona opera: hoc autem quis non dicat eſſe omnino improbabile? Hinc ego argumentor: Ergo etiamſi homo, quando facit ea opera, dicat, *Facio illa intuitu Communionum ſecuturarum*, non ideò in ſecuturis Communionibus plus gratiæ ei dabitur. Patet conſequentia, quia quòd ille dicat, *Tali vel tali intuitu ea facio*, non videtur vllo modo addere illis operibus vllam vim, vllamve honeſtatem formalem, ob quam iam poſſint cauſare gratiam; ſolùm enim eis additur denominatio quædam extrinſeca ex illo actu, quo homo dicit, *Facio ob hunc finem*: vnde non eſt ibi vlla in rigore differentia, niſi ſolius iſtius actus: quis autem credet ob ſolum iſtum actum futurum ibi tantum exceſſum gratiæ, qualis reſpondere debet omnibus operibus bonis vnius integri anni, vel etiam plurium? id autem multò magis eſt incredibile, ſi etiam ſecunda & tertia & quarta Communio creſcere dicatur ex illis operibus, vt reuera debet dici conſequenter ad hos Auctores. Conſtet ergo rem hanc ponderandam eſſe iuxta diſpoſitiones quæ proximè concurrunt, & quæ verè ſunt diſpoſitiones, non autem quaſi ſolum denominatiuè. Et ſatis de hac quæſtione, quæ valdè dubia eſt, cùm nobis non conſtet quid Chriſtus in hoc puncto Sacramentis tribuerit. Ex hoc autem ipſo capite dicendum videtur non augeri eam gratiam, quia non debemus concedere Sacramentis maiorem efficaciam, quam & ratio Sacramenti, & ea quæ de ipſis in Sacra Scriptura & Patribus traduntur, videntur exigere; hanc autem ſummam dilatationem ad opera adeò remotè præcedentia ipſam ſuſceptionem Sacramenti nihil horum nos cogit; imò contrarium videtur eſſe, iuxta omnes qui ſaltem ſupponunt vna eademq; opera non eſſe diſpoſitionẽ ad duas tréſve ſuſceptiones eiuſdem Sacramenti, quãdo vna poſt alterã extitura eſt: id quod videtur ſequi neceſſariò ex cõtraria doctrina.

Concluditur, eas diſpoſitiones dici quæ proximè concurrunt.

DISPVTATIO VNDECIMA.

An noſtra Sacramenta cauſent phyſicè gratiam?

1 OSTENDIMVS cauſalitatem moralem noſtrorum Sacramentorum in gratiam; iam vlteriùs diſcutiendum, vtrùm etiam phyſicè eam producant.

SECTIO I.

Quædam ſupponuntur.

Sententia Vaſquez & Gaſparis Hurtadi ex Phyſicis:

PATER Vaſquez diſput. 136. cap. 6. & alibi, quem, vti in aliis, ſequitur P. Gaſpar Hurtadus diſput. 3. de Sacramentis in genere, difficultate 2. conatur oſtendere, nullam creaturam poſſe etiam diuinitus eleuari ad effectum illum producendum, qui non contineatur aliquo modo intra ſphæram naturalem illius creaturæ, ad modum quo viſio beata continetur in intellectu creato ſecundùm rationes communes intellectionis; vnde fit, vt ille poſſit eleuari ad eam perficiendam. Contra hanc ſententiam ſæpè egi in Phyſicis, vbi oſtendi re benè perpenſa non magis intellectum naturaliter dicere ordinem ad viſionem beatam, quam illum dicat æqualiter ad gratiam, & varias ſolutiones, quæ adhiberi poſſunt, reieci: ac tandem cum Diuo Thoma & Thomiſtis omnibus, cum Suario, Valentia, Vega, Richardo, Cabrera, & aliis multis dixi, de potentia abſoluta Deum poſſe creaturas omnes aſſumere vt inſtrumentum phyſicum ad producendam quamcumque aliam creaturam; neque in præſenti volo ea repetere, ſed ſupponere: oſtendi etiam contra Patrem Coninck, eò quòd Deus poſſit omnia quæ non implicant contradictionem, & ſuppoſito etiam quòd creaturam eleuari ad quemcumque effectum non dicat vllam contradictionem, poſſe Deum illam eleuare; malè verò ab ipſo Coninck doceri, à creatura non poſſe fieri omnia quæ non implicant contradictionem, eſto poſſint à Deo; vnde infert, Non poſſe quamcumque creaturam, eleuati ad quoſcumque effectus: malè inquam; nam ſi loquatur de potentia naturali creaturæ, licet verum dicat, non eſt ad rem; quia non agimus nunc de virtute naturali creaturæ ad concurrendum; ſi verò de ſupernaturali, tunc idem omnino eſt creaturam ſupernaturaliter non poſſe efficere quæ non implicant contradictionem, ac Deum non poſſe vti ea creatura ad productionem illam quæ non implicat contradictionem. Quæ propoſitio contraria eſt huic Auctori, qui ait Deum poſſe omnia quæ non implicant contradictionem; ergo cùm eleuare eam creaturam ad productionem cuiuſcumque effectus non dicat duo contradictoria, vt ipſe fatetur, poterit ſine dubio Deus illam eleuare; ea ergo doctrina Patris Coninck non videtur ſibi omnino conſtans.

Reiecta in Phyſicis.

Coninck arguitur inconſtantiæ.

2 Præter difficultatem autem generalem in ea eleuatione ad quoſcumque effectus obiici ſpecialiter ſolet in præſenti, quòd gratia producatur per creationem, ergo non poteſt ad illam vlla creatura concurrere. Multa dicuntur à nonnullis qui cauſalitatem phyſicam agnoſcunt, & aliunde iudicãt gratiam produci per creationem, vt ſatisfaciant huic difficultati, ſcilicet Sacramenta non concurrere ad gratiam, ſed ad vnionem illius, vel ſolùm ad quamdam qualitatem, quæ ſit per modum diſpoſitionis ad gratiam. Verùm hæc & ſimilia facilè reiiciuntur, quia gratia non minùs creatur quàm reliqua accidentia; deinde per cauſalitatem in ſolam vnionem non ſaluatur cauſalitas Sacramentorum in gratiam, quam hi maximè conantur adſtruere, ad diſpoſitionem autem illam recurrere non habet vllum fundamentum, & fingunt nouas entitates ſine vlla neceſſitate. Meliùs ergo obiectioni reſpondemus: Primò, quod iam eſt inſinuatum, gratiam non creari, ſed educi, ideoque ex hoc capite non eſſe ſpecialem vllam difficultatem: Secundò, etiam poſſe creaturam diuinitus eleuari ad creandum: de quo fuſiùs in Philoſophia.

Obiectio, quòd gratia creetur.

Aliorum ſolutiones impugnantur.

Reſponſio: Gratia non creatur, ſed educitur.

Secunda

Digitized by Google

Secunda ſpecialis difficultas eſt, quòd nulla creatura poſſit operari in diſtans; certum eſt autem Sacramenta ſæpe cauſare gratiam in diſtanti: verùm neque hoc habet vllam vim, quia ea intima coniunctio cauſæ cum effectu non eſt realiter neceſſaria (vt docui in Philoſophia;) deinde neque vniuerſaliter impugnat cauſalitatem phyſicam Sacramentorum, ſed ſummùm in aliquibus caſibus.

Tertia ſpecialis obiectio deſumitur ex eo quòd Sacramenta non cauſant gratiam, niſi quando ſunt perfecta; tunc autem non poſſent cauſare gratiam phyſicè, quia hæc cauſatur in inſtanti intrinſeco, ſeu per primum ſui eſſe: Sacramenta autem non deſinunt in inſtanti; ſunt enim entia ſucceſſiua; ideoque deſinunt per primum ſui non eſſe. Hoc argumentum tangit difficultatem de tempore quo Sacramenta cauſant gratiam, vbi ei ex propoſito reſpondebitur. Suppoſita ergo nunc poſſibilitate eleuationis Sacramentorum ad gratiam cauſandam phyſicè, quærimus, An re ipſa de facto ſit noſtris Sacramentis concedenda. Affirmant Suarez & alij paulò antè relati, quorum fundamenta commodiùs infrà & inter probandum noſtram ſententiam explicabuntur.

Concluditur, poſſe eleuari Sacramenta ad cauſandā gratiam phyſicè: id quod Suarez & alij affirmant.

SECTIO II.

Quæ fuerit mens Diui Thomæ in hoc puncto?

4 *Vaſquez & Cardinalis Lugo Diuum Thomā citat pro ſola cauſalitate morali.*

DE mente Diui Thomæ in hac quæſtione agunt fusè Auctores, Pater Vaſquez diſput. 176. cap. 1. Cardinalis Lugo à num. 98. Suarez diſput. 10. ſect. 1. Thomiſtæ verò ad quæſtionem hanc 62. art. 1. & ad quæſtionem 27. de Veritate: eſt autem magna difficultas in eius mente intelligenda, quia nunquam vſurpat Scholaſticos terminos phyſicè, aut moraliter: nonnulli, inter quos eſt Vaſquez ſuprà, quem etiam videtur ſequi Cardinalis Lugo, opinantur eum ſolùm agnouiſſe moralem: id quod confirmant, quia Sanctus Doctor ait Sacramenta concurrere, vti omnes voces concurrunt ad mouendum intellectum. Certum eſt autem voces concurrere ſolùm moraliter ratione ſignificationis quam habent ex inſtitutione præcedenti hominum; ergo eodem modo concurrent Sacramenta. Secundò, quia ipſe Sanctus Doctor ait Deum ſolum operari internum effectum Sacramenti, quia ſolus ille illabitur animæ. Tertiò ait virtutem Sacramentorum procedere à paſſione Chriſti; atqui paſſio Chriſti non poteſt phyſicè operari, quia non habet iam exiſtentiam. Ad loca autem, quæ in contrarium adducuntur, dicunt Diuum Thomam ſolùm docere, Sacramenta mediatè concurrere, quatenus concurrunt, vt producatur aliquid præuium ad gratiam, quatenus abluit corpus: id quod ex eiuſdem Diui Thomæ diuerſis locis conatur ſuadere Vaſquez ſuprà.

Argumenta D.Thomæ.

5 *Videtur D. Thomas cauſalitatē phyſicam agnoſcere:*

Nihilominùs tamen mihi legenti attentè articulos huius quæſtionis & quæſtionem 27. de Veritate, vbi eandem difficultatem fuſiùs tractat, videtur ferè certum eum omnino ſentire, Sacramenta phyſicè concurrere vel immediatè ad ipſam gratiam, vel certè ad aliquam diſpoſitionem præuiam in anima, quæ ad gratiam diſponat (vt diximus ſectione 1. doceri ab aliquibus;) & verò eum plus docuiſſe quàm Vaſquez in hac vltima explicatione ipſi tribuat, eſt euidentiſſimum. Etenim ipſemet Diuus Thomas ſub aliorum nomine ponit eam ſententiam, quòd ablutio ſit neceſſaria, & Deus cauſet deinde gratiam, reiicitque illam; addit autem præter ablutionem corporis debere aquæ tribui cauſalitatem in gratiam; ergo non vult ſolam illam phyſicam ablutionem, de qua alioquin non poterat dubitari inter Catholicos eſſe neceſſariam & ſufficientem, vt deinde ſequatur gratia. Quòd item agat de cauſalitate phyſica, non verò morali in gratiam, eſt certo certius: cùm enim toties ſibi obiiciat, quòd Deus ſolus gratiam cauſet, quòd aqua non habeat vim, quòd ſit ignobilior, nunquam recurrit (id quod erat clariſſima & obuia ſolutio eius difficultatis, & haud dubiè non fuiſſet neglecta à Diuo Thoma) ad hoc, quòd Sacramenta ſolùm mereantur, vel ſolùm impetrent gratiam, Deus verò illam ſolus deinde producat, ſed ſemper inhærens exemplis phyſicæ cauſalitatis ait Sacramenta eleuari, & non concurrere per virtutem propriam, ſed mota à Deo, ſicut concurrit ſerra. Confirmo id meo iudicio manifeſtè, nam dum Diuus Thomas agit de operibus noſtris merentibus gratiam, ſeu moraliter illam cauſantibus, nunquam vel per vmbram opponit ea argumenta quæ hîc, neque recurrit ad ſolutionem hîc datam de inſtrumentis, de ſerra, de virtute per eleuationem, ſed fatetur Deum ſolum eſſe cauſam gratiæ, homines verò eam mereri, ergo ſi opinatus fuiſſet eandem gratiam non cauſari niſi ſolùm moraliter à Sacramentis, abſtinuiſſet profectò à tota ea machina argumentorum, & à ſolutione & inſtantiis, ac duobus verbis rem totam clariſſimè deduxiſſet. Confirmo id Secundò, nam Diuus Thomas ait, Etiamſi noſtra Sacramenta eſſent ſigna gratiæ, & hæc daretur dum Sacramenta ſuſcipiuntur, adhuc tamen nihil omnino haberent præ Sacramentis antiquis, nam quòd gratia detur de præſenti in Sacramento, vel quòd concedenda de futuro promittatur (ſicut permittebatur per antiqua) ait eſſe differentiam omnino per accidens, ac propterea concludit, per hoc debere noſtris concedi veram cauſalitatem in gratiam. Vides igitur illum, præter omnia illa in quibus Vaſquez ponit cauſalitatem, & quæ ſolùm dicit à D. Thoma doceri, adhuc addere cauſalitatem, ergo ea explicatio nequaquam declarat ſufficienter mentem D. Thomæ.

Oſtenditur argumentis ipſiuſmet D. Thomæ.

Hinc facilè reſpondetur ad argumenta in contrarium. Ad primum, quòd Diuus Thomas aſſimilet eam cauſalitatem vocibus, dicimus inde nequaquam inferri, ſolam cauſalitatem moralem ab ipſo poſitam, quia eo loco citato expreſsè admittit cauſalitatem phyſicam vocum in intellectum ratione auditionis, eſto ſolùm ſit mediata, virtutem autem ſpiritualem, per quam ait concurrere Sacramenta, non intelligit moralem, ſed eleuationem Dei, ſicut inſtrumentum eleuatur per virtutem impreſſam ab agente principali, neque vnquam ipſe vtitur verbo ſignificante ſe agere in genere moris. 6

Argumenta adducta in cōtrarium ex D.Thoma diluuntur. Primum:

Secundum argumentum de cauſalitate gratiæ à ſolo Deo, quia ille ſolus illabitur animæ, etiam non vrget, nam vel admittit Diuus Thomas aliquam qualitatem præuiam ad gratiam (vt dixi anteà) vel agit ibi de ſola cauſa principali, vti expreſsè loquitur hac quæſtione 62. artic. 1. in corpore, ac in reſponſione ad omnia tria argumenta, & verò hinc potiùs ſequitur

Secundum:

Digitized by Google

tur illum admiſiſſe eum phyſicum influxum: nam cùm in tertio argumento obieciſſet ſibi Deum ſolum eſſe gratiæ cauſam; reſpondet, Deum ſolùm eſſe cauſam principalem, creaturam verò poſſe eſſe inſtrumentalem: vbi haud dubiè loquitur in eodem genere: atqui Deus non eſt cauſa moralis, ſed phyſica; ergo in eo genere admiſit creaturam poſſe eſſe inſtrumentum ex moderatione diuina. Et hîc habet locum quod ſuperiùs notaui, ſi ſcilicet Diuus Thomas egiſſet ſolùm de cauſalitate morali Sacramentorum, nihil facilius illum dicere potuiſſe quàm reſpondere, Deo ſoli competere influxum phyſicum in gratiam, moralem verò creaturæ per modum meriti, orationis, aut conditionis: cùm ergo ad diſtinctionem illam cauſæ principalis & inſtrumentalis recurrerit toto eo articulo, ſæpè manifeſtè oſtendit ſe de cauſa phyſica agere.

Tertium.

Quòd denique tertio loco obiiciebatur, D. Thomam docere, virtutem Sacramenti procedere à paſſione Chriſti, non vrget; quia Diuus Thomas in paſſione Chriſti alibi poſſim rationem tantùm meriti inſtituit reſpectu gratiæ nobis datæ, ſeu reſpectu ſalutis noſtræ: vnde ſic videtur intelligendus; Paſſio Chriſti meritoriè à Deo obtinuit, vt Sacramenta tanquam phyſica inſtrumenta aſſumerentur ad productionem gratiæ.

Concluditur, Diuum Thomam fauere cauſalitati phyſicæ.

Conſtet ergo D. Thomam valdè apertè fauere ei ſententiæ de cauſalitate phyſica in gratiam, ac proinde ex hoc capite habere ſuam probabilitatem eam ſententiam, eſto ob rationes dandas eum non ſequamur: & ſatis de mente illius.

SECTIO III.

Quid ſit in hoc puncto probabilius.

7 IN hac quæſtione non ſunt rationes vllæ quærendæ, cùm ſuppoſitis iis quæ diximus ſectione 2. vnicè pendeat à voluntate Dei; auctoritas ergo maximè attendenda erit: poſſunt etiam forte adduci aliquæ congruentiæ, verùm (vt dixi ſæpè) non multum congruentiis fido, quia facillimum eſt pro vtraque parte multas inuenire ferè in quacumque quæſtione.

Sacramenta non cauſant phyſicè gratiam.

Hoc ergo ſuppoſito cenſeo longè eſſe probabiliorem ſententiam negantem hunc influxum phyſicum; quam neceſſariò tenent omnes ij, qui eum negant poſſibilem, vt Vaſquez nonnullique alij. Ex his verò qui poſſibilitatem concedunt, valdè multi, maximè ex Recentioribus, negant factum, vt Cardinalis Lugo diſput. 4. ſect. 4. & alij.

Efficax pro hac ſententia fundamentum deducitur.

Fundamentum efficax pro ea ſententia eſt, quia ex natura rei omnino eſt impoſſibilis talis concurſus; ad ſolum enim Deum ſpectat naturaliter producere gratiam: quidquid item ſit, an ſit poſſibilis aliqua qualitas, quæ naturalem habeat vim eam producendi phyſicè, illud debet eſſe apud omnes certiſſimum, neque verba, neque aquam habere vim ad productionem huiuſmodi, ſed eam non poſſe niſi cum magno miraculo admitti. Certum autem eſt, miracula illa, maximè tam grandia, qualia eſſent eleuare vnum accidens materiale ſoni, aut aquam ad producendam gratiam ſpiritualem ſupernaturalem in ſubiecto diſtanti, non debere concedi ſine neceſſitate grandi qualis eſſet, ſi ægrè valdè ſine ea cauſalitate ſaluari poſſent aliqua Scripturæ loca, aut myſteria Fidei, vel certè ob Patrum clara teſtimonia: neque ad id ſufficere debet congruentia leuis ex aliqua maiori excellentia, quæ poteſt in ea cauſalitate apprehendi: atqui ex ſacra Scriptura aut Fidei myſteriis nihil penitus in hoc puncto colligitur, quia ſolùm inde habemus, gratiam cauſari per noſtra Sacramenta; hoc autem perfectiſſimè ſaluatur per cauſalitatem moralem: vti enim paſſio Chriſti dicitur cauſa noſtræ ſalutis ob ſolam cauſalitatem moralem; nam phyſicè non poteſt nunc non exiſtens quidquam in nobis cauſare, multò autem minùs potuit antequam exiſteret in Patribus antiquis: vti etiam dicuntur noſtra peccata cauſa perditionis noſtræ, quam ſolùm moraliter cauſant; phyſicè enim non poſſunt: vti Sancti dicuntur cauſare miracula moraliter tantùm; ita eodem omnino modo propriè, ſine vlla neceſſitate recurrendi ad cauſalitatē phyſicam, dicuntur Sacramenta noſtra veræ cauſæ gratiæ per ſolam moralem cauſalitatem, ergo ex myſteriis Fidei, & ex ſacra Scriptura nihil penitus poteſt inferri de ea cauſalitate phyſica.

Cauſalitati phyſicæ non fauet Scriptura.

8 *Neque Sancti Patres.*

Ob eamdem rationem dicimus, neque etiam ex Patribus circa eam cauſalitatem quidquam colligi; quia illi nihil amplius dixerunt quàm id quod colligitur ex ſacra Scriptura de ea cauſalitate; neque vſi ſunt vllis aliis verbis, quàm quòd Sacramenta cauſent: hoc autem in materia morali puram putam, moralem cauſalitatem perſuadet.

Iam nunc addo id quod à nonnullis benè obſeruatum eſt, potiùs colligi contrarium ex Patribus: Etenim eſto concederemus de facto cauſalitatem phyſicam Sacramentis, non poſſet ea tribui niſi vnico tantùm vltimò indiuiſibili terminatiuo verborum, vel vltimæ parti actionis Sacramentalis, v. g. ablutionis, inunctionis, &c. qua completur Sacramentum; nam ante illud indiuiſibile non cauſatur gratia; tunc autem cùm priores partes iam euanuerint, non poſſunt nec diuinitus quidquam efficere phyſicè; ergo ſolùm poteſt ei vltimò puncto cauſalitas phyſica tribui: quòd ſi (vt paſſim fit) priùs applicetur materia quàm proferantur omnia verba, tunc materia nullo modo poterit concurrere, vti neque è contrario verba, ſi priùs finiantur quàm materia applicetur.

Potiùs contraria opinio ex Sanctis Patribus adſtruitur.

Iam hinc argumentor efficaciter: Patres, dum dicunt Sacramenta cauſare gratiam, non loquuntur de hoc ſolo vnico puncto terminatiuo illorum, ſed generaliter de toto Sacramento, nec minùs de forma quàm de materia, & è contrario, & vniuerſaliter pro omnibus caſibus; ergo eam concedunt cauſalitatem, quæ pro toto Sacramento habeat locum, & in omnibus caſibus. Quæ propoſitio explicatis terminis eſt mihi euidentiſſima; neque enim vllo modo iudico probabile, Patres ad eas conſiderationes metaphyſicas puncti vltimi verborum aut actionis Sacramentalis præciſè recurriſſe: atqui toti Sacramento non poteſt cauſalitas phyſica conuenire, ſed ſola moralis (vt oſtendimus;) ergo hanc ſolam Patres illis de facto tribuerunt.

Confirmationes ex Sanctis Patribus.

Confirmo, Non enim videtur probabile Patres cogitaſſe de quæſtione hac inter ipſos Scholaſticos ſatis dubia, de eleuatione ſcilicet per potentiam obedientialem ſoni ad productionem gratiæ ſpiritualis, ergo non eſt cur dicamus eam eſſe ab illis aſſertam, ſed potiùs facilem illam & claram moralem. Confirmo Secundò, quia Patres, maximè Auguſtinus, qui reuiuiſcentiam Baptiſmi agnouit,

Digitized by Google

agnouit, eodem modo docet gratiam ab illo cauſari ablato obice, ac illa cauſatur, quando ſuſcipitur Baptiſmus ſine obice; certum eſt autem Baptiſmum recedente fictione non poſſe, cùm non exiſtat phyſicè, gratiam phyſicè cauſare; ergo Auguſtinus puram poſuit moralem cauſalitatem.

9 Hinc manet reſponſum ad præcipuam rationem ſententiæ aduerſæ ex auctoritate deſumpta; illa verò congruentia, quòd cauſalitas phyſica ſit pro maiori excellentia noſtrorum Sacramentorum, non eſt vllius momenti; tum quia non omnia quæ ſunt de maiori excellentia Sacramentorum, ſunt illis tribuenda, niſi ex ſacra Scriptura & Patribus colligatur à Deo eis illa conceſſa; tum quia ſi res benè conſideretur, ea cauſatio phyſica per vltimum indiuiſibile verborum nullam omnino excellentiam addit, ſaltem omnibus aliis partibus Sacramentorum: quid enim quæſo, phyſicè loquendo, accedit his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*, ex eo quòd *τò ti* in fine verbi *ſancti* concurrat phyſicè? Vide quæ dixi Tomo 6. de Incarnatione contra Patrem Hurtadum, vt oſtenderem non eſſe vllam excellentiam Chriſti Domini, eleuari phyſicè inſtrumentaliter ad patranda miracula; ea enim omnia vrgent à fortiori in præſenti. Dico *à fortiori* propter illa quæ ſunt immediatè notata; nam in Chriſto potuit ſaltem tota humanitas concurrere, at in Sacramentis non niſi vltimum indiuiſibile; quòd non pertinet, per ſe loquendo, phyſicè ad priores partes, nam phyſicè *τò Spiritus ſancti* nullum ordinem dicit ad illa alia, *Ego te baptizo.* Item ablutio ipſa non connectitur phyſicè cum verbis, neque hæc cum ablutione; ergo ex eo, quòd verba cauſent phyſicè gratiam, non dicetur ablutio eam cauſare phyſicè, neque è contrario; ergo nulla inde deuoluetur excellentia in totum Sacramentum: vt quid ergo fingemus ob tam leuem congruentiam eius excellentiæ, vnius præcisè indiuiſibilis, tam grande miraculum? Secundò principaliter & poſitiuè probatur noſtra concluſio, quia Patres ſæpè dicunt interiorem operationem gratiæ fieri à ſolo Deo: clariſſimè Hieronymus in cap.4. Iſaiæ, vbi ait, *Ex hoc diſcimus quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum ſanctum*: id ipſum Cyprianus clarioribus adhuc verbis tradit Sermone de Baptiſmo Chriſti, item Auguſtinus Epiſtola 23. Ambroſius 2. de Sacramentis cap.5. & alij. Pater Suarez ſibi obiicit hæc teſtimonia, eiſque reſpondet, Patres non voluiſſe aliud dicere, quàm Deum ſolum eſſe cauſam principalem phyſicam gratiæ. Verùm hæc ſolutio benè reiicitur à Cardinale Lugo ſuprà ſect. 5. quia cauſæ influenti, eſto non ſit principalis, non poteſt negari verus influxus abſolutè, vti etiamſi in ipſius Suarez ſententia voluntas tantùm ſit inſtrumentalis cauſa amoris ſupernaturalis, non tamen ideò poteſt dici, quòd eum amorem ſolus Deus producat: & idem vrgetur in viſione beata, de qua non dicitur quòd eam cauſet interiùs ſolus Deus.

Congruentia pro contraria opinione adducta refellitur.

Probatio altera ex Sanctis Patribus.

Quorum explicatio data à Suarez à Cardinale Lugo reiicitur.

10 Replicabis tamen, Nimis multum probari per hæc loca, negari ſcilicet debere Sacramentis cauſalitatem moralem; quia cùm oſtenderimus ſuprà eam in communi modo loquendi abſolutè dici cauſalitatem, & verò frequentiùs eam vocem *cauſalitas* tribui morali quàm phyſicæ in ſimilibus materiis; profectò Patres, dum abſolutè dicunt Deum ſolum eam gratiam cauſare, videntur eo ipſo docere, neque moraliter Sacramenta concurrere; hoc autem eſt apertè falſum. Poteſt etiam Secundò obiici; Vti Patres non negant cauſalitatem ſubiecti in formam, id eſt ipſiùs animæ in gratiam, quam materialiter ſuſtentat; quæ cauſalitas abſolutè loquendo eſt vera cauſalitas phyſica; ita neque eos negare efficientem inſtrumentalem. Reſpondeo facilè, A Patribus non negari, imò concedi eam vtramque cauſalitatem: & quidem de ſubiectiua nulla eſt difficultas; nam dum dicunt Deum in anima producere gratiam, per *τò in anima* ſignificant animam recipere, & conſequenter gratiam in anima ſubiectari; nam verùm ſubiectum habeat propriam & veram cauſalitatem, quæſtio eſt purè Philoſophica, & quæ non attenditur in communi modo loquendi etiam ipſorum Philoſophorum: hi enim paſſim dicunt, Solus ignis cauſat calorem, calefacit me, &c. ſola nix me frigefacit, &c. loquuntur enim tunc de cauſa extrinſeca; nam quæ ſit cauſa recipiens eo ipſo denotatur, quòd dicatur, Cauſat in me, aut calefacit me, ergo ex hoc capite nihil contra nos. Secundò quoad cauſalitatem moralem, eo ipſo quòd ij Patres dicant ad præſentiam Sacramentorum moueri Deum ad producendam gratiam, agnoſcunt moralem Sacramentorum cauſalitatem, vti ſi ego dicerem, Ad mandatum tuum, ſeu ad orationem, ergo ſolus hoc faciam, ego eum occidam, ego eum liberabo, &c. clariſſimè vtraque cauſalitas diſtinguitur; vna moraliter alliciens, altera phyſicè exequens: neque enim, eò quòd Deus ſolus dicatur exequi, negatur influxus moralis Sacramenti, ſed phyſicus: habent ergo locum adhuc contra Suarez loca Patrum. Reſtat nunc breuiter explicare aliquas obiectiones minoris momenti, quæ poſſunt adduci ab Aduerſariis pro ea ſententia.

Pro Suarez explicatione replica ſoluitur.

Concluditur, teſtimonia Patrum non fauere Suarez ſententiæ.

SECTIO IV.

Reſpondetur argumentis aduerſis.

PRIMVM ſit, & quidem per modum replicæ contra dicta: Nam homo generans non dicitur cauſa animæ rationalis, etiamſi moraliter ſit cauſa illius, quatenus Deus ad exigentiam diſpoſitionum, quas homo cauſat, producit animam. Vrgent: Nam cauſa moralis non eſt verè & propriè, ſed ſolùm æquiualenter cauſa. Reſpondeo, Hominem generantem nequaquam dici propriè cauſam animæ rationalis, quia neque eſt cauſa phyſica (vt ſupponimus,) ſolùm enim producit diſpoſitiones, neque eſt cauſa moralis: non enim conſilio, imperio, ſuaſione, meritis aut demeritis mouet Deum ad productionem animæ rationalis, ſed per modum cuiuſdam puræ diſpoſitionis phyſicæ illum determinat, quia ergo ea motio pertinet ad genus phyſicum, & in eo genere homo non eſt cauſa animæ, ideò abſolutè non dicitur cauſa: quo ſenſu diximus ſuprà, antiqua Sacramenta, hoc eſt Circumciſionem, etiam in genere morali non dici cauſam gratiæ, quia non niſi per modum diſpoſitionis concurrebant, at Sacramenta noſtra continent gratiam per modum meriti non ſolùm condigni, ſed infinitè pluſquam condigni, ideoque iure merito dici poſſunt 11

Obiectio ſumpta ex phyſicis.

Cur generans hominem non ſit cauſa animæ rationalis.

Digitized by Google

cauſæ in genere moris, quia in eo ſummè concurrunt. Confirmatio illa, quòd cauſa moralis ſit ſolùm cauſa æquiualenter, non habet vllam vim; quia quidquid de eo modo loquendi ſit, iam ſuperiùs oſtendimus clarè, in communi omnium hominum, Doctorum, imò & idiotarum modo loquendi nihil eſſe frequentius, quàm cauſas morales vocare ſimpliciter & abſolutè cauſas; ergo ex eo quòd Patres, Concilia, & Sacra Scriptura vtantur ea voce *cauſa gratiæ* pro noſtris Sacramentis, certum eſſe debet, nihil penitus inferri de cauſalitate phyſica (vt ex ſuprà allatis inſtantiis conſtat,) quidquid ſit, an cauſa moralis in rigore ſit ſolùm æquiualenter cauſa, an propriè & in rigore.

12 *Obiectio ſumpta ex modis loquendi Sanctorum Patrum.*

Secundò obiicitur, Patres vehementer extollere omnipotentiam Dei reſplendentem in Sacramentis; ſi autem non phyſicè, ſed moraliter ea concurrerent, nullatenus id eſſet quid ſingulare. Reſpondeo, Patres non tam omnipotentiam Dei in eo puncto extollere quàm miſericordiam & bonitatem ac liberalitatem erga homines, ad quæ per accidens omnino eſt cauſalitas ea phyſica: quòd ſi aliquando etiam omnipotentiam ibi extollunt, meritò id faciunt (vt benè notauit Cardinalis Lugo ſuprà;) vti enim Paulus dixit Deum oſtendiſſe ſuam omnipotentiam, dum eligendo infirma mundi confudit fortia; nemo tamen ideò intulit, Apoſtolos influxiſſe phyſicè per potentiam obedientialem in eam confuſionem fortium, ſeu in conuerſionem mundi: Deus enim immediatè dedit auxilia & vocationes ſupernaturales; Apoſtoli autem ſolùm moraliter ſua prædicatione & exemplo conuerterunt mundum: ita, eò quòd extollatur potentia Dei, dum per Sacramenta cauſat gratiam, non continuò ſequitur, ea Sacramenta concurrere phyſicè ſimul cum Deo. Ratio eſt; nam in hoc ipſo, quod eſt homines inducere vt credant per verba & ablutionem materialem conferri gratiam, & quòd inde ſuauiter inducantur ad pietatem, eſto id moraliter ſolùm ab ipſis Sacramentis fiat, oſtenditur vehementer potentia Dei.

13 *Obiectio ſumpta ex formis Sacramentorum: Soluitur à ſimili.*

Tertiò obiiciunt, Non poſſe verificari ea verba, *Abſoluo te*, niſi Confeſſarius cauſet gratiam. Reſpondeo, Omnino requiri vt eam cauſet; nego tamen eſſe neceſſarium vt phyſicè; ſufficit enim ſi moraliter: id quod euidenter ex eadem forma abſolutionis oſtendo; nam eodem modo dicitur, *Abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis & interdicti*, &c. certiſſimum autem eſt eam abſolutionem non fieri phyſicè à Sacerdote; quia excommunicatio nihil phyſicum eſt in excommunicato, ideoque phyſicè non poteſt tolli: deinde dum dicitur, *Abſoluo te à peccatis tuis*, in ſententia ipſius Suarez euidentiſſimum eſt id non fieri phyſicè à Sacerdote; quia eſto dicamus gratiam produci ab eo phyſicè, at peccatum non tollitur per gratiam proximè & propriè in ſententia Suarez, & quidem omnino vera, ſed per condonationem Dei, quæ poteſt diuinitus impediri etiam poſita gratia: atqui eam condonationem nō cauſat phyſicè Sacerdos, cùm ſit actus ipſe diuinus; ergo ea inſtantia nimis multum probat. Tertiò, etiam abſoluitur homo à reatu pœnæ; certum eſt autem id non fieri phyſicè, cùm reatus ille formaliter nihil ſit phyſicum: deinde, quid quæro communius apud homines, quàm vt Iudex, Imperator, Rex, &c. dicant, *Libero te à morte, ab infamia, à carcere, ab exilio*, &c. negari autem non poteſt hæc omnia ſolùm moraliter cauſari ab illis: nam phyſicè lictor, aut præfectus carceris, qui ſoluit vincula, dicendus eſt liberare. Denique, cùm apud homines (iuxta ſæpiùs inculcata) dicatur occidere, infamare, ædificare, deſtruere, plantare vineam, arbores, &c. qui famulis vt occidant, ædificent, plantent, &c. mandat, vbi ſolus eſt moralis influxus; nihil penitus contra nos inferetur, quantumcunque multiplicentur hæ inſtantiæ, quia ad omnes ſufficit, iuxta dicta, cauſalitas moralis.

14 *Obiectio ſumpta à maleficiis Magorum.*

Quartò obiiciunt: Si Sacramenta phyſicè non cauſant gratiam, non poſſunt magis dici cauſa illius, quàm verba malefici habentis pactum cum dæmone ſint cauſa maleficij. Reſpondent aliqui, Differentiam eſſe ex parte ipſius effectus; nam Sacramenta ordinantur ad gratiam ſupernaturalem, verba verò malefici ad effectum naturalem.

Aliquorum ſolutio reiicitur.

Verùm hæc diſparitas nullius eſt momenti, quia in ordine ad explicandam cauſalitatem parum eſt, quòd effectus in ſe ſit naturalis aut ſupernaturalis: tam enim benè cauſari debet naturalis quàm cauſetur ſupernaturalis; nec obiectio contendit tam nobilem rem ab vno cauſari, quàm ab alio, ſed æquè vnam ab vno quàm alteram ab alio.

Melior reſponſio ex Scriptura.

Meliùs ergo reſpondetur Primò; Eſto id doceremus, facile nos poſſe euadere, quia communiſſimum eſt etiam in Scriptura, omnes effectus magicos tribuere abſolute vt cauſæ ipſis Magis; ita enim Saül ad Pythoniſſam 1. Reg. 28. *Samuelem mihi ſuſcita*: ita etiam Magis Pharaonis tribuuntur vt cauſæ illi effectus, quos ad Moyſis æmulationem fecerunt: ita etiam Act. 8. dicitur; *Propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos.* Secundò reſpondetur, Adhuc magnam differentiam eſſe in ea cauſalitate; nam malefici verba ſunt pura conditio, qua poſita dæmon exequitur quod promiſerat; at Sacramenta noſtra ſunt, (vt ſuprà diximus) vera cauſa de condigno mouentia Deum. Si obiectio hæc fieret contra cauſalitatem antiquorum Sacramentorum, & illa compararentur cum verbis maleficorum in ordine ad ſuos effectus, omnino admitterem ſimilitudinem: at vti noſtra Sacramenta differunt in cauſalitate à Sacramentis antiquis, quæ ſolùm vt conditio ab ipſo Deo inſtituta Deum excitarunt ad cauſandam gratiam; ita in ipſo modo cauſandi differunt à verbis magicis, quòd hæc reſpectu ſuorum effectuum pura ſint conditio, illa verò cauſa condigna, &c.

Obiectio à differentia noſtrorum Sacramentorum ab antiquis.

Quinta & vltima obiectio eſt; Nam ſine hac cauſalitate phyſica non poteſt differentia aſſignari inter noſtra & antiqua Sacramenta; nam illa etiam moraliter mouebant Deum ad cauſationem gratiæ. Verùm obiectioni huic abundè ſatisfecimus ſuprà explicantes cauſalitatem moralem noſtrorum Sacramentorum: eadem enim via oſtendimus, cur antiqua non cauſarint propriè gratiam. Conſtet ergo longè probabilius, imò ferè certum eſſe, non dari de facto talem eleuationem phyſicam in Sacramentis reſpectu gratiæ. Et de hac quæſtione, maiori ex parte ex congruentiis deſumpta, ſatis.

Digitized by Google

DISPVTATIO DVODECIMA,

Quo tempore Sacramenta cauſent gratiam.

SECTIO I.

Supponitur, gratiam ex opere operato non dari vnquam ante ſuſceptum re ipſa Sacramentum.

1 *Sententia D. Thomæ.* ANTEQVAM præcipuam in hoc puncto difficultatem diſcutiamus, aduertendum eſt Diuum Thomam 3. Par. quæſt. 80. art. 1. ad 3. docere abſolutè, effectum Sacramenti poſſe ab aliquo percipi, ſi Sacramentum ſuſcipiatur in voto; quamuis illud non accipiat in re: id quod alibi etiam docuit, vti quæſt. 66. art. 11. 68. art. 2. & 78. art. 1. Et hinc fortaſſe orta eſt ea communis inter Patres ſpirituales adhortatio ad communicandum ſpiritualiter, quando non poteſt recipi realiter venerabile Sacramentum. Et Sotus apud Suarez diſput. 8. ſect. 1. ait quoſdam expreſsè docere, gratiam Euchariſtiæ, quæ ex opere operato confertur, conferri ſaltem in extrema neceſſitate ob ſolum deſiderium eam ſuſcipiendi *Et aliorum apud Sotum & Suarez.* Huc etiam videtur facere, quod Baptiſmus in re vel in voto pro omnibus, & Pœnitentia in re vel in voto pro his, qui poſt Baptiſmum grauiter peccauerunt, neceſſaria ſit; ac proinde videatur votum illius præſtare idem, quod eſſent præſtitura ea Sacramenta, ſi re ipſa ſuſciperentur.

Sacramentū in voto quid conferat. Iudico tamen, vix poſſe in hac materia vllam eſſe de re diſſenſionem; & in primis, ſi loquamur de aliis effectibus Sacramentorum (excepta gratia) res eſt de Fide, eos non dari antequam actu ea ſuſcipiantur; nam qui nondum eſt baptizatus, eſto habeat contritionem & votum Baptiſmi, non accipit characterem, non eſt capax confeſſionis, Ordinis, Confirmationis, & reliquorum Sacramentorum: item qui non eſt re ipſa ordinatus non poteſt validè celebrare, abſoluere, &c. quantumuis magnum habuerit deſiderium Ordinum ſuſcipiendorum: & qui actu non contraxit matrimonium non poteſt licitè cum altera copulam habere, eſto deſiderauerit illam habere vxorem. De hoc ergo puncto nulla poteſt eſſe inter Catholicos quæſtio: tota ergo reducitur ad gratiam habitualem & gratias actuales. In quo puncto,

2 *Concluſio prima De gratiis in ordine ad munia.* DICO PRIMÒ, Si loquamur de gratiis actualiter datis in ordine ad munia, quæ vi Sacramentorum poſſunt exerceri, eas etiam non dari niſi actu recipiatur Sacramentum. Hæc etiam explicatis terminis eſt clariſſima: Per Sacramentum Ordinis v. g. conferuntur auxilia ad rectè celebrandum, & ad rectè audiendas confeſſiones; hæc munia ſine Ordine re ipſa ſuſcepto exerceri non poſſunt (vt diximus;) ergo neque obtinebuntur pro eo exercitio auxilia: & idem dico de auxiliis ad onera matrimonij toleranda: vti enim ſine Sacramento re ipſa ſuſcepto non eſt matrimonium; ita neque eſt locus ad toleranda eius onera.

DICO SECVNDÒ: Si loquamur de aliis auxiliis, quæ ſunt ad opera in omni ſtatu locum habentia, etiam independenter à ſuſceptione Sacramenti, vt de auxiliis quæ debentur Confirmationi in ordine ad reſiſtendum Tyranno Fidem impugnanti, de auxiliis quæ per Euchariſtiam dantur in ordine ad creſcendum in virtute; nam & non confirmatus, imò neque baptizatus poteſt habere occaſionem reſiſtendi Tyranno; item poteſt in gratia creſcere, &c. ſi inquam de his loquamur, etiam videtur è contrario certum, ſæpè tales gratias conferri omnino independenter ab vllo Sacramento. *Concluſio ſecunda. De auxiliis in ordine ad opera.* Multi enim re ipſa de facto fuere glorioſiſſimi Martyres non baptizati, taceo non confirmati; multi etiam ſine Euchariſtia, vt Paulus primus Eremita, ad ſummam euecti ſunt ſanctitatem; ergo. *Exemplis confirmatur.* Ratio à priori huius eſt, quia hæc auxilia ſeu gratiæ à Deo ſine vlla regula certa conferuntur; (loquor maximè de congruis auxiliis:) & licet ipſis Sacramentis ſpecialiter promittantur, non tamen infallibiliter; vnde paſſim fit, vt etiam poſt Sacramenta ſuſcepta cadant multi; ex quo conſtat manifeſtè, eos non habuiſſe ea ſpecialia auxilia efficacia: vti ergo ea ſæpè negantur etiam poſt ſuſceptum Sacramentum; ita è contrario ſæpè conceduntur iis qui illud non ſuſceperunt: ergo hæ gratiæ poſſunt obtineri per Sacramentum in voto, non quia tunc dentur vi Sacramenti; ſed quia illud deſiderium ſeu votum Sacramenti eſt actus ex ſe valdè bonus, & Deo placens; ideoque poteſt de congruo Deum mouere ad danda huiuſmodi auxilia; vti etiam alij actus honeſti habere poſſunt eandem vim, etiamſi non ſint votum vllius Sacramenti.

3 *Concluſio tertia. De gratia habituali.* DICO TERTIÒ: Certum etiam eſt, loquendo de gratia habituali, eam nunquam conferri vi Sacramenti, niſi illud re ipſa ſuſcipiatur. Hæc eſt communiſſima; & vero puto à nullo ex his qui ſua typis vulgarunt, contrarium eſſe traditum; fundamentum illius eſt, non quòd repugnet in ſe talis modus dandi gratiam; videtur enim ex terminis notum, fuiſſe in voluntate Chriſti ſolùm exigere ad eius gratiæ productionem deſiderium, ſeu votum Sacramenti; probanda ergo eſt ex eo, quòd nec leue fundamentum eſt ad dicendum habuiſſe Deum huiuſmodi inſtitutionem, cum omnes promiſſiones, quæ circa Sacramenta fiunt, vnicè nitantur in actuali ſuſceptione Sacramentorum: *Qui manducat meam carnem*, &c. idem de Pœnitentia: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. ergo non debemus eos effectus tribuere aliis actibus, qui etſi ſint deſiderium Sacramentorum, non tamen ſunt Sacramenta: non enim dixit Chriſtus, Qui votum habuerit comedendi, &c. ſed; Qui comederit. *Ioan. 6. Ioan. 20.* *Sacramentū in voto non confert gratiam habitualem.* Et ratio congruentiæ pro huiuſmodi veritate valdè clara eſt: vti enim cauſæ phyſicæ non operantur niſi exiſtant; ita fuit æquiſſimum, vt Sacramenta non niſi per ſui exiſtentiam operarentur;

rentur:& licet cauſæ morales aliquando operentur antequam ſint, vti merita Chriſti antequam phyſicè exiſterent, obtinuerunt gratiam antiquis Patribus: ibi tamen non niſi ipſa eorum meritorum exiſtentia operata eſt, non verò votum, aut deſiderium illius; ſed exiſtentia re ipſa futura abſolutè, & à Deo præuiſa, obtinuit eam gratiam; ergo ſolùm deſiderium ſeu votum ſuſcipiendi Sacramenti non poteſt illam gratiam cauſare, quæ eſt effectus ipſius Sacramenti, ſeu quæ dicitur ex opere operato. Iam facile erit ad obiecta in contrarium reſpondere.

4
Explicatur D. Thomas pro contraria citatus.

Ad Diuum Thomam reſpondeo, Eum non loqui in ſenſu, in quo nos quæſtionem mouimus, ſed præcisè docere, gratiam, quæ danda fuiſſet per Sacramenta, dari poſſe per votum Sacramenti; non quaſi tunc ipſum Sacramentum cauſet eam gratiam, ſed quia votum illud in ſe eſt actus ſupernaturalis bonus dignus gratia; qua etiam ſunt digni alij ſupernaturales actus boni, eſto non ſint votum Sacramenti; nec Diuus Thomas voluit dicere dandam tunc duplicem gratiam, vnam reſpondentem ipſi actui bono, vt conuenit cum aliis bonis operibus, ſeu ex opere operantis, vt dici ſolet, & aliam reſpondentem ipſi Sacramento. Eodem modo explicandum eſt Tridentinum Seſſione 13. cap. 8. vbi docet, *illos, qui voto cæleſtem panem edunt, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentire*; id eſt, ſimilem ei quam cauſat hoc Sacramentum; quia illa deuotio eſt actus charitatis, qui ex opere operantis promeretur gratiam ſimilem ei quam Sacramentum cauſat ex opere operato; & quia illud deſiderium tunc temporis eſt de obiecto nobiliſſimo, creſcit ex ea parte valor ipſius; ac proinde meritò viri ſpirituales hortantur homines ad habenda huiuſmodi deſideria, ſeu, vt dici ſolet, ad ſpiritualiter communicandum; ſicuti poſſunt hortari ad alios actus bonos: ſpecialiter autem ea vtilitas in his deſideriis reperitur, quòd homo vehementiùs afficiatur ad hoc Sacramentum; ac proinde data occaſione illud libentiùs & cum maiori deuotione frequentabit.

Explicatur Concilium Tridentinum.

An contritio tanquam votum Sacramenti cauſet gratiam.

Quòd denique contritio dicatur votum Sacramenti, & vt talis cauſare gratiam, non denotat vllo modo ipſum Sacramentum tunc cauſare eam gratiam; ſed quòd Deus videns non ſemper eſſe facultatem homini ſuſcipiendi actu ea Sacramenta, ne relinqueret tunc hominem ſine ſpe vllius remedij, voluerit vt contritio, quæ dicitur votum Baptiſmi, quatenus eſt votum faciendi omnia quæ à Deo ſunt præcepta pro ſalute, ideoque eſt virtuale ſaltem propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmi, de facto ſufficiat ad cauſandam gratiam, & ad remiſſionem originalis & mortalis, eo modo quo fuit antiquitus, etiam quando nullus erat Baptiſmus nec Pœnitentiæ Sacramentum; ac proinde vti tunc temporis prima gratia non cauſabatur à Sacramento vllo Baptiſmi aut Pœnitentiæ, ita neque nunc, ſed à ſola contritione.

SECTIO II.

Proponitur difficultas, & examinatur ſententia Patris Vaſquez.

5 DIFFICVLTAS hæc tangit inexplicabilem quæſtionem de compoſitione continui & temporis. Si Zenonis ſententiam ſequeremur, nulla penitus eſſet ratio dubitandi, quia omnia entia, ſiue ſucceſſiua, ſiue permanentia, incipiunt in ea doctrina intrinſecè & extrinſecè; id eſt, in vno inſtanti incipiunt intrinſecè per indiuiſibile ſui, ſi ſint ſucceſſiua; ſecundùm ſe tota, ſi ſint permanentia; in inſtanti verò immediatè præcedenti, quod dicitur vltimum non eſſe, incipiunt extrinſecè; & è contrario deſinunt in vltimo ſui eſſe intrinſecè, extrinſecè verò in primo non eſſe, quod immediatè ſequitur: & conſequenter in Sacramentis etiam erit vltimum intrinſecum indiuiſibile ſiue verborum, ſiue actionis, in quo poſſint cauſare gratiam.

In ſententia Zenonis de continuo facilis eſt ſolutio.

In ſententia verò Ariſtotelica eſt ſumma difficultas, quia communiter ſupponitur entia ſucceſſiua non incipere niſi per vltimum ſui non eſſe, quòd poſſit dici, *Nunc non eſt, & immediatè poſt erit*; non autem ita vt poſſit dici, *Nunc primò eſt*; & eodem modo è contrario non deſinere per vltimum ſui eſſe, ita vt poſſit dici, *Hoc eſt vltimum eſſe huius rei*; ſed ita vt dicatur, *Nunc non eſt, & immediatè antè fuit*: cùm autem gratia, quia tota ſimul producitur (& idem eſt de expulſione peccati, quæ per Sacramenta ſæpè cauſatur) incipiat tota ſimul, debet incipere indiuiſibiliter, ac proinde in inſtanti; non videtur autem poſſe aſſignari tempus quo ea gratia conferatur. De hac quæſtione fusè valdè agunt Auctores, maximè è noſtris Suarez diſp. 8. ſect. 2. Vaſquez diſp. 132. Coninck in præſenti dubio 4. Cardinalis Lugo ea diſp. 4. ſect. 5. & Tannerus.

In ſententia Ariſtotelis difficultas eſt.

Variæ ſunt ſententiæ, quas breuiter oportet examinare. Prima ſit Patris Vaſquez, qui cùm doceat Sacramenta ſolùm moraliter concurrere, ait gratiam produci in primo non eſſe Sacramenti, ſeu in primo inſtanti poſt totam eſſentiam Sacramenti. Contra hanc ſententiam inſurgunt multi, quia ex ea videtur ſequi, poſſe contingere vt homo ſuſcipiens totum Sacramentum moreretur in inſtanti ſequenti, ac proinde non recipere effectum Sacramenti: vnde ſi infans eo modo poſt Baptiſmum, aut adultus peccator poſt Sacramentum Pœnitentiæ moreretur, neuter ſaluaretur; conſequens autem etſi ab ipſo Vaſquez concedatur, videtur planè eſſe duriſſimum (vt fusè proſequitur Cardinalis Lugo à num. 114.) quia de tali homine dici cum omni rigore poteſt, quòd ſit baptizatus, quòd egerit pœnitentiam, prout Chriſtus requiſiuit ad ſalutem, & quòd tamen non ſit ſaluatus; id autem haud dubiè eſt duriſſimum, quia videtur planè eſſe contra ſacram Scripturam: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui egerit pœnitentiam, ſaluabitur.* Ego data priori opinione Vaſquez dicerem tali homini concedi gratiam in ipſo intrinſeco inſtanti mortis, & per hoc effugerem hoc abſurdum; quod ſine dubio nullo prorſus modo puto admittendum.

6
Sententia Vaſquez.

Impugnatur à Cardinale Lugo.

Marci 16.

Vaſquez ſententia ex parte approbatur.

7
Obiectio ſoluitur.

Dices; Aliunde incideremus in maius aliud, quia doceremus aliquem hominem, qui fuit ſemper in peccato quamdiu vixit, poſteà ſaluari; cùm tamen ſacra Scriptura & ſancti Patres paſſim doceant, hominem prout inuentus fuerit eſſe iudicandum, & extra tempus vitæ nullum eſſe iam locum operandi bene aut malè in ordine ad ſalutem vel damnationem. Hoc tamen argumentum mihi non videtur eſſe vllius

Digitized by Google

lius momenti, quia reuera ille homo iudicaretur iuxta ea quæ in via habuit: in via enim habuit ea quæ ex parte ipſius ad gratiam erant neceſſaria, ſubiuit Pœnitentiam, Baptiſmum, &c. Vnde meritò eſt illi ſtatim gratia data, & quidem iuxta ea quæ operatus eſt in vita: neque Patres fuere ſoliciti de eo caſu ferè moraliter impoſſibili, quòd homo eo inſtanti ſequenti moriatur. Poteſtque hæc ſolutio explicari facilè iuxta ſententiam Diui Thomæ, qui dicit gratiam amiſſam per peccatum non reſtitui deinde per Pœnitentiam in hac vita, ſed in ipſa hora mortis; nam etiam de tali homine dicimus, quod habebit præmium prout geſſit in hac vita, & quod fuerit iudicatus prout inuentus eſt; quia licet intra hanc vitam non fuerit inuentus cum illo augmento, ſeu cum præmio illius gratiæ; quia tamen eſt inuentus cum iure ad illud, ſeu cum meritò illius, eſto ob aliquem defectum caſualem illud in vita non acceperit, meritò, dum illud accipit, præmiatur omnino iuxta ea quæ geſſit, & prout inuentus eſt, vel re ipſa, vel vt ſic dicam, iure ipſo. Vti etiamſi moriatur parens ante aditam hæreditatem, quia tamen iam habebat ius in illam filius, qui illi ſuccedit, acquirere poteſt deinde eam hereditatem, in qua parens habuit ius, & quam, dum parens eſt mortuus, poſſidebat actu anus; homini igitur illi, qui mortuus eſt cum integro & adæquato iure ad gratiam (hæc autem ideò illi non eſt adhuc data, quia non fuit occaſio ſeu tempus vt daretur in hac vita) dari debet immediatè poſt: nec video quid obiici poſſit contra hanc ſolutionem vllius momenti.

Iuxta mentem Diui Thomæ.

8 *Soluitur alia obiectio Cardinalis Lugo contra Vaſquez.*

Hinc autem ſoluitur alia obiectio, quam vrget Cardinalis Lugo ſuprà contra Vaſquez, quòd ſcilicet ſequeretur dari poſſe Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe; quod tamen Vaſquez negat: ſequelam probat, quia eo caſu poſito de morte immediatè ſubſecuta, Sacramentum illud fuiſſet validum & informe; validum, quia tota eſſentia Sacramenti fuit perfecta; informe, quia non obtinuit gratiam & remiſſionem peccati. Dixi hanc obiectionem ſolutam eſſe ex dictis; nam in eo caſu illud Sacramentum non fuiſſet informe, cùm ſtatim data eſſet gratia & remiſſio peccati.

Replica expeditur.

Dices; Quid ſi homo ille non moriatur tunc ſed committat peccatum mortale in inſtanti ſequenti? profectò iam eo ipſo non accipiet gratiam; ergo ſaltem tunc erit informe illud Sacramentum. Reſpondeo, & hæc ſit ſolutio ſecunda pro hac ſecunda obiectione, Patrem Vaſquez, quando negat poſſe dari Sacramentum validum & informe, non agere in ſenſu præſentis quæſtionis, quia reuera hæc quæſtio eſt omnino diuerſa ab illa; agit ergo de Sacramento, quod ratione doloris ſe non extendentis ad omnia mortalia non cauſat gratiam; hoc negat eſſe poſſibile; Suarius è contrario affirmat. De informitate autem orta ex defectu temporis ad cauſandam gratiam Vaſquez ibi non agit. Dixi hanc quæſtionem eſſe independentem ab illa, quia hæc eſt communis omnibus omnino Sacramentis ritè ac perfectè ſuſceptis, quæ poſſunt tamen ex illo temporis defectu priuari fructu gratiæ; illa autem de Pœnitentia informi eſt propria eius Sacramenti. Vnde in hoc puncto non eſt ſibi contrarius vllo modo Pater Vaſquez.

9 Tertiò ergo argumentantur aliqui contra illum, quia verba Sacramentalia debent eſſe in toto rigore vera; ea autem ſonant de præſenti abſolutionem; non enim dicit *Abſoluam te*, ſed *Abſoluo te*, ſimiliter verba conſecrationis dicunt *Hoc eſt corpus Chriſti*, non dicunt de futuro *erit*: ergo debet & abſolutio fieri intra verborum exiſtentiam, alioquin poſſet etiam Sacerdos mortuus cauſare gratiam; quod eſt abſurdum. Reſpondeo, Neque hoc argumentum habere vllam vim; quia illa verba humano modo ſunt vera, & veriſſima, etiamſi vno inſtanti ante actionem ipſam proferantur. Numquid non homo in inſtanti immediato ipſi corruptioni vnionis veriſſimè dicit, Morior? numquid non immediatè ante inchoationem ſermonis, aut propoſitionis cauſæ alicuius, veriſſimè homo dicit, Ecce propono vobis cauſam, &c. Adde in rebus moralibus, iuxta dicta ſuprà, quando datur alicui ius indubitatum in rem aliquam, dici illam habere, eſto actu eam non habeat; ergo iure merito dici poteſt ille homo abſolutus, quia abſolutionem & gratiam iam certo iure habet; meritò etiam dicitur Chriſtus ſub ſpeciebus, quando vltimo profertur vltima littera *m*; quia iam ſupponimus quaſi iure acquiſitam eam præſentiam, & quidem pro inſtanti immediato: quæ dilatio in ordine ad homines eſt penitus imperceptibilis. Adde, ſi velimus ad has ſubtilitates temporis præſentis recurrere, difficultatem eſſe communem omnibus; nam quando Sacerdos dicit, *Abſoluo*, iam illud verbum ſignificat præſens actu exiſtens; & tamen quouſque addatur *te*, non eſt re ipſa abſolutio. Sicut ergo illud *Abſoluo*, quod eſt de præſenti, verificatur deinde ſub τὸ *te*; ita dico poſſe verificari in inſtanti immediato poſt *te*: & idem eſt in τὸ *Hoc eſt*; nam τὸ *eſt* iam ſignificauit de præſenti, & tamen non verificatur niſi poſt τὸ *meum*. Ratio eſt, quia ea tota pronunciatio & ea morula faciunt vnum quid in ordine ad omnes ferè loquelas humanas. Confirmo id adhuc clariùs in omnibus omnino Sacramentis, in quibus fatentur communiter Auctores non eſſe neceſſarium vt eodem omnino momento proferantur verba, quo applicatur materia, ſed poſſe priùs abſolui verba quàm adhibeatur materia, & è contrario, dummodo ſit inter illa connexio moralis. Demus ergo verba illa, *Ego te ſigno ſigno crucis, & confirmo*, vel, *Ego te baptizo*, finiri antequam ſit factum ſignum crucis, & ablutio ipſa; certè non magis dici poteſt tunc de præſenti, *Te abluo*, ſeu *baptizo*, quàm dicatur *Te abſoluo*, ſi in ſequenti inſtanti eſt primò danda re ipſa abſolutio.

Tertia obiectio contra ſententiam Vaſquez.

Simile à rebus moralibus.

Ratio & confirmatio ſententiæ pro omnibus Sacramentis.

Quod de Sacerdote mortuo dicebatur non 10
vrget; quia licet primò poſt mortem ſit gratiæ effectus, quando tamen in obiectione dicitur, quòd Sacerdos mortuus cauſet, non denotatur tam effectus ipſe quam poſitio cauſæ, ex qua effectus ſequitur; ac ſi dixiſſet *Sacerdos mortuus poſuit cauſam*: hoc autem falſum eſt; nam poſitio illa fuit à Sacerdote viuo, non mortuo; vti in omnium ſententia quando Baptiſmus fictè ſuſceptus reuiuiſcit, poteſt haud dubiè ipſe baptizans eſſe mortuus; an ideò dicemus tunc, Mortuus homo cauſat gratiam, vel baptizat? & idem dico, caſu quo Sacramentum Pœnitentiæ poſſet, vt nonnulli dicunt, reuiuiſcere; id quod pro præſenti caſu eſt impertinens; poſſetne dici tunc, *Sacerdos mortuus abſoluit*? ſi dici poſſet, cur non poterimus nos ſine abſurdo in

noſtro

noſtro caſu eodem modo loqui, ſi non poſſet dici, quia ea verba maxime ſignificant actionem ipſam phyſicam Sacerdotis & baptizantis? idem dicam ego in præſenti. Adde, ſi (prout communis ſententia docet) validè Sacramentum confertur, quando verba immediatè præcedunt etiamſi applicatio materiæ ſit poſterior; quia moraliter ea omnia per modum vnius reputantur: ſi inquam hoc modo res fiat, da Epiſcopum conſecrantem priùs proferre verba quàm ordinandus tangat patenam, &c. dum autem hic tangit Epiſcopum mori, ſine dubio erit valida ordinatio: (id quod applicari ſuo modo poteſt aliis Sacramentis in vſu conſiſtentibus, excepto fortaſſe Sacramento Pœnitentiæ; in quo tamen adhuc locus eſſet, ſi neceſſum non ſit vt dolor præcedat;) rogo ergo an tunc dicatur benè, Epiſcopus iam mortuus conſecrat iſtum; ſi dicitur, idem ego dicam, ſi non dicitur, ergo cùm ſit eadem ratio in noſtro caſu, etiam in eo non debebit dici. Vnde vlteriùs argumentor, & confirmo quod in ſolutione obiectionis dixi, ſcilicet verba eſſe vera, etiamſi ſinantur ante effectus productionem, quia etiam in eo caſu verba illa, *Do tibi poteſtatem conſecrandi*, &c. debent omnino verificari de præſenti: non enim ſonant, *Dabo tibi poteſtatem*, ſed *Do*, vti *Te abſoluo*. Vides ergo hoc argumento non reiici ſufficienter ſententiam Patris Vaſquez. Vnde ſi non haberemus faciliorem modum explicandi totam hanc quæſtionem, non eſſet cur ab illa abhorreremus.

Simili caſu explicatur.

Concluditur ſententiam Vaſquez non reiici ſufficienter.

SECTIO III.

Examinantur duæ aliæ ſententiæ.

11 *Sententia Suarez.*

PAter Suarez docet gratiam conferri in vltimo inſtanti terminatiuo verborum, quia cenſet, etiamſi continuum conſtet ex partibus, habere tamen indiuiſibilia terminatiua & continuatiua, quæ intrinſecè pertineant ad conſtitutionem ipſius continui, ſiue motus: id quod probat in Sacramento, quia alioquin nunquam eſſet verum dicere, *Sacramentum exiſtit*, niſi daretur vltimum punctum quo perficeretur, & quo dici poſſet, *Iam eſt*.

Rationem Suarez reiicit Cardinalis Lugo.

Benè tamen Cardinalis Lugo reiicit hanc rationem; quia etiam admiſſo eo inſtanti non eſt verum dicere, quod tunc exiſtat phyſicè Sacramentum; nam illud indiuiſibile non eſt Sacramentum: in rebus ergo ſucceſſiuis non eſt quærenda exiſtentia omnium partium ſimul, ſicuti dicitur, Exiſtit hodierna dies, & tamen non exiſtit ſimul tota. Quidquid ergo de ſententia Suarij ſit, argumentum certè hoc nihil probat.

Et ſententiã eiuſdem.

Illam reiicit Cardinalis Lugo ſupra, quia tale indiuiſibile non poteſt pertinere ad eſſentiam Sacramenti: id quod patet clarius in materia ipſa quàm in verbis Sacramenti, nam in Baptiſmo requiritur aliquis motus aquæ ſupra corpus, vt ſit ablutio, vel ergo per illud indiuiſibile motus, & in eo indiuiſibili temporis inſtanti acquiritur nouum diſtinctumque ſpatium corporis, vel non: ſi acquiritur, iam id eſt contra ſententiam quam ſupponunt, quod ſcilicet indiuiſibile non faciat maius, nam cùm tangatur totum ab ea parte, & conſequenter debeat illam penetrare: ita enim Suarez & alij argumentantur contra Zenonis indiuiſibilia, quod ſi illud indiuiſibile non facit maius, ergo ante illud erat iam poſita tota illa ablutio neceſſaria pro Sacramento, ac proinde iam erat perfectus Baptiſmus:, & idem eſt in prolatione verborum, nam etiam ante illud vltimum inſtans eſt poſita tota prolatio, quia indiuiſibile non facit maius in ea ſententia. Neque eſt neceſſe in rebus ſucceſſiuis quærere vniones, vti quærimus inter animam & corpus v.g. ad hoc vt fiat homo, ex cuius vnionis defectu deſinant illæ partes conſtituere hominem; ergo ea indiuiſibilia ad rem præſentem ſunt inutilia, maximè cùm ea puncta terminatiua in horum ſententia non tam ſint ad conſtituendam in ſe vocem ſignificantem, quàm ad negandum eam vocem vlterius protrahi: hæc autem ſententia ad perfectionem Sacramenti non requirit eam negationem non loquendi vlteriùs: alioquin primò in inſtanti ſequenti, quando eſſet ea actualis negatio, deberet ponere gratiæ productionem. De quo puncto nos infrà fuſius fine autem ſectionis tertiæ dicam quid ſit ſentiendum de ſententia hac Patris Suarez, & de hac obiectione contra illam.

12 *Tertia ſententia communiter reiicitur.*

Tertia ſententia docet gratiam conferri in tempore indeterminato ante vltimum complementum terminatiuum Sacramenti, ita vt nulla pars illius temporis potuerit aſſignari, in qua tota fuerit gratia, ſed ſemper in minore & minore. Reiicitur hæc ſententia communiter, eò quod repugnat aliquid exiſtere ſeu produci à parte rei, & tamen à Deo non videri, quando tranſeat de non eſſe ad eſſe: quòd ſi Sacramenta phyſicè cauſent gratiam, erit adhuc longè maior difficultas, quia Deus debet videre determinatè, quando aſſumit Sacramenta vt inſtrumenta phyſica ad concurrendum in gratiæ productionem.

Oſtenditur, nullam in hac ſententia peculiarem eſſe difficultatem.

Ego tamen, vt verum fatear, non video hic ſpecialem aliquam difficultatem, quæ non ſit ab omnibus ſoluenda independenter omnino ab hoc puncto de cauſalitate Sacramentorum: vti enim in motu & ipſa prolatione verborum dicunt omnes motum illum incipere per partes indeterminatas, non per indiuiſibilia determinata; & tamen Deus eas partes producit, & ad eas concurrit, neque reputant abſurdum dicere, Deum nullam videre ibi quæ prima ſit, antequam non videat alteram & alteram, cur igitur eodem modo non poterunt hi Auctores dicere, gratiam etſi in ſe ſit determinata, produci tamen à Deo, ita vt non ſit vlla pars temporis aſſignabilis antequam non ſit producta? confuſio enim, quam hæc ſententia incurrit circa tempus in quo producitur gratia, incurritur ab omnibus in ſententia Ariſtotelis circa partes ipſas ſoni & motus in quocumque ente ſucceſſiuo: parùm autem intereſt in ordine ad vitandum illud abſurdum de confuſione in mente diuina, quod ea ponantur in re determinata circa tempus indeterminatum, vel è contrario in re indeterminata circa tempus determinatum, quandoquidem vtraque debet à Deo produci.

Confirmo & vrgeo; Siue in prima productione ſiue in ſecunda certum eſt gratiam à Deo conſeruari in tempore indeterminato, quod ſequitur poſt primum inſtans productionis diuinæ, quæ autem quæſo eſt minor difficultas, tribuere Deo conſeruationem confuſam gratiæ, quàm tribuere confuſam primam productionem, cùm æqualiter debeat Deus ſcire quid conſeruet, ac ſcire debet quid primò producat?

Dices,

13 *Replica ſoluitur diſtinctione.*

Dices, Quia prima productio debet eſſe indiuiſibilis, ſecunda verò non. In primis hanc replicam non poteſt ponere Cardinalis Lugo, (qui tamen ob argumentum hoc, cui reſpondeo, reiicit hac tertiam ſententiam;) ipſe enim expreſsè ita ponit productionem gratiæ in tempore determinato; vt tamen non admittat indiuiſibilem primam productionem gratiæ. Quidquid verò ſit, à quo poſſit hæc replica vrgeri, reſpondeo diſtinguendo illud antecedens; Productio prima gratiæ debet eſſe indiuiſibilis magis quam conſeruatio, nego antecedens; æqualiter tranſeat; ac proinde nego inde vllam ſequi differentiam quoad punctum confuſionis in Deo.

Ratio diſtinctionis.

Ratio autem, cur eo modo diſtinxerim, facilis eſt; nam ſi in ſecunda productione ſeu conſeruatione loquamur ratione ipſius gratiæ productæ nihil eſt prius & poſterius: quia tota ſimul producitur: ſi verò ex parte temporis quo conſeruatur, certè, vti dicunt Aduerſarij, nullam omnino eſſe primam conſeruationem ante quam non fuerit alia etiam conſeruatio; alioqui ſi admitterent poſt primam productionem diuiſibilem etiam ſecundam conſeruationem indiuiſibilem, iam tunc ex prima productione & prima conſeruatione indiuiſibili reſultarent duo indiuiſibilia, ſeu duo inſtantia, vnum poſt alterum; ideoque totum tempus componeretur ex puris inſtantibus, quod hi nolunt admittere; ne ergo in hoc inconueniens incidant, debent neceſſario fateri eam conſeruationem in ratione conſeruationis incipere diuiſibiliter, & per partes indeterminatas, vt dixi; vti inquam hi dicunt conſeruationem gratiæ in ratione talis incipere indeterminatè: cur non potero ego dicere, ipſam primam productionem eo modo incipere?

14 *Confirmatur & explicatur ſolutio.*

Confirmo, & explico; Demus pro præſenti ſententia (licet fortè aliunde res ſit falſa) actionem primò productiuam ſemper differre ſpecie à ſecunda productiua, ſeu conſeruatiua; certè tunc illa ſecunda actio, qua Deus conſeruaret gratiam, inciperet in inſtanti; alioquin iam darentur duo inſtantia, vnum poſt alterum: ſi ergo illa ſecunda actio potuit diuiſibiliter incipere, ſeu in tempore indeterminato, cur non & prima? quia etiam hæc eſt in ſuo genere prima, & vtraque habet terminum, qui totus ſimul producitur, & non per partes. Ne verò hoc argumentum clarum faciamus dependens ab ea ſententia, demus etiam extra Sacramenta in aliquo determinato inſtanti eleuari à Deo ad primam productionem gratiæ per modum inſtrumenti phyſici Angelum vel hominem, deinde verò conſeruari eam gratiam à ſolo Deo. Et verò fortè de facto contingit aliquid ſimile in generationibus ſubſtantialibus; nam communis ſententia docet, equum v. g. in primo inſtanti produci à matre, deinde à ſolo Deo conſeruari; & ignem primò produci ab altero igne, deinde à ſolo Deo conſeruari: id quod haberet maximè locum, caſu quo ignis immediatè poſt inſtans productionis moueretur loco, & ſepararetur ab agente: quod benè poteſt fieri, quandoquidem motus localis, vti ens ſucceſſiuum, incipit poſt inſtans; eo autem caſu, quia ignis producens eſſet ſeparatus, deberet ceſſare neceſſariò eius prima productio, & ſubſequi altera à ſolo Deo. In his ergo omnibus caſibus conſtat poſſe Deum incipere eam conſeruationem in tempore illo indeterminato, ac proinde non eſſe inconueniens, ſi dicamus gratiam incipere in tempore indeterminato: id quod poteſt adhuc habere locum, etiamſi Sacramenta accipiantur vt inſtrumenta phyſica ad eam productionem In

15 *Cardinalis Lugo in eam ſententiam incidit.*

quam tandem ſententiam videtur etiam conſentire Cardinalis Lugo, licet eam dixerit priùs inintelligibilem; nam licet doceat produci gratiam in tempore determinato poſt aliquod inſtans, in quo incipit vltimum complementum Sacramenti; per hoc tamen nequaquam euadit difficultatem huius tertiæ ſententiæ, imò neque ab illa recedit; nam tempus determinatum reipſa conſtat ex partibus indeterminatis & inſtantibus. Vnde, quantumcumque dicatur eam gratiam produci in tempore indeterminato; debet poſteà dici, vtrum in inſtanti, an verò in tempore, ſeu in parte indeterminata; ac proinde recidetur in tertiam ſententiam, & in abſurdum illud, quòd Deus incipiat producere gratiam, & non ſciat quando: quòd enim hic Auctor indicet eam productionem fieri poſt primum inſtans determinatum, nec auget facilitatem ſententiæ quoad punctum præſens; quia ea difficultas non ſumebatur niſi ex hoc præciſè, quòd Deus non ſciret, quando inciperet intrinſecè. Et in hoc conuenient facilè Auctores huius tertiæ ſententiæ, qui ſine dubio in tempore illo determinato admittunt inſtantia & partes; ac proinde non negabunt Deum poſſe determinare vnum aliquod ex illis inſtantibus, vt poſt illud, tanquam poſt vltimum non eſſe gratiæ, eam producat, eſto adhuc durent aliquæ partes indeterminatæ Sacramenti, quæ etiamſi auferrentur, non propterea Sacramentum deberet iudicari imperfectum: debemus enim in omni omnino ſententia concedere, verè in quolibet ente ſucceſſiuo aliquas eſſe partes proportionales, quæ ita pertineant ad compoſitionem eius motus, vt etiamſi aliquæ ex illis auferantur, maneat tamen adhuc ratio motus eſſentialiter: hoc enim in ſententia Ariſtotelica ſupponitur vt primum principium.

Concluditur ex hac ſententia nullam ſingularem difficultatem oriri.

Ex his omnibus concludo, tertiam ſententiam non inducere difficultatem ratione Sacramenti, quæ non ſit neceſſariò annexa compoſitioni continui, prout ab Ariſtotele traditur, & nunc admittitur. Fateor quidem illam confuſionem, vt dixi in Philoſophia, eſſe imperceptibilem; at id eſt independens à præſenti difficultate; vnde non propterea quidquam eſt ſpecialiter obiiciendum contra hanc tertiam opinionem.

SECTIO IV.

Dubium incidens deciditur, & quæſtioni præcipuæ ſatisfit.

16 *Dubium, quando quis teneatur ex præcepto diuino elicere actum amoris Dei ante mortem.*

CVius occaſione mouetur quoddam dubium à nonnullis, An ſcilicet poſſit Deus alicui imponere præceptum eliciendi actum amoris Dei, aut cuiuſcumque alterius virtutis (eſt enim pro præſenti eadem de omnibus difficultas) ante inſtans, ſeu tempus mortis, ſeu immediatè ante mortem. Ratio dubitandi eſt; nam ex vna parte videtur de facto ita eſſe: habet enim peccator obligationem naturalem ante mortem eliciendi contritionem, ſi copiam non habet Confeſſarij, ex aliâ verò parte videtur eſſe omnino implicatoria ea obligatio: non enim eſt aſſignabile vllum inſtans, aut tempus, in quo ea obligatio vrgeat, nam qualibet parte temporis aſſi-

gnata

gnata adhuc reſtant aliæ, in quibus poſſet præceptum illud impleri; ergo adhuc homo non peccat differendo; cumque nulla ſit vltima pars temporis, in qua poſſit expleri, nunquam tenebitur.

Reſponſio aliquorum.

Quòd ſi cum aliquibus reſpondeas, In hominibus nullam eſſe difficultatem, quia tempus illud etſi per partes proportionales poſſit diuidi in infinitas; reſpectu hominum tamen perinde ſe habet ac ſi eſſet vnum inſtans; quia homo non poteſt facere eas ſubdiuiſiones non ſolùm in infinitum, ſed (vt ad aliud propoſitum ego notaui) fortè neque in duas intra ictum oculi: ſi inquam hoc modo reſpondetis, tunc inſurgent aliqui; quia ſaltem in Angelis, qui eas diuiſiones facere poſſunt, habebit locum argumentum. Propter hanc rationem negat Suarius diſp. 8. ſect. 2. poſſibilem eſſe eam impoſitionem præcepti; quem ſequitur Cardinalis Lugo ſuprà. Ego tamen in hoc puncto quoad homines non dubito, ob rationem immediate antè datam, poſſe imponi tale præceptum. Circa Angelos verò etſi non facilè idem poſſit oſtendi, non poſſum tamen induci, vt credam poſſe illos intra oculi ictum v. g. millies actum elicere, & millies interrumpere, taceo infinities, ac proinde etiam reſpectu illorum puto eſſe poſſe aliquam motulam adeò exiguam, vt non poſſint in illa partes & partes, plures & plures in ordine ad operandum determinare; ſed ſi ipſo initio motulæ eius non operantur, non poſſe ampliùs operari intra eam motulam; ac proinde etiam in illis habere poſſe locum præceptum de quo loquimur.

Hac conuicti Suarez & Cardinalis Lugo negant poſſibilem eſſe talem diuini præcepti impoſitionem.

17 *Arguitur Suarez inconſequentiæ.*

Secundò dico, Patrem Suarium minus conſequenter diſcurrere in hoc puncto; admittit enim etiam in his rebus ſucceſſiuis puncta terminatiua intrinſeca; vnde manifeſte apparet præceptum eo modo impoſitum obligaturum præciſè in eo ipſo puncto, ſeu inſtanti indiuiſibili terminatiuo eius horæ: vnde non capio qui admittat Sacramenta ſucceſſiua habere vltimum punctum terminatiuum, in quo producitur gratia, & non concedat etiam punctum terminatiuum horæ, in quo Angelus obligetur vltimo ad illum amorem præceptum, intra tempus v.g. Sacramenti. Vnde vltimò iudico non poſſe negari abſolutè eius præcepti poſſibilitatem; quia nec poteſt negari indiuiſibile vltimum terminatiuum, etiam in entibus ſucceſſiuis: id quod probaui fusè in Philoſophia, quia cum omnes Auctores ſupponant rem ſucceſſiuam quamcumque definire per primum ſui non eſſe, hoc eſt, nunc non eſt, & immediatè antè fuit; inde argumentor meo iudicio efficaciſſimè, accepto principio quodam vniuerſali Ariſtotelico, & in ſe omnino euidenti, ſcilicet omnem propoſitionem, quæ vera eſt, de futuro aut de præterito, fore aliquando, vel fuiſſe aliquando veram; de præſenti v.g. nunc vere dico, Cras pluet, neceſſum omnino eſt vt cras de præſenti poſſit verè dici, Pluit: item de præterito dicitur, Adamus fuit; ergo debuit aliquando de præſenti fuiſſe verum, Adamus eſt. Ex hoc principio euidenti ſic argumentor: Verum eſt de præterito dicere, Immediatè antè fuit curſus, & nunc non eſt; ergo aliquando fuit: verum de præterito nunc eſt, Et immediatè poſt non erit, mutato ſolo tempore in qualibet ex illis propoſitionibus vt ſcilicet quæ in vna ponitur de præſenti, ponatur in altera de futuro; & quæ ponitur de futuro, ponatur in altera de præſenti. Nam vti omne præteritum & futurum debet aliquando eſſe verum de præſenti; ita omne de præſenti debet eſſe verum de præterito & futuro, niſi ſit res æterna, quæ nec inchoauit, nec finietur: ergo illud præſens, Nunc immediatè non eſt, debuit habere ſuum futurum. Immediatè erit; & τὸ *præteritum fuit* debuit habere ſuum præſens *eſt*; ac proinde repugnat in terminis aſſerere, nunc dici cum veritate, Non eſt primò, & immediatè antè fuit, niſi immediatè antè ea propoſitio fuerit vera mutatis temporibus, Nunc eſt, & immediatè poſt non erit: debet ergo dari in qualibet parte inſtans terminatiuum, ac proinde in eo poterit obligare illud præceptum diuinum, de quo in ea obiectione & de illa nunc ſatis; iam ad lineam circa Sacramenta.

Quæritur inſtans terminatiuum, quo obliget præceptum.

Non dubito rem eſſe valdè difficilem, quia tangit inexplicabilem quæſtionem de compoſitione continui & temporis; illud tamen pro deciſione dico, non eſſe ſpecialem difficultatem in Sacramentis, quæ in aliis rebus non repetiatur, ac proinde in rigore non fuiſſe nos obligatos ad eam ſpecialiter hic tangendam. Quod verò ea ſit communis facilè ſuadetur; nam certum eſt, in aliis materiis phyſicis de facto dari aliquid ſimile; etenim forma, anima rationalis v. g. quæ tota ſimul producitur, non minus quam gratia in fine intrinſecè alicuius motus ſucceſſiui, iuxta communem ſententiam, quando ſcilicet venitur ad diſpoſitionem vltimæ partis materiæ requiſitæ pro eadem anima, & quando venitur ad vltimum terminum diſpoſitionis in intenſione, quæ, iuxta eamdem ſententiam communem, etiam conſtat partibus in infinitum diuiſibilibus; quæ etiam per ſucceſſionem producuntur. Et idem poſſet etiam oſtendi in Sole, qui cùm primùm per motum localem ad noſtrum hemiſphærium accedit, producit in toto illo lucem inſtantaneè; ergo etiam poterit gratia produci, eſto ſit indiuiſibilis in aliquo inſtanti intrinſeco, aut certè in tempore, quo Sacramenta perficiuntur. Non eſt ergo difficultas vlla hic ſpecialis; quidquid verò de hoc ſit, Secundò dico ex inſinuatis paulò antè, debere in ente etiam ſucceſſiuo puncta admitti terminatiua, ſiue ſint intra ipſas partes, ſiue extra; id quod alio ſpectat, & ſub puncto illo terminatiuo dico poſſe produci gratiam. 18

Difficultas quæſtionis à ſimili euadatur.

Obiicies: Adhuc vrget argumentum ſupra factum contra ſententiam Patris Suarij, in quam videmur relabi. Reſpondeo, Me ſuprà non approbaſſe illud argumentum, ſed tantum inſinuaſſe illud ex Cardinale Lugo; reieci autem hue iudicium tam de ſententia quam de argumento, in quo ſola ea poſſet eſſe difficultas, an huiuſmodi puncta, ſeu indiuiſibilia, ſint extra partes, & vltra illas faciant aliquid maius, difficultas autem hæc eſt diſtincta à priori de partibus & punctis, vt oſtendi in Philoſophia: quia partes ſine punctis non videntur poſſe admitti, cùm eas partes eſſe actu vnitas ſit aliquid ab eis ſeparabile. Quo argumento nos mouemur ad ponendam vnionem diſtinctam inter omnia ea quæ inter ſe eſſentialiter non ſunt vnita actu: quod ergo puncta dentur non poſſumus nos dubitare; vtrùm autem ea ſint omnino extra partes, & faciant maius, eſt (vt dixi) alia quæſtio, de qua non eſt neceſſum nunc agere. Breuiſſimè tamen dico, eſſe probabilius, iuxta Ariſtotelica 19

Ad obiectionem ſuperius allatam reſpondetur.

Digitized by Google

ſtotelica principia, illa nequaquam facere maius, ſed eſſe intra eas partes; per quod tamen non impeditur, quò minùs in illo puncto continuatiuo & terminatiuo ſimul poſſit produci gratia. Video difficile eſſe, quomodo illud punctum poſſit eſſe intra partem diuiſibilem; hanc tamen difficultatem ſecum adfert compoſitio continui. Et ſatis de hac quæſtione.

SECTIO V.

Diſcutitur alia difficultas circa tempus eius cauſationis.

20 HVCVSQVE egimus de difficultate orta ex compoſitione continui: alia nunc moralis ratione ſignificationis verborum eſt tractanda; deſumitur autem inde; nam ad hoc vt verba conſtituant debitam formam, nihil debent poſt ſe habere quo deſtruatur perfectus illorum ſenſus. Si enim in Sacramento Matrimonij v.g. poſt illa verba, *Accipio te in meam*, adderet quis *famulam*, non contraheret matrimonium; ſimiliter ſi poſt τὸ *Hoc eſt corpus meum* adderetur *fictum* ſeu *aëreum*, non fieret conſecratio, vt ſuprà diximus: & idem eſt in aliis Sacramentis; ſi in Baptiſmo poſt τὸ *Spiritus ſancti* adderetur *creati*, non fieret Baptiſmus; requiritur ergo carentia eorum verborum contrariorum: atqui ea carentia non eſt in ipſo inſtanti, aut tempore, quo priora verba proferuntur, ſed in tempore ſequenti; quando alioquin poterat eſſe ea additio; ergo expectandum erit, donec ille per eam omiſſionem concludat Sacramentum; & tunc primò producetur gratia. Confirmatur; Nam ſi hæreticus mentalis vellet exteriùs ſuam hæreſim circa Trinitatem v.g. proferre, & dicere eo animo, *Deus non eſt trinus, ſed vnicus*, in altero autem momento timens Eccleſiæ iudicium adderet *in ſubſtantia*, certè non incurreret cenſuras, quibus ſubiacent hæretici externi, quia per ſubſequentia verba propoſitionem priùs hæreticam reddidit Catholicam: ergo ſimiliter ſi è contrario poſt rectam formam Baptiſmi adderet verba eam reddentia hæreticam, aut ſaltem inſufficientem, non baptizaret validè: ergo non cenſetur validus Baptiſmus, donec interpoſita aliqua morula nihil addat baptizans, quo quaſi retractet & inualidet formam.

Additiones quæ deſtruunt formam.

Quid ſentiendum de morula poſt prolationem formæ.

De hac quæſtione vix vnus aut alter in manuſcriptis mentionem fecit; pro eius ſolutione ſtatuo, ad formam Sacramenti in communi non requiri vt verba in actu ſecundo ſint ſignum ſenſibile vlli alteri, præterquam ipſi loquenti: quod inde patet, quia ſi baptizem paruulum, vbi à nullo audiar, aut vbi audiri non poſſim, certò verum efficiam Sacramentum: & idem proportione ſeruata in omnibus ferè aliis Sacramentis clarum eſt. Confirmo: Si Miniſter coram præſentibus dicat ſe nolle facere Sacramentum, ſed tantùm ioco proferre verba, & ita audientes omnes decipiat; nihilominùs ſi interiùs habeat veram intentionem ſeriam, & proferat verba ſupra debitam materiam, v. g. abluendo infantem, aut dando confitenti abſolutionem, & ſic de aliis, verum conficiet Sacramentum; & hoc idem conſtat ex dictis ſuprà, de verbis æquiuocis; ſi enim ipſe proferens habeat animum ſignificandi prout requiritur ad Sacramentum, illud conficiet, etſi verba externa, quia æquiuoca, non determinent hunc potiùs ſenſum quàm alterum; ac proinde etiamſi audientes non poſſint diſcernere verum ſenſum: vnde colligo ita requiri verba externa in Sacramentis, vt neceſſarium non ſit alium ab ipſo proferente actu intelligere verum illorum ſenſum.

Quomodo verba formæ debeant eſſe ſenſibilia.

21 Duo poſſunt contra hanc ſuppoſitionem obici; Primùm, nec quidem requiri vt ipſe proferens intelligat ea verba; nam ſi ea proferat cum ſufficienti intentione faciendi id quod per illa fieri poteſt, eſto illa re ipſa non intelligat, conficiet verum Sacramentum, vt diximus ſuprà; ergo. Reſpondeo, Quando dixi, non eſſe neceſſarium vt verba aliis ſignificent quam ipſi proferenti, me non loqui de ſignificatione expreſſa verborum, ſed de ſignificatione externa interioris animi ſeu ſeriæ voluntatis faciendi id quod Chriſtus aut Eccleſia facit; hanc autem ſignificationem habent verba illa, etiam in eo caſu reſpectu loquentis; nam licet ea ipſe non intelligat quoad ſignificationem, intelligit tamen quoad vim declarandi ſuam interiorem voluntatem, & hoc dicimus non eſſe neceſſum vt actu declaretur aliis: vno verbo dico, Sufficit, ſi loquens ipſe exterioribus verbis formæ declaret ſuum animum, ita vt ipſemet agnoſcat ſe exteriùs ſeriò illum declaraſſe, eſto alij nihil de ea re intelligant. Poteſt tamen adhuc contra hæc replicari: Animus ille interior iam eſt apprimè notus ipſi loquenti; ergo propter illius notitiam non eſt neceſſaria vlla exterior locutio; ergo hæc non niſi pro audientibus requiritur: atqui pro audientibus neceſſaria eſt illa morula, vt diximus.

Quomodo miniſter ſeruo ſentire debeat.

22 Et hinc deſumitur ſecunda difficultas contra dicta; nam licet non ſit neceſſarium quòd actu homines intelligant verba formæ, videtur tamen omnino neceſſum vt illa verba in actu primo proximo ſint ſignificatiua, ſeu capacia vt intelligatur ab hominibus quid illis ſignificari poſſit: & hinc fit, quòd ſit neceſſarium ea verba vſurpari in ſignificatione communi, & non in priuata, ab ipſo loquente conficta. Si autem ea locutio ſolùm requireretur propter ipſum loquentem, ſufficeret ſi ipſe diceret apud ſe, Ego volo per hoc verbum *ſcribo* ſignificare idem quod per *baptizo*, & baptizaret infantem ſub his verbis, *Ego te ſcribo in nomine Patris*, &c. etenim eo caſu ipſi loquenti clarè ſignificaretur exteriùs animus ſerius baptizandi, non minùs quam ſi diceret, *Baptizo te*, ergo verba etſi non neceſſariò debeant actu percipi ab vllo alio quàm à proferente, debent tamen eſſe talia, vt proximè poſſint intelligi. Ad hoc autem neceſſum eſt eam morulam expectare; nam ſi non conſtet me vlteriùs nolle ſuprà τὸ *Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti* addere *minoris Patre*, omnino ſunt ea verba incapacia, vt proximè audientibus ſignificare poſſint me rectam formam Baptiſmi proferre; ergo.

23 Recentiores quidam ob hanc rationem putarunt me non diſcurriſſe conſequenter, dum eam morulam ſolùm requiſiui in Sacramento Matrimonij, ob argumentum à me infrà ponendum; ac proinde illi vniuerſaliter requirunt eam in omnibus omnino Sacramentis. Cenſeo tamen facilè poſſe huic replicæ ſatisfieri. Dico ergo, Ad veram locutionem ſolùm requiri verum animum ſignificandi id quod ſignificant verba, & ſeriam eorum prolationem, ſeu animum ſerium durantem toto verborum tempore,

An illam morulam requirant Sacramenta præter Matrimonium.

Digitized by Google

neque eſſe attendendam ad illam negationem vlterioris prolationis: id quod meo iudicio maniſeſte probo; nam ſi, quia ſequentia verba contraria poſſunt turbare ſenſum præcedentium, neceſſaria eſt illa morula, ſanè multò maximè erit neceſſarium, ne ipſe loquens reflexè dicat ſe nolle ſeriò ſignificare id quod verba alioquin ſonant; ſed velle ea planè per modum ludicri aut purè nugando proferre: eo enim caſu retractabit multò magis eum ſenſum, quàm ſi poſt finita verba contrarium aliquod adderet; quia in hoc caſu eſt ſaltem locus putandi illum primò mutaſſe animum poſt prolata debita verba, ac proinde adhuc vere locutum fuiſſe: at ſi antequam loquatur, dicat ſe nolle loqui, nec ſignificare quidquam, & facta ea proteſtatione dicat illa verba, nemo ſane putabit illum ſignificare id quod verba alioquin ſignificant; ergo ſi ea ratio eſſet vllius momenti, requireretur neceſſariò omiſſio eorum verborum; atqui nullo modo requiritur, vt iam oſtendi; ergo illa ratio nulla eſt; ac proinde ſubſiſtit quod dixi, non aliud requiri quàm verba ex acceptatione communi ſignificantia, & intentionem loquendi non retractatam, quamdiu verborum prolatio durat.

24 *An ſit neceſſarium vt adſtantes interiorem Miniſtri intentionem intelligant.*

Oſtendo iam vlterius, non eſſe neceſſariam omiſſionem eius proteſtationis; nam etiamſi quis (vt paulò ante obſeruaui) expreſsè dicat ſe ficto animo proferre verba conſecrationis, aut Baptiſmi, ac proinde etiamſi intelligere nequeant audientes eum ſeriò agere, ſed potiùs debeant contrarium ſuſpicari; nihilominus ſi re ipſa interiùs habet animum ſerium ſignificandi id quod verba ſignificant, & conficiendi quod illa poſſunt efficere, verè conſecrabit, & conſequenter verè loquetur, vt requiritur ad conficiendum validè quodcumque Sacramentum. Oſtendo id ampliùs in illo verbo *meum*, nam ſi Sacerdos dicat, Ego dum ſupra iſtum panem dixero, *Hoc eſt corpus meum*, nolo per to *meum* ſignificare Chriſti, quia nolo conſecrare, ſed *meum* proprium ſignifico præciſè; profectò multò magis ſub hac proteſtatione impeditur ſignificatio, quam poſſit impediri per vlla verba deinde addita poſt prolationem eius vocis *meum*, id quod negare nemo poterit; & tamen hoc non obſtante, ſi dum ea verba profert, habet interiorem animum ſignificandi quod Chriſtus ſignificauit, profectò, quidquid in contrarium iudicent audientes, validè conſecrabit, ergo ad loquendũ propriè, prout ad conficiendum Sacramentum neceſſarium eſt, non exigitur ablatio, vt ſic dicam, extrinſecorum impedimentorum, quæ poſſunt auditores perturbare, quò minùs perfectè percipiant ſenſum verum, quia alia impedimenta eſſent, & illa proteſtatio, & additio ſequentium verborum reuocantium verum ſenſum.

25 *Ratio dictorum aſſignatur.*

Cuius optima ratio ea eſt, quia quod per additionem illam aut aliunde audiens decipiatur, aut aliud putet dici quàm re ipſa dicatur, eſt omnino per accidens ad ſignificationem; oriturque ex eo, quòd ea ſigna exteriora ſint fallibilia ex defectu connexionis eſſentialis cum re ſignificata, per quod non fit, verba non ſignificare propriè ex ſe id ad quod ſunt inſtituta: id quod è contrario confirmatur; nam etiam independenter ab eis extrinſecis impedimentis poteſt fallere ille qui loquitur, ſi non habuit animum faciendi id quod dixit ſe facere: & tamen eſto è contrario tunc audientes putent illum ſeriò loqui, non tamen conficit Sacramentum; ergo ad loquelam, prout exigitur ad valorem Sacramenti, parum efficit, quòd audientes decipiantur re ipſa; ergo ex eo capite non eſt neceſſarium vllam expectare morulam vltra intrinſecam prolationem verborum; ac proinde adhuc habet tota mea ſuppoſitio locum; ex qua paulò pòſt reſpondebo ad inconſequentiam doctrinæ mihi obiectam.

Concluditur, confici Sacramentum in vltimo inſtanti intrinſeco verborum.

Hinc ad rem noſtram dico, Sacramentum confici in vltimo inſtanti intrinſeco verborum iuxta ſupra dicta; ac proinde tunc cauſare gratiam, nec eſſe neceſſarium expectare aliquam morulam, per quam conſtet proferentem nil addere contrarium formæ. Ratio huius eſt, quia tota neceſſitas expectandi eam morulam videbatur oriri ex eo quòd audientes in actu ſecundo non formant iudicium propoſitionis auditæ, niſi cùm eis conſtat nil addi contrarium: atqui (vt oſtendimus) non eſt id neceſſarium, ergo neque eſt neceſſarium eam morulam expectare.

Morula non eſt neceſſaria.

Ratio à priori eſt, quia ſi verba ſunt ſignificatiua, & proferens habuit intentionem loquendi, ſine dubio cenſetur locutus, etſi immediatè pòſt mutato animo aliquid addat ad decipiendum: hoc enim iam per accidens eſt ad loquelam: vnde ſi ego aliunde voluntatem illius noniſſem, etiam in actu ſecundo veniſſem in notitiam eius rei, & eo modo quo illam protulit.

Dices: Si cognouiſſem eius animum, iam non eſſet neceſſaria loquela exterior, quid ergo mirum ſi tunc intellexiſſem quid ille vellet dicere? 26 *Replica:*

Solutio: Reſpondeo, Verba non poni loco voluntatis loquendi, ſed loco conceptuum illius. Vnde in ea ſuppoſitione conditionali ſolùm dixi, Quòd ſi de voluntate recta loquendi mihi conſtaret, intelligerem conceptus illius, quorum loco ſupponuntur verba, intelligerem etiam illum de facto in actu ſecundo locutum: id quod non intelligitur præciſè ex eo, quòd noſcatur eius animus: poteſt enim eſſe animus loquendi, & tamen non eſſe loquela in actu ſecundo.

Reſpondetur ad inſtantiã de hæretico ſuprà poſitã.

Ad inſtantiam ſuprà poſitam de hæretico reſpondetur, Illum omnino incurriſſe cenſuras & pœnas pro hæreticis externis, non minùs quàm ſi in cubiculo clauſus, vbi à nemine audiri poſſet, eam hæreſim protuliſſet, quia reuerà locutus eſt exterius hæreticè, quidquid poſteà correxerit, non minùs quàm ſi priùs dixiſſet ſe iocari, interim tamen ſeriò diceret.

Reſponſio ſecunda.

Reſpondetur Secundò, Etiamſi fortè in his pœnis externis ab Eccleſia contra tales hæreticos impoſitis requireretur ea morula, quia odia ſunt reſtringenda, & Eccleſia fortaſſis voluit vt talis poſſit conuinci exteriùs de hæreſi, quapropter aliqui cenſent eum qui in cubiculo clauſus hæreſim dicit non incurrere excommunicationem, de quo alibi, in ordine tamen ad Sacramenta non poſſe eam morulam requiri, quia licet Chriſtus verba & intentiones requiſierit, non requiſiuit morulam, quia non requiſiuit vt quaſi proximè & in actu ſecundo audientes poſſent percipere animum adminiſtrantis: vt patet in eo, qui dum dicit ſe fictè proferre verba, ſeriò tamen ea profert, qui in omnium ſententia Sacramentum conficit, & in eo qui loquitur lingua, quæ à nullo ex audientibus vllo modo intelligitur.

Dixi ſuprà, *ferè in omnibus Sacramentis*, nam Matrimonium ab hac regula excipiendum puto. Et ratio eſt, quia cùm in eo materia aut 27 *Concluſio reſtringitur.*

forma

forma ſit contractus humanus teſtibus & Parochi præſentia roboratus, non videtur ſufficere ad valorem illius proferre verba de ſe ſignificantia eum contractum; ſed neceſſarium eſt vt ea intelligantur de facto ab altero contrahente, & verò poſt Concilium Tridentinum etiam à Parocho & teſtibus, ita vt poſſint teſtari de eo matrimonio; ad hoc autem requiritur non ſolùm vtcumque loqui per verba per ſe ſignificantia contractum, ſed vt de facto percipiantur ab ipſo contrahente & à teſtibus. Vnde ſi verba proferret Hebraïcè, aliis ea penitus non intelligentibus, non faceret Sacramentum; quod tamen in aliis Sacramentis locum non habet: quacumque enim lingua aliquis loquatur, poteſt baptizare, conſecrare, &c. eſto à præſentibus nullo modo intelligatur.

In Sacramento Matrimonij requiritur morula. Hinc putatem poſt verba ſignificantia contractum requiri aliquam morulam; vt conſtet de legitimo ſenſu eorum verborum; nam ſi poſt, *Ego te accepto in meam*, adderet immediatè *ancillam* mutata intentione, planè non faceret Sacramentum: quanta autem ea morula debeat eſſe non poſſumus determinare; pendet enim ex circumſtantiis diuerſis; & cùm vnus tardiùs alio loquatur, plus in vno quàm in altero exſpectandum videtur. Hanc doctrinam quidam limitant, ita vt ſi circumſtantiis hîc & nunc occurrentibus conſtet contrahentes ſeriò loqui, non ſit neceſſarium vllam expectare morulam; ſed in ipſo intrinſeco puncto verborum conficiatur Sacramentum. v. g. ſi duo honeſti & virtuoſi contrahant, in quibus nulla ſit ſuſpicio fraudis, quin potiùs, quia priùs ambo auidè matrimonium illud expetiêre, videatur certò eos non ſolùm ſerio animo contrahendi verba proferre, ſed, ſi exceſſus eſſe poſſet, potiùs ex nimio deſiderio defectum committere. In his ergo & ſimilibus caſibus non videtur expectanda morula, ſed præciſè intrinſecum vltimum eſſe verborum; ſi verò ex aliis circumſtantiis poſſit timeri ne ambo contrahentes, aut vnus ex illis, ſerium animum non habeat, debere tunc exſpectari morulam poſt prolationem verborum.

28 *Probatur ex Concilio Tridentino.* Nihilominùs tamen probabilius videtur ob rationes datas ſuprà, vniuerſaliter requiri eam morulam; nam ex ipſiſmet ſignis externis, ſeu ex ipſis verbis vult Concilium Tridentinum Parochum & teſtes deuenire in cognitionem matrimonij, quantum fieri poteſt reſpectu illorum qui ignorant occultas intentiones: arqui in actu ſecundo non venitur in cognitionem animi per verba, donec ceſſatur à propoſitione, & nihil additur illi contrarium: vnde etſi anteà nulla eſſet ſuſpicio de defectu intentionis contrahendi, ſi tamen contrahens poſt verba etiam cum recta intentione prolata adderet *in meam ancillam*, non poſſent teſtes & Parochus de eo matrimonio deponere; nec poſſemus ſimpliciter dicere humano modo contractum eſſe matrimonium coram Parocho & teſtibus; ergo non fuiſſet tunc validum Sacramentum Matrimonij, non quidem ex defectu intentionis; quia, vt ſuppono, fuit intentio ſufficiens vſque ad vltimum eſſe verborum; ergo ex defectu ſignificationis in actu ſecundo, quæ in hoc Sacramento requiritur, non in aliis. Quòd verò dicebatur, ex aliis præcedentibus circumſtantiis poſſe colligi animum ſerium interueniſſe, non ſufficit in præſenti, nam Tridentinum non ex præcedentibus coniecturis, ſed ex verbis in ipſo contractu prolatis vult colligi à Parocho & teſtibus valorem matrimonij, vnde eodem modo poteſt eſſe Parochus & teſtis qui antè non nouit contrahentes, quàm qui nouit.

Id autem rurſus confirmo, & ſimul oſtendo non benè nobis obiici conſequentiæ defectum, eò quòd aliter de Matrimonio quàm de reliquis Sacramentis diſcurramus: etenim ſi quis coram Parocho & teſtibus ante prolata ea verba, *Ego te accepto in meam*, dixiſſet, *Ego nequaquam volo contrahere*, *ſed fictè ea verba proferam*, & deinde mutato interiùs animo, non tamen quidquam de ea mutatione dicendo, proferret illa ſeriò, certiſſimum eſt apud omnes non futurum validum Sacramentum Matrimonij: ſi autem id contigiſſet in aliis Sacramentis, Baptiſmo, Euchariſtia, &c. validè procul dubio confeciſſet, vt ſuprà diximus. Vnde clarè infertur, Longè maiorem requiri ſignificationem in actu ſecundo ad valorem Matrimonij, quàm ad valorem aliorum Sacramentorum, ac proinde nullam eſſe inconſequentiæ vmbram in eo quòd exegerimus ad valorem Matrimonij morulam, quam non requirimus pro reliquis Sacramentis, quia quoad punctum præſens eadem omnino eſt ratio de verbis ſecutis poſt prolationem, & turbantibus ſenſum, quæ de proteſtatione illa facta ante prolationem, vnde apertè infero, Sicuti officit valori Matrimonij ea proteſtatio, eadem tamen non officit in aliis Sacramentis: ita etſi in vno caſu obſint verba ſuperaddita, non tamen obeſſe in alio. 29 *Confirmatur, cur potiùs in Matrimonio quàm in aliis Sacramentis ea morula requiratur.*

Secundò principaliter oſtenditur ea differentia inter Matrimonium & alia Sacramenta ex certa doctrina, Matrimonium non perfici, niſi quando iam ambo contrahentes acceptant, vnde fit vt nec quidem ſufficiat eum, qui vltimò profert verba, abſoluiſſe ſuam locutionem dicendo *In meam te accepto*, ſed neceſſum eſt vt qui ea audit, interiùs præbeat conſenſum: vnde ſi ille etiam auditis verbis adhuc interiùs acceptationem differat, non contrahetur Matrimonium. Hinc efficaciter argumentor: Ea acceptatio neceſſariò petit intelligentiam actualem verborum: intelligentia verò exigit eam morulam, vt diximus, ergo. Hoc autem ſine dubio non requiritur in aliis Sacramentis. Adde, quod benè obſeruauit Cardinalis Lugo ad aliud intentum, verba fortaſſe non in eodem inſtanti venire ad aures audientis quo proferuntur, quia ſonus non mittit in inſtanti ſpecies ſuas per medium ſicut color, ergo ſaltem ex hoc capite non perficietur hoc Sacramentum in ipſo vltimo puncto intrinſeco verborum, ſicut perficiuntur alia Sacramenta. Et ſatis de hac differentia. *Alia differentia inter Matrimonium & alia Sacramenta.*

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

PRÆVIA AD REVIVISCENTIAM SACRAMENTOrum: An omnia poſſint eſſe valida & informia?

1 *Sacramenta in peccato ſuſcepta non cauſant gratiam.*

SACRAMENTA validè & cum debita diſpoſitione ſuſcepta infallibiliter cauſant gratiam, vt ex dictis ſuppono; ſi verò diſpoſitio neceſſaria deſit, vel quia aduertenter non dolet de peccato, certum eſt è contrario tunc temporis non cauſari gratiam; ſolùm ergo in dubium vertimus, An Sacramentum validè, indebitè tamen ſuſceptum, poſteà reuiuiſcat, ſeu cauſet gratiam, quando homo tollit illud impedimentum dolendo de peccatis per actum contritionis, vel ſuſcipiendo aliud Sacramentum, quo iuſtificatur. Pro hac tamen quæſtione, de qua diſputatione ſequenti, oportet præmittere eam alteri, An ſcilicet omnia Sacramenta poſſint validè & infructuosè ſuſcipi: & quidem quoad alia Sacramenta, excepta Pœnitentia, nulla eſt difficultas, quia in illis poteſt id contingere, vt ex dictis conſtat, impedimentum gratiæ per animum actualem peccandi, aut per defectum doloris de mortali; & nihilominùs conſiſtere tota materia, forma & intentio ad ea Sacramenta requiſita: ſic poteſt quis verè accipere Ordines, Confirmationem, Euchariſtiam, &c. etiamſi ſit in peccato. Tota ergo quæſtio deuoluitur ad Pœnitentiam: cùm enim pars huius Sacramenti ſit ipſa attritio pœnitentis, non videntur eſſe poſſe partes omnes requiſitæ ad valorem pœnitentiæ, niſi ſimul etiam ſit diſpoſitio ſufficiens ad gratiam. Neque in hoc Sacramento alia requiri videtur diſpoſitio quàm attritio; non poterit ergo validum eſſe & ſimul informe ſine effectu gratiæ. Et licet hæc quæſtio videatur pertinere ad Tractatum 2. de Pœnitentia, vbi ſpecialiter de hoc Sacramento agitur, nihilominùs tamen, quia ad doctrinam vniuerſalem, quam de Sacramentis tradimus, neceſſaria eſt eius explicatio, ideò illam hîc diſcutiendam iudicaui.

Omnia Sacramenta, excepta Pœnitentia, poſſunt eſſe valida, & non cauſare gratiam.

SECTIO I.

Proponitur ſententia affirmans.

2 *Sententia aſſerens Pœnitentiam validam & informem.*

PATER Suarez Tomo de Pœnitentia diſput. 20. ſect. 5. affirmat omnino poſſe hoc Sacramentum eſſe validum & informe; citat autem pro ſe Capreolum, Paludanum, Caietanum, Scotum, Canum, Ledeſmam, Syluestrum, & Richardum; ei ſubſcribunt Cardinalis Lugo Tomo de Pœnitentia diſputat. 14. ſect. 6. & 7. Gaſpar. Hurtadus difficultate 8. Tannerus. Henriquez lib. 2. de Pœnitentia c. 11. §. 3. Toletus lib. 3. Summæ cap. 10. §. *Tertius caſus*, & alij quos refert & ſequitur Diana Tomo 1. tit. 3. Miſcellanearum reſolutionum moralium, reſolutione 31. Probari autem ſolet. Primò auctoritate D. Thomæ, qui in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſtiuncula 1. expreſsè docet. Ego tamen iudico Diuum Thomam eo loco longè valde abeſſe ab hac ſententia, prout à Suario, Lugo & aliis defenditur; quia ibi ſine dolore vllo admittit validam confeſſionem, dummodò integra ſit, eorum quorum recordatur; ait enim, Licet cor quantum ad dolorem diſcordet à confeſſione, hoc eſt, eſto non doleat de illis peccatis quæ confitetur, dummodò velit ea confiteri, validam efficere confeſſionem, nec teneri ea peccata confiteri ampliùs, ſed ea remitti deinde ablato obice: id quod eſto defendatur ab vno aut altero Auctore, abſolutè tamen iam omnino reiicitur communiter, maximè poſt Tridentinum Seſſione 14. cap. 4. vbi aſſignantur partes eſſentiales huius Sacramenti, confeſſio omnium eorum mortalium, quorum quis poſt diligens examen recordatur, & contritio, ſeu attritio, quæ ſit animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero; ergo ſola confeſſio exterior, niſi accedat dolor de peccatis illis, non eſt pars eſſentialis huius Sacramenti, ac proinde non poterit eſſe validum, eo modo quo à Diuo Thoma videtur ſupponi. Ex qua doctrina reiiciuntur clarè diuerſæ explicationes huius affirmatiuæ ſententiæ, quas & Suarez & Diana ſuprà attingunt; vti eſt explicatio Bernardi de Gammaco apud Capreolum, qui expreſsè loquitur in ſenſu Diui Thomæ, vt ſcilicet ſit confeſſio ſine dolore: quod iam eſt reiectum.

D. Thomas pro ea ſententia citatus non ſauet.

An poſſit eſſe valida confeſſio ſine dolore.

Secundò reiiciuntur illi qui dicunt ſufficere, 3
ſi confitens putet inuincibiliter ſe habere cum dolorem, etiamſi re ipſa eo careat. Etenim cùm Concilium definierit, ad hoc Sacramentum eſſe neceſſarium eum dolorem; profectò ſi re ipſa ille non eſt, non conficietur Sacramentum, quia ignorantia non ſupplet defectum partis eſſentialis: vti ſi quis baptizet aqua diſtillata, iudicans tamen inuincibiliter eſſe naturalem, non ideò conficiet Sacramentum: quod ſuo modo de materiis aliorum Sacramentorum dicendum eſt. Ratio vniuerſalis eſt, quia Chriſtus, dum determinauit materias Sacramentorum, non fuit contentus ſola bona fide Miniſtri, ſed re ipſa voluit vt eſſet aqua naturalis, Chriſma, panis triticeus, vinum de vite, dolor de peccatis, &c. ſufficiet quidem ea bona fides ad excuſandum à culpa in illius Sacramenti adminiſtratione; at non propterea validum illud conficiet.

An ſine dolore, quem quis putat ſe inuincibiliter habere:

Hinc etiam reiiciuntur, qui putant ſufficere ſaltem aliquem dolorem imperfectum & inefficacem. Etenim cùm talis dolor non accedat ad eum quem Concilium requirit, non poteſt probabiliter dici illum eſſe ſufficientem: & verò ſi hæc ſententia ita dicat hunc dolorem imperfectum ſufficere, vt etiamſi homo aduerteret ſe non alium habere, nihilominùs ille ſufficeret; profectò & poſſet adhuc peccando in ipſa confeſſione validum tamen ſuſcipere Sacramentum; quia ille dolor imperfectus benè cohæret etiam cum actuali peccato: hoc autem planè eſt intolerabile; ergo nullo modo admittenda eſt valida confeſſio ſine eo dolore ſerio, de quo Concilium.

An cum dolore inefficaci.

Ob hanc ergo rationem Suarez, Lugo, Hurtadus, 4

Explicatio Suarez, Lugo Hurtadi, Tanneri, & aliorum.

tadus, Tannerus & alij tria ſupponunt, ex quibus deducunt probationem eius ſententiæ. Primum eſt, poſſe eſſe attritionem & dolorem ſupernaturalem peccati grauis ob inhoneſtatem ſpecialem & propriam illius v.g. furti, aut homicidij, luxuriæ, &c. qui dolor non ſit vniuerſalis, ſeu non ſe extendat ad omnia alia peccata mortalia. Secundò, non eſſe neceſſarium pro valore confeſſionis niſi dolorem de peccatis illis quæ confeſſus eſt quis, & quæ præbet tanquam materiam Sacramenti. Hinc inferunt,

Conſtituunt informè pœnitentiam per defectum doloris vniuerſalis ad omnia peccata.

Si quis inuincibiliter oblitus alicuius mortalis, & confeſſus reliqua, habeat dolorem, qui ſe tantùm ad illa quæ dicit extendat, habiturum quidquid ad valorem Sacramenti neceſſarium eſt iuxta Tridentinum, & tamen non recepturum gratiam, quia illud peccatum, cuius eſt oblitus, non poteſt tunc remitti; quandoquidem nec de illo dolet, nec illud ſubiicit Eccleſiæ; erit ergo tunc Sacramentum informe & inualidum. Ex hac doctrina reſpondent argumentis, quæ in contrarium obiiciuntur à diuerſis; qualia ſunt, quòd attritio, ſi ſit ſupernaturalis, debeat ſe extendere ad omnia peccata. In quo

Refutatur contraria opinio Patris Fagundez.

puncto Pater Fagundez, qui contrarium tenuit, magnam vim videtur ponere. Dicunt ergo illam attritionem, eſto ſupernaturalem, non habere prò motiuo rationem offenſæ Dei vt ſic, aut aliud vniuerſale; ſed ſpecialem turpitudinem, quæ in eo peccato furti v. g. reperitur. Tertiò admittunt poſſe tunc hominem, ſi moreretur, damnari, non quia in hoc Sacramento peccauerit, ſed ob peccata antiqua, quæ non ſunt ei dimiſſa ob defectum, eſto inculpabilem; quemadmodum ſi Sacerdos non haberet ſerium animum eum abſoluendi, eſto ſine culpa pœnitentis id contingeret: id quod etiam in Baptiſmo & aliis Sacramentis euenire poteſt.

5

Obiectio Coninck refellitur.

Quòd ſi eis obiicias cum Coninck diſput. 4. num. 73. dolorem requiſitum ad valorem huius Sacramenti debere eſſe talem, qui tendat ad reconciliationem cum Deo, ac proinde qui auerſetur omne peccatum mortale, quia omne impedit huiuſmodi reconciliationem: omnis enim amor efficax alicuius boni continet implicitè deteſtationem oppoſiti mali: ſi hoc inquam obiicias, fusè reſpondebit Cardinalis Lugo Primò, non omnem affectum efficacem reconciliationis includere retractationem omnium peccatorum. Id quod patet in actu Spei, qui eſt deſiderium ſaltem implicitum beatitudinis, & nihilominùs non omnis actus Spei eſt deteſtatio omnium peccatorum, neque eſt virtualiter attritio ſufficiens ad iuſtificationem cum Sacramento. Cuius vlterior ratio à priori ea eſt, quòd licet Spes ſit deſiderium beatitudinis, & determinet ad volenda media neceſſaria pro illa, quia tamen non eſt medium neceſſarium ad beatitudinem, non peccaſſe: poteſt enim homo ſaluari per pœnitentiam, etiamſi priùs peccauerit, ideò in eo deſiderio non includitur dolor, ſeu deteſtatio de commiſſis, poterit ergo eſſe deſiderium reconciliationis cum Deo, quod non inuoluat deteſtationem de præcedentibus, ſi quis ex ignorantia putaret peccata remitti à Deo abſque eorum retractatione, per ſolam eleëmoſynam v. g. poſſet ergo tunc velle per eleëmoſynam ſaluari ſine retractatione. Confirmatur, quia ſi illud deſiderium reconciliationis virtualiter includeret attritionem de omnibus peccatis, ſequeretur, omnes qui volunt confiteri, vt reconcilientur Deo, & exiſtimant ſe eſſe diſpoſitos, eo ipſo iuſtificandos, etiamſi non curent de dolore neceſſario, quia de illo nihil audierunt, hoc autem eſt manifeſtè falſum. Denique licet amor finis ſit amor mediorum, non tamen ipſe amor eſt medium, neque continet illud medium eminenter, vti voluntas amandi Deum non continet perfectionem amoris, neque ſufficit ad iuſtificandum, ergo voluntas etiam reflexa habendi attritionem & dolorem non eſt æquiualenter dolor, &c. ergo non ſufficit pro diſpoſitione ad gratiam.

Quidquid ex Concilio Tridentino contrà affertur, ſoluitur.

Quòd ſi vlteriùs vrgeas: Saltem iuxta Tridentinum debet eſſe propoſitum non peccandi 6
de cætero, hoc autem debet habere motiuum vniuerſale, ac proinde debet ſe extendere ad peccata præterita, etiam quorum non recordatur: Reſpondent negando ſequelam, quia poteſt quis præteritum non reprobare, & tamen firmiſſimè in futurum proponere. Id quod ampliùs ſic declarant: Nam ſi quis habeat propoſitum non peccandi de cætero ex motiuo malitiæ quæ inuenitur in reincidentia in mortale, ſine dubio haberet animum nunquam peccandi abſolutè, & tamen vi illius motiui non deteſtaretur præcedentia peccata, quia illa non haberent malitiam illam reincidentiæ; ergo tunc poſſet eſſe vniuerſale propoſitum in futurum ſine virtuali retractatione præcedentium. Si denique obiicias, poſſe iuxta eam doctrinam contingere vt quis ex ignorantia inuincibili, putans non eſſe mortale accedere ſine dolore omnium, dummodò habeat dolorem alicuius ex mortalibus, facturum tamen validum Sacramentum, eſto aduertenter non doleret de omnibus; concedet caſum Pater Suarez illa ſect. 4. num. 26. Lugo verò dicit omnino ita aſſerendum iuxta illam doctrinam; non tamen ſe declarat ſufficienter, vtrùm ipſe eam teneat; loquitur enim quaſi de aliena; re tamen ipſa admittere eam videtur.

SECTIO II.

Contraria ſententia præfertur; & examinantur variæ eius probationes.

Licet præcedenti ſententiæ ſua negari nequeat probabilitas tum propter tot ac tam 7
inſignes eius Auctores, tum propter probabilem illiùs declarationem, nihilominùs non puto illam eſſe veram.

Status quæſtionis proponitur.

Priùs tamen obſeruo, inter Auctores aſſerentes & inter negantes Sacramentum hoc poſſe eſſe validum & informe, eam ſolam de re intercedere quæſtionem; quod qui affirmant, liberant confitentem ab obligatione ea peccata, de quibus confeſſus eſt tunc, & nondum abſolutus, confitendi iterùm, quando detexerit defectum; qui verò negant, imponunt ſic confitenti obligationem illam. Quoad reliqua enim nulla prorſus diuerſitas; nam quòd illa peccata etiam tunc non remittantur, ac proinde ſi ille homo tunc ſine noua confeſſione moreretur, eſſet damnandus tum propter peccatum cuius eſt oblitus, tum etiam propter illa quæ confeſſus eſt, & non ſunt ei adhuc remiſſa, omnes omnino fatentur.

Cenſura Tanneri & Dianæ mitigatur.

Hinc duo vel tria colligo: Primum, non eſſe cur & Diana adeò ob ſuam ſententiam exclamet iugum Chriſti eſſe ſuaue, & Tannerus dicat noſtram ſententiam è contrario eſſe nimis rigi-

dam. Etenim ea obligatio iterùm peccata illa confitendi non eſt adeò grauis, vt tanta indigeat exaggeratione: vti enim ſi inuincibiliter ſine vlla ſua culpa vel incidiſſet in Sacerdotem non vetitum, vel non habentem voluntatem abſoluendi, vel certè ipſe caruiſſet dolore requiſito etiam ad valorem, fuiſſet obligatus ad confitendum ea ſecundò; nec tamen ideò iugum Chriſti eſt durum, aut dicere eſſe talem obligationem eſt nimis rigidum; ita in præſenti dico nullum eſſe rigorem, maximè cùm caſus ille de ea limitatione doloris ſit rariſſimus, & qui vix vnquam meo iudicio contingit. Nam in primis ille dolor ita determinatus ob motiuum ſpeciale tali abſolutè poſſibilis ſit, & frequenter (demus etiam hoc) extra confeſſionem habeatur, vix vnquam eſt ſolus in ipſa confeſſione; quia ferè ſemper motiuum confeſſionis eſt vel timor inferni, vel deſiderium cœli, vel offenſa Dei; quæ omnia ſunt vniuerſalia motiua includentia proinde omnia peccata; vel certè ſemper ſe accuſat homo de omnibus etiam præteritæ vitæ, aut quorum non recordatur, aut ſub ea conditione, *ſi feci*; eo autem ipſo ſine dubio dolet de illis; eſt ergo caſus ille rariſſimus; ſi tamen aliquando contingit, quid pro vno aut altero caſu ita exaggeratur rigor ſententiæ noſtræ?

8 *Quæ ſit in hac ſententia obligatio iterùm confitendi.*

Secundò obſeruo, quoad eam obligationem iterùm confitendi illa peccata, etiam me cenſere nullam eſſe: licet enim iudicem vt probabilius tale Sacramentum eſſe inualidum, cùm tamen ſentiam omnino eſſe probabilem contrariam doctrinam: & liceat aliunde ſe accommodare ſententiæ probabili, eſto ſit minùs probabilis, poterit quilibet eam Suarij ſententiam ſequendo non confiteri ea peccata, ſed dolorem ſupplere: tunc enim in ſecunda confeſſione omnia illa ſimul delebuntur.

Iam Tertiò & vltimò obſeruo, potiùs noſtram ſententiam eſſe longè ſuauiorem, quia (vt oſtendam) dato eo propoſito vniuerſali non peccandi de cætero dicimus eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam; quia in illo ipſo includitur dolor etiam præcedentium non occurrentium memoriæ, vt ex diſcurſu circa noſtram ſententiam conſtabit.

Roſellæ & Angeli opinio, validum eſſe Sacramentum ſine dolore.

Reiicitur ex Concilio Tridentino.

His ſuppoſitis, in noſtra ſententia defendenda eſt etiam aliqua varietas non minùs quam in oppoſita. Nam quidam putant poſita confeſſione & abſolutione, etiam abſque dolore vllo, conferri gratiam, ſicut in contraria ſententia putarunt aliqui eſſe validum Sacramentum: vtrùm autem eam tenuerit Sotus, diſputat Vaſquez de Pœnitentia quæſt. 92. artic. 1. dub. 1. citat tamen pro ea Roſellam & Angelum. Verum cùm ex Tridentino ſuprà clarè oſtenderimus, nullo modo tunc eſſe validum Sacramentum, quia deeſt pars eſſentialis, conſtat à fortiori non poſſe cauſare actu gratiam: quotumcumque ergo ſit ea opinio, debet cenſeri omnino improbabilis; & idem dico, etiamſi bona fide contingat ille defectus doloris: hoc igitur & ſimilibus modis explicandi eam ſententiam omiſſis,

9 *Modus explicandi hanc ſententiam Vaſquez, Adriani, Medinæ, &c.*

Ille eſt tenendus, quem Pater Vaſquez ſuprà art. 2. dubio vnico, ſecutus Adrianum, Medinam, Gabrielem & Maiorem, defendit; poſt quos etiam ſtant Coninck de Pœnitentia diſput. 4. dubio 11. Fagundez in ſecundo Eccleſiæ præcepto lib. 2. cap. 7. & alij multi Recentiores. Dicimus ergo dolorem neceſſarium ad valorem abſolutionis eſſe ſufficientem ad remiſſionem mortalium, etiam non occurrentium tunc memoriæ. Probat id Pater Vaſquez, quia nunquam in Conciliis aut Patribus audiatur, quòd diuerſus actus ſit neceſſarius in hoc Sacramento ad valorem pœnitentiæ quàm ad effectum illius: non enim diſtinguunt duplicem dolorem, vnum per modum partis, alterum per modum diſpoſitionis ad gratiam; vt ex Tridentino Seſſione 14. cap. 4. & Seſſione 6. cap. 6. conſtat, vbi eandem diſpoſitionem, quam dicit eſſe neceſſariam ad effectum Baptiſmi, dicit eſſe ad pœnitentiam, & eandem videtur ponere vt partem eſſentialem huius Sacramenti; ergo vnde etiam eam attritionem requirit, quæ excludat voluntatem peccandi de cætero; hæc autem eo ipſo ſe extendit ad omnia peccata, &c.

Vaſquez probat ex Tridentino.

Cardinalis Lugo retorquet argumentum Vaſquez: Sed nō benè.

Cardinalis Lugo retorquet hoc argumentum pro opinione ſua & Suarij, quia iuxta Tridentinum tunc datur Sacramentum validum, quando dantur omnes partes illius iuxta Tridentinum; ſed hæ poſſunt eſſe per dolorem illum limitatum; ergo. Ego, vt verum fatear, non video quomodo hoc ſit retorquere argumentum, ſi Lugo oſtenderet ex eodem Concilio poſſe dari illum dolorem limitatum, aut aliquid ſimile, eſſet id retorquere argumentum; at ſolùm dicere dari tunc Sacramentum, quando dantur omnes partes iuxta Tridentinum, nihil eſt contra Vaſquez; neque ad probandam eam propoſitionem eſt neceſſarium Concilium, cùm & in Sacramentis, & in quibuſcumque aliis rebus id ſit veriſſimum, ſcilicet, quotieſcumque dantur omnes partes alicuius totius, dari illud totum. Quidquid ergo ſit, vtrùm retorqueatur néc ne, vlteriùs reſpondet idem Auctor, probans dolorem de peccatis non occurrentibus, etiamſi neceſſarius ſit ad effectum gratiæ, non eſſe tamen materiam Sacramenti; quia materia debet fieri aliquo modo ſenſibilis: per confeſſionem autem tunc non fit ſenſibilis ille dolor, quia confeſſio furti v. g. non manifeſtat dolorem de luxuria, ſed de furto. Quam rationem priùs tetigerat Gaſpar Hurtadus ſuprà. Quòd ſi vrgeas: Propoſitum vniuerſale non peccandi eſt neceſſarium, & tamen per confeſſionem non manifeſtatur, quia ſolùm videtur oſtendi propoſitum partiale non peccandi in ea materia, de qua ſe accuſat; ergo etiam dolor non occurrentium poterit eſſe pars, licet non manifeſtetur: Reſpondet, Illud propoſitum omnino tunc manifeſtari, quia per confeſſionem ſignificatur deſiderium reconciliationis cum Deo, ad quam reconciliationem eſt neceſſarium illud propoſitum. At 11
dolor non requiritur niſi ſub conditione, quòd homo peccauerit, ergo quando ſupponit homo ſe non commiſiſſe tale peccatum, non habet dolorem de illo, ſed haberet, ac proinde talem dolorem ea confeſſio non manifeſtat abſolutè. Secundò reſpondet, Debere omnes concedere, aliquando ſaltem per accidens aliquem dolorem requiri ad effectum gratiæ in hoc Sacramento, qui tamen non ſit pars illius, nam ſi quis ſuſciperet Baptiſmum ſine dolore ſufficienti de mortalibus commiſſis, & poſteà in Sacramento Pœnitentiæ acciperet gratiam, deberet habere dolorem de illis: ille autem dolor non eſſet pars Sacramenti, quia cùm illa peccata ante Baptiſmum commiſſa non remaneant vi pœnitentiæ, non ſunt materia illius, & conſequenter dolor de illis non pertineret propriè ad pœnitentiam vt pars illius, ſed ſufficeret in tali homine dolor

Contendit Cardinalis Lugo poſſe dari dolorem in Sacramento Pœnitentiæ, qui ſit pars illius.

lor

Digitized by Google

lor de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis ex motiuo, quod eſſent facta ab homine Chriſtiano; quod motiuum non extenditur ad peccata ante Baptiſmum, vt ex ſe patet, quia dum illa commiſit non erat Chriſtianus; eſſet præterea ſufficiens in poſterum propoſitum non peccandi ex hoc eodem motiuo: hic ergo dolor eſſet ſufficiens ad valorem Sacramenti, non tamen ſufficeret ad gratiam ſine altero. Inde concludit, Concilia, quando non diſtinguunt diſpoſitionem requiſitam à dolore, qui eſt pars, loqui per ſe loquendo, non autem de caſibus his ſingularibus, quique raro contingunt. Hæc ille fusè in ſolutione eius argumenti Patris Vaſquez.

SECTIO III.

Reiiciuntur prædictæ euaſiones.

12 *Non ſatisfit argumento Vaſquez.*

IVdico tamen ei non eſſe ſufficienter reſponſum, & quidem quòd ait dolorem de his, quorum quis non recordatur, non eſſe partem Sacramenti, eò quòd non fiat ſenſibilis per confeſſionem, nullo modo mihi probatur. Fortaſſe enim quis diceret Primò, non eſſe neceſſum vt omnes partes Sacramenti fiant ſenſibiles, ſed poſſe aliquas, quæ ſint occultæ, requiri ad valorem Sacramenti. Et ſane potuit Chriſtus ita inſtituere hoc Sacramentum, vt non eſſet validum ſine dolore vniuerſali; eo autem caſu, quid quæſo eſſet magis quàm iam, quod faceret manifeſtam eam deteſtationem peccati, cuius verè tunc non recordaretur, magis quam iam? Vnde autem conſtat huic Auctori Chriſtum id non requiſiuiſſe? Certè hoc ipſum eſt in quæſtione, nec debet ab vllo ex nobis vlla pars ſupponi, ſed probari.

Secundò dico, Eum dolorem fieri omnino ſenſibilem ſaltem implicitè; quia quicumque accedit ad confeſſionem, debet accedere animo ſe reconciliandi Deo; ergo accedit cum animo obtinendi remiſſionem omnium illorum peccatorum quæ habet re ipſa, ſiue ille eorum recordetur, ſiue non; vti ille qui nullum in particulari peccatum confitetur ob inſtantem mortem, & qui per ſigna petit abſolutionem, ſine dubio manifeſtat dolere ſe de omnibus ſuis peccatis, ſaltem eorum de quibus recordatur; imò etiamſi nullius recordetur in particulari, manifeſtat tamen implicitè dolorem de omnibus, eſto eadem ſigna dediſſet, ſiue plura ſiue pauciora haberet peccata quàm iam; ac proinde eſto foris non magis minuſve declararet vniuerſalitatem eius doloris, omnium ergo dolorem manifeſtat, dum reconciliationem & remiſſionem omnium optat. Quòd verò dicitur, poſſe illum inuincibiliter errare, ac putare per eleëmoſynam ſine deteſtatione poſſe remitti; in primis ego non capio, quomodo talis error cadere poſſit in hominem accedentem ad confeſſionem cum ſufficienti inſtructione pro valore eius Sacramenti: Primò enim inſtruitur, quod poſt Baptiſmum peccata mortalia non remittuntur niſi per confeſſionem in re vel in voto; cumque ille vi huius inſtructionis dicat omnia ſua peccata, quorum recordatur, non capio quomodo ille putet ſine dolore per eleëmoſynam eſſe remittenda iam commiſſa, & tamen confiteatur omnia, quorum recordatur; quia ſcit neceſſarium eſſe pro illorum remiſſione Sacramentum Pœnitentiæ. Ne verò in hoc hæreamus, quia aliquando mi-

13 *An poſſit quis inuincibiliter ignorare neceſſarium eſſe dolorem.*

rabiles inuincibiles ignorantiæ reperiuntur,

Secundò argumentor, quia talis ſaltem debet habere notitiam, quòd requiratur vniuerſale propoſitum non peccandi de cætero. Atqui tale propoſitum eſt odium etiam eorum quæ quis non recordatur (vt fuſiùs paulò poſt oſtendam,) ergo per illud propoſitum facit manifeſtam deteſtationem eorum quæ non recordatur. Vrgeo id clarè ad hominem ea inſtantia quam hic Auctor tetigit; non tamen ei ſatisfecit. Propoſitum illud vniuerſale iuxta hunc Auctorem eſt materia Sacramenti; illud autem non manifeſtatur per confeſſionem ſolius furti; ergo. Reſpondet. Illud manifeſtari ex deſiderio quod homo debet habere reconciliationis cum Deo, pro qua eſt neceſſarium habere propoſitum nunquam peccandi de cætero.

Secundum argumentum pro ſententia noſtra.

14 Hæc ſolutio nullo modo ſatisfacit duplici ex capite: Primò, quia ad reconciliationem futuram cum Deo neceſſarium non eſt illud propoſitum: ſufficit enim ſi re ipſa deinde non peccet, eſto nunc id non proponat, ſed circa illud purè omittat.

Reſponſio aduerſariorum impugnatur, primò.

Dices adhuc; Illud ipſum, Volo reconciliari cum Deo, includit virtualiter propoſitum non peccandi. Sed contra, & vtor argumento huius Auctoris; nam ille homo non vult aliam reconciliationem quam in materia furti, quia in aliis non putat ſe Deum offendiſſe; at reconciliatio in materia furti non includit propoſitum non peccandi in aliis materiis iuxta huius Auctoris diſcurſum; ergo ibi nullo modo includitur poſitiuum vniuerſale; ergo deſiderium illud non manifeſtatur per eam volitionem reconciliationis, & tamen eſt materia.

Secundò principaliter impugno ſolutionem; nam licet demus hominem tunc velle amicitiam in futurum; at confeſſio hoc non manifeſtat, quia accuſatio de vno peccato non oſtendit iuxta huius Auctoris doctrinam deſiderium niſi remiſſionis eius peccati; per quam ergo confeſſionem quæſo ille oſtendit talem voluntatem amicitiæ Dei? Vrgeo; nam hic ad confirmationem ſuæ ſententiæ recurrit ad caſum, quo quis inuincibiliter putaret vnum peccatum remitti ſine altero. Vnde argumentor ego efficaciſſimè; In tali caſu confeſſio furti ſolius nullum aliud deſiderium reconciliationis cum Deo oſtenderet quàm in materia furti; ergo.

Impugnatur ſecundò eadem reſponſio.

15 Dices fortè: Illud ipſum deſiderium particulare oritur ex vniuerſali. Sed contra Primò, quia id gratis aſſeritur: poteſt enim particulare eſſe ſine vniuerſali. Contra Secundò efficaciùs, quia adhuc eſt tota difficultas, vnde noſcatur, quod proueniat ex eo vniuerſali, cum confeſſio id non oſtendat. Et verò eodem planè modo ego dicam dolorem vniuerſalem manifeſtari per particularem. Vno verbo, quod hi docent de voluntate vniuerſali non peccandi, & ſimul de deſiderio amicitiæ; quæ duo dicunt per confeſſionem particularem declarari; ego dicam de dolore generali. Denique id ipſum oſtendo inſtantia manifeſtiſſima, & ab omnibus recepta. Nam quando quis habet ius ad reticendum aliquod peccatum, aut circumſtantiam, cuius tamen expreſsè recordatur, tenetur habere dolorem de illa, alioquin non efficiet validum Sacramentum; & tamen tunc ille dolor non manifeſtatur per confeſſionem, magis quàm ſi fuiſſet omnino oblitus eius peccati; ergo non eſt ve-

Replica: ſoluitur Primò Secundò efficacius.

Inſtantia manifeſta.

rum illud vniuerſale principium, quòd non poſſit eſſe pars huius Sacramenti dolor, qui non manifeſtetur per confeſſionem.

Forte reſpondebis, Eo caſu in tantum requiri dolorem de illo peccato quod non dicit in confeſſione, in quantum ille homo peccaret, ſi eo careret; quia videret ſe facere Sacramentum informe; ac proinde ſi daremus, quòd ille tunc haberet inuincibilem errorem, quòd non eſſet neceſſarium dolere de his quæ ob iuſtam cauſam reticet, validum tamen Sacramentum faceret. Sed contra, quia Concilium, quando ponit dolorem requiſitum tanquam partem Sacramenti, expreſſe requirit dolorem de omnibus quorum recordatur; ergo hic dolor non tantùm ad vitandum nouum peccatum, ſed tanquam neceſſarius ad valorem Sacramenti debet interuenire; & tamen non manifeſtatur per confeſſionem, vt diximus; ergo.

16 Hoc ipſum vrgeo, & ſimul obiter reiicio id quod cum Suario docuit hic Au or de confitente omnia, & non habente dolorem de omnibus, ſed ſolùm de aliquo ex ignorantia inuincibili, quòd non ſit neceſſarius talis dolor; cenſeo enim admitti nequaquam debere, fieri tunc validum Sacramentum etiam ſuppoſita priori ſententia, quòd poſſit eſſe aliquando hoc Sacramentum validum & informe: etenim Concilium Tridentinum Seſſione 14. cap. 5. de Confeſſione, eodem planè modo quo requirit pro materia confeſſionem omnium mortalium, quorum homo recordatur, requirit etiam eorumdem dolorem; ait enim debere quem ea omnia dicere cum aperta & verecunda confeſſione, & omnium veniam quærere: nemo autem cum verecunda confeſſione dicit niſi ea quæ dolet ſe malè feciſſe, ac proinde quæ odit; ſicuti nemo quærit veniam niſi dolens ſe erraſſe; ergo Concilium exigit expreſsè dolorem ſaltem eorum omnium quæ occurrunt, & quæ quis confitetur, non minùs quàm eorumdem occurrentium exigit confeſſionem: ergo ſicut caſu quo confeſſio non ſit integra, non erit validum Sacramentum: ita etiam non erit, quando deeſt dolor de omnibus quorum recordatur; quidquid ſit de altero caſu, quo non doleat de illo cuius non recordatur.

Concilium Tridentinum quid ſentiat.

Replica diſcutitur ad mentem Concilij Tridentini.

Replicabis: Quando quis propter aliquam iuſtam cauſam non detegit vnum peccatum, facit nihilominus confeſſionem integram; ergo eodem modo illam faciet, ſi ex ignorantia inuincibili omittat vnum peccatum; ergo non attulimus bonam inſtantiam ad probandum ex defectu doloris eius peccati, cuius quis recordatur, non eſſe validum Sacramentum. Reſpondeo, Quando ex iuſta cauſa reticetur aliquod peccatum verè eſſe integritatem confeſſionis: ſicut quando quis loqui non valens confitetur per ſigna; quia Chriſtus Dominus nõn voluit tam rigide inſtituere hoc Sacramentum, vt non eſſet validum, niſi quando quis confitetur re ipſa peccata omnia; ac proinde dico tunc eſſe veram materiam, dummodò ſit dolor vniuerſalis: & eodem modo ſi ſine iuſta cauſa præciſè ex ignorantia omittuntur, dummodo adſit dolor vniuerſalis: quia Chriſtus maximè ad dolorem attendit. Nos autem ſuprà argumentati ſumus tantùm ex Concilio, quod omnino requirit dolorem vniuerſalem omnium eorum quæ quis recordatur: ac proinde dicimus, ſi ille dolor abſit, non eſſe Sacramentum; quia de partibus ad hoc Sacramentum requiſitis non aliud nouimus; quam quod inferre ex Conciliis & Patribus poſſumus. Cum ergo dolor eorum quæ quis recordatur, exigatur à Concilio non poſſumus nos ob inuincibilem confitentis ignorantiam dicere validum eſſe Sacramentum, ſi hic abſit. At de confeſſione conſtat ex communi auctoritate excuſari ſæpe homines ab integra confeſſione materiali, & tamen gratiam obtinere, at nullibi conſtat, quod ſine dolore eorum peccatorum quæ illi occurrunt, ſiue ea confiteatur, ſiue non, poſſit eſſe validum Sacramentum. Et ſatis de ea digreſſione.

Ex dictis colligo, omnia illa quæ adduntur de eo qui Baptiſmum in peccato ſuſcepit, & deinde confitetur, ac dolet ob motiuum illud, quòd cum eſſet Chriſtianus, Deum offenderit; aut ex motiuo reincidentiæ, &c. non vigere, quia etiam in omnibus illis caſibus nos dicimus debere eſſe dolorem vniuerſalem. Nam licet peccata ante Baptiſmum commiſſa non deleantur per Pœnitentiæ Sacramentum; tamen iuxta Concilium requiritur vniuerſale propoſitum, in quo (vt oſtendemus) includitur odium vniuerſale: licet ergo confeſſio eorum non ſit pars pœnitentiæ, dolor tamen eſt pars. Et verò (vt ſuprà in ſimili dicebam) non videtur poſſe negari, quin Chriſtus potuerit inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ, ita vt ſine dolore illo omnium peccatorum in genere non eſſet validum; & tamen etiam eſt certiſſimum, quod non proptereà ſequeretur, quòd peccata commiſſa ante Baptiſmum deberent declarari in Pœnitentiæ Sacramento: ibi autem vrgeri poſſet illud idem argumentum; Peccata hæc non condonantur per pœnitentiam, ſed per Baptiſmum; quomodo ergo nihilominus eſt pars pœnitentiæ deteſtatio implicita illorum? 17

In omni caſu neceſſarius eſt dolor vniuerſalis.

Aliud argumentum Patris Vaſquez pro noſtra ſententia eſt, quòd illa ſit diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, quam qui adfert, adhibet materiam ſufficientem, vt adueniente forma fiat validum Sacramentum; quia talis facit ex parte ſua quantùm debet, & habet ius ad petendam ſententiam iudicis. Hoc argumentum non eſt vllo modo efficax, quia licet ille, eò quod inuincibiliter erret, habeat ius, vt abſoluatur ab his quæ confitetur, non tamen ideò re ipſa habet diſpoſitionem ſufficientem ad gratiam propter obicem occultum. Aliunde ergo debet probari, eam deteſtationem eſſe ſufficientem; vel certè adhuc ſubſiſtet contraria ſententia.

Argumentum Vaſquez pro noſtra ſententia inefficax.

SECTIO IV.

Efficacior noſtræ ſententiæ probatio.

OMiſſis ergo aliis argumentis probanda eſt noſtra concluſio ex Concilio Tridentino ea Seſſione citata, vbi docet, propoſitum non peccandi de cætero eſſe neceſſariam partem huius Sacramenti: atqui huiuſmodi propoſitum eſt ſimul deteſtatio præteritorum, etiamſi non occurrant memoriæ; ergo in probatione huius minoris ſubſumptæ eſt tota difficultas, ob dicta ſuprà, quòd ſcilicet poſſit eſſe motiuum vniuerſale pro futuris, quod tamen ſe non extendat ad præterita; vt ſi ea nolit committere ob malitiã reincidentiæ: vel in caſu illo de homine in pecca- 18

Probatio ex Concilio Tridentino: Propoſitum non peccandi eſt pars Sacramenti.

to,

to, ſeu ſine dolore baptizato, qui deteſtaretur peccata futura tanquam peccata hominis Chriſtiani, eſt etiam dificultas, quia contingit ſæpè vt quis nolit committere aliquod peccatum, quin doleat de commiſſis; vt in ſene, qui quaſi ob impotentiam ad turpitudinem facile proponit caſtam vitam in futurum, licet non diſpliceat illi laſciuia iuuentutis: quibus inſtantiis explicat hanc difficultatem Cardinalis Lugo.

An deteſtatio vitæ præteritæ diſtinguatur à propoſito nouo.

Tertiò, Concilium videtur diſtinguere propoſitum à deteſtatione; ait enim non ſolùm requiri propoſitum melioris vitæ, ſed etiam deteſtationem odiumque antiquæ; ergo ſupponit Concilium propoſitum nouæ, quod ad hoc Sacramentum ſufficit, non eſſe eo ipſo odium antiquæ, alioquin gratis feciſſet eam diſtinctionem; vnde fortaſſe aliquis vellet dicere, propoſitum emendationis ſufficere, etſi naturale ſit, dummodò odium ſit ſupernaturale. Ex his capitibus reddi videtur valdè difficilis probatio eius minoris ſubſumptæ.

19

Oſtenditur requiri à Concilio propoſitum vniuerſale.

Nihilominùs puto haud difficulter poſſe perſuaderi; & in primis dico illa duo motiua hominis Chriſtiani & reincidentiæ non eſſe ſufficientia ad propoſitum, quale requiritur à Concilio; nam vi illorum abſolutè non deteſtaretur omnia peccata; nam ſi conſtaret huic homini poſteà ſe re ipſa adhuc non peccaſſe, eſto putauerit ſe peccaſſe, iam ea peccata in futurum non haberent malitiam reincidentiæ; ergo illud propoſitum, etiamſi tunc duraret, non ſufficeret vllo modo ad ea vitanda: & idem dico de peccatis hominis Chriſtiani; nam vi illius doloris ſi obliuiſceretur deinde, vel deprehenderet ſe non eſſe legitimè baptizatum, non vitaret ea peccata; debet ergo motiuum eſſe magis vniuerſale, & quod abſolutè includat propoſitum nullum mortale ſine reincidentiæ, ſiue primi lapſus, &c. committendi. Et ſanè nemo prudenter conſiderans Concilij mentem negare poterit, illud non de his limitationibus peccatorum, ſed abſolutum propoſitum ad omnia omnino cauenda peccata mortalia etiam ſine illis circumſtantiis ibi incluſiſſe, vt homo ille dicat, Nolo in futurum vllum admittere mortale, etiamſi, quando occurrat occaſio illius, ego non recorder mihi eſſe iam alia remiſſa: ac proinde etiamſi ea malitia reincidentiæ mihi non occurrat, ego tamen non peccabo. Hoc propoſitum eſt quale Concilium requirit, non cum eis limitationibus, per quas fortè homo ille oſtenderet potiùs animum ſuum ad aliqua peccata quàm propoſitum nulla committendi; maximè cùm obliuio illa, quòd anteà ſibi ſint remiſſa peccata, facillimè contingat; non ergo benè in futurum caueretur per tale limitatum propoſitum.

20 Conſtet igitur ex mente Concilij debere eſſe propoſitum ſufficiens (ſi tunc duraret) ad vitanda omnia peccata abſolutè.

Argumentum, quo oſtenditur propoſitũ illud eſſe odiũ peccatorum.

Iam hinc argumentor: Propoſitum vitandi peccata illa neceſſariò vel eſt odium formale illorum, vel ſaltem oritur ex illo; ideò enim vult ea vitare, quia agnoſcit eſſe mala; ergo quia ea odio habet, ſeu quia ipſi diſplicent: atqui etiam præterita ſunt mala eodem omnino modo ſicut futura, quia ſunt eiuſdem rationis; ergo etiam illa odio habet; ergo illud propoſitum vel eſt formale odium omnium peccatorum, vel ab illo oritur. Et hinc conſtat illam inſtantiam de ſene deteſtante in futurum omnia peccata luxuriæ non eſſe ad rem, quia talis ſi, cùm recordatur præcedentium, in eis non ſibi diſplicet; profectò non poteſt iudicari amare verè caſtitatem in futurum, ſed potiùs habere adhuc antiquum affectum luxuriæ, eſto ob impoſſibilitatem eam non opere exequatur; vti ille qui cùm vehementer optet necem inimici, non illum occidit, vel quia non poteſt, vel quia timet ne ipſe occidatur. Secundò, ſi ille ſenex rediret ad florem iuuentutis, vel alio caſu poneretur in circumſtantiis ſimilibus præcedenti vitæ; profectò vi illius propoſiti non ceſſaret à peccatis illis; ergo non habuit animum verum in futurum omnia vitandi. In aliis materiis contingit etiam vt quis non doleat de præterito actu, tamen nolit illum poſteà repetere; quia inuenit ſpeciales aliquas vtilitates in præcedenti, quas non in futuro; vel quia apprehendit iam difficultates viuaciùs quàm antea, illud tamen ipſum propoſitum non eſt omnino vniuerſale: & in ordine ad peccata iam oſtendimus locum illud non habere, quia debet omnia abſolutè nolle facere, etiamſi redeant antiquæ circumſtantiæ, ac proinde antiqua etiam debent diſplicere.

Quibus circumſtantiis propoſitũ non ſit vniuerſale.

Hinc facilè reſpondetur ad 21 ea quæ videbantur debilitare hoc noſtrum argumentum, & quidem ad ea quæ de motiuis particularibus iam eſt ſatisfactum. Ad illud, quod fortè ſufficiat propoſitum naturale, negamus id eſſe verum: etenim cum Concilium non aliter loquatur de dolore quàm de eo propoſito, certè ſi dolor eſt ſupernaturalis, etiam debet eſſe & propoſitum: neque enim de facto ad remiſſionem peccati ſufficit actus naturalis, ergo non ſufficit habere dolorem vniuerſalem naturalem, ſed oportet vt & propoſitum ſit ſupernaturale. Quod item ex Concilio dicebatur, illud, eo ipſo quòd ita coniunxit propoſitum cum deteſtatione, ſuppoſuiſſe, poſſe alioquin ea duo eſſe ſeparata, & vnum ſine altero non ſufficere: vnde infertur, Minùs benè nos dixiſſe, illud propoſitum neceſſariò vel oriri à dolore vniuerſali, vel illum includere.

Replica ex Concilio Tridentino ſoluta.

Reſpondeo, Concilium nequaquam ſuppoſuiſſe, tale propoſitum poſſe eſſe ſine dolore, ſed addidiſſe illa verba, *Sed etiam dolorem præteritæ vitæ*, vt magis explicaret vim illius eiuſdem propoſiti, quòd ſcilicet non eſſet aliqua voluntas non committendi peccata ob aliquam aliam rationem, ſed deberet eſſe cum odio illorum, quia poſſet fortè aliquis nolle aliquid facere, eſto indifferens, quia non eſt magnum bonum, vel ob alias conſiderationes, eſto proprie non haberet odium illius, Concilium ergo requirit odium, imò expreſſum etiam dolorem de his quorum recordatur, quia ille dolor videtur ordinariè eſſe tali odio annexus. In eo autem eſt implicitè etiam dolor aliorum quæ commiſit, eſto eorum non recordetur.

Confirmatio ex Tridentino de attritione & contritione.

Confirmatur Primò ex Tridentino, nam eo loco non aliter planè agit de attritione (quam dixit eſſe partem Sacramenti intra Sacramentum) quàm de contritione extra Sacramentum, vt legenti conſtabit. Atqui contritio ſemper iuſtificat extra Sacramentum, ergo iuxta Tridentinum etiam attritio, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, ſemper intra illud iuſtificabit, ergo non poteſt eſſe validum & informe.

Confirma

22 *Confirmatio altera ex eodem Concilio.*

Confirmatur Secundò efficaciùs ex eodem Tridentino, cui valde eſt conformis tota noſtra doctrina: etenim ea Seſſione 14. cap. 4. & 5. dum docuit eam attritionem vel contritionem includere veteris odium, prudenter non dixit, *Odium eorum, quorum quis recordatur*; ſicut dixerat in ordine ad confeſſionem, ſed abſolutè; *Odium veteris vitæ*, vbi ea etiam, quorum pœnitens non recordatur, incluſit, ergo ſenſit Tridentinum, etiamſi confeſſio eſſe non poſſit, niſi eorum quorum recordatur, odium tamen ſeu deteſtationem debere eſſe abſolutè totius vitæ, ac ſi diceret, *Etiam doleo de his quæ non recordor, ſi tamen re ipſa aliqua commiſi*, & ad hoc propoſitum affert locum Ezech. 18. *Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis*: vbi τὸ *omnes* etiam includit eas quarum non recordamur.

Confirmatio tertia ex eodem Concilio

Confirmo Tertiò efficaciùs ex eodem Concilio, nam cap. 5. agens de his peccatis, quorum quis inuincibiliter oblitus eſt, addit, *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.* Quæ doctrina non eſt vera in ſententia contraria, quandoquidem poteſt per ſe contingere, vt ex defectu doloris vniuerſalis aliqua, quæ non occurrunt, non ſint incluſa in ea confeſſione. Vnde non abſolutè & vniuerſaliter debuiſſet id Concilium docuiſſe, ſed cum limitatione hac, *Si alioquin adſit vniuerſalis dolor*; ergo cùm propoſitis partibus neceſſariis pro hoc Sacramento dicat, *reliqua peccata incluſa ibi eſſe*, profectò poſuit tales partes Sacramenti quæ ſufficiant ad eam incluſionem; ſi autem non exegiſſet dolorem vniuerſalem, complectentem ſaltem virtualiter ea quæ non occurrunt, non video quomodo id aſſerere potuiſſet.

23. *Replica ex Concilio. Soluitur Primò;*

Fortè dices Primò, Concilium loqui de caſibus ordinariis, in quibus eſt dolor vniuerſalis. Sed contra, Concilium ibi tradit vniuerſalem doctrinam, quæ debet intelligi cum illa vniuerſalitate quam verba præ ſe ferunt. Contrà Secundò, quia ſi ſemel licet eam doctrinam limitare ad aliquos caſus, profectò nihil certi ex definitionibus Conciliorum licebit inferre: ſemper enim erit locus ad dicendum, illa locuta non in hoc, ſed in illo caſu; & vni licebit excipere has circumſtantias, alteri verò alias diſtinctas; & ſic ruent omnes definitiones. Confirmatur; nam Concilium addidit particulam *in vniuerſum*, quæ penitus omnes caſus includit. Vt enim ait Cicero in Academicis, *Qui loquitur de vniuerſis, nihil excipit.* Quid enim poteſt eſſe extra vniuerſa? Ergo Concilium ſupra definitionem ex ſe vniuerſalem adhuc addens illud *in vniuerſum*, planè voluit omnibus exceptionibus viam præcludere, & omnes caſus, in quibus partes illæ eſſentiales, quas ipſum Concilium pro Sacramenti valore poſuerat, complexum eſt; ac proinde videtur ſenſiſſe, non poſſe dari validum Sacramentum, quod non complectatur peccata quæ per obliuionem non dicuntur; ac proinde eſſe non poſſe Sacramentum hoc validum & informe.

Secundò.

SECTIO V.

Examinantur tum aliud argumentum pro mea ſententia, tum alter modus defendendi contrariam.

24 *Argumentum pro noſtra ſententia à iuriſdictione Sacerdotis in omnia peccata, vel nulla.*

CIRCA primam partem. Poſſet quis inde noſtram ſententiam confirmare: Nullus Sacerdos habet iuriſdictionem ad abſoluendum ab vno mortali ſine alio, quia neque ipſe Deus in multorum ſententia, & probabili id poteſt efficere; & ad minimum de lege ordinaria id non fieri certum eſt, ergo Chriſtus non dedit iuriſdictionem Sacerdotibus ad hoc, quia iuriſdictio non eſt ad impoſſibilia, ergo non habet Sacerdos iuriſdictionem, vt validè abſoluat ab vno mortali, quin & ab omnibus mortalibus, ergo vbi non eſt poſſibilis abſolutio ab omnibus, non erit poſſibilis abſolutio ab aliquibus: atqui ſi abſolutio non eſt poſſibilis, non eſt valida forma abſolutionis, ergo nec eſt validum Sacramentum, quia ſi forma non eſt valida, nec Sacramentum poteſt eſſe validum.

Reſponſio ad hoc argumentum eliditur Primò.

Reſpondebis, Abſolutionem tunc eſſe validam non quantum ad reatum peccati, ſed quantum ad obligationem iterùm confitendi ea peccata, ſeu ea iterùm ſubiiciendi clauibus Eccleſiæ. Sed contrà, quia videtur peti principium in hac ſolutione, ego enim probo non poſſe eſſe validum Sacramentum, quia non poteſt abſolui confitens à reatu culpæ, vnde infero, nec abſolui ab obligatione iterùm comparendi. Solutio autem dicit confitentem abſolui ab obligatione comparendi, quia eſt validum Sacramentum, valorem autem illius non aliter explicant, quàm ex eo quòd verè abſoluatur ab obligatione comparendi, ergo committitur circulus vitioſus. Contra Secundò, quia (vt hucuſque in Eccleſia intellectum eſt) ea verba, *Ego te abſoluo*, de abſolutione à reatu & à culpa primò & per ſe intellecta ſunt, vnde ceſſante ea abſolutione, ſimpliciter non ſunt vera ea verba, atqui ſi forma non eſt vera, nec erit valida, & conſequenter neque erit validum Sacramentum.

Secundò.

25 *Reſponſio ſecunda reiicitur.*

Reſpondebis adhuc, In Sacramento Ordinis dicitur, *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. & tamen etiamſi quis in peccato accedat, & conſequenter non accipiat Spiritum ſanctum, verba ſunt vera, & validè confertur Sacramentum Ordinis, ergo eodem modo poterit eſſe valida abſolutio in caſu præſenti. Verùm hæc ſolutio non ſubſiſtit, nam ea verba *Accipite Spiritum ſanctum*, intelligenda ſunt iuxta ſequentia, *Quorum remiſeretis peccata*, &c. licet enim ſimul rectè diſpoſito detur gratia & Spiritus ſanctus in ſe, primarius tamen finis eius Sacramenti non videtur eſſe, conferre gratiam habitualem, ſed poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, & abſoluendi à peccatis: & in ordine ad hunc effectum etiam peccator accipit Spiritum ſanctum, id eſt poteſtatem conficiendi, &c. quæ Spiritui ſancto ſpecialiter tribuitur. Sicut Propheta aliquis exiſtens in peccato poteſt tamen quoad prædictionem futurorum dici accepiſſe Spiritum ſanctum, vt in eo dicatur Spiritus ſanctus locutus, ſicut de Caipha teſtatur Euangeliſta Ioannes.

Reſpon

Digitized by Google

Reſponſio tertia impugnatur. Reſpondebis Tertiò, Poſſe quem de peccatis iam per contritionem aut per præcedétem confeſſionem remiſſis confiteri; eo autem caſu etiam non videntur eſſe vera ea verba, *Abſoluo te*: quomodo enim abſoluitur qui non tenebatur ligatus? Sed contra, quia hæc ſolutio nimis multum videtur velle euincere, & planè contra omnes, ſcilicet poſſe abſolutè validum eſſe Sacramentum aliquod, etiamſi verba formæ non ſint vera: hoc autem neque Suarez neque vllus alius fatetur; ideò enim in caſu quæſtionis confugiunt ad abſolutionem ab obligatione comparendi, vt ratione illius ſaluent veritatem verborum, ac proinde valorem Sacramenti. At inſtantia allata in hac ſolutione videtur oſtendere, etiamſi in nullo ſenſu verba ſint vera, adhuc tamen Sacramentum poſſe eſſe validum: id quod, vt dixi, eſt contra omnes. Dico ergo

26 *Quid ſignificent forma, Ego te abſoluo à peccatis tuis, ex mente Diui Tomæ.* graue eſſe inter Auctores dubium, quid primariò ſignificent illa verba, *Ego te abſoluo a peccatis tuis*; de quo in materia de Pœnitentia: breuiter cenſimus à Diuo Thoma explicari, vt ſignificent, Ego tibi confero gratiam ex ſe remiſſiuam peccati, etſi per accidens hic & nunc iam ſit remiſſum: qui in ſenſum verè retinent in caſu obiectionis: at in ſententia Suarij, quando Sacramentum eſt informe, non retinetur verus ſenſus vllo modo: illa enim obligatio ſubiciendi peccata poſtea clauibus Eccleſiæ eſt valdè accidentalis in ordine ad ſignificationem à Chriſto intentam per ea verba, quæ magis ad intrinſecam gratiam, & remiſſionem peccatorum, aut pœnæ promerituræ quàm ad libertatem non dicendi ſua peccata rurſus Confeſſario, ordinata videntur.

Reſponſio Aduerſariorũ quarta eneruatur. Reſpondebis Quartò: Verba Baptiſmi ſignificant primariò & per ſe interiorem ablutionem à peccato; non enim credendum eſt, Chriſtum Dominum ſolùm voluiſſe directè ſignificare ablutionem phyſicam; id enim eſſet quaſi ridiculum & identicum: quid enim fuiſſet neceſſarium dicere, *Ego te lauo exterius*, cùm id ipſum clariùs oſtendatur per ipſam ablutionem, ergo ſenſus eſt: *Ego te abluo à macula originalis peccati, & aliorum quæ contraxiſti.* Atqui id non eſt actu verum, quando Baptiſmus ſuſcipitur in peccato: & tamen etiam tunc eſt validum Sacramentum; ergo idem poterit dici de illis verbis, *Ego te abſoluo.* Ne verò ea verba maneant ſine ſenſu proprio vero, explicari poſſunt hoc modo: *Ego te abſoluo quantum eſt ex*

Inſtantia de Baptiſmo. *parte mea*: & eodem modo poſſunt explicari verba illa, *Ego te baptizo*, ſeu, *Abluo à culpa originali*; id eſt, *quantum eſt ex parte mea.* Hoc reſponſum meo quidem iudicio non ſubſiſtit; non enim poſſum facilè induci, vt credam Chriſtum Dominum non intendiſſe verum & naturalem ſenſum eorum verborum, *Ego te abſoluo à peccatis*, vbi non ſignificatur limitata abſolutio, *quantum ex me eſt*; hoc enim verba non dicunt, ſed abſolutam, *Ego te abſolutè*

27 *& ſimpliciter abſoluo à peccatis.* Nihilominùs quia proteruè contrarium aſſerens non facilè reiici poteſt, ideò argumentum hoc eſto pro me ſit ſatis efficax, quia reuerà omnium aliorum Sacramentorum verba ſunt in ſuo naturali ſenſu

Reſpondetur ad inſtantiam de Baptiſmo. vera abſolutè, non iudico eſſe omnino ſufficiens Ad inſtantiam autem de Baptiſmo reſpondeo facilè, Verba illa, vt ſunt pars eſſentialis Sacramenti, non ſignificare immediatè aliud, quàm *Ego te lauo in nomine Patris, & Filij*, &c. Neque eſt ridiculum, vel otioſum, quod ſit geſtu verbis exprimere; vti dum ſimul datur benedictio, & verbis dicitur idem, *Benedico te*, &c. Fateor intentum Chriſti fuiſſe, vlteriùs hominem à peccato purgare, quando eſt rectè diſpoſitus; verba tamen, vt ſunt pars, id non ſignificant; ea autem ablutio verè tunc ſignificatur. At in Pœnitentia, *Ego te abſoluo à peccatis*, non habet eo caſu vllum verum ſenſum; ac proinde non videtur poſſe ea forma tunc ſubſiſtere. Non ergo ex Baptiſmo ſufficiens ſumitur ſolutio pro hoc argumento, quod, vt dixi, pro me magnam habet adhuc efficaciam.

Gaſparis Hurtadi modus defendendi contrariam opinionẽ impugnatur Primò. Reſtat pro complemento huius quæſtionis reiicere alterum modum defendendi oppoſitam ſententiam, quem tradit Gaſpar Hurtadus ſupra, ſcilicet Eſto dolor ſit omnino vniuerſalis extendens ſe ad peccata etiam non occurrentia, adhuc tamen Sacramentum hoc eſſe poſſe validum & informe ex defectu inculpabili actus Fidei & Spei: quos duos actus eſſe neceſſarios ex Scriptura probari poteſt; quòd verò duo illi poſſint ſeparari ab attritione ex aliqua ignorantia inuincibili, negari non poteſt: quid enim prohibet hominem dolere de peccatis ſuis, etiamſi non habeat Spem veniæ? quòd ſi fieri id abſolutè poteſt, poteſt etiam ſine culpa; quia homo vel de ea re non cogitat, vel putat non eſſe neceſſarium habere tunc tales actus; ergo tunc ille iuſtificabitur.

Iudico tamen hunc modum defendendi eam ſententiam non poſſe ſubſiſtere: Primò, quia non oſtendit hic Auctor cur requirantur neceſſariò illi duo actus Fidei & Spei ad iuſtificationem. Etenim ſicut contritio ſupernaturalis concepta ex infinita Dei bonitate, quæ, per ſe loquendo, cognoſci poteſt ſine cognitione Dei vt iuſtificatoris, ſufficit ad iuſtificandum extra Sacramentum; ita non video cur attritio ſupernaturalis, eſto adiunctum non habeat actum Fidei de Deo vt iuſtificatore, neque actum Spei veniæ, non ſufficiat ad ſalutem. Quomodo autem ſit intelligendus Paulus, dum ait Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & quia remunerator eſt*, alibi dixi, oſtendens Fidem remuneratoris requiri per modum diſpoſitionis excitantis paulatim hominem ad contritionem vel attritionem habendam; quòd ſi aliquando habeatur contritio ex ſola Fide Dei vt infinitè boni, nihilominùs futuram ſufficientem ad iuſtificationem; quòd idem nunc dico de attritione intra Sacramentum, quia Concilium eodem modo de illa loquitur intra ac de contritione extra Sacramentum. Quòd verò in obiectione inſinuabatur, eos actus peti à Concilio ad hoc vt ſufficiat attritio in Sacramento ad iuſtificationem, non eſt vniuerſaliter verum; nam de Fide nullum omnino verbum habet eo loco: de Spe verò ait quidem, *Si voluntatem peccandi excludat cum Spe veniæ*; hoc tamen non videtur eſſe ad rem noſtram, quia ibi Concilium agit tantùm, vtrùm actus ille ſit bonus, & donum Dei. Certum autem eſt talem attritionem ſupernaturalem, vt ſit Dei donum, non petere quòd ſit coniuncta cum Spe veniæ; nam huiuſmodi actus ſiue ſolus, ſiue coniunctus ſemper eſt ex gratia Dei, cùm, eo ipſo quòd ſit ſupernaturalis, & præſupponat cognitionem ſupernaturalem, eſſentialiter ab auxilio gratiæ procedat; ergo Concilium per illam limitationem, *Si voluntatem*, &c. nullo modo voluit inſinuare,

28 (right margin, beside the paragraph beginning "Iudico tamen")

An Concilium Tridentinum requirat Fidẽ & Spẽ cum dolore ſupernaturali. (right margin, beside the lines on the Council's words)

Digitized by Google

ſinuare, ſiue eo actu Spei non ſufficere ad iuſtificationem in Sacramento; vti etiam non voluit inſinuare, ſine eiuſmodi actu illam non eſſe donum Dei; ſed coniunxit eos duos actus propter hæreticos, qui dicebant talem attritionem eſſe peccatum: vt ergo Tridentinum oſtendat illam potiùs eſſe contrariam peccato, & oriri ex deſiderio veniæ, ea coniunxit.

29 *Secundò impugnatur Gaſpar Hurtadus.*

Secundò abſolutè reſpondeo, Non poſſe eam attritionem eſſe ſine actibus illis: & quidem de Fide videtur res clara; nam attritio ſupernaturalis debet ſupponere cognitionem ſupernaturalem, qua dirigatur homo; ac proinde debet ſupponere cognitionem Fidei. Ad ſcientiam enim infuſam non poteſt recurri, tum quia cùm illa ſit etiam ſupernaturalis, poteſt virtualiter dici Fides in ordine ad meritum; vti Chriſtus Dominus per eandem ſine Fide meruit: & Beati in cœlo, ſi Deus non alligaſſet meritum ad tempus vitæ, haberent cognitiones & actus ſufficientes ad merendum ſine vllo actu Fidei. Secundò, ideò ad prudentiam infuſam non poteſt recurri; quia hæc non tam eſt ad proponenda homini motiua actuum ſupernaturalium, quàm ad hîc & nunc oſtendendum, an debeat actus fieri néc ne: & in motiuis attritionis id clarè conſtat; nam & pœnarum æternitas & gloria futura non noſcuntur ſupernaturaliter niſi per Fidem, debet ergo illa tunc concurrere. Turpitudo autem ipſa peccati, quæ iuxta Tridentinum poteſt eſſe motiuum eius attritionis, eſto poſſit abſolutè cognoſci ſine Fide, quia ipſa ratio naturalis eam proponit; vt tamen proportionatè proponatur pro eo actu ſupernaturali, requirit cognitionem Fidei. Denique & ſimul oſtendo debere ibi interuenire Spem veniæ quám requirit Tridentinum; nam qui accedit ad Sacramentum confeſſionis, eo vnico animo accedit, vt per eam obtineat remiſſionem ſuorum peccatorum; ergo neceſſum eſt tunc illum habere Fidem de poſſibilitate veniæ & Spem illius.

30 *Replica de Spe naturali reiicitur Primò, Secundò;*

Dices: Poteſt eſſe Spes naturalis. Sed contrà, quia in multorum ſententia vix poteſt ea Spes eſſe naturalis, cùm habeat pro motiuo ſpecificatiuo rem ſupernaturalem. Contrà Secundò, quia Concilium non dixit ibi eam Spem debere eſſe ſupernaturalem: & fortaſſe non eſt neceſſum in iuſtificatione vt omnes omnino actus interuenientes ſint ſupernaturales: non enim dubito, quin ſi ſupernaturalis contritio fieret ex directione cognitionis naturalis, vt multi cenſent poſſe fieri, illa foret ſufficiens ad iuſtificationem. Contrà Tertiò, quia cùm illa Spes veniæ moueat eo caſu ad confeſſionem & dolorem ſupernaturalem, videtur futura ſupernaturalis, vt proportionatè determinet. Scio poſſe aliquando reflexè impetari actum ſupernaturalem à naturali etiam malo; (de quo alibi;) at in præſenti id non poteſt habere locum; etenim qui ſeriò dolet de ſuis peccatis, & cupit eorum obtinere veniam, adhibetque ad id ſeriam confeſſionem, profectò non operatur in primis ex malo motiuo, neque item ex Spe naturali; quia cùm ea venia, vt obtinenda per confeſſionis Sacramentum, non cognoſcatur niſi ex Fide, ſupponitur tunc homo ille elicuiſſe actum Fidei de ea remiſſione; cumque (vt alibi dixi) in eo qui ſincerè agit, ſemper ſit actus ſupernaturalis circa illud obiectum, circa quod operatur naturaliter: id quod maximè debet habere locum in caſu præſenti, quando iſte ita mouetur gratia diuina, vt eliciat actum ſupernaturalem attritionis; eo enim ipſo debemus credere, illum, ſi mouetur ad credendam veniam peccatorum, obtineri per confeſſionem rectè factam, eo ipſo quòd illam ſperet hîc & nunc moueri à Deo ad Spem veniæ, & ad Fidem ſupernaturalem; ac proinde etiamſi dicamus eos duos actus diſtinctos ab ipſa attritione requiri ad veniam obtinendam; dicendum etiam illos hîc & nunc omnino interuenire; ac denique ex defectu illorum non poſſe dari confeſſionis Sacramentum validum & informe, prout contendit Hurtadus. Et ſatis de hac difficultate, quæ, vt initio dixi, videtur ſpectare ad Tractatum de Pœnitentia; iam ad reuiuiſcentiam Sacramentorum.

Tertiò.

Concluditur; defectu Spei & Fidei non poſſe dari pœnitentiam validam & informem.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De reuiuiſcentia Sacramentorum.

1 *Proponitur ſtatus quæſtionis.*

PRÆCEDENTI diſputatione oſtendimus omnia Sacramenta, excepta Pœnitentia, poſſe eſſe valida, ſine effectu tamen gratiæ ob defectum diſpoſitionis in recipiente; iam oportet explicare, an recedente poſteà fictione, ſeu accedente debita diſpoſitione ea Sacramenta cauſent gratiã, quam anteà non cauſarunt, & Primò occurrit Baptiſmus, in quo maior eſt ratio dubitandi, & ex quo ad reliqua diſcurrendum nobis erit.

SECTIO I.

Quid de Baptiſmo?

QVÆSTIO hæc cùm tota pendeat à voluntate Chriſti, in cuius poteſtate fuit dare, aut non dare eam virtutem Baptiſmo (& idem eſt de aliis Sacramentis) non poteſt decidi à ratione, ſed ſola auctoritate aut Patrum, aut Theologorum, per quam nobis quodammodò conſtet de voluntate Chriſti Domini. Addita fortè vna aut altera congruentia, licet quoad congruentias non ſit eis multum fidendum; quia, vt ſæpè dixi, facile eſt in omnem partem multas inuenire.

Hoc ſuppoſito probabiliorem cenſeo ſententiam affirmatiuam, quam defendit Diuus Thomas quæſt. 69. art. 10. cum Thomiſtis omnibus; & ex noſtra Societate eandem ibi tenent Suarius, Valentia, Coninck, Lugo, & omnes ferè alij Theologi, vno excepto Scoto; in cuius ſententiam licet Vaſquez propendeat, non tamen eam ſimpliciter præfert, ſed vtramque dicit eſſe probabilem; ex hoc ergo conſenſu communi Theologorum deſumitur primum pro illa fundamentum.

Affirmatiua ſententia eſt Diui Thomæ, Suarez, Valentia, &c. Contra Scotum.

Secundò probatur auctoritate Auguſtini, qui ſecundo de Baptiſmo cap. 12. ait Baptiſmum

Probatur ex S. Auguſtino.

à ſchiſ

Digitized by Google

à ſchiſmatico fictè receptum, poſteà, quando reconciliatur Eccleſiæ, incipere illi prodeſſe ad ſalutem; & lib. 3. cap. 13. dicit eumdem Baptiſmum operari poſteà ſalutem. Pro eadem veritate refertur etiam Auctor Sermonis de Paſſione Chriſti apud Cyprianum.

Dupliciter reſpondent teſtimonio Auguſtini Scotus & Gabriel apud Patrem Vaſquez ſupra cap. 4. Primò, Baptiſmum eo caſu reuiuiſcere in ordine ad remiſſionem ſolius pœnæ temporalis debitæ in Purgatorio. *Reſponſio Scoti & Gabrielis reiicitur.* Verùm hæc ſolutio nullius eſt momenti, quia Auguſtinus nunquam de pœnâ temporali, ſed ſemper de remiſſione culpæ loquitur; ait enim eis locis prodeſſe ad remittenda peccata, ad remiſſionem peccatorum, &c. deinde quia minùs conſequenter hi Auctores concedunt Baptiſmo reuiuiſcentiam in ordine ad vnum effectum, & negant in ordine ad alterum; quandoquidem, vt nonnulli valdè probabiliter dicunt, tales ſecundarij effectus, qualis eſt remiſſio pœnæ, non tribuuntur per Baptiſmum niſi interueniente gratiâ habituali; ergo ſi non reuiuiſceret ad hanc cauſandam, neque etiam reuiuiſceret ad extinguendam pœnam temporalem.

Hæc tamen confirmatio non videtur mihi omnino efficax, quia (vt in ſimili dicam paulò inferiùs de gratiis actualibus; ſeu auxiliis ſpecialibus quæ ſolent conferri per Sacramenta) non eſt neceſſum vt ſemper conferantur interueniente gratiâ habituali cauſata ab eodem Sacramento: id quod eodem modo dici poteſt de eâ remiſſione pœnæ temporalis: omiſſâ ergo ea ratione, ſufficiat altera quam tetigi, quòd ſcilicet gratis detur Baptiſmo ea vis extinguendi pœnam, non verò peccatum; maximè cùm de peccato fuerit præcipuè locutus Auguſtinus.

Altera Scoti reſponſio placet Vaſquez. Secunda Scoti reſponſio, quam & Vaſquez amplectitur, eſt, Auguſtinum ſolùm voluiſſe docere, Baptiſmum deinde prodeſſe, quatenus eius ſuſceptio erat neceſſaria neceſſitate præcepti: & prætereà ſine illâ non poteſt validè ſuſcipi vllum aliud Sacramentum, ac proinde neque Sacramentum Pœnitentiæ; per quod deinceps remittuntur peccata. Confirmant hanc expoſitionem, eò quòd Auguſtinus ſæpè ſoli ipſi Pœnitentiæ in ſimilibus caſibus videatur tribuere remiſſionem peccatorum; ergo non agit in ſenſu huius quæſtionis.

3 *A Coninck & Cardinale Lugo reiicitur.* Fusè contra hanc ſolutionem agit Coninck, & poſt illum Cardinalis Lugo; quia Auguſtinus ſemper docet, Baptiſmum tunc valere ad remiſſionem peccati; & dicit operari deinde ſalutem; ſicuti priùs mala ſuſceptio eiuſdem operata eſt mortem; ergo agit de verâ cauſalitate in gratiam; ſicut mala ſuſceptio fuit è contrario vera cauſa mortis.

Et à nobis Primò. Id ipſum ego vrgeo Primò; Nam ſi *Tò prodeſſe incipiat* ſolùm denotat eum hominem iam ſatisfeciſſe præcepto de ſuſcipiendo præcepto, malè dixiſſet Auguſtinus tunc primò incipere Baptiſmum prodeſſe quando tollitur fictio: etenim ea vtilitas ſatisfaciendi præcepto ipſomet punctò incepit quo Baptiſmus ſuſceptus eſt; ab eo enim momento homo liberatus eſt ab obligatione præcepti, & à debito ſuſcipiendi Baptiſmum. Vti, quia reſtitutio actualis rei alienæ non prodeſt ad ſalutem niſi præcisè adimplendo præceptum, non verò cauſando gratiam; profectò vt dicatur ea reſtitutio prodeſſe homini, non eſt expectandum donec ille ſit in gratiâ; quia etiamſi in peccato manens reſtituat iam ab eo tempore, eſt liber ab obligatione reſtituendi; ac proinde iam eſt verum etiam tunc, quòd ob retentionem rei alienæ illé non excluditur à Regno cælorum; ergo Auguſtinus plus voluit ſignificare quàm vtilitatem ſatisfaciendi præcepto. *Secundò.* Secundò, licet prioribus verbis aptari poſſit ea expoſitio, non tamen aliis ex lib. 3. vbi ait, *Operatur ſalutem*; id enim actualem ſonat cauſalitatem in ſalutem, niſi velimus omnem ſignificationem verborum mutare. *Tertiò.* Tertiò, ſi non aliter tunc Baptiſmus cauſat ſalutem quàm per adimpletionem præcepti de eo ſuſcipiendo; certè non magis cauſat ſalutem, quàm ſi non fuiſſet inſtitutus: tunc enim non fuiſſet obligatio illum ſuſcipiendi; ſicut de facto, poſtquam fictè ſuſceptus eſt, non eſt obligatio de ſuſceptione illius. Quis autem dicet illis verbis ab Auguſtino non maiorem vim operandi ſalutem conceſſam eſſe Baptiſmo, quàm in caſu quo non fuiſſet vllo modo inſtitutus?

Neque obeſt quod in contrarium Vaſquez vrget, ſcilicet ab Auguſtino tribui ſoli pœnitentiæ ſalutem. 4 *Examinatur mens S. Auguſtini contra Vaſquez.* Nam (vt benè Cardinalis Lugo, & alij) Auguſtinus nequaquam tunc tribuit pœnitentiæ ſoli remiſſionem peccati, eſto requirat eam pœnitentiam ad hoc vt auferatur obex; quomodo autem hæc duo cohæreant explicabimus paulò inferiùs faciliimè. Quòd idem dixerit Auguſtinus, Baptiſmum non prodeſſe vt peccata iam dimiſſa non retineantur, nequaquam eſt in fauorem Vaſquez, quia ibi loquitur Sanctus Doctor contra vnum modum explicandi, quomodo Baptiſmus prodeſſet; inſinuat enim à quibuſdam traditum, per Baptiſmum remitti quidem ſtatim peccata, ea tamen ſtatim redire: hanc explicationem reiicit ibi Auguſtinus, & meritò, docens Baptiſmum nequaquam prodeſſe, vt peccata per ipſum ſemel dimiſſa ſecundò dimittantur; id quod nos libenter admittimus; ſolùm enim contendimus primâ vice per illum dimitti. Vide Cardinalem Lugo ſuprà.

Obiectio Vaſquez. Obiicit Vaſquez, Auguſtinum non habuiſſe fundamentum ad doctrinam in eo ſenſu tradendam: quòd ſi dicas eum id inde intuliſſe, quòd Baptiſmus ſit neceſſarius in re vel in voto ad ſalutem, contrà inſurgit; quia ad hoc ſufficit, quòd debeat reipsâ ſuſcipi Baptiſmus, etiamſi non conferat iam ipſe gratiam; vti reuerà iam non confert, ſi quis per actum contritionis iuſtificetur ante illum ſuſceptum: quo caſu nulla maior vis accedit illi contritioni ex eo quòd ſit votum Baptiſmi. Hæc ratio conuicit Patrem Coninck, vt putaret Auguſtinum aliunde inductum in eam ſententiam; è contrario verò Cardinalis Lugo conatur oſtendere non eſſe contemnendum illud fundamentum; quia Concilium Tridentinum, dum hanc neceſſitatem in re vel in voto adſtruxit, motum eſt verbis Chriſti Domini Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Dei*: *Tò* enim *renaſci* ſignificat Baptiſmum eſſe cauſam gratiæ; ergo debet Baptiſmus ad regenerationem per ſe aut per votum ſui concurrere: atqui ſi quando fictè ſuſcipitur, non rediret poſteà, non concurreret ad regenerationem per ſe aut per votum, neque Baptiſmus ſuſceptus re ipsâ, vt conſtat, neque eius votum; quia quando homo iuſtificatur, cùm (vt iam præſupponimus) acceperit Baptiſmum, non eſt

eſt neceſſum vt habeat eius votum. Confirmat ex ſenſu Patrum; nam Sanctus Leo Papa Epiſtola 68. aliàs 8. affirmat, eum, qui Baptiſmo priuatur, priuari neceſſaria liberatione: & Clemens Papa tribuit Epiſtola 4. aquæ Baptiſmatis vim reparandi hominem, & pœnas peccatorum extinguendi. Denique, quia Baptiſmus etiam fictè ſuſceptus recedente fictione extinguit totam pœnam Purgatorij; vnde fit (vt omnes ſupponunt) baptizatum non pati in Purgatorio ob peccata antè commiſſa; omnes enim docent, ſi quis moriatur ſtatim poſt Baptiſmum, nullam paſſurum pœnam in Purgatorio; ergo à fortiori reſurget ad effectum gratiæ.

Patres citati non continent quo ſenſu ſit S. Auguſtinus locutus.

5 Ego in hoc puncto cenſeo Primò Sanctum Leonem non benè adduci ad explicandum quo fundamento ſit vſus Auguſtinus; tum quia de ipſo Leone eſſet eadem ratio dubitandi, vnde ſcilicet ille eam doctrinam acceperit; tum quia eſt multò iunior Auguſtino. Secundò dico, Neque illius neque Clementis teſtimonium eſſe pro re præſenti; nam quod illi docent ſolum eſt, & Baptiſmum cauſare gratiam, & ſimul illum eſſe neceſſarium; hoc autem aliunde eſt inter Catholicos certiſſimum; at deinde nihil videtur inferri de eius reuiuiſcentia, quia in primis eius neceſſitatem iam admittit aduerſa ſententia: ſiue enim cauſet gratiam, ſiue non, eſt neceſſarium illum ſuſcipere: deinde quòd cauſet gratiam, debet intelligi, ſi homo ei non ponat obicem; vti de ſanctiſſima Euchariſtia multò potentiùs loquuntur Patres declarando gratiam quam cauſat, & quanto bono ſe priuent illi qui illam negligunt; per quod tamen nullatenus infertur, quòd ſi indignè ſumatur, debeat gratiam cauſare recedente deinde obice.

Neque ex Concilio Tridẽt. nõ quidquam euincitur.

Quod item dicebatur, Baptiſmum in re vel in voto cauſare gratiam, etiam non vrget, quia Concilium ſolùm dixit, illum in re vel in voto eſſe neceſſarium; non tamen dixit ſub ea diſtinctione cauſare gratiam. Fatebitur ergo Scotus & Vaſquez neceſſitatem; negabit tamen illum eo caſu in voto cauſare gratiam; quando autem replicatur, Ergo liberatio ab originali fiet, & non per Sacramentum illud in re vel in voto, reſpondendum, duplicem poſſe eſſe ſenſum eius conſequentis: Primus eſt, vt ea gratia cauſetur independenter à Sacramento aut voto illius, & in hoc negandum eſt, quia Sacramentum iam tunc re ipſa præceſſit; ſi autem non præceſſiſſet, debuiſſet tunc votum illius præcedere; ergo ea regeneratio non conceditur ſine Sacramento in re vel in voto; ac proinde non conceditur in eo ſenſu independenter à Sacramento. Secundus ſenſus eſt, vt per τὸ *independenter* intelligatur, quòd ipſum Sacramentum aut votum eius non ſit cauſa influens poſitiuè in eam ſanctitatem, ſed ſola conditio prærequiſita. In hoc autem ſenſu concedimus libenter quod obiicitur; negabit tamen Pater Vaſquez id eſſe falſum, aut contrarium colligi ex eo loco ſacræ Scripturæ, vel ex Conciliis.

An Baptiſmus reuiuiſcat ad remiſſionem pœnæ.

6 Denique, quod dicitur Baptiſmum reuiuiſcere ad remiſſionem pœnæ totius, fortè eodem modo à Scoto negabitur, & ſanè ex illo principio communiter recepto, quòd baptizatus, ſi ſtatim moriatur, eat rectà ad cœlum, nihil refertur contra nos; quia Theologi loquuntur de eo baptizato qui debitè Baptiſmum ſuſcepit; nam in noſtro caſu, etiamſi Baptiſmus reuiuiſceret, deberet tamen ob illud peccatum iniquæ ſuſceptionis; quodque (vt infrà fuſiùs videbimus) eſt poſterius natura, aut ſaltem concomitans Baptiſmum, ac proinde non poteſt directè per Baptiſmum remitti, ob hoc inquam deberet homo ille habere aliquid in Purgatorio luendum; ac proinde de tali nunquam Theologi ſunt locuti, dum dixerunt baptizatum ſtatim morientem non incurſurum Purgatorij pœnas. Quòd ſi de illo non ſint locuti, certè non poſſumus dicere, illos ſenſiſſe, Baptiſmum reuiuiſcere ad extinguendas pœnas debitas pro peccatis ante illum commiſſis.

Quid concludi poſſit ex citato S. Auguſtini teſtimonio.

Iudico ergo, ex ea neceſſitate Baptiſmi in re vel in voto Auguſtinum non potuiſſe efficaciter colligere eam reuiuiſcentiam Baptiſmi. Nihilominùs quia, iuxta principium communiter inter Theologos receptum, ſæpè Deus per argumenta non habentia niſi probabilitatem inducit ſuauiter Eccleſiam ad veritates aliquas agnoſcendas antea ignotas, vnde etſi definitiones Conciliorum ſint de Fide, non tamen ideò fundamenta ſunt de Fide, aut omnino certa; ideò præſenti dico, Etiamſi Diuus Auguſtinus non habuerit valdè ſolidum fundamentum ad ſuam doctrinam, nihilominùs ſufficere, vt deinde ea probabilis reddita fuerit, maximè quando Deus ita diſponit, vt ſuccedentes Doctores eam ſequantur: tunc enim fit quædam quaſi probabilis reuelatio Dei: id autem in præſenti maximè contigit, nam eam doctrinam Auguſtini libentiſſimè amplexi ſunt Scholaſtici cum Diuo Thoma. Et ſatis circa fundamentum quo permotus eſt Auguſtinus.

Argumentū pro noſtra ſententia ex Concilio Tridentino.

Ex Concilio Tridentino probatur à nonnullis eadem aſſertio, quia Seſſione 5. num. 4. docet, remiſſionem originalis per Baptiſmum vel eius votum fieri, ſed ſi Baptiſmus fictè ſuſceptus, recedente poſteà fictione non cauſaret gratiam, ſequeretur, originale aliquando remitti, & non per Baptiſmum & eius votum. Patet, quia in eo caſu originale non fuit remiſſum per Baptiſmum in re ſuſceptum, quia tunc non eſt cauſata gratia, nec poſteà remittitur per votum ipſius, nam contritio aut pœnitentia ſuperueniens, per quam remittitur originale, non eſt votum Baptiſmi, cùm iam votum ſuſcipiendi illum, quia non poteſt iam validè & ſine peccato recipi, ergo in eo caſu remitteretur originale, & non per Baptiſmum, nec per votum illius. 7

Non eſt ſolidum.

Huic argumento, quod & paulò antè tetigi, & diſſolui, non fido, quia Tridentinum non dixit, Baptiſmum aut votum ipſius remittere originale, ſed præcisè docuit, originale non dimitti ſine Baptiſmo aut voto ipſius: quæ duo longè diuerſa ſunt. Primum enim denotat, Baptiſmum vel votum illius influere in remiſſionem originalis: Secundum autem præcisè ſignificat, Baptiſmum vel votum ipſius requiri ad remiſſionem originalis: quod verum eſſet in caſu poſito, niſi enim ſuſceptus fuiſſet Baptiſmus, non fuiſſet remiſſum originale niſi ſuccedente loco Baptiſmi voto ipſius, ergo etiam in eo caſu eſt verum non remitti originale ſine Baptiſmo aut voto illius: ſicut eſt verum, me non calefaciendum ab igne ſine approximatione, & tamen approximatio non eſt cauſa, ſed conditio.

Replica ex eodem Concilio.

Replicabis: Tridentinum Seſſione 4. cap. 14. ait Baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medij in re vel in voto, at quod neceſſarium eſt neceſſitate medij debet poſitiuè concurrere ad 8

ſalutem;

Exemplum de reſtitutionis neceſſitate.

ſalutem alioquin reſtitutio rei ablatæ erit etiam neceſſaria neceſſitate medij, quia ſine ipſa aut eius voto non poteſt quis ſaluari; ergo non ſolùm ſine Baptiſmo non remittitur peccatum originale, ſed & poſitiuè ipſe Baptiſmus influit in remiſſionem: id quod non poteſt contingere, ſi recedente fictione non cauſet gratiam. Reſpondetur, Eo loco Tridentini nec verbum eſſe de hoc Sacramento, nec alibi reperiri eos terminos, *eſſe neceſſarium neceſſitate medij*; ſolùm enim docet, ſine Baptiſmo aut eius voto non poſſe homines ſaluari: quod verum eſſet, etiamſi non cauſaret gratiam recedente fictione; vt dixi. Exemplum de reſtitutione non eſt ad rem; quia non omnes retinent aliena. Vnde ſimpliciter reſtitutio non eſt neceſſaria omnibus; ſed præcisè latroni, aut iniuſtè retinenti rem alienam; Baptiſmus autem vniuerſaliter omnibus eſt neceſſarius: quòd ſi à Theologis hic dicitur neceſſarius neceſſitate medij, ratio eſt, quia ferè ſemper concurrit poſitiuè ad gratiam, ad quam non concurrit per ſe reſtitutio, vel quia fortè Theologi ſupponunt illum etiam recedente fictione cauſare gratiam. Vnde benè quidem infertur, Eam eſſe communem ſententiam Theologorum; non tamen inde quidquam è Concilio Tridentino colligitur. Concludo ergo, noſtram ſententiam tantùm eſſe probabiliorem ob maiorem Scholaſticorum & Auguſtini auctoritatem, de qua ſuprà.

Reſpondetur replicæ. *Et exemplo.* *Concluditur, noſtram ſententiam eſſe ſola auctoritate probabiliorem.*

SECTIO II.

Variæ ſententiæ circa alia Sacramenta.

9 IAM hîc apertè negat Pater Vaſquez, qui in Baptiſmo propter auctoritatem Scholaſticorum & Diui Auguſtini dubius fuerat: in qua ſententia patronum habet Sotum in 4. diſtinct. 6. quæſt. 1. art. 8. Alij tamen ſupra Baptiſmum ſolum addunt Pœnitentiam, reliqua excludunt. Ita Durandus in 4. diſtinct. 4. quæſt. 4. & diſtinct. 27. quæſt. 13. num. 7. Alij Tertiò id tribuunt Sacramentis imprimentibus characterem. Pro qua Pater Vaſquez citat Maiorem, Couarruuiam & alios. Quartò, non deſunt qui ſupra hæc tria etiam ponant pœnitentiam. Quæ doctrina tribuitur Paludano & Sylueſtro apud Vaſquez. Quintò, alij concedunt illud priuilegium omnibus, excepta Euchariſtia. Ita Pater Suarius diſput. 28. ſect. 6. & diſput. 63. ſect. 8. Coninck quæſt. 62. à primo dubio ad 5. quos refert & ſequitur Cardinalis Lugo diſput. 9. ſect. 6. quibus in manuſcriptis adhærent alij Recentiores. Sextò, alij excipiunt ſimul cum Euchariſtia Sacramentum Pœnitentiæ. Septimò denique, alij vniuerſaliter ſine vlla exceptione affirmant de omnibus. Ita Caietanus in 1. Opuſculo Tract. 5. quæſt. 5. §. *Communi.* Petrus de Soto de Inſtitutione Sacerdotum ſect. 5. de Baptiſmo, & Diuus Thomas in 4. diſtinct. 27. quæſt. 3. art. 4. quæſt. 1. in corpore expreſſè illam tradere videtur.

Quid ſentiendum de Sacramentis imprimentibus characterem.

Ratio pro Sacramentis imprimentibus characterem.

Fundamentum eorum, qui dicunt Sacramenta imprimentia characterem reuiuiſcere, illud eſt, quòd gratia per hæc Sacramenta collata valdè ſit homini neceſſaria; v.g. quæ per Confirmationem conceditur ad reſiſtendum tentationibus in materia Fidei; quæ per Ordines ad exercenda miniſteria Euchariſtica, & audiendas confeſſiones, & cùm aliunde ea Sacramenta iterari non poſſint; certè ſi negetur ea reuiuiſcere, neceſſariò dicendum erit, hominem in perpetuum fore priuatum eis gratis: id quod durum valde videtur.

Hanc rationem extêdunt alij ad matrimonium, & Extremam Vnctionem; quia matrimonium viuente coniuge iterari non poteſt: eſt autem durum dicere: ſi ſemel in matrimonij ſuſceptione peccatum eſt, ſemper poſteà priuandum hominem gratiis neceſſariis ad vitam coniugalem agendam; in Extrema etiam Vnctione; quia repeti non poteſt durante eodem periculo vitæ. 10

Ab aliquibus extenditur ad matrimonium.

Qui vniuerſaliter de omnibus Sacramentis affirmant, inde argumentantur; quia poteſt dari caſus, in quo qui ſuſcipit Euchariſtiam v. g. non poſſit eam iterùm iam ſuſcipere, indigeat tamen gratiis per eam collatis; v. g. ſi infirmus manè ſuſcepit, non poteſt tota die eam ſuſcipere, & fortè ex mala ſtomachi diſpoſitione nec per alios ſequentes multos dies poterit; indiget autem tunc gratiis conferendis dignè ſuſcipienti Euchariſtiam; ergo dicendum eſt, Etiamſi peccauerit in ſuſceptione, cùm primùm tamen reſipuerit, Euchariſtiam ſuos effectus cauſaturam. Quæ ratio etiam extendi poteſt ad pœnitentiam, caſu quo poſſit eſſe valida & informis; nam vel ex defectu Confeſſarij, vel ex alio capite poterit contingere, vt iterari tam facilè non poſſit; ergo recedente fictione cauſabit gratiam.

Argumentum pro omnibus Sacramentis.

Hæc ſunt argumenta quæ pro his diuerſis ſententiis afferri poſſunt. Poteſt autem vniuerſalis confirmatio addi pro omnibus Sacramentis; nam aliquando contingit vt fictio, qua impeditur effectus Sacramenti, non ſit culpabilis; videtur autem valdè durum talem hominem ſine culpa ſua perpetuò priuandum eis gratiis.

Confirmatio vniuerſalis pro omnibus.

SECTIO III.

Prima pars noſtræ ſententiæ.

CENSEO Primò, aliquam latere æquiuocationem in argumentis præcedentibus: confunduntur enim in vnum gratia ſanctificans, & gratiæ Sacramentales propriæ cuiuſque Sacramenti. Illa eſt eiuſdem ſpeciei & rationis, ſiue ab hoc ſiue ab illo Sacramento cauſetur, ſiue etiam extra Sacramentum: vnde malè dicitur, Si vnum Sacramentum non cauſet etiam gratiam, & ampliùs repeti non poſſit, hominem perpetuò priuandum tali gratia; nam per quodcumque aliud Sacramentum, aut per actum ſupernaturalem contritionis, vel amoris Dei, imò ſi iam ſit in gratia, etiam per actus aliarum virtutum eam poterit recipere quoad eandem intenſionem & fortè maiorem quàm per illud Sacramentum fictè ſuſceptum recepiſſet, ſi non fuiſſet fictio; ergo non poteſt ex neceſſitate huius gratiæ inferri, debere Sacramenta recedente fictione gratiam habitualem cauſare, prout in argumentis præcedentibus inferebatur. Illæ vero aliæ gratiæ Sacramentales, quæ propriæ dicuntur huius aut alterius Sacramenti, tantùm ſunt auxilia, aut inſpirationes ſpeciales Dei, quibus homo incitatur, aut iuuatur ad efficiendos actus ſupernaturales, aut ad reſiſtendum tentationi, ad patienter tolerandas moleſtias & difficultates in diuerſis occaſionibus occurrentes, v. g. per Extremam Vnctionem 11

Detegitur æquiuocatio in præcedentibus argumentis.

Differentia quod gratiam actualem & habitualem.

Digitized by Google

ctionem circa mortem, per matrimonium in eius ſtatu, per Ordines in ſtatu Sacerdotali: hæ autem gratiæ, quia (vt dixi) dantur in ſolis occaſionibus occurrentibus, vbi neceſſariæ videntur, non autem in inſtanti quo recipitur Sacramentum cauſatiuum illarum; ſicut è contrario datur gratia habitualis; facilius habere poſſunt locum poſteà recedente fictione, quam gratia habitualis. Vnde concludo, Licet prædicta argumenta benè probent gratias actuales cauſari à Sacramentis recedente fictione, nihil tamen probare de gratia habituali; de qua ſola in præſenti agimus.

12 *Ratio à priori.* Confirmo & declaro hoc ratione à priori; Nam Sacramenta eſſe inſtituta ad cauſandam gratiam in primo inſtanti quo ſuſcipiuntur, ſi debita adſit diſpoſitio, conſtat nobis ex Eccleſia & ſenſu communi Doctorum; ſimul autem eſſe etiam ordinata ad cauſandam eam gratiam poſteà recedente fictione non conſtat nobis, niſi vt ſummùm probabiliter de Baptiſmo, iuxta dicta ſectione præcedente; ergo non poſſumus eis eam virtutem tribuere. Vnde videtur dicendum, etiamſi poſteà adueniat diſpoſitio bona, quia tamen non fuit, quando gratia habitualis cauſari debebat, iam aduenire inutiliter quoad hunc effectum.

Quomodo reuiuiſcant gratiæ actuales ſine habituali. Quia verò Sacramenta eadem non ordinantur, vt dixi, ad cauſandam gratiam Sacramentalem, ſeu auxilia in eo inſtanti in quo recipiuntur præcisè, ſed & in omnibus ſubſequentibus iuxta occurrentes occaſiones, probabiliſſimè dicitur, Etiamſi in inſtanti ſuſceptionis non fuerit homo diſpoſitus ad eas gratias Actuales, recipere tamen illas poſteà data occaſione, ſi iam in illa ſit benè diſpoſitus fictione ablata; nam diſpoſitio ad effectum aliquem tunc maximè requiri videtur, non quando exiſtit cauſa præcisè, ſed quando debet operari; ergo ſi Sacramentum fictè ſuſceptum, quando poſteà operaturum erat eas gratias actuales, iam non inueniat fictionem, ſed bonam diſpoſitionem in ſubiecto, cauſabit tales gratias, licet gratiam habitualem non cauſauerit; eò quòd, quando illam debebat cauſare, reperit ſubiectum impeditum per fictionem.

Confirmatio doctrinæ allatæ. Confirmari vlteriùs poteſt, quia gratiæ hæ actuales non requirunt ſtatum gratiæ in eo cui conferuntur, cùm ſæpè ordinentur ad hoc, vt homo exeat è peccato: vnde fit, vt etiam peccator aliquo modo poſſit eas promereri, licet gratiam habitualem non mereatur. Et quidquid de hoc ſit, certè merita Christi, quibus Sacramenta redduntur condigna gratiæ habituali, & iis aliis gratiis, etſi homo, dum ſuſcipit Sacramentum, ſit in mortali; adhuc tamen retinent condignitatem cum ea gratia & gratiæ auxiliis. Vnde quòd non conferatur tunc gratia habitualis, non prouenit ex defectu condignitatis in Sacramentis, ſed quia ſuſcipiens ipſe habet obicem: atqui reſpectu gratiarum actualium non habet obicem, quia hæ benè cohærent cum peccato; ergo poteſt dici, non ſolùm poſteà, quando aufertur obex, ſed etiam ante ablationem illius, dari propter Sacramenta validè ſuſcepta eiuſmodi gratias; licet propter indignitatem ſubiecti fortè non ſint tam efficaces, ac tam frequentes, quàm ſi eſſet in gratia.

13 *Cardinalis Lugo oppugnat præcedentem doctrinam:* Contra hanc doctrinam ſtant nonnulli, quos ſequitur Cardinalis Lugo diſput. 4. ſect. 4. ea permoti ratione, quòd hæ gratiæ actuales, ſeu hæc auxilia non debeantur niſi ratione gratiæ habitualis, quam Sacramenta cauſant: ea enim gratia eſt radix, quæ immediatè exigit illa auxilia; ablata autem radice ceſſat effectus; ergo. *Citat pro ſe Suarez, ſed ille ei non fauet:* Pro hac autem opinione citat Suarium diſput 7. ſect. 4 §. *Secundò colligitur.* Verùm ibi Suarius nihil penitus plus docet, quàm ea auxilia non deberi, ſi homo eo tempore, quo illa recepturus eſt, ſit in peccato mortali; per quod non aſſerit, eſto ea Sacramenta non reuiuiſcant ad gratiam habitualem, ſi tamen deinde homo exeat è peccato, & ſit in gratia, non dandas eiuſmodi gratias. Suarez ergo non eſt pro ea ſententia. *Eius argumentum non vrget.* Argumentum autem illius inde deſumptum, quòd hæc auxilia ſolùm conferantur intuitu gratiæ habitualis vt radicis, non vrget; quia aſſumit principium, quod non eſt vniuerſaliter verum. Etenim ſæpe homo exiſtens in mortali meretur de congruo auxilia; illud autem meritum non fundatur in ea gratia; dicimus ergo, Sacramentum, vt eſt actio Chriſti meritoria, ſeu impetratoria, iuxta ſuprà dicta, immediatè mereri homini gratiam, & auxilia niſi ille homo ponat illis obicem: ergo eſto ille homo, quia quo tempore gratia habitualis erat danda poſuit illi obicem, non accipiat illam vnquam virtute eius Sacramenti; (ſupponimus enim iam illud non reuiuiſcere;) quia tamen pro gratiis Sacramentalibus eo tempore, quo illas erat recepturus, ſupponimus illum eſſe in gratia, ac proinde ſupponimus eum non habere obicem pro eo effectu; non eſt cur dicamus eas illi non conferri tunc, eſto non ſit vlla habitualis gratia per illud Sacramentum collata.

Fortiùs tamen vrgebis: Sacramenta fictè ſeu indignè ſuſcepta ſunt prorſus inutilia; ita enim Fidelium ſenſus videtur ſupponere; cenſent enim illa potiùs eſſe mortifera, ſeu mortem afferre, 14 *Argumentum validum à ſenſu Fidelium.*
vt Eccleſia canit de Euchariſtia indignè ſuſcepta, *Mors eſt malis*; ergo nullum ius dant tunc ad ea auxilia, alioquin eſſent ex hoc capite valdè vtilia. Confirmatur: Nam in forma, qua confertur Diaconatus, dicitur recipere Spiritum Sanctum ad reſiſtendum diabolo & tentationibus eius, vbi ancilla ad reſiſtendum diabolo non promittuntur niſi per Spiritum Sanctum, per gratiam ſcilicet habitualem, per quam Spiritus Sanctus habitat in nobis. Reſpondeo. Hanc replicam eſſe etiam contra illius Auctores, qui excepta Euchariſtia cætera Sacramenta putant reuiuiſcere poſteà ablata fictione, & verò reuiuiſcere ad gratiam habitualem, & ad auxilia, iam ergo dicant hi, quomodo non ſit contra communem Fidelium ſenſum id admittere, quandoquidem ſat magnam adferunt vtilitatem, illud ſcilicet augmentum, quod recedente fictione deinde cauſant. Quòd ſi nos, qui in hac ſolutione ſolùm dicimus ea Sacramenta ablata poſteà fictione reuiuiſcere præcisè ad auxilia, opponimur ſenſui Fidelium, multò magis illi opponentur, qui dicunt ea Sacramenta ad vtrumque reuiuiſcere.

Dico ergo, Fideles dum putant Sacramenta 15 *Explicatur quis ſit ſenſus Fidelium, Sacramentis indignè ſuſceptis.*
indignè ſuſcepta eſſe inutilia, non proptereà ita ſentire, quia putent ea non poſſe deinde, dum homo agit pœnitentiam, prodeſſe ad auxilia, niſi etiam tunc proſint ad gratiam maiorem, ſed quia iudicant planè ſemper eſſe inutilia, maximè autem ad gratiam habitualem, ſeu ad ſanctitatem, de qua præcipuè videntur eſſe ſoliciti Fideles, ergo huic obiectioni reſpondere

Digitized by Google

ſpondere tenemur omnes. Dicimus ergo, Fideles, qui de reuiuiſcentia Sacramentorum nihil audiuerunt, meritò dicere ea Sacramenta eſſe inutilia, quia iuxta ſtatum illum præſentem non vitam ſed mortem afferunt; non idcò tamen debet Theologus terreri à diſcutienda ſecunda hac quæſtione de reuiuiſcentia Sacramentorum tam ad gratiam quàm ad auxilia, multò autem minùs de reuiuiſcentia ad ſola auxilia. Ad confirmationem dico, Meritò in ea forma conferendi Diaconatum dici, *Accipe Spiritum Sanctum ad reſiſtendum*, &c. quia ea gratia Spiritus Sancti ad id conducit; per hoc tamen non negatur ibi, caſu quo homo ille vnum effectum non recipiat, eò quòd poſuerit impedimentum pro illo, non poſſe recipere alterum, ſi pro eo tempore, quo illum eſt ſuſcepturus, nullum omnino habet obicem, vt diximus paulò antè.

Conſtet ergo ex dictis, multò magis probabile eſſe, Sacramenta omnia reuiuiſcere ad obtinenda auxilia ablato obice peccati, quàm ad ipſam gratiam habitualem; ac proinde, quod huc vſque intendimus, non eſſe bonum argumentum ex neceſſitate auxiliorum ad reuiuiſcentiam gratiæ habitualis.

SECTIO IV.

Altera pars noſtræ doctrinæ.

16 *Omnibus Sacramentis conceditur reuiuiſcentia ablato obice.* ABSOLVTE autem circa reuiuiſcentiam quoad gratiam, etſi iudicem valdè probabilem ſententiam Patris Vaſquez & Scoti ob paulò antè dicta, vt probabiliorem tamen defendo contrariam, quæ abſolutè etiam aliquibus aliis Sacramentis concedit eandem vim, quia vt ſic, abſtrahendo ab hoc aut illo Sacramento, nullus eſt Scholaſticus, exceptis eis duobus, qui alicui alteri Sacramento non eam concedat reuiuiſcentiam; hinc autem ego vlteriùs progreſſus cum Caietano ſuprà, omnibus id priuilegium concedo, & ſic argumentor; quia nulla videtur poſſe aſſignari ſufficiens diſparitas, ob quam aliqua Sacramenta debeant eam virtutem habere, aliqua verò non, vt ſtatim oſtendemus. Et ſanè Diuus Thomas videtur tacitè hoc eodem fundamento permotus, dum agens de Pœnitentia ait, *Et idem eſt de aliis Sacramentis.*

Dices, Idem Diuus Thomas in 4. diſtinct. 4. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 3. ad 3. ait non eſſe eandem rationem de Euchariſtia quæ eſt de Baptiſmo; nam Baptiſmus imprimit characterem, quem non imprimit Euchariſtia; ergo ſentit aliter de vno quàm de alio diſcurrendum. *Quid hac de re ſentiat D. Thomas.* Reſpondeo, Diuum Thomam à nobis ſtare; ille enim ſolùm negat eandem eſſe de Baptiſmo rationem cum aliis Sacramentis non imprimentibus characterem; vnde nos etiam diximus, certius id eſſe de Baptiſmo quàm de aliis; at per hoc non negauit Sanctus Doctor abſolutè id de omnibus eſſe dicendum: deinde idem Diuus Thomas ſolùm inter imprimentia & non imprimentia characterem poſuit aliquam differentiam; at inter non imprimentia characterem non poſuit eam, quam alij Auctores conantur adſtruere. Diuus ergo Thomas à nobis ſtat; cuius auctoritas ſine dubio reddit valdè probabilem doctrinam hanc: vt enim Caietanus ſuprà optime diſcurrit, Auguſtinus primus inuenit de Baptiſmo, Diuus Thomas de aliis Sacramentis; cur non id nos ſentiemus etiam de illis? Vnde concludit ille: *non oportet ſapere plus quàm decet.* Quaſi diceret: Etſi rationem claram, ſeu auctoritatem omnino conuincentem non videamus, debent tamen nobis Diuus Auguſtinus & Diuus Thomas ſufficere in puncto maximè hominibus fauorabili. Addiderat autem ibi Caietanus, Eccleſiæ ſenſum id ſupponere, quatenus eſto ex ſe Sacramentum Extremæ Vnctionis ſit reiterabile, & conſtet quòd aliquis illud in peccato ſuſceperit, qui deinde dolens de peccato iterùm petat Extremam Vnctionem, non tamen permittit vt ei detur ſecundò; cuius negationis non videtur eſſe poſſe alia cauſa, quam quòd ſupponat Eccleſia, ablata fictione iam incipere prodeſſe illud Sacramentum; alioquin cur illud negaret? ſi autem id de Sacramento vno iterabili dicitur, cur non de omnibus? neque enim probabiliter dicere poſſumus, Deum hoc priuilegium conceſſiſſe quatuor aut ſex Sacramentis, non tamen omnibus (vt iam oſtendo reſpondendo ad aliquas diſparitates quas afferri ſolent;) diſcurramus ergo vniuerſaliter de omnibus illis. *Caietanus citat Eccleſiæ ſenſum.*

17 *Obiectio, quâ affertur diſparitas inter Baptiſmum & alia Sacramenta.* Dicunt ergo aliqui Primò Baptiſmum eſſe inſtitutum ad remiſſionem originalis, Sacramentum verò Confeſſionis ad mortalia commiſſa poſt Baptiſmum; vnde inferunt, eſſe neceſſarium vt Baptiſmus validus illud originale remittat, (& idem dicunt de Sacramento Pœnitentiæ reſpectu actualium;) ſi autem fictè ſuſceptus non eſſet, deinde cauſa gratiæ, illud originale non remitteretur per Baptiſmum; in ipſa enim ſuſceptione non remittitur, vt ſupponimus; non deinde, quia non reuiuiſcit, ergo. Deinde in Sacramento Pœnitentiæ, cùm, eo ipſo quòd ſit validum, non ſit neceſſarium repetere peccata, quæ in eo ſunt ſubiecta clauibus, profectò ſi illud Sacramentum nihil deinde cauſaret circa eam remiſſionem, iam remitterentur illa peccata, non tamen virtute clauium, in Sacramentis autem aliis, quæ ad remiſſionem mortalium non ſunt inſtituta, non poteſt habere locum ea ratio, ergo non valet argumentum ex illis duobus ad alia.

Diſparitas aſſignata eſt infirma: Primò. Hæc tamen diſparitas non eſt admodum valida, Primò, quia (vt oſtendi iam) nullum eſt fundamentum (excepta auctoritate Auguſtini) ad dicendum quòd Baptiſmus ſit neceſſarius in omni caſu, in re vel in voto, per modum poſitiuè inducentis in gratiam, neque id ex Concilijs poteſt probari, ergo non eſt neceſſum quòd ille cauſet gratiam recedente fictione: id quod habet locum eodem modo in Sacramento Pœnitentiæ: exigitur quidem in re vel in voto confeſſio omnium mortalium poſt Baptiſmum, at quòd illa cauſare debeat in omni caſu poſitiuè ipſam remiſſionem, vti dixi de Baptiſmo non poſſe probari, ita de confeſſione cenſeo, ergo hæc diſparitas non labefactat vllo modo vim argumentandi: adde, confeſſionem non poſſe eſſe validam & informem: de quo nos ſuprà.

18 *Secundò.* Secundò reiicio eandem ſolutionem, quia de ea neceſſitate conſtare non poteſt, niſi quatenus ſupponimus Chriſtum de facto conceſſiſſe hoc priuilegium Baptiſmo, nam ex natura rei potuit optimè illum inſtituere cum tota neceſſitate eundem ſuſcipiendi, cum tota inquam neceſſitate quæ iam eſt, & tamen non

Digitized by Google

dare ei vim cauſandi deinde eam remiſſionem. Atqui quòd Chriſtus dederit eam vim reſurgendis his duobus Sacramentis, & non dederit aliis (quæ quia non ſunt pro remiſſione mortalis, non dicuntur eo modo neceſſaria ad ſalutem) non poteſt niſi fere diuinando dici; connaturaliùs enim diſcurrimus: Si vti ea omnia facimus ſimilia quantum ad hoc, quod eſt cauſare gratiam, etiam faciamus quantum ad vim eandem producendi recedente fictione, maximè cùm non ſit maior difficultas in vno quàm in altero; quia ſi in vno non obfuit, quòd ſuſcipiens peccauerit grauiſſimè contra reuerentiam Sacramento debitam, etiam id non debebit in aliis obeſſe, niſi dicere velimus, Chriſtum, dum Baptiſmo præ aliis prærogatiuam hanc conceſſit, dediſſe occaſionem vt Baptiſmus præ aliis indignè ſuſciperetur: quilibet enim dicere poſſet: Non eſt cur ſim iam de diſpoſitione ſolicitus, ſicut pro aliis debebo, quia hic reuiuiſcet poſteà, alia verò non; non eſt autem credibile Chriſtum magis vnum expoſuiſſe indignæ ſuſceptioni quam alterum; ergo.

19 *Argumentum contra reuiuiſcentiam in Euchariſtia.* Hinc tamen argumentari fortè poterunt Secundò qui Euchariſtiæ eam vim negant: Sequeretur enim hominem ſingulis diebus tota vita indignè communicantem, nihilominùs tamen deinde accepturum fructum ex omnibus eis Communionibus; hoc autem inconueniens in aliis Sacramentis non eſt tantum, quia nec illa poſſunt toties repeti validè, nec tantam reuerentiam exigunt quantam Euchariſtia, ergo. *Argumentum vrgent Suarez & Cardinalis Lugo.* Hoc argumentum vrget Suarius & Cardinalis Lugo, nam ſi talis homo, qui tota vita frequentiſſimè in peccatis communicauit, cum intenſiſſima deinde contritione reſipiſceret, haberet vi earum Communionum tantam gratiam, quantam ſi tota ea vita ſingulis vicibus habuiſſet eam intenſam contritionem, perinde ac ſi millies v. g. cum intenſiſſima contritione communicaſſet, hoc autem haud dubiè eſt duriſſimum, quia id eſſet occaſio, vt quis ſcienter etiam ſingulis diebus ſæpè communicaret, ſperans ſe deinde eam maiorem gratiam recepturum, eſto de facto eam non reciperet. *Iudicatur probabile:* Reſpondeo, Hanc rationem eſſe probabilem, ac proinde inter omnes alias ſententias hanc eſſe probabiliſſimam, non tamen cogere nos vt à doctrina vniuerſali de omnibus Sacramentis diſcedamus, quia hoc abſurdum non eſt diuerſum in hoc Sacramento ab aliis, vt ſic dicam, quoad ſubſtantiam, ſed ex maiori aut minori repetitione oritur, & fortaſſe quis diceret in Extrema Vnctione poſſe ſuo modo habere locum eam repetitionem ſub eo titulo recipiendi deinde fructus: *Reſpondetur illi.* Reſponderi ergo poteſt, eam repetitionem ſingulis diebus moraliter non eſſe poſſibilem, niſi cum nota aliorum, ac proinde talem prohibendum violenter ab eis peccatis. Quidquid verò de hoc ſit, & an peccatum ſit occultum, &c. ea diuerſitas non debet nos cogere vt negemus vnicè hoc priuilegium huic Sacramento.

20 *Et oſtenditur nihil abſurdi continere noſtram doctrinam.* Ad id ergo, quod pro abſurdo inferebatur, dicimus, illud non eſſe abſurdum; nam licet ſuſcipientis malitia non mereatur eam gratiam, vti etiam non meretur eam in aliis Sacramentis, voluit tamen Dominus Deus Chriſti meritis, quæ in eis Sacramentis (vt iam diximus) includuntur, hunc fauorem facere ipſis verò peccatoribus ſtimulos adhibere, vt libentiùs agant pœnitentiam ſpe illius lucri maioris. Quod autem ad magis exaggerandum abſurdum illud dicebatur de eo peccatore tota ſua vita indignè ſæpiſſimè communicante, & deinde reſurgente per intenſiſſimam contritionem, qui tantam gratiam eſſet accepturus, quantam ſi in ſingulis illis Communionibus habuiſſet eam intenſiſſimam diſpoſitionem; ideoque tali melius fuiſſe communicaſſe in peccato quàm ſi in gratia, cum exigua tamen deuotione, communicaſſet: hoc inquam neque Patrem Suarez neque me concernit, quia negamus tunc reuiuiſcere Sacramentum iuxta diſpoſitionem qua aufertur obex; de quo fuſiùs ſequenti diſputatione; ſolus Cardinalis Lugo, qui admittit tale augmentum, poſſet vrgeri hac obiectione, quæ reuerà dato eo principio non eſt leuis; habet tamen locum in Sacramentis aliis, ac proinde non poteſt iuuare ad diſcurrendum diuerſo modo de vno quàm de alio; ideò, quid ei ſit reſpondendum, videat hic Auctor.

Vltimò ad id quod vrgebatur, aperiri per hanc ſententiam viam, vt etiam peccando communicet quis frequenter, & ſæpè de die, reſpondeo, Id eſſe omnino per accidens; ille enim debet aduertere non eſſe facienda mala vt eueniant bona: caueat etiam talis, ne, dum per adeò iniquas vias cupit deinde augere gratiam, damnationem priùs incurrat, vti ſuo modo in iniqua aliorum Sacramentorum ſuſceptione dicendum eſt. Et ſanè vix eſt moraliter poſſibile, vt aliquis benè affectus circa gratiam, & circa eius augmentum deinde obtinendum, non horreat de præſenti grauia peccata, & non timeat miſerè in ſuis peccatis perire.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

Difficultates aliquæ circa Sacramentorum reuiuiſcentiam.

1 SVPPOSITA cauſalitate gratiæ recedente fictione aliqua occurrunt; quæ explicatione indigent.

SECTIO I.

Duo priora dubia explicantur.

SVBSECTIO I.

Soluitur primum dubium, & proponitur ſecundum.

PRIMVM eſt, An Baptiſmus in eo caſu producat diſtinctam gratiam ab ea quæ confer- *An Baptiſmus producat.* tur

cat gratiam diſtinctam à gratia contritionis. Vaſquez negat. Explicatur mens Diui Auguſtini pro opinione affirmante.

tur per contritionem; aut per Sacramentum Pœnitentiæ, per quod remouetur fictio. Negant Vaſquez & aliqui alij, pro quibus non video argumentum vllum, niſi quod non ſit fundamentum ad aſſerendum oppoſitum. Ego tamen opinor, Diuum Auguſtinum & Theologos, de quibus ſuprà, manifeſtè voluiſſe eam gratiam diſtinctam adſtruere, vel (ne ſit quæſtio de nomine) ſenſiſſe aliquam conferri tunc ratione præcedentis Baptiſmi, quæ, ſi hic non fuiſſet ſuſceptus, non daretur; nam cum dicit Auguſtinus illum Baptiſmum fictione recedente cœpiſſe prodeſſe, ſine dubio intendit dicere, aliquam vtilitatem & gratiam prouenisse illi homini à Baptiſmo, quam non habuiſſet, ſi illum non recepiſſet, ergo ſentit aliquam gratiam dari ſpecialiter propter Baptiſmum, alioquin non dandam: ſi enim ego v. g. eram recepturus octo gradus gratiæ, ſiue præceſſiſſet Baptiſmus, ſiue non, parum profectò mihi prodeſſet, quòd mihi illi darentur partialiter intuitu Baptiſmi, & partialiter intuitu contritionis: idem enim eſſet pro me, quòd præcisè darentur intuitu ſolius contritionis; ergo ſenſit Auguſtinus maiorem gratiam tunc cauſari quam ſi non præceſſiſſet Baptiſmus: & eodem modo reliquorum Theologorum auctoritatem induco; parum enim eſſet ad rem, & præterea ſine fundamento poneretur ea cauſalitas Baptiſmi recedente fictione, ſi nihil noui, nihil plus cauſaret, quàm ſi non præceſſiſſet, ſed ſolùm poneretur attemperatio actionis cauſatiuæ gratiæ ex parte contritionis. Ergo vel dicendum eſt, non cauſari gratiam à Baptiſmo recedente fictione; vel ea ponenda eſt maior & diuerſa à gratia, quæ reſpondet ſoli contritioni.

Secunda difficultas, An gratia creſcat ex perfectiore diſpoſitione remouente obicem.

Hinc autem oritur ſecunda difficultas, An ea gratia creſcat iuxta perfectiorem diſpoſitionem, per quam tollitur fictio, an verò minima ſit quæ dari poteſt per Baptiſmum, qualis eſt ea quæ datur infantibus. Pro intelligentia quæſtionis.

2 *Explicatur ſtatus difficultatis.*

Aduerte, etiam eam gratiam, quæ ex opere operato confertur per Sacramenta, creſcere ex maiore ſuſcipientis diſpoſitione: v. g. accedit quis ad Venerabilem Euchariſtiam cum diſpoſitione vt octo, alius verò cum diſpoſitione vt quatuor, non ſolùm primus ille recipiet quatuor gradus plures ex opere operantis, quos etiamſi non acceſſiſſet ad Euchariſtiam, recepiſſet tamen ratione illius actus intenſioris; ſed etiam pro ipſa Euchariſtia, dabuntur illi alij octo exempli gratia, alteri vero ſolùm quatuor, ita vt cùm ſolùm exceſſerit in quatuor gradibus, habeat tamen vtilitatis ampliùs vt octo.

Quærimus ergo, An ſi duo, qui fictè priùs receperunt Baptiſmum, poſteà inæqualiter conterantur, non ſolùm ratione inæqualis contritionis vnus plus altero accipiat (de quo non eſt dubium) ſed etiam Baptiſmus plus conferat gratiæ meliùs diſpoſito quàm alteri; eodem planè modo quo id præſtitiſſet, ſi in actuali ſuſceptione fuiſſet illa inæqualis diſpoſitio.

Tota res pendet ab inſtitutione Chriſti, de qua nihil conſtat.

De hac quæſtione egit Pater Suarius, vti ſolet, valdè benè rationes pro vtraque parte afferens, eaſque ponderans vt par eſt. Illud autem meo iudicio valdè hic obſeruandum, dubiam eſſe totam quantam hanc quæſtionem, tum quia nec ipſa reuiuiſcentia Sacramentorum eſt omnino certa; tum quia eſto ex Auguſtino & aliis coniecturis de reuiuiſcentia conſtet, certiſſimum tamen debet eſſe apud omnes, ea ſuppoſita potuiſſe Chriſtum Dominum ita Sacramentum inſtituere, vt non reuiuiſceret niſi ad minimum gradum gratiæ, quem ſolet cauſare, quando ſuſcipitur ſine obice, & ſine vlla diſpoſitione poſitiua; quia ea ipſa reuiuiſcentia hoc modo explicata eſſet maximus fauor, & ex ſe non annexus inſtitutioni Sacramentorum (vt ex terminis conſtat;) certum item eſt potuiſſe etiam è contrario ita inſtituere, vt reuiuiſcerent iuxta diſpoſitionem concurrentem tempore reuiuiſcentiæ, imò & iuxta diſpoſitiones quæ præceſſerunt ſuſceptionem Sacramenti infructuoſam. Vtroque ergo hoc modo res potuit fieri, quem autem ex eis de facto Chriſtus elegerit, vnde quæſo decidemus, niſi fortè diuinando?

Quid ſentiant Doctores.

Et verò ex hoc eodem fundamento diceret aliquis non concedendam niſi reuiuiſcentiam infimam; quia non plus debemus concedere de ea cauſalitate gratiæ quàm nobis aliunde conſtet; ergo cùm ſolùm conſtet probabiliter de reuiuiſcentia, & nihil amplius, debebimus profectò hanc ſolam ſine vllis additamentis concedere. Quæ eſt ſententia eiuſdem Suarij diſput. 28. ſect. 4. & Coninck quæſt. 62. artic. 1. dub. 6. Contrarium tamen defendit Vaſquez diſput. 159. cap. 5. quem Cardinalis Lugo ſequitur diſput. 9. à numer. 70. Inſinuabo breuiter vtriuſque ſententiæ fundamenta, eaque diſcutiam.

SVBSECTIO II.

Fundamenta affirmantium creſcere iuxta diſpoſitionem auferentem obicem.

Cardinalis Lugo probat ſuam ſententiam ex Concilio Tridentino.

CArdinalis Lugo, præter illa quæ contra ſe obicit Suarius, hoc addit ſpeciale: Nam Tridentinum Seſſione 14. c. 4. agens de deteſtatione peccati hæc habet: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Vnde infert, Etiam quando reuiuiſcit Baptiſmus per contritionem extra Pœnitentiæ Sacramentum, aut per attritionem intra Pœnitentiam, concurrere illam contritionem tanquam meritum congruum atqui maiorem habet vim ad plus merendum ea quæ eſt maior contritio, maximè cum iuxta idem Tridentinum Seſſ. 6. cap. 7. detur gratia adultis inæqualiter iuxta propriam cuiuſque diſpoſitionem; ergo reſurgente Baptiſmo per meliorem diſpoſitionem debet dari maior gratia, quàm ſi per minorem reſurgeret.

Argumentum Cardinalis Lugo reiicitur, & explicatur Tridentinum.

Hoc tamen argumentum, meo iudicio, parum vrget; nam cum debeamus omnes fateri, in Tridentino eis citatis locis actum non fuiſſe de reuiuiſcentia, facillimè reſpondere poſſumus ea omnia loca, quibus dicitur, iuxta meliorem diſpoſitionem dari maiorem gratiam, intelligenda, quando in actuali ſuſceptione ipſius Sacramenti cauſatur gratia: de quo ſolo caſu agebat ibi Concilium: cumque in eo ipſo caſu, de quo diſputamus, concedamus pro meliori ea diſpoſitione dari gratiam maiorem per Sacramentum Pœnitentiæ, quod tunc ſuſcipitur, aut ſi iuſtificatio fit per contritionem, dari etiam maiorem iuxta perfectionem ipſius contritionis, quo ſaluamus verba Concilij, non video quare inde debeamus dicere, ex opere operato per Baptiſmum tunc reuiuiſcentem dari etiam maiorem

Digitized by Google

gratiam, quàm ſi non extitiſſet tam perfecta diſpoſitio. Illud denique adde, nec quidem ex eo loco ſuaderi gratiam, quæ ex opere operato conceditur, eſſe maiorem iuxta meliorem diſpoſitionem, ſed ea verba optimè poſſe intelligi de gratia quæ datur per contritionem, aut per illa opera de congruo, vel de condigno, vt ſuprà fuſius explicui.

4 *Argumentum ſecundum pro affirmante ſententia ex Tridentino.*

Secundum ergo pro ea ſententia argumentum, quod & Suarius tetigit, ſit: Nam licet ea diſpoſitio non interueniat quando ſuſcipitur Baptiſmus, interuenit quando datur gratia Baptiſmi; ergo iuxta illam debet gratia eſſe maior. Tridentinum enim dum agit de diſpoſitione, iuxta cuius proportionem infunditur gratia, non agit in rigore de diſpoſitione ad Sacramentum, ſed de diſpoſitione ad Sacramenti effectum, hoc eſt ad gratiam, quia agit vniuerſaliter etiam extra Sacramentum: atqui in eo caſu homo ille habet meliorem diſpoſitionem ad gratiam quàm alter, qui haberet imperfectiorem contritionem; ergo debet accipere maiorem gratiam.

Confirmatio prima: Confirmatur Primò, quia diſpoſitio illa non tam requiritur ad Sacramentum, quàm ad gratiam per Sacramentum cauſandam; nam Sacramentum ſine illa diſpoſitione validum eſt; ergo dummodò, quando gratia eſt ſuſcipienda, ſit melior diſpoſitio, ea ſufficiet vt detur maior gratia.

Secunda. Confirmatur Secundò, quia ea diſpoſitio nunc eſt neceſſaria, quando Sacramentum debet operari, ergo cùm quando reuiuiſcit tunc debet operari, ſufficiet ſi tunc ſit ea melior diſpoſitio, vt iuxta maiorem eius perfectionem detur maior gratia.

Reſpondetur argumento. Verùm neque hoc argumentum vllo modo vrget, quia nequaquam ſufficit, quod ea diſpoſitio exiſtat tunc, quando danda eſt gratia; quòd verò dicitur, Concilium, dum agit de diſpoſitione, præciſè agere de diſpoſitione ad gratiam, negandum omnino eſt: agit enim de diſpoſitione ad ſuſcipiendum reuerenter Sacramentum: ipſa enim ſanctitas Sacramenti, tanquam actionis Chriſti Domini, petit illam reuerentiam; Chriſtus verò Dominus quia vidit Sacramenta à ſe inſtituta reuerenter tractari, infundit maiorem gratiam non ob illam diſpoſitionem ſecundùm ſe; nam ſi illa ſola fuiſſet, nihil de gratia fuiſſet datum (ſuppono eſſe attritionem) ſed ob illam vt conſtituentem hominem reuerenter tractantem Sacramenta; cùm ergo ea melior diſpoſitio, quæ ſequitur deinde receptionem Sacramenti, non conſtituat hominem cum maiore reuerentia ſuſcipientem illud Sacramentum præcedens (vt ex terminis conſtat) quia per dolorem ſequentem non fit, vt quod ab initio malè erat factum, iam reddatur ab initio benè factum: hoc enim eſt impoſſibile, quia ad præteritum non datur potentia; ideò neque Chriſtus per eam meliorem diſpoſitionem dat maiorem gratiam ratione Baptiſmi, ſed vel ratione Sacramenti Pœnitentiæ, quod tunc dignè tractatur, vel ratione ipſius contritionis, quæ etiam independenter ab omni Sacramento eſt meritoria de congruo gratiæ. Vno verbo, gratia maior datur ob Sacramentum decentiùs exercitum. Hæc ratio tota quanta ceſſat in eo caſu; quid ergo mirum, ſi non detur maior gratia? Quòd verò dicebatur,

5 *Non fauet argumento Concilium Tridentinum.*

Tridentinum agere generaliter de diſpoſitione ad gratiam tam intra Sacramentum quàm extra illud dicimus omnino ità eſſe, inde tamen contra nos nihil penitus inferri; quia diſpoſitio ad gratiam vna eſt immediata, vti contritio; quæ gratiam obtinet independenter ab omni Sacramento, alia eſt diſpoſitio mediata ad gratiam, quatenus hominem facit reuerenter, & iuxta præſcriptum modum à Chriſto, ſuſcipientem Sacramentum: hæc enim, in omnium omnino ſententia, & independenter à quæſtione præſenti, non eſt diſpoſitio immediata ad gratiam, ſed ad Sacramentum, quod deinde gratiam cauſat; cùm ergo, quando actus ille venit Sacramento iam ſuſcepto, non ſit diſpoſitio ad illud, eo ipſo nec poteſt eſſe in rigore diſpoſitio ad augendam per illud Sacramentum gratiam. Vnde potius hinc ſuaderetur planè Sacramenta non reuiuiſcere, niſi aliunde conſtaret nobis Chriſtum eis dediſſe hoc priuilegium, vt ablato obice peccati cauſent gratiam, cum autem non conſtet eum dediſſe eis hoc ſecundum priuilegium quod ſcilicet ea diſpoſitio ſequens, quo nobilior eſt, magis conducat, profectò etſi primum aſſeramus, non tamen debemus ſecundum.

Reſpondetur ad confirmatione argumenti.

Ex his clarè reſponſum eſt ad confirmationes: ad primam iam oſtendi eam diſpoſitionem non eſſe ad Sacramentum validè ſuſcipiendum, ſed ad reuerenter, & iuxta præſcriptum modum à Chriſto, & per hoc eſſe diſpoſitionem ad gratiam. Ad ſecundam dicimus, diſpoſitionem illam requiri non tam quando gratia eſt cauſanda, quam dum Sacramentum completur in actu primo, completur autem per ſuſceptionem reuerentialem ac ſanctam modo explicato, cumque ad hoc veniat tardè illa nobilior diſpoſitio, etiam veniet tardè ad cauſandam maiorem gratiam, imò (vt dixi) ex natura rei etiam veniſſet tardè ad vllam gratiam cauſandam, niſi ex fauore ſingulari Chriſti datum illi eſſet tale priuilegium, quod non debet extendi magis ſine neceſſitate. Vides quàm ſint debilia illa argumenta.

6 *Sententia Cardinalis Lugo minùs probabilis.*

Vbi obſeruo, multò minus poſſe probari id quod Cardinalis Lugo docet, & nos ſuprà reiecimus, eam ſcilicet gratiam tunc cauſatam eſſe maiorem, iuxta meliores diſpoſitiones præuias, etiam quæ longè ante ipſam iniquam ſuſceptionem Baptiſmi in peccato exercitam præceſſerunt: etenim fuſiùs ſuprà oſtendi, gratiam, quæ datur ex opere operato, non augeri per diſpoſitiones quæ diu præcedunt Sacramentum, deinde eſto, quando illæ moraliter connectuntur, & influunt in eius dignam ſuſceptionem, haberent vim talem, non tamen poſſe id concedi, quando interrumpuntur per indignam ſuſceptionem Sacramenti; nam tunc earum vis euanuit, vti euaneſcunt quoad meritum gratiæ cætera opera ſupernaturalia à peccatore facta.

Limitat ſuam doctrinam Cardinalis Lugo.

Vidit Cardinalis Lugo aliquam eſſe difficultatem in eo, quod ea opera tanto tempore antecedentia, & in peccato facta, augeant gratiam ex opere operato: ideoque limitat ita ſuam doctrinam, vt non augeant gratiam plus quàm ipſamet opera promerita fuiſſent, ſi fuiſſent facta in gratia, alioquin melius eſſet iudicandum facere ea bona opera in peccato ante Baptiſmum, quam præmittere Baptiſmum ſanctè, & poſteà ea opera facere: id quod videtur valdè durum. Ego omnino admitto id eſſe abſurdum; at iudico ſequi neceſſariò ex doctrina quam impugno; vnde totam illam abſolutè reiicio.

Illa limitatio arguit inconſequentiam.

Addo, hanc limitationem non tradi conſequenter, & in primis ſuppono nos nihil ſcire, vtrùm attritio vt quatuor v.g. facta ante Sacramentum Pœnitentiæ

Digitized by Google

nitentiæ augeat gratiam ex opere operato illius Sacramenti plus quàm ipſa mereretur, ſi facta fuiſſet ab homine iuſto, ſeu habente gratiam; fortaſſè enim auget magis, fortaſſè è contrariò minus: nobis enim ignotiſſimum eſt, quantus ſit effectus Sacramentorum, & quantum ſit augmẽtum ratione diſpoſitionis. Hoc poſito, ad intentũ noſtrum dico, ſi re ipſa opera bona, vt diſpoſitiones ad dignam ſuſceptionem Sacramenti, non augent gratiam plus quàm ipſa mererentur, ſi in gratia facta eſſent, limitatio hæc non eſt neceſſaria, quia tunc eodem modo non augerent, eſto homo cum ea diſpoſitione debite ſuſcepiſſet primò Baptiſmum; ſi verò re ipſa augent plus, quando immediatè exiſtunt ante Baptiſmi v.g. ſuſceptionem, tunc hæc limitatio non videtur conſequenter tradi; nam cùm hic Auctor totus ſit in probando eas diſpoſitiones, etiamſi tempore præcedant duobus tribúsve diebus, etiam menſibus ante Baptiſmum, eſſe veras diſpoſitiones ad illum; adeoque ſecundùm earum perfectionem maiorem debere dari maiorem gratiam ex opere operato, profectò minùs conſequenter aufert illis eam vim: ea enim præceſſio temporis videtur eſſe omnino per accidens, cùm per eam non tollatur illis operibus, quòd tam verè & propriè diſponant ad Sacramentum, quàm ſi exiſterent immediatè antequam proferretur abſolutio in pœnitentia, & in Baptiſmo diceretur. *Ego te baptizo*, &c.

Replica pro ſententia Cardinalis Lugo.

Dices, Non fieri hîc comparationem inter opera immediatè antè præcedentia, & inter præcedentia duobus diebus: ibi enim omnino conuincit replica, nullam eſſe in genere moris diuerſitatem; eſt ergo comparatio cum his quæ planè exiſtunt in eodem inſtanti reali quo ſuſcipitur Sacramentum, ac proinde quæ dignificantur pro poſteriori natura à gratia, & inter illa opera; quæ præcedunt tempore ſiue multo, ſiue paruo, quo ſuppoſito admittes, illa augere gratiam plus quàm ipſa mererentur, ſi ſupponerentur iam in gratia ante eorum effectionem, hæc verò non augere tam multum. Sed contrà, quia cùm Concilium Tridentinum, cui maximè hic Auctor nititur, nullam omnino differentiam ponat inter diſpoſitiones vno inſtanti præcedentes Baptiſmum, & inter durantes eo puncto, quo homo abluitur, & quo verba Baptiſmi proferuntur: id enim pro intento Concilij, & in ordine ad punctum diſpoſitionis, eſt omnino per accidens: cùm inquam Concilium nullam talem differentiam agnoſcat, & reuerà nulla ſit in genere diſpoſitionis moralis, non capio quo pacto per modum diſpoſitionis debeat ea attritio tunc durans plus valere, quàm ea immediatè ante prolationem illius vltimi verbi *Sancti*: quòd enim dignificetur à gratia, nihil penitus ad punctum præcedens iuuat; nam ea dignificatio gratiæ non eſt effectus Sacramenti, quod ſupponitur eo ipſo iam tunc operatum, ac proinde cùm non bis, ſed ſemel tantùm operetur, iam ea diſpoſitio facta per gratiam melior nihil efficit, vt Sacramentum augeat gratiam ex opere operato, non aliter quàm ſi ſequenti inſtanti reali homo haberet actum aliquem intenſiorem: non enim propterea concederetur per Baptiſmum præcedentem noua gratia; tam autem Baptiſmus non producit bis gratiam in eodem inſtanti reali pro duobus ſignis, quàm in duobus inſtantibus realibus ſibi proximè vicinis. Fateor illam informationem gratiæ poſſe tunc conducere, vt

8 *Soluitur ex Concilio Tridentino.*

quòd actus ille dicebatur in priori ſigno ſolùm mereri de congruo, iam dicatur mereri de condigno: vt alibi diximus poſſe contritionem, quæ in priori ſigno merebatur ſolùm de congruo gratiam & gloriam, mereri eamdem gratiam in ſecundo ſigno naturæ de condigno; vt tamen mereatur aliquid amplius, non iuuat vel in minimo ea informatio.

Replica altera expeditur.

Dices: Poteſt Deus illam acceptare ad maiorem gratiam. Fateor; at etiam poteſt non acceptare; cùm autem ex ſe id non exigat ea diſpoſitio, quia ſufficientiſſimè remunerata, profectò ad aſſerendum eam acceptari à Chriſto, non ſufficit dicere *poteſt*, ſed oportet poſitiuè, oſtendere Chriſtum de facto ei facere hunc indebitum fauorem; hoc autem hic Auctor non oſtendit; igitur ſtandum communi regulæ in hoc puncto. Et ſatis de ea doctrina occaſione reuiuiſcentiæ.

SVBSECTIO III.

Fundamenta negantium; & iudicium de tota quæſtione.

IAM videamus, quæ è contrario Patres Suarius & Coninck pro ſe afferunt. 9

PP. Suarez & Coninck argumenta reijciuntur. Primum.

Primum argumentum eſt, quia eo caſu reuerà ſuſceptus eſt Baptiſmus ſine vlla diſpoſitione ad gratiam, & ex hoc capite perinde ac ſuſcipitur ab infante; ergo non debet maiorem poſteà cauſare gratiam quam in infante. Reſpondeo, Hoc argumentum apertè probare, potuiſſe rem ita inſtitui, ſicut tamen Chriſtus acceptat illud Sacramentum ad cauſandam deinde aliquam gratiam, eſto in ſuſceptione nullam potuerit cauſare; ita dicent Aduerſarij acceptari etiam ad cauſandam maiorem iuxta quantitatem diſpoſitionis, per quam poſteà reſurgit. Vnde niſi oſtendatur Chriſtum non habuiſſe talem voluntatem, nihil poteſt in præſenti ſuaderi.

Secundum.

Secundò argumentantur, quod ferè in primum argumentum recidit; Baptiſmus eo tempore purè putè cauſat gratiam ſecundùm ſuam ſanctitatem, non ſecundùm diſpoſitionem ſubiecti, quæ nulla fuit; ergo ſolùm debet eam gratiam cauſare, quam cauſat in infantibus. Reſpondeo, Totam difficultatem præſentem deuolui in illud antecedens quod aſſumit; nam Aduerſarij dicunt cauſari gratiam & ſecundùm ſanctitatem Baptiſmi, & ſecundùm diſpoſitionem per quam reuiuiſcit; oportet ergo aliunde dubium hoc decidere.

Tertium.

Argumentantur Tertiò; Si ſuſcipiens dignè Baptiſmum habeat diſpoſitionem vt ſex, & poſteà habebat actum vt centum, iam iſte actus vt centum non augebit effectum eius Baptiſmi; ergo ſi ſuſcipiens Baptiſmum caruiſſet ea diſpoſitione vt ſex, & illam deinde habuiſſet, non augebit propterea gratiam. Patet conſequentia, quia ſicut ſe habet carentia diſpoſitionis vt ſex ad eam poſteà habitam, ita ſe habet carentia diſpoſitionis vt centum ad eumdem poſteà habitam. Reſpondeo, Licet negationes illæ eodem modo comparentur, in ordine tamen ad rem noſtram eſſe maximam differentiam: quia quando nulla eſt diſpoſitio, Baptiſmus non operatur, ſed, vt ſic dicam, reſeruat ſuam actiuitatem ad diſpoſitionem poſteà futuram; ac proinde ſi hæc ſit magna, magnum etiam effectum Baptiſmus producit; at quando fuit aliqua diſpoſitio, etiamſi fuerit

Digitized by Google

fuerit exigua, operatus eſt Baptiſmus ſuum effectum: vnde accedens deinde augmentum nouæ diſpoſitionis nihil prodeſt, quia non operatur Sacramentum niſi ſemel.

Replica ſoluitur.

10 Hinc reſpondetur alteri obiectioni, quæ ferè in idem recidit, deſumiturque inde, quod gratia baptiſmalis, amiſſa per peccatum redeat poſteà per contritionem; non tamen ideò propter maiorem contritionem redeat maior. Huic inquam argumento ex dictis reſpondetur, tunc gratiam non redire eò quòd Baptiſmus operetur; ac proinde ea diſpoſitio non iuuat tunc Baptiſmum; redit ergo gratia, quia iam antè eam homo habuerat, & ablatus eſt obex peccati, quo fuerat expulſa.

Quartum argumentum à reuiuiſcentia meritorum

Ad hanc replicam reducitur quarta ratio deſumpta ex reuiuiſcentia meritorum: quod enim dicebatur de reuiuiſcentia gratiæ baptiſmalis, dicitur abſolutè in quarto argumento de reuiuiſcentia omnium meritorum; igitur ſic argumentantur: Prima gratia amiſſa per peccatum, & reuiuiſcens poſteà per contritionem, non eſt maior pro intenſiori contritione, qua reuiuiſcit; ergo nec in noſtro caſu maior erit gratia cauſata per Baptiſmum recedente fictione. Reſpondeo, Diſparitatem eſſe maximam, quia in caſu obiectionis contritio tantùm tollit impedimentum quod expulit antiquam gratiam, nempe peccatum; quo ablato non poteſt redire niſi antiqua gratia, quæ ſe ipſam non intendit, vt tunc maior redeat quàm antea fuerat: at in noſtro caſu ea diſpoſitio non ſolùm tollit impedimentum gratiæ, ſed etiam iuuat Baptiſmum moraliter exiſtentem, vt ſuam actiuitatem in gratiam exerceat; vnde quia melior diſpoſitio magis iuuat Baptiſmum, non mirum ſi hic maiorem cauſat gratiam quàm cum minore diſpoſitione.

Replica expeditur.

Replicabis ergo: Si quis ficte ſuſcipiens Baptiſmum poſtea tollat fictionem actu intentiſſimo, plus vtilitatis habebit ex Baptiſmo quàm alter illum debitè ſuſcipiens, actu tamen non ita intenſo; hoc autem videtur abſurdum, quia tunc illi profuiſſet fictio, ergo. Reſpondent conceſſa conſequentia negando id eſſe abſurdum; negatur etiam illi homini fictionem profuiſſe, ſed bonam diſpoſitionem, quam poſtea habuit; quam ſi habuiſſet dum ſuſcepit Baptiſmum, eodem modo habuiſſet totam eam gratiam. Neque inconueniens eſt, vt peccatum ſit occaſio aliquando maioris gratiæ; vt ſi quis peccans mortaliter grauiùs, arriperet poſteà occaſionem intenſioris contritionis, aut amoris Dei, de quo alter, qui non peccauit, non fuit ſolicitus, ſine dubio maiorem gratiam ille habebit poſt peccatum remiſſum quam qui non peccauit.

Quintum argumentum.

11 Quintò argumentantur: Quando Baptiſmus fuit ſuſceptus, applicata ſunt merita Chriſti Domini ad certum gradum gratiæ; alioquin ex vi eius applicationis non ſciret Deus quantam poſteà daturus eſſet illi homini gratiam: quod videtur abſurdum. Reſpondetur, id non eſſe abſurdum, ſed neceſſariò ab omnibus dicendum; nam præcisè conſiderata ſuſceptione cuiuſque Sacramenti, abſtrahendo à diſpoſitione ſuſcipientis, non ſcit Deus quantam gratiam debeat dare: cùm enim hæc creſcat aut minuatur iuxta diſpoſitionem, quid mirum, ſi antequam ſciatur de diſpoſitione, non ſciatur determinatè quanta ſit danda gratia; ſicuti etiam ex vi eius ſuſceptionis non ſcit etiam Deus, an ſimpliciter ſit daturus gratiam, & quando, quia vi ſuſceptionis fictæ non ſcitur, an poſteà ſit ponenda contritio tollens obicem, & quando. Hæc ſunt argumenta pro vtraque, quæ illam relinquunt dubiam; nec mirum, cùm res tota ex ſola Chriſti inſtitutione pendeat, hæc autem non poſſit ratione perſuaderi, auctoritas verò in præſenti nulla ſit; olim quidem, dum bis tradidi hanc materiam, magis inclinaui in ſententiam Vaſquez vt fauorabiliorem; & quia, ſi ſemel concedimus Sacramenta reuiuiſcere, videmur debere concedere id fieri eodem modo, ac ſi tunc primò Baptiſmus cauſaret gratiam. Nunc tamen re meliùs conſiderata, etſi valdè probabilem eam ſententiam iudicem, puto tamen vel rem totam eſſe dubiam, vel probabiliorem eſſe ſententiam Patris Suarij, quam ratio à me ſuprà facta videtur ſatis efficaciter ſuadere: cùm enim hic fauor, quod tunc augeatur gratia ex opere operato, iuxta eam maiorem diſpoſitionem ſit priuilegium ſpeciale non annexum Sacramentis, nec eorum reuiuiſcentiæ, ſimpliciter loquendo, vt probatum eſt, & aliunde non habeamus auctoritatem, quæ ſuadeat quidquam de conceſſo eo priuilegio; profectò probabilius diſcurrimus illud negando: fortaſſe re ipſa illud dedit Chriſtus, nos tamen non debemus in hac materia ponere quidquam quod non poſſimus probare.

Sententia Suarez probabilior;

SVBSECTIO IV.

Quid ſit dicendum circa augmentum gratiæ duorum Sacramentorum per vnicam diſpoſitionem data ſententia Vaſquez.

Status quæſtionis proponitur.

Antequam ad tertium præcipuum dubium de reuiuiſcentia Sacramentorum veniamus, 12 oportet diſquirere, quid ſit dicendum, ſi vera eſt ſententia Vaſquez, caſu quo, dum Baptiſmus, v. g. reuiuiſcit, ſuſcipiatur ſimul aliud Sacramentum, v.g. Pœnitentiæ, an tunc vtriuſque Sacramenti effectus augeatur ad proportionem eius diſpoſitionis, perinde ac ſi quodlibet eſſet ſolum, ſi ſcilicet gratia danda per Baptiſmum & attritionem vt octo, eſſet gratia vt octo, & gratia danda per attritionem vt octo & pœnitentiam, eſſet vt octo, an detur tunc gratia vt ſedecim, an verò vt octo, an vt duodecim. Reſpondeo, Vt certum debere in ea ſententia ſupponi, dandam maiorem quam vt octo, alioquin eſſet pura puta quæſtio de voce dicere, tunc Baptiſmum reuiuiſcere: quid enim vtilitatis impertiret ea reuiuiſcentia, ſi non daretur plus gratiæ quàm dare poteſt ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, ſi ſolum ſit? Igitur vt minimum debemus dicere, dari totum quod pœnitentia fuerat datura, & inſuper eam gratiam, quam Baptiſmus dat infantibus omni diſpoſitione carentibus; quoad illam verò multiplicationem ſedecim graduum Pater Vaſquez docet rem eſſe dubiam. Lugo verò ſectione 6. proſecutus Suarium dicit omnino reddendos eos ſedecim gradus, ſi verum eſt (vt pro hoc dubio ſupponimus) Baptiſmum reuiuiſcentem dare maiorem gratiam iuxta meliorem diſpoſitionem, qua deinde aufertur obex. Hæc ſententia vltima ſtando rationi eſt valdè probabilis, nam coniunctio eius alterius Sacramenti non facit hominem minùs benè eſſe diſpoſitum ad Sacramentum Pœnitentiæ, quàm ſi non eſſet ibi Sacramentum

Sententia Lugo & Suarez probabilis.

Digitized by Google

cramentum Baptiſmi, ergo non facit vt minùs gratiæ detur per pœnitentiam quàm aliàs erat danda, & idem dici debet è contrario de ipſo Sacramento Baptiſmi, ergo vtrumque cauſabit æquè intenſam gratiam ac ſi ſolum eſſet. Et verò quæſtio hæc in rigore eſt independens à puncto reuiuiſcentiæ Sacramenti (de quo nunc maximè diſputamus;) nam paſſim habet locum, quando duo Sacramenta ſimul ſuſcipiuntur: vt cum quis accedit ad confeſſionem, & ſtatim ad Communionem, vel ad Communionem & Ordines, vel ad Communionem & Confirmationem, vel ad Communionem & Matrimonium, aut ſuſcipit Euchariſtiam & Extremam Vnctionem in his enim omnibus caſibus habet locum quæſtio propoſita; & videtur omnino ſuaderi doctrina Suarij, quæ confirmari poteſt diuerſis

13 Probat Cardinalis Lugo inſtantiis: Prima ab Indulgentiis.

13 inſtantiis: Prima, quam adducit Cardinalis Lugo de Pontifice concedente eodem die diuerſas Indulgentias his qui confeſſi, & ſuſcepta Euchariſtia viſitauerint diuerſas Eccleſias; tunc enim vnica confeſſio & Communio perinde valet ad lucrandum ex integro eas diuerſas Indulgentias ac ſi duobus diebus fuiſſet confeſſus, & communicaſſet.

Hæc inſtantia differt à caſu propoſito.

In hac tamen inſtantia eam differentiam à noſtro caſu inuenio, quòd ibi manifeſtè apparet ipſum Pontificem non niſi vnicam Communionem exigere; cumque in poteſtate ipſius ſit determinare conditiones, dubium non eſt eam vnicam Communionem ad vtrumque illum effectum ſufficere. Vnde ſi colligere nos poſſemus eodē modo decreuiſſe Chriſtum Dominum, vt iuxta eam diſpoſitionem creſceret gratia, non haberemus vllam difficultatem; quia ex parte operum Chriſti, quæ applicantur Sacramentis, ſufficientiſſimus eſt valor ad promerendum totum illud duplicatum augmentum gratiæ. At de hac ipſa voluntate Chriſti eſt totum dubium, vtrùm hoc an altero modo Chriſtus eos effectus determinauerit; certiſſimum enim eſt id totum pependiſſe vnicè ex voluntate ipſius; ac proinde Vaſquez ſatis prudenter dixit rem eſſe dubiam, & relinquendam Dei iudicio, cuius regulas & inſtitutionem ignoramus.

Secunda inſtantia ab operibus viri iuſti melior.

Melior videtur mihi ſecunda inſtantia, quam poſſumus accipere ex ea gratia habituali; nam iuxta certam ſententiam eadem gratia habitualis, ſub qua fiunt à iuſto duo opera ſupernaturalia, non minùs dignificat quodlibet opus ad meritum condignum vt quatuor v. g. reſpondens cuilibet operi, quàm ſi dignificaretur vnum ab vna gratia, & deinde aliud ab alia. Vnde non minus ſunt meritoria illa duo opera ſimul facta quàm ſi vnum opus eſſet factum in hoc inſtanti ſub gratia vt quatuor, & alterum alio inſtanti ſub alia gratia vt quatuor, cuius ratio deſumitur ex dictis paulò antè, quia non minùs quodlibet opus dignificatur à gratia, quando eſt ſimul cum alio opere, quàm ſi eſſet ſolùm; ergo illa diſpoſitio non minùs reuerenter reddit ſuſceptam pœnitentiam, eſto ſimul ſuſcipiatur Baptiſmus, quam ſi ſola fuiſſet ſuſcepta, ergò non minùs ſufficiet ad gratiam dandam per pœnitentiam, quam ſi ſola hæc eſſet. Et idem argumentum eſt in libertate: etenim eſto libertas ſit pars meriti, non minus ſunt meritoria duo opera libera eodem inſtanti facta ſub vna libertate, & ſub vna cognitione, quàm ſi eſſent facta diuerſis inſtantibus ſub diuerſis libertatibus.

14 Video tamen in hoc puncto aliquam diſparitatem

Notatur tamen in illis aliqua differentia.

quia libertas etiamſi ſit in eodem inſtanti eſt tamen tunc duplex reſpectiuè ad diuerſos actus: nam voluntas poteſt eſſe libera ad vnum, quin ſit ad aliud; nihilominus eſto per impoſſibile vel impoſſibile diceremus libertatem eſſe indiuiſibilem, ita vt non poſſet in vno inſtanti eſſe ad vnum actum; niſi ſimul eſſet ad omnes, adhuc tamen eſſet certiſſimum, tam meritorios fore duos actus in vno inſtanti ſub vna libertate factos quam alios duos, vnum vno inſtanti, alterum altero ſub diuerſa libertate.

Tertia inſtantia ab operibus pœnalibus ſatisfactoriis.

Tertiam inſtantiam deſumo ex operibus pœnalibus ſatisfactoriis: non enim minus duo talia opera pœnalia facta eodem inſtanti ſub gratia vt quatuor delent de pœna Purgatorij, quàm ſi vnum poſt alterum fieret.

Quarta inſtantia ex phyſicis.

Quarta inſtantia deſumitur ex rebus phyſicis nam quando vna res requiritur tantum per modum conditionis ad effectum, tam benè vna ſola poteſt eſſe conditio ad multos effectus, quàm ſi conditio eſſet multiplex. v. g. approximatio eſt conditio ad operandum tam benè ſub vna approximatione, quam duæ cauſæ ſimul poterunt operari, quàm ſi quælibet haberet ſuam diſtinctam approximationem, ſi v. g. duo ignes penetrati cum vnica vbicatione (quæ eſt formalis approximatio) applicentur eidem paſſo, profectò ratione approximationis non minùs poſſent in eo producere, quàm ſi quilibet haberet ſuam diſtinctam vbicationem; vti tam benè poſſunt videre has duas chartas ſimul mihi applicatas, quàm ſi vna poſt alteram applicaretur. Dico 15

ſemper *ratione applicationis*, quia alioquin potia cum ſit vnica, & defatigetur operando, non poteſt efficere ſimul tam intenſam viſionem duarum earum chartarum, quam ſi vnam tantum videret: at in noſtro caſu Sacramenta, quæ cauſatura ſunt gratiam, ſunt duo, ideoque optimè poteſt quodlibet tam multum cauſare ſub ea vnica diſpoſitione, quàm ſi efficeret ſub diſtincta. Hæc omnia haud dubiè efficiunt, vt dixi, maximè probabilem hanc ſententiam.

Concluditur probabilem eſſe hanc opinionem.

Difficulter tamen contra eam obiici poteſt; Nam homo ſi duobus inſtantibus, cum duobus actibus v. g. vt octo, accederet ad ea duo Sacramenta, duplo melius eſſet diſpoſitus ad illa, quam ſi vno actu vt octo ſimul vtrumque ſuſciperet, ergo non poteſt eo caſu recipere tam multum quàm ſi ſucceſſiuè cum duobus actibus accederet.

Obiectio ſoluitur à Suarez & Lugo.

Huic obiectioni reſpondet Suarius negando eum qui ſucceſſiuè accederet eſſe diſpoſitum meliùs, nam multitudo actuum eſt accidentalis, ſi cætera ſint paria. Cardinalis Lugo putat eo caſu de duobus inſtantibus plus gratiæ illum recepturum, quia cum maiori gratia habituali accederet; ab ea autem gratia maiori augetur diſpoſitio ad Sacramentum.

16 Vtriuſque ſolutio reiicitur.

Verùm nos ſuprà oſtendimus contrarium. 16

Nam Concilium, dum dixit per Sacramenta conferri plus iuxta cuiuſque meliorem diſpoſitionem, manifeſtè agebat de diſpoſitionibus quæ in actibus conſiſtunt. Vnde ex hoc capite ſubſiſtere poſſet Patris Suarij reſponſio. Quidquid verò ſit, an ex maiori gratia habituali ſuſcipientis plus gratiæ conferatur per Baptiſmum, ſolutio Suarij abſolutè omnino diſplicet, nam ea multitudo actuum in ordine ad Deum perinde auget, & intendit diſpoſitionem noſtram, ac ſi eſſet actus duplo intenſus, maximè in ſententia ponente gradus intenſionis homogeneos. Et in omni ſententia certum eſt, per eos duos actus

Digitized by Google

actus hominem cæteris paribus multò plus mereri quàm par vnicum ex illis. Confirmatur; Nam ſi illi duo eſſent ſimul in eo inſtanti quo recipitur vtrumque Sacramentum, haud dubiè plus gratiæ conferretur, quàm ſi vnus ſolus exiſteret; ergo ea multiplicatio non ſe habet per accidens in ordine ad augmentum hoc gratiæ.

Vera reſponſio. Reſponderi ergo poteſt in eo caſu, Hominem non futurum meliùs diſpoſitum ad vllum ex eis Sacramentis, eò quòd ſucceſſiuè ea ſuſcipiat quia eſto habeat plures diſpoſitiones in vno caſu quàm in altero, tamen e contrario in vno vna non valet, niſi pro vno Sacramento, & altera pro altero; ac proinde vtrumque Sacramentum non habet pro ſe niſi diſpoſitionem vt quatuor: in altero verò caſu vna eademque ita diſponit & concurrit cum vtroque Sacramento, ac ſi non concurreret niſi cum vno ſolo; vt in exemplis ſuprà poſitis deductum eſt, & adhuc exemplo morali oſtendi poteſt. *Simili declaratur.* Si enim ego domum honeſtiſſimè exorno, & ſimul ea die duos hoſpites excipio; profectò non poterunt dici minùs honeſtè excepti, eò quòd vna die vtrumque exceperim, quàm ſi duobus diebus eos excepiſſem ſub eodem ornatu domus, vna die vnum, & ſequenti alterum.

17 *Replica.* Replicabis tamen: Ea opera bona, ſeu illæ diſpoſitiones, concurrunt per modum meriti ad eam gratiam; quò autem in plura diſtrahuntur, eò habent minores vires; ergo plus operabitur illa diſpoſitio, ſi tota occupetur in vnum Sacramentum, quàm ſi in duo ſe diuidat. Vti famulus inſeruiens duobus dominis minùs poteſt cuilibet inſeruire, quàm ſi vni ſoli attenderet. *Solutio Cardinalis Lugo.* Reſpondet Cardinalis Lugo, Meritum condignum, quia requirit æqualitatem cum præmio, omnino minui eo ipſo quòd ad plura præmia applicetur; at meritum congruum non minui, quia non requirit niſi congruitatem, quam poteſt habere in ordine ad plura: vnde Deus liberè poteſt illud acceptare ad plures effectus gratiæ; quia licet ſit vnum meritum congruum, multiplicantur tamen actiones Sacramentales, quæ ſunt cauſa condigna gratiæ, & in ſe continent merita Chriſti. *Non ſatisfacit.* Hæc tamen ſolutio non videtur ſatisfacere: etenim ſicut meritum condignum requirit æqualitatem cum præmio, ita congruum requirit proportionem aliquam; certum eſt autem lumine naturæ, etiam ipſam proportionem minui, ſi comparetur cum pluribus & pluribus præmiis. Vnde contritio vt octo v. g. habet proportionem, vt de congruo mereatur octo aut decem gradus gratiæ; non habet autem vt mereatur infinitos; vel (ne faciamus quæſtionem de voce) illud ſaltem debet apud omnes eſſe certum, illam congruitatem, quam habet reſpectu decem, non habere reſpectu mille: vnde ad rem noſtram infero euidenter; Ergo ea attritio aut contritio, quæ cum ſumma congruitate, intra terminos loquor congruitatis, non complebat vnum Sacramentum niſi in ordine tantùm ad octo gradus, iam non habet tantam congruitatem, vt alterum Sacramentum ſimul compleat vt octo; vel, vt aliis terminis rem declarem, Sacramentum, quod adiutum ea contritione ſecundùm totam illius vim non poterat cauſare niſi octo gradus, profectò non poterit illos eoſdem cauſare, ſi adiuuetur eadem contritione exhauſta, vel tota quanta, vel certè maxima ex parte iuuando aliud Sacramentum.

18 *Res pendet à libera Dei acceptatione.* Quòd verò dicit Auctor, Deum poſſe illam acceptare de congruo ad plura præmia, eſt quidem veriſſimum; at ſimul veriſſimum eſt, quod poſſit etiam non acceptare: eſt Secundò veriſſimum, quòd iam ſit minor ratio, cur eam acceptet quàm anteà; nam efficaciter oſtendi illam congruitatem eſſe diminutam. Hoc poſito rogo, Vnde colligitur acceptari potius, quàm è contrario non acceptari, cùm ea de re nihil ſit reuelatum, neque ex reuelatis poſſit vel probabiliter inferri? Deinde rogo, Vnde colligitur Deum æquè acceptare ad illos octo gradus eam minorem congruitatem quàm de facto acceptet maiorem illam? vel aliis terminis, Cur non dicemus maiorem congruitatem acceptari ad maius præmium, & minorem ad minus? hoc enim videtur magis iuxta naturam rerum. *De qua nihil conſtat.* Quod denique dicebatur, Ideò acceptari ad illos octo gradus, quia multiplicantur actiones Sacramentales, in quibus ſunt merita Chriſti, quæ habent valorem ad omnia præmia, nequaquam ſatisfacit; quia licet Chriſti opera in Sacramentis contenta habeant infinitum valorem, noluit tamen ipſe Chriſtus ea acceptari ad gratiam vt octo, ſi adiungatur illi attritio vt duo, ſed requiſiuit pro ea intenſione attritionem vt quatuor: ergo ſi inueniat eam attritionem vt quatuor media ex parte aut certè ex integro iam occupatam alio Sacramento, ac proinde in genere moris perinde ac ſi non inueniret niſi attritionem vt duo, cur quæſo tunc acceptabit ſua merita ad tantam gratiam, ad quantam acceptaſſet, ſi integram & expeditam illam contritionem inueniſſet; profectò cùm ipſe ſuorum operum infinitum valorem coarctauerit exigendo noſtram cooperationem, videtur eo ipſo dicendum, ſi eandem noſtram cooperationem in ſe formaliter aut æquiualenter minorem inueniat, debere etiam minorem gratiam cauſare. Hinc autem reſpondetur ad inſtantias ſuprà allatas; nam ibi & gratia & approximatio ſunt puræ puræ conditiones, quæ nihil operantur, ideò non mirum ſi æqualiter poſſint deſeruire pro multis cauſis ac pro vna; at diſpoſitio per bona opera ſe habet per modum cauſæ meritoriæ; ac proinde quando occupatur promerendo cum vno Sacramento, non poteſt habere vim vt promereatur etiam ſimul cum altero.

19 Ex hac obiectione apparet quàm ſit dubia reſolutio huius difficultatis, maximè iuxta principia Cardinalis Lugo, qui vult illam diſpoſitionem, quæ cum Sacramento auget gratiam, eam augere impetrando eam gratiam; tunc enim videtur lumine naturæ notum, non poſſe vnum bonum opus, vt octo v. g. habere tantam vim ad impetrandos ſedecim gradus quàm ad impetrandos octo. Ego propter hoc argumentum ſatis propendeo in ſententiam contrariam, vel certè ad dicendum cum Patre Vaſquez, rem eſſe dubiam. *Vtraque ſententia & Suarez & Lugo reputatur probabilis.* Adhuc tamen poteſt ſuſtineri probabiliter ſententia Suarij & Lugo & ad vltimam hanc replicam reſponderi, reſpectu eius gratiæ, quæ datur ex opere operato per Sacramentum, non ſe habere eam diſpoſitionem tanquam meritũ, vel impetrationem; habent quidẽ ea opera ſuam impetrationem, & ſuam rationem congrui meriti, quam exercent reſpectu aliorum præmiorum: vel certè ſi homo ſit in gratia, habent rationem meriti etiam condigni, v. g. amor vt octo reſpectu gratiæ vt octo; at non exercent reſpectu Sacramenti vllam rationem meriti, ſed ſunt puræ

putæ

putæ conditiones; quatenus (vt dixi ſuprà) faciunt eam actionem Sacramenti reuerenter exercitam. Chriſtus enim Dominus, qui in danda gratia per Sacramenta potuit non attendere vllo prorſus modo ad maiorem aut minorem diſpoſitionem ſuſcipientium, ſed præciſè vt illi eſſent in gratia; vti de facto non attendit ad maiorem aut ad minorem ſanctitatem Miniſtri; voluit tamen plus dare, ſi à ſuſcipiente tractentur cum maiori reuerentia Sacramenta; v. g. ſi Sacramentum Baptiſmi tractetur cum reuerentia vt quatuor, dare gratiam v.g. vt octo: deinde ſi Sacramentum Pœnitentiæ tractetur cum reuerentia vt quatuor, dare gratiam vt decem: cumque in eo caſu veriſſimum ſit, quodlibet ex illis & vtrumque ſimul tractari cum reuerentia vt quatuor, eo ipſo vnum dabit gratiam vt octo, & alterum gratiam vt decem; quia ea diſpoſitio tam conſtituit formaliter reuerenter ſuſceptum vtrumque Sacramentum, quàm quodlibet ſeorſim. Et ſatis de hac quæſtione.

SECTIO II.

Tertium dubium, quomodo reuiuiſcant Sacramenta ad remiſſionem venialium?

Vaſquez ſententia negans.

20 TERTIA difficultas circa eam reuiuiſcentiam Sacramenti eſt, vtrùm etiam reuiuiſcat quoad remiſſionem peccatorum venialium? De hac quæſtione agit Pater Suarius diſput. 28. ſect. 4. Vaſquez diſput. 160. cap. 3. & Lugo diſput. 7. ſect. 3. Vaſquez quidem conſequenter ad ſuum modum diſcurrendi, quod ex Auguſtino ſolum inferatur aliquid circa remiſſionem originalis per Baptiſmum, omnino negat; quia non eſt vllum fundamentum ad id dicendum: duo alij citati affirmant; quibus etiam ſubſcribo. Ratio huius concluſionis eſt; nam licet Auguſtinus nihil in particulari dixerit de reuiuiſcentia in ordine ad remiſſionem venialium, id tamen videtur annexum alteri reuiuiſcentiæ; neque occurrit vlla difficultas, quæ in contrarium vrgeat. Quòd autem ſit annexum, patet; nam ſi Baptiſmus habet vim ad remittenda mortalia quando datur attritio, à fortiori habebit ad venialia: etenim minus multò ad hoc requiritur.

Suarez & Lugo ſententia affirmans probabilior reputatur: Probatur ex S. Auguſtini mente.

Obiectio;

Dices, Mortalia ideò remitti, quia ea remiſſio eſt neceſſaria ad ſalutem; venialium autem non: deinde mortalia remittuntur per gratiam quam cauſat Baptiſmus; at venialia, cùm non ſint contraria gratiæ, non poſſunt per illam remitti. Reſpondeo ad Primum, Baptiſmum non reuiuiſcere ea de cauſa præciſè, quòd remiſſio mortalium ſit neceſſaria ad ſalutem; nam ad hoc ſuffeciſſet contritio vel Sacramentum Pœnitentiæ, quando poſtea auffertur obex. Reſpondeo Secundò: Eſto quaſi motiuum primarium, cur Deus voluerit reuiuiſcere Baptiſmum, ſit auferre dignitatem pœnæ æternæ; non tamen ideò negandum illi hunc alterum effectum: id quod meo iudicio euidenter oſtenditur in ipſo Baptiſmo ritè & dignè ſuſcepto; nam quòd ille tunc remittat etiam venialia, ſi adſit de illis dolor, nemo dubitat; & tamen ea remiſſio non eſt neceſſaria ad ſalutem: ergo vti in prima ſui productione ea remittit, poterit etiam in ſecunda, ſeu quando reuiuiſcit; quia debet tunc haud dubiè eoſdem effectus producere quos primò. Tertiò (& hæc ſit noua confirmatio noſtræ ſententiæ) nam Baptiſmus habet vim remittendi pœnas debitas pro venialibus, etiamſi adultus non habeat tunc illorum dolorem: ſi enim immediatè poſt moriatur homo, ad cælum ibit rectà: ergo Baptiſmus, poſita deinde in primo inſtanti mortis contritione de eis venialibus, remittit totam pœnam eis debitam; eam autem non remiſerat ante poſitionem eius doloris, ſed erat ſuſpenſus ille effectus quouſque poneretur dolor: vnde infertur, Ergo etiam reſpectu venialium reuiuiſcit quoad remiſſionem pœnæ, ergo etiam reuiuiſcet quoad culpam: quia primariò ordinantur Sacramenta ad remiſſionem culparum, deinde ad remiſſionem pœnæ.

S[o]luitur Primò;

Secundò;

Tertiò, & noſtra ſententia firmatur.

Obiectionis pars altera expeditur.

21 Quod dicebatur Secundò, venialia remitti non poſſe per gratiam, quia non ſunt ei contraria, habet eamdem difficultatem quando Baptiſmus ſuſcipitur rectè, nam tunc remittit venialia: vel ergo id facit per gratiam: & idem dicam quando reſurgit: vel id facit quaſi immediatè: & hoc ipſum ego dicam, quando ponitur conditio ſufficiens ad eorum remiſſionem cum Sacramento.

Obiectio tertia.

Obiicies Tertiò: Conditio ad deletionem venialium debet eſſe ſupernaturalis deteſtatio illorum: hæc autem per ſe delet ea venialia, ergo gratis recurrimus ad Baptiſmum, & hinc poteſt etiam aſſignari differentia tum in ordine ad mortalia, tum ad ea quæ commiſſa ſunt ante Baptiſmum ſuſceptum: nam mortalia non poſſunt deleri per ſolam attritionem, ideòque neceſſarium eſt ei accedat Baptiſmus: pro venialibus verò, vt dixi, ſola attritio ſufficit. Item differentia quoad venialia præcedentia facilis eſt; nam etiamſi homo exiſtens in mortali ante Baptiſmum habeat attritionem de venialibus & de mortali, non tamen obtinebit remiſſionem illorum, niſi accedat Sacramentum: ergo tunc rectè remittuntur per Baptiſmum ea iam commiſſa venialia. At poſtquam homo eſt in gratia delentur venialia per attritionem ipſam, ergo non eſt neceſſaria vis Baptiſmi, imò cùm ſupponat ea remiſſa, non poterit quidquam efficere. Reſpondeo facilè, Primò, difficultatem eſſe communem, quomodo per reliqua Sacramenta viuorum, quæ iam ſupponunt hominem in gratia, remittantur venialia, quandoquidem debet tunc aliqua diſpoſitio ſupernaturalis præcedere: hæc autem ſola videtur habere vim ad eam remiſſionem, quod ibi dixerimus, habebit etiam hic locum. Secundò reſpondeo, Ex eadem hac replica oſtendi poſſe noſtram concluſionem, nam ſi quis, dum ſuſcipit Baptiſmum, non doleat nec de venialibus, nec de mortalibus, profectò nulla ei remittentur, habeat deinde attritionem de mortalibus, reuiuiſcet Baptiſmus ad mortalium remiſſionem, non tamen ad venialium: quòd ſi haberet indiuiſibiliter attritionem de omnibus mortalibus & venialibus, tunc illa attritio, quia eſſet habita priùs natura quam Baptiſmus, cauſaret gratiam, ac proinde non procedebat ab homine iuſto, non poſſet dici habuiſſe vim ſe ſola ad remiſſionem venialium, ergo debemus tribuere eam vim baptiſmo. Ne autem dicas eam attritionem, quia eodem inſtanti reali informatur gratia, licet poſteriùs natura, eſſe ſufficientem vt per ſe remittat venialia.

Satisfit obiectioni Primò:

Satisfit Secundò: & firmatur concluſio.

22 Ponamus caſum, quo ille elicuerit priùs tempore attritionem ſupernaturalem de venialibus,

Digitized by Google

libus, & immediatè poſt de mortalibus, ita vt exiſtat moraliter tantùm illo inſtanti attritio venialium; profectò cum ea non informetur gratia, non poterit ſola delere venialia; ergo debent tunc deleri per Baptiſmum reuiuiſcentem, etiam iuxta obiectionem cui reſpondeo. Abſolutè verò dico, vel ſolam attritionem venialium etiam in gratia factam non ſufficere ad remiſſionem venialium, vel ſolùm concurrere de congruo, per Sacramentum autem etiam de condigno remitti; vel denique ſi ante Baptiſmum non habuit homo poſitiuam complacentiam in illis venialibus, eſto non habuerit dolorem poſitiuum, nihilominus ea venialia delenda cùm primùm poſuerit attritionem de mortalibus, eſto nullam ponat in particulari de venialibus; quia Sacramenta (vt alibi inſinuaui) probabiliter remittunt venialia, etiam de quibus homo non habet dolorem, dummodò in illis non habeat actualem vel habitualem complacentiam. De quo puncto fuſiùs dum egi, Quomodo in omni caſu remittantur venialia.

Obiectio vltima.

Obiicies vltimò: Si Baptiſmus remittit venialia, ergo debet pro eo effectu gratiam aliquam producere; vnde fieret vt poſſet bis reuiuiſcere ad productionem gratiæ, ſemel per attritionem de mortalibus, & ſemel deinde per attritionem de venialibus. Reſpondeo negando eas duas productiones gratiæ à Baptiſmo, nam licet ipſa attritio de venialibus ſecundo loco habita, quia eſt actus ſupernaturalis hominis iam in gratia exiſtentis, aliquod mereatur augmentum gratiæ; illud tamen non producitur à Baptiſmo, qui iam ſemel cauſauit gratiam totam quam poterat dum reuiuiſceret, amittit igitur immediatè venialia per ſeipſum cum ea attritione. Quæ de Baptiſmo dixi, intelligenda ſunt de cæteris Sacramentis ſuo modo, ſi dicamus ea reuiuiſcere, & habere vim remittendi venialia ante ſe commiſſa.

23 *Quid in particulari ſentiendum de Sacramento Pœnitentiæ.*

Excipiendum tamen videtur Sacramentum Pœnitentiæ; nam ſi homo non eſt confeſſus venialia, vel non habuit de illis dolorem, perinde ea venialia fuere extra actiuitatem eius Sacramenti, ac ſi nullum Sacramentum Pœnitentiæ præceſſiſſet; ac proinde non poſſunt per illud reuiuiſcens deleri. In quo puncto ea eſt conſideranda differentia inter Sacramentum Pœnitentiæ & alia Sacramenta, quòd alia omnino ſint abſoluta in ſe; & ſi ſemel ſint valida, habent omnem extenſionem, quam poſſunt habere; at pœnitentia reſpectu venialium eſt Sacramentum quaſi reſpectiuum; ſolùm enim eſt reſpectu illorum quæ homo confitetur, ac de quibus dolet; reſpectu aliorum verò quæ reticet, non ſolùm non eſt Sacramentum fructuoſum, ſed nec eſt propriè Sacramentum validum.

Differentia inter Sacramentum Pœnitentiæ & alia Sacramenta quoad hoc punctum.

Differentia hæc declaratur à priori, ex eo quòd in aliis Sacramentis materia & forma ſunt res abſolutè in ſe, *ablutio*, verba, *Ego te baptizo*, &c. Et idem de aliis ſua proportione dicendum. At materia pœnitentiæ poteſt eſſe maior & minor iuxta maiorem aut minorem numerum peccatorum venialium de quibus homo dolet, & quæ ſaltem implicitè confitetur: vnde fit, vt ſi aliqua, in quibus habet homo actualem complacentiam, non confitetur, nec de illis dolet, eo ipſo nullum planè reſpectu eorum recipiat Sacramentum, magis quàm ſi omninò non fuiſſet confeſſus, ac proinde non poſſit reſpectu talium redire deinde illa confeſſio; ideóque aliter debeant remitti, etiamſi fuiſſent commiſſa antequam illud Sacramentum eſſet ſuſceptum: Baptiſmus autem, Extrema Vnctio, Euchariſtia, omnia denique alia non ſunt Sacramenta reſpectiua ad peccata, ſed ad ſuas alias materias, ſub quibus, ſi ſemel ſunt valida, comprehendunt quantum eſt ex illorum parte, omnia peccata ante commiſſa; vnde, poſitâ deinde attritione de his, poſſunt reuiuiſcere ad eorum remiſſionem; pœnitentia verò nequaquam, quia ſola attritio ſine confeſſione ſaltem implicita, qualis ibi non præceſſit, non includit venialia ſub eo Sacramento. Et de hoc puncto ſatis.

SECTIO III.

Quartum dubium, quæ diſpoſitio requiratur pro reuiuiſcentia Sacramenti?

24 *De eo qui ſuſcipiens Baptiſmum habet venialia.*

PRo quo ſupponendum eſt, ſi quis, dum ſuſcepit Baptiſmum, eſto fuerit adultus, non habuit vllum actuale mortale, ſed venialia tantum, eum recepturum gratiam, eſto nullam habeat attritionem; quia de originali non eſt neceſſaria vlla propria contritio, vel attritio, cùm non ſit propria voluntate commiſſum; ac proinde in tali non eſſe vllam reuiuiſcentiam, quia nec fuit, vt ſic dicam, vlla mors Baptiſmi quoad habitualem gratiam; quoad venialia verò, de quibus non doluit, debebit habere deinde dolorem eo modo quo dicemus de mortalibus ante Baptiſmum commiſſis.

De duplici fictione.

Secundò ſupponendum, dupliciter intelligi fictionem interuenire; Primò per peccata mortalia ante Baptiſmum commiſſa, & tunc non retractata per attritionem, aut contritionem: Secundò per commiſſa in ipſa actuali ſuſceptione Baptiſmi, quia indignè & peccaminosè illum ſuſcepit.

Circa primum autem modum ruſus oportet aduertere, vel poſſe eam fictionem negatiuam, id eſt, eum defectum doloris, ita contingere, vt nullum nouum mortale ſecutum ſit antequam reuiuiſcat Baptiſmus, vel ita, vt ſecutum fuerit aliquid mortale. Hoc poſito; 25

Concluſio, ſuſcipienti Baptiſmum in peccato mortali ſufficit ad reuiuiſcentiam attritio, ſi peccatum ante Baptiſmum ſit commiſſum.

Dicimus, Si primo modo res eueniat, tunc per ſolam attritionem deinde ſecutam fore vt reuiuiſcat Baptiſmus. Ratio à priori, quia per id tollitur formaliter, fictio; quod præcisè anteà deſiderabatur; atqui ſola attritio anteà deſiderabatur: ergo per illam ſolam tollitur fictio.

Dixi, Si poſteà non ſit commiſſum aliud peccatum mortale; quia Sacramenta, vt ex omnium ſententia conſtat, nec per accidens ſunt inſtituta ad remittenda peccata commiſſa poſt ſuſceptionem ipſorum Sacramentorum: ſolùm enim ſunt præteritorum curatiua, futurorum autem præſeruatiua. Vnde ſi poſt Baptiſmum fictum aliquod mortale commiſſum ſit, iam non ſufficit ſolus Baptiſmus ad remiſſionem illius, ac proinde etiamſi in ſuſceptione Baptiſmi ſola defuerit attritio; non ſufficit poſteà eam habere; ſed requiritur neceſſariò adhibere aliud remedium ſufficiens pro peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, quale eſt vel contritio vel attritio ſimul cum Pœnitentiæ Sacramento.

26 *An peccatum commiſſum in ipſo Baptiſmo ſit*

Maior eſt difficultas in ipſo peccato fictionis v.g. in ipſa iniqua voluntate irreuerenter ſuſcipiendi Baptiſmum, cum enim hoc peccatum non ſit poſterius Baptiſmo, videtur eſſe per ſe ab

Digitized by Google

prius vel poſterius ipſo.

ab illo remiſſibile, & conſequenter poſita poſteà ſola attritione illud remittendum ſimul cum aliis præcedentibus. Reſpondent nonnulli, Peccatum fictionis eſſe poſterius ratione ipſo Baptiſmo, quia Baptiſmus poteſt concipi ſine illo peccato, peccatum autem fictionis non poteſt concipi ſine Baptiſmo. Hæc tamen ratio nullius eſt momenti, imò ex illa poſſet inferri, effectum eſſe priùs ratione quàm ſit hæc actio, quia effectus poteſt concipi ſine hac actione numero; hæc autem numero actio non poteſt concipi ſine hoc numero effectu. Deinde etiam furtum externum eſſet prius ratione quam voluntas furandi, à qua oritur, quia voluntas non poteſt intelligi ſine furto, id eſt, ſine externa rei acceptione, acceptio autem externa poteſt concipi ſine illa voluntate iniqua furandi, quatenus vel inaduertenter, vel ex bona fide poteſt quis rem alienam accipere. Ratio à priori contra hanc doctrinam ea eſt, quià prioritas naturæ non ſemper deſumitur ex noſtro modo concipiendi, ſed ex cauſalitate, cùm ergo voluntas fictè ſuſcipiendi Baptiſmum ſit cauſa ipſius ſuſceptionis Baptiſmi, & non è contrario, inde euidenter infertur, Voluntatem ſuſcipiendi eſſe priorem natura ipſo Baptiſmo, & hunc poſteriorem. Sed licet concederemus hanc prioritatem rationis, quis dicet, Tridentinum, quando docet peccata poſt Baptiſmum commiſſa pertinere ad pœnitentiam, loqui de hac prioritate & poſterioritate rationis, de qua fortè Concilio nec in mentem venit, nec illi poterat conſtare Chriſtum in inſtitutione huius Sacramenti de hac prioritate rationis fuiſſe ſollicitum?

Sententia aſſerentium eſſe poſterius refutatur.

27 Dicendum ergo eſt, fictionem eam dupliciter poſſe contingere, vel ita vt fuerit realiter in tépore aut inſtanti ante ſuſceptionem ipſius Baptiſmi: quando verò ſuſcipitur Baptiſmus, iam omnino ceſſauerit, nec fuerit cauſa ſuſceptionis fictæ, ſed poſteà ex inaduertentia homo ſuſceperit fictè Baptiſmum, id eſt ſine requiſito dolore: & in hoc caſu omnino certùm iudico, illam fictionem à ſolo Baptiſmo cum attritione ſuperueniente poſſe remitti, id quod probo efficaciter: Nam ſi, quando ille homo acceſſit ad Baptiſmum, recordatus fuiſſet, ſe anteà habuiſſe voluntatem fictè illum ſuſcipiendi, non fuiſſet obligatus tunc, vt dignè illum reciperet, habere contritionem de tali voluntate præcedente, ſed ſufficiſſet attritio; ergo talis fictio præcedens per ſe cadit ſub virtutem Baptiſmi; ergo poſita poſteà ſola attritione remittetur talis fictio. Aliter igitur poteſt fictio contingere, ita vt duret in ipſa actuali ſuſceptione; & tunc licet non ſit poſterior Baptiſmo, quia tamen ſimul eſt cum illo, non poteſt ab ipſo remitti: id quod colligo ratione a Tridentino allata, vt oſtendat, cur peccata ante Baptiſmum non remittantur per Pœnitentiæ Sacramentum; ea autem eſt, quia talia peccata non ſunt commiſſa ab homine Eccleſiæ clauibus ſubiecto; his enim ſubiicitur per Baptiſmum. Ex hac ratione ſic probo meam ſententiam: Prædictum peccatum fictionis commiſſum in inſtanti reali, in quo ſuſcipitur Baptiſmus, fit ab homine ſubiecto clauibus Eccleſiæ; ergo pertinet illud peccatum ad pœnitentiam, non ad Baptiſmum. Conſequentia eſt bona ex Concilio; antecedens autem probo, quia in inſtanti reali, in quo quis baptizatur, eſt etiam ſubiectus Eccleſiæ, quia in eo inſtanti accipit characterem, & fit Chriſtianus; ergo peccatum ab ipſo commiſſum non eſt extra claues Eccleſiæ; ergo non poterit per ſolam attritionem ſimul cum Baptiſmo reuiuiſcente poſteà remitti, ſicut nec alia peccata commiſſa poſt Baptiſmum.

Fictio illa dupliciter poteſt contingere.

Fictio durans in Baptiſmo non poteſt ab illo remitti.

Probatur ex Concilio Tridentino.

Ex dictis conſtat, idem etiam dicendum conſequenter de aliis peccatis diſparatis commiſſis in eodem inſtanti, quo ſuſcipitur Baptiſmus: quod eſt contra Suarium diſput. 128. ſect. 5. conc. 3. aſſignantem differentiam inter fictionem & alia peccata, quòd fictio directè pugnet cum effectu Baptiſmi, cætera verò non; in quo tamen non loquitur conſequenter, quia fictio non pugnat aliter cum effectu Baptiſmi, niſi quia durat in inſtanti quo Baptiſmus ſuſcipitur, propter rationem a nobis datam ex Tridentino. Et ita ipſe Suarius paulò antè dixerat, & rectè, ſi fictio ceſſaſſet ante vltimum inſtans Baptiſmi, poſſe ab ipſo Baptiſmo per ſolam attritionem poſteà remitti; ergo ſi durans fictio in vltimo inſtanti (iuxta ipſum) opponitur effectui Baptiſmi, ideò eſt præciſè, quia coëxiſtit Baptiſmo, & conſequenter eſt peccatum hominis ſubiecti Eccleſiæ: hoc autem habent æquè alia peccata diſparata; ergo idem eſt de aliis dicendum. Et hæc eſt ſententia Scoti in 4 diſtinct. 6. quæſt. 7. artic. vltimo, & Coninck quæſt. 67. art. 1. dub. 6. num. 96. Adde, quod dixit Suarius, ideò fictionem non remitti per Baptiſmum, quia pugnat cum effectu Baptiſmi; alia verò diſparata non pugnare, nimiùm probare, ſcilicet in ipſa actuali ſuſceptione Baptiſmi ea alia remittenda: ſi enim non pugnant cum effectu Baptiſmi, ergo hic cauſabitur tunc; ergo producetur gratia, & remittentur ſimul omnia peccata quæ tunc ſunt: id quod in terminis implicat; ſi enim in eo inſtanti committitur peccatum, ergo exiſtit in eo; ergo in eo non poteſt remitti. 28

Refutatur ſententia Suarez de aliis peccatis diſparatis.

Quod vt meliùs intelligas aduerte, licet illud peccatum, quòd propriè dicitur poſitiua fictio, & conſiſtit in voluntate iniquè ſuſcipiendi Sacramentum, videatur directè eſſe in contemptum Baptiſmi, quatenus homo per illud non vult adhibere diſpoſitionem, quam iudicat requiri pro Baptiſmo (id quod non habent cætera peccata) nihilominùs tamen non pugnare cum effectu Baptiſmi ex eo capite, ſed quia & impedit attritionem requiſitam ad gratiam, & ſimul in eo inſtanti nouum ponit peccatum; hoc autem habent cætera peccata; nam qui in eo inſtanti habet voluntatem peccandi, non atteritur ſufficienter de præcedentibus, & inſuper nouum ponit impedimentum tunc gratiæ; ergo pugnat cum effectu Baptiſmi; ergo remiſſio eius poſteà non pertinet ad Baptiſmum, ſed ad pœnitentiam. 29

Inſinuauimus hucuſque pro peccatis pòſt cõmiſſis eſſe neceſſariam contritionem, aut cum Sacramento Pœnitentiæ attritionem; in hoc autem ipſo videtur eſſe grauis difficultas. Nam Sacramentum Pœnitentiæ remittit indirectè omnia peccata, etiam quæ non ſunt in confeſſione manifeſtata, dummodò ſit attritio vniuerſalis quæ illa complectatur; ergo eodem modo Baptiſmus, qui ad cauſandam gratiam non requirit niſi attritionem, poterit, quando reuiuiſcit, remittere etiam mortalia poſt ipſum admiſſa, dummodò adſit attritio de illis. Confirmatur & declaratur obiectio: Ideò Pœnitentiæ Sacramentum remittit mortalia etiam non ſub-

Quid dicendũ ſit de peccatis poſt Baptiſmum fictè ſuſceptum cõmiſſis.

iecta in confeſſione, quia habet vim producendi gratiam; quæ gratia omnia tollit peccata: atqui Baptiſmus etiam habet vim cum attritione producendi gratiam: ergo etiam remittet per accidens omnia commiſſa poſt ſe, dummodò adſit attritio de illis.

Paludanus quid ſentiat, & alij.

Hoc argumento fortaſſe moti ſunt illi, qui cum Paludano in 4. diſtinct. 4. quæſt. 5. num. 24. dicunt ſufficere attritionem vniuerſalem: id quod probabile dicit Suarez diſput. 28. ſect. 5. licet contrarium iudicet probabilius; vbi, vt obiectioni reſpondeat, Primò videtur dubitare de veritate antecedentis: meritò tamen miratur Cardinalis Lugo hanc dubitationem, cùm Tridentinum expreſſè definiat intelligi incluſa in confeſſione illa etiam peccata, quæ poſt diligentem diſcuſſionem non occurrunt; & alibi doceat attritionem intra Sacramentum Pœnitentiæ iuſtificare. Non eſt ergo de eo antecedente dubitandum, ſed quærenda diſparitas aliqua.

Nullum Sacramentum delet peccatū pòſt commiſſum.

30 Igitur ex dictis paulò antè reſpondeo, Nullum Sacramentum habere vim ad delenda peccata commiſſa poſt ipſum; vnde apparet diſparitas inter pœnitentiam quoad remiſſionem eorum quæ homo per obliuionem non dixit, quia illa ſunt commiſſa ante ipſum Pœnitentiæ Sacramentum: quid ergo mirum, ſi cum eo dolore attritionis ſe extendente vniuerſaliter ad illa poſſint deleri? at ea peccata (de quibus nunc diſputamus) iam ſupponunt præteriiſſe Baptiſmum; ergo per illum non poſſunt deleri.

Obiectioni reſpondetur.

Dices; Etſi præceſſerint Baptiſmum quoad rem, non tamen quoad operationem; ergo adhuc hic poterit illa remittere. Reſpondeo, Eo ipſo quòd Sacramenta non habeant vim remittendi peccata ſe poſteriora, non poſſe illa reuiuiſcere, quouſque peccatum illud poſterius ſit ſufficienter retractatum vel per attritionem vel per contritionem intra Sacramentum Pœnitentiæ. Habet autem hæc ſolutio optimam inſtantiam in ſententia docente, Sacramentum Euchariſtiæ (& idem de aliis) poſſe aliquando cauſare primam gratiam, ſi homo putans ſe eſſe contritum non ſit niſi attritus: ea enim ſententia poſita Euchariſtia delet peccata præcedentia; non tamen poteſt eadem Euchariſtia peccatum commiſſum poſt ſe, etiam infructuosè ſumpta, per ſolam attritionem delere, vt tunc redeat effectus Euchariſtiæ; ſed debet eſſe contritio vel attritio intra pœnitentiam; ſi tamen commiſſum fuiſſet illud ante Euchariſtam, etiam fuiſſet cum illa ipſa attritione deletum.

Inſtantiæ reſpondet Cardinalis Lugo.

31 Cardinalis Lugo vt huic obiectioni ſatisfaciat, multa dicit, oſtendendo pœnitentiam inutilem nobis futuram, ſi non haberet eam vim remittendi ea peccata quorum ſumus obliti; quia alioquin deberemus ad contritionem neceſſariò refugere, cùm paſſim obliuiſcamur peccatorum; at in Baptiſmo ait non fuiſſe eam neceſſitatem.

Ex reſponſione Cardinalis Lugo nō ſatis apparet diſparitas.

Ego tamen puto hinc non poſſe ſumi vllam diſparitatem; nam Sacramentum Pœnitentiæ eſſet nobis adhuc vtiliſſimum, eſto eam vim indirectam non haberet; quia etiamſi re ipſa multi obliuiſcantur ſæpè peccatorum, multi tamen alij non obliuiſcuntur, maximè cùm frequenter confitentur, & habent conſcientiam teneram: hi enim facillimè omnium mortalium recordantur: deinde eſto expreſſè non recordarentur, qui tamen diceret, Accuſo me etiam de his quæ inculpabiliter obliuiſcor; profectò iam ſe de illis ſaltem in confuſo accuſaret; & tunc poſſent remitti, eſto, quando neque eo modo ſe accuſaret, non remitterentur; ergo adhuc non aſſignatur ſufficiens diſparitas ex inutilitate confeſſionis. Standum ergo eſt ei ſolutioni quam nos poſuimus, & quam etiam tandem inſinuat ipſe Auctor explicans, Cur Deus non acceptet Sacramenta ad delenda peccata poſt ipſa commiſſa.

Obiectio.

32 Vltimò obiicies; Si ad hoc, vt Baptiſmus in aliquibus caſibus reuiuiſcat, eſt neceſſaria contritio per modum diſpoſitionis, iam eo ipſo ſequeretur per illum tunc non tolli originale, quia iam hoc ſupponetur ablatum per ipſam contritionem; vnde vlteriùs per hanc doctrinam deſtruemus fundamentum Auguſtini ad adſtruendam reuiuiſcentiam Baptiſmi, vt ſcilicet remittatur originale.

Reſpondetur obiectioni Primò.

Reſpondeo in primis negata conſequentia; nos enim ſuprà non fundauimus concluſionem cum aliquibus Recentioribus in eo, quòd Tridentinum videatur docere, originale non remitti niſi per Baptiſmum, hoc enim argumentum potiùs ſuprà reiectum eſt; ſed noſtram ſententiam auctoritate communi Scholaſticorum & Diui Auguſtini firmauimus. Diuus autem Auguſtinus non dixit recedente fictione remitti per Baptiſmum originale, ſed Baptiſmum poſteà prodeſſe ad ſalutem. Quæ doctrina vera eſt, etſi priùs natura alio modo remitteretur originale, ſi tamen Baptiſmus ſaltem augeret gratiam; quæ eſt magna vtilitas ad ſalutem; ergo etiam conceſſo antecedente ſtat adhuc noſtra concluſio.

Secundò, in caſu quo ſit fictio negatiua.

Reſpondeo Secundò, Si fictio tantùm fuit carentia attritionis, ſeu negatiua, (vt ſolet dici) tunc facilè apparere non eſſe idem, poſteà tollere illam fictionem, & cauſare gratiam: illa enim fictio tollitur per ſolam attritionem, vt diximus, attritio autem ſola non cauſat gratiam quando fit à peccatore, ergo in prædicto caſu oportet vt Baptiſmus etiam primam gratiam cauſet, & conſequenter remittat originale.

Quid dicendum, ſi fictio ſit poſitiua.

33 Difficultas eſt, caſu quo fictio fuerit poſitiua, ſeu per actum in ſuſceptione commiſſam: hoc enim debet tolli antequam Baptiſmus operetur: non poteſt autem tolli niſi per gratiam, ergo Baptiſmus non cauſat tunc gratiam, nec remittit originale. Propter hæc quidam arbitrantur priùs natura conferri gratiam propter pœnitentiam quàm propter Baptiſmum, primos v. g. quatuor gradus cauſari à pœnitentia, reliquos à Baptiſmo.

Probabilius tamen iudico omnes gradus cauſari tam à Baptiſmo quàm à pœnitentia, nam in eo priori, in quo intelligitur contritio aut attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, etiam antequam intelligatur gratia collata, intelligitur ſufficienter ablata fictio, vt poſſit Baptiſmus cauſare gratiam. Nam ſufficienter intelligitur ablatum impedimentum peccati, quando hoc intelligitur ita retractatum, vt proxima ſit capacitas ad infundendam gratiam, imò & neceſſitas quædam eius infuſionis. Vnde ad obiectionem dico, Peccatum præcedens non eſſe obicem ad cauſationem gratiæ, niſi quatenus propter illud non intelligitur ſubiectum proximè capax gratiæ; vnde cùm in eo priori iam intelligatur proxima capacitas, etiam antequam remittatur peccatum, etiam in eo priori intelligetur Baptiſmus potens cauſare gratiam.

34 Confirmatur ex doctrina alioquin probabili

quòd

Digitized by Google

quòd omnia Sacramenta (etiam quæ dicuntur viuorum, quia per ſe ſupponunt hominem eſſe in gratia) cauſent primam gratiam aliquando, quando ſcilicet quis putans ſe eſſe contritum, re tamen vera ſolùm attritus accedit ad ea. Inde infero, Ergo à fortiori Baptiſmus, qui eſt Sacramentum mortuorum, habebit cum contritione ſufficientem diſpoſitionem, vt poſſit cauſare gratiam primam, & remittere originale, & peccatum ſubſequens Baptiſmus, de quo eſt ea contritio.

Replica diſſoluitur.

Replicabis, Ergo ſi defectus diſpoſitionis non aliunde prouenit quàm ex eo, quòd non ſit retractatum peccatum, non autem ex macula ipſius peccati, ſequeretur poſita ſola attritione ſufficienter ſubiectum eſſe diſpoſitum vt cauſetur gratia; hoc autem eſt abſurdum, quia peccatũ commiſſum poſt Baptiſmum non poteſt remitti niſi vel per contritionem, vel per attritionem intra pœnitentiam. Reſpondeo negando ſequelam; nam attritio extra Sacramentum non ſolùm non eſt actualis remiſſio mortalis, ſed nec proxima diſpoſitio ad eam remiſſionem; & (vt me accommodem terminis obiectionis) dico illam extra Sacramentum non eſſe ſufficientem retractationem mortalis; quid ergo mirum ſi Baptiſmus (qui, vt ſuprà dixi, non eſt remiſſiuus peccati poſt ſe cõmiſſi) non poſſit tunc illud peccatum remittere; quandoquidem ſolus non poteſt, & aliunde non iuuatur à cauſa remiſſiua eius peccati: id quod aliter contingit, quando vel eſt contritio, vel attritio intra Sacramentum.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De aliis effectibus Sacramentorum.

SECTIO I.

An omnia Sacramenta poſſint cauſare primam gratiam?

SVBSECTIO I.

Quædam ſupponuntur; & duæ extremæ ſententiæ proponuntur.

1 SACRAMENTA ex ſe poſſe cauſare gratiam ſiue primam ſiue ſecundam probatum eſt hucuſque, iam verò occurrit ſpecialis difficultas circa primam gratiã, vtrùm ea ab omnibus cauſari queat. Quæ diſputatio aliis terminis ſolet proponi, qualis ſcilicet diſpoſitio requiratur ex parte ſuſcipientis, vt omnia Sacramenta cauſent gratiam.

Sacramenta viuorum & mortuorum quæ.

Pro intelligentia Primò ſupponenda eſt diſtinctio communis Sacramentorum in Sacramenta viuorum & Sacramenta mortuorum: viuorum illa dicuntur, quæ non ſunt per ſe inſtituta ad remittendum peccatum mortale, & cauſandam vitam ſpiritualem, ſed præcisè ad augendam eam vitam quam inueniunt in ſuſcipiente; ſunt autem hæc, Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Extrema Vnctio, Matrimonium; mortuorum verò dicuntur, quæ ordinantur ad remittenda peccata & cauſandam vitam ſpiritualem, ſupponuntque per ſe hominem Deo mortuum, ſeu in peccato graui, aut mortali, aut originali; vt Baptiſmus & Pœnitentia. Hæc duo cauſare poſſe primam gratiam eſt extra controuerſiam: difficultas ergo eſt de aliis quinque, an poſſint in aliquo caſu illam conferre.

Diſpoſitio neceſſaria ad ſuſcipienda Sacramenta.

Supponendum eſt Secundò, non deleri peccata de facto extra aut intra Sacramentum ſine aliqua diſpoſitione ſuſcipientis (loquor de adultis) quæ, vt minimùm debet eſſe attritio ſupernaturalis: quod videtur in Tridentino definitum Seſſ.14. cap. 4. vbi hæc habentur: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis motus neceſſarius*: loquitur autem de contritione non prout diſtincta ab attritione, ſed prout quid commune eſt attritioni & rigoroſæ contritioni, vt ipſum ſe explicat. Quòd autem hic dolor debeat eſſe ſupernaturalis vt ſic proportionatus cum gratia obtinenda, ſuppono ex materia de Gratia.

2 Hinc colligitur, ſi quis exiſtat in mortali, & inuincibiliter id ignoret, ideoque nullam habeat contritionem, aut attritionem, vel ſi habet, ſolùm ſit naturalis, non accepturum gratiam vllam à Sacramento non ſolùm viuorum, ſed nec mortuorum, quia deeſt illi diſpoſitio requiſita; etiamſi, quia id ignorat, ille defectus diſpoſitionis non imputetur ipſi ad nouam culpam.

Proponitur ſtatus quæſtionis.

Caſus ergo præſentis difficultatis eſt, An ſi quis accedat ad ſacram Euchariſtiam, v. g. putans ſe nullum habere mortale; quod tamen reuerà habet; & ſimul cum attritione ſupernaturali de omnibus peccatis commiſſis in communi; vbi iam includitur etiam illud, cuius non recordatur; an talis accipiat tunc gratiam ab Euchariſtia, ac proinde primam, quia nullam (vt ſuppono) habebat.

Negatiua quorumdam ſententia.

Negat Pater Vaſquez diſp. 205. pro ſe citans Bonauenturam, Alexandrum, Gabrielem & Gerſonem; quorum duo primi magis propendent in contrarium: eandem tenet de Euchariſtia Gaſpar Hurtadus diſput.8. de Euchariſtia, difficult.8. & Cardinalis Lugo diſp. 12. ſect.2. Vnicum eius ſententiæ fundamentum, quia nihil de Sacramentis affirmare debemus, quod ex Scriptura, Conciliis aut Patribus non colligatur; at Sacramenta viuorum cauſare primam gratiam non poteſt ex his colligi; ergo id non eſt aſſerendum.

Ratio pro hac ſententia.

3 Hoc argumentum ſolet aliis terminis proponi, vt de Sacramentis nihil penitus dicamus, niſi quod ex inſtitutione ipſorum colligi poteſt. Atqui ex inſtitutione Sacramentorum, quæ dicuntur viuorum, nihil penitus colligitur de cauſatione primæ gratiæ; quia ea eſſe inſtituta ad augendam gratiam, nequaquam infert eſſe etiam inſtituta ad gratiam primam & remiſſionem mortalium cauſandam; ergo non debemus id eis tribuere. In ſpecie autem quoad Euchariſtiam mouentur, quia hoc Sacramentum eſt cibus; cibus autem nihil prodeſt mortuis; ergo. Confirmant ex Catechiſmo Pij V. vbi hæc habentur: *Verùm quod dicitur, Euchariſtiâ gratiam tribui, paſtores admoneant oportet, ita intelligendum non eſſe, perinde ac neceſſe non*

ſit, vt qui re ipſa hoc Sacramentum vtiliter percepturus eſt, gratiam antea adeptus fuerit; conſtat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam animæ, quæ ſpiritu non viuit, ſacra myſteria non prodeſſe; ac propterea panis & vini ſpeciem habent, vt ſignificetur non quidem reuocandæ ad vitam animæ, ſed in vita conſeruandæ cauſa inſtituta eſſe. Aliam etiam probationem addunt, quæ tamen magis eſt refutatio modi, quo à nonnullis explicatur, quo pacto Euchariſtia ſit à Chriſto inſtituta ad remiſſionem mortalis; magis inquam huius explicationis refutatio quam totius ſententiæ probatio; ideò eam nunc omitto.

4 *Sententia affirmans proponitur à Suarez.*

Pater Suarius diſput. 7. ſect. 2. ſuppreſſo nomine refert ſententiam extremè oppoſitam, aſſerentem omnia Sacramenta habere per ſe ex vi ſuæ inſtitutionis vim ad conferendam primam gratiam, eò quòd Concilia dicant Sacramenta noſtra continere & conferre gratiam; hoc autem debet de prima gratia intelligi, quia gratia ſimpliciter prolata ſignificat primam gratiam; deinde conferre gratiam aliud eſt quàm augere; vnde homo, quia non meretur primam gratiam, non dicitur abſolutè illam mereri, ſed augmentum illius. Differentiam autem inter Sacramenta, quæ dicuntur viuorum & Sacramenta mortuorum, in eo conſtituunt, quòd illa ſolùm ſecundùm rationem genericam Sacramenti nouæ Legis ſint inſtituta ad primam gratiam, hæc verò, id eſt Baptiſmus & Pœnitentia, ex ſingulari & ſpecifica differentia ad id ſint inſtituta.

Et ab eo dem reijcitur Primò.

Hanc ſententiam Suarius reiicit quaſi improbabilem, & omni carentem fundamento; nam ſecunda gratia abſolutè dicitur gratia: id quod benè ex Florentino confirmat; poſtquam enim illud dixit, noſtra Sacramenta continere & cauſare gratiam, id explicat in Baptiſmo per primam gratiam, in Confirmatione & Euchariſtia per augmentum illius: id ipſum oſtendo ego retorquendo in hos Auctores illorum argumentum; nam homo etſi nõ mereatur primam gratiam iuxta communiſſimam ſententiam, dicitur tamen mereri gratiam. Concilium enim Tridentinum agens de operibus bonis ait per ea nos mereri gratiam & augmentum gratiæ: vbi illa duo pro eodem accipiuntur.

Secundò.

Secundò reiicit Suarius eam ſententiam, quia non conſtat Chriſtum habuiſſe vllam inſtitutionem vniuerſalem circa eam remiſſionem peccati; vnde ait illam diſtinctionem duplicis intentionis habere plus de ſpeculatione quàm de veritate in ordine ad vſum moralem: vnde addit, Si vera eſſet ea doctrina, poſſe dici, licitum eſſe accedere ad omnia Sacramenta, etiam cum conſcientia mortalis, ſeu cum ſola attritione cognita vt tali: id quod planè eſſet erroneum. Sequeretur deinde, ea Sacramenta dare diuerſos gradus gratiæ habitualis, aliquos ſecundùm inſtitutionem genericam, alios ſecundùm differentialem: id quod eſt abſurdum.

5 *Secũdum argumentum Suarez impugnatur.*

Ego tamen hanc vltimam impugnationem non iudico omnino efficacem; & verò fortè ſola voce ab ea ſententia, quam hîc impugnat, differt Pater Suarius: nam cùm admittat (vt ſtatim videbimus) omnia Sacramenta aliquando cauſare gratiam primam; & cùm (vt ipſe benè notauit) non poſſit gratia conferri per Sacramenta niſi ex inſtitutione Chriſti; nam ex natura ſua ſine dubio id non habent; neceſſum omnino eſt concedere, ex inſtitutione Chriſti ſaltem ſecundaria id habere omnia Sacramenta. Quod autem Suarius vocat ſecundariam, nominant illi genericam inſtitutionem; ſi autem ſemel ibi admittatur ea duplex inſtitutio, ſiue hoc ſiue illo nomine vocetur, iam videntur habere poſſe locum illa abſurda, quæ Pater Suarius infert de duplici gratia data per Sacramentum, vna ex generica inſtitutione, altera ex ſpecifica; ſub aliis enim vocibus illi dicent vnam eſſe datam ex primaria intentione, alteram verò ex ſecundaria; dicent etiam licere accedere ad Sacramenta omnia cum conſcientia mortalis; vel certè è contrario, ſicuti Suarius negabit hanc conſequentiam, ita illi eam negabunt, quia dicent vi intentionis ſpecificæ id impediri.

Tertium argumētu Suarez facilè ſoluitur.

Tertium argumentum Patris Suarij contra eam ſententiam eſt, quia ex nullo effectu Sacramentorum poteſt colligi ille modus inſtitutionis ſeu cauſalitatis per ſe primæ gratiæ; ergo gratis confingitur. Verùm & huic obiectioni facilè reſpondebunt illi, colligi ex eo, quòd (ipſo etiam Suario teſte) aliquando per ea Sacramenta acquiratur prima gratia, inde enim infertur, commune eſſe omnibus Sacramentis eam tribuere; quod ſi commune, ergo ex inſtitutione omnibus communi ſeu generica.

6 *Res à vocibus diſtinctè proponuntur.*

Dixi ſæpè, me non libenter confundere quæſtiones de voce cum quæſtionibus de re; id quod in præſenti videtur aliquo modo feciſſe Pater Suarius; vt ergo voces à rebus diſtinguamus, relictis illis terminis, *generica & ſpecifica inſtitutio, primaria & ſecundaria*, dico, Si Auctores huius ſententiæ de re ipſa dicant licere ad Sacramenta huiuſmodi accedere cum ſola attritione cognita vt tali, & tunc conferendam eſſe gratiam, ſiue id dicant oriri ex generica, ſiue ex ſpecifica intentione, ea doctrina eſt erronea, ſi non hæretica; quia inter Catholicos certiſſimum eſt non licere ad ea quinque Sacramenta, maximè ad Euchariſtiam, accedere cum attritione ſola: neque vlla contra eam doctrinam maior requiritur impugnatio. Si verò hi Auctores omnes dicant eſſe neceſſariam ſaltem exiſtimatam contritionem, & tunc eſto re ipſa non ſit niſi attritio, gratiam nihilominùs cauſandam; quia autem id eſt commune omnibus Sacramentis, dicant id oriri ex inſtitutione vniuerſali, ſed generica omnium Sacramentorum, eamque vocem primariam; ſi hoc inquam dicant, re ipſa videntur omnino conuenire cum ſententia, quam Pater ipſe Suarez docet, eſtque communiſſima in Scholis, & quam nos infrà trademus; ſolumque erraſſe videbuntur in modo loquendi, & verò non quoad totum.

Suarez ſententia communis in Scholis.

Pro quo aduerte, duos terminos ibi inuolui, *inſtitutio generica & primaria*; quòd illam inſtitutionem dicant genericam, non eſt error, ſed potiùs ipſa veritas, cùm id conueniat omnibus Sacramentis, & ex inſtitutione Chriſti Domini; hoc enim eſt eſſe inſtitutionem genericam; quòd verò illam dicant primariam, videtur eſſe error vocis: cùm enim Chriſtus Dominus directè requiſiuerit ex parte ſuſcipientis ea Sacramenta ſtatum gratiæ, & verò hæc eam non cauſent, niſi quando ex errore inuincibili homo putat ſe habere contritionem, cùm re ipſa non habeat niſi attritionem, haud dubiè clariſſimè inde ſequitur non niſi indirectè ea fuiſſe inſtituta ad remiſſionem mortalis: id autem quod indirectè cauſatur

cauſatur non cauſatur vllo modo niſi ex ſecundaria intentione, non ex primaria. Tandem, non videtur facile capi, ſi omnia Sacramenta ſunt primariò inſtituta ad remiſſionem mortalium, ad quid fuiſſet deinde neceſſarium alia duo ad id ipſum etiam primariò inſtituere; iam enim ea inſtitutio videretur omnino otioſa: cùm enim ratio generica directè & per ſe conueniat ſpeciei, ſi directè habet Confirmatio v.g. quod deleat peccata, quid quæſo facit, aut quid ponit, in illa addere aliam deſtinationem ad eumdem finem ex ratione ſpecifica; cùm propterea non ſit magis neceſſarium, &c. ergo modus ille loquendi non eſt bonus. Et de ſententia hac, quæ ad modum loquendi (vt dixi) maiori ex parte pertinet, ſatis.

SVBSECTIO II.

Probabilior ſententia.

7 *Sententia D. Thomæ exquiritur.*

COMMVNIS ergo ſententia ſit, omnia Sacramenta poſſe cauſare primam gratiam indirectè & per accidens modo ſuprà explicato: hanc tenet Diuus Thomas quæſt. 72. art. 7. ad 2. expreſsè de Confirmatione; (& idem eſt à paritate rationis de aliis Sacramentis;) quia Pater Vaſquez & alij, qui contrariam ſententiam defendunt in Euchariſtia, ob eaſdem rationes idem docent de Confirmatione, Ordine, Matrimonio, &c. & ſolùm in Extrema Vnctione habent aliquam rationem dubitandi: id ipſum etiam docet claré idem Diuus Thomas de Euchariſtia quæſt. 79. art. 3. vbi ait eum qui deuotè accedit ad hoc Sacramentum, etſi perfectè non ſit contritus, conſequi gratiam charitatis: Vaſquez, Lugo & alij explicant D. Thomam non de gratia habituali, ſed de auxiliis, quibus diſponitur ad habendum actum charitatis, ita vt non immediatè obtineat gratiam, ſed mediatè, idque infallibiliter. Verùm Diuus Thomas adeò clarè hanc ſententiam defendit, vt non patiatur vllam tergiuerſationem; dixerat enim ſtatim ad initium articuli, hoc Sacramentum habere ex ſe virtutem remiſſiuam mortalis in non ponentibus obicem; immediatè autem explicat illum ſolùm ponere obicem, qui in conſcientia mortalis accedit, eum verò, qui deuotè putans ſe perfectè contritum, & ſi fortè non ſit, non ponere obicem, ergo apertè ſentit Sanctus Doctor accipere illum infallibiliter remiſſionem mortalis.

8 *Quid ſit gratia charitatis apud D. Thomam.*

Quòd verò dicat Diuus Thomas in fine, talem conſequi gratiam charitatis quæ contritionem perficiet; vnde putant hi illum ſolùm docere, obtinenda fore auxilia ad efficiendam contritionem perfectam, hoc inquã nullius eſt momenti, quia Diuus Thomas nomine gratiæ charitatis non poteſt ſignificare auxilia: quis enim vocationem Dei vnquam nominauit gratiam charitatis, maximè inter Scholaſticos, & apud Diuum Thomam, qui tam probè ſciuit auxilia ſuo nomine vocare? tum quia auxilia non dicuntur perficere; perficere enim eſt in genere cauſæ formalis: auxilia autem ſolùm excitant ad efficiendum; tum quia illa auxilia non poſſunt efficere vt attritio, quam Diuus Thomas ſupponit in eo homine, fiat contritio; vnde debuiſſet potiùs dicere, ea auxilia effectura vt loco attritionis acquirat homo ille contritionem: id quod alieniſſimum eſt à mente Diui Thomæ eo loco; tum quia per gratiam charitatis perfici contritionem illam imperfectam ſignificat idem, quòd eam attritionem dignificari per gratiam & per habitum charitatis quæ tunc infunduntur. Addo, ſi ſemel ij Auctores dicant, ex defectu diſpoſitionis tunc non cauſari gratiam, non poſſe probabiliter eos docere quòd obtineantur auxilia ad gratiam habitualem: quia cùm talis homo non habeat diſpoſitionem per ſe requiſitam ad hoc Sacramentum, profectò ſicut non poteſt obtinere gratiam habitualem, ita nec poterit obtinere auxilia ex opere operato; ergo ea explicatio non cadit in Diuum Thomam; de mente ergo eius non eſt dubitandum. Eandem ſententiam tenent omnes Thomiſtæ, Schotiſtæ, & omnes Theologi, exceptis pauculis ſuprà relatis: eam tenet, & latè probat Suarez diſput. 63. ſect. 1. Valentia Tom. 4. quæſt. 7. p. 1. Coninck q. 62. art. 1. Pater Ioannes Præpoſitus quæſt. 79. art. 3. & Tannetus tum quæſt. 5. de Sacramentis in genere; dub. 5. tum quæſt. 8. de Euchariſtia, dub. 3.

Cõmunis ſententia Theologorum, Thomiſtarum, Scotiſtarum, &c.

Hanc ego reputo probabiliorem multò, tum propter prædictam auctoritatem Scholaſticorum cum D. Thoma; tum quia eſt valde conformis dictis Sanctorum. Aliquas probationes ex Concilio Tridentino tum Seſſione 13. can. 5. de Euchariſtia; vbi ſupponere videtur eſſe huius Sacramenti fructum, licet non præcipuum, remittere peccata, id quod de mortalibus debet intelligi, tum dum vniuerſaliter docet omnia Sacramenta gratiam producere in non ponente obicem, qualem non ponit, qui bona fide cum attritione accedit, has inquam probationes omitto; quia non ſunt magni momenti: non ea prima, quia poſſunt illa verba vtcumque de venialibus intelligi, non ſecunda, quia aduerſa pars dicit, in Sacramentis viuorum ipſam gratiæ carentiam in ſubiecto eſſe obicem, eſto in aliis Sacramentis mortuorum ſufficiat ea diſpoſitio.

9 *De Extrema Vnctione. Iac. 5.*

Video tamen hinc aliquantulùm poſſe redargui illos qui ſaltem admittunt Extremam Vnctionem cauſare primam gratiam; nam de illa nihil amplius Scriptura dicit quàm, *Si in peccatis ſit; remittentur ei.* vnde argumentor: Si illa vox, *Si in peccatis ſit*, intelligitur ibidem de mortalibus, eodem omnino modo debere de mortalibus intelligi in textu Tridentini. Deinde, ſicut illud Sacramentum eſt viuorum, & nihilominùs eſt contentum pro diſpoſitione vt ad gratiam ſufficienti, attritione reputata contritione; ita debere nos de Euchariſtia reliquiſque Sacramentis viuorum diſcurrere, quia (vt inſinuaui paulò antè) ratio videtur eſſe generalis ad omnia ea quatuor Sacramenta. Quidquid autem de eo puncto ſit,

Cõcluſio probatur ex S. Auguſtino,

CONCLVSIO noſtra primùm ſuadetur ex Diuo Auguſtino, qui eam expreſsè tradidit; teſte Alexandro & Durando, licet non inueniatur Sermo ille Auguſtini, quem citant hi. Deinde Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem c. 14. expreſſe eam docuit: vt enim probaret carnem Domini manducatam in hoc Sacramento ſuſcitare mortuos, & dare vitam ſpecialem, docet Chriſtum voluiſſe fidem huius rei priùs facere ſuſcitando mortuos tactu ſuæ carnis; ſicut in Naim, & apud Principem Synagogæ. Deinde Damaſcenus 4. de Fide cap. 14. ait corpus Domini in hoc Sacramento habere vim, vt omnem immunditiam & ſpurcitiem abſtergat: quod de remiſſione mortalium intelligendum eſſe neque ipſe Vaſquez potuit negare. Vbi pondera alia

Cyrillo Alexandrino,

Damaſceno.

Digitized by Google

verba eiuſdem ibi : *Si adulterinum aurum nanciſcatur, per explorantem inflammationem purgat, ne in futurum cum hoc mundo damnemur.*

10 *Reſponſio Vaſquez ad Damaſceni teſtimonium eluditur.*

Reſpondet Vaſquez, Damaſcenum non loqui de corpore Domini vt eſt in Sacramento, ſed prout conſtituit ſacrificium; præmiſerat enim Sanctus Doctor illud eſſe ſacrificium. Verùm per hanc ſolutionem poſſet eludere omnia loca Patrum, dum dicunt per Euchariſtiam dari gratiam: quando enim pro ſacrificio aſſeruntur, poteſt ea interpretari de Sacramento; & quando de Sacramento, interpretari de ſacrificio: id quod abſurdum eſt. Vt verò appareat quàm ea explicatio ſit contraria Damaſceno, aduerte hunc loqui de carne Domini manducata, de qua dicit, non corrumpi in manducante, nec per ſeceſſum demitti, ſed in noſtram tendere ſalutem; hæc autem omnia non poſſunt intelligi de ſacrificio: id quod ad hominem contra Vaſquez, qui ſacrificium in ſola conſecratione ſine ordine ad ſumptionem conſtituit, clariùs conſtat.

Argumentum ad hominem contra Vaſquez.

Deinde, in omnium etiam ſententia id habet locum, quia ſacrificium vt ſacrificium non ſolùm manducantibus, ſed etiam aliis prodeſt; ergo Damaſcenus ibi agens de ſumptione, & de fructu illius, non de ſacrificio, ſed de Sacramento loquitur: quòd ſi in initio fortè vſurpauerat vocem *ſacrificium*, nihil tamen obeſt; quia quando Patres loquuntur de Euchariſtia, ſæpè ſolent hæc duo nomina confundere, ac proinde ex contextu debet intelligi de quo loquantur, vt nos oſtendimus in Damaſceno. Deinde, quia ipſe Vaſquez admittit loqui Damaſcenum de Euchariſtia prout eſt Sacramentum, non tamen niſi poſt illa verba quæ poterant eſſe contra illum; & tamen nec poſt illa nominauit Damaſcenus Sacramentum; ergo eodem modo in toto contextu de illo loquitur, vocauit autem in initio ſacrificium, quia comparauit illud cum ipſius figura in ſacrificio Melchiſedech.

11 *Iuſtinus Martyr pro noſtra ſententia.*

Quartò, Iuſtinus Martyr in reſponſione ad quæſtiones Chriſtianis propoſitas à Gentilibus, in reſponſione ad 44. idem clariſſimè docet. Obiicit Vaſquez tam clarè id doceri à Iuſtino, vt ſi verba debeant ſumi ſicut ſonant, doceat etiam, quòd per ſe ex primaria inſtitutione remittat Euchariſtia mortalia, vt voluêre hæretici; debet ergo benignè explicari; ideò ipſe ait Iuſtinum per eſum carnis Chriſti intelligere Fidem in Chriſtum.

Vaſquez durè Iuſtinum explicat.

Verùm hæc explicatio eſt valdè dura: ſi enim per manducationem intelligamus Fidem & hoc modo explicemus Patres, nec in Scriptura nec in Conciliis aliquid poterimus certum habere; ergo eſus ſignificet eſum, & Fides ſignificet Fidem; nec tam diuerſas ſignificationes nominibus pro libitu tribuamus. Adde, magis fauere hæreticis Iuſtinum iuxta explicationem Vaſquez quàm iuxta noſtram;

In ſententia Vaſquez Iuſtinus fauet hæreticis.

quia ſi eſus carnis idem eſt quod Fides, & de illa dicit Iuſtinus quòd iuſtificet; ergo Fides iuxta Iuſtinum remittet peccata, & iuſtificabit. Quæ eſt præcipua hæreſis huius temporis. Nego ergo Iuſtinum fauere hæreticis, quia non dicit Euchariſtiam hoc habere ex primaria intentione, ſed præciſè Euchariſtiam hoc habere. Quæ propoſitio vera eſt, licet ſolùm ex ſecundaria intentione id habeat; hoc tantùm ex verbis Iuſtini ſequitur, Euchariſtiam habere eam vim vno ex his modis: vt ergo in ſenſu vero illum interpreter, ſufficit ſi de ſecundaria intentione & non primaria illum dicamus locutum. Quæ interpretatio non eſt contra ipſius verba; eſt autem conformis ipſius cum Eccleſia Catholica conſenſui.

Tandem huic ſententiæ fauere videntur omnes alij Patres, qui abſolutè docent, per hoc Sacramentum remitti peccata: vox enim *peccata* abſolutè apud ſanctos Patres mortalia ſignificat, maximè cùm adiungant per hoc Sacramentum hominem viuificari, &c. atqui hoc non præſtatur ex primaria intentione, ergo ex ſecundaria modo explicato ſuprà.

12 *Reſpondetur præcipuo argumento Vaſquez.*

Vnde obiter reſpondetur præcipuo argumento Vaſquez; Negamus enim ſine fundamento in Patribus id à nobis doceri. Ratione confirmant hanc ſententiam Suarez & Coninck ſuprà. Prima eſt, quia attritio ſupernaturalis ex ſe eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam; ergo ſi cum illa, dum inuincibiliter reputo me eſſe contritum, accedo ad Sacramentum (quodcumque illud ſit) recipiam gratiam per illud. Non fido huic rationi, quia facilè dicent Aduerſarij, attritionem non eſſe ſufficientem diſpoſitionem pro gratia, abſolutè loquendo, ſed pro gratia vt conferenda præciſè per Sacramenta mortuorum; vnde dicent non ſufficere pro aliis. Meliùs ergo poteſt aliqua congruentia huius opinionis inde deſumi,

Congruentia pro noſtra opinione.

quòd voluerit Chriſtus Dominus per Sacramenta faciliorem nobis reddere ſalutem; & cùm ad contritionem pertingere ſit valdè difficile, & ſæpè putet homo ſe perueniſſe, cùm tamen non peruenerit, videtur congruum ita inſtituta eſſe hæc Sacramenta, vt quando quis prudenter reputat ſe feciſſe quod in ſe eſt, licet non habeat perfectam contritionem, ſuppleatur ille defectus per Sacramenta, & prima gratia, qua ſalutem obtineat, per illa producatur.

SVBSECTIO II.

Reſpondetur argumentis aduerſis.

13 *Patres fauent noſtræ ſententiæ.*

IAM oportet reſpondere his quæ in contrarium ſuprà obiecta ſunt; & quidem quòd de Sacramentis nihil debeamus affirmare, quod non colligatur ex Scriptura, aut Patribus, libenter admittamus; iam autem oſtendimus, Patres valdè fauere huic noſtræ opinioni: quam etiam communior Scholaſticorum, & ferè omnium conformis conſenſus probabiliorem reddit. Quod verò dicebatur, ex inſtitutione eorum Sacramentorum nequaquam colligi ea dare poſſe primam gratiam, diſtinguendum eſt: vel enim loquimur quaſi formaliter, ita vt non colligatur per conſequentiam, *Inſtitutum eſt Sacramentum ad augendam gratiam, ergo inſtitutum eſt ad primam cauſandam*: hoc quidem libentiſſimè fatemur, quia nemo poteſt dubitare, potuiſſe Chriſtum inſtituere pro ſecunda gratia & non pro prima; vti etiam è contrario, ſi voluiſſet inſtituere, potuiſſet aliquod Sacramentum ad cauſandam primam gratiam, ita vt ſi illam iam inueniret cauſatam, nequaquam cauſaret vllam aliam: omnia enim hæc vnicè ex voluntate Chriſti pependerunt; in hoc ergo ſenſu annuimus libenter Aduerſariis. Alter ergo poteſt dici, ex inſtitutione eorum Sacramentorum colligi, etiam eſſe ad cauſandam primam gratiam inſtituta; quia ſcilicet licet duo illi fines ſint inter ſe realiter ſeparabiles, Chriſtus tamen

Digitized by Google

tamen pro vtroque de facto ea inſtituit: colligimus autem eſſe inſtituta pro vtroque, non quia ſint, vt dixi, pro vno, & inde de altero quidquam inferatur, ſed quia hoc inſinuant ſancti Patres, id tradunt ferè omnes Scholaſtici: quomodo autem vocanda ſit ea inſtitutio, qua parte reſpicit primam gratiam, an dicenda ſit primaria, an ſecundaria, multum habet de quæſtione de voce, & de ea ſatis à me paulò antè dictum.

14 *Argumentum ex Catechiſmo Pij V. ſūptū ſoluitur.* Quod verò ſpecialiter obiiciebatur contra Euchariſtiam ex Catechiſmo Pij Quinti, & ex ratione cibi, qui nihil prodeſt mortuis, non vrget, & licet ſufficeret vt exciperemus Euchariſtiam ab hac regula, non tamen ſufficit vt cætera. Verùm neque ſufficit ad Euchariſtiam excipiendam, & quidem Catechiſmus, dum Paſtores docet vt moneant ſuas oues, manifeſtè oſtēdit ſe nō agere in ſenſu noſtræ quæſtionis: noſtra enim quæſtio eſt in ordine ad praxim omnino impertinens, quia ſiue ea ſit vera, ſiue non, non propterea minùs ſe debent præparare ad Communionem, qui ad illam accedunt; ac proinde non eſt cur de hoc puncto moneantur oues à ſuis Paſtoribus; monere ergo hi debent, eos debere confiteri de mortalibus, quia accedentes cum conſciētia mortalis nihil obtinebunt; quid autem in caſu iſto noſtro præter ſuſcipientis intentionem contingat, non declarat ibi Catechiſmus. Adde, vti Cardinalis Lugo in ſe obiicientibus eundem Catechiſmum contra conuerſionem immediatam aquæ in ſanguinē reſpondet, ſolùm inde inferri, eos Theologos Catechiſmi eſſe in contraria ſententia, eodem modo nos in præſenti poſſe reſpondere, illum Catechiſmum non habere niſi auctoritatem aliquorum Theologorum. Verùm reſponſio prior eſt ſufficientiſſima.

Argumentum de Euchariſtia cibo enodatur. Ad alterum argumentum, quòd Euchariſtia ſit cibus, cibus autem non proſit mortuis, reſpondeo, In his rebus moralibus comparationes non eſſe in omnibus tenendas, vt & ipſi qui hoc argumento vtuntur paſſim dicunt; in hoc ſcilicet aut illo puncto, quod ad ipſorum ſententias ſpectat, non aſſimilari Euchariſtiam cibo naturali; dico ergo ideò aſſimilari cibo, quia reuerà comeditur modo ſuprà explicato. Secundò, quia per ſe & directè ſupponit vitam, quatenus nemo debet accedere, niſi iudicet ſe eſſe in gratia; per hoc tamen non excludit quò minùs habeat effectum etiam reſtituendi vitam ſpiritualem; & verò non puto nobis negaturum Vaſquez & alios, quòd ſi eam vim Chriſtus dediſſet, vt per accidens in caſibus dictis cauſaret Euchariſtia gratiam, poſſe adhuc tunc iure optimo eam vocari cibum; ergo ex ea cibi appellatione etſi non probetur noſtra ſententia, quia cibus quà talis non neceſſe dat vitam, non tamen impugnatur; quia poteſt in ordine ſpirituali cibus inueniri, ſeu inſtitui à Chriſto, qui vtrumque effectum habeat, & confortare & dare vitam. Imò ex hoc capite adhuc poſſet Euchariſtia dici cibus, licet fuiſſet directè inſtituta ſicut Baptiſmus vt produceret primam gratiam, quia etiam tunc potuiſſet & confortare, & ad vitam reuocare.

15 *Replica ex S. Paulo & Concilio Tridentino.* Vrgebis adhuc: Si attritio exiſtimata contritio ſufficit vt cauſet Euchariſtia gratiam, cur quæſo ſanctus Paulus adeò eſt ſolicitus vt homo ſe probet? quæ probatio iuxta Concilium Tridentinum Seſſione 13. cap. 7. eſt confeſſio Sacramentalis. Certè non alia ratione, niſi quia etſi homo putet ſe eſſe contritum, facilè continget quòd non ſit, ideoque priuetur fructu Euchariſtiæ: in quem ſenſum adducunt Anſelmum ad eum locum Pauli, vbi ait rarò eſſe aliquem adeò ſanctum, in quo non inueniatur aliquid, quod debeat eum retardare à Communione corporis & ſanguinis Chriſti, niſi confeſſus fuerit illud, & per pœnitentiam deleuerit. Reſpondeo, Hoc argumentum nullius eſſe momenti; & in primis Tridentinum non dicit Paulum loqui de præparatione per confeſſionem, ſed quòd conſuetudo Eccleſiaſtica obtinuerit eam præparationem debere eſſe per confeſſionem Sacramentalem: quod longè aliud eſt. Reſpondeo Secundò; Paulus ibi non agnoſcit medium inter indignè & inter dignè communicantes; vnde non loquitur de caſu noſtro, in quo homo ignorat inuincibiliter ſuum peccatum, & accedit cum attritione ſupernaturali omnium mortalium: de hoc enim poſſumus iure dicere, quod probauerit ſe ſic, & quòd non acceſſerit indignè, neque iudicium ſibi manducauerit & biberit; quomodo ergo quæſo ex loco Pauli probabitur talem non recipere fructum eius Sacramenti? Reſpondeo Tertiò, Concilium eam neceſſitatem maiorem confeſſionis in Euchariſtia præ aliis Sacramentis referre, non quod nomen hoc, quòd aliàs defraudabitur homo fructu illius, ſed in maiorem excellentiam Euchariſtiæ, in qua ipſe Chriſtus realiter ſuſcipitur: & in hoc ſenſu intelligi debet Paulus. Id quod manifeſtè meo iudicio oſtendo, & miror id non fuiſſe ab iis Auctoribus notatum; nam & ipſi docent alia Sacramenta viuorum non cauſare gratiam primam; vnde euidenter infero, Ergo in illis idem periculum eſt defraudationis in eorum Sacramentorum ſuſceptione, ſi homo non ſit in gratia, quod eſſe in Euchariſtiā poteſt; & tamen certiſſimum eſt licere cum ſola contritione ſine præuia confeſſione accedere ad alia Sacramenta viuorum. Vnde euidenter colligitur, maiorem eam neceſſitatem præuiæ confeſſionis pro Euchariſtia non ex periculo amittendi fructum illius, ſed, quod dixi, ob maiorem reuerentiam illi debitam fuiſſe à Chriſto id requiſitum. *Soluitur Primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

16 *S. Anſelmus explicatur.* Anſelmus item in contrarium obiectus non vrget nos; ſolùm enim ille docet neceſſariam eſſe ad Euchariſtiam ſuſcipiendam confeſſionem de mortalibus: id quod nemo negat. Adde, carere mortalibus non eſſe tam rarum, vt pauci ſolùm ſint qui eis careant. De caſu verò, quo homo cum bona fide accedat, putans ſe nullum habere mortale (de quo debeat confiteri) & habeat attritionem vniuerſalem de omnibus mortalibus in genere, an ſit accepturus fructum Sacramenti néc ne, nec per vmbram ibi Anſelmus docet. Adde vlteriùs, id quod benè notarunt aliqui ex his qui hoc argumentum contra nos poſuerunt; Si quis ſit validè confeſſus, ſi tamen inuincibiliter ſit vnius oblitus, tenetur tamen iuxta communem ſententiam de illo ante Euchariſtiam confiteri; & tamen de Fide eſt, eo caſu illud peccatum cum cæteris remiſſum; ac proinde tunc iam homo eſt capax effectus Euchariſtiæ, quidquid ſit de noſtræ ſententiæ veritate; ergo neceſſitas confeſſionis ante Euchariſtiam non oritur ex eo, quòd aliàs non eſſet capax effectus illius; ergo hoc argumentum ex multis capitibus nullum eſt. Et ſatis de hac quæſtione, quæ cùm tota ex ſola Dei voluntate pendeat,

Digitized by Google

pendeat, & de hac voluntate in neutram partem ſufficienter conſtet, non niſi valdè dubiè decidi poteſt.

SECTIO II.

De gratiis Sacramentalibus.

17 CERTVM eſt diuerſas gratias à diuerſis Sacramentis cauſari; quæ autem illæ ſint, non ita certum. Suppono Primò cum omnibus Scholaſticis, gratiam iuſtificantem, quæ per omnia Sacramenta confertur, eiuſdem eſſe ſpeciei; quia eodem modo eſt filiatio adoptiua Dei, remiſſiua peccati, & iuſtificans hominem; imò multi nec de potentia abſoluta poſſibiles admittunt diuerſas gratias iuſtificantes.

Poſſibilis eſt gratia diſtincta à noſtra:

Ego tamen nec apparentem video in tali gratia repugnantiam; neque difficile eſſet oſtendere varia capita, in quibus poſſet à noſtra differre, ſi v. g. non haberet habitus diſtinctos ſupernaturales, ſed immediatè per ſe concurreret ad actus virtutum ſupernaturalium, ſi incorruptibilis eſſet.

De facto non datur.

Quidquid verò de hoc ſit, certum eſt, de facto nullum eſſe fundamentum ad eas diſtinguendas, eſſe verò è contrario ad non diuerſificandas; quia ita omnes ſentiunt, & Concilia nunquam videntur agnoſcere tales diuerſas gratias; ex quo rurſus fit omnes habitus ſupernaturales per ſe infuſos eſſe etiam eiuſdem ſpeciei, quia omnes oriuntur à gratia eiuſdem ſpeciei in omnibus ſubiectis, & ad eumdem finem ordinantur.

Omnes gratiæ ſunt eiuſdem ſpeciei.

Poſitiuè autem nonnulli probant eas gratias habituales eſſe eiuſdem rationis, quia omnes faciunt eamdem intenſionem in homine augendo illius ſanctitatem: atqui ſi eſſent diuerſæ in ſpecie, non poſſent ſe intendere, quia omnis intenſio fit per gradus eiuſdem ſpeciei; ergo. Hoc tamen argumentum non iudico valdè efficax, quia nobis quidem conſtat per noua & noua opera virtutis & per Sacramenta augeri gratiam, iuxta illud, *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & ſanctus, ſanctificetur adhuc*: vtrùm autem illud augmentum conſiſtat in gradibus gratiæ inter ſe phyſicè vnitis, ac proinde facientibus vnam rigoroſam intenſionem, an verò in multis diuerſis gratiis, quæ faciant hominem dignum amore maiori Dei, & addant illis ius ad plures gradus gloriæ, nobis nullatenus conſtat; ideoque non reputo hoc argumentum tam efficax quam ſoleat communiter iudicari: quidquid tamen de eius efficacia ſit, ſufficit quòd nulla planè ſit neceſſitas ad eam diuerſitatem gratiarum ponendam.

Apoc. 22.

18 *Obiectio.*

Dices Primò: Si ea detur, faciliùs intelligetur, quomodo ex illis gratiis diuerſis oriantur etiam diuerſa ſpecie auxilia, quàm ſi eadem gratia ponatur; eadem enim non poteſt fundare ius diuerſum, ſed omnino idem: ergo cùm aliunde ſit poſſibilis diuerſa gratia habitualis, cur non ea erit admittenda?

Soluitur.

Reſpondeo, Si diceremus phyſicè & naturaliter oriri à gratia habituali eam diuerſitatem auxiliorum, haberet fortè locum contra nos obiectio poſita; quia tunc debuiſſet naturaliter, vbicumque ea eſſet, cauſare eoſdem effectus.

Quomodo gratia in diuerſis Sacramentis diuerſos effectus morales cauſet.

At cùm gratia habitualis non niſi per quamdam quaſi moralem exigentiam, non in ſola ipſius gratiæ natura, ſed in Sacramenti inſtitutione iuxta Dei voluntatem fundata, petat eam varietatem auxiliorum, facilè intelligitur, quo pacto eadem gratia habitualis ſub denominatione diuerſi Sacramenti, inſtituti à Chriſto Domino ad diuerſos effectus morales, cauſet etiam moraliter diuerſa auxilia, & diuerſas actuales gratias; non ergo eſt cur ponamus vllam diuerſitatem in ipſa gratia: id quod aliqui declarant exemplo eiuſdem gratiæ habitualis datæ per Sacramenta; nam licet ex ſe non habeat repugnantiam cum venialibus peccatis: (vt aliunde ſupponimus;) quando tamen datur per Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore de eiſdem venialibus, tunc ea remittit: ſi verò data fuiſſet ob aliud opus bonum, nullo interueniente dolore de iis venialibus (vt fieri potuit) non expuliſſet illa venialia.

Non ſatis explicatur.

Hæc explicatio mihi ideò non placet, quòd propriè tunc non remittantur peccata illa per gratiam, ſed per Dei extrinſecam condonationem, vt alibi fuſiùs oſtendimus; quòd ſi velimus dicere gratiam tunc coniunctam cum Sacramento exigere moraliter remiſſionem illam, non tamen erit inſtantia ad declarandam præſentem difficultatem, quàm difficultas ipſa præſens: eodem enim modo Aduerſarij oſtendere vellent ex hoc capite, cauſandam diuerſam gratiam habitualem in pœnitentia quàm in aliis Sacramentis. Quidquid ergo de explicatione ſit, conſtet non eſſe, cur hîc eam diuerſitatem gratiarum habitualium ponamus: quo ſuppoſito,

Vno verbo dicimus, eos diuerſos Sacramentorum effectus purè putè conſiſtere in diuerſis auxiliis, inſpirationibus à Deo conceſſis pro diuerſis actibus. 19

Meliùs explicantur diuerſi Sacramentorum effectus.

Ex quo rurſus reiicitur Paludanus diuerſos habitus infuſos tribuens diuerſis Sacramentis: etenim gratia per quodlibet Sacramentum producta eſt radix omnium habituum infuſorum, qui ad omnes actus ſupernaturales requiruntur. Vnde nullus manet ampliùs diuerſus habitus, qui à diuerſis Sacramentis cauſetur, cùm omnes à quolibet ratione gratiæ producantur.

Aliqui diuerſitatem gratiarum Sacramentalium & diuerſitatem graduum deſumpſere ex eo, quòd vnum Sacramentum cauſat primum gradum, aliud ſecundum; vel quia vnum cauſat tres, aliud quatuor, aut plures.

Aliorum quorumdam ſententia impugnatur.

Prima differentia nulla eſt, tum quia Baptiſmus & Pœnitentia ſunt cauſatiua primi gradus; alia verò Sacramenta æquè poſſunt cauſare ſecundum vel tertium, prout inuenerint gratiam in ſubiecto.

Secunda differentia impugnatur à nonnullis; quia poteſt contingere vt tot gradus gratiæ cauſet vnum Sacramentum, quot aliud compenſato exceſſu per inæqualem diſpoſitionem. Mala impugnatio, quia dicent Aduerſarij ideò gratias diuerſas, quia cæteris paribus, id eſt, cum æquali diſpoſitione, maior ab vno Sacramento quàm ab alio cauſatur.

Meliùs ergo impugnantur, quia non eſt certum diuerſa Sacramenta cum æquali diſpoſitione maiorem vel minorem cauſare gratiam; fortè de Euchariſtia propter ipſius maximam excellentiam probabiliter dici poteſt, cæteris paribus, maiorem cauſare gratiam quàm alia Sacramenta; de aliis verò nullum eſt fundamentum; ergo hinc non poteſt deſumi gratiarum Sacramentalium diuerſitas.

Faciliùs, vt dixi cum communi opinione, id explicatur per diuerſa auxilia, inſpirationes & illuſtrationes in ordine ad diuerſos actus ſupernaturales; in Baptiſmo ad ſeruanda v. g. Chriſti præcepta;

Digitized by Google

præcepta, in Confirmatione ad reſiſtendum Tyranno Fidem impugnanti, in Matrimonio ad patienter ferenda onera ipſius, & pię educandos filios; & ſic in aliis Sacramentis.

Poſſunt eadem gratia auxilia & maiora extra Sacramētū dari

Aduerte tamen ita hæc auxilia eſſe effectum Sacramentorum, vt aliquando etiam dentur ſine Sacramentis: ſæpè enim non confirmatus reſiſtit fortiùs tentationibus contra Fidem quam alius confirmatus; nec tamen ideò dicendum eſt Sacramenta eſſe otioſa, quia per ſe loquendo faciliùs, vberiùs & commodiùs per illa obtinentur hæc auxilia quàm ſine illis; ſicut licet gratia habitualis ſine Sacramentis poſſit abſolutè obtineri, faciliùs tamen & vberiùs per Sacramenta obtinetur, quia minorem exigunt diſpoſitionem; vnde non ſuperflua, vel otioſa, ſed valdè vtilia ſunt.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De Charactere.

1 DE Charactere fusè agunt Controuerſiſtæ contra hæreticos huius temporis illum negantes. Vide Cardinalem Bellarminum lib. 2. de Sacramentis c. 18. & ſequentibus, ac Vvaldenſem tit. 2. de Sacramentis c. 109. agunt etiam Scholaſtici hoc loco, non tam exiſtentiam illius probantes, quàm quæ inter Catholicos circa illum ſunt dubia diſcutientes. Vide Suarium tota diſputatione vndecima.

SECTIO I.

Vnde probetur infundi Characterem per aliqua Sacramenta?

QVOD per tria Sacramenta Character imprimatur (quidquid ille ſit) eſt certiſſima inter Catholicos doctrina definita ab Innocentio III. in cap. *Maiores.* §. vlt. de Baptiſmo; deinde in Florentino in decreto vnionis; ac denique in Tridentino Seſſione 7. can. 9. Ex antiquioribus verò Patribus eam aliqui inſinuarunt etiam ſub voce Characteris: eos vide apud Bellarminum ſuprà c. 21. Adferuntur etiam aliqua loca ſacræ Scripturæ; ſed ea non ſunt tam clara, vt ſufficiant pro probatione efficaci.

2 *Sine Charactere poteſt quis eſſe Sacerdos.*

Ratione probari ſolet, eò quòd ea tria Sacramenta iterari non poſſint: meritò tamen Cardinalis Lugo diſput. 6. ſect. 1. notauit eam non eſſe efficacem, quia extra omnem controuerſiam videtur eſſe potuiſſe Chriſtum Dominum inſtituentem Sacramenta decernere, vt qui ſemel eſſet ordinatus Sacerdos, quātumcumque nullus Character ei infunderetur, ſemper tamen retineret eam poteſtatem validè conſecrandi, neque poſſet ea per vllum hominem ampliùs ab illo tolli. Cuius rei rationem à priori eam reddo; poſſe enim validè abſoluere à peccatis, & validè conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti, eſt omnino independens ab vllo Charactere: ipſe enim Chriſtus Dominus eam poteſtatem habuit perfectiſſimè; & tamen non habuit vllum Characterem; potuit ergo eam communicare mihi v.g. ſine omni Charactere; potuit eam etiam mihi dare pro tota æternitate; eam autem ſemel ſic datam nulla pura creatura potuiſſet mihi auferre; quia priuilegium à maiori conceſſum non poteſt minor tollere; imò nec Deus ipſe, ſi omnino abſolutè voluiſſet, vt duraret ea poteſtas in æternum, iam eam poſſet auferre.

Dices; Quomodo ergo ratio Concilij ſubſiſtit, qua dicitur ex Charactere prouenire, quòd ea Sacramenta iterari non poſſint? Reſpondeo Primò, Concilium non dixiſſe, Sacramenta ſine Charactere non poſſe eſſe perpetua, ſeu initerabilia, ſed è contrario iterabilitatem impediri per Characterem: aliud autem eſt, Characterem cauſare, ne poſſit Sacramentum iterari; aliud, quòd ſine Charactere non poſſit eſſe irrepetibile Sacramentum. Etenim Sol cauſat calorem; & tamen ſine Sole poteſt homo aliunde calefieri ab igne, &c. *Explicatur Concilium Tridentinum.* Secundò reſpondeo, Neque quidem è contrario inferri; Imprimitur Character per Sacramentum, ergo non poteſt hoc iterari: etenim nullatenus dubito quin Deus potuerit poteſtatem conſecrandi ſeparare à Charactere Ordinis: quia non capio, quomodo phyſica illa qualitas Characteris ſit naturaliter connexa tum cum morali mea poteſtate abſoluendi alterum à peccatis, tum cum morali poteſtate ponendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus: ergo ſicut potuit Deus dare eam poteſtatem ſine vllo Charactere, iuxta paulò antè dicta, potuit etiam è contrario imprimere illum Characterem, & non dare poteſtatem abſoluendi & conſecrandi, & à fortiori potuit dicere, Qui habet Characterem, habeat poteſtatem ad tale vel tale tempus, & non ampliùs: quòd ſi vlteriùs eam voluerit accipere, debeat ſecundò ordinari. Quæ quæſo in hoc difficultas? *Potuit eſſe Character, & abeſſe poteſtas abſoluendi.*

Dices Primò; Si deberet ille tunc ſecundò ordinari, ergo ſecundum acciperet Characterem, ac proinde duo eſſent ſimul. Reſpondeo, Potuiſſe etiam Deum tunc decernere vt in ſecunda ſuſceptione non reciperetur Character, vel etiam ponere duos Characteres illos ſimul, vel denique auferre priorem. 3 *Replica prima. Reſponſio.*

Dices Secundò; Non repugnat diuinitus aliqua qualitas, quæ ex ſe habeat connexionem eſſentialem cum ea duplici poteſtate abſoluendi & conſecrandi; ſi autem talis eſt poſſibilis, cur non dicemus de facto eam dari, eamque eſſe noſtrum Characterem, ac proinde rectè ex illo colligi, non poſſe iterari Sacramentum per quod illa confertur? Reſpondeo Primò, Fortaſſe aliquem iudicaturum omnino eſſe chimæricam eam connexionem cum conſecratione Verbi potiùs quàm Spiritus ſancti, aut huius præ illa humanitate per vnionem aſſumpta, aut denique potiùs cum homine Deo, quàm cum Angelo aut Seraphino Deo. Secundò, eſto ea qualitas eſſet connexa cum exiſtentia Incarnationis, cur eſſet connexa cum ſpeciebus phyſicis Sacramentalibus, & ſubſtantia panis & vini vt terminis à quo, ac deinde cum voluntate diuina ponendi Chriſtum ſub ſpeciebus, & quidem id interuentu hominis conſecrantis? Cùm enim multa hîc interueniant phyſica inter ſe valdè diſparata, *Replica ſecunda. Reſponſio prima. Secunda.*

Digitized by Google

diſparata, alia etiam moralia à ſola Dei voluntate omnino pendentia, eſt valdè difficile aſſignare vnam qualitatem purè phyſicam ab omnium earum rerum exiſtentia phyſica pendentem.

Dixi *purè phyſicam*, vt actum intentionalem, qualis eſt cognitio & amor, excluderem: quia hi actus ratione ſpecialis ordinis repræſentationis aut effectus poſſunt facilè talem connexionem habere; vt patet in actu Fidei ſupernaturalis, quo affirmo exiſtentiam Chriſti & inſtitutionem Sacramentorum, &c. At in qualitatibus purè phyſicis vix poteſt probabiliter apprehendi ea connexio phyſica cum rebus tot diuerſis moralibus & phyſicis, inter ſe alioquin valdè diſparatis. Reſpondeo Secundò, Etiamſi fortè diuinitus non repugnet talis connexio, non ideò ſtatim concedendam de facto, maximè cùm nulla in præſenti neceſſitas nos ad id impellat.

4 *Quid de Charactere dicat Concilium Tridentinum.*

Ad Tridentinum ergo dicimus, illud non pro ratione omnino concludente initerabilitatis aſſignaſſe Characterem, ſed per modum congruentiæ; Primò enim definit Characterem imprimi; Secundò, tria illa Sacramenta non poſſe iterari; iſta duo ſunt de Fide: vtrùm autem vnum ex altero neceſſariò inferatur, non definit; nam licet videatur vti ea ratione, ideoque dicat, *Vnde ea iterari*, &c. conſtat tamen Concilia non definire rationes quibus inducuntur ad veritates aliquas definiendas. Secundò non eſt neceſſum vllo modo ad veritatem eius illationis dari phyſicam connexionem inter Characterem & perpetuitatem Ordinis; ſufficit enim ſi ea detur ex Dei voluntate hîc & nunc: voluit enim Deus teſtari ſuam voluntatem per Characterem eodem modo, quo ſine connexione vlla phyſica inter Arcum fœderis in nubibus, & non futuritionem ſecundi diluuij, voluit Deus per illum ſignificari eam ſuam voluntatem, de non inuoluendo aquis ſecunda vice mundo. Sicut autem Eccleſia eſt per traditionem illuminata tum de exiſtentia Characteris, tum de illius perpetuitate; ita dicimus illuminatam eam eſſe, quòd Deus per Characterem voluerit omnino teſtari ſe nolle reuocare poteſtatem ſemel conceſſam Sacerdoti, etiamſi nulla penitus ſit pyſica & naturalis connexio inter eum Characterem & perpetuitatem eius poteſtatis. Neque enim poſſumus dicere cum probabili fundamento, ex ipſa phyſica natura Characteris quidditatiuè in ſe cognita Eccleſiam intuliſſe perpetuitatem Ordinis ſemel conceſſi.

5 *De Charactere Confirmationis.*

Id ipſum quod in Charactere Ordinis diximus, poteſt adhuc clariùs vrgeri in Charactere Confirmationis; nam per illum nulla poteſtas moralis confertur, cum qua poſſit eſſe connexio phyſica: nullam enim poteſtatem moralem cauſat, ſed ſolùm fundat aliquam ſpecialem exigentiam auxiliorum diuinorum ad reſiſtendum tentationibus in materia Fidei, non poteſt autem ea exigentia tam perpetua eſſe, vt ſine vlla violentia nequeat Deus vel ea auxilia negare, vel vt homo per peccatum, etiam retento toto Charactere, non ſit tam indignus eis auxiliis, quàm alius quilibet non confirmatus. Conſtet ergo minùs probabiliter dici, ex Charactere oriri phyſicè & neceſſariò eam incapacitatem, vt tria hæc Sacramenta iterentur; ac proinde non benè à poſteriori ex ea incapacitate probari Characteris exiſtentiam.

8 *Aliunde ratio pro Charactere nullat.*

Ideò ergo alij eam probant, quia per tria ea Sacramenta datur poteſtas ad aliquid ſpirituale; ac proinde debuit ea fundari in aliqua phyſica qualitate animæ impreſſa. Hæc tamen ratio duplici ex capite peccat (vt & benè notauit Cardinalis ſuprà;) & quia falſum ſupponit antecedens: in Confirmatione enim nullum aliud ius ad res ſpirituales datur, quàm (vt notaui paulò antè) ad ſpecialia auxilia vt reſiſtat tentationibus contra Fidem; ſimilis autem poteſtas, ſeu ſimile ius datur per Sacramentum Matrimonij ad auxilia ſcilicet ſpecialia pro actibus ſupernaturalibus, quibus æquanimiter ſuſtineat onera matrimonij. Ergo ex hoc capite non infertur quidquam de Charactere. Secundò conſequentia eſt mala, quia (vt ſuprà oſtendi) potuit optimè à Deo totum hoc ius ſeu poteſtas concedi ſine vllo Charactere; vti patet in ipſo Chriſto, qui ſine vllo Charactere habuit perfectiſſimè poteſtatem ſacerdotalem. Ergo iis rationibus reiectis res tota in Chriſti Domini voluntatem reduci debet. Addunt communiter congruentiam ex his quæ fiunt vel in familia Principis; vel in Exercitu; nam qui deſignantur ad peculiaria officia, vel obſequia, notari ſolent certis ſignis. Sic milites olim notabantur Charactere impreſſo, vt diſcernerentur ab aliis; ſic Magiſtratus, ſic famuli. Vti etiam in Exercitu benè ordinato datur diſtinctio totius Exercitus ab aliis, & diſtinctio Equitum à peditibus, ac denique Ducum à cæteris. Per Characterem ergo baptiſmalem diſtinguitur totus Exercitus Chriſtianus ab exercitu diaboli; per Characterem Confirmationis diſtinguuntur deſtinati ad certamen ſpirituale; per Characterem Ordinis diſtinguuntur Duces à reliquo Exercitu. Ita ex Vvaldenſi explicat Cardinalis Lugo; addit autem Vvaldenſis ea ſola Sacramenta imprimere Characterem, quæ ſignanter denotant homines in ordine ad Deum vt ſuum Dominum. Per Baptiſmum ſignatur homo vt ſeruus & domeſticus Dei; per Characterem Confirmationis tanquam miles; per Sacramentum Ordinis tanquam miniſter Chriſti ad diuerſa munia.

6 *Chriſtus Sacerdos non habuit Characterem.*

Congruentia ſumpta ab Exercitu.

7 *Congruentia illa non habet magnã vim.*

Ego circa hæc omnia idem iudico, quod ſæpè dixi de ſimilibus congruentiis, habere quidem aliquam apparentiam, at re exactè ponderata non multùm valere. Id quod ſpecialiter oſtendo in eodem exemplo allato de Exercitu: etenim in militia non ſunt tres ordines, ſed quatuor: Primus eſt totius Exercitus, ſicut Exercitus omnium Chriſtianorum; Secundò Equites; Tertiò pedites; ac Quartò Duces: vndè potiùs quatuor Characteres deberent aſſignari. Imò cùm in Exercitu non minùs ſint ad pugnandum pedites quàm Equites, non poteſt conuenienter per diſtinctionem Equitum & peditum aſſignari differentia inter confirmatos & non confirmatos. Deinde Exercitus habet etiam aliam quartam aut quintam congeriem perſonarum vltra eas omnes enumeratas, ſcilicet eas quæ ſuſtentationem totius Exercitus curant immediatè. In exemplo autem ſecundo de diſtinctione in ordine ad Dominum, vbi ponuntur ſeruus, miles & miniſter, facilè inueniemus quartum, nempe commenſalium, ſeu illorum qui eidem menſæ cum Domino accumbunt; quales videntur eſſe qui iã ſunt capaces proximè Communionis, aut qui cõmunicant. Quidquid ergo de hoc ſit, vnica ratio huius diſtinctionis eſt voluntas Chriſti Domini, nec oportet plures alias congruẽtias quærere.

Tota diſtinctio Characterum reducitur ad voluntatẽ Chriſti.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

Expediantur aliqua dubia.

8 HIs poſitis clarè decidentur aliqua dubia, in quibus multum ſe Auctores fatigant. Videtur autem mihi nihil aliud id eſſe, quàm purè diuinare. Primum eſt, An Circumciſio impreſſerit Characterem. Affirmant nonnulli, alij negant: illi mouentur ex eo, quòd etiam per Circumciſionem fuerit remiſſum Originale: hi ideò negant, quòd per Circumciſionem non conſtituebatur homo ex familia Chriſti. Verùm omnia hæc ſunt debilia argumenta, vt extrahant vllam ex his ſententiis à ratione planè dubia, & faciant eam probabilem, taceo certam pro affirmante quidem; nam deletio Originalis nullam penitus habet connexionem cum Charactere; alioquin etiam contritio, qua Originale deletur, ſi non inueniatur iam deletum, deberet etiam dici habere vim imprimendi Characterem: & idem deberet dici de remedio legis naturæ contra idem Originale. Multò autem minùs ſubſiſtit ratio pro negante ſententia; nam licet Circumciſio non fecerit de familia Chriſti, fecit tamen de familia Dei; ergò ex hoc capite potuit etiam imprimere Characterem. Imò cùm Deus adhuc corporali ſigno voluerit ſuum populum tunc notatum, probabiliùs fortaſſe aliquis inferret, etiam voluiſſe vt ſpiritualiter eſſet ſignatus. Ego in re planè dubia hoc modo diſcurrerem: Characteris exiſtentia eſt aliquid penitus ſupernaturale, nec vllo modo neceſſarium ad ordinem gratiæ ſaluandum; ergo non debemus illum admittere niſi vbi auctoritas nos cogit: atqui vt illum admittamus in Circumciſione, nulla planè auctoritas vrget; ergo: fortaſſe re ipſa fuit; ac nos, qui motiuo ad illum ponendum caremus, negare illum potiùs quàm admittere debemus: vti alia etiam miracula non admittimus, niſi vbi poſitiuum argumentum aut auctoritas ea ſuadet.

An Circumciſio impreſſerit Characterem.

Concluditur, videri potiùs nullum Characterem impreſſiſſe.

9 Secunda quæſtio eſt circa rationem, cur alia quatuor Sacramenta noſtra non imprimant Characterem. Verùm hæc quæſtio ferè relabitur in præcedentis ſectionis quæſtionem; dum enim oſtendimus, cur ea tria imprimant Characterem, eadem quaſi via probauimus, cur alia quatuor non debeant illum imprimere.

Cur præter Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem alia Sacramenta Characterem non imprimant.

Quidquid verò de quæſtionum identitate ſit, antequam ei reſpondeamus, reiiciendi occurrunt nonnulli docentes, Eſto per alia Sacramenta non imprimatur Character, imprimi tamen ſeu infundi qualitatem quandam ad gratiam diſponentem: reiiciendi inquam Primò; nam gratia non indiget vlla alia præuia diſpoſitione ex parte animæ; alioquin etiam omnia opera bona ſupernaturalia, quæ gratiam promerentur, deberent ſimilem qualitatem præuiam producere: id quod planè eſt improbabile. Secundò, quia eſto gratia indigeret tali diſpoſitione præuia, ſatis tamen eſſet; ſi quando primò producitur gratia, produceretur illa diſpoſitio: ſufficeret enim eadem pro augmento gratiæ, quæ cùm ſit eiuſdem rationis ſiue ab hoc ſiue ab illo Sacramento cauſetur, erit etiam contenta ſufficienter vnica ea diſpoſitione, quæ fuit efficiens ad primam illam gratiæ productionem.

Reiecta ergo ea qualitate, & ſtatuta certa ſententia, quòd per quatuor reliqua Sacramenta non cauſetur Character, quærimus quid ſit, quod in eis eam productionem impediat. Dicunt nonnulli rationem eſſe, quia iterari poſſunt. Verùm hanc rationem reiecimus ſuprà vt inefficacem: & in matrimonio patitur inſtantiam aliquam; nam hoc cum eadem perſona iterari non poteſt, ac proinde deberet Characterem ſaltem reſpectiuum ad Ioannem v. g. & Franciſcum imprimere.

Aliquorum ratio reiecta.

10 Dices; Matrimonium poteſt iterari; Primò, ſi ante illud conſummatum coniuges fiant Religioſi profeſſi; tunc enim diſſoluitur matrimonium: quòd ſi (vt fieri poteſt) deinde Pontifex diſpenſaret in vtriuſque profeſſione, poſſent iterùm validè contrahere. Prætereà, ſi alter ex illis moriatur, & deinde ſuſcitetur, poteſt iterùm contrahi matrimonium cum eadem perſona, ergo adhuc ſubſiſtit ea ratio de iterabilitate. Reſpondeo, Vera hæc omnino eſſe, ac proinde ex eo capite non impugnari ſufficienter eam rationem. Nihilominùs, quia diximus ſuprà non eſſe fundamentum vt Characteri annectamus tanquam phyſicam proprietatem hoc, quod eſt reddere hominem incapacem ſuſceptionis ſecundæ eiuſdem Sacramenti, non poſſumus ſufficienter quidquam inferre ex ea iterabilitate. Ideò alij dicunt rationem eſſe, quòd per alia Sacramenta non conſtituitur homo ſpecialiter pertinens ad familiam Chriſti. Verùm & hanc rationem ſuprà diſcuſſimus ac reiecimus. Et fortaſſe per Sacramentum Euchariſtiæ poſſet dici homo ſpecialiter pertinens tanquam commenſalis. Dicendum ergo, non eſſe aliam rationem quærendam quam voluntatem Chriſti, qui vti eis tribus annexuit Characterem, potuit pluribus, potuit duobus tantùm, potuit vni tantùm, potuit nulli: de ea autem voluntate nobis conſtat ex Eccleſiæ definitione.

Ratio non rectè ſumitur ex eo, quòd iterari non poſſint.

Nulla alia ratio eſt quàm voluntas Chriſti.

11 Tertia quæſtio eſt, An ſi matrimonium imprimeret Characterem, poſſet iterari? Reſpondent nonnulli, Fore in primis vt cum eadem perſona non poſſet. Sicut quia Sacerdos mortuus retinet eumdem Characterem, retinet etiam eumdem Ordinem; ac proinde ſi reſuſcitetur, non indiget noua ordinatione. Addunt prætereà, neque in eo caſu fore licitum etiam mortua vxore priori contrahere cum altera. Nam ſi poſt matrimonium ratum fieret vnus ex illis Religioſus profeſſus, adhuc in altero maneret Character; ergo alter maneret incapax ad contrahendum cum altera, quia iam haberet duos Characteres: & idem eſt mortuo vno coniuge, quia etiam tunc alter retineret Characterem; ergo non poſſet contrahere cum altera. Ita Cardinalis Lugo ſuprà ſect. 1. Hæc etiam quæſtio meo iudicio in ſolis congruentiis conſiſtit, quæ ſcholaſticè non videntur habere magnum produs. Et in primis hoc quod de incapacitate contrahendi cum altero dicitur, non habet vllam planè difficultatem: etenim cùm incapacitas non habendi ſimul niſi vnam vxorem non ſit ex natura rei, vt patet in lege antiqua, in qua licebat plures habere vxores; facilè quis diceret ratione illius Characteris non repugnaturum, quo minùs qui iam haberet Characterem reſpectu vnius, acciperet etiam nouum reſpectu alterius.

An ſi matrimonium Characterem imprimeret, iterari poſſet.

Sententia Cardinalis Lugo.

Nihil certè dici poteſt.

12 Dices: Id non poſſet habere locum in vxore, quia eſto maritus habere poſſet ſimul duas vxores; non tamen videtur fuiſſe vnquam licitum vxori habere multos maritos; ergo illa quæ ha-

Replica ſoluta.

Digitized by Google

beret iam Characterem cum vno, non poſſet alterum accipere. Reſpondeo, Si quoad vxores nō ſubſiſtit ſolutio data, adhuc poſſe optimè aliter reſponderi; Primò, eo caſu tum religionis, tum mortui reſuſcitati, ſi (vt hi videntur ſupponere) verè & propriè diſſolueretur matrimonium, etiam periturum Characterem; in quo valdè differt Baptiſmus, Confirmatio & Ordo à Matrimonio in eo caſu: etenim cùm Baptiſmus, &c. non ſint Sacramenta conſiſtentia in morali aliquo contractu cum tertia perſona mortali, eo ipſo non poſſunt in ſe eſſe reuocabilia, & conſequenter neque in ſuo Charactere; Character tamen matrimonij deſtrui poſſet, quia matrimonium, vtpote in quodam contractu moraliter ſemper durante conſiſtens, poſſet haud dubiè quaſi annihilari; deficiente autem fundamento Characteris, quid mirum ſi Character deficeret? Quòd ſi tamen adhuc nolis eo caſu Characterem perire, & inde velis probare quaſi a poſteriori illum contractum matrimonij non perire; Reſpondeo Secundò, te iam in ipſa conditionali, quam ſupponis, etiam ſupponere intentum; ais enim: Supponamus matrimonium eo caſu indiſſolubile etiam poſt mortem; & quæramus, ſuppoſito quòd vna fœmina haberet iam vnum maritum, an poſſet habere alterum. In qua quæſtione exigua aut nulla eſt difficultas, ſi ſimul etiam concedamus ex natura rei non poſſe vnam fœminam ſimul habere duos viros. Quæſtio ergo, vt ſit magis ad punctum de Charactere, debet ita proponi; An ſi imprimatur Character per matrimonium, eo ipſo ille deberet eſſe perpetuus, quomodocumque diſſoluto vinculo matrimonij; aut, An ſaltem in viris, qui duas habere ex natura rei poſſunt vxores, ſequeretur eo ipſo, quòd Character circa vnam imprimeretur, non poſſe eum alteram accipere. Et in hoc ſenſu dicimus vtramque partem quæſtionis eſſe valdè dubiam, quia nec ſcimus qualem Characterem tunc imprimeret matrimonium; & multò minùs ſcimus, qualem Deus haberet tunc voluntatem circa diſſolutionem matrimonij; an vellet, vt eſto maneret Character, non tamen valor matrimonij; ac proinde nihil dicere poſſumus, an liceret tunc nouum matrimonium cum alia. Et ſatis de hac planè dubia quæſtione.

Reſponſio prima. — *Secunda.* — *Aliter formatur quæſtio.* — *Et reſponſio manet dubia.*

SECTIO III.

Quomodo diſtinguatur Character ab anima.

13 IAM veniamus ad explicandam eius diſtinctionem. Durandus in 4. diſtinct. 4. quæſt. 1. dicit illum non eſſe aliud quàm denominationem extrinſecam ex præcedentibus Sacramentis relictam, qua homo à Chriſto deputatus iudicatur ad ſacras actiones. Fundamentum illius eſt, quia hoc modo redditur clara doctrina de Charactere, quæ alioquin difficilis eſt. Caietanus, Suarez, Coninck & Recentiores opinantur, ſententiam Durandi eſſe hæreticam, quia Concilia dicunt per ea tria Sacramenta imprimi Characterem: hoc autem non conuenit denominationi extrinſecæ. Excuſat Durandum Vaſquez, & meritò, oſtendens argumentum non eſſe efficax; nam etiam ſolemus dicere per peccatum imprimi maculam in anima, quæ in Apocalypſi vocatur Character beſtiæ; & tamen peccatum habituale, ſeu macula per actuale impreſſa, non eſt qualitas phyſica, vt & Suarez fatetur, ſed denominatio extrinſeca moraliter perſeuerans à peccato præcedente, perinde ac ſi actu exiſteret, vt aliunde ſuppono; ergo etſi dicamus Characterem non eſſe niſi denominationem phyſicè extrinſecam, internam autem moraliter; poſſumus etiam eam vocare Characterem, & dicere impreſſum per ea Sacramenta. Confirmatur, quia in rebus moralibus frequenter dicimus inuſtam & impreſſam alicui notam, infamiam, &c. cùm tamen hæc nota & infamia non ſit qualitas phyſica permanens, ſed denominatio extrinſeca.

Character denominatio eſt extrinſeca. — *Durandus arguitur erroris à Caietano, Suar. & Coninck: Excuſatur à Vaſquez, & meritò.*

Secundò arguunt Suarez & Coninck, quia etiam Character dicitur ſignum quoddam ſpirituale: id quod non conuenit denominationi extrinſecæ, ergo. Reſpondet Vaſquez: Sicut poteſtas conficiendi Sacramenta dicitur poteſtas animæ, licet ſit pura denominatio extrinſeca, ita etiam Character, licet ſit ſola denominatio extrinſeca, poterit dici ſignum ſpirituale. Non video, quomodo ex poteſtate ad rationem ſigni argumentetur Vaſquez; ideò ea inſtantia omiſſa dico non vrgere argumentum Suarez; nam ſæpè multas denominationes extrinſecas vocamus ſigna: ſic gradus Magiſterij aut Doctoratus dicitur eſſe ſignum doctrinæ, & quoddam diſtinctiuum à cæteris; & tamen ſolùm eſt denominatio extrinſeca: ita etiam ſedere in eminentiori loco moraliter dicitur ſignum præeminentiæ, & tamen ibi includitur multum de denominatione extrinſeca, ſcilicet carentia ſeſſionis alterius in eminentiori adhuc loco: quæ carentia ſine dubio eſt denominatio extrinſeca reſpectu iſtius. Idem etiam poſſet in aliis exemplis probari, nam tituli Comitis, Marchionis, &c. ſunt ſigna nobilitatis, &c. & tamen ſunt denominatio extrinſeca. 14

Secundum argumentum contra Durandum. — *Refutatur exemplis.*

Replicant nonnulli negando conſequentiam à peccato ad Characterem, quia ſignificatio propria vocum debet inferri ex ſubiecta materia, quæ ſi non fuerit capax niſi ſignificationis tranſlatitiæ, vel analogicæ, in illa debent accipi verba, vti quando in ſacra Scriptura dicitur, *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, non poteſt τὸ *erant* intelligi niſi impropriè, quia quod nihil eſt, vti tenebræ nihil ſunt, non poteſt dici habere veram exiſtentiam, & idem eſt de peccato, vbi omnia debent intelligi moraliter, cùm illud pertineat ad genus moris. At quando loquitur Concilium de Charactere, & ille dicitur imprimi in anima, debet neceſſariò id intelligi de phyſica & vera entitate, quæ phyſicè imprimatur, nam verus & proprius Character eſt phyſicus. Sicut quando animæ in Purgatorio dicuntur vel in inferno pati dolorem, non intelligitur id de dolore morali, ſed de phyſico ſpirituali, vti dum de igne agitur, de vero igne, non de metaphorico id intelligitur, ergo oportet hîc verum & phyſicum Characterem, non tantùm moralem intelligere. Hæc impugnatio non eſt admodum efficax, imò videtur in ea ſupponi id quod eſſet probandum, admittimus ergo, debere verba ſacræ Scripturæ & Conciliorum intelligi iuxta ſubiectam materiam. At tota difficultas eſt, vtrùm hæc materia Characteris non ſit maiori ex parte moralis. Alioquin cùm vſurpetur idem verbum Characteris in Apocalypſi, intelligere deberemus phyſicum & realem Characterem beſtiæ illis fuiſſe impreſſum, 15

Gen. 1. — *Aliquorum refutatio improbatur.* — *Character beſtiæ in Apocalypſi quid intelligatur.*

Digitized by Google

preſſum, de quibus ibidem agit ſanctus Ioannes; certum autem eſt id eſſe contra communem ſenſum Interpretum, qui hoc loco ſolum Characterem moralem intelligunt. Quod de peccato dicitur, in eo ſcilicet materiam purè eſſe moralem, mihi videtur nequaquam verum vel certè magis dubium quàm in Charactere.

16 Etenim ob ſimile argumentum, quòd verba ſint intelligenda in rigore, volunt valdè multi (vt diximus ſuo loco) peccatum habituale conſiſtere formaliter ſaltem inadæquatè in priuatione intrinſeca gratiæ: id quod maximè vrgent in Originali; eò quòd de illo dicat Concilium *ineſſe vnicuique intrinſecum & proprium*: vbi non videtur Concilium minùs denotare aliquid omnino phyſicum, quàm dum agit de Charactere; igitur minùs benè in eo argumento dicitur, in peccato materiam eſſe omnino moralem magis quàm in Charactere; imò addo, fortè in Charactere id dici meliùs poſſe; quia Character paſſim vſurpatur pro diſtinctione ſolùm morali; ſupponit argumentum id quod deberet probare, ſcilicet Characterem verum iuxta receptam ſignificationem ſolùm eſſe Characterem phyſicum & realem. Inſtantia autem de dolore & igne Purgatorij ac inferni non vrget, quia dolor nunquam vſurpatur pro dolore morali. Neque capio, quid hi Auctores per moralem dolorem velint ſignificare, vt intelligi de illo poſſent loca quæ agunt de eis doloribus. Quod ad ignem attinet, non eſt vlla difficultas; quia concipi non poteſt in modo vulgari, nec ſemel auditur *ignis moralis*. Adde quoad torturam, Auctores multos eſſe qui negent ab ipſo igne immediatè torquendos damnatos, niſi ſolum apprehenſiuè, vt docet Vaſquez: id quod poteſt quodammodo reduci ad torturam moralem; ergo ex igne nullum deducitur argumentum ad probandum Characterem debere eſſe quid phyſicum.

Oſtenditur, Characterem non neceſſario eſſe qualitatem phyſicam.

17 Replicabis tamen Secundò: Ea denominatio extrinſeca eſſe non poteſt propriè loquendo ſignum; nam cum nullum in ſe habeat aliud eſſe quàm entitatem præteritam, videri ſanè in ſe nequaquam poteſt, niſi forma ipſa præterita videatur; vnde potiùs Sacramentum ſuſceptum eſſet ſignùm ſeu occaſio concipiendi aliquid morale in Sacerdote v.g. quàm è contrario. Reſpondeo tamen Primò, Certum eſſe, Characterem pro nobis non poſſe eſſe ſignum in ſe ipſo; quia illum videre nequaquam poſſumus; ergo cum de nobis maximè loquatur Concilium potiùs colligere deberemus ipſam ſuſceptionem phyſicam præcedentis Sacramenti (quæ viſibilis eſt à nobis) eſſe ſignum illud de quo loquitur Concilium; neque obſtat quòd ea ſuſceptio non ſit ſpirituale aliquid, ac proinde quòd non poſſit eſſe ſignum ſpirituale, vt loquitur Tridentinum. Etenim facilè poteſt reſponderi, ideò dici ſpirituale, quia eſt poteſtas ſpiritualis conficiendi corpus & ſanguinem Chriſti, &c. Quod autem dicebatur ipſum potiùs Sacramentum debere dici ſignum Characteris, quàm è contrario, non multum vrget; quia in iſtis rebus moralibus (vt ſuo loco notauimus) licet conſiſtant formaliter in ipſa entitate phyſica præcedente, concipiuntur tamen ab hominibus per modum alicuius rei diſtinctæ, & quaſi relictæ ex phyſica entitate præterita; ſic enim dicimus obligationem obediendi, &c. eſſe aliquid in nobis, & quaſi in nobis manere, cum tamen re ipſa nihil aliud ſit quam ipſamet phyſica voluntas Superioris mandantis. Idem dico in aliis rebus, vt in iniuria, in obligatione reſtituendi, &c. Quo poſito, illa poteſtas relicta ex Baptiſmo ſuſcipiendi omnia Sacramenta; illa poteſtas, quæ Sacerdotibus conceditur, dici meritò poteſt iuxta communem modum loquendi ſignum quoddam diſtinguens ordinatum & baptizatum à reliquis.

Replica ſoluta, & Concilium Tridentinum examinatum.

Verùm hinc obiicies Tertio, & difficiliùs: Confirmatio nullam poteſtatem, nullum ius tribuit ſpeciale, quod dici poſſit perpetuum ſignum, ſeu Character; ergo niſi ibi concedatur aliquid phyſicum productum in anima, non poterit locum habere ea definitio Concilij. Quod ſi dixeris ſignum illud eſſe ius, quod habet confirmatus ad ſpecialia auxilia, facilè reiecteris, nam ſimile ius tribuunt omnia Sacramenta, matrimonium v.g. ad auxilia pro fructuosè tolerandis oneribus eius ſtatus. Quòd autem in matrimonio non ſit perpetuum hoc ius, non obeſt, quia de ratione ſigni & Characteris vt ſic non eſt perpetuitas illa ſumma; ergo niſi recurratur ad phyſicum aliquid ſpeciale, quod per Confirmationem cauſetur, non poterit ſpecialiter dici per illam cauſari Characterem, non verò per reliqua omnia Sacramenta. Reſpondeo, In Sacramento Confirmationis (iuxta Durandi ſententiam) Characterem non vocari illud ius auxilia habendi, quia (vt optimè conuincit obiectio) in eo conuenit Confirmatio cum Sacramentis cæteris; ſed ſicut Auctores, qui hac obiectione vtuntur, dicunt per Confirmationem hominem accipere quòd computetur in familia Chriſti, tanquam ſi eſſet eius miles, hoc autem nequaquam aliis Sacramentis conuenire, quia nec ratione matrimonij, nec ratione reliquorum accipit homò denominationem pertinentis ad familiam Chriſti; ita dicet Durandus nullum eſſe nec per modum denominationis extrinſecæ Characterem in Matrimonio, reliquiſque tribus Sacramentis; ergo intra denominationem extrinſecam poſſumus adhuc aſſignare diſparitatem inter Confirmationem & quatuor Sacramenta, quæ Characterem non imprimunt. 18

Obiectio à Sacramento Confirmationis.

Reſponſio iuxta ſententiam Durandi.

Quartò argumentantur contra Durandum, & ſimul replicatur contra ſolutiones vtriuſque argumenti; nam hæretici negantes Characterem non voluerunt negare eam denominationem extrinſecam; ergo Concilium illos damnans aliquid aliud præter denominationem extrinſecam aſſerere voluit. Reſpondet bene Vaſquez, hæreticos negaſſe & Sacramentum Ordinis & Confirmationis; vnde & negatunt denominationem extrinſecam prout à Durando ponitur; hic enim ait eam prouenire ex Sacramento validè ſuſcepto: hæretici autem dicunt quemcumque Sacerdotem independenter ab Ordine habere poteſtatem conficiendi cœnam Domini; vnde admittunt, relicto officio concionandi & miniſterio Sacramentorum poſſe ex Sacerdote fieri laïcum; quod longè abeſt à ſententia Durandi. Solùm eſt difficultas in Sacramento Baptiſmi, quod admittunt hæretici, & conſequenter in eo etiam videntur admittere eam denominationem extrinſecam prout à Durando ponitur. Reſpondeo tamen, Etiamſi fortè in hoc puncto non errauerint, abſolutè tamen meritò damnari, quia in tota doctrina de Charactere ſimpliciter errant, licet ex parte aliquid veri fateantur. Adde, fortè etiam eos ibi errare, indicantes 19

Argumento quarto contra Durandum benè reſpondet Vaſquez.

cantes abnegata prorſus Fide Chriſti hominem deſinere eſſe ſub Eccleſiæ iuriſdictione ; vnde non admittunt eam perpetuitatem denominationis extrinſecæ quam ponit Durandus.

Argumentū Coninck ſumptum à gratia.

Quintò obiicit Coninck, Quia ſicut Concilia dicunt gratiam, qua reddimur ſancti, eſſe aliquid nobis inhærens;& inde infertur à Theologis vt omnino certum, gratiam eſſe aliquid phyſicum nobis intrinſecum ; ita etiam cùm Concilium dicat imprimi Characterem, quod idem eſt ac inhærere nobis, debet inferri vt certum, Characterem eſſe aliquid phyſicum nobis extrinſecum. Reſpondeo, Diſparem eſſe rationem ; nam Concilium non ſolùm dicit gratiam nobis infundi, ſed excludit denominationes extrinſecas imputationis aut voluntatis Dei, &c. Ex quibus omnibus ſumptis rectè infertur eam gratiā eſſe phyſicum quid intrinſecum;at in Charactere non facit Conciliū eas excluſiones.

Aſſignatur ratio diſparitatis.

20 Nihilominùs tamen omnino reiicienda eſt opinio Durandi;nam Tridentinum Seſſione 23. cap. 3. & 4. & Canone 1. & 4. condiſtinguit manifeſte poteſtatem perpetuam & irreuocabilem (quam Durandus vocat denominationem extrinſecam & Characterem) ab ipſo Charactere ait enim : *Si quis dixerit, Vel per hoc Sacramentum poteſtatem non concedi, vel ſemel ordinatum poſſe fieri laicum, vel Characterem non imprimi ; anathema ſit* : illa enim particula *vel* denotat diſtinctionem inter Characterem & poteſtatem irreuocabilem ; & videtur ſupponere Concilium, poſſe eſſe circa hoc Sacramentum diuerſos errores,ſcilicet vel non imprimi Characterem, etiamſi per hoc Sacramentum concedatur poteſtas, & non poſſit ſemel ordinatus fieri laicus;vel è contrario poſſe errari dicendo imprimi Characterem, non tamen poteſtatem eſſe perpetuam, aut non poſſe Sacerdotem fieri laicum ; ergo non ſatisfacit Durandus menti Concilij ponendo poteſtatem perpetuam in Sacerdote ab Ordine prouenientem & irreuocabilem ; ſed præter hoc debet fateri imprimi Characterem : quod re ipſa ille negat, licet primum illud vocet Characterem. Confirmatur ex locis ſuprà poſitis ; quæ licet non ita manifeſtè impugnent Durandum, certè ſimul omnia ſumpta efficaciter videntur oſtendere, aliam fuiſſe mentem Concilij in impreſſione Characteris quàm Durandus explicet.

Concluditur, reiiciendum eſſe opinionem Durandi,ex Concilio Tridentino.

Contraria ergo ſententia, Characterem eſſe entitatem aliquam realem in anima productam tenet communis ſententia, vt videre eſt apud citatos;& ſufficienter ex prædictis locis Concilij ſuadetur. A ratione poſſumus dicere, quia nec à priori in ſe à nobis eſt cognitus Character nec vllus habet effectus, è quibus à poſteriori ipſius diſtinctionem probemus.

Tenendum cum ſententia communi, Characterem eſſe entitatē realem etſi demonſtrari ratione non poſſit.

Quod obiiciebat Durandus, per illam explicationem myſteria Fidei reddi faciliora, facilè negatur;nam admittere vnam qualitatem phyſicam infuſam perpetuò inhærentem animæ, non eſt adeò difficile.

SECTIO IV.

Vtrùm Character ſit ſignum ad placitum?

21 DE Characteris eſſentia fusè valdè multi Auctores, & verò, vt puto, ſolùm purè diuinando ; nam cùm Characterem (vt iam ſæpè inſinuaui) non noſcamus niſi ex Fide, Fides autem de natura illius parum aut nihil nobis dicat,certè illa quæ de eo dicimus magis ex coniecturis, aut ex diuinatione aſſerimus quàm ex firmo fundamento : illum eſſe ſignum communiter omnes docent ; quale autem, & quomodo, difficilius eſt : quidam dixere illum eſſe è numero relationum prædicamentalium : ſignum enim omne habet ſe per modum relationis prædicamentalis. Ita Scotus in 4. diſtinct. 6. quæſt. 10. Quæ doctrina dupliciter poteſt intelligi ; Primò, vt Character ſi relatio prædicamentalis ad Chriſtum ; cuius diſcipulus, miles & miniſter conſtituitur homo per tria Sacramenta iuxta ſuprà dicta : poteſt etiam intelligi vt ſit relatio prædicamentalis ad actiones, ad quas homo ſpecialiter deſtinatur per ea Sacramenta. Quo ſuppoſito cenſeo, ſi Character ſolùm dicatur ſignum ad placitum, de quo paulò poſt, ſatis probabiliter eam defendi poſſe ; non quaſi tota eſſentia Characteris ſit ratio relationis prædicamentalis, quia (vt fusè Tomo Philoſophico oſtendi) relatio prædicamentalis nihil eſt diſtinctum à fundamento & termino, ac proinde debet fundari in aliquo prædicato alio quaſi abſoluto : vti relatio ſimilitudinis albedinis ſunt duæ albedines ſimul exiſtentes ; relatio patris eſt ipſa entitas patris & filij ſimul cum generatione præcedenti ; relatio ſigni ad placitum, v. g. in ramo ſignificante venditionem vini, eſt ipſa voluntas communitatis ita ſtatuentis adhuc moraliter perſeuerans. In hoc ſenſu poſſet Scoti ſententia probabiliter defendi, vt Character ſit quædam qualitas, quam Deus ex ſua libera voluntate conſtituit, vt ſignum receptorum Sacramentorum, & poteſtatis, quam homo per illa accipit ; ita vt ſupra illam entitatem eius qualitatis addat ratio Characteris denominationem illam ex voluntate Dei eam inſtituentis in ſignum, idcòque dicatur in hac relatione prædicamentali eo modo explicata conſiſtere Charactarem.

Scoti ſententia, Characterem eſſe relationem, dupliciter intelligi poteſt. Vt relatio prædicamentalis ad Chriſtum.

Dices : In triduo mortis Chriſti Apoſtoli retinuerunt Characterem Baptiſmi & Ordinis, ergo ille Character non poterat eſſe relatio prædicamentalis, quia hæc non durat pereunte termino. Ob hoc argumentum nonnulli putant non poſſe illum Characterem dici relationem prædicamentalem, nec quidem eo modò, quo ratio ſerui dicitur ratio prædicamentalis reſpectu Domini ; ac proinde dicunt Characterem non facere, ſed ſupponere ſeruum. Ego tamen iudico obiectionem eſſe valdè leuem : Primò, quia etiam aliquæ relationes prædicamentales videntur eſſe ad terminos non exiſtentes, vti relatio prioris & poſterioris. Quidquid verò de hoc ſit, facilè Secundò poſſet reſponderi, eam relationem non eſſe ad Chriſtum vt dicit vnionem animæ ad corpus, ſed ad animam ipſius propriè ; quando verò hæc eſt vnita corpori, eam relationem eſſe etiam ad totum Chriſtum. In quo puncto minùs benè mihi videtur vſus hoc argumento contra Scotum Cardinalis Lugo, cùm ipſe (vt infrà videbimus) concedat Characteri naturalem ordinem ad Chriſtum,& ſimul concedat illum manſiſſe in Apoſtolis in triduo mortis eiuſdem : vti enim potuit ille ordo manere,potuit etiam manere, eſto dicamus illum ordinem eſſe prædicamentalem. Et ſatis de ea Scoti ſententia,caſu quo Character ſit tantùm ſignum ad placitum. 22

In triduo verò mortis ad ipſam animam.

Sit

Digitized by Google

23 *Sententia Cardinalis Lugo & Salas.*

Sit ergo ſecunda ſententia eiuſdem Cardinalis Lugo ſect. 5. num. 38. vbi cum Patre Salas 1. Tomo in primam ſecundæ Tract. 2. diſput. 8. ſect. 3. num. 61. affirmat Characterem eſſe qualitatem quandam natura ſua, & non ex ſola ordinatione Dei ſignificantem tum Chriſtum, tum ipſum hominem, quem fecit ſeruum Chriſti, tum Sacramenta, ad quæ dat ius, tum gratiam & auxilia gratiæ, quæ quodammodò exigit; ita vt talis qualitas produci non potuerit ſaltem naturaliter, niſi Chriſtus exiſteret, & niſi ea Sacramenta eſſent re ipſa inſtituta. Fundamenta huius opinionis ſunt hæc: Primum, quod nullatenus repugnet diuinitus vna qualitas connexionem hanc naturalem phyſicam habens cum his omnibus: quæ enim contradictoria aſſignari in hac connexione poterunt? hac autem poſſibilitate ſemel admiſſa, quòd illa qualitas re ipſa de facto exiſtat, videtur eſſe valdè conforme modo loquendi ſanctorum Patrum, quos Suarez citat diſput. 11. ſect. 1. maximè Baſilij Oratione 3. quæ eſt Exhortatio ad Martyrium; vbi exemplo teſſeræ, quam Duces dant ſub ſe militantibus, vt facilius noſcantur, ait Characterem Dei eſſe ad diſtinguendos ſeu dignoſcendos ab Angelo milites Chriſti; alioquin ſi ſignum in eis non inueniant Angeli, non pugnabunt pro illis. Eundem ferè modum diſcurrendi habent Nazianzenus Oratione 2. in ſanctum Lauacrum, Chryſoſtomus Hom. 2. in Epiſtolam ad Epheſios, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, Ambroſius, Auguſtinus, & alij apud Bellarminum lib. 2. de Effectu Sacramentorum cap. 21. Secundò probat eamdem ſententiam, quia ſi Characteris eſſentia non conſiſteret in hac intrinſeca ratione ſigni, non deberent Patres illum per eam declarare, ſed per alia prædicata propria. Tertiò, quia ad rationem ſigni præcisè ad placitum ſufficit qualitas naturalis; nam ad libitum poteſt res naturalis aſſumi ad ſignificandam rem in ſe ſupernaturalem vti capitis tonſura, ſeu corona, quæ in ſe eſt quid naturale, ſignificat Sacerdotis poteſtatem, quæ eſt ſupernaturalis; ergo non fuiſſet neceſſarium imprimi qualitatem ſupernaturalem.

Fundamenta illius ſententiæ.

24 Ego circa hanc Salas & Lugo ſententiam libenter admitto, non facilè poſſe oſtendi repugnantiam in aliqua qualitate, quæ habeat eum ordinem ſibi identificatum ad Chriſtum, ad hominem, ad gratiam, &c. Nihilominùs tamen in præſenti dico rem mihi eſſe valdè dubiam, ac proinde multò magis me propendere in ſententiam communem, quæ docet, Characterem ſolum eſſe ſignum purè ad placitum. Ratio qua moueor eſt, quia licet admittam in qualitate phyſica mortua ordinem illum ad Chriſtum & ad auxilia phyſica gratiæ, non capio quomodo ea qualitas ſignificet eam ſeruitutem ſpecialem Chriſtiani ad Chriſtum: illa enim ſeruitus eſt quoddam ius planè morale, quod non facilè poteſt per qualitatem illam mortuam phyſicè repræſentari, eſto ea qualitas dicat ordinem ad Chriſtum, & ad hominem vt ad ſubiectum in quo recipitur: quomodo enim quæſo reſpicit Chriſtum vt Dominum, & hominem vt ſeruum? Semper loquor de qualitate mortua, quia in actu intellectus affirmante ſeruitutem, & in actu voluntatis, eamdem aut amante autreſpuente facilè concipitur eiuſmodi ordo. Secundò, eſt valdè durum dicere, Characterem illum dicere ordinem ad hanc numero humanitatem Chriſti potius quàm ad aliam, & ad hanc numero vnionem ſecundæ perſonæ potiùs quàm ad aliam, vt nec fuiſſet nec potuiſſet eſſe hic Character, ſi vel incarnata fuiſſet alia perſona diuina, vel hæc in alia humanitate. Tertiò, debet etiam poni in illa ordo ad abſolutionem à peccatis per confeſſionem & per verba, ita vt ſi Chriſtus vel non requiſiſſet confeſſionem peccatorum, vel poſt confeſſionem ſolùm requiſiſſet ſignum aliud à verbis diſtinctum, quo abſolueretur pœnitens, iam non potuiſſet hic Character eſſe, quia tunc eſſet ſine dubio diuerſum Sacramentum Pœnitentiæ à noſtro; ac proinde non potuiſſet ab hoc in ſpecie Charactere ſignificari: idem eſt de aliis Sacramentis; nam cum in eorum adminiſtratione multa concurrant entia moralia, valdè difficulter concipitur in vna qualitate connexio eſſentialis cum rebus inter ſe adeò diſparatis; cumque (vt ſtatim videbimus) nulla planè ſit neceſſitas recurrendi ad tam extraordinariam qualitatem, profectò non eſt cur dicamus eam de facto dari. Et verò hic optimo iure habet locum ratio Durandi (qua ille minùs benè vtitur ad negandum Characterem eſſe quid phyſicum;) ea autem erat, quòd debeamus myſteria noſtræ Fidei reddere quàm poſſit fieri facilia, non verò inintelligibilia: hæc inquam ratio habet hic locum; nam Concilia, Patres, Scholaſticorum auctoritas, quæ nos cogunt contra Durandum ad ponendam qualitatem phyſicam diſtinctam, nequaquam vel per vmbram nos cogunt ad admittendum in ea tam difficilem ordinem & connexionem naturalem cum tot rebus diſtinctis. At verò in vna qualitate phyſica, quæ ſit per modum ornatus animæ (vt dicemus ſtatim) & à Deo accepta ſit ad libitum pro ſigno earum rerum, nulla eſt difficultas; ac proinde ratio Durandi locum hic habet. Quidquid ergo ſit in ordine ad potentiam abſolutam, in ordine ad quam multa admittimus valdè difficilia captu, non debemus tam facilè admittere de facto eiuſmodi difficillimam qualitatem, ſed clariori inſinuato modo diſcurrere.

Sententia communis, Characterem eſſe ſignum ad placitum. Rationes pro hac ſententia.

25 *Durandi ratio pro noſtra ſententia militat.*

Dices fortaſſe, Si ea qualitas dicat ordinem naturalem & intrinſecum ad vnicam volitionem phyſicam Chriſti, qua voluit hæc Sacramenta ſeptem inſtituere cum his materiis & formis in ſpecie, vti de facto ea inſtituit; profectò facillimè intelligetur, quomodo ea qualitas habeat connexionem cum iis omnibus rebus, quia cum illis eiſdem eam habet ea volitio: quis autem dubitet eſſe facillimum intelligere vnam qualitatem habentem ordinem phyſicum ad vnam phyſicam volitionem Chriſti; ergo non eſt adeò dura ea connexio. Sed contrà Primò, quia Auctores eius ſententiæ plus longè quàm hoc volunt, & immediatum ordinem videntur tribuere Characteri ad ea omnia. Secundò, quia etiam per hunc ordinem difficulter valdè explicatur, quomodo illa qualitas naturaliter repræſentet ſeruitutem, & ſit naturalis nota illius; alioquin etiam mea naturalis cognitio, quà nunc, dum hæc ſcribo, cogito de ea volitione Chriſti, eſſet etiam ſuo modo Character, quia etiam hæc cognitio dicit ordinem eſſentialem ad eam volitionem Chriſti, in qua continentur ea omnia Sacramenta, &c. Hoc autem videtur eſſe falſum, & præter mentem omnium Scholaſticorum, ac ſpecialiter huius Auctoris, qui,

Replica ſoluitur.

Digitized by Google

qui, vt vidimus, ea ratione ponit talem connexionem in Charactere, quia iudicat in qualitate naturali non poſſe eam reperiri; ac proinde hic etiam haberet locum argumentum, quo hi Auctores contra nos vtuntur, ſcilicet per naturalem qualitatem potuiſſe ſaluari Characterem, ſi ſolùm eſſet ſignum ad placitum: hoc inquam haberet locum contra hos Auctores; nam ordo ille intrinſecus ad actum Chriſti poteſt eſſe, vt dixi, in qualitate naturali; ergo hæc poſſet eſſe Character. Conſtet igitur, difficulter valdè percipi illam rationem ſigilli naturalis, connexi cum toto hoc ordine & ſtatu nouæ Legis, & cum omnibus illius Sacramentis, ita vt vel vno mutato neceſſariò Character periret. Ad hominem etiam poſſet idem oſtendi, nam in triduo mortis Chriſti fuit in Apoſtolis & in aliis baptizatis Character, & tamen tunc non exiſtebat Chriſtus; ergo ille Character non habet connexionem naturalem cum exiſtentia Chriſti.

Argumentum ad hominem.

26 *Reſponſiones eliduntur. Prima.*

Reſpondebis Primò, habere connexionem cum ſola anima Chriſti. Sed contrà quia ſola anima niſi vnita ſit corpori, & quidem paſſibili ac ad redemptionem noſtram deſtinato, non fuit cauſa noſtræ reparationis; ergo Character non habet cum ea ſola connexionem.

Secunda.

Reſpondebis Secundò, Characterem dicere quidem ordinem ad Chriſtum, non tamen vt exiſtentem. Sed contra, ergo eſto Chriſtus non fuiſſet re ipſa, & à fortiori eſto non inſtituiſſet Sacramenta, potuiſſet exiſtere connaturaliter hic Character; hoc autem clariſſimè eſt contra hos Auctores.

Tertia.

Reſpondebis Tertiò, eum dicere ordinem ad Chriſtum etiam vt exiſtentem, non tamen vt ſemper exiſtentem, ſed vt aliquando. Sed contra, quia hoc ipſum difficillimè intelligitur, quid faciat ad illum Characterem Chriſtum aliquando eſſe, ſi non pendet ab illo ſemper. Admitto quidem libenter aliquas qualitates eſſe, imò & ſubſtantias quæ pendent ab aliis in fieri, non autem in conſeruari; at hoc modo non poteſt id de Charactere dici, quia Chriſtus eum non producit phyſicè. Vnde ſi in triduo mortis Chriſti baptizaſſent Apoſtoli aliquem, nemo negabit fore vt tunc fuiſſet productus Character baptiſmalis in eo baptizato. Quòd ſi ſemel phyſicè non pendet à Chriſto, vti à cauſa producente, aut conſeruante, quomodo concipietur facilè quòd pendeat non ſemper, niſi vt aliquando, ſiue hoc ſiue illo tempore? Deinde vrgeo contra indeterminatam eam dependentiam, quia inde fieret pro exigentia illius Characteris ſufficere, ſi etiam poſtquam ea Sacramenta ſunt inſtituta exiſteret Chriſtus; ac proinde potuiſſe etiam eiuſdem rationis Characterem in Lege veteri fuiſſe: id quod ab his negatur. Denique cùm ea qualitas non ſolùm repræſentet Chriſtum, ſed vt Dominum hominum, & homines è contrario vt ſeruos Chriſti: & quidem tunc quando datur Character, non poteſt facilè intelligi, quomodo potuerit tunc denotare de præſenti Apoſtolos vt ſeruos hominis non exiſtentis: id quod ſi fiat per repræſentationem ad placitum, nulla eſt difficultas, quia ea repræſentatio facilè extenditur ad rem futuram & præteritam.

Oſtendi quàm difficulter concipiatur illa naturalis connexio: ſemper voco connexionem, quia non vtor quorumdam argumento, cui bene reſpondet Cardinalis Lugo ſuprà, inde deſumpto, quòd non poſſit concipi in re naturali phyſica ratio ſigni. Etenim ſi detur naturalis ordo, eo ipſo dabitur ratio ſigni, non quaſi illa eadem res ſit repræſentatio formalis, ſed quatenus cognita vt obiectum, ob naturalem connexionem ducet in cognitionem alterius. In hoc ergo ordine ſeu connexione non facio ego difficultatem vllam; nam eo admiſſo facilè concipitur ratio ſigni.

27 *Patres pro Cardinale Lugo & Salas citati facilè explicantur.*

Iam ergo oſtendamus, nullam eſſe neceſſitatem eum ordinem ponendi; nam quidquid Patres dicunt de teſſera, ſigillo, Charactere, perfectiſſimè ſaluatur per phyſicam qualitatem ad id deputatam à Deo; imò (ſi licet vti exemplis & inſtantiis Patrum) profectò inde non confirmabitur, ſed potiùs reiicietur Cardinalis Lugo & Salas doctrina; nam omnes illæ teſſeræ, omnia illa ſigna militum, ſeruorum, &c. per quæ Patres declarant Characterem, ſunt ſigna purè purè ad placitum, & ex ſola voluntate Principum aut Reipublicæ aſſumpta ad eam ſignificationem; ergo etiam Character erit ad id ex ſola voluntate Dei deſignatus. Quoad Angelos autem, ipſum Deum & Chriſtum, haud dubiè ſufficit eos noſcere eam voluntatem Dei, vt eo ipſo ſine ordine intrinſeco in Charactere noſcant quidquid cum illo ordine noſcere poſſent: & verò negari non poteſt, Baſilium non locutum ad intentum huius Auctoris: nam certum eſt, ab Angelis cognitos eſſe & protectos eos iuſtos, qui vel in Lege naturæ & ſcripta, vbi nullus erat Character, vixerunt, vel in Lege gratiæ ante ſuſceptum vllum Sacramentum per contritionem iuſtificati, vel etiam martyrium paſſi ſunt, non ergo de eo Charactere vt eſt qualitas phyſica, & connexionem phyſicam habet, locutus eſt Baſilius & alij Patres ipſum imitati. Quod Secundo obiiciebatur, Si Character haberet aliam entitatem, ſeu alium conceptum, fore vt per illum à Patribus declaratus eſſet, & non per hanc rationem ſigni; hoc inquam non vrget, quia Patres agebant de ea qualitate non ſecundum alia prædicata quæ habet, ſed ſecundùm rationem Characteris, ſecundum quam nobis eſt reuelatus; ac proinde debuerunt agere de illa ſecundum eam rationem ſigni, ſiue ea ſit denominatio extrinſeca, ſiue intrinſeca; vti qui agit de teſſera militum, agit de illa ſecundum quod repræſentat militiam, alios verò conceptus, quos in ſe habet, panni aut ſerici non curat.

28 *Concluditur, Characterem eſſe qualitatem exornantem animam. Replica à damnatis, in quibus manet Character.*

Rogabis, Quam ergo entitatem ſeu quem conceptum ei tribuemus? Reſpondeo, Conceptum qualitatis exornantis animam, vti color exornat hominem. Replicabis; Ergo cum in damnatis etiam maneat (iuxta dicenda infrà) manebit ornatus aliquis ſupernaturalis: id quod videtur durum. Reſpondeo, Hac obiectione omnes peti: etenim eò quod ex natura ſua Character habeat ea omnia prædicata quæ illi tribuit Salas, non deſinit eſſe ornatus hominis; imò inde eſt maior, quia habet plura prædicata ad ornatum conducentia: videant ergo iam hi Auctores, quomodò in damnatis ille maneat cum illo toto conceptu ornatus. Reſpondeò Secundò, Etiamſi ſit aliquis ornatus phyſicus, quia tamen eò malè vſi ſunt damnati, fore illis potius in tormentum & in pœnam quàm abſolute in ornatum: cur autem in illis relinquatur, dicemus infrà, vbi magis ex profeſſo de ea duratione Characteris agetur.

Tertiæ rationi, quòd abſque fundamento aſſereretur

rcretur

Digitized by Google

fereretur illum Characterem eſſe ſupernaturalem, ſi ſolùm eſſet ſignum ad placitum, facilè reſpondeo Primò; Etiamſi demus illi hanc naturalem connexionem, quam dat aduerſa pars, adhuc tamen illum non continuò fore ſupernaturalem; quia, vt oſtendi ſæpè, actus ſupernaturalis & naturalis non differunt ex obiecto: id quod habet locum etiam in hac qualitate, quia etiam non differret ex parte terminorum à naturali, ſed præciſè ex modo eos reſpiciendi. Et verò paulò antè oſtendi, poſſe naturali alicui cognitioni conuenire illum naturalem ordinem, vti etiam de facto conuenit cognitioni naturali quâ dico, Chriſtus inſtituit Sacramenta, Chriſtus eſt noſter Dominus, & nos ſerui illius, &c. hæ enim cognitiones habent ordinem ad omnes illos terminos, quos in hominum ſententia naturaliter reſpicit Character; ergo ex hoc capite non magis nos premimur quàm ipſi.

Character eſt qualitas ſupernaturalis.

Abſolutè autem fortè aliquis diceret, eum Characterem eſſe qualitatem naturalem, quia nihil de eo puncto à Conciliis eſt definitum. Probabilius tamen videtur eum eſſe ſupernaturalem; nam licet ratio ſigni ad placitum poſſit etiam conuenire alicui qualitati naturali, poteſt etiam alicui ſupernaturali. Deus autem elegit ſupernaturalem præ naturali, vt illud ſignum eſſet magis conforme ordini gratiæ & auxiliis gratiæ ſupernaturalibus, propter quæ datur. Concludo ergo cum Patre Suario diſput. 11. ſect. 2. & cum Gabriele in 4. diſtinct. 6. quæſt. 1. Ochamo ibid. quæſt. 2. Vaſquez diſputat. 34. num. 61. & Recentioribus communiter, eam qualitatem ſolùm ſignificare ad libitum ex Dei inſtitutione.

SECTIO V.

Vtrùm Character ſit modus, & an in genere potentiæ?

SVBSECTIO I.

Explicatur prima quæſtio.

Soti ſententia, Characterem eſſe modum. Quam refutat Suarez.

29 QVÆRIMVS, Vtrùm Character ſit entitas modalis, an verò qualitas abſoluta. Sotus in 4. diſtinct. 1. quæſt. 4. art. 20. putat probabiliter eſſe modum; Suarez vbi proximè id reiicit diuerſis argumentis minùs efficacibus, quæ refutare non vacat, ait Cardinalis Lugo qui tamen non oſtendit, cur ea argumenta inefficacia ſint. Ego, & vt ſimul moleſtiam referendi & reiiciendi argumenta illa effugiam, & cur ea omnia reiici debeant, oſtendam breuiter. Obſeruo id quod alibi contra eundem Patrem Suarez notaui, modum eâ ſolâ & præciſâ ratione differre à re abſoluta, quòd hæc poteſt diuinitus ſeparari à ſubiecto, modus verò non. Hinc intuli contra eundem, Etiamſi gratia habitualis eſſet modus, poſſe nihilominus habere omnes illos conceptus illi ordinariè attributos; vt quòd ſit participatio diuinæ naturæ; quòd ſit vnio affectiua hominis cum Deo, radix habituum ſupernaturalium, &c. quia differentia illa ab entitate reali, quòd poſſit aut non poſſit ſeparari à ſubiecto, omnino ſe habet per accidens ad eos conceptus enumeratos; vti etſi albedo haberet eſſentialem affixionem ſubiecto, non propterea illud minùs redderet album. Imò contrarium videretur inde deducendum, quia quò maior eſt ea connexio formæ cum ſubiecto, videtur etiam magis accedere eadem forma ad identitatem cum ſubiecto; ac proinde dici quodammodò ille effectus poteſt magis intrinſecus ipſi ſubiecto: quò autem perfectio aliqua maiorem habet identitatem cum ſubiecto, eò eſt illius magis propria, conſequenter magis illud ornat. Vnde concludo, gratis ex conceptu vllo prædicati aut perfectionis huius vel illius formæ, præterquam ex illius ſeparabilitate à ſubiecto, inferri poſſe, vtrùm illa ſit res, an verò modus. Probo hinc facilè quod dixi, à Suario nullum afferri argumentum quod poſſit eſſe ad rem præſentem; nam nullum aliud eſſe poteſt bonum quàm ſi dicatur, Character eſt diuinitus ſeparabilis à ſubiecto, ita vt ſine illo eſſe poſſit. Hoc ſolum antecedens poteſt ad rem adduci; cætera, quòd Character hoc vel illud præſtet, ornet ſubiectum, ſit ſupernaturalis, &c. omnia ſunt extra rem. Atqui neque à ratione, cùm ex hac nihil habeamus de Charactere, neque ab authoritate quidquam poteſt adduci, quo probetur illud antecedens, ſcilicet, *Character diuinitus poteſt eſſe ſine ſubiecto*; quia de hoc puncto Concilia nihil penitus cogitarunt, ergo nihil penitus adducitur quod probet illum non eſſe modum. Ex hac doctrina facilè colliges, cur omnia argumenta Suarez pro ea ſententia ſint debilia. Vnica ergo probatio eius ſententiæ communis deſumenda eſt ex eo, quòd licet diuinitus non repugnet aliquis Character qui ſit modus; tamen quandiù non conſtat nobis talem eſſe productum, debemus ſemper diſcurrere in fauorem eius Characteris, ac proinde dicere, Deum diuinitus poſſe illum conſeruare ſine ſubiecto; hoc autem ipſum eſt dicere, illum non eſſe modum. Hanc rationem optimè tetigit Cardinalis Lugo ſuprà; eam autem ego fuſiùs in Philoſophia deduxi, & ex ea meo iudicio clariſſimè oſtendi durationem & vbicationem eſſe res abſolutas, non modos; quia ex eo quòd vbicatio mea poſſit diuinitus à me ſeparari, non ſequitur vllus proceſſus in infinitum, nec vlla alia contradictio, magis quàm ex eo quòd poſſit albedo ſeparari; ergo ſi argumentum immediatè factum eſt bonum, vti reuera eſt, oſtendit clarè, vbicationem eſſe qualitatem, non modum: id quod à Cardinale Lugo, Hurtado, aliiſque minùs conſequenter videtur negatum. Et de digreſſione hac ſatis.

Argumenta Suarez nullum habent pondus.

Concluditur tamen, Characterem non eſſe modum.

SVBSECTIO II.

Quomodo Character ſit potentia?

Sententia Suarez, Characterem non eſſe potentiam paſſiuam.

Eius argumenta.

TERTIA difficultas, Vtrùm Character 31
ſit potentia ad actus ſupernaturales, aut ad gratiam. De hac quæſtione fuſiſſimè agit Pater Suarez tam ſub titulo potentiæ phyſicæ quàm ſub titulo potentiæ moralis; diſcurrit autem per omnes tres Characteres, Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis, item per actiones omnes, ad quas poſſet concipi Character tanquam potentia; & Primò quidem, eò quòd Character Baptiſmi recipiatur in anima, Sacramenta verò in corpore, probat eum non poſſe eſſe potentiam receptiuam phyſicam reſpectu Sacramentorum; deinde neque reſpectu gratiæ Sacramentalis, cùm hæc immediatè recipiatur in anima, & non pendeat à Charactere; vti patet, quando quis primò iuſtificatur per contritionem ante vllum

Digitized by Google

Sacramentum; vti etiam olim ante inſtituta Sacramenta imprimentia Characterem recipiebatur gratia in anima; qua etiam ratione probat Sacramenta nec quidem per modum diſpoſitionis phyſicæ ſe habere, vel reſpectu ipſius phyſicæ ſuſceptionis Sacramenti, vel reſpectu gratiæ. Addit tamen, non facilè eum reiiciendum qui diceret Characterem Baptiſmi ſe habere per modum potentiæ reſpectu Characteris Confirmationis & Ordinis, eſto ſine fundamento & gratis id diceretur; quia ex eo quòd ex voluntate Chriſti Character baptiſmalis ſupponatur ante duos alios, nihil infertur, quod ex natura ſua ſit ſubiectum aut conditio. Ad hos vltimos addi etiam poteſt hæc ratio, quòd ſi homo eſſet baptizatus validè, eſto Deus miraculosè impediiſſet Characterem, adhuc homo poſſet ea omnia Sacramenta ſuſcipere quæ nunc; ergo Character ille non eſt potentia paſſiua phyſica ad alia Sacramenta.

32 *Eiuſdem Suarez ſententia, non eſſe potentiam actiuam phyſicam:* Iiſdem autem rationibus probat non eſſe potentiam actiuam phyſicam, quia Sacramenta ipſa à Charactere non efficiuntur phyſicè; gratia verò habitualis à Miniſtro habente Characterem & adminiſtrante Sacramentum non cauſatur nec media volitione; quia non eſt neceſſarium vt Miniſter intendat producere Characterem neque ex natura ſua per actionem tranſeuntem; quia nulla qualitas eſſe poteſt natura ſua effectiua gratiæ. *Eiuſdem argumenta.* Et confirmat, quia ſi Character eſſet natura ſua productiuus gratiæ, eſſet nobiliſſima qualitas, quæque non deberet negari animæ Chriſti Domini: quòd ſi ideò dicatur diuinitus tantùm illum eleuari ad productionem gratiæ, adhuc non eſſet ideò dicendum, illum habere potentiam phyſicam natura ſua effectiuam gratiæ; quia eleuabilitas eſt commune prædicatum omni creaturæ. Denique, nec poſſe Sacerdotalem Characterem eſſe potentiam phyſicam reſpectu alterius Characteris probat etiam fusè, eò quòd Character Sacerdotis & Epiſcopi non producit phyſicè alium ſibi ſimilem; quia etiam Character Epiſcopi non concurrit ad productionem alterius immediatè & per ſe, ſed per Sacramentum, ſeu per verba & materiam; vnde ipſi Characteri non debet concedi vlla vis actiua efficiens. Denique id confirmat vltimò in Charactere Confirmationis, qui ad nullam actionem dat ius quam homo non poſſet ſine illo facere. Vnde colligit tandem, Characterem non poſſe dici potentiam niſi ſecundùm moralem quandam conſiderationem. Hæc ibi fusè Pater Suarez.

33 *Sententia Suarez recipitur.* Iudico rem non indigere tam longa deductione, ſed poſſe breuiſſimè totam quæſtionem decidi in negatiuam eam partem, quam adeò fusè Suarez probat. Etenim cùm huiuſmodi concurſum tribuere Characteri ſit valdè in ſe difficile, & nullum penitus aliunde ſit argumentum, quo vel apparenter probari id poſſit, haud dubie nullo modo eſt concedendus: non enim licet pro libidine cuiuſque concedere cuilibet rei virtutem naturalem producendi quamlibet. *Et probatur.* Præter illa autem quæ circa gratiam & Sacramenta benè dixit Pater Suarez, addimus, multò minùs eſſe poſſe eum Characterem cauſam phyſicam gratiarum, ſeu auxiliorum quæ per Sacramenta conferuntur: hæc enim auxilia ſunt illuſtrationes ſupernaturales, quæ fiunt ab intellectu, ſpeciebus & habitibus ſupernaturalibus, vti omnes alij actus intellectus; Character autem eſt omnino diſparatus in ordine ad cognitiones; ergo non eſt potentia ad illas. Denique cùm dixerimus ſuprà, Sacramenta non eſſe cauſas phyſicas gratiæ, ſed morales, oportet à fortiori omnem concurſum effectiuum negare Characteri maximè connaturalem. Vltimò denique id ſuadetur, quia cùm totus finis, ob quem Concilia ponunt Characterem, & quem ipſamet vox *Character* præ ſe fert, ſit ad diſtinguendum ſuum ſubiectum ab aliis, ad hunc autem finem impertinens omnino ſit ea actiuitas, nequaquam debet ei concedi.

Illud tamen poteſt conſequenter quæri, An ſaltem Character licet non concurrat actiuè aut paſſiuè ad effectus ſuprà enumeratos, dici tamen poſſit aliquo modo ex natura ſua potentia ordinata ad aliquos effectus aliquo modo cauſandos. *Alia quæſtio diſcutitur.* Affirmat Cardinalis Lugo ſuprà num. 42. contra Patrem Vaſquez ſuprà num. 94. & 95. Fundamentum illud adduci poteſt, quia ſicut character ſenſibilis deſeruit ſeruis quibus imprimitur, vt recordentur ſui ſtatus & officij; ſic Character Sacramentalis Baptiſmi cenſetur excitare habitus infuſos ad ſatisfaciendum debito Chriſtianæ ſeruitutis.

Meritò hæc ratio diſplicuit eidem Cardinali, quia Character non ſentitur à nobis, multò minùs ab habitibus infuſis: aliter ergo explicat eam vtilitatem in ordine ad Deum & ad Angelos qui illum nouerunt; & mouentur inde, Deus quidem ad danda ſpecialia auxilia, Angeli verò vt ſingularem curam illorum habeant: quos effectus operatur Character ob exigentiam ſuam phyſicam. 34 *Cardinalis Lugo aliquã cauſalitatem tribuit Characteri contra Vaſquez:* Contra hoc tamen ea eſt difficultas, quam idem Auctor ibi tangit; quòd ſcilicet ad eos effectus non tam mouet Character quàm Sacramentum ſuſceptum, cui ea auxilia debentur; ac proinde ſi ſuſcepto Baptiſmo impediretur Character, non dubium quin adhuc homo ille haberet ius ad ea auxilia: ſimiliter Sacerdos legitimè ordinatus, etiamſi Character ei non imprimeretur, haberet tamen poteſtatem conſecrandi & abſoluendi; ergo. Reſpondet huic difficultati, Characterem ita eſſe in ſignum poteſtatis, vt etiam ſit quaſi ſcriptura & inſtrumentum eiuſdem. *Obiectionem ſoluit.* Vnde ſicut de illo, qui gratiam aliquam à Pontifice obtinuit, dicunt multi habere eam facultatem, qua poſſit vti etiam ante Bullæ expeditionem in foro conſcientiæ; ipſa tamen expeditio Bullæ dat nouum titulum & nouum ius; ſicut etiam ſcriptura venditionis confirmat ius, quod emptor ex ipſo contractu acquiſierat; ita ſe habet Character per modum Bullæ aureæ, ſeu ſigilli diuini, quo Deus poteſtatem & ius acquiſitum homini proteſtatur. Vnde etiamſi antecedenter ad impreſſionem ſigilli homo ſit quaſi Sacerdos extrinſecè, non tamen eſt intrinſecè ſigillatus, quia ſuæ poteſtatis Bullam nondum habet expeditam; ipſa autem impreſſio dat ius nouum ad exigenda ea omnia quæ ex Sacramento ſuſcepto debebantur: id quod ſufficit vt Character dicatur aliquo modo potentia, & habere actiuitatem exigendo quæ Deus promiſit Sacramento.

35 *Solutio illa non ſatisfacit.* Hæc tamen ſolutio meo iudicio multum habet de modo loquendi, re autem ipſa non ſatiſfacit; nam in humanis non aliter huiuſmodi Bullæ aut teſtimonia dant ius quàm efficiendo vt noſcant alij voluntatem Principis dantis illud priuilegium; quia ſæpè poteſt eſſe grauis fraus in eo puncto: vnde ſi de ea voluntate aliunde

de perfectè conſtet, gratis ſe omnino habebit Bulla; neque illa aut confirmabit ius primum, aut ſecundum dabit. Cùm ergo in ordine ad ipſum Deum, qui voluit Sacramentis priuilegia annectere, non poſſit Bulla illa memoriam promiſſionis excitare, procul dubio illa ſe habebit gratis; cumque Deus ſemper maneat conſtans in ea voluntate, maxime erit inutilis Character. In ordine item ad Angelos Cuſtodes, qui independenter à Charactere ſciunt perfectiſſimè iam me eſſe baptizatum, &c. ſciuntque Deum velle vt ratione eius Baptiſmi ſpecialem habeant mei curam, erit etiam inutilis ille Character.

Simile de Bulla non eſt ad rem.

Dices: Contrarium docet Baſilius ſuprà citatus, qui ait, Si Angelus non videret Characterem Baptiſmi, non hab.turum ſpecialem hominis curam. Reſpondeo, Poſſe Baſilium intelligi vſurpaſſe ſignum pro re ſignificata, Characterem pro Baptiſmo: certum enim eſt (vt & hi ipſi cum quibus diſputo fatentur) etiamſi in baptizato impediretur Character, adhuc futuros eoſdem effectus Sacramenti qui iam fiunt; quomodo ergo intelligent Baſilium? Reſpondeo Secundo, Etiamſi dicamus Characterem deſeruire excitando Angelis ſpecies Baptiſmi ſuſcepti, id tamen non eſſe propriè concurrere ad eos effectus quaſi mouendo ad illos, ſed per modum conditionis per accidens; vti qui recordatur ſe vouiſſe ieiunium diebus Veneris, & recordatur hodie eſſe diem Veneris, non ieiunat tanquam ob motiuum, niſi ratione voti; memoria autem illa diei Veneris habet ſe per modum puræ conditionis. Quòd ſi hunc modum concurrendi præciſè velint hi Auctores tribuere Characteri, non ero valdè alienus ab eorum ſententia; dummodò tamen addatur (iuxta dicta ſuprà) eam excitationem ſpecierum non fieri ex natura phyſica Characteris, cùm oſtenderimus illum non eſſe ex ſe, ſed ſolùm ad placitum ſignum voluntatis diuinæ. Et de hac cauſalitate Characteris ſatis.

Baſilius ab ipſo citatus aliter explicatur.

Concluditur, qua poſſit concedi Characteri cauſalitas.

SECTIO VI.

In qua ſpecie ſit Character, & an ſit ſupernaturalis, & vbi ſubiectetur?

36 Ex dictis præcedenti ſectione colligitur, quid ſit dicendum circa quæſtionem primò loco propoſitam, in qua ſcilicet ſpecie qualitatis ſit Character: ſuprà oſtendimus illum non eſſe modum, ſed qualitatem perfectam; debet ergo eſſe in aliqua ſpecie qualitatis, ex his quæ ab Ariſtotele in prædicamento qualitatis ponuntur; ſunt autem habitus, diſpoſitio, potentia & impotentia, paſſio & paſſibilis qualitas, forma & figura. Non diſputo iam de bonitate diuiſionis huius, de qua multum dici poſſet; quia reuerà multa ex h s non ſunt qualitas, vt forma & figura, ſaltem iuxta communem ſententiam; nam maximè conſiſtit in vbicationibus, quæ reputantur communiter modi: paſſio item eſt modus. Ea ergo diſputatione omiſſa, diuerſiſſimæ ſunt ſententiæ circa Characterem; quidam eum faciunt potentiam ſiue imperfectam ſiue perfectam, alij habitum ſeu diſpoſitionem, tertiò alij paſſionem & paſſibilem qualitatem: denique non deſunt qui eum dicant eſſe figuram. Harum ſententiarum Auctores vide apud Bellarminum c.19. Suarez ſuprà, & Lugo ſect. 3. conſultò eos omitto, quia res eſt nullius momenti; & ex dictis à nobis explicantibus eius eſſentiam facillimè concluditur, nec eſſe potentiam, nec habitum, non etiam figuram, quia in qualitate ſpirituali & indiuiſibili non poteſt concipi ratio figuræ; eſt ergo iuxta dicta qualitas impotens ad modum, quo rubedo aliique colores qui non ſunt operatiui niſi fortè ſpecierum; (id quod tamen in præſenti non conſideratur?) explicatur autem per negationem potentiæ, quia (vt ſæpè ad diuerſiſſima propoſita notaui) neceſſum eſt ſemper vnum membrum diuiſionis explicare per negationem; vti in animatis ſpeciebus explicatur brutum per negationem rationis, ſeu voce illa *irrationale*: & idem oſtendi poteſt in omnibus aliis diuiſionibus. Poteſt etiam ad paſſibilem qualitatem ille reduci, quia eo nomine etiam comprehenduntur (vt Vaſquez notauit num. 54.) qualitates ſpirituales. Verùm quia difficulter explicatur, quomodo Characteri conueniat eſſe paſſibilem, faciliùs reducitur ad primam ſpeciem potentiæ & impotentiæ. Et ſatis de quæſtione ad ſolam vocem pertinente.

Sententia diuerſa de Charactere.

Character eſt qualitas impotens.

Circa ſecundam difficultatem, Vtrùm Character ſit ſupernaturalis in ſui entitate, Cardinalis Lugo contra Patrem Suarez & Vaſquez, qui Characterem dicunt eſſe ſignum ad placitum, ait vix poſſe ab eis reddi rationem, cur ille ſit ſupernaturalis. Verùm ſuprà iam oſtendi ipſum Cardinalem ſufficienter quidem probare, rationem ſigni ad placitum cadere poſſe ſupra rem naturalem; nequaquam tamen probare non poſſe, etiam cadere ſupra qualitatem ſupernaturalem; hoc autem oportebat probare, vt oſtenderet eum non eſſe ſupernaturalem. Suppoſito ergo, quòd poſſit vtriuſque ordinis eſſe ſignum illud ad placitum, iam ego ſic diſcurro; Vel habemus ex auctoritate ſufficiens fundamentum, vt dicamus Characterem eſſe ſupernaturalem, vel non habemus: ſi non habemus, ergo etiamſi dicamus eſſe naturalem, nihil tamen dicemus, quod commodè defendi non poſſit: ſi verò habemus fundamentum tale, vt debeamus dicere illum eſſe ſupernaturalem, tunc conſequenter dicam, etiamſi ſupernaturalitas Characteris non probetur præciſè ex eo, quòd ſit ſignum ad placitum (quia id poſſet habere, etiamſi eſſet entitas naturalis) nihilominùs quia & entitati etiam ſupernaturali poteſt conuenire ea ratio ſigni, & aliunde habemus quòd Character ſit ſupernaturalis, dicam inquam Deum pro ſua voluntate elegiſſe in eam rationem ſigni qualitatem ſupernaturalem, non verò naturalem; rationem etiam aliquam congruentiæ ſuprà tradidimus, quia ſcilicet voluit vt Character eſſet proportionatus ordini ipſi gratiæ ſupernaturalis quem ſignificat. Adde, nos oſtendiſſe etiam ſuprà, eſto ex natura ſua, & non ad placitum, fuiſſet ſignum, adhuc potuiſſe omnino eſſe naturale; ac proinde obiectio facta etiam premit eius Auctores.

37 *Diſquiritur, An ſit qualitas ſupernaturalis.*

Eſt qualitas ſupernaturalis.

Circa tertiam difficultatem de ſubiecto Characteris vix aliquid in homine eſt, vbi aliqui eum non poſuerint; quidam in corpore, alij in ſubſtantia animæ, tertij in intellectu, quarti in voluntate, quinti in intellectu & voluntate ſimul. In noſtris principiis, non diſtinguentibus animæ potentias ab ipſa anima, non poteſt eſſe dubium niſi inter corpus & animam. Pro quo Primò videtur eſſe certum, illum non recipi in corpore, quia eſt qualitas ſpiritualis; quæ

38 *De ſubiecto Characteris ſententia varia.*

quæ (iuxta alibi dicta) non poteſt in corpore recipi.

Durandus non cogitur Characterē ſubiectare in corpore, vt vult Suarez.

Dices; Si cum Durando aſſeramus illum nihil eſſe aliud quàm denominationem extrinſecam ex Sacramento præcedenti, debebimus, ſicut Sacramentum eſt receptum in corpore, conſequenter aſſirmare, Characterem in illo recipi, & ex hoc capite putat Pater Suarez Durandum ſenſiſſe Characterem recipi in corpore. Cardinalis Lugo ſect. 4. probat benè, in his rebus moralibus, etiamſi illæ conſiſtant (loquendo in toto rigore) in fundamentis phyſicis, concipi tamen à nobis aliquid quaſi ab illis poſt ſe relictum & diſtinctum. Vnde etſi fundamentum eius Characteris ſit Sacramentum in corpore receptum; nihilominus poteſt dici; eam poteſtatem ab eo relictam habere ſuam ſedem in anima, ac tandem non cogi ex hoc capite Durandum ad ponendum in corpore Characterem. Hac doctrina, quam iudico omnino veram, liberauimus nos ſuprà Durandum ab argumento, quod contra illum Suarez, Lugo & alij formarunt, ad probandum Characterem debere eſſe aliquod phyſicum; quia alioquin non poſſet dici ſignum ſpirituale. Dixi enim, eam denominationem permanentem, vt moraliter concipitur quid diſtinctum, rectè poſſe dici ſpiritualem; ſicut iam hic dicit Lugo eam recipi in anima, eſto Sacramentum fuerit receptum in corpore. Et de Durando ſatis.

39 *Character ſubiectatur in anima.*

Secundò tamen addo; Eſto potentiæ diſtinguantur ab anima, Character non debet recipi niſi in ſola anima. Moueor, quia (vt alibi docui) etiam ipſi habitus, intellectus, & voluntatis non recipiuntur in intellectu & voluntate, ſed in ipſa ſubſtantia animæ: id quod videor ſufficienter inde probare; nam etiam admiſſa ea diſtinctione potentiarum debet tamen concedi, animam immediatè concurrere efficienter ad intellectionem & volitionem tum efficiendam, tum recipiendam; imò illam eſſe quæ determinat voluntatem & intellectum diſtinctum, alioquin illa nec laudabilis nec reprehenſibilis eſſet.

Aſſignantur rationes.

Si ergo illa immediatè concurrit & determinat voluntatem & intellectū, profectò connaturalius eſt, vt in ipſa ponantur habitus intellectuales & volitiui, vt eis ipſa faciliùs & commodius vtatur, quàm in ipſis potentiis diſtinctis. Si autem ipſi habitus in anima ponuntur, à fortiori debet poni in eadem anima Character.

Dico à fortiori, quia Character propriè non eſt quid intellectuale, aut volitiuum, ac proinde ex hoc capite minor ratio eſt illum ponendi in voluntate aut intellectu. Denique, cùm ille ſit per modum ſigni denotantis ſeruum, militem & Sacerdotem Chriſti, & denominationes eiuſmodi immediatè cadant ſupra ſubſtantiam, ſine dubio in anima ipſa debebit immediatè recipi.

40 *Obiectio, Cur non ponatur in voluntate.*

Dices tamen Primò; Character eſt ſignum obligationis hominis ad Deum; ergo debet recipi in voluntate, cuius eſt Deo obedire, ſeu ei obligationi ſatisfacere. Prætereà Character eſt diſpoſitio ad gratiam; ergo debet recipi in voluntate, in qua gratia recipitur. Reſpondeo, Ex eo antecedenti potius inferri contrarium; nam obligatio Deo ſeruiendi in anima eſt, quæ ſola habet dominium in omnes ſuas potentias, & eas ſola dirigit, vt prætereà poſſit omnibus ſuis viribus Deo ſeruire. Quod de diſpoſitione ad gratiam dicitur non eſt ad rem; tum quia gratia maximè debet recipi in anima, quam Deo reddit amabilem, gratam, & filiam hæredem gloriæ, &c. qui effectus non poſſunt communicari voluntati diſtinctæ, tum quia iam dixi ſuprà Characterem non eſſe diſpoſitionem ad gratiam tum quia etiam conſequentia non eſt legitima; nam Thomiſtæ & multi paſſim dicunt omnes primas qualitates recipi immediatè in ſola quantitate, & tamen illæ ſunt diſpoſitiones ad formam, quæ in ſola materia immediatè recipitur; ergo non eſt neceſſarium, vt in eodem ſubiecto recipiatur ſemper forma & diſpoſitio ad formā.

Secundò obiicies cum aliis qui Characterem ponunt in intellectu; (inter quos eſt Diuus Thomas quæſt. 73. art. 4. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, & ex noſtris Pater Salas ſuprà ſect. 3. num. 70.) Character eſt quoddam ſpirituale lumen; ergo debet recipi in intellectu. Deinde, Character eſt figura, eſt imago, eſt ſignum; ergo debet recipi in intellectu. Prætereà, Character ordinatur ad proteſtationem Fidei; ergo debet recipi in intellectu, quo credimus. Iam dixi ſuprà, Etiamſi eſſet Character propriè actus intellectus, illum non recipiendum in intellectu ſed in anima, multò magis cùm ad actus intellectus non pertineat. Quod ergo obiicitur, illum eſſe ſignū, lumen, figuram, imaginem debet intelligi allegoricè, quatenus per modum ſigni inſtrumentalis ab aliis cognitum ducit, iuxta dicta ſuprà, in notitiam ſtatus & conditionis Chriſtiani, Sacerdotis, &c. ad hoc autem nequaquam eſt neceſſum vt recipiatur in intellectu, quia ea, quæ vt obiectum cognitum ducunt in aliorum notitiam, non oportet vt in intellectu ſint; imò addiderim, potiùs obeſſe, ſi in eo recipiantur; quia intellectus faciliùs cognoſcit alia extra ſe, quàm quæ in ſe habet. Quòd de actibus Fidei dicitur non eſt ad rem; nam Character Sacerdotis non ordinatur ad actus Fidei directè, Character autem Baptiſmi directè ordinatur ad omnes actus bonos Chriſtiani; inter quos maximam partem obtinent actus voluntatis. Deinde pro actu credendi maximè concurrit pia affectio voluntatis; ergo ex hoc capite nulla eſt ratio ponendi illum in intellectu ſed potiùs in voluntate. 41 *Obiectio, Cur ponatur in intellectu.*

Tertiò obiicies pro his qui eum ponunt in vtraque potentia, vt ſunt Bonauentura & Alexander apud Patrem Vaſquez num. 80. Character ordinatur ad actus vtriuſque potentiæ; ergo debet in vtraque recipi. Hæc ratio nulla eſt, quia iam dixi ipſos etiam actus intellectus & voluntatis debere recipi in anima, multò autem magis debebit Character, qui non aliter eſt diſpoſitio ad gratiæ auxilia quàm ſummum ea exigendo; hæc autem exigentia maximè debet eſſe in ipſa ſubſtantia animæ, in cuius fauorem ſunt ea auxilia, & quæ debet eis vti ad operandum, vt ſuprà diximus. 42 *Obiectio, Cur non ponatur in vtraque potentia.*

Aduerte hic obiter, minus benè à Vaſquez reiici hanc ſententiam, eò quòd idem numero accidens non poſſit recipi in duobus ſubiectis: contrarium enim eſt longè probabilius, vt in actibus ſenſationis in homine: de quo ex profeſſo egi in Philoſophia: & reuera non capio, quod poſſit eſſe fundamentum (cum nulla experientia quidquam in hoc puncto oſtendat) ad negandum poſſe idem accidens habere duo ſubiecta partialia. Igitur cum Marſilio, Suarez, eodem Vaſquez, Bellarmino, Lugo & aliis ſuprà concludo, non poſſe recipi Characterem niſi in ipſa ſubſtantia animæ: & de eius ſubiecto ſatis.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VII.

Duæ vltimæ difficultates de Charactere.

43 *An Character ſit indelebilis. Quanto tempore duret.*

PRIMA ſit, An Character ſit indelebilis. Suppono diuinitus poſſe deleri, quia alibi vt probabilius defendimus, nullam creaturam poſſe eſſe talem, quæ diuinitus nequeat annihilari. Secundò ſuppono, illum minimum durare toto tempore vitæ, quia id ſaltem probat definitio Tridentini & Florentini. Neque obſtat, quòd gratia, quæ eſt nobilior qualitas, de facto corrumpatur. Etenim iam non dicimus Characterem habere ex ſua natura eam incorruptibilitatem, ſed de facto durare; potuit autem Deus de facto ob aliquas cauſas velle perpetuò conſeruare Characterē, permittere verò gratiam ſuæ naturæ.

Secundò, quia multa ſunt natura ſua imperfectiora, quæ tamen ſunt perpetua; alia verò nobiliora, quæ ſunt defectibilia; vt in ipſa gratia (quidquid de charactere ſit) oſtenditur facilè: illa enim eſt corruptibilis; quantitas autem materiæ primæ (ſi diſtinguatur iuxta communem ſententiam) eſt perpetua, & longè ignobilior: & idem oſtenditur comparando quantitatem cum forma ſubſtantiali leonis v. g. hæc enim haud dubiè eſt longè perfectior, & tamen eſt corruptibilis, illa non. Aliqua etiam facilis diſparitas aſſignari poteſt inter ea duo; nam peccatum pellit è ſubiecto gratiam, vt pote contrarium ſibi; at Character nullum habet contrarium; & licet ex hoc ipſo non colligatur omnino efficaciter illum eſſe perpetuum, ſaltem colligitur non repugnare ei perpetuitatem vti repugnat gratiæ.

44 *Obiectio. An Character dependeat à voluntate ſuſcipientis. Reſponſio per inſtantiam phyſicam.*

Dices tamen: Character pendet in fieri à voluntate ſuſcipientis; nam ſi ille nolit ſuſcipere Sacramentum, non recipiet Characterem; igitur ſi deinde habeat contrariam voluntatem, peribit etiam Character. Reſpondeo negata conſequentia, quia multa ſunt quæ pendent in fieri ab aliquibus conditionibus, aut cauſis, à quibus nequaquam pendent in conſeruari: ita anima rationalis produci non poteſt niſi dependenter à diſpoſitionibus materiæ; at in conſeruari deinde non pendet ab illis: ſimiliter forma equi pendet in fieri à forma patris & matris: non pendet tamen in conſeruatione: & idem eſt in aliis multis inſtantiis. Eſt ergo difficultas præſens duplex: Prima, An de facto duraturus ſit in æternum: Secunda, An id habeat ex natura ſua, an verò ex priuilegio ſpeciali Dei?

Circa hanc ſecundam dico: Si admittimus ſemel eum duraturum in perpetuum, connaturalius eſt, vt dicamus id habere ex natura ſua Ratio eſt facilis, quia cum nequaquam repugnent aliquæ qualitates ſupernaturales habentes munus illud, quod habet Character, quæque ſint natura ſua perpetuæ; quæ enim in his excogitari poſſunt duo contradictoria? longè probabiliùs diſcurrimus, ſi dixerimus Deum, qui ſemel decreuerat Characterem in perpetuum conſeruare, decreuiſſe, etiam ad hunc effectum eam qualitatem producere, quæ natura ſua haberet eam perpetuitatem (quia ſine vllo deinde miraculo illa durat) non verò eam quæ natura ſua eſſet defectibilis, & in cuius conſeruatione perpetuum foret miraculum. Tota ergo difficultas reducitur ad primum punctum, An re ipſa Character ſit duraturus perpetuum.

Communis ſententia affirmat, quæ tamen non poteſt probari ex Conciliis, quia de hac perpetuitate neque in illis, neque in Sacra Scriptura quidquam reperitur; quia tamen communiter Theologi ita ſentiunt, defendenda etiam eſt à nobis; videturque eſſe ſatis conformis ſenſui totius Eccleſiæ: nam ſi aliquis Chriſtianus reſuſcitetur, nequaquam poteſt iterùm baptizari; ſed adhuc cenſetur capax Sacramentorum vti priùs; (& idem dico, ſi Sacerdos ſuſcitaretur;) ergo talis retinet adhuc Characterem: probo hanc conſequentiam ex Conciliis, quæ inde probant tria illa Sacramenta non poſſe iterari, quia Characterem imprimunt indelebilem: vbi eo ipſo ſupponunt, quòd ſi Character periret, poſſent de facto ea Sacramenta repeti; ergo cum in eis mortuis ac dein reſuſcitatis non poſſint repeti Sacramenta illa, ſupponitur Characterem ab eis productum duraſſe poſt mortem, ac proinde duraturum in perpetuum: cur enim aliquando duraret, & ſtatim periret? Fortè quis reſponderet, in tali caſu Deum, qui præuiderat eum hominem reſuſcitandum, reliquiſſe in eo Characterem, quem tamen in aliis non reliquit; vel certè Deum illum reproducere cùm ille ſuſcitatur; quia cùm datus ille ſit pro tempore vitæ huius, eo ipſo quòd Deus decreuit illum hominem ad vitam reducere, videtur etiam obligatus ad reſtituendum illi Characterem: id quod poteſt ſatis plauſibiliter confirmari ex habitu ipſo Fidei. Nam ſi aliquis moriatur habens mortale, iuxta ſententiam communem, amittit ſtatim habitum ſupernaturalem Fidei: certum autem etiam videtur, quòd ſi talis ſuſcitetur poſtea, vt ſæpè multi ſunt ſuſcitati, ſuſcitandus ſit cum habitu ſupernaturali Fidei; cur ergo idem non dicetur de Charactere? Reſpondeo concedendo ita quidem poſſe rem totam contingere, ac proinde non eſſe certam ſententiam noſtram; quia tamen facilius omnia componuntur, ſi dicamus cum communi illum Characterem manere, ideò ita ſentiendum. Quidam aliter probant illum eſſe perpetuum, quia ſcilicet à ſolo Deo conſeruatur, & nullum habet contrarium; videtur ergo neceſſariò debere eſſe indefectibilis. Hanc tamen rationem non cenſeo omnino efficacem, nam variis in locis oſtendi non eſſe vllam planè repugnantiam in qualitate aliqua, quæ eſto careat contrariis, & eſto agentia poſſint conſeruare illam quantum eſt ex ſe, ipſa tamen non petat niſi ad certum tempus conſeruari: benè ergo poſſet quoad hoc Character ille conſeruari aliquandiu, & tamen deinde omnino naturaliter perire. Hoc ergo argumento omiſſo, non niſi ei communi auctoritati ſtandum erit. 45 *Communis ſententia, Characterem durare perpetuum.* *Replica contra perpetuitatem Characteris.* 46

Vnus tamen adhuc reſtat ſcrupulus, quomodo ſcilicet Character poſſit à damnatis in inferno cognoſci, cùm ſit qualitas ſupernaturalis, & illi nullum iam habeant habitum ſupernaturalem, per quem poſſint illum cognoſcere. Reſpondeo iuxta à me alibi dicta, Etiam circa rem in ſua entitate ſupernaturalem poſſe eſſe actum naturalem; & verò (ſi res benè conſideretur) non eſt ſpecialis hic difficultas; nam certum eſt myſterium Incarnationis, & ordinem gratiæ, ac viſionem beatam cognoſci abſtractiuè à damnatis; poterit ergo eodem modo Character cognoſci. Suppono ex ſuprà dictis, illum in damnatis ad confeſſionem, in Beatis ad gloriam permanere. *Quomodo in inferno poſſit Character à damnatis cognoſci.*

Secunda & vltima quæſtio, quæ circa Characterem 47

An Character ſit indiuiſibilis. Affirmat Suarez: Eius ratio impugnatur.

cterem moueri poteſt, eſt, Vtrùm ille ſit indiuiſibilis; & caſu quo ſit capax intenſionis, Vtrùm in omnibus ſit æqualis. Suarez ait omnino eſſe indiuiſibilem; quia talis requiritur ad finem intentum. Hæc tamen ratio non omnino videtur efficax; nam eò quod in illo, qui cum meliori diſpoſitione recipit Baptiſmum, daretur Character intenſior, quàm in eo qui cum minori diſpoſitione, non video cur finis intentus deberet impediri, maximè ſi dicamus in ipſo Charactere fundari exigentiam auxiliorum: videtur enim hoc ſatis conforme rationi, vt qui melius diſpoſitus accedit, maiora auxilia dein recipiat, ac proinde intenſiorem habeat Characterem à quo illa petantur.

Dices; Si ex maiori diſpoſitione datur Character maior, ergo qui omni omnino diſpoſitione ad gratiam caret, nullum debebit recipere Characterem; hoc autem eſſet hæreticum. Reſpondeo negata conſequentia: vti enim gratia datur maior vel minor iuxta maiorem vel minorem diſpoſitionem; & tamen non propterea ſequitur, ei qui nullam habet diſpoſitionem nullam dari gratiam: datur enim infantibus, eſto omni omnino careant diſpoſitione: ita dici poſſet, Eſto nulla ſit bona diſpoſitio, infundi tamen omnibus Characterem, eò quòd validè ſuſcipiant Sacramentum; per hoc tamen non impediri quo minùs ille idem Character ſit maior aut minor iuxta maiorem diſpoſitionem ſuſcipientis. Nihilominùs tamen, iuxta ea quæ ſuprà de Charactere diximus, vbi oſtendimus illum præciſè dari quaſi in ſignum ſerui, militis & Sacerdotis, probabiliùs iudico illum non poſſe intendi: id quod maximè apparet in Charactere Sacerdotali; ſi enim ſemel ſint ordinati ritè, tam Sacerdos eſt Petrus quàm Ioannes, nec vnus habet maiorem vim conficiendi corpus Chriſti quàm alter: & idem dico de poteſtate abſoluendi; excepta iuriſdictione quæ non ſpe-

Character eſt indiuiſibilis.

4 ctat ad Characterem. Idem oſtenditur etiam in Charactere Baptiſmi, per quem deſignatur capacitas recipiendi cætera Sacramenta; eadem autem eſt per ſe poteſtas in omnibus baptizatis; ergo debuit idem ſignum poni in illis omnibus. Denique negare nemo poterit poſſibilem eſſe diuinitus aliquam qualitatem ſpiritualem non intenſibilem; ergo cùm ſuperflua videatur in Charactere intenſio, quia nulla vel apparens ratio illam perſuadet, probabiliùs diſcurremus dicendo de facto productam eam eſſe qualitatem quæ ſit incapax intenſionis. Hæc doctrina locum habet vniuerſaliter in Charactere cuiuſlibet ordinis ſeorſim accepti.

An Character cum Charactere alterius Sacramenti faciat intenſionem.

Dicere tamen fortaſſe quis poſſet, Saltem Characterem vnius Sacramenti cum altero facere intenſionem. Reſpondeo, Neque hoc debere concedi, quia omnis intenſio (iuxta probabiliorem ſententiam) ſi ſit in rebus relatiuis, debet eſſe in gradibus reſpicientibus idem omnino ſubiectum, ſeu eumdem terminum (vt benè Cardinalis Lugo notauit in præſenti;) vnde cognitio quæ Petrum repræſentat, non facit intenſionem cum cognitione repræſentante Antonium; cùm ergo illi Characteres diuerſa omnino denotent; vnus enim ſignificat vim conficiendi corpus Chriſti; alter verò ſignificat vim recipiendi cætera Sacramenta; non conueniunt inter ſe ità vt poſſint facere vnam intenſionem; multò autem minùs conueniunt cum Charactere Confirmationis, qui nullum ex illis terminis reſpicit. Omnino rationem quorumdam pro noſtra ſententia deſumptam ex eo, quòd Character Confirmationis non ſupponatur neceſſariò ad Characterem Ordinis, nec Character Diaconi ad Characterem Preſbyteratus: ergo non poſſunt facere intenſionem quia in intenſionibus ſecundus gradus ſupponit primum; & tertius ſecundum: hanc inquam rationem omitto, quia procedit ſolùm in ſententia, quam minùs probo, de gradibus heterogeneis: nam in noſtra gradus qui eſt primus, potuit eſſe ſecundus, & è contrario.

Fortaſſe tamen hinc aliquis nouam rationem formaret, quia ſaltem Character Baptiſmi, qui neceſſariò debet eſſe primus, non erit homogeneus cum aliis, ac proinde non faciet cum illis intenſionem: quæ ratiocinatio vtcumque eſt in noſtris principiis bona. Et ſatis de indiuiſibilitate, imò de tota quæſtione Characteris.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

De cauſis Sacramentorum.

1 VARIÆ poſſunt excogitari cauſæ Sacramentorum; Primo loco inſtituens auctoritate & poteſtate propria; Secundo inſtituens auctoritate aliena, ſeu ex delegatione: Tertio cauſa adminiſtrans eadem Sacramenta, ſeu (vt ſolet dici) conficiens. Et de his omnibus hic ſuo ordine agendum erit. De hoc tamen vltimo agetur magna etiam ex parte diſputatione ſequenti, vbi de intentione Miniſtri conferentis Sacramenta.

SECTIO I.

De cauſa inſtituente.

CAVSAM inſtituentem Sacramenta auctoritate propria ſolum Deum eſſe poſſe oſtendi ſuprà: quia verò ibi dixi, poſſe à Deo communicari poteſtatem inſtituendi Sacramenta, oriuntur in præſenti duæ difficultates: Prima, An noſtra Sacramenta de facto immediatè fuerint inſtituta à Chriſto Deo; Secunda, An ea poteſtas potuerit communicari alicui creaturæ.

SVBSECTIO I.

Noſtra Sacramenta de facto ſunt omnia inſtituta à Chriſto.

Sacramenta omnia inſtituta ſunt à Chriſto. Ita Concilium Tridentinum.

IN hoc puncto conueniunt omnes Catholici, quia Tridentinum Seſſione 7. Canone 1. definit, omnia noſtra Sacramenta à Chriſto Domino fuiſſe inſtituta; vbi licet non dixerit immediatè, ita tamen intelligendum eſt, tum quia in communi modo loquendi quando dicitur aliquid 2

quid

Digitized by Google

quid ab alio inſtitutum, intelligitur immediatè. Nec enim dicimus, Imperator v. g. iuſſit decollari Petrum, eò quòd iudex aliquis Cæſareus ab Imperatore conſtitutus id iuſſerit: ſimiliter in Religione non dicuntur Ordinationes Generalis illæ, quæ factæ ſunt à Rectoribus v.g. licet hi omnem auctoritatem à Generali acceperint. Tum quia Tridentinum Seſſione 14. dum de Extrema Vnctione loquitur (de qua poterat eſſe maior difficultas, an eſſet immediatè à beato Iacobo inſtituta) eam dicit à Chriſto inſtitutam, & à Iacobo ſolùm promulgatam; loquitur ergo de immediata inſtitutione. Tandem probabiliter inde ſuadetur, quia in Eccleſia non eſt poteſtas mutandi aliquid circa ſubſtantiam Sacramenti, cuius nulla poteſt eſſe ratio, niſi quòd ipſa fuerint à Chriſto immediatè inſtituta, & non ab Apoſtolis ex commiſſione Chriſti; aliàs poſſet Pontifex ea immutare, ſicut poteſt cæremonias & alios ritus ab ipſa Eccleſia ex poteſtate à Chriſto conceſſa inſtitutos. Dixi *hanc rationem eſſe probabilem*, quia abſolutè poſſet quis reſpondere, Chriſtum ita dediſſe Eccleſiæ ſeu Apoſtolis poteſtatem inſtituendi Sacramenta, vt tamen poſtquam ea forent inſtituta, non liceret ampliùs illa mutare.

Etiam Extrema Vnctio.

3 Hæc omnia faciunt quidem certam hanc ſententiam, ita vt contraria eſſet temeraria; non tamen illam faciunt omnino de Fide, vt benè aduertit Suarez, quia nec eſt definita ſub hoc termino *immediatè*, nec omnino euidenter ſequitur ex definitione, quidquid in contrarium contendat Vaſquez, qui nullâ alia argumenta, quàm à nobis propoſita affert; illis autem poteſt vtcumque reſponderi: Primò enim etiam aliquando in Scriptura Deus dicitur apparuiſſe, & locutus Prophetis, licet non immediatè per ſe, ſed per Angelum id effecerit. Quod de extrema Vnctione dicitur non vrget; quia fit argumentum ab vno particulari ad omnia alia. Imò fortaſſe aliquis diceret contrarium hinc probari. Nam ſi Tridentinum ſenſiſſet omnia à Chriſto fuiſſe immediatè inſtituta, & ab Apoſtolis tantùm promulgata, idem de illis dixiſſet; cùm ergo id non dixerit, non videtur id iudicaſſe.

Temerarium eſſet aſſerere, Eccleſiam inſtituiſſe Sacramenta.

Dices: Concilium non vtitur eo loci verbo *immediatè*, ſed ſolùm dicit a Chriſto inſtitutam; ergo ſi ob hunc locum eſt de Fide, Extremam Vnctionem eſſe immediatè à Chriſto inſtitutam, erit etiam de reliquis Sacramentis; quia etiam de omnibus aliis definit, eſſe à Chriſto inſtituta. Reſpondeo, Illud verbum ſolum non oſtendere quidquam ſpeciale de Extrema Vnctione; quia tamen Tridentinum facit illam diſtinctionem, quòd ſit inſtituta à Chriſto, & promulgata tantùm ab Apoſtolo, videtur longè clariùs loqui de immediata inſtitutione quàm in Confirmatione, Ordine, &c. vbi ſolùm abſolutè dicit, eſſe à Chriſto Domino inſtituta. Tandem ad vltimum dici poſſet, Chriſtum conceſſiſſe poteſtatem inſtituendi Sacramenta, non tamen variandi poſteà circa illorum ſubſtantiam, quia eſt res magni momenti; circa Sacramentalia verò & cæremonias dediſſe etiam poteſtatem variandi; non ergo illæ probationes ita euidentes ſunt, vt non patiantur tergiuerſationem; non ergo res eſt omnino de Fide.

Explicatur mens Concilij Tridentini.

Non eſt de Fide nullum Sacramentum inſtitutum eſſe ab Eccleſia.

4 Addit Vaſquez locum Auguſtini Epiſtola 118. cap. 1. aſſerentis à Chriſto inſtitutum fuiſſe *Baptiſmum & Communionem corporis, & ſi quod aliud Sacramentum in Scripturis commendatur*; & vt teſtimonio huic addat vires pro hac ſententia, conatur oſtendere, de omnibus noſtris Sacramentis in Scriptura fieri mentionem; quia verò de Matrimonio ſolo eſt difficultas, affert Primò locum Matthæi 19. vbi Chriſtus agit de indiſſolubilitate illius; ibi tamen Chriſtus agit de Matrimonio ſecundùm quod fuit ab initio mundi; tunc autem nullo modo fuit Sacramentum; ergo in hoc loco non eſt mentio Matrimonij vt Sacramenti Legis gratiæ. Secundò affert locum c. 5. ad Epheſ. vbi agens Paulus de matrimonio inter Adam & Heuam addidit propoſitionem vniuerſalem, *Et adhærebit homo vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt.* Potuiſſet Vaſquez recordari ſe diſp. 127. n. 3. impugnaſſe Suarez, eò quòd ex hoc eodem loco voluerit probare in Scriptura, nomen *Sacramentum* vſurpari pro noſtris Sacramentis in ſenſu quo ab Eccleſia vſurpatur; ſed quia hic & ibi voluit eſſe contrarius Patris Suarez, extitit & ſibi. Ei acquieſco quantum ad hoc, quòd verba illa Pauli, *Sacramentum hoc*, non ſignificent ibi Sacramentum prout a nobis vſurpatur, ſed idem ac myſterium. Vnde contra ipſum infero, Non de omnibus noſtris Sacramentis in Scriptura fieri mentionem. Dico *de Sacramentis*; nam fieri mentionem Matrimonij ſub alia conſideratione haud dubiè per accidens omnino ſe habet ad intentum præſens: id quod benè notauit Cardinalis Lugo diſput. 7. ſect. 1. alioquin omnia, quæ ad diuerſiſſima intenta notantur in ſacra Scriptura, debuiſſent ab Auguſtino comprehendi ſub nomine Sacramentorum à Chriſto inſtitutorum: quod ſine dubio falſum eſt. Addo ego hanc ponderationem; Etiamſi concederemus Paulum eò loci de Matrimonio vt Sacramento egiſſe, nihilominus non poſſe inde probari, Auguſtinum ſenſiſſe, Matrimonium eſſe à Chriſto immediatè inſtitutum. Etenim, ſi res benè conſideretur, Auguſtinus nomine ſacræ Scripturæ ibi non intelligit niſi præciſè Euangelia, aut certè reliquum Teſtamentum nouum ea ſolùm ex parte, quatenus in eis diceretur illud Sacramentum eſſe inſtitutum à Chriſto. Etenim cùm Auguſtinus dicat reliqua (de quibus in ſacra Scriptura non fit mentio) ab Apoſtolis inſtituta, vel à plenariis Conciliis: cumque de iis, quæ Apoſtoli ipſi inſtituerunt, potuerint iidem mentionem facere in ſuis Epiſtolis, & in Actibus Apoſtolorum, in quibus agitur maximè de geſtis ipſorum Apoſtolorum: profectò non potuit Auguſtinus benè colligere, ex eo quòd Paulus feciſſet mentionem Matrimonij vt Sacramenti, non fuiſſe illud ab ipſo Apoſtolo Paulo inſtitutum, cùm potuiſſet optimè Paulus ea nominare quæ ipſemet inſtituiſſet. Solùm ergo Auguſtinus eas ibi ad propoſitum, de quo agebat, intelligit Scripturas, vbi agitur de geſtis & factis ipſius Chriſti Domini: hoc eſt Euangelium: vel ſaltem alias ſacras Scripturas Canonicas, quatenus dicunt Chriſtum hoc aut illud inſtituiſſe. Cùm ergo etſi Paulus faciat mentionem Matrimonij, nihil tamen omnino dicat, quòd illud à Chriſto fuerit inſtitutum vt Sacramentum, conſequenter non agit ad mentem & ſenſum Auguſtini. Quod argumentum maiorem adhuc habet vim quoad Auguſtinum in Extrema Vnctione & Confirmatione, de quibus nec directè nec indirectè quidquam dicitur, quaſi à Chriſto fuerint inſtituta. Imò Apoſtolus Iacobus ita de Extrema Vnctione loquitur in ſua Epiſtola,

Difficultas de Matrimonio ſoluitur.

Vaſquez impugnans Suarez ſecum ipſe pugnat.

5 *Explicatur S. Pauli citatus locus:*

Conciliatur cum S. Auguſtini ſententia.

De Extrema Vnctione & Confirmatione.

Epiſtola, vt videatur ipſe eſſe qui præſcribit illam. Dixi quoad Auguſtinum maiorem hoc argumentum habere vim in Extrema Vnctione; nam aliunde cum Concilium Tridentinum expreſsè definiat illam eſſe à Chriſto inſtitutam, & à Iacobo ſolum promulgatam, non poſſumus de illa dubitare, vti nec pro illa indigemus teſtimoniis Auguſtini. Vide quæ paulò antè dixi, vt oſtenderem, cur ſpecialius ea immediata inſtitutio colligatur in Extrema Vnctione quam in Confirmatione; & hæc vt probemus, Auguſtinum non docuiſſe ibi, omnia Sacramenta eſſe inſtituta immediatè à Chriſto.

Concluditur non docere Auguſtinum omnia Sacramenta à Chriſto immediatè inſtituta eſſe.

SVBSECTIO II.

Aliquæ obiectiones diſſoluuntur; vbi de cauſa inſtituente Sacramenta antiqua?

6. *Ex teſtimonio S. Auguſtini argumentum ſumitur contra inſtitutionem Sacramentorũ à Chriſto immediatè. Ioan. 20.*

FORTASSE in contrarium poſſet locus ille Auguſtini vrgeri; quia cum eo ſolùm faciat mentionem duorum Sacramentorum, Baptiſmi & Euchariſtiæ, videtur eo ipſo reliqua Sacramenta dicere ab Apoſtolis tantùm inſtituta. Quod ſi fortaſſe excludatur Pœnitentia & Ordo, quia de vtroque eſt in Euangelio mentio, *Quorum remiſeritis peccata*, & *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. ſaltem remanebunt Confirmatio, Extrema Vnctio & Matrimonium, de quibus nulla videtur fieri mentio in ſacra Scriptura: ergo iuxta Auguſtinum dici debent ab Apoſtolis inſtituta. Reſponderet aliquis cum Patre Vaſquez per ea verba Auguſtini, *Illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus*, non de Sacramentis, ſed de aliis præceptis intelligenda. Nam de Baptiſmo & Euchariſtia eſt præceptum in ſacris Scripturis, item de pœnitentia: de aliis Sacramentis non eſt præceptum.

Reſpondet Vaſquez.

Vaſquez reſponſionem amplectitur Cardinalis Lugo.

Hanc ſolutionem ſic explicatam amplectitur Cardinalis Lugo. Quod ſi obiicias etiam, eſſe præceptum Chriſti non conferendi Confirmationem niſi in oleo benedicto, &c. Reſpondet Primò, Illa præcepta non eſſe quid diſtinctum ab ipſa inſtitutione Sacramenti, ex qua ſequitur neceſſariò nos non poſſe aliam materiam adhibere. Reſponde Secundo, Auguſtinum maximè agere de præceptis affirmatiuis, quæ poſſent videri grauia, non de negatiuis. Probabilis ſolutio, quæ tamen ſuam patitur difficultatem; & quidem circa hoc vltimum potiùs videtur contrarium dicendum, quia præcepta negatiua prohibentia res alioquin licitas, & ad quas homo propendet, fortaſſe debent dici duriora quàm affirmatiua. Præceptum ſanè ieiunij Quadrageſimalis etſi negatiuum, grauiſſimum eſt: & hoc ipſum conſtat in Religionibus, in quibus ſumma difficultas eſt in prohibitionibus. Deinde, quidquid de hac comparatione maioris aut minoris grauitatis ſit, tota reſponſio ſuam patitur difficultatem. Nam cùm Auguſtinus his quæ dixerat de duobus illis Sacramentis oppoſuerit illa quæ in ſacris Scripturis non continentur, videtur planè (ne æquiuocè locutus dicatur) oppoſuiſſe alia etiam Sacramenta, & non de ſolis præceptis diſtinctis à Sacramentis egiſſe. Vnde placet mihi Suarez reſponſio, ſcilicet ea verba cum aliquo moderamine vſurpanda; quia etiam in ordine ad ipſa præcepta non eſt vniuerſaliter verum quod Auguſtinus dicit, ea ſola eſſe à Chriſto quæ in ſacra Scriptura exſtant, cum potuerint Apoſtoli immediatè ab ipſo Chriſto aliqua accepiſſe quæ in ſacra Scriptura non ſunt; & verò fortè aliquis diceret tale eſſe præceptum non habendi duas vxores ſimul; quod cum iuxta multorum ſententiam non ſit naturale, & in Lege veteri non fuerit obſeruatum, videtur ab ipſo Chriſto impoſitum: non conſtat autem ex Euangelio quidquam de ea impoſitione; imò non deſunt qui præceptum ieiunij Quadrageſimalis dicant à Chriſto fuiſſe impoſitum, & Apoſtolis traditum. Vnde D. Thomas quæſt. 64. art. 2. ad 1. docet, omnia quæ ad Sacramentorum eſſentiam pertinent fuiſſe à Chriſto immediatè determinata, & Apoſtolis tradita, etiamſi in ſacra Scriptura de eis non fiat mentio: habentur enim per traditionem vti inſtituta à Chriſto.

7 Reſponſio allata patitur ſuas difficultates,

Reſponſio Suarez magis ſatisfacit.

D. Thomæ ſententia.

Secundò fortè obiici poſſet Auctor Sermonis de lotione pedum ſub nomine Cypriani, qui videtur ſolius Euchariſtiæ Chriſtum dicere inſtitutorem, reliqua verò ab Apoſtolis inſtinctu Spiritus ſancti. Aliqua dicit Suarez ad tradendum in bonum ſenſum eum Auctorem, ſed reuerà (vt notauit Cardinalis Lugo) id eſt difficillimum; quapropter cum ſit Auctor ignotus, non oportet in eo explicando diu hærere.

Obiectio ex Cypriano expeditur.

Multæ adducuntur congruentiæ, quibus probatur ſolum Chriſtum debuiſſe eſſe Sacramentorum noſtrorum immediatum Auctorem. Prima, quia ea inſtitutio pertinet ad quandam excellentiam, quam non decuit habere puram creaturam. Secunda, ne homines ſpem ſuam in alio collocarent quàm in Chriſto. Ita Diuus Thomas ea 64. quæſt. art. 4. Tertia, ne varia Sacramenta multiplicarentur. Quarta, quia ſolus Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & inſtitutor; ideóque ad eum ſolum videtur ſpectare iacere fundamentum Eccleſiæ; qualia ſunt Sacramenta ſæpè dici per congruentias non multum euinci. 8

Congruentiæ pro vera ſententia.

Certè hæc tertia valdè parum probat, quia potuit Chriſtus ſoli Petro, aut omnibus Apoſtolis in vnum collectis, eam poteſtatem dare mandando, ne plura quàm ſeptem inſtituerent. Secunda, de ſpe in homine etiam eſt leuis; quia eſto Diuus Iacobus ex commiſſione Chriſti inſtituiſſet Extremam Vnctionem, non maiorem ego ſpem in Iacobo ponerem quàm iam; imò (vt verum fatear) vix capio, qualem inde ſpem in eo poſſem ponere, ſi diceretur, *Ne gratias vlli alteri agerem*: haberet locum ratio, quia tunc beneficium illud quaſi accepiſſem à Iacobo: at ſuppoſita inſtitutione iam non eſt locus à Iacobo quidquam ſperandi, cum reuocare iam non poſſet ſuam inſtitutionem. Prima item de excellentia poteſtatis non multum vrget; quia ea excellentia præcipuè ex in eo qui propria auctoritate, non verò eſt delegatione Sacramentum inſtituit. Fortaſſe ob maiorem æſtimationem eorum Sacramentorum poſſemus id melius probare: magis enim ea æſtimantur quæ Imperator immediatè per ſeipſum imperat, diſponit, facit, &c. quàm quæ per miniſtros. Et ſatis de actuali noſtrorum Sacramentorum immediato Auctore.

Parum probans.

Congruentia omnium optima.

Circa antiqua verò poteſt hac occaſione quæri, Vtrùm illa fuerint omnia immediatè inſtituta à Deo. Reſpondeo breuiſſimè, Omnino fuiſſe, quia lex tota, in qua & Circumciſio & reliqua Sacramenta tradebantur, data fuit à Deo; hoc eſt, immediatè à Deo lata; etiamſi promulgata fuerit

Antiqua Sacramenta fuerunt immediatè inſtituta à Deo.

Digitized by Google

fuerit per Angelum, loquentem tamen nomine Dei, ac proinde dicentem ſemper; *Hæc dicit Dominus.*

Obiectio. An Sacramenta antiqua fuerint nobiliora ex parte cauſæ inſtituentis.

9 Verùm hinc obiicies, Ergo ea Sacramenta fuère nobiliora ex parte cauſæ inſtituentis quàm noſtra; quia ibi immediatè à Deo, hîc autem à voluntate humana Chriſti. Reſpondet Suarez ea ſect. 1. Etiamſi Chriſtus per humanitatem inſtituerit Sacramenta, non tamen ideò excludi, quò minùs præcipua & prima cauſa eius inſtitutionis fuerit voluntas diuina, ad quam vt homo ſuam Chriſtus conformabat; ergo ex hoc capite eſt quædam æqualitas inter noſtra & vetera: ex altero verò capite noſtra ſunt perfectiora, eò quòd illa ſunt immediatè promulgata per hominem purum, noſtra verò per hominem Deum. Adhuc tamen videtur eſſe aliqua difficultas in obiectione poſita. Pro quo aduerte, dupliciter poſſe nos concipere Chriſtum hominem ſe habuiſſe reſpectu inſtitutionis noſtrorum Sacramentorum, vel vt Deus ei dixerit; *Inſtitue hæc Sacramenta, & non alia*, & tunc libentiſſimè admitto locum habere ſolutionem Patris Suarez, quòd ſcilicet noſtra non cedant antiquis in immediato inſtituente: at non videtur res ita contigiſſe, quia tunc humanitas in ea inſtitutione non ſe habuiſſet niſi vt declarans Dei voluntatem; plus autem communiter illi videntur tribuere Doctores. Potuit ergo ſe ita habere, vt Deus commiſerit voluntati humanæ Chriſti omnia omnino quæ ad ſalutem noſtra pertinebant; vt ipſa pro ſuo placito illa ordinaret: ſi autem ita ſit factum, iam habet locum obiectio; nam tunc reuerà immediatus Auctor Sacramentorum fuit homo, ſeu voluntas humana Chriſti; ac proinde cùm ea ſit infinitè minùs perfecta quàm diuina, eo ipſo perfectiorem antiqua habuère Auctorem quàm noſtra. Confirmatur ex ipſis illis congruentiis, quas adducit Suarez ad probandum, non debuiſſe puro homini committi de facto inſtitutionem Sacramentorum; illis enim oſtenditur, ſi voluntas Chriſti Domini immediatè inſtituit noſtra, ea non habuiſſe tam excellentem Auctorem quàm habuerint antiqua. Quidquid ſit jam, Virùm Deus primò dederit ei in genere poteſtatem illam.

Tota obiectionis difficultas euadatur.

Concluditur, antiqua Sacramenta habuiſſe nobiliorem inſtitutorem.

Faciliùs ergo fortè reſponderetur concedendo totum intentum, ſcilicet antiqua habuiſſe nobiliorem voluntatem inſtituentem immediatè, nullum tamen inde ſequi abſurdum; quia vti Deus noſtram redemptionem commiſit Chriſto vt homini, ita æquum fuit vt committeret illi inſtitutionem Sacramentorum. Exceſſus autem ex parte inſtituentis facilè ex multis aliis capitibus compenſatur. Adde, cùm diuinitas fuerit vnita humanitati Chriſti, eo ipſo ſaltem denominatiuè noſtra Sacramenta proueniunt immediatè à perſona diuina. Et de Inſtitutore actuali Sacramentorum hactenus.

SECTIO II.

Quomodo potuerit pura creatura committi poteſtas inſtituendi Sacramenta?

10 AN potuerit Chriſtus Dominus communicare alicui poteſtatem inſtituendi Sacramenta per modum cauſæ principalis, explicui duobus verbis ſuprà, oſtendens Sacramentum, cùm ſit pignus gratiæ, non poſſe propria auctoritate inſtitui, niſi ab illo cuius proprium eſt dare gratiam, ſcilicet Deo; poteſt tamen Deus dare poteſtatem deſignandi materiam & formam pro Sacramento, aut etiam abſolutè inſtituendi eam materiam & formam; vt ſi mihi diceret, Do tibi poteſtatem vt addas, ſi velis, octauum Sacramentum, & eligas quancumque materiam & formam: hoc videtur certum de re, & ab omnibus conceditur: quia verò in hoc caſu Suarez eam licentiam inſtituendi Sacramenta vocat poteſtatem, ſeu auctoritatem, non quidem primariam, ſed ſecundariam, latiſſimè contra illum Pater Vaſquez agit; cùm tamen de re nullo modo diſſentiant, & addita ea limitatione ſecundaria poteſtas non ſit, cur negetur habiturum illum hominem auctoritatem inſtituendi Sacramenta; nam ſecundariò illa inſtituere nihil aliud videtur denotare, quàm ex poteſtate commiſſa deſignare materiam & formam. Res, vt dixi, eſt de ſolo nomine; intellecto autem ſenſu verborum parum eſt, hoc vel illo modo loqui; ſi tamen quod videatur probabilius dicendum ſit, omnino iudico poſſe concedi, eam eſſe poteſtatem inſtituendi Sacramenta. Id quod defendit fusè idem Suarez ea diſput. 11. ſect. 2. & fuſiùs Cardinalis Lugo ſuprà ſect. 2. eſtque ſententia Diui Thomæ hac quæſt. 64. art. 4. vbi totam poteſtatem excellentiæ, quam habuit Chriſtus vt homo, docet iure merito potuiſſe communicari creaturæ: eam etiam defendunt Thomiſtæ, Bonauentura, & alij, quos refert ibi Suarez; item Auguſtinus Tractatu 50. in Ioannem ei fauet. Probatur autem, quia paſſim Doctores & Patres ſupponunt Chriſtum vt hominem inſtituiſſe verè & propriè Sacramenta: atqui etiam Chriſtus vt homo ad id non habuit à ſe auctoritatem, ſed ex commiſſione Diuinæ voluntatis; ergo dependentia hæc non obeſt quò minùs ſuprà creatura dicatur inſtituere Sacramenta. Id quod optimè vrget Cardinalis Lugo ad hominem contra Vaſquez, quia hic Auctor diſput. 135. fusè conatur probare, non poſſe dici Chriſtum inſtituere ea quæ Eccleſia inſtituit ex Chriſti commiſſione; vnde non dicitur Chriſtus inſtituiſſe cæremonias, quas Eccleſia ex auctoritate à Chriſto accepta inſtituit; ſed ipſa Eccleſia verè & propriè & abſolutè eas dicitur inſtituiſſe. Atqui non minùs in hac eadem inſtitutione Eccleſia vtitur auctoritate ſibi à Chriſto conceſſa, quàm vteretur ille qui Sacramenta ex ſimili auctoritate inſtitueret; ergo. Vrgetur hoc ipſum Secundò, quia iuxta 11 communem phraſim, vt aliquis dicatur Auctor legis, mandati, &c. non eſt neceſſum vt id faciat ſine vlla dependentia ab aliquo alio Superiore. Certum enim eſt in Societate v. g. noſtra nullum Superiorem, Generali excepto, habere ordinariam poteſtatem ſuſcipiendi ad Societatem; ac proinde ſine licentia vel ſpeciali vel communiter delegata Prouincialem non poſſe ſuſcipere; per hoc tamen non impeditur, quò minùs, quando ex licentia illa Generalis aliquem ſuſcipit, dicatur ipſe Prouincialis abſolutè hunc & illum ſuſcepiſſe: & idem dicendum de mandatis, Regulis, &c. in omnibus Religionibus; idem de excommunicationibus. Nam niſi ex Papæ licentia expreſſa vel tacita neque Generalis ſuos Religioſos neque Epiſcopus ſuas oues excommunicare poteſt; & tamen ſi Epiſcopus in hoc vel illud delictum excommunicationem

Conciliantur Suarez & Vaſquez.

Poteſt communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta.

Argumentum Cardinalis Lugo contra Vaſquez.

Declaratur exemplo.

nem ferat, haud dubiè ille dicitur excommunicationis eius auctor: & id ipſum innumeris aliis exemplis oſtendi poſſet; ſed pro quæſtione de voce hæc ſufficiant.

Obiectio Scoti.

Dices Primò cum Scoto contrarium ſentiente: Si homo haberet vim inſtituendi Sacramenta, determinaret Deum ad producendam gratiam, ac proinde Deus non eſſet tunc cauſa prima, ſed ſecunda. Reſpondeo, Argumentum eſſe leuiſſimum; nam etiam de facto Deus determinatur per opera libera bona ſupernaturalia hominis iuſti ad dandum eidem homini augmentum gratiæ.

Soluitur per instantiam.

Deinde, ſi res benè perpendatur, argumentum etiam probat, nec poſſe hominem non ſolùm inſtituere, ſed nec conferre ſeu adminiſtrare Sacramenta iam inſtituta; quia Deus maximè determinatur vltimò ad producendam gratiam per eam adminiſtrationem: licet enim habuerit voluntatem condonatam eam producendi, ſi ego ritè aliquem baptizauero, vt tamen dicat, Hîc & nunc volo gratiam conferre Ioanni, debet videre me hîc & nunc baptizantem eumdem Ioannem; ergo hîc & nunc ego determino Deum abſolutè ad conferendam gratiam. Patitur Secundò inſtantiam idem argumentum in omnibus actibus liberis, ad quos determinat voluntas creata Deum; non è contrario Deus creaturam, vt ſuo loco fuſiùs oſtendimus. Neque hinc fit Deum eſſe cauſam ſecundam, quia etiam tunc eſt cauſa vniuerſalis infinitè nobilior, &c. de quo diximus multa Tomo Philoſophico & alibi.

Alia instantia contra obiectionē Scoti.

12 Secundò obiicies & difficiliùs: Deus dum dat alicui poteſtatem inſtituendi Sacramenta, nihil aliud efficit quàm illi dare libertatem eligendi materiam quæ ſit Sacramentum; videtur autem hoc nequaquam ſufficere vt dicatur auctor eius Sacramenti; alioquin cùm in Lege naturæ fuerit liberum cuilibet materiam determinare pro Sacramento in remedium Originalis, dicendum eſſet, tunc homines habuiſſe poteſtatem vt Sacramenta inſtituerent: id quod omnino eſt contra receptum & communem modum loquendi.

Obiectio difficilior.

Multus eſt Suarez & poſt ipſum Lugo, vt diſparitatem inter hominem deſignantem materiam pro Sacramento, & inter illud inſtituentem aſſignet: pro quo multa exempla congerit Lugo. Si Epiſcopus, exempli gratia, dicat mihi, *Ego excommunico Petrum, ſi non fecerit quod tu ab eo petieris*, & ego deinde aliquid ab eo peto quod ille negat, non cenſeor ego tunc excommunicare Petrum, ſed ſolùm ponere conditionem petendo id quod ipſe non facit. Secundò, ſi Confeſſarius alicui pro pœnitentia imponat, vt id faciat quod mandauerit ipſi Petrus; ſine dubio Petrus mandans aliquid non imponit pœnitentiam, ſed deſignat materiam, ad quam obligat pœnitentia à Confeſſario anteà impoſita. Tertiò, in materia iuſtitiæ poſſum ego meo mancipio dicere: Mando tibi vt facias quæ Petrus petierit, eo caſu Petrus non habet ius ſupra mancipium, nec poteſt mandare; poteſt tamen ponere conditionem, ſub qua mancipium eo ipſo tenetur. At ſi ego dicerem Petro, Ego do tibi poteſtatem mandandi meo mancipio, iam tunc Petrus eſſet auctor mandati, & haberet ius ſupra illud; & mancipium verè faceret tunc contra ius Petri, dum nollet illi obedire: aliud enim longè eſt dare mihi poteſtatem mandandi aliquid Petro, aliud verò dicere, Ego ipſe mandabo Petro vt faciat quæ ab eo tu petieris, in primo enim caſu Petrus mihi obediret, in ſecundo non mihi, ſed ei qui mandat: ego verò ſolùm ponam tunc conditionem, ſub qua illud præceptum obligat. His ſuppoſitis docent hi Auctores, ſi Deus creaturæ tantùm permitteret deſignationem materiæ pro Sacramento, vti olim factum eſt in Lege veteri, non dicendam tunc eam creaturam auctorem eius Sacramenti; ſecùs verò ſi daret illi poteſtatem inſtituendi Sacramenta.

Suarez & Lugo respondent per instantias & exempla.

13 Verùm poſt omnia hæc exempla, ſeu inſtantias, adhuc res hæc videtur ſatis eſſe difficilis, & non aſſignari de re ipſa vlla differentia; Deum enim dicere, *Do tibi poteſtatem vt aſſumas materiam aliquam in pignus gratiæ, ſeu in conceptum Sacramenti*, idem eſt ac dicere, *Do tibi poteſtatem vt inſtituas Sacramentum*. Etenim inſtitutio Sacramenti non poteſt aliter fieri quàm aſſumendo aliquam materiam in huiuſmodi pignus. Quidquid iam ſit de aliis materiis obedientiæ & iuſtitiæ, in quibus ob eas diuerſas obligationes virtutum poteſt fortaſſe dari aliqua diuerſitas, quæ in præſenti vix vlla videtur eſſe; dices adhuc, Hæc poteſt de re aſſignari diuerſitas, non, quando Deus ſolùm reliquit in poteſtate hominis determinationem materiæ, poſſumus dicere verè iam eſſe Sacramentum inſtitutum, etiam antequam homo eam materiam determinet; quando verò dat poteſtatem homini Sacramenta inſtituendi, non eſt Sacramentum proximè inſtitutum ante hominis voluntatem.

Instantia & exempla non ſatisfaciunt.

Id quod declarari vlteriùs poteſt: Nam ſi homo ſolùm determinat materiam, non poteſt gratiæ conferendæ quantitatem aſſignare; id verò per ſe poteſt, ſi habeat facultatem Sacramenta inſtituendi. Sed contrà, quia potuit Deus illi ſolùm dare facultatem inſtituendi Sacramentum in ordine ad certos gradus: quo caſu iam non videtur habere locum hæc diuerſitas. Reſpondeo, Per eam limitationem coarctari etiam poteſtatem; nos autem loqui quando hæc datur abſolutè & perfectè ſine limitatione; nam certum eſt in aſſignatione materiæ per ſe nequaquam includi eam gratiæ determinationem; quæ tamen per ſe includitur in poteſtate inſtituendi. Secundò reſpondeo, Saltem tunc habere locum aliam differentias, vt quòd ille homo non debeat aliam habere volitionem quàm dicere, *Hæc materia ſit illa, cui Deus in communi annexuit gratiam*; at quando habet poteſtatem inſtituendi debet dicere, *Volo annexam eſſe gratiam materiæ huic, ita vt ego gratiam annectam*; aliud autem longè eſt dicere, *Hanc materiam ego determino, cui ex voluntate Dei ſit annexa gratia*; aliud, *Ego huic annecto gratiam*: hinc autem oritur differentia aliqua ex parte ipſarum diuinarum voluntatum; nam quando Deus inſtituit Sacramenta, & relinquit tantùm alteri determinationem materiæ, habet hanc voluntatem, *Volo eſſe aliquod ſignum & pignus gratiæ hoc vel illud quod homo elegerit*: at in ſecundo caſu dicit, *Ego adhuc nec disiunctiuè volo vllum pignus gratiæ, facio tamen homini poteſtatem, vt ille, ſi velit, conſtituat aliquod*. In primo caſu iam Deus eſt obligatus ad dandam gratiam poſita vt conditione determinatione hominis; in ſecundo verò adhuc non eſt obligatus, ſed tunc ſe primò obligabit, quando alter inſtituerit Sacramenta, quo caſu homo obligat Deum immediatè ex poteſtate ab ipſo Deo tradita. Ita diſcurrit Cardinalis Lugo.

Differentia inter poteſtatem determinandi materiam Sacramentorum & illa inſtituendi; aſſignata à Cardinale Lugo.

Hoc

14 Hoc tamen etſi videatur habere aliquam probabilitatem, non omnino ſubſiſtit, quia ſi res benè ponderetur, hæc duplex obligatio realiter eſt vna, & ſolis verbis duplex. Etenim eo ipſo quòd Deus dicat mihi, *Do tibi poteſtatem inſtituendi Sacramenta*, dicit ibi, *Volo vt ea res, quam tu conſtitueris, ſit Sacramentum*, ac proinde omni noua Dei voluntate ſepoſita eſt ipſe obligatus ad dandam gratiam cùm primùm fuerit poſita mea inſtitutio, non aliter prorſus quàm ſi dixiſſet, *Ego pro Sacramento inſtituo eam rem quam tu volueris*. Explico id exemplo valdè efficaci. Nam ſi Imperator dicat Petro v. g. *Ille quem tu deſignaueris, erit eo ipſo Nobilis*, idem omnino dicet, ac ſi daret illi facultatem creandi ſuo verbo vnum Nobilem; quia cum poteſtas faciendi Nobilem reduci aliter in praxim non poſſit quàm Petro nominante aliquem, idem eſt dicere, *Volo vt ille, quem notaueris, ſit Nobilis*, & dicere, *Do tibi poteſtatem vt facias Nobilem quem volueris, ſeu quem tu nominaueris*: quòd enim iam vtatur his verbis, *Ego facio Nobilem quem tu nominaueris*, vel illis aliis, *Tibi permitto vt facias Nobilem tuo verbo*, ſine dubio eſt idem, nec noua requiritur voluntas Imperatoris magis in vno quàm in altero caſu. Hoc ipſum poteſt oſtendi altero exemplo. Dicat Rex, *Do tibi poteſtatem imperandi*, profectò idem eſt ac ſi diceret, *Volo vt ille, cui tu imperaueris, ſit obligatus ad faciendum id quod ei mandaueris*, ergo dicere, *Do tibi poteſtatem inſtituendi Sacramenta in quacumque materia*, idem formaliſſimè eſt ac dicere, *Volo vt illa materia, quam tu volueris, ſit ſignum & pignus gratiæ*: hoc autem eſt idem ac dicere, *Volo vt ſit Sacramentum in ea materia, quam tu nominaueris*. Nec video, cur Deus magis in vno caſu quàm in altero teneatur poſt nominationem hominis nouam habere voluntatem circa illam inſtitutionem.

Impugnatur exemplo Imperatoris;

Et ſ Regis.

15 Hinc etiam apparet, ex parte hominis non eſſe neceſſarias diuerſas voluntates in vno & in altero caſu; nam dicere, *Volo hanc eſſe materiam, cui Deus in communi annexuit gratiam, & quam permiſit mihi in particulari deſignandam*, idem eſt, ac dicere, *Volo hanc eſſe materiam Sacramenti ad quod Deus dedit mihi poteſtatem*. Nam eo ipſo illi materiæ eſt annexa gratia non aliter quàm in primo caſu.

Facultas materiā & gradus gratiæ deſignandi neceſſaria, vt quis inſtituat Sacramenta.

Propter hæc putarem tunc maximè poſſe hominem dici inſtituere Sacramenta ex commiſſione Dei, & non ſolam deſignare materiam, quando homini Deus daret facultatem & materiam & gradus gratiæ liberè deſignandi; tunc enim verè homo, non Deus eſſet inſtitutor, & huiuſmodi habuit Chriſtus vt homo, qui potuit effectus omnes Sacramenti inſtituere: & hoc modo facilè aſſignatur differentia de re ab illis, qui olim in lege naturæ poterant determinare materiam: illi enim non erant inſtitutores eius Sacramenti; quia & gradus gratiæ & effectus illius erant à Deo determinati; homines autem ponebant ſolùm materiam, in quo puram, vt ſic dicam, phyſicam varietatem cauſabant: in genere enim moris idem erat, quòd in hac aut in illa materia fieret ea proteſtatio. At voluntas humana Chriſti ipſa & materias & effectus & fines, imò & immediatas ſignificationes eorum Sacramentorum conſtituit. Vnde iure merito dicitur Chriſtus vt homo inſtitutor Sacramenti; & huiuſmodi poteſtatem dicimus poſſe concedi creaturæ.

Quod vt meliùs percipias aduerte, quod ad aliud propoſitum obſeruaui alibi, ſi quis ſit determinatus ad furtum v. g. quatuor florenorum, non poſſe abſolutè & moraliter dici cauſam furti illius eum qui tali homini ſuaderet, vt ſuppoſito quòd velit furari, furetur hos potiùs quam illos quatuor, quia ea differentia nulla iudicatur in genere moris; vnde variis in locis deduxi fuſè, eum, qui eſt determinatus ad vnum è duobus æqualibus bonis, eſto poſſit inter illa eligere, non poſſe propriè dici moraliter liberum; nam licet totam ſubſtantiam eius actus quem habet poſſit omittere, eo tamen caſu deberet alium omnino ſimilem efficere; ideoque in genere laudabilitatis, ſeu in genere moris perinde cenſetur, ac ſi eſſet ad vnum determinatus. Hinc facilè ad rem noſtram dico, In Lege naturæ eſto homines potuerint hanc vel illam materiam determinare, & (vt ſic dicam) hoc phyſicum Sacramentum inſtituere; quia tamen ea diuerſitas nulla omnino erat in genere moris, ſed ſola determinatio alterius materiæ; quia in vtraque effectus erat idem & ſignificatio gratiæ eadem, &c. ideò illos homines non potuiſſe dici eius Sacramenti Auctores: at ſi Deus dediſſet illis poteſtatem, vt quantitatem gratiæ & alios effectus & proximam ſignificationem materiæ determinarent, profectò debuiſſent dici cauſa & auctores Sacramenti. Vnde colligo, ſi modo limitato daret poteſtatem inſtituendi Sacramentum v. g. ad quatuor gradus gratiæ in talem finem, &c. fore vt tunc non poſſet ille homo dici inſtitutor; ſed idem futurum in eo caſu, quod eſſet, ſi tantùm dediſſet illi poteſtatem determinandi materiam. Hæc mihi videtur clarior differentia, quàm quæ à nobis ſuprà eſt reiecta. Secunda fortaſſe addi poteſt, ideò ſcilicet non potuiſſe in Lege naturæ eos qui determinabant materiam dici auctores eius Sacramenti, quia iam Deus à ſe promulgauerat ſe inſtituiſſe Sacramentum pro remiſſione Originalis, & vt gratiam cauſaret, etiamſi liberam reliquiſſet determinationem materiæ. Quòd ſi ipſa etiam promulgatio Sacramenti erat iam facta, quid mirum, ſi non potuerit ille, qui determinabat materiam, dici auctor Sacramenti? Hæc ratio ceſſat, caſu quo Deus daret homini poteſtatem inſtituendi Sacramenta; nam tunc Deus non poſſet vllam facere promulgationem inſtitutionis, nec dicere, *Iam ego elegi quamcumque materiam*, ſed promulgatio primò deberet ab ipſo homine habente eam poteſtatem fieri, qui poterat etiam liberè nolle vllum inſtituere, ideoque ille poſſet iure merito tunc dicere, *Ego iam primò inſtituo Sacramenta*. Et ſatis de eo modo loquendi. 16

Res declaratur exemplis.

Quare homines in Lege naturæ non fuerint inſtitutores et ratio totum, ratio prima.

Ratio ſecunda.

SECTIO III.

Quæ excellentiæ ſint propriæ Chriſti in inſtitutione Sacramentorum: vbi, An poſſit Eccleſia complere eſſentialiter aliquam actionem in eſſe Sacramenti?

QVOAD primam partem, à Diuo Thoma quatuor prærogatiuæ agnoſcuntur in Chriſto Domino circa inſtitutionem Sacramentorum, quas dicit non poſſe communicari puræ creaturæ. Prima eſt, quòd propter merita Chriſti 17

Digitized by Google

Prima Chriſti prærogatiua conferre gratiã, & remittere peccatã. Chriſti in Sacramentis conferatur gratia, & remittatur peccatum. Circa quam notandum, quod alibi docuimus, purum hominem quantumuis infinitè intenſa gratia ornatum, non poſſe alteri de condigno mereri remiſſionem peccati; ac proinde in eo ſenſu nullam puram creaturam poſſe inſtituere Sacramentum, in quo propter ipſius merita remittatur peccatum: ſi verò alter non habeat mortale, optimè poſſe de potentia abſoluta iuſtum mereri gratiam pro alio, & ad hoc non requiri vllam magnam plenitudinem, ſed poſſe id fieri, licet non niſi vnicum habeat gradum gratiæ. Vbi nota, ad inſtitutionem Sacramenti, quam diximus ſectione præcedenti poſſe communicari puræ creaturæ, nec quidem ſtatum gratiæ eſſe neceſſarium; vnde etiam peccatori id poſſet Deus committere.

Secunda excellentia, quam ibi Diuus Thomas ponit, eſt, quòd Sacramenta in nomine Chriſti ſanctificant. Id quod explicari debet de inuocatione implicita Chriſti, quatenus Miniſtri operantur nomine Chriſti, & volentes facere quod ille fecit.

Tertia, quòd Chriſtus inſtituit Sacramenta. Verùm hanc etiam haberet homo ille eo caſu, quo eſſet ei data poteſtas inſtituendi Samenta.

Quæ ex his prærogatiuis poſſet communicari creaturæ. Quarta eſt, quòd Chriſtus etiam extra Sacramenta potuerit dare gratiam. Verùm hæc in rigore non eſt excellentia, quia non eſt difficilius dare gratiam extra Sacramenta quàm intra, ſed vnum idemque; nam cùm actiones Sacramentorum nullam ex ſe habeant condignitatem cum gratia, profectò non redditur Chriſto facilior cauſatio gratiæ per Sacramenti conſortium, quàm ſi ſine illo eam vellet dare. Prætereà hæc excellentia etiam poſſet creaturæ communicari modo in prima concluſione explicato, ſcilicet caſu quo in altero non eſt mortale. Verum quidem eſt Chriſtum, quia dignificatur vnione ad Verbum, poſſe ſine termino etiam infinitis creaturis obtinere de condigno gratiam: id quod pura creatura facere non poſſet; facilè enim exhauriretur condignitas illius.

18 *Diſcutitur ſecunda difficultas. Ratio dubitandi proponitur.* Quoad ſecundam partem tituli ſuprà poſiti inde oritur difficultas; nam cùm ſuprà oſtenderimus, de ratione Sacramenti eſſe ſanctificare ſanctitate legali ſuſcipientem, videtur inde inferri, Etiamſi nulla pura creatura auctoritate propria poſſit dare pignus gratiæ; quia ſi ſolus Deus gratiam poteſt dare, ad ſolum etiam illum ſpectabit dare pignus gratiæ (vt diximus ſuprà diſput. 1.) ideoque ex hoc capite omnino repugnet inſtitui Sacramentum à creatura auctoritate propria; non tamen repugnare, à Deo inſtitui aliquod pignus gratiæ, quod non ſit cæremonia ſacra. Quo caſu ſi Eccleſia propria auctoritate ei pignori annecteret rationem cæremoniæ ſacræ, iam eo ipſo illud compleret in ratione Sacramenti; ac proinde dici poſſet Eccleſia conſtituiſſe ſua auctoritate eam cæremoniam in ratione Sacramenti, quæ anteà non habebat hunc conceptum.

Reſponſio Cardinalis Lugo. Hanc obiectionem poſuit Cardinalis Lugo, eique reſpondit, eo caſu eam cæremoniam nequaquam futuram Sacramentum, quia diſparatè concurrerent in illam duo illi conceptus; conuenirent enim illi à diuerſis inſtitutionibus, & quaſi per accidens eſſent ſimul; ad rationem autem Sacramenti requiritur vt ex eadem inſtitutione & reſpectu eiuſdem loquentis ſignificet vtrumque, ſeu vt ille, qui eo ſigno vtitur, ſignificet vtramque gratiam; vnde Sacramentum definitur, *Quod ſit cæremonia, quæ ſanctificando ſubiectum ſignificet gratiam.*

Laborat in voce. Ego in hac ſolutione video aliquid de voce miſceri: etenim ſi hic Auctor velit voce *Sacramentum* non ſignificari niſi illud in quo duæ illæ ſignificationes ab eodem inſtitutore proueniant, haud dubiè eo caſu illa cæremonia non diceretur Sacramentum: at ea ipſa acceptio Sacramenti videtur eſſe valdè extraordinaria, & verò neque in definitione, prout ab hoc Auctore traditur, includitur; nam quòd dicat *Sacramentum eſſe cæremoniam ſenſibilem gratiæ quæ ſanctificet ſuo vſu*, nihil denotat de vnica vel duplici inſtitutione: & in caſu poſito tota ea definitio conueniret illi cæremoniæ; nam & eſſet ſacra, ac proinde ſuo vſu ſanctificaret, & ſimul ſignificaret gratiam; ideoque iure merito de ea dici poſſet, quòd ſanctificando ſubiectum ſignificaret; ſicut ſi quis quando ſcriberet cantaret; certe eſto illæ duæ actiones per accidens eſſent ibi coniunctæ, abſolutè tamen cum omni veritate diceretur; *Iſte homo ſcribendo cantat, cantando ſaltat*; ſi has duas actiones iungeret; non poteſt ergo ex eo capite negari illa conſequentia.

19 *Facilior reſponſio.* Longè ſanè faciliùs reſpondetur obiectioni ſuprà poſitæ: Primò, Etiamſi concedamus eo ſenſu poſſe propria auctoritate eam actionem compleri ab Eccleſia in ratione Sacramenti, nihil tamen penitus inde contra nos inferri; nam quando negamus propria auctoritate poſſe inſtitui Sacramentum à pura creatura, maximè agimus de præcipua parte Sacramenti in eo conceptu pignoris conſiſtente; quando autem hæc iam ſemel à Deo inſtituitur, non repugnat ſecundam aliam, quæ minoris eſt momenti, ab Eccleſia ſeu à pura creatura addi; quia etiam eo caſu ſimpliciter non conſtituitur Sacramentum ſine interuentu Dei vt cauſæ principalis. *Secunda reſponſio.* Secundò reſpondetur, Neceſſariò illud pignus gratiæ, eo ipſo quòd à Deo conſtitutum ſit in ratione pignoris ſacri gratiæ, etiam conſtitui in ratione cæremoniæ ſanctificantis legaliter (ſeu exteriùs) eum qui illa vtitur: pro quo oportet diſtinguere; vel enim illa res, quæ in ſignum gratiæ, vel in pignus gratiæ aſſumitur, eſt actio humana, ſeu quæ ab homine exerceri poſſit, vti Baptiſmus, Confirmatio, & omnia Sacramenta noſtra; vel eſt res quæ ab homine non fiat; eo planè modo, quo iris poſita fuit in pignus, non ampliùs orbem diluuio euertendi, ſi dicatur pignus illud eſſe huiuſmodi, tunc cùm non ſit res ab homine factibilis, Eccleſia non poteſt ei dare conceptum illum, quòd ſuo vſu ſanctificet, ſeu quòd ſit cæremonia ſacra; ac proinde non poteſt compleri in ratione Sacramenti, vt ex terminis patet; ideoque ex eo capite non poſſet ibi locum habere obiectio, ſi verò illud ſignum ſit actio humana primo modo, tunc dico, eo ipſo quòd illam Deus aſſumpſerit ad promittendam gratiam, illam eſſe conſtitutam in ratione cæremoniæ ſacræ. Quid enim illi homini deeſſet tunc ad ſe ſanctificandum exteriùs, qui vteretur eo ſigno vt à Deo dato in pignus gratiæ? ergo eo caſu ante omnem Eccleſiæ inſtitutionem eſſet ea cæremonia perfectum Sacramentum. Dixi *vt datò à Deo*; nam ſicut Baptiſmus non ſanctificat legaliter, niſi vſurpetur vt aliquid ſacrum; ita eo caſu illa cæremonia

nia non ſanctificaret niſi vſurpata vt talis, id eſt, vt à Deo inſtituta, ergo eo tempore iam eſſet perfectum Sacramentum, ideoque ſanctificatio ei ſuperaddita ab Eccleſia omnino eſſet ſuperflua, & conſequenter Eccleſia nullo modo eam cæremoniam in ratione Sacramenti compleret. Et de hoc hactenus.

SECTIO IV.

De cauſa adminiſtrante Sacramenta.

An Angeli poſſint eſſe Miniſtri Sacramẽtorum.

20 CERTVM eſt de facto ſolos homines eſſe Miniſtros Sacramentorum, quia illis ſolis Chriſtus tribuit poteſtatem ea adminiſtrandi; potuiſſet tamen etiam Angelis eam conferre, quo ſenſu Auguſtinus dixit, Deum ſiue per ſe ſiue per Angelos effectum Baptiſmi cauſare poſſe, & fortè aliquando ex ſpeciali miraculo id fecit, vt in Amphilochio, quem Nicephorus lib. 11. cap. 20. narrat ab Angelo fuiſſe conſecratum Epiſcopum: quod ratum habuêre cæteri Epiſcopi. Inter homines autem fœminæ non poſſunt eſſe niſi ſolius Baptiſmi & Matrimonij Miniſtræ, inter viros ſoli Sacerdotes Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis, ſoli Epiſcopi Ordinis, Confirmationis autem de iure etiam ſoli Epiſcopi, licet à Romano Pontifice concedi poſſit ſimplici Sacerdoti poteſtas confirmandi, imò aliqui putant etiam ordinandi: de quo ſuo loco. Cuius veritatis ſola Chriſti voluntas per Eccleſiam & Scripturam declarata reddi poteſt pro ratione. Quòd verò Suarez diſp. 13. ſect. 1. ſubſcribens Caietano, ait Angelos ideò non poſſe eſſe Miniſtros Sacramentorum, quia non poſſunt verba formare, & conſequenter nec adhibere Sacramentorum formam, hoc inquam parum vrget, nam in corporibus aſſumptis non minùs propriè dicuntur loqui quàm homines, & fortè ſonus in aëre productus ab illis (qui ſonus eſt vox) poterit eiuſdem eſſe ſpeciei cum ſono ab homine loquente producto, licet actiones ſint diuerſæ.

Singulorum Sacramentorũ Miniſtri.

Ratio Caietani & Suarez cur Angeli non ſint Miniſtri Sacramẽtorum, reijcitur.

Dices: Illæ voces ab Angelo formatæ non ſunt humanæ, ergo non ſunt forma Sacramentorum. Reſpondeo, Ita quidem eſſe de facto, quia Chriſtus non conſtituit niſi homines vt Miniſtros Sacramentorum, at hinc non ſequitur poſſe ratione probari Angelos non eſſe Miniſtros, nam iam oſtendi eos poſſe loqui, quòd verò loquela eorum non ſit ſufficiens, non ex natura Sacramenti, ſed ex voluntate Chriſti Domini prouenit.

21 De anima ſeparata poteſt eſſe difficultas, An poſſit adminiſtrare Sacramenta. Vt autem quæſtio meliùs intelligatur, aduerte me non loqui ex ſpeciali Dei commiſſione, in hoc enim ſenſu ſicut poſſunt Angeli, poteſt & anima, quæſtio ergo eſt, An ſi anima ſeparata permitteretur aſſumere corpus apparens, poſſet validum efficere Baptiſmum ſine vlla alia ſpeciali Dei permiſſione? Reſpondeo, Non poſſe, quia hominibus tantùm conſtat eam poteſtatem eſſe conceſſam, anima autem ſeparata non eſt homo propriè, ergo non debemus ad illam extendere eam poteſtatem. Sed quid ſi iterùm anima vniretur vero corpori humano, poſſetne tunc ex vi priorum Ordinum validè conſecrare? Reſpondeo Primò, Si vniatur corpori mortali, vt verè maneat viator, omnino illum poſſe, quia & eſt verus homo & viator, quid ergo illi deeſt? Reſpondeo Secundò, Etiamſi corpori iam immortali vniretur, vt multi probabiliter cenſent de ſancto Ioanne Euangeliſta, etiam poſſe ſine noua conceſſione validum efficere Sacramentum Euchariſtiæ, &c. Ita ſanctus Thomas, quem refert & ſequitur Suarez diſput. 13. ſect. 1. Ratio eſt, quia licet data ſit à Chriſto poteſtas hominibus qui erant viatores, non tamen videtur ea data ſub conditione illius ſtatus, id eſt, *ſi ſint viatores*, ſed abſolutè illam dediſſe Ioanni Euangeliſtæ v. g. ergo quandocumque ille manet Ioannes, ſimpliciter habet eam poteſtatem, atqui licet ſit Beatus, eſt tamen Ioannes Euangeliſta; ergo.

Anima ſeparata non poteſt miniſtrare Sacramentum:

An homo ſuſcitatus à morte:

An S. Ioannes Euangeliſta.

Dices: Amiſit per mortem eam poteſtatem; in reſurrectione autem non eſt illi conceſſa ſecundò, ergo illam non habet. Reſpondeo, Obiectionem nimiùm probare, ſcilicet etiam reſurgentem ad vitam mortalem carere tali poteſtate, quia eam per mortem amiſit, & non eſt reſtituta in reſurrectione, ergo. Conſequens autem eſt falſum, quia indubitatum eſt, ſi Sacerdos aliquis mortuus miraculosè reſtituatur ad vitam, eum futurum verum Sacerdotem non minùs quàm anteà. Abſolutè ergo reſpondeo, In morte eam ablatam poteſtatem præciſè ex defectu ſubiecti, quia non erat iam homo: vnde fit, vt cùm primùm iterùm eſt homo, iterùm habeat eam poteſtatem ſine noua conceſſione, ſicut ſaltem in ordine ad capacitatem paſſiuam pro eis Sacramentis lumine naturæ notum eſt: anima enim ſeparata non poteſt baptizari, &c. at quis negabit, cùm primùm homo ſuſcitatur, eſſe capacem ex ſe vt baptizetur, &c. ſicut ergo rediit potentia receptiua, ita & actiua Sacramentorum ſine noua vnione per ſolam nouam hominis exiſtentiam. 22

Obiectioni ſatisfit Primò,

Secundò.

Dices: Matrimonium non durat poſt mortem, & ideò etiamſi ſuſcitetur homo, iam illud eſt diſſolutum, ergo & eodem modo & poteſtas Ordinis. Reſpondeo negando conſequentiam, quia matrimonium eſt contractus humanus, qui omnino per mortem dirimitur, at Ordo & Character illius eſt independens ab interpoſita morte, dummodò ſit idem homo qui anteà. 23

Quid de matrimonio ſentiendum.

Contrarium defendit Cardinalis Lugo diſp. 8. ſect. 1. quia poſt diem iudicij Sacerdotes in cœlo etſi retinebunt Characterem, non poterunt tamen validè conſecrare non ſolùm ex defectu materiæ, ſed quia Sacramentum illud Chriſtus inſtituit vſque ad diem iudicij: deinde de Extrema Vnctione id probat, quia ea iuxta Apoſtolum Iacobum debet dari à Presbyteris & ex oratione quæ oriri poſſit à Fide, atqui homo iam glorioſus non dicetur Presbyter Eccleſiæ, neque ille habet orationem quæ poſſit procedere à Fide, quia non eſt capax fidei, ergo nec adminiſtrare poterit Extremam Vnctionem. Vltimò, quia ſi aliquis Epiſcopus damnaretur corpore & anima, poſſet in inferno alios damnatos conſecrare Sacerdotes & Epiſcopos, cumque talis vehementi odio in Deum interdum inſurgat, ſi poſſet id facere, ſine dubio faceret, vt aliquam vindictam ex Deo ſumeret. Quòd ſi reſpondeas eum à Deo impediri, facilè reieceris: id enim eſſet recurrere ad ſpecialem prouidentiam Dei ſine neceſſitate, cùm poſſimus totum facilè explicare dicendo, ex ſe talem hominem eſſe incapacem eius adminiſtrationis.

Contraria opinio Cardinalis Lugo.

An Epiſcopus corpore & anima damnatus poſſet alios in inferno conſecrare.

Digitized by Google

24 *Soluuntur argumenta Cardinalis Lugo.* Probabiliter hæc dicuntur, non tamen labefactant noſtram doctrinam. Ad primum dicimus, Si ſupponit hic Auctor Euchariſtam non eſſe inſtitutam niſi vſque ad diem iudicij, quid mirum, ſi poſt illam diem non poſſit adminiſtrari? inde autem nequaquam infertur, ante illam diem adminiſtrari non poſſe à Sacerdote corpore & animo glorioſo. Ad ſecundum de Extrema Vnctione dicimus, etiam talem Sacerdotem eſſe verè & propriè Presbyterum, quia Presbyter ibi ſolùm vſurpatur pro Sacerdote.

Quod de oratione, quæ oriri poſſit ex Fide, dicebatur, non vrget; nam in primis ſine vlla oratione orta ex Fide, ſed ex ſola volūtate faciendi quod facit Eccleſia, poteſt validè adminiſtrari Sacramentum illud; quantumuis etiam Sacerdos ille ſit hæreticus. Addo, fortaſſe poſſe eamdem orationem, quæ nunc oritur in nobis ex cognitione Fidei, oriri in cælo ex viſione; hic autem Auctor non requirit ampliùs, quam quòd ea oratio poſſit à Fide oriri, eſto actu non oriatur.

Cur Epiſcopus damnatus non poſſit alios conſecrare. Ad tertium de Epiſcopo damnato dico, Primùm non conſtare, vllum eſſe talem corpore & animo: Secundò, ſi ſit, non poſſe ibi conſecrare, quia neque habet Chriſma, neque libros Euangeliorum, neque calicem, patenam, &c. Tertiò, neque habet ibi etiam alios homines, ſed animas. Quartò, eſto omnia adeſſent, quæ quæſo difficultas in eo, quòd dicamus Chriſtum habere voluntatem, qua talibus in pœnam aufert huiuſmodi poteſtatem, eſto eam relinquat Sacerdoti beato, qui non niſi prudentiſſimè ea vtetur?

25 *Quomodo Miniſter Sacramentorum ſit cauſa gratiæ.* Hoc poſito quæri poteſt, An homo ipſe, qui eſt Sacramentorum Miniſter, ſit etiam cauſa gratiæ? Reſpondeo breuiter, Si (prout tradidimus ſuprà) dicamus ipſam perſonam Miniſtri eſſe aliquid intrinſecè ſpectans ad conſtitutionem Sacramenti, tunc eo ipſo dicendum illum eſſe cauſam moralem partialem immediatam gratiæ, vti ſunt ipſa Sacramenta; ſi verò cum aliis dixerimus, perſonam Miniſtri ſe habere extrinſecè, & per modum puræ cauſæ efficientis (quæ vt talis eſt extra conceptum effectus) non eſſe neceſſarium dare influxum alterum ei Miniſtro ab eo quem habent ipſa Sacramenta, ita vt à cauſalitate, quam hæc habent, denominetur producens gratiam, ſicut ignis denominatur calefaciens à proprio calore calefaciente paſſum. Quæ doctrina locum habet, ſiue ſola cauſalitas moralis admittatur ſiue etiam phyſica in Sacramentis: habet etiam locum in omnibus Miniſtris Sacramentorum, ſiue illi operentur ex Charactere, ſiue ſine illo; quia Character ad hoc ſe habet omnino per accidens: *Et ſpecialiter in Sacramento Euchariſtiæ.* habet etiam locum in adminiſtrante Euchariſtiam, & verò ibi à fortiori, quia illa porrectio phyſica hoſtiæ ad os communicantis habet ſe omnino per accidens; vnde etiamſi homo ipſe eam acciperet (vt olim fiebat) cauſaretur gratia eodem planè modo quo iam; vnde vehementer miror aliquos fuiſſe qui ſpecialem cauſalitatem gratiæ porrigenti Euchariſtiam tribuerunt præ aliis Miniſtris, cum potiùs contrario modo videretur diſcurrendum; nam cum alia Sacramenta conſiſtant in actione, quæ immediate oritur ab homine, faciliùs apparet, quomodo ibi ipſi homini producenti eam actionem tribuatur gratia, quæ ab ea actione procedit; cum autem Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtat in permanente præſentia Chriſti Domini ſub ſpeciebus; quam ſolam præſentiam cauſat Miniſter; tunc autem adhuc gratia non producatur, ſed primùm; deinde quando homo accipit Sacramentum; cumque in eam acceptionem non influat ille qui conſecrauit; conſequenter videtur longè remotior à cauſalitate gratiæ Sacerdos conficiens Sacramentum hoc, quàm qui alia conficit. Verùm, quidquid de hac maiori vicinitate ſit, non eſt etiam negandum Sacerdotem ad gratiam concurrere mediante Sacramento.

26 *An ſtatus viatoris intret conſtitutionem Sacramenti.* Obſeruo autem diſputari hic à Cardinale Lugo ſect. 1. Vtrùm, caſu quo Sacerdos corpore & animo beatus non poſſit conficere Sacramentū, intret eo ipſo eius Sacramenti conſtitutionem ſtatus viatoris; quandoquidem, omnibus reliquis manentibus, ſolo ablato eo ſtatu non maneret Sacramentum: ergo ſtatus ille eſſet pars Sacramenti: ergo etiam efficeret gratiam, eò quod totū Sacramentum eſt cauſa gratiæ. Omnino puto ita diſcurrendū, ne in connotata incidamus: ea enim quæ ſi ſola auferantur, nulla alia entitate diuerſa corrupta deſtruunt aliquod totum, ſunt neceſſariò partes illius. De quo fuſiùs alibi. Quoad cauſationem verò gratiæ non eſt neceſſum eam omnibus omnino partibus tribuere.

DISPVTATIO DECIMANONA.

De intentione Miniſtri.

1 *Fides & probitas Miniſtri nihil faciunt ad valorem Sacramenti.* SVPPONO ex Tridentino & multis aliis Conciliorum ac Patrum locis, quæ videri poſſunt apud Vaſquez diſput. 137. & Suarez diſput. 13. ſect. 4. cap. 2. nec fidem, nec probitatem Miniſtri ad valorem Sacramenti requiri. Cuius ratio ſola eſt Chriſti voluntas: in fauorem enim ſuſcipientium non voluit effectum Sacramenti pendere à bonitate aut fide Miniſtri. In qua quæſtione nulla ampliùs ſupereſt difficultas, etſi olim fuerit cum Cypriano & aliis Patribus ea de re aliqua diſſenſio; ideò ea omiſſa de intentione Miniſtri agendum erit.

SECTIO I.

Quæ intentio ſit neceſſaria in Sacramenti Miniſtro?

Ad valorem Sacramenti oſtenditur requiri intentionem Miniſtri. EX Florentino, Tridentino & Catholica omnium ſententia conſtat requiri in Miniſtro aliquam intentionem conficiendi Sacramentum. Et ratio eſſe poteſt, quia debent exerceri Sacramenta modo humano; non autem poſſunt eo modo exerceri ſine intentione. Deinde actiones aliquæ Sacramentorum poſſunt ob diuerſos fines fieri; ergo, vt determinentur ad rationem Sacramenti, oportet vt fiant ex intentione illud conficiendi.

Dices:

Digitized by Google

2 *Hæreticorum error, quòd Sacramenta ſint ad excitandam fidem in nobis.*

Dices: Sacramenta non ſunt niſi ad excitandam fidem in ſuſcipiente: (ita hæretici huius temporis ſentiunt:) ad hoc autem non requiritur intentio ex parte Miniſtri; ergo. Nego maiorem: ſunt enim Sacramenta inſtituta ad gratiam cauſandam; & exercentur nomine Chriſti: ad hoc autem requiritur, vt Miniſtri exerceant eam actionem humano modo; alioquin ſi vel in ſomniis, vel penitus diſtractus quis proferret ea verba, & actionem Sacramentalem exerceret, conficeret verum Sacramentum: quod eſt abſurdum. Reſtat ergo explicandum, quanta & qualis debeat eſſe intentio.

Variæ ſententiæ de qualitate & quantitate intentionis.

Catholici aliqui, vt Catharinus Opuſculo de Intentione Miniſtri, & alij apud Suarez (& videtur eſſe expreſſa ſententia Diui Thomæ quæſt. 64. art. 8. ad ſecundum, & in quarto diſtinct. 6. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiuncula prima ad ſecundum) opinantur non requiri aliam intentionem quàm proferendi verba, & applicandi materiam.

D. Thomæ & Catharini ſententia probatur ex S. Auguſtino;

Probari ſolet Primò ex Auguſtino lib. 7. de Baptiſmo cap. 53. vbi non videtur audere negare, Sacramentum per iocum & irriſionem datum eſſe validum; ſi tamen debita verba & materia applicentur; additque diuinam expectandam circa hoc reuelationem. Secundò, quia Baptiſmus ab aliquibus pueris per iocum datus approbatus eſt ab Epiſcopis; vt de Sancto Athanaſio adhuc puerulo & baptizante alium puerulum legitur in eius Vita.

Ex deciſione Nicolai Papæ;

Item Nicolaus Papa ad Conſulta Bulgarorum (& refertur in Tomo 3. Conciliorum, & in cap. *A quodam Iudæo.* de conſecrat. diſtinct. 4.) nihil de intentione curans reſpondet, Si baptizatus eſt à Iudæo ſub debita forma & materia, validum fuiſſe Sacramentum.

Ex facto S. Geneſij Martyris.

Et ex facto Sancti Geneſij Martyris, qui cùm in Theatro, ad Chriſtianis illudendum, fingeret ſe velle baptizari, monitus ab Angelo de efficacia aquæ illius ad remiſſionem peccatorum, validè baptizatus eſt. Tertiò ratione; quia Chriſtus potuit non aliam quàm prædictam requirere intentionem; videtur autem valdè congruum non aliam de facto requiſitam, vt eò certiores eſſemus de valore Sacramentorum: ſi enim penderent ab alia maiori intentione, quàm quæ neceſſaria eſt ad proferenda verba, & applicandam materiam, ſequeretur poſſe aliquem debitè accedentem ad Sacramentum ſuſcipiendum defraudari ex nequitia Miniſtri, & in æternum defectu Sacramenti perire: quod durum valdè eſt.

3 *Prædicta ſententia refutatur.*

Dicendum tamen non ſufficere prædictam intentionem; & ideò Sacramentum ioco adminiſtratum nullum penitus eſſe eſt communis inter Theologos ſententia: quæ videtur expreſſa in Florentino & Tridentino; dum enim requirunt intentionem faciendi quod facit Eccleſia, non loquuntur de intentione præciſè applicandi materiam & verba proferendi: hæc enim intentio non eſt propria Eccleſiæ, ſed omnino neceſſaria, ad loquendum humano modo, ſiue velit facere quod facit Eccleſia, ſiue diuerſum aut oppoſitum, ſiue iocari, ſiue ſimulare, &c. Secundò ſpecialiter in Sacramento Pœnitentiæ idem conſtat; in eo enim requirit Tridentinum intentionem ſeu animum verè abſoluendi; non eſt autem animus verè abſoluendi ille, qui præciſè requiritur ad proferenda ea verba: proferimus enim ea ſæpè per iocum, vel recitatiuè, ſine vllo tamen animo abſoluendi. Tertiò, quia alioquin ſi Sacerdos in menſa præciſè narrans hiſtoriam repeteret ea verba; *Hoc eſt corpus meum*; etiamſi non haberet intentionem conſecrandi, eo tamen ipſo totus panis in menſa præſens conſecraretur: idem eſt de vino, ſi proferret narrando ea verba in cellario.

Chriſtus vult Sacramenta adminiſtrari humano modo & ſerio.

Ratio à priori huius rei ea eſt quam ſuperiùs inſinuauimus, quòd ſcilicet Chriſtus voluerit hæc Sacramenta adminiſtrari humano & ſerio modo, non autem ridiculo & nugatorio; ideò requiſiuit illum animum non tantùm qui neceſſarius eſt ad mouendam linguam & proferenda verba, ſed qui eſt neceſſari[illegible]: accommodent intentioni Chriſti [illegible] facere verum Sacramentum, aut qu[illegible] Eccleſia: quod in idem recidit.

4 *Cardinalis Lugo ſententiam D. Thomæ explicare conatur.*

Priùs autem quàm ad argumenta oppoſita reſpondeam, breuiter eſt aduertendum, eſſe inter Interpretes D. Thomæ dubium graue, Vtrùm ille re ipſa fuerit opinatus non eſſe neceſſariam in Miniſtro hanc intentionem: de quo agit poſt illos Cardinalis Lugo ea diſput. ſect. 4. vbi cùm verba, quibus Sanctus Doctor in 4. diſtinct. 6. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula prima ad ſecundum, & in præſenti quæſt. 64. art. 8 ad 2. ſuam mentem explicat, retuliſſet, ait ſibi eſſe valdè difficile putare, fuiſſe illum in ea ſententia, cùm expreſsè alibi videatur comparare intentionem adminiſtrantis cum intentione ſuſcipientis, & dicat adultum, qui ſine intentione baptizatus eſt, debere baptizari; vnde infert eum ſenſiſſe, etiam illum baptizandum qui ſine intentione Miniſtri baptizatus eſt. Putat ergo hic Auctor Diuum Thomam eis locis non tam egiſſe de Sacramenti valore quàm de ſecuritate ſuſcipientis Sacramentum; ac ſi diceret, Non eſſe cur ſuſcipiens ſit de intentione Miniſtri ſolicitus, quia ea ſufficienter ex verbis & forma colligitur; maximè autem putat Cardinalis Lugo hoc doctum à D. Thoma propter ignorantes aliquos Miniſtros, qui non videbantur ſcire quid facerent; quos tamen dicit adminiſtrare validum Sacramentum, quia habent intentionem faciendi quod facit Eccleſia.

5 *Sed eius explicatio reijcitur.*

Hæc explicatio mihi eſt ſatis dura; nam Diuus Thomas eo loco non agit de intentione explicita aut implicita, quæ poſſet explicari per voluntatem faciendi quod facit Eccleſia, ſed abſolutè de neceſſitate intentionis. Deinde, ſi eo ſolo ſenſu ageret quoad tranquillitatem conſcientiæ ſuſcipientis, quare recurriſſet ad hoc, quòd homo operetur nomine Eccleſiæ? nam ad valorem Sacramenti ſufficit, quòd homo velit facere quod fecit Chriſtus, etiamſi de Eccleſia nihil cogitet. Denique, quod grauius eſt, in eadem reſponſione ad ſecundum, cùm retuliſſet ſententiam quorumdam docentium, eum defectum intentionis ſuppleri per deuotionem ſuſcipientis in adultis, in pueris verò per ipſum Chriſtum qui interiùs baptizat, reſpondet, hanc ſolutionem fortaſſe eſſe bonam quoad vltimum effectum gratiæ, non tamen quoad impreſſionem characteris: ergo loquitur ibi de voluntate neceſſaria ad valorem Sacramenti, & hanc ſupponit deeſſe in Miniſtro, ac proinde non cauſari tunc Characterem; ergo quando ſtatim addit, eam ſuppleri per intentionem Eccleſiæ, cuius nomine Miniſter operatur, non dicit ſuppleri per actualem intentionem ipſius Miniſtri faciendi quod facit Eccleſia; quia iam poneret in ipſo Miniſtro intentionem, ac proinde nulla eſſet neceſſitas vllius ſupplementi: agit ergo de omnimoda carentia intentionis.

Dices;

Digitized by Google

Oſtenditur quæ fuerit mens Diui Thomæ.

Dices; Videtur in corpore expreſsè contrarium docere, dum probat eſſe neceſſariam intentionem; quia res Sacramenti ſunt indifferentes ad multa, ergo non eſt credendus hoc negare in reſponſione ad ſecundum. Reſpondeo, In corpore eam quidem requirere intentionem, non tamen dicere, an debeat eſſe propria ipſius Miniſtri; id quod poſteà declarat, dum ait ſufficere illam quam habet Eccleſia, cuius nomine ille operatur. Vnde concludo, eum valdè in hoc puncto difficulter locutum; nec mirum id alicui debet videri, cùm ipſius tempore, vt ex ea reſponſione conſtat, videatur etiam fuiſſe opinio in Scholis probabilis, quòd defectus ille ſuppleatur à Chriſto, vel à deuotione ſuſcipientis. Quæ doctrina poſt definitionem Tridentini & Florentini haud dubiè eſt hæretica. Sed iam ad alia argumenta.

Argumenta pro ſententia Diui Thomæ ſoluuntur.

6 Ad primum ex Auguſtino fatemur etiam illum fuiſſe dubium in re quæ adhuc non erat ab Eccleſia deciſa; nos autem iam habemus ex Conciliis eam reuelationem quam ipſe expectandam docuit.

Ad ſecundum dico, aliud eſſe ex ioco moueri ad faciendum Baptiſmum, aliud, non habere poſteà voluntatem faciendi quod facit Eccleſia in ipſa actione & prolatione verborum. Athanaſius ergo baptizans & puer baptizatus licet primò moti fuerint ex ioco; voluerunt tamen facere quod facit Eccleſia; & ideò verùm confecerunt Sacramentum. Reſponſio facilè declaratur ex doctrina de actibus imperantibus & imperatis: non enim ſemper motiuum actus imperantis poſtea reperitur in actu imperato. Sic poteſt quis moueri ex timore pœnæ æternæ ad habendam contritionem; quæ tamen contritio non attendit pœnas æternas. Similiter ex voluntate placendi alteri poteſt quis velle confiteri; non tamen propterea dolor, quem habet in contritione de peccatis, reſpicit tanquam motiuum complacentiam alterius. Et idem in multis aliis exemplis oſtenditur.

Reſponſio ad ſecundum argumentum declaratur exemplis.

Ad alterum caſum de reſponſo Nicolai Papæ dicimus Pontificem ibi non de intentione egiſſe quia de ea non fuerat interrogatus; ſed an ex eo quod datus fuerit ille Baptiſmus à Iudæo, deberet reiici, reſpondetque, ſi materia & forma valida adfuerunt, non reiiciendum; & verò cum, qui maximè vtuntur hac inſtantia, ſint Catholici, & hi ſupponant requiri ſaltem ſeriam intentionem applicandi eam materiam & formam, non autem purè nugandi, debebant ſupponere Iudæum illum foris oſtendiſſe ſe ſeriò agere, ac proinde ex eo capite non fuiſſe vllam rationem dubitandi.

7 Hinc autem eodem modo ad factum illud Geneſij dicimus eo plus probari quàm hi velint; nam ibi iocoſa planè & ficta voluntas fuit eius ficti Miniſtri; ac proinde non interuenit illa ſeria voluntas faciendi quod facit Eccleſia, quam omnino eſſe neceſſariam ex definitione Tridentini fatentur hi. Ergo abſolutè reiectis ſolutionibus minùs probabilibus, reſpondeo cum Cardinale Lugo, probabiliter non fuiſſe ibi Baptiſmum verum, ſed Geneſium à Deo excitatum ad veram contritionem, per quam iuſtificatus eſt. Quam ſolutionem priùs inſinuauerat Vincentius Belluacenſis ab eodem Cardinale Lugo citatus. Quod verò ei Angelus apparens dixerit; *Aqua iſta delet omnia hæc quæ te feciſſe cognoſcis*, vnde videtur inferri verum ibi fuiſſe Baptiſmum; hoc inquam non vrget, Primò, quia (vt ait Cardinalis Lugo) probabiliter ibi ſolùm egit Angelus de remiſſione tẽporalis pœnæ, ad quam Deus acceptauit eam ablutionem adiuncta Geneſij contritione. Ego Secundò dicerem illa verba Angeli non tam denotaſſe actum, vt dici ſolet, quàm aptitudinem; ac ſi dixiſſet: *Hic Baptiſmus licet tibi videatur res ridicula, ſi tamen ſerio adminiſtretur, habet vim delendi ea quæ tu feciſti*: per quæ non intelligitur dixiſſe, re ipſa hic & nunc deleta peccata per fictam adminiſtrationem Baptiſmi. Et verò pro intento Angeli ad conuertendum Geneſium ſufficientiſſima probatio erat ei diuinitus reuelare, Baptiſmum Chriſtianorum eſſe valdè potentem. Fortaſſe etiam poſſet quis Tertiò dicere, in eo caſu miraculosè Deum ſuppleuiſſe defectum eius ſeriæ intentionis in Miniſtro, ſicut ſuprà diximus à Nicephoro narrari lib. 11. Hiſtor. cap. 20 ſanctum Amphilochium conſecratum eſſe Epiſcopum ab Angelo, & eam conſecrationem ab aliis Epiſcopis ratam habitam: potuit ergo Deus ſua vti potentia cum Geneſio in eo caſu.

Geneſij Baptiſmus non fuit verus.

Quæ ad hanc hiſtoriam pertinent explicantur.

Ad tertium fateor poſſe aliquando hominem ex culpa alterius priuari fructu Sacramenti, & occaſionaliter etiam æterna ſalute: quod fatendum ab omnibus eſt, quidquid iam ſit de intentione Miniſtri. Si enim vel ex nequitia vel ex ignorantia non applicat Miniſter rectam formam Sacramenti, certum eſt, licet ille qui ad illud accedit ſit ſufficienter diſpoſitus, tamen non accepturum gratiam. Dico ergo, licet videatur hoc durum, re ipſa tamen non eſſe; tum quia Deus ita diſpoſuit media omnia pro noſtra ſalute, vt reliquerit cauſas ſecundas operari: ideò ſi ab his aliquando impediuntur aliqua media, non id Deo ſed cauſis ſecundis imputandum eſt; tum quia ſaltem per contritionem poteſt homo ſe diſponere ad gratiam independenter à mala voluntate Miniſtri iniquè Sacramenta conferentis. 8

Poteſt quis ex culpa alterius priuari fructu Sacramenti.

Dices; Ergo ſi neceſſaria ſit talis ſeria intentio ad conficiendum Sacramentum, poterit fieri vt rudes contrahentes matrimonium, & carentes intentione faciendi quod facit Eccleſia, contrahant verum matrimonium, non tamen conficiant Sacramentum: quod videtur abſurdum. Pater Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio diſputat. 10. & aliqui putant, matrimonium ita à Chriſto eleuatum ad dignitatem Sacramenti vt inter baptizatos non poſſit ſeparari ratio veri contractus à ratione Sacramenti; vnde reſpondendum obiectioni eſſet, in eo caſu non dari verum matrimonium, quia ex defectu intentionis non datur verum Sacramentum. Nihilominùs tamen probabilius eſt quod Suarez diſput. 13. ſect. 2. & Vaſquez diſput. 138. cap. 5. & alij multi, poſſe ea duo ſeparari; gratis enim ab Aduerſariis ea inſeparabilitas adſtruitur, cùm non conſtet de ea ex Scriptura aut Patribus, imò videatur contra communem ſenſum, dicere, inter hæreticos non eſſe verum matrimonium: conſtat autem in illis non eſſe verum Sacramentum, quia omnes noſtri temporis hæretici non agnoſcunt rationem Sacramenti in matrimonio: concedo ergo obiectioni in eo caſu manſurum verum matrimonium ſine ratione Sacramenti; nego autem id eſſe abſurdum.

Poteſt defectu intentionis verum eſſe matrimonium ſine ratione Sacramenti.

Digitized by Google

SECTIO II.

Ampliùs probatur neceſſitas eius intentionis.

9 SVFFICIENTER videtur de hac intentione dictum, niſi noui aliqui Auctores voluiſſent ſentẽtiam illam Chatarini iterùm in Scholas inducere. Cardinalis enim Lugo diſput. 8. ſect. 2. refert quemdam Gallum, Ioannem Marcum Scribonium, quin in Pantalithia, ſeu Summa Theologiæ, diſput. 1. de Sacramentis in genere, quæſt. 6. & 7. totus eſt, vt eam ſententiam confirmet nouos pro ea citando Auctores, nouas etiam congerendo rationes, cum fusè ibi Cardinalis Lugo reiicit; & ſect. 3. reſpondet nouemdecim argumentis quæ ab eo Auctore afferuntur.

Marcus Scribonius ſententiam Catharini reſuſcitat.

Eius aliqua argumenta.

Circa quæ Primò obſeruo, ne actum videamur agere, & ne ſine cauſa prolixi ſimus, maiori ex parte argumenta huius Auctoris ſupponere id quod à reliquis benè ſentientibus omnino negatur, ac proinde illa nullius eſſe momenti; talia ſunt: Sextum, quòd Sacramentum non habeat ſuam ſignificationem dependenter à Miniſtro: Duodecimum, quòd per ſolam materiam & formam exteriorem Deus ſit ſufficienter determinatus ad cauſandam gratiam: Decimum tertium, quòd materia & forma ſint fortiora quàm interior intentio: Decimumquartum, quòd intentio Miniſtri ſit ſpeculatiua, materia verò & forma ſint practica: Decimumquintum, quòd Miniſter per intentionem ſolam non poteſt dare Sacramentum, ergo nec auferre: Decimumſeptimum, quòd Miniſter non poſſit aliud exercere per Sacramentum quàm materiam & formam, cùm non cauſet gratiam: Decimumoctauum, quòd intentio cauſæ ſecundæ non poteſt impedire actionem cauſæ primæ, quando materia & forma eſt actus legitimè exercitus; vbi iam ſupponit per ſola verba & materiam Sacramentum eſſe perfectum: Decimumnonum, quòd Eccleſia iudicet eum eſſe verè baptizatum, per ſola exteriora verba & materiam: hæc & ferè omnia alia ſupponunt ſemper ſolam prolationem verborum cum materia eſſe Sacramentum; vnde infert, intentionem non poſſe illud impedire.

10 *Argumentis breuiter reſpondetur;*

His ergo reſpondemus vno verbo, eam intentionem eſſe partem Sacramenti ex voluntate Chriſti Domini, ac proinde ea abſente reliquas partes eſſe inutiles, nec ſufficere ad determinandum Deum, nec poſſe cauſare gratiam, &c.

Ex mente ipſiuſmet Auctoris,

Et verò in omnibus his argumentis agit etiam hic Auctor contra ſe; nam ſaltem ipſe contra hæreticos huius temporis requirit talem intentionem interiorem, quæ minimum oſtendat Miniſtrum non agere fictè & fraudulenter, ſed ſeriò: in hac autem intentione habere poſſunt inſtantiam ea omnia argumenta. Forte huic vltimæ obiectioni reſpondebit, ſine vlla interiori intentione, ſolùm ponendo exteriùs ea quæ poſſunt oſtendere hominem ſeriò agere, poſſe confici Sacramentum.

Et Concilij Tridentini.

Sed contrà euidenter, nam intentionem aliquam interiorem debet hic Auctor admittere qui Tridentini auctoritatem reueretur: Tridentinum autem eam intentionem interiorem requirit: in ea ergo, vt dixi, patiuntur inſtantiam ea omnia argumenta; ergo ea ſunt nullius momenti.

Alia eiuſdem Auctoris argumenta expenduntur;

Iam breuiſſimè tangamus alia quæ minùs videntur ſupponere principium; & quidem aliqua ſunt quæ ab antiquioribus Auctoribus obiecta erant & ſoluta, vt locus ſuprà ex Auguſtino explicatus, & hiſtoriæ illæ, quas oſtendi eſſe contra hunc Auctorem; qui ſaltem intentionem ſeriam requirit. Præter hæc ergo obiicit Primò, in contractibus humanis, qui fiunt per famulos, non eſſe neceſſariam eorum ſeriam voluntatem, ſed ſufficere ſi exteriùs contrahant; ergo eodem modo in Sacramentis. Secundò, quia ſi Iudex exteriùs abſoluat reum, etiamſi mentiatur, quia non habet animum abſoluendi; verè erit abſolutus. Tertiò, quia Sacramenta ſunt ſigna ad placitum, quæ ſignificant independenter ab intentione illa proferentis. Quartò, quia ſignum ſenſibile non poteſt pendere ab intentione occulta. Quintò, ſi quis exteriùs ſeriò adorat idolum, etiamſi interiùs non habeat animum adorandi, eſt verus idololatra; ergo.

11 *Et inſtantiæ ſoluuntur:*

Iis omnibus & ſimilibus argumentis ego vnico verbo reſpondeo, Gratis defatigari hunc Auctorem in congerendis inſtantiis: licet enim illæ veriſſimam doctrinam contineant, nihil prorſus ad intentum noſtrum valent; nam cum Sacramentum non ſit ens phyſicum & naturale ſed ex Chriſti inſtitutione; Chriſtus autem pro ſuo libitu potuerit requirere intentionem illam Miniſtri (de qua dubitamus,) profectò quamdiu hic Auctor non oſtendit Chriſtum eam non requiſiuiſſe, gratis omnino defatigatur: Chriſtum autem non requiſiuiſſe eam intentionem nec probant hæ inſtantiæ, nec aliunde probare poterit Auctor hic, cùm contrarium potiùs vix non ſit clarè de Fide, ob dicta ſuprà & ſtatim dicenda.

Prima à Suarez & Cardinale Lugo:

Secundò addo, potiùs his inſtantiis contrarium probari. Ad primam reſpondent benè Suarez, Cardinalis Lugo & alij, aliquando contractum fieri per Dominos, famulum autem eſſe veluti baiulum deferentem res de quibus fuit contractus; perinde ac ſi per mulum res illæ mitterentur; fatemur ergo tunc non eſſe neceſſariam illam intentionem famuli, imò nec quidem exteriùs requiritur quòd ſeriò fiat, ſed ſufficit ſi iocando eam rem reponat. Altero ergo modo poteſt ſe habere famulus, vt is cui reuerà eſt poteſtas data emendi, vt verè antequam ipſe emat non ſit vllus contractus factus: & in tali caſu videtur certum, ſi famulus non voluit ſeriò contrahere, nullum re ipſa eſſe contractum. Vti ſi Religioſus profeſſionem fictè emittat, nulla eſt re ipſa, quantumuis in foro exteriori (quod non iudicat de occultis) reputetur validus ille contractus & ea profeſſio.

12 *Secunda in Auctorem retorquetur.*

Ad ſecundam de Iudice dicimus eodem modo, ſi ille non habeat ſerium animum liberandi, re ipſa non liberari reum. Et (vt verum fatear) mihi videtur hic Auctor quaſi contraria dicere. Si enim Iudex ſcit reum verè liberari, eo ipſo quòd exteriùs ſeriò vultu dicat, *Ego te libero*; profectò non ſcio quomodo ille poſſit habere voluntatem non liberandi, & ſimul proferendi verba quibus liberat, niſi recurrat ad aliquam ignorantiam. Et verò cùm Chriſtus Dominus veram dederit Apoſtolis poteſtatem abſoluendi & ligandi, non autem præciſè declarandi abſolutos & ligatos (vt Tridentinum definit contra hæreticos huius temporis;) non capio etiam, quomodo ſi ego interiùs nolo abſoluere, verè tamen abſoluam; aut quid plus eo caſu iuxta hunc Auctorem ego efficiam, quam declarare remiſſa peccata.

Tertia inſtantia expeditur.

Ad tertiam & quartam dicimus, vti valor pœnitentiæ

Non eſt neceſſaria confeſſio, modò adſit contritio.

tali. Reſpondeo, Sufficere ſi habeat contritionem: (excipio tam celebrationem Sacri quàm ſumptionem Venerabilis Euchariſtiæ, in qua per ſe præcrequiritur confeſſio de mortali:) ita communiter omnes docent: & ratio eſt, quia confeſſio Sacramentalis non eſt diſpoſitio per ſe ex natura rei ad gratiam requiſita, ſed ſolùm ex inſtitutione Chriſti; qui tamen reliquit ſimul contritioni vim iuſtificandi extra confeſſionem; ergo cùm non conſtet ipſum requiſiſſe ad adminiſtrationem Sacramentorum ſtatum gratiæ per confeſſionem Sacramentalem; ſed ille ſtatus requiratur præcisè propter decentem adminiſtrationem; per accidens videtur eſſe, quòd ille acquiratur per confeſſionem Sacramentalem, aut per contritionem, dummodò verè acquiratur.

17

Quinò poteſt conteri. tenetur confiteri.

Dico *dummodò verè acquiratur*, quia ſi Sacerdos aut Miniſter Baptiſmi agnoſcat ſe non poſſe habere contritionem, tunc, niſi vrgeat neceſſitas, tenebitur præmittere confeſſionem ante adminiſtrationem Sacramenti. Cur autem ad Euchariſtiam per ſe requiratur confeſſio, dicemus ſuo loco; nunc breuiſſimè dico, maximam eius Sacramenti excellentiam requirere vt certiſſimum remedium contra mortale adhibeatur, quale eſt per confeſſionem Sacramentalem. Nam in contritione facilè poteſt deceptio fieri, vt non ſit niſi attritio, quæ reputatur contritio.

SECTIO II.

Quando liceat ab iniquo Miniſtro Sacramenta petere?

18 DIXIMVS, Adminiſtrare Sacramenta in peccato eſſe peccatum; hinc conſequenter inferri videtur, Petere ab iniquo Miniſtro Sacramentum, eſſe petere ab illo iniquam adminiſtrationem, ſeu petere peccatum; ergo id non licebit; quia non licet petere ab alio vt committat peccatum; aliunde autem videtur durum me reddi incapacem fructus Sacramenti propter malam alterius vitam. Pro ſolutione aduerte, actionem, quam ego peto ab altero, dupliciter poſſe eſſe malam, vel intrinſece & eſſentialiter, ita vt hîc & nunc exerceri ab eo nullo modo poſſit niſi peccando, vel accidentaliter tantùm ex nequitia ipſius exercentis, qui poſſet licitè, ſi vellet, eandem actionem, quam ego peto, exercere; etiamſi de facto ex ſua nequitia non niſi peccando eam exerceat. Exemplum primæ actionis ſit odium Dei, mendacium, periurium quæ exerceri non poſſunt ſine peccato; ſecundæ verò, petere mutuum ab vſurario: poteſt enim ille mutuum, quod ego ab illo peto, mihi dare non petendo vſuram, & conſequenter poteſt licitè exercere eam actionem; quòd autem de facto nolit, eſt nequitia ipſius. Hoc ſuppoſito,

Status quæſtionis proponitur.

19

Actionem intrinſecè & eſſentialiter malam non poteſt quis ab altero petere, v.g. mendacium, periurium, &c.

Certum eſt Primò actiones primi generis nunquam poſſe licitè peti; quia nunquam poſſum peccarum licitè petere: (de quo fuſiùs in materia de Peccatis:) vbi nec quidem ad vitandum grauius peccatum licere docuimus perſuadere aut petere directè aliud minus, iuxta illud principium tritum, *Non ſunt facienda mala vt eueniant bona*: hinc infertur ad rem noſtram, non licere petere Sacramentum ab eo qui illud validè non poteſt exercere; vt petere abſolutionem aut conſecrationem hoſtiæ ab eo qui non eſt Sacerdos: nam eiuſmodi actio eſt ex ſe in primis inutilis, quia effectum, quem intendit, non poteſt cauſare. Deinde eſt eo ipſo quaſi temeraria præſumptio, dum contra Dei voluntatem vult obtinere id quod Deus noluit per eam viam præſtare. Eſt etiam irriſio grauis Sacramenti veri; non ergo ob vllam cauſam licitum eſt eam petere.

Actiones quæ ſunt malæ ex nequitia exercentis tantùm poteſt quis ab altero petere.

Certum eſt Secundò, quando actiones hîc & nunc non ſunt ex ſe malæ, ſed tantùm ex nequitia exercentis, qui poteſt eas licitè facere ſi velit, poſſe me tunc licitè ob magnam vtilitatem meam aut neceſſitatem ab illo petere, vt eam actionem exerceat: non enim tunc induco illam in peccatum, ſed peto ab eo rem licitam; & ſimul permitto, vt ipſe eam illicitè faciat. Ratio huius eſt, quia meum ius non debet impediri per nequitiam alterius: ſic mihi eſt licitum petere pallium meum à fure, etiamſi conſtet mihi illum peccaturum grauiter, negando etiam cum iuramento ſe illud habere. Ita iuxta communem omnium ſententiam licitum eſt ab Ethnico petere, vt iuramento teſtetur veritatem; cuius atteſtatio neceſſaria aut vtilis eſt petenti: nam licet ille peccaturus ſit iurando per falſos deos; hanc tamen circumſtantiam iuramentum ex ſe non exigit: poteſt enim fieri alio licito modo.

20

Non tamen niſi in caſu vtilitatis aut neceſſitatis.

Certum eſt Tertiò, etiam in his caſibus non eſſe licitum ſine aliqua vtilitate aut neceſſitate eam actionem petere; quia tunc indirectè do illi occaſionem peccandi; & cùm aliunde nullam vtilitatem accipiam, haud dubiè peccabo, ſaltem contra charitatem. Neque obeſt, quòd ille poſſet, ſi velit, eam actionem licitè facere; vt propterea ego excuſer à peccato eam petendo. Etenim quidquid de potentia ſit, iam ſuppono mihi conſtare, illum peccaturum re ipſa; hoc autem ſufficit, vt lex charitatis me obliget, ne ſine vlla prorſus vtilitate dem illi eam occaſionem peccandi; ergo. Quanta verò debeat eſſe vtilitas ſtatim dicetur.

In caſu neceſſitatis licitum eſt petere Sacramenta à Miniſtro malo, non autem extra caſum.

Ex his quæ fuſiùs in materia de Charitate & alibi tractantur breuiter difficultati reſpondeo: Primò, extra caſum neceſſitatis aut vtilitatis non licere petere Sacramenta à malo Miniſtro; quia ſine cauſa non licet, nec quidem indirectè, occaſionem dare ad peccandum. Secundò, ſi talis eſſet adminiſtratio Sacramenti à malo Miniſtro, vt hîc & nunc nullo modo fieri poſſet ab ipſo niſi peccando, non licere ob vllam cauſam ab eo petere Sacramentum: id quod conſtat ex prima ſuppoſitione. Tertiò, in caſu extremæ neceſſitatis aut magnæ vtilitatis licitum eſſe Sacramenta petere à malo Miniſtro; quia in eo caſu ſupponimus poſſe illum, ſi velit, licitè adminiſtrare Sacramenta; quòd autem illicitè adminiſtret, culpa eſt illius, ob quam non debeo ego priuari magna mea vtilitate, multò minùs æternùm perire, ſi extremè indigeo eo Sacramento.

21

Qui ſcit ſuum Confeſſarium ordinarium eſſe in peccato mortali, tenetur alteri confiteri.

Hinc colliges, quid ſit dicendum in aliquibus caſibus particularibus. Primò ergo dicendum, ſi ſint duo Confeſſarij, & mihi conſtet vnum in peccato adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, teneri tunc me alterum audire; quia pro me idem eſt huic confiteri aut illi: quod verum crediderim, etiamſi alter eſſet meus ordinarius Confeſſarius: non enim tanti momenti eſt mutare Confeſſarium, vt non tenear propterea occaſionem peccandi etiam indirectè non dare proximo; ſecùs eſſet, ſi nullus alius eſſet Confeſſa-

Digitized by Google

Confeſſarius, & ego eſſem in periculo vitæ, omnino poſſem, & verò tenerer, ab illo petere Sacramentum. Secundò, etiam à Sacerdote hæretico & excommunicato licitum eſſe tunc petere Sacramentum Pœnitentiæ; quia in tali caſu omnis verus Sacerdos habet iuriſdictionem; & poteſt validè adminiſtrare Sacramentum. Inſuper Eccleſia cenſetur diſpenſare cum eo tunc, vt ſi doleat de peccatis per actum contritionis, licitè poſſit abſoluere. Tertiò, ab eodem hæretico denuntiato non licere extra caſum neceſſitatis extremæ petere abſolutionem aut adminiſtrationem alterius Sacramenti; tum quia extra illum caſum non eſt in poteſtate Miniſtri iſtius licitè Sacramentum conficere, etiamſi velit, quia eſt prohibitus grauiter ab Eccleſia: vnde ſi eam adminiſtrationem peterem ab illo, peterem aliquid hîc & nunc quaſi eſſentialiter malum: id quod non licet, vt conſtat. Secundò, ideò id non licet, quia extra caſum extremæ neceſſitatis caret iuriſdictione ad abſoluendum; vnde non poteſt nec licite nec

22 validè conficere Sacramentum Pœnitentiæ. Tertiò, id tunc mihi non licet, quia per excommunicationem publicam & denunciationem non ſolùm prohibetur ipſe excommunicatus adminiſtrare Sacramenta, ſed etiam alij prohibentur agere cum illo, maximè in Sacramentorum adminiſtratione; ergo tunc directè mihi eſt prohibitum Sacramenta à tali petere, quidquid ſit, an ille tunc peccet ea adminiſtrando, an non. Quartò, ex dictis infertur, Si Miniſtri ſint hæretici, non tamen denunciati excommunicati, poſſe me ob aliquam vtilitatem meam petere ab eis Sacramentum, quia cum illis licet agere; & conſequenter ipſis etiam licet conficere illud Sacramentum ad meam petitionem; ſi tamen priùs conterantur de peccato, & proponant ſe ſubiicere Eccleſiæ.

In caſu vtilitatis licitum eſt petere Sacramentum ab hæretico Miniſtro nondum denunciato.

Quæri autem poteſt, quanta debeat eſſe vtilitas, vt poſſim ob illam petere à malo Miniſtro Sacramentum. Pater Suarez diſput. 18. ſect. 1. cenſet ſufficere ipſum augmentum gratiæ quod ego ex Sacramento recipio, ne ea gratia defrauder; eſt enim mihi valdè vtilis; ergo potero indirectè eſſe cauſa vt alter peccet. Hanc doctrinam puto omnino veram; & confirmari poteſt ex his quæ in materia de Scandalo tradi ſolent communiter. Nam etiamſi fœmina, dum it ad templum, ſciat ſe præbituram occaſionem amoris turpis, non tamen ideò tenetur manere domi, & Concione aut Sacro carere. Et licet in præſenti petens Sacramentum magis videatur influere in peccatum illud, quàm fœmina in turpem amorem ſui; nihilominùs, quia hîc ponimus etiam maiorem vtilitatem ex Sacramento prouenientem, quàm ex auditione Sacri, aut Concionis, videtur eodem modo in vtroque caſu diſcurrendum.

Vtilitas ſufficiens vt poſſit quis petere Sacramentum à malo Miniſtro eſt augmentum gratiæ. Ita Suarez; & benè.

SECTIO III.

Reiiciuntur ex dictis quædam aliorum regulæ generales.

23 EX his breuiter infero cum Patre Suarez ſuprà ſect. 2. regulas quaſdam communiter aſſignatas à diuerſis Auctoribus ad ſatisfaciendum huic quæſtioni inſufficientes eſſe. Prima eſt eorum qui dicunt, non licere petere Sacramentum ab alieno Parocho, licere verò à proprio; quia hic tenetur dare, ille verò non. Hanc regulam inſufficientem eſſe conſtat ex dictis, nam ſi quando adeſt meus Parochus poſſum ego ab altero, quem in gratia eſſe iudico, petere Sacramentum cum eadem mea commoditate; profectò lex charitatis me obligat ad non dandam etiam meo Parocho eam grauis peccati occaſionem (vt diximus paulò antè vniuerſaliter loquendo:) obligat item me ad hoc ipſum reuerentia debita Sacramento: quia ſi cum eadem mea vtilitate poſſum ego efficere vt Sacramentum debite tractetur, & grauis irreuerentia illius vitetur; profectò ipſa naturalis ratio dictat me teneri ad id faciendum; ergo ea regula nulla eſt.

An à proprio Parocho potius quam ab alieno in caſu ſit petendum Sacramentum.

Secundum alij tradunt, quòd ſcilicet poſſimus petere Sacramentum ab iniquo Miniſtro, qui eſt iam paratus ad dandum illud non verò ab eo qui non eſt paratus. Regulæ huius ratio probabilior eſt quàm præcedentis; quia paratus eſt ad dandum, iam videtur commiſiſſe totum peccatum, & ſolùm illi deeſſe ipſa exterior actio, quæ non adfert nouam malitiam: alter verò qui non eſt paratus inducitur planè de nouo ad ipſam volitionem peccaminoſam. Verùm licet, vt dixi, hæc ratio probabilis ſit, & oſtendat faciliùs peti poſſe cæteris paribus à iam parato quàm ab altero, non tamen placet; etenim vrget adhuc ratio à nobis data, ſaltem quoad reuerentiam Sacramenti: quidquid enim de illius voluntate ſit, certum eſt, ſi ego poſſum ſine vlla mea incommoditate efficere vt impediatur irreuerentia circa Sacramentum, me ad id efficiendum obligari. Vrget etiam prima ratio, quia quantumuis ille ſit paratus dare, quandocumque tamen aliquis de nouo ad illum accedit, & petit, habet ipſe voluntatem nouam, qua abſolutè & in particulari vult huic dare Sacramentum; illa autem eſt nouum peccatum etiam internum, diſtinctum omnino ab illa priori voluntate generali; ergo ſi poſſum cum eadem mea commoditate hoc ipſum peccatum vitare, certè lege charitatis ad id tenebor.

Dixi tamen ſupra, cæteris paribus faciliùs 24 poſſe peti ab eo qui paratus eſt. Nam ſi ambo ſint in peccato, tunc potiùs erit petendum ab eo qui paratus eſt: cuius ratio eſt facilis, quia ille in ea particulari voluntate, ſuppoſita priori generali, minùs longè peccat; quia ea particularis videtur quaſi neceſſariò inferri ex priori, ideoque minorem addit malitiam, quam adferret illa quæ de nouo conciperetur ab eo qui de ea re nec cogitabat, multò minùs erat paratus. Denique hæ duæ regulæ ideò ſunt minùs bonæ; nam ſupra probauimus, quando alium non poſſum commode habere, licere petere & à non parato, & ab eo qui ex officio non tenetur; etiamſi certiſſimò mihi conſtet illum eſſe in peccato. Addidi *etiamſi certiſſimò*, &c. quia faciliùs longè id potero petere, quando ſolùm ex ſuſpicione iudico illum eſſe in peccato: ego enim non debeo examinare, vtrùm ille ſit diſpoſitus néc ne, & licet immediatè antè viderim illum peccantem, poſſum ſuſpicari, cum primum ab eo peto Sacramentum, illum conteri, ac benè eſſe diſpoſitū.

Si duo ſint in peccato, potius petendum eſt Sacramentum ab eo qui paratus eſt dare.

Tertia regula aliorum eſt, licere ſuſcipere ab iniquo Miniſtro, non tamen petere. Hanc benè Pater Suarez oſtendit eſſe nullius momenti, quia nunc ſolùm agimus de adultis, qui ordinariè ſunt petentes quandocumque ſuſcipiunt: infantes autem vſu rationis carentes non poſſunt obligari ad non petendum ab iniquo Miniſtro,

Sententia eorum qui dicunt licitum eſſe ſuſcipere Sacramentū, non verò petere à malo Sacerdote.

Digitized by Google

cùm nullius obligationis ſint capaces. Excipit Pater Suarez ab hac regula caſum, quo in quo Sacerdos ſit in actuali diſtributione Euchariſtiæ; quo caſu accedere ad communicandum vix quidquam habet de petitione. Hæc tamen exceptio non videtur eſſe ad rem noſtram; quia dare Venerabile non eſt conficere Sacramentum; ideoque diximus ſupra non eſſe peccatum, ſaltem mortale, eam in peccato diſtribuere. Quòd ſi hic
25 caſus ad nos ſpectaret, deberet ita poni, vt homo iam ad communicantium locum exiſtens Sacerdotem expectaret, nihil cogitans de peccaminoſo venturo: eo enim caſu ſi peccator Sacerdos exiret ad dandam Communionem, nihil penitus haberet de petente ille qui ſuſciperet tunc ab eo Venerabile. Vnde fortaſſe poſſemus in ipſis propriè conficientibus Sacramentum inuenire caſum aliquem, vbi eſſet ſuſceptio ſine petitione. Si v. g. dum adulti expectant & petunt ab Eccleſia iam parati Baptiſmum, & putant conferendum illum ſibi à Sacerdote iuſto, viderent prodire peccatorem; tunc enim eſto manerent eodem loco, & permitterent ſe ab eo baptizari, non poſſent vere dici vllo modo petiiſſe Sacramentum ab iniquo Miniſtro, ſed purè putè ſuſcepiſſe. Id quod habere locum etiam poteſt eodem ferè modo in Ordinibus & Confirmatione, ſi illi qui iam ad Ordines approbati, & ad eos ſuſcipiendos in loco parati ſunt, viderent ad ſe mitti eum quem ſciunt eſſe in peccato. Sed hi caſus & planè extraordinarij ſunt, & ad rem noſtram inutiles; quia in eis conſtat à fortiori licere ſuſcipere Sacramentum, cùm etiam petere liceat ex ſe ab iniquo; in his enim vix poſſent illi recedere ſine graui nota; ac proinde certiſſimum eſt eos ſine vllo ſcrupulo tunc poſſe Sacramentum ſuſcipere.

Illud hac occaſione pro complemento quæri poteſt, Vtrùm liceat inſeruire ſeu miniſtrare Sacerdoti in peccato celebraturo: & idem quæri poteſt de Epiſcopo in peccato conferente Ordines? Ratio autem dubitandi eſt, quia in ea miniſtratione non habet homo vllam ſingularem vtilitatem; aliunde autem cooperatur actioni malæ; ergo non poteſt licitè id præſtare. Reſpondeo, Si celebratio illa eſt hîc & nunc talis, vt ab eo Sacerdote licitè fieri non poſſit, quia v. g. eſt excommunicatus, aut irregularis, non licere ei miniſtrare; quia id eſſet cooperari actioni malæ vt malæ. Si verò actio illa poteſt licitè ab eo fieri, ille tamen ex ſua nequitia eam in peccato exercet, iudico eodem modo diſcurrendum quo ſuprà, ſi ſcilicet vtilitas aliqua ſequatur mihi, vt ſæpe poteſt, me non teneri ad non miniſtrandum; ſi autem poſſum commodè impedire illud peccatum proximi, teneri me lege charitatis ad id impediendum, cùm poſſim ſine vllo meo detrimento. 26

Nō eſt licitum miniſtrare Sacerdoti excommunicato aut irregulari.

Aduerte tamen (vt benè notauit hîc Pater Suarez) ſi Sacerdos iam ſit indutus ad celebrandum, & de hoc vel illo Miniſtro accipiendo agatur, poſſe me licitè miniſtrare ſine vlla maiori vtilitate, quia me ſubtrahendo nihil impediam; alioquin autem actio ipſa miniſtrandi eſt honeſta; & eſto ille malè celebret, poſſum ego deuotè orare, &c. ergo.

Sacerdoti in peccato, ſed iā veſtibus ſacris induto, & parato ad celebrandum, licitum eſt miniſtrare.

DISPVTATIO DECIMAPRIMA.

De obligatione non miniſtrandi Sacramenta indignis.

1 EGIMVS præcedenti diſputatione de obligatione non ſuſcipiendi Sacramentum ab indigno Miniſtro, iam eſt agendum è contrario de obligatione non conferendi ea Sacramenta indignis; de obligatione autem tenente ſe ex parte ipſius ſuſcipientis, ne in peccato ad Sacramenta accedat, iam egimus ſupra ſufficienter.

SECTIO I.

Quædam præmittuntur.

Indignū ſubiectum intelligitur homo, qui propter peccatum eſt incapax gratiæ.

INDIGNVM intelligimus ſubiectum illud, quòd cùm alioquin capax ſit Sacramenti; per peccatum tamen hîc & nunc ſe reddit incapax gratiæ. De indigno verò, quatenus ſignificat ſubiectum omnino incapax Sacramenti, vt ſi fœmina vellet ſuſcipere Ordines, aut non baptizatus Euchariſtiam, reliquaque Sacramenta, nulla eſt difficultas; quia eſſentialiter eſt malum tentare illi conferre Sacramentum. Ratio à priori eſt, quia id eſſet tentare contra inſtitutionem Chriſti facere Sacramentum; hoc autem haud dubiè ex natura rei eſt illicitum: quæſtio igitur ad indignum primo modo reducitur. Eſt autem hæc quæſtio magna ex parte generalis ad alias materias, quatenus tangit obligationem impediēdi in proximo peccatum, vel non dandi illi occaſionem peccandi.

Ideò ſupponendum eſt Primò ex materia de Charitate in proximum, teneri Miniſtrum Sacramentorum, ſi commodè poteſt, impedire, ne alter peccans ſuſcipiat Sacramentum. Quid autem ſit τὸ *ſi commodè poteſt*, non facilè explicatur: putarem declarari id ita poſſe, ſi ſine damno proprio, ſine infamia alterius, ſine vllo ſcandalo, &c. in hoc enim caſu profectò, ſi in aliquo, debet maximè obligare lex charitatis in proximum: de hoc igitur caſu in præſenti non agimus.

Miniſter Sacramenti tenetur impedire, ne quis Sacramentum indignè ſuſcipiat.

Secundò ſupponendum, non licere inuitare indignum ad Sacramentum ſuſcipiendum: id enim eſſet quaſi poſitiuè cooperari alieno peccato: Communiter tamen obiicitur contra hanc ſuppoſitionem, quòd Chriſtus Dominus inuitauerit Iudam cum aliis Apoſtolis ad ſumendam Euchariſtiam, cùm ſciret illum eam ſuſcepturum indignè. Duæ ſolutiones improbabiles adhiberi ſolent: Primò, quòd Chriſtus ceſſerit ibi ſuo iuri: Secundò, quòd non nouerit ſcientia naturali Iudæ peccatum. Has benè reiicit Suarez diſput. 67. de Euchariſtia ſect. 1. eò quòd ſine dubio Iudas in ea indigna Communione grauiſſimè peccauit ob irreuerentiam naturaliter debitam; ideoque non potuit eſſe ibi vlla ceſſio iuris: ſecundam etiam; nam quacumque demum ſcientia Chriſtus nouerit illud peccatum, tenebatur non cooperari illi. Reſpondet ergo Suarez, & poſt ipſum Cardinalis Lugo ea diſput. 8. ſect. 2. Chriſtum non cooperatum peccato; ſed hortatum 2

Nō poteſt inuitare indignum.

Explicatur quomodo Chriſtus ad Sacramentum Euchariſtiæ inuitarit.

tum ad actionem, quam poterat Iudas facere ſine peccato, ſi per contritionem ſe diſponeret; quia tunc non erat obligatio præmittendi confeſſionem. Hæc ſolutio patitur inde difficultatem; nam eodem ferè modo poſſemus dicere, licere nobis inuitare ad ſuſceptionem Sacramenti etiam illum, quem ſcimus cum peccato acceſſurum; quia etiam tunc nos non inuitaremus ad actionem ex ſe malam, ſed potiùs bonam; nam & ille poteſt ſe per contritionem diſponere; ac proinde iam per hanc ſolutionem videremur deſtruere magnâ ex parte ſuppoſitionem factam: ſolùm enim ea haberet locum in caſu, quo, etiamſi vellet, hîc & nunc non poſſet peccator ille Sacramentum ſuſcipere niſi peccando, quantumuis vellet conteri. Nos autem videmur ſuppoſuiſſe, nec quidem licere nobis eum hortari, quando ſcimus indignè acceſſurum, eſto poſſet ſe benè diſponere. Fortaſſe poſſet aliquis dicere; Eo priori, quo Chriſtus omnes Apoſtolos inuitauit, non nouiſſe per vllam ſcientiam indignum Iudæ animum; eſto poſteriùs naturâ id nouerit; ac proinde rectè proceſſiſſe. Secundò reſponderi poteſt concedendo totum quod in hac replicâ dicitur, ſcilicet etiam nobis licere inuitare, quando alter poteſt ſe diſponere benè, eſto re ipsâ non ſit ſe diſpoſiturus.

3 *Non eſt licitum miniſtrare Sacramentum indignis.*

Vltimò ſupponendum, per ſe loquendo non licere miniſtrare Sacramenta indignis. Sacerdotes enim ſunt Miniſtri & diſpēſatores Dei, vnde cōſiderare debent, ne Sanctum canibus offerant, vti ne Sacramentum Euchariſtiæ v. g. in immundo loco ponatur, &c. Diſputant autem hac occaſione Suarez ſect. 1. Vaſquez diſput. 209. cap. 1. & Cardinalis Lugo ſect. 12. Vtrùm Sacerdos ſeipſum indignè communicans contrahat duas malitias, vnam indignè communicantis, alteram indignè diſtribuentis Sacramentum. Vaſquez docet vnicam eſſe; Suarez & Cardinalis Lugo duas ponunt, licet cum aliquâ varietate. Ego Primò diſtinguendum iudico; aliud eſt enim quærere, An tali caſu Sacerdos ille duplo grauiùs, aut ſaltem grauiùs longè peccaret, quàm ſi ſolùm ex alienâ manu indignè communicaret: aliud, An illæ malitiæ dicendæ ſint ſpecie diuerſæ. Hæc ſecunda quæſtio multum habet de nomine, illa verò eſt de re. Secundò diſtinguendum eſt: vel enim agimus de Sacerdote extra Miſſam ſe communicante; vti ſæpè poteſt fieri; vel de Sacerdote ſe in Sacro communicante. His poſitis,

4 *Sacerdos indignè celebrans duo peccata committit, vnum in conſecratione, alterum in ſumptione.*

Dico Primò, Si de Celebrante loquamur, non eſt dubium duo eſſe peccata; vnum in indignâ conſecratione; alterum in indignâ ſumptione: id quod à nemine negari poteſt.

Dico Secundò: Si loquamur de ſolâ ſumptione, vt multi putant olim ipſos etiam laicos ſuis manibus hoſtiam accepiſſe, & ad os applicuiſſe; iudico nequaquam ibi eſſe duo peccata, aut duas malitias graues, non ſolùm non ſpecie diſtinctas, ſed nec numero; ſed vnam tantùm indignæ ſumptionis, maximè cùm diximus paulò ſuperiùs, Sacerdotem dantem in peccato Euchariſtiam non peccare mortaliter; ergo tunc non peccat niſi quatenus ſuſcipit.

Sacerdos ſibi miniſtrans Euchariſtiā non peccat bis quà dans & quà ſuſcipiens.

Dices: Dat ſibi, & ſuſcipit. Reſpondeo, Id eſſe duo verba eamdem rem hîc & nunc ſignificantia; quia in rigore ille non dat, ſed ſuſcipit ſine dante: vti qui ex ærario publico vbi eſſet pecunia pro ciuibus v. g. tantùm benè meritis diſpenſanda, daret alicui non benè merito, peccat: ſi item ipſe eſſe eſſet vnus ex non benè meritis, & pro ſe acciperet, non peccaret duobus peccatis, iniquæ dationis, & iniquæ acceptionis, ſed vnico; alioquin peioris eſſet conditionis ille tunc quàm alius, qui furatus eſſet eam pecuniam, qui non niſi vnum peccatum commiſiſſet. Ratio a priori ea eſt, quia obligatio non dandi indigno vel deſumitur ex eo, quòd non debeat cooperari peccato alterius, vel ne ponat rem ſacram in loco, ſic dicam, immundo. *Ratione probatur.* Neutram autem ex his capitibus poteſt ibi efficere duas malitias: non primum: nam licet Petrus v. g. occidens iniuſtè peccet, & ego inducens eum in homicidium peccem; non tamen ſi ego ſolus me determinem ad occidendum, habebo duas malitias, vnam ſuadentis & inducentis; alteram verò occidentis (vt ex terminis conſtat,) quia tunc ego vnicè pecco. Non item ex illo capite, nam obligatio non ponendi rem ſacram in loco immundo non grauiùs ex hoc capite obligat, ne illam ponam in me immundo, quàm ne in Ioanne immundo, maximè cùm illa poſitio tota formaliter in ipsâ ſuſceptione, ergo ſicut vnica eſt in me ſuſceptio, ita vnica erit ea malitia. Quòd autem propriis manibus vel alienis ſuſcipiam non auget malitiam mortalem ſi (vt ſupponimus) non eſt mortale hoſtiam dare alteri, eſto dans ſit in mortali. Vnde non eſt credendum Iudam ex hoc capite duas malitias contraxiſſe, vnam, quòd indignè communicauerit, alteram verò, quòd propriis manibus acceperit calicem, & ex eo biberit. Id quod ampliùs poteſt declarari: Nam quòd laïci non ipſi accipiant propriis manibus hoſtiam, non eſt ortum ex inſtitutione Chriſti Domini, ſed ex diſpoſitione Eccleſiæ, ad vitanda grauia inconuenientia, quæ poterant eſſe, ſi liceret cuilibet hoſtiam accipere. Vnde multi dicunt (vt paulò ante notaui) olim fuiſſe conſuetudinem in Eccleſiâ accipiendi hoſtias conſecratas in domos, vt ex eis deinde ſucceſſiuè communicarent, non ergo eſt aliqua alia ſpecialis obligatio non miniſtrandi hoſtiam indigno, quàm non cooperandi peccato indignè communicantis, vbi inuoluitur non dare indigno Sacramentum. Atqui dùm ipſe idem eſt qui ſuſcipit, non eſt vlla cooperatio diſtincta ab ipſa iniqua ſuſceptione, ergo. Neque putandi ſunt illi, qui eo caſu domi ſeipſos communicabant, grauiùs peccaſſe, quàm ſi iuiſſent ad templum, & ex manibus Sacerdotis communicaſſent, quia reuera tota ea differentia, quòd ipſe ſuis manibus ad os applicet ex ciborio, vel alter ei ponat eam hoſtiam in ore, videtur eſſe per accidens ad hoc, vt propterea contrahat nouam malitiam dignam pœna æterna, ita vt ea ſola ſufficiat ad eum hominem æternum damnandum. Quæ ratio videtur mihi in genere moris euidens.

5 *Et conſuetudine antiqua accipiendi hoſtiam propriis manibus.*

Diuerſi ſunt modi cooperandi alterius peccato.

Dices tamen, Si quis alteri ſuaderet, vt in peccato communicaret, diuerſo modo peccaret, quàm ſi illi porrigeret hoſtiam, ergo malitia illa non reducitur ad cooperationem in iniquam ſuſceptionem. Reſpondeo conceſſo antecedenti, & negata conſequentia: vti qui mandat homicidium, diuerſum peccatum contrahit ab eo qui illud ſuadet, & ab eo qui rogat alterum vt faciat, & tamen omnes præciſè peccant, quia cooperantur homicidio. Ratio, quia valdè diuerſus modus cooperandi eſt ſuadere ab hoc quod eſt mandare: ita in præſenti diuerſus modus eſt cooperari indignæ communicationi per cōſilium à coopera-

coopera

Digitized by Google

cooperatione per dationem phyſicam Venerabilis; hic enim eſt multò minor illo; quia minùs eſt voluntaria tali Sacerdoti ea communicatio indigna, quàm ei qui illam directè intendit. Et hinc eſt reſponſum rationi, quam Cardinalis Lugo valdè vrget, de iniqua diſpenſatione.

Replica: Replicabis adhuc: Poſtquam Eccleſia prohibuit, ne laïci ipſi ſibi acciperent Venerabile, & id commiſit Sacerdoti, ſimul illi ſpecialiter mandauit, ne diſtribueret indignis; ergo dum tranſgreditur hoc præceptum, contrahit ſpecialem malitiam ſuprà communem, quam contraherent *Solutur.* communicantes in peccato. Reſpondeo Primò, De tali præcepto nullibi conſtare; illam enim obligationem iam dixi oriri ex obligatione non cooperandi iniquæ ſuſceptioni; quando autem ipſe ſuſcipit non habet duo, & ſuſcipere indignè, & præterea ſimul cooperari indignæ ſuſceptioni, ſed præcisè ſumit indignè. Secundò reſpondeo; Eſto Eccleſia nouum ibi impoſuiſſet præceptum, poſſe tamen illud intelligi reſpectu aliorum; nam reſpectu ſui iam ſupponebat ſufficienter obligatos Sacerdotes illis verbis Apoſtoli 1. Corinth. 11. *Qui enim manducat & bibit indigne,* &c. iis ergo ſuppoſitis veniamus ad ea quæ poſſunt eſſe dubia.

SECTIO II.

Quid de peccatore publico & occulto occultè petente.

7 *Communis ſententia negandum Sacramentum publico peccatori,* CIRCA primum quærimus, An publico peccatori teneatur Miniſter negare Sacramenta? Affirmant communiter Doctores agentes de Euchariſtia. Ratio tamen eſt communis ad omnia Sacramenta; ſuadetur autem auctoritate Chryſoſtomi, qui id expreſsè tradidit Homilia 83. in Matth. vbi etiam ſignificat, ſe ſolùm agere de peccatoribus publicis. Idem tradidit Cyprianus Epiſt. 10. 27. & ſeqq. Auguſtinus lib. 50. Homiliarum, Homil. 50. Et ratio ex dictis eſt clariſſima; quia ſi eſt aliquando obligatio non dandi Sanctum canibus, maximè in tali caſu; nam ratione peccati publici iam non poteſt timeri noua infamia in eo cui Sacramen- *Etiam occultè petenti,* tum negatur: deinde è contrario ſcandalum graue ſequitur, ſi talis admittatur ad Sacramentum; ergo. Hinc à fortiori colligitur, ſi talis in occulto petat Sacramentum, debere ei negari; quia licet ibi hæc ratio vltima de ſcandalo ceſſet, duæ tamen priores vrgent; illa verò, quòd ſine nota id fieri poſſit, maximè habet locum, quando in occulto negatur Sacramentum.

Rogabis; Quid ſi illi doleant de ſuis peccatis, poteruntne admitti? Reſpondeo, Si publicè pœnitentiam agant, publicè poſſe admitti, niſi aliquid aliud obſtet, ſi verò priuatim ſolùm egerint pœnitentiam, non poterunt publicè admitti pro- *Niſi in articulo mortis.* pter ſcandalum. Quæ regula exceptionem habet in articulo mortis; nam tunc eſto ſolùm occultè doluerit, poteſt ei publicè adminiſtrari Sacramentum, ſi alioquin priuatim fieri non potuit: præualet enim tunc extrema illius neceſſitas illi ſcandalo, quod oriri tunc poteſt, maximè cùm poſſit illud ſtatim tolli publicando illum prius reſipuiſſe.

8 Circa ſecundum dubium quæritur, Quid ſit de peccatore occulto. Reſpondeo, Talem dupli- *Occulto peccatori occultè petenti negandum eſt,* citer poſſe petere, vel occultè, vel publicè. Quo poſito, vt à facilioribus incipiamus, dico, ſi occultè petat, debere ei negari Sacramentum. Ratio eſt clara, quia tunc ſine vlla nota infamiæ poteſt reiici à Sacramento; aliunde autem per ſe obligat illud principium generale, *Nolite dare Sanctum canibus*: ergo debebit tunc illi negari Sacramentum. Matth. 7. Hanc doctrinam limitat Sotus ad Sacerdotes non Parochos; quia peccator ius habet petendi à Parocho ſuo Sacramentum: hic verò tenetur ex iuſtitia illud ei miniſtrare; ſicut qui alteri debet pecuniam mutuam, non poteſt eam illi denegare, etiamſi ſciat illum malè petere. Hæc tamen differentia nul- *Etiam à Parocho proprio, contra Sotum.* lius eſt momenti; & fortaſſe aliquis putaret magis adhuc teneri ad negandum Sacramentum indigno proprium Parochum, quàm ſimplicem Sacerdotem alium; quia proprio Parocho incumbit cura illius animæ, debet illum ſpecialiter corrigere, dirigere, &c. ergo magis tenetur illi negare Sacramentum, quando illicite illud petit, quàm alius qui nullam tenetur habere curam eius hominis. Ad rationem contrariam dicimus, malè in ea ſupponi: neque enim ille peccator habet ius petendi tunc Sacramentum non ſolùm ab aliis, ſed multò minùs à Parocho. Id quod facillimè ſuadetur, nam Parochus non tenetur adminiſtrare ſuis ouibus Sacramenta niſi in bonum illarum: in hoc enim præcisè differt ab aliis Sacerdotibus, quòd ſit obligatus ad ſpecialiter curandum bonum ſuarum ouium, circa quas alij nullam penitus habent obligationem. Ex eo autem quòd quis ſit obligatus ad bonum meum procurandum, quomodo quæſo inferri poteſt, illum teneri ſpecialiter ad cooperandum ſummo meo malo? Profectò contrariam, vt dixi, ego inde elicerem concluſionem, & probabilius quidem. Ad inſtantiam de pecunia mutua reſpondeo: Fortaſſe me non obligari hîc & nunc ad eam reſtituendam, ſi ſciam illum iniquè eam petere, & in damnum ſuum. Sed quidquid de hoc puncto ſit, quod aliò ſpectat, certè conſequentia nulla omnino eſt; nam pecunia poteſt dari licitè indigno: neque enim dominium in pecuniam requirit vllam ſanctitatem in ſubiecto: vnde vlteriùs ſit, ibi non habere locum illud præceptum, *Nolite dare Sanctum canibus.* Matth. 7. Denique, qui pecuniam ab altero mutuam habet, non eſt diſpenſator aut adminiſtrator eius pecuniæ, neque dominus illius, ac proinde non tenetur reſpicere dignitatem & ſtatum petentis, ſed quòd reuerà ſint eius illæ pecuniæ.

Illud tamen obiici poteſt difficilius: Si quis 9 *Obiectio ex priuata ſcientia Confeſſarij obligati ad dandam abſolutionem.* Confeſſarius ex priuata ſcientia noſcat certò peccatum, quod confitens in confeſſione reticet; tenetur tamen illum abſoluere, maximè ſi confitens illud neget, etiam poſtquam Confeſſarius ei dicit, ſe certò ſcire peccatum illud ab eo commiſſum, ergo iam tenetur indigno occultè petenti adminiſtrare Sacramentum. Reſpondeo, Fortaſſe hoc ipſum negandum ab aliis, niſi caſu quo Confeſſarius poſſit ſuſpicari pœnitentem habuiſſe tempus confitendi alteri illud peccatum. Quidquid tamen ſit de veritate antecedentis, di- *Aſſignatur in caſu propoſito diſparitas.* co in confeſſione hanc eſſe diſparitatem, quòd cùm primùm Sacerdos alterum admiſit ad confeſſionem, admiſit illum vt vnicum teſtem & accuſatorem ſui; ideò tenetur ſtare eius relationi, maximè poſtquam iam audiuit alia peccata, quia tunc acquiſiuit ille ius vt abſoluatur. Si Confeſſarius, antequam vllum peccatum diceret confitens, eum interrogaret de illo quod ipſe ſcit, & eam videret pertinaciter negantem, tunc ſine dubio

Digitized by Google

dubio poſſet faciliùs ei negare Sacramentum; quia nondum illum admiſit ad partem Sacramenti, & quidem ad maximè difficilem; quæ eſt confeſſio.

10 Hinc tamen nouum oritur dubium, An ſi Sacerdos ſciat alterius peccatum ex confeſſione, quia v. g. immediatè poſt confeſſionem factam ſine propoſito emendationis (in ea enim dixit ſe nolle deſiſtere ab ea mala conſuetudine) accedat ad Communionem, poſſit ei negare Sacramentum Euchariſtiæ. Si enim negat, iam vtitur ſcientia ex confeſſione acquiſita; & quodammodò ſaltem ipſimet pœnitenti patefacit ſuam ſcientiam, exprobratque illi peccatum; ſigillum autem confeſſionis obligat non ſolum ad non loquendum cum aliis, ſed nec quidem cum ipſo confitente extra confeſſionem, niſi de eius licentia; maximè in ordine ad ea quæ pœnitenti pudorem incutiunt. Nihilominùs Pater Suarez ea diſp. 67. ſect. 3. citans Alexandrum 4. p. q. 49. membro 1. Angelum verbo *Euchariſtia* 3. n. 20. Tabienam verbo *Communio*. §. 52. Victoriam in Summa num. 86. & Ledeſmam 1. p. quæſt. 21. art. 6. dub. 3. (multò plures citat Sanchez lib. 3. de Matrimonio diſp. 16.) opinatur, ſpeculatiuè loquendo, probabilius eſſe id licere. Cuius fundamentum eſt, quia negare eo caſu Euchariſtiam eſt actus conſentaneus poteſtati clauium; & aliàs nullo modo contra ſigillum confeſſionis. Prima pars videtur per ſe nota: Secunda probatur à ſimili; nam ſi ex confeſſione ego ſciam pœnitentem velle me mactare, & habeam apud me illius enſem, poſſum illum ei negare, aut certè poſſum me abſcondere: ſi autem id eſſet contra ſigillum confeſſionis, nec quidem ſub periculo vitæ poſſem id facere: Secundò, quia id fit ſine alterius iniuria, ſine nota, ſine infamia; ergo. Confirmatur, quia non eſt neceſſum obiicere alteri ſuum crimen; ſed poterit facilè Sacerdos excuſationem inuenire ad negandam Euchariſtiam nihil dicendo de peccato.

Sacerdos poteſt negare Euchariſtiam ei quem ex confeſſione nouit nolle deſiſtere à peccato.

Ita Suarez, Alexander, Angelus, &c.

Fundamentum huius ſententiæ:

Proponitur, & elucidatur.

11 Dices; Pœnitens eo ipſo intelliget Sacerdotem ſe dirigere ea ſcientia. Reſpondetur, id magis per diſcurſum inferri, quàm quòd ea actio ſit reuelatio confeſſionis. Quòd ſi tamen ibi ſit aliquod incommodum, pœnitens ſibi illud imputet, qui ſe immiſcuit actioni ſacræ. Et hinc colligit Suarez Sacerdotem teneri tunc ad negandum Sacramentum; quia ſi ſemel licitè poteſt, tunc obligat præceptum non dandi Sancta indignis; putat tamen practicè vix poſſe occurrere occaſionem vtendi hac ſcientia. Ad inſtantiam autem, quòd non licet etiam cum ipſo pœnitente loqui de peccato in confeſſione reſcito, nihil reſpondet; videtur tamen ex doctrina data in probatione ſententiæ conceſſo antecedenti negare conſequentiam; quia ea actio non eſt reuelatio peccati neque locutio.

Ego tamen in primis non video, quomodo dicat Suarez non poſſe moraliter occurrere occaſionem vtendi ea ſcientia. Certè ſi quis confiteatur ſuo Parocho, aut mihi, & in confeſſione noſcam ego illum nolle reſipiſcere, ac proinde etiam illi negauerim abſolutionem; ille tamen vrgeat me ad celebrandum, & ad dandam Communionem, iam eſſet occaſio vtendi tali ſcientia: hic autem caſus poteſt frequentiſſimè contingere; vnde ſi ſpeculatiuè iudicatur vera ea doctrina, non erit neceſſaria regulariter notitia extra confeſſionem, vt addit Suarez. Et verò poteſt hoc ex alterius confeſſione noſci, maximè in locis vbi vnicus eſt Confeſſarius. Si enim dicat aliquis (impudenter quidem) Peccaui cum mea ſorore, aut ancilla, &c. & illa cum qua dixit ſe peccaſſe petat Euchariſtiam occultè à Confeſſario, iam erit ea occaſio de qua diſputamus. Tales autem & ſimiles caſus frequentes ſolent eſſe; ergo.

Ego in hoc puncto etſi omnino efficaciter non poſſim oſtendere eam negationem Sacramenti eſſe reuelationem ſecreti, ac proinde iudicem probabilem eſſe ſententiam Suarez; nihilominùs tamen magis propendeo in contrariam, quia videtur mihi magis in fauorem ſecreti confeſſionis, quod debemus quantum poteſt illibatum ſeruare: ea enim negatio Sacramenti etſi non ſit reuelatio formalis, certè eſt virtualis; & moraliter loquendo tanta videtur, quanta ſi apertè ei dicerem: *Nego id tibi, quia non es benè diſpoſitus.* Ad inſtantiam autem, quam adducit Suarez, reſpondeo, Faciliùs poſſe hominem inuenire excuſationem ad non reſtituendum gladium pœnitenti, vt non cenſeatur reuelare vllo modo confeſſionem, quàm in negando Sacramento: nam res acceptas mutuo ob diuerſas cauſas differimus reſtituere; at quando volumus celebrare, non ſolemus vnquam negare vlli Communionem niſi indigno: vnde eo ipſo quòd hîc & nunc eam negem, clarè oſtendo eum eſſe indignum. Verùm de hac ſententia fuſiùs Tomò ſequenti, dum de ſigillo confeſſionis. 12

Contraria ſententia aliquam probabilius ſuadetur.

Inſtantia allata à Suarez reſpondetur.

Secundò dico, multò minùs me poſſe negare Petro v. g. Euchariſtiam, ſi de peccato ipſius mihi conſtat ex confeſſione Sacramentali Ioannis mihi facta. Ratio eſt clara, quia in hoc caſu res eſſe per ſe magis expoſita inconuenientibus; & in genere virtualis reuelationis hæc eſt maior; quia Petrus facilè poteſt intelligere ſe eſſe à complice, detectum; ac proinde iam ego non ipſi tantùm qui mihi confeſſus eſt, ſed alteri reuelo virtualiter confeſſionem Ioannis: hoc autem haud dubiè grauius eſt quàm ipſi tantùm confitenti eo modo reuelare peccatum: & hæc, ſi delictum ſolùm noſcatur ex confeſſione. 13

Quod ſi extra confeſſionem ſciatur, quæritur, quanta debeat eſſe ea notitia, vt negari debeat Sacramentum? Reſpondeo, Sufficere ſi ipſe reus fateatur delictum, ſi Sacerdos illum vidit peccantem; ſi teſtes ſint tales, qui faciant rem moraliter certam: nam ſi res maneat in ſtatu probabilitatis, tunc ſtandum erit in fauorem pœnitentis, tanquam poſſidentis ſuam innocentiam.

Quæ ad negandum extra confeſſionem Sacramentum ſufficiat notitia delicti.

SECTIO III.

Quid ſi occultus peccator petat publicè Euchariſtiam.

SECVNDA præcipua difficultas eſt; An ſi huiuſmodi occultus peccator petat publicè, debeat ei negari Sacramentũ. Communis ſentẽtia Theologorum docet non negandum. Ita Suarez ſuprà ſect. 4. Cardinalis Lugo ſect. 10. apud quos videãtur reliqui. Eam nonnulli probãt, quia ex tali negatione ſequeretur graue ſcandalum. Non placet Suario & Cardinali Lugo hæc ratio; quia ſi nomine ſcãdali intelligatur occaſio peccandi, hæc ſanè non oritur ex eo quòd videat populus aliquẽ ob ſua peccata reiici à Cõmunione: ſi autẽ intelligatur per τὸ *ſcandalũ* aliqua admiratio, ea nõ eſt tãti facienda, vt propterea debeat indigno adminiſtrati 14

Occulto peccatori publicè petenti non negandum Sacramentum. Ita Suarez & Lugo: Rationem à ſcandalo petitam reijciunt, ſed non ſatis ſolidè.

ti

Digitized by Google

ri Sacramentum. Ego tamen puto hos Auctores in hac ſolutione mutare ſtatum quæſtionis, nam ſi ſupponimus delictum eſſe occultum, quomodo dicunt non eſſe ſcandalum, quod populus iudicet illum ob ſua peccata reiici? Adhuc ergo videtur vrgere ea ratio de ſcandalo, quia reuera eſt occaſio illa, vt præſentes, qui nihil de eo peccato ſciunt, iudicent temerariè eum hominem peccaſſe; nam licet re ipſa veritatem tangant, adhuc tamen locus eſt, vt in eo iudicio peccent: eſt etiam occaſio, vt è contrario malè iudicent de Miniſtro negante Sacramentum. Reſpondebis quoad primum, non eſſe iudicium temerarium, quia eſt ob factum grauis viri. Sed contra, quia ad iudicandum alterum in re grauiſſima non ſufficit viri vnius dictum aut

15 factum. Quoad ſecundum de Miniſtro dices, poſſe aliquando tantæ auctoritatis illum eſſe, vt non cadat in populum ſuſpicio de illo, quaſi ex odio aut paſſione id faciat. Ita Suarez ſuprà. Sed contra manifeſtè, quia ſi ſemel dicimus, licere negare Sacramentum peccatori occulto publicè petenti; profectò debemus dicere, omnibus Sacerdotibus id licere, non ſolùm his qui ſunt in tanta opinione virtutis apud populum, ſed planè omnibus; ſi autem omnibus, ergo res eſt expoſita per ſe ei ſcandalo, quòd ſcilicet poſſint de ipſo Sacerdote malè ſuſpicari, ac proinde per caſum illum per accidens, quem Suarez ponit, non tollit periculum illud ibi per ſe repertum; ac proinde iuxta certum Theologorum principium, quod etiamſi ratio legis naturalis videatur non ſubſiſtere in vno caſu aut altero, non propterea etiam ceſſet illa legis obligatio: ex hoc inquam principio fiet, etiam in illo caſu eſſe illicitum dare eam occaſionem ſcandali. Secunda ratio eſt, quia ea negatio eſſet infamare hominem illum. Neque placet Suario hæc ratio, quia duo ibi concurrunt, & periculum infamiæ ſuſcipientis, & ex altera parte irreuerentia & iniuria in Deum & Chriſtum; magis autem debet præualere hoc periculum quàm illud, maximè cùm ſolus ipſe peccator ſit cauſa eius infamiæ. Sed contra, quia etiamſi homo ipſe dum grauiter delinquit, exponat ſe infamiæ, caſu quo illud peccatum detegatur; non tamen ideò ille qui ſcit delictum, poteſt licitè talem diffamare dicendo de illo, *Sibi ille id imputet.* Quoad iniuriam Dei eodem modo poſſet ea obiectio retorqueri in aliis caſibus, vbi manifeſtè conſtat non eſſe licitum detegere delictum proximi (vt in ſigillo confeſſionis;) nam ſi ego ſciam vel Petrum diffamandum reuelato ſigillo, vel Deum grauiter ab illo offendendum non reuelato eo ſigillo; nequaquam tamen eſt mihi licitum ob vitandam eam iniuriam Dei detegere ſecretum. Item ſi ſciam alterum iuraturum falſum, ſi ego priùs non detego peccatum illius ſecretum, non poſſum ad vitandum illud peccatum alterum diffamare. Prætereà ſi ſub ſecreto naturali ſciam Petrum cogitare de egreſſu è Religione v. g. aut de peccato carnis committendo, non poſſum eum infamare, vt impediam ſequens peccatum: id quod in aliis caſibus oſtendi poteſt, ex quibus colligitur, Dominum Deum ſæpè cedere in bonum temporale proximè iuri quod haberet, vt ego poſitiuè impedirem offenſam ipſius; id quod dicimus in præſenti habere locum.

Altera ratio ab infamia petita etiam reiicitur à Suarez, ſed gratis.

Vt oſtenditur variis exemplis.

16 Dices: Si ſciam alterum petere Euchariſtiam vt eam ore retineat, & deinde conculcet, aut in ſterquilinium proiiciat, teneor eam illi negare, etiamſi inde ſequatur eius infamia; ergo ſi ſciam illum indignè velle communicare, tenebor negare ei hoſtiam; quia etiam eam ponit tunc in immundiori loco quàm in ſterquilinio. Reſpondetur communiter conceſſo antecedenti & negata conſequentia; ego ſanè Primò antecedens diſtinguerem: vel enim ſcio talem conculcaturum publicè hoſtiam, vel in ſecreto; ſi primum ratio eſt facilis, cur tunc poſſim illi negare Communionem, quia per hoc maximè conſulo eius honori; nam eſto oriatur infamia ratione peccati præcedentis, quod tunc homines ſuſpicantur in illo, grauior ſanè impeditur, dum aufero illi occaſionem eam hoſtiam publicè conculcandi: hinc enim incomparabiliter magis diffamaretur, & grauiſſimè puniretur; & licet fortaſſe, ſi id contingeret in loco hæretico negante præſentiam Chriſti, potiùs illi eſſet honori quàm infamiæ; quia tamen tunc duo vrgent, & Chriſti iniuria exterior grauiſſima, & ſimul peccatum interius eius hominis, poſſumus dicere poſtponendam infamiam illam dubiam illius certiſſimæ iniuriæ ſummoque contemptui publico Chriſti & Dei; neque inde infertur etiam in caſu, quo præcisè ſequitur peccatum occultum indignæ ſuſceptionis, eſſe licitum eum hominem infamare. Quod ſi ea conculcatio eſſet futura purè occulta, non putarem adeò eſſe certum, licere tunc illum diffamare.

Obiectio: Poſſum negare hoſtiam illi quam ſcio illam abuſurum.

Dico tamen Secundò, Etiamſi tunc non liceret ei porrigere Communionem, negandam adhuc eſſe conſequentiam ad noſtrum caſum. 17 Diſparitatem benè aſſignat Cardinalis Lugo ſuprà; quia maior longè cenſetur ea inhonoratio poſitiua, & conculcatio exterior hoſtiæ, quàm vnica indigna ſuſceptio, quæ non tam eſt poſitiua & directa iniuria, quàm aliquid omnibus peccatis commune.

Soluitur obiectio, & diſparitas aſſignatur à Cardinale Lugo.

Dices: Illa inhonoratio ſi ſit ſecreta, eſto ſit maior, eſt tamen intra limites occultæ iniuriæ, cur ego non debet ibi prævalere fama publica eius hominis? Adde, aliquando poſſe eam voluntatem communicandi eſſe ex irreuerentia poſitiua in Chriſtum Dominum, ſi ex odio in eum diceret, Volo te in peccato ſuſcipere, vt oſtendam me nihil te curare: & vt te ponam in loco quem tu maximè horres; quo caſu ſine dubio eſſet grauior Dei offenſa, quàm ſi ex errore, eſto grauiter culpabili, putaret non eſſe ibi Chriſtum, ideoque ſecretò eam hoſtiam conculcaret ergo etiam in eo caſu indignæ ſuſceptionis liceret cum infamia negare tali homini Euchariſtiam. Reſpondeo negando conſequentiam, quia totus ille exceſſus eſt penes interiorem malitiam quam non ita teneor ego in proximo impedire, quam dum in actionem exteriorem & grauiſſimè Deo iniurioſam prorumpit ipſe proximus; tunc enim teneor maximè zelare Dei gloriam etiam cum eiuſdem proximi infamia.

Quantumuis ſit occulta irreuerentia Sacramenti.

Cardinalis Lugo tangens obiter hunc caſum dicit, fortaſſe etiam nunc poſſe talem repelli à Communione. Putarem tamen adhuc perſiſtendum in noſtra ſolutione, quia reuera in ordine ad obligationem impediendi peccata aliena non tam ſæpè ponderatur eorum grauitas, quam quod ſit publicum aut externum; qualis eſſet illa conculcatio.

Cardinalis Lugo ſentit poſſe repelli à Communione.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Noua obiectiones contra dicta.

18 ADHVC tamen obiicies: Sacerdos dans peccatori hoſtiam cooperatur peccato indignæ Communionis; atqui nunquam licet cooperari peccato alieno, etſi ſæpè liceat illud permittere; ergo. Confirmatur; nam proiicere hoſtiam in locum immundum eſt ita intrinſecè malum, vt nulla ratione poſſit honeſtari; ergo. Reſpondeo cum Suario & Cardinali Lugo (qui vltimus fuſiùs ſolutionem explicat) illam dationem Euchariſtiæ non eſſe cooperationem in malum, ſed actionem ex ſe bonam, qua abutitur communicans. Quod ſi vrgeas; Illa actio porrigendi eſt poſitiua cooperatio Sacerdotis in malum, reſpondebitur. Illam actionem eſſe ex ſe malam, quia inde non cogitur alter accipere hoſtiam; ſed poteſt os claudere, aut retrahere, aut priùs dolendo & de ſuis peccatis contritionem habendo rectè ſuſcipere; nam licet ex ſe debeat præmitti Sacramentalis confeſſio ad Cõmunionem, nec ſufficiat contritio, ſi tamen tunc reſipiſcat, quando iam non poteſt ſine infamia graui è loco ſurgere, ſufficeret habere contritionem cum propoſito confitendi: ergo actio illa Sacerdotis & ex ſe indifferens & ex ſolo malo animo alterius determinatur hic & nunc ad peccatum eo planè modo, quo concurſus generalis Dei determinatur hic & nunc à creatura ad malum; ex ſe autem eſt indifferens; offert quidem illum Deus, quia & auctor naturæ tenetur illum offerre; optat tamen ne creatura eo vtatur in malum, ſed in bonum: & hinc reſpondetur ad inſtantiam de proiiciente Euchariſtiam ad fimum, aut ignem: etenim illa actio ex ſe adæquatè fit ab illo homine, & eſt actio determinata ad malum; nec eſt alius cui tunc ea malitia tribui poſſit, nec titulus vllus excuſans. Vnde ſi caſus daretur, in quo ego non poſſem ſumere hoſtiam illam, nec alibi eas ſaluare, & eſſet periculum imminens ab hæreticis volentibus eas conculcare, & omni ignominia afficere; profectò ego ad vitandam ignominiam illam licitè poſſem eas comburere, aut in loco minùs honeſto abſcondere.

Dans hoſtiã indigno non cooperatur peccato indignæ Communionis.

Declaratur ſimilitudine de concurſu diuino.

61 Secundò obiicitur; Quia ſi peccator aliquis apud me depoſuit ſuum gladium, & animo iniquo alterum occidendi illum à me petit, non poſſum illum ei dare, etiamſi debeam detegere iniquum eius animum. Aliqui (vt Bonauentura & Alenſis) dicunt tunc debere reddi gladium, etiamſi ſequatur homicidium. Hanc doctrinam ex parte amplectitur Cardinalis Lugo ſecutus Patrem Thomam Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 7. num. 18. caſu quo ex negatione eius gladij grauiſſima ſequerentur incommoda: id quod maximè iudico verum, ſi ego ipſe, qui eum gladium redditurus eram, periclitarer de vita illum negando: tunc enim res eſt clariſſima, quia iam ſupponimus neutro modo vitandum homicidium; magis autem ego teneor defendere propriam quàm alienam vitam. Id autem etiam habet locum, ſi illa inconuenientia grauia quodammodò æquiualent occaſioni alterius. Cæterùm, hæc ſunt extra noſtrum caſum; agimus enim ſecluſis aliis omnibus inconuenientibus.

An gladium depoſitum repetenti animo alterum occidendi ſit reddere licitum: Affirmant reddendum Bonauentura, Alenſis, & alij

Vnde abſolutè cum Scoto, Suario & aliis communiter dicendum eſt, negandum eſſe tunc gladium; quia maior eſt ordinariè obligatio non permittendi damnum corporale proximi quam ſpirituale; quia illud eſt magis inuoluntarium proximo, & magis in poteſtate ipſius permittentis; quia facilius ipſe poteſt illud impedire; ſpirituale autem cùm ſit omnino voluntarium ipſi committenti, ideoque poſſit illud ipſe liberè vitare, minus mihi tribuitur, cum, etiamſi ego velim, non poſſim illud impedire; magis ergo teneor in corporali damno quam hic. Habet autem hæc ratio locum maximè in præſenti, cùm tota malitia iniqui animi communicandi iam ſit commiſſa, etiamſi ego negem illi hoſtiam & ſolùm addatur actio exterior, quæ non adfert nouam malitiam. Quæ ratio habet locum etiam loquendo de iniuria Christo illata; nam hæc tota eſt iam conſummata per animum iniquæ ſumptionis; quoad locum verò phyſicum, in quo ponitur hoſtia, non eſt iam noua iniuria; è contrario verò illud damnum homicidij eſſet irreparabile; damnum denique iniquæ Communionis poteſt compenſari. Ego adderem adhuc vnam clariſſimam ſolutionem: nam in præſenti caſu non eſſet neceſſarium detegere aliud peccatum eius hominis petentis gladium, quam voluntatem occultam occidendi: at hæc non occultatur concedendo ei gladium, imò maximè manifeſtatur: quia per ipſam occiſionem fiet multo magis publica: ac proinde non obtineretur ibi intentum occultationis: & aliunde ſequerentur ea grauia damna: ergo.

Negant Scotus, Suarez, & alij probabilius.

Aſſignatur diſparitas inter gladij depoſiti redditionem & Communionis indignæ dationem.

Tertiò obiiciunt aliqui: Poteſt eſſe alius modus ſaluandi & honorem illius, & non eum communicandi, ſi detur ei hoſtia aliqua non conſecrata: ergo. Meritò hæc ratio reiicitur communiter: quia nec impeditur vllo modo peccatum, ſed ſola poſitio phyſica hoſtiæ in eo corpore: in qua poſitione, ſecluſo peccato ipſius communicantis, non eſt indecentia grauis: vt patet in eo qui inuincibiliter in peccato communicaret. Deinde id ſæpè moraliter eſt impoſſibile: quia non potuit id præuidere Sacerdos: nec potuit habere commoditatem tales hoſtias non conſecratas porrigendi. Tertiò, quia eſt ibi periculum adorationis idololatriæ, non aliter quàm ſi quis populo hoſtiam non conſecratam proponeret, vt eam adoraret: id quod haud dubiè eſt ex ſe grauius peccatum quam dare hoſtiam peccatori. Nec ſufficit ſi dicatur, poſſe ipſum Sacerdotem conuenire cum eo peccatore de danda ei hoſtia non conſecrata. Etenim vel ſunt alij præſentes, vel non: ſi non ſunt, gratis vlla illi datur hoſtia, cùm ille ſciat ſe iam non communicare, & nulla inde ſequatur vtilitas: ſi verò alij adſunt, vrgebit illud periculum idololatriæ reſpectu illorum qui id ignorant: & denique ibi eſt fictio pernicioſa, geſtu ipſo ſignificans ſe tradere Chriſtum illi, cùm non tradat. Denique verbis ipſis quæ ordinariè dicuntur, *Corpus Domini noſtri*, &c. idem oſtendit: non eſt ergo vllum ibi compendium, ſed potius diſpendium per eam fictionem. 20

Neque ſatisfit dando hoſtiam non conſecratam ob multa incommoda & pericula.

Tandem dices, eam doctrinam non habere locum niſi in proprio Parocho, qui quodammodo tenetur ex officio communicare pœnitentem: alios autem Sacerdotes facilè ſe excuſare poſſe; & ob hoc argumentum aliqui omnino fatentur ſimplicem Sacerdotẽ teneri negare tunc Communionẽ: alij abſolutè eodẽ modo de omnibus diſcurrunt. Pater verò Suarez media incedit via: 21

Digitized by Google

Non ſolùm Parochus, ſed etiam quiuis alius Sacerdos in ſimili caſu tenetur præbere Euchariſtiam;

via; ait enim, Si ſimplex ille Sacerdos iam ſit in Altari, & tunc occultus peccator petat Communionem, non poſſe ei negare; quia iam quaſi ex officio tenetur miniſtrare omnibus accedentibus, niſi indigni ſint publicè; ſi verò antequam exeat foras, petat in Sacriſtia vt ſe communicet, putat illum poſſe negare; quia cùm non teneatur dare, facilem habet excuſationem: vnde ſine vlla nota infamiæ poteſt ei negare, maximè cùm tunc non exerceat vllam actionem publicam, pro qua ſit neceſſaria publica notitia eius delicti. Ego tamen iudico multò magis conſequenter diſcurrere Sotum & Ledeſmam, qui vniuerſaliter docent, nec ſimplicem Sacerdotem poſſe tunc negare Communionem. Et quidem hæc diſtinctio Patris Suarez non videtur ſubſiſtere: nam eodem modo habet locum in proprio Parocho, ſi ab eo in Sacriſtia petatur Communio; nam profectò non minùs facilem ille poteſt habere excuſationem, quàm ſi à me alióve Ieſuita in Sacriſtia petat aliquis vt ſe communicem in Sacro, quod volo iam celebrare.

Siue priuatim petat in Sacriſtia, ſiue publicè in templo.

22 Vt verò hoc clariùs oſtendam, ſuppono extra tempus Paſchatis tam liberum eſſe nobis, v. g. Ieſuitis (& idem dico de aliis Religioſis & ferè etiam Sacerdotibus ſæcularibus) dare Communionem Petro, quàm ſit Parocho eius Petri; tum quia extra tempus Paſchæ & neceſſitatis mortis non magis tenetur Parochus quàm alij adminiſtrare confeſſionem; quod maximè locum habet in Sacramento Euchariſtiæ, quod non eſt neceſſarium ad ſalutem; vti extra dies Feſtos non magis tenetur mihi cupienti audire Sacrum celebrare meus proprius Parochus quàm alius quilibet Sacerdos, à quo ego id petiero; tum quia eſto aliquantum ſit magis obligatus, non tamen per hoc augetur inconueniens illud publicæ diffamationis; quia in danda Communione petenti nulla Sacerdoti ſolet eſſe difficultas, aut moleſtia, ſi aliunde ſupponatur dignus ille qui petit; & ex hoc capite faciliùs ſolet negari Sacramentum confeſſionis, quia homo in audienda confeſſione ſæpè timet vel ſcrupulos confitentis, vel proprios, vel ne diu detineatur, &c. At ſi à me petat Petrus dum volo celebrare in magno altari vt ſe communicem; profectò ego non ſcio quam excuſationem poſſim ego tunc adferre, niſi declarando illum eſſe indignum; neque capio, cur minorem infamiam ego quàm Parochus (cui ſuppono illum non fuiſſe tunc confeſſum) cauſaturus ſim in Sacriſtia; aut cur in Parocho requiratur maior notitia publica quàm in me: conſtat ergo eſſe eamdem rationem de vtroque.

SECTIO V.

Aliquæ quæſtiones circa eam obligationem.

23 IAM pro complemento tres reſtant quæſtiones. Prima, An hoc præceptum non dandi indigno Sacramentum ſit naturale, an poſitiuum. Pater Coninck quæſt. 80. art. 6. num. 34. ait eſſe naturale quoad punctum non dandi indigno; quoad exceptionem verò dandi illud peccatori occulto publicè petenti eſſe poſitiuum à Chriſto Domino ob grauia inconuenientia quæ inde poſſent oriri. Reſpondeo tamen, Cùm ea obligatio dandi proueniat ex obligatione circa bonam famam proximi, hæc autem ſit obligatio naturalis; non video cur non etiam illa exceptio ſit de iure naturæ: id quod confirmatur clarè, quia de tali præcepto Chriſti non conſtat vllibi, vti deberet conſtare, ſi eſſet poſitiuum.

Præceptum non dādi Sacramentum indigno eſt naturale.

Secunda quæſtio; Quid intelligatur nomine delicti publici & occulti, vt homo ſciat quando poſſit dare, aut quando à contrario teneatur negare Sacramentum peccatori. Cardinalis Lugo putat quæſtionem eſſe generalem, etiamſi à nonnullis hîc tractetur: pertinet enim ad vniuerſale punctum, quando ſcilicet delictum cenſeatur publicum, vt poſſit ſine peccato aliis reuelari. Ego tamen ſpecialem aliquam rationem video cur huc poſſit ſpectare, quia aliud eſt eſſe delictum adeò publicum, vt poſſit ſine vlla cauſa aliis reuelari extra omne peccatum, aliud verò quærere, quando ſit ita publicum, vt poſſit reuelari ad impediendam iniquam ſuſceptionem Sacramenti.

Quid ſit delictum publicum.

Certiſſimum enim debet eſſe apud omnes, maiorem longè requiri publicitatem ad reuelandum licitè delictum nulla aliunde vrgente cauſa, quàm requiratur, ſi ad eam reuelationem vrgeat reuerentia Sacramenti, nam multi vel ex hoc ſolo capite putant, etiamſi ſit ſummè occultum, poſſe reuelari: ratione ergo huius maioris dubij meritò poteſt hîc ea quæſtio vniuerſalis expediri: in ea autem aliqua ſunt certa, aliquid dubium. 24

Certum eſt Primò, illud delictum vocari occultum, quod non ſcitur niſi ab vna vel altera perſona: vbi ſtatim notandum cum Patre Suario, ſi, quando peccator petit Euchariſtiam, vel aliud Sacramentum, non ſint alij præſentes, quàm illi ipſi qui delictum ſciunt, ſiue pauci illi ſint, ſiue multi, poſſe & debere ei tunc negari, quia tunc non infamatur ampliùs: ſi enim iam ſciunt illi delictum, ſciunt etiam iure merito illi negari Sacramentum: quòd ſi dixeris eſſe periculum, ne illi præſentes dicant aliis negatum aſſe Petro v. g. Sacramentum, ac proinde illum infament; reſpondeo, Independenter à negata Communione potuiſſe illos promulgare peccatum quod ſciebant. Aliunde autem grauius periculum eſt, ſi dicant datam eſſe Communionem ei, quem Sacerdos ſciebat eſſe indignum: per hoc enim & diffamaretur communicans & Sacerdos, & interueniret iniqua Communio.

Quid delictū occultum.

25 Secundò certum eſt, ſi de delicto conſtet euidentia facti omnibus nota; vt v. g. quia certa fama eſt illum occidiſſe talem & talem, aut deprehenſum in fornicatione, &c. tunc è contrario maximè vrgere obligationem ei negandi Sacramentum.

Obligatio negandi Sacramentum vrget, quando delictum eſt notum euidentia facti.

Dices Primò: Eſto conſtet de delicto, non tamen conſtat publicè illum non egiſſe pœnitentiam, & conſequenter non eſſe diſpoſitum ad Sacramentum. Reſpondeo, Obiectionem eſſe nullam, quia quando nos dicimus delictum debere eſſe publicum, loquimur non ſolùm de delicto, ſed etiam quòd non ſit emendatum, quòd ille non egerit pœnitentiam, &c.

Quid ſi non conſtet non egiſſe pœnitentiam.

Dices Secundò: Etiamſi delictum ſit multis notum, poteſt contingere, quòd non ſit notum illis qui tunc adſtant, quando hic petit Sacramentum; ergo non debet tunc ei negari, ne diffametur coram illis, apud quos adhuc habet bonum nomen, licet enim fortè ex iuſtitia non teneamur tunc reticere illius crimen, tamen ex charitate videmur ad id obligari. Id quod confirmari inde poteſt, quòd ex charitate non licet manife

Quid ſi adſtantes nihil de patrato delicto ſciant.

manifeſtare crimen infamando illum, etiamſi alibi publicè punitus ſit ob illud crimen:& ita cenſent nonnulli, in hoc caſu non licere coram iis qui illud crimen ignorant negare tali homini Sacramentum. Reſpondeo tamen cum Patre Suario, Etiam in eo caſu non licere dare ei Sacramentum. Ratio eſt clara, quia cùm iam illud delictum ſit per ſe publicum, valdè probabile eſt breui etiam venturum ad aures illorum qui tunc id ignorabant; qui haud dubiè valdè ſcandalizarentur, ſi noſcerent Sacerdotem illi peccatori publico dediſſe Euchariſtiam. Deinde etiamſi, quando nulla eſt in contrarium iuſta cauſa, lex charitatis obliget ad non narrandum Pragæ delictum Petri, quod hic ignoratur, & ob quod ille publicè eſt Viennæ punitus; (id quod tunc damus obiectioni;) negamus tamen tunc obligare charitatem in proximum, quando ille iam am ſit ſuum ius in bonam famam; & aliunde reuerentia debita Sacramento exigit ne illam famam hîc & nunc conſideremus; & propterea dixi paulò antè eſſe ſpecialem rationem in puncto hoc ſecreti ſeruandi, quàm in quæſtione, prout vniuerſaliter ſolet alibi diſputari: maximè autem hic habet locum reuerentia Sacramenti, cum peccator ille ſciens ſe eſſe publicè infamatum, ac proinde cum deberet quaſi certò ſuſpicari delictum ſuum iam eſſe notum circumſtantibus, ingerit ſe ad indignam petitionem Sacramenti. Hæc faciliora.

26 *Fauendum eſt potius Sacramenti reuerentiæ quà famæ delinquentis.*

27 *Quid dicendum, quando delictum non eſt publicum neque euidentia iuris neque facti. Explicatur, quanta notitia requiratur, vt delictum dicatur publicum.*

Maxima ergo difficultas deuoluitur ad caſum quando delictum non eſt publicum neque euidentia iuris, neque euidentia facti; ſcitur tamen ab aliquibus: eo enim caſu quæritur, quot illi debeant eſſe, vt delictum ſit publicum. Aliqui dicunt debere eſſe decem; quia hic numerus ſufficit ad conſtituendum populum ſeu parochiam. Alij dicunt ſufficere ſex; quia is numerus eſt pluſquam media pars populi, ſeu parochiæ, quæ, vt diximus, in decem ſaluatur. Alij denique meliùs docent, non poſſe in hoc puncto regulam vllam generalem tradi, ſed id ponderandum prudenter; nam publicum vel ſecretum ſunt termini reſpectiui: etenim in vna magna ciuitate cenſetur occultum quod octo vel decem ſciunt; in vno tamen pago, vbi vix ſunt plures quàm decem aut duodecim, ſi octo ſciant iam cenſetur publicum. Et ita docet Suarez cum Soto. Et mihi videtur optima explicatio. Ponderanda etiam in hoc puncto eſt qualitas perſonarum quæ ſciunt; nam ſi ſint decem, etiam triginta viri graues, conſcientioſi, taciturni, non cenſentur delictum publicum; ſi autem ſint perſonæ quæ omnia ſolent propalare, iam poteſt cenſeri delictum publicum. Denique hæ res morales non conſiſtunt in indiuiſibili; idcoque debent prudentum iudicio decerni iuxta circumſtantiam loci & temporis, id quod ſic oſtendo; Certiſſimum enim eſt, etiamſi totum Monaſterium ſexaginta aut centum perſonarum ſciat delictum alicuius ex ſuis Religioſis; ſi tamen ad ſæculares non venit, & ille Religioſus, celebrante alio ex ſuis qui delictum nouit, peteret præſentibus ſæcularibus Euchariſtiam, non poſſe tunc illi negari; quia quod notum cenſetur intra Monaſterium, cenſetur occultum coram ſæcularibus.

28 Tertia difficultas, An liceat adminiſtrare Sacramentum homini ſuſpecto de crimine. Circa quod ſupponendum non licere Euchariſtiam accipere ad probationem veritatis; vt ſi ſuſcipiens ſit reus, Deus id oſtendat ipſum puniendo: hoc enim eſt tentare Deum, & petere ab eo miracula ſine neceſſitate. Et licet in Concilio Vvormatienſi videatur hic modus approbari cap. 10. & 15. & in Friburgenſi; reſpondendum tamen eſt cum D. Thoma in 4. diſtinct. 9. quæſt. 1. artic. 5. quæſtiuncula ſecunda ad ſecundum, ea Concilia, quæ Prouincialia fuere, minus benè id permiſiſſe; vel certè intelligenda (vt ſtatim dicemus) per modum iuramenti licere homini Euchariſtiam accipere acſi diceret; *Hanc ſanctiſſimam Euchariſtiam, quam ſumo, adduco in teſtem meæ innocentiæ*: vti fecit Gregorius VII. apud Baronium anno Chriſti M. LXXVII. Obſeruat autem benè Suarez, etſi ſeruatis ſeruandis licitum ſit homini voluntariè eo iuramento ſuam innocentiam confirmare; non poſſe tamen hoc genus iuramenti nolenti imponi; quia non habent ius Sacerdotes id præcipiendi, neque eo modo poſſunt delicta inueſtigare. Iis poſitis,

Non licet accipere Euchariſtiam ad probationem veritatis.

Neque in hoc caſu præiudicat Conciliorum Prouincialium approbatio.

An licitum ſit miniſtrare Sacramentum homini infami de peccato, quod non conſtat eſſe commiſſum.

Tota difficultas præſens eſt, An Sacerdoti liceat Sacramentum adminiſtrare ei qui diffamatus eſt de peccato; non conſtat autem certò illud ab eo commiſſum. Pro quo diſtingui ſolet triplex ſuſpicio: Temeraria, id eſt ſine ſufficienti fundamento: & hanc non ſufficere ad negandum tali homini Sacramentum, eſt certiſſimum: quia fit ei iniuria in ipſa ſuſpicione, à fortiori autem in negatione Sacramenti. Altera verò eſt probabilis, quando ſunt argumenta pro 29
vtraque parte probabilia. In hoc etiam caſu negare non licet Sacramentum: quia in caſu probabilitatis, qui reducitur ad dubium, melior eſt conditio poſſidentis, & potiùs concludendum in fauorem rei, cæteris paribus, quàm contra illum. Neque poteſt dici in fauorem Sacramenti etiam ſtare poſſeſſionem: reſpondetur enim, tunc Sacramento nullam fieri iniuriam, quia proceditur bona fide. Tertia ſuſpicio dicitur violenta, quando ſunt fundamenta, vt homo iudicet commiſſum tale delictum, non autem ſunt vlla alia in contrarium pro eius excuſatione: & tunc negari debet Sacramentum, ſi ſuſcipio ſit publica, etiam publicè, ſi verò tantum priuata priuatim. Excipit autem Pater Suarez valdè probabiliter cum multis ab huiuſmodi regula articulum mortis: quia ſi in eo reus dicat ſe innocentem, & Sacramentum petat, non videtur ei negandum ob neceſſitatem magnam illius.

Quæ hucuſque diximus etſi reuera communia ſint omnibus Sacramentis, à nobis tamen ſpecialiter applicata fuere Venerabili Euchariſtiæ. Iam oportet breuiter de aliis etiam loqui. Et primo loco eſt Baptiſmus: vbi dicimus, Et ſi conſtet petentem Baptiſmum commiſiſſe quæcumque delicta, poteſt & debet ei concedi: quia ea delicta per ipſum Baptiſmum delentur: ſi tamen conſtet eum nolle ea deſerere, non eſt baptizandus ob irreuerentiam Sacramenti. Dico, *Si conſtet*; nam ſi ſecretum ſit peccatum, nam conſtat ex dictis non licere negare Sacramentum.

Petenti Baptiſmum quantumcumque indigno eſt concedendus; niſi peccata deſerere nolit.

Dices fortaſſe: Si iam negetur illi Baptiſmus non erit deinde occaſio eum baptizandi, & periclitabitur de ſalute. Reſpondeo, Eum non magis periclitaturum quàm ſi non baptizetur: nam ſi baptizatus adhuc eſt in mortali, profectò adhuc indigebit contritione vt iuſtificetur. Eadem ratio eſt in Confirmatione & Extrema Vnctione.

Circa

Digitized by Google

30 *Sacramentũ Ordinis poteſt negari non ſolum ex ſcientia publica, ſed etiam priuata.*

Circa Ordinem eſt maior difficultas; nam cum hoc Sacramentum non detur omnibus illud petentibus, ſed Prælati ex officio teneantur inquirere de aptitudine & talentis conſecrandi, poſſunt non ſolum ex ſcientia publica, ſed etiam ex ſecreta negare Ordines. Id quod ita intelligendum, niſi ille qui petit habeat iam aliquod ius petendi; v. g. quia habet beneficium Eccleſiaſticum vel ratione dignitatis quam habet: de quo vide Patrem Thomam Sanchez lib. 3. de Matrimonio diſput. 15. num. 8. Eſt tamen hic aliqua obiectio difficilis; nam in cap. *Ad aures de Temporibus Ordinationum*, Lucius Papa dicit Epiſcopum non debere ordinare Religioſos eorum Prælato contradicente; pro quo reddit hanc rationem, *Quoniam eſſe poteſt quod Prælatus eorum commiſſa ſecreta nouerit, ex quibus conſtat, quod illi ſalua conſcientia nequeant ſublimari.*

Quod maximè in Religioſis clarum eſt.

Ex hoc textu (quo probatur etiam propter delictum occultum poſſe negari Ordines) formo ego argumentum contra limitationem immediatè antè poſitam: Etenim illi Religioſi iam videbantur habere ius petendi Ordines; nam Religioſi qui admittuntur vt deinde fiant Sacerdotes, ſine dubio habent ius ſuo tempore petendi Ordines, & tamen negantur illis publicè petentibus ob delictum occultum; ergo non ſolum iis qui ſine iure petunt, verùm etiam & habentibus ius debent negari Ordines ob delictum occultum. Reſpondeo Primò, Epiſcopum non teneri conſiderare, an ſit publicum an ſecretum delictum Religioſi; ſed præcisè quod à Superioribus, ad quos immediatè ſpectat directio ſpiritualis illorum, non præſententur. Ipſi autem Superiores debent conſiderare quale ſit delictum, ob quod proponere recuſant ſuos ſubditos. Quando autem ſemel deferentur ad Epiſcopum, iam fit delictum illud publicum. Adde, Religioſos non habere propriè ius ad Ordines; quia ſemper ſe ſubmittunt directioni & obedientiæ Superiorum, prout ipſis placuerit: quam rationem optimè tetigit Lucius Papa eo citato capite: id quod maximè habet locum in ordine ad tempus: Ordinum Superiores autem non tenentur cum Religioſis ſemper ſeruare eum rigorem, vt ſcilicet non impediant illos ab officio pro quo ſunt ingreſſi, niſi publicè conſtet de ineptitudine.

SECTIO VI.

Specialis difficultas de Sacramento Matrimonij quoad Parochum aſsiſtentem.

31 In Sacramento Matrimonij Parochus non eſt Miniſter (vt ſuppono ex certa ſententia) ſed aſſiſtit vt teſtis nomine Eccleſiæ; eodem ferè modo quo duo alij teſtes poſt Tridentinum requiruntur. Ideò ex hoc capite videtur minor eſſe in eo obligatio ad non aſſiſtendum, quando in peccato ſunt contrahentes, quia tamen ipſe ſua aſſiſtentia efficit contractum validum, ac conſequenter etiam Sacramentum validum; quod alias non eſſet, ſi ſe abſentaret: videtur è contrario ex hoc capite eſſe eadem difficultas quæ in aliis Sacramentis quoad obligationem non dandi indigno. Sed quia circa Matrimonium, præter indignitatem ex peccato vt tali prouenientem, ſunt etiam alia quæ impediunt illud, vt pote ea quæ vocantur impedimenta dirimentia, quæ efficiunt vt nullum ſit Sacramentum, alia verò quæ impediunt quo minus licitè, eſto illud relinquant validum; grauis hic oritur difficultas. An eodem modo ſit diſcurrendum de peccatis occultis ac de impedimentis occultis, & è contrario; an verò cum impedimento etiam occulto non poſſit Parochus aſſiſtere, eſto poſſit, ſi ſint alia peccata, quæ non aliter impediunt, quam quatenus homo eſt tunc incapax gratiæ, ideoque indignè ſuſcipit Sacramentum. De hac difficultate fusè P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio diſput. 15. & poſt ipſum Cardinalis Lugo à diſput. 8. sect. 13.

Propenitur ſtatus quæſitionis.

32 *Parochus ſciens impedimentum occultum non poteſt aſſiſtere matrimonio; poteſt autem ſi ſciat occultum peccatum.*

Concluſio Communis ſit; Si Parochus ſciat impedimentum occultum, non poteſt aſſiſtere, ſed tenetur illud Epiſcopo manifeſtare; ſi verò ſolùm ſciat aliud quodcumque peccatum occultum tamen contrahentium, debet eis petentibus aſſiſtere. Hæc ſecunda pars probatur à ſimili de aliis Sacramentis; quia nec matrimonium exigit maiorem ſanctitatem in ſuſcipiente, quam exigat Euchariſtia; nec contrahentes facilius poſſunt hic diffamari quam in aliis Sacramentis. Ex hac verò doctrina oritur difficultas circa priorem partem. Quæ enim inter vtramque rem occultam, impedimentum ſcilicet & peccatum, aſſignari poteſt differentia.

Diſparitas inter occultum impedimentum & occultum peccatum aſſignata à Sanchez reiicitur.

Variè reſpondent Auctores. Sanchez ſuprà num. 13. ait Eccleſiam, quæ de occultis non iudicat, non habere poteſtatem negandi matrimonium ob peccata occulta; habere tamen ob impedimenta quæ ipſo iure impediunt. Verùm hæc diſparitas aſſeritur, non probatur. Fortaſſe poſſet reſpondere, Cùm ipſa Eccleſia poſuerit ea impedimenta, debere illam de iis iudicare. Verũ hæc ſolutio non ſatisfacit: quia ſi Eccleſia impoſuiſſet aliquod præceptum, contra quod occultè peccaſſet ille qui vult contrahere matrimonium, & ego id ſcirem, non propterea poſſem ei negare in publico illud Sacramentum; ergo quòd impedimentum, ex quo oritur difficultas, ſit inſtitutum aut impoſitum ab Eccleſia, non ſufficit vt teneamur (ſi defectus ſit in eo occultus) manifeſtè negare Sacramentum per illud.

Altera diſparitas aliorum patitur difficultatē.

33 Secunda aliorum ſolutio eſt, quòd quando interuenit impedimentum, agitur de multis peccatis: ſi enim habet votum caſtitatis, tunc per matrimonium exponit ſe homo periculo committendi multa peccata: vel agitur de damno irreparabili alterius, cui vnus ex coniugibus antè promiſerat. At quando impedimentum oritur ex ſolo peccato vt tali, non eſt periculum niſi vnius tantum peccati in ipſa ſuſceptione; hoc autem peccatum iam ferè ex integro ſupponitur commiſſum per animum ſuſcipiendi Sacramentum. Hæc reſponſio habet difficultatem contra ſe; nam ſi impedimentum ſit ex voto, non quidem de caſtitate ſeruanda, ſed de non contrahendo matrimonio, tunc ſemel eo contracto, iam non eſt periculum alterius peccati: ergo etiam tunc non poterit negari Sacramentum: id quod tamen videtur eſſe contra ſuppoſitum.

Tertia quorumdam aliorum non omnino ſatiſfacit.

Tertiò reſpondetur, ex impedimentorum denuntiatione facta Epiſcopo nulla ſequi incommoda, quæ tamen ex manifeſtatione peccati ſequuntur: quia illa debent probari coram Ordinario, ac proinde non poſſunt tam facilè obiici quam peccata. Hæc ſolutio aliquantulum accedit ad veritatem, non tamen omnino, quia ſolum fundatur in maiori aut minori publicatione,

quæ

Digitized by Google

quæ r[illegible] non omnino euacuat difficultatem. Deinde excommunicatio occulta debet etiam coram Ordinario probari; & tamen ob illam non poteſt in publico negari matrimonium. Adde, nec poſſe Parochum etiam publicum peccatorem, v. g. vſurarium, repellere ab hoc Sacramento; quia Parochus aſſiſtit vt teſtis, non vt Miniſter; ad teſtem autem non ſpectat examinare merita contrahentium, ſed fidem facere de contractu.

34 Iis ergo ſolutionibus reiectis recurrit Sanchez & cum eo Cardinalis Lugo ad hoc, quòd matrimonium, vt eſt contractus, videatur ſubiacere ſpecialiter Eccleſiæ; nam contractus prout tales ſunt, pertinent propriè ad Principem, qui proinde habet ius examinandi & inquirendi, an illi ſint validi néc ne; ex hoc ergo capite tenetur Parochus non aſſiſtere, quando matrimonium fit cum aliquo ex impedimentis, quæ ei vt contractus eſt obſunt; poteſt autem aſſiſtere, quando iniquè ex alio capite contrahitur. In hac ſolutione eſt ea difficultas, quòd ſolùm videatur habere locum in impedimentis quæ valorem contractui tollunt; nam quoad alia quæ relinquunt validum contractum, eſto illicitum, non videtur eſſe ſpecialis difficultas, quòd ſit illicitus ex voto, aut quòd ſit illicitus ex blaſphemia. Confirmo; quia votum caſtitatis non impedit matrimonium ex Eccleſiæ inſtitutione, etiam vt eſt contractus, ſed naturaliter illud reddit illicitum; eodem planè modo quo votum non comedendi carnes impedit comeſtionem aut votum non ſuſcipiendi Ordines (demus illud eſſe validum) impedit eam ſuſceptionem. Cur ergo, ſi quis cum eo voto occulto accedat publice ad Ordines, non poſſum ego illum impedire, & ſi cum voto non contrahendi accedat debeo illum impedire?

Cardinalis Lugo ſecum Sanchez diſparitatem aſſignat, ſed quæ etiam ſuam difficultatem patitur.

35 Ego faciliùs quidem & magis ad rem ipſam reſponderem, Ideò impedimenta illa debere deferri ad Ordinarium, quia ea non ſunt peccata, ſed vel ex voto, vel ex promiſſione alteri facta, vel ex aliis capitibus, quæ non ſunt peccaminoſa, proueniunt; ac proinde ſine infamia poſſunt deferri. Diximus autem ſuprà, totam rationem, cur non debeant negari in publico Sacramenta, eſſe, ne diffametur petens; ergo quando ceſſat hæc ratio, tunc erit obligatio negandi Sacramentum. Et hinc etiam colligitur, cur ſi impedimentum ſit ex ſecreta excommunicatione, non poſſit etiam reuelari; nam ſecreta excommunicatio non poteſt manifeſtari, niſi detecto delicto occulto ob quod fuit illa contracta.

Diſparitas vera aſſignatur.

Duæ ſunt contra hanc ſolutionem difficultates: Prima, quòd poſſit aliquando impedimentum illud etiam eſſe ex peccato; vt ſi quis habuit cum altera copulam ei promittendo matrimonium. Reſpondeo, Etiam eo caſu poſſe illud impedimentum explicari occultato peccato; quia ſufficit probare quòd promiſerit matrimonium, eſto de fornicatione nihil dicatur. Secunda difficultas eſt; nam iuxta multorum ſententiam aſſiſtere poteſt Parochus, etiamſi delicta ſint publica, vbi tamen ſine infamia poſſet ſe ſubtrahere; ergo impedimenta poſſe ſine infamia detegi non efficit, quòd tunc ſe Parochus ſubtrahere teneatur. Porrò Parochum non teneri ſe tunc abſentare probatur ex his quæ paulò antè diximus, quòd ille negare non poſſit aſſiſtentiam pro matrimonio etiam publicis vſurariis; quia Parochus præciſè exercet munus teſtis; cuius non eſt examinare peccata contrahentium. Reſpondeo tamen Primò, Mihi non videri adeò certum hoc antecedens, ſed me magis propendere in contrarium, id ſcilicet non licere: & quidem iam dixi ſuprà hanc rationem Aduerſariorum etiam vrgere eoſdem; quia teſtis non tenetur eſſe ſollicitus de eis impedimentis quæ relinquunt totum valorem contractus integrum, & ſolùm illum faciunt peccaminoſum; alioquin cùm peccata omnia faciant contractum matrimonij peccaminoſum, etiam de omnibus illis deberet habere Parochus ſolicitudinem; quia (vt oſtendi) votum non contrahendi non magis facit contractum illum vt contractum, & quatenus ſubeſt Principibus, peccaminoſum; quàm votum non accipiendi Ordines faciat coram Eccleſia illicitam eam acceptionem: vtrobique enim eſt obligatio naturalis in non violatione voti fundata. 36

Et explicatur etiam in impedimentis cum peccato contractis.

Deinde, quòd hi dicunt Sacerdotem non eſſe Miniſtrum, ſed teſtem, eſt quidem verum; at ad rem noſtram parum facit, ſi ageremus ante Tridentinum, & vbi illud non eſt receptum, optima inde deſumeretur diſparitas: nam tunc temporis matrimonia clandeſtina erant omnino valida; ac proinde Parochus neque vt Miniſter neque vllo alio modo erat pars, aut concurrebat ad valorem matrimonij; vnde nullius momenti erat ipſius abſentia, ad hoc vt impediretur matrimonium, & vitaretur irreuerentia in ſuſceptione indigna illius conſiſtens; quandoquidem ipſo abſente eumdem omnino contractum facere, & idem Sacramentum potuiſſent illi ſuſcipere. At hæc ratio tota quanta ceſſat poſt Tridentinum; nam Sacerdos eſto non ſit Miniſter, adeò tamen concurrit, vt ipſius præſentia ſit pars eius Sacramenti: ea enim ſola ablata cæteriſque manentibus omnibus ceſſat Sacramentum & contractus; ergo ex hoc capite dum adeſt, cooperatur poſitiuè productioni huius Sacramenti ferè non minùs quàm Miniſtri in aliis.

Poſt Concilium Tridentinum præſentia Parochi eſt pars Sacramẽti Matrimonij.

Fortè reſpondebis, Duo debere in matrimonio conſiderari; vnum eſt materia ſeu contractus humanus; alterum eſt ratio Sacramenti quæ illi aduenit. Parochus ergo ſolùm eſt teſtis contractus illius in ratione contractus; pro quo vt tali non requiritur ſanctitas vlla, quia contractus ciuiles poſſunt licitè fieri etiam in ſtatu peccati. Ad rationem autem Sacramenti, quæ aduenit illi contractui, non videtur Parochus eſſe teſtis, neque pars vllo modo, ac proinde non habet inde vllam obligationem ſpecialiter exigendi ſtatum gratiæ à contrahentibus. Sed contrà, & in primis hanc ſolutionem dare non poteſt Cardinalis Lugo, qui (vt vidimus ſuprà) cenſet Epiſcopũ in mortali conficiendum Chriſma peccare mortaliter, quia conficit materiam Sacramenti, vnde infertur clarè, contrahentes peccare mortaliter non ſolùm quoad inductionem, vt ſic dicam, formæ Sacramenti, ſed quoad materiæ illius proximæ effectionem, ſcilicet quoad contractum illum qui vnicè ordinatur ad Sacramentum Matrimonij: quòd ſi illi mortaliter peccant, ergo & Sacerdos cooperans illi contractui, eſto non cooperetur inductioni formæ Sacramentalis, peccabit grauiter, quia cooperatur peccato. Contrà Secundò, quia eſto ratione noſtra poſſimus hîc & nunc facere eam diſtinctionem at realiter, ſuppoſita inſtitutione Chriſti Domini, non aliter ſit Sacramentum quàm faciendo coram Eccleſia & Parocho 37

Cardinalis Lugo ſolutio reijcitur ex ipſiuſmet ſententia ſuperiùs citata.

38

Parocho validum illum contractum: ſuppoſita enim intentione faciendi quod facit Eccleſia, illud dicere, *Accipio te in meam*, quod eſt effectio contractus, eſt realiter effectio Sacramenti; vnde Parochus ibi ſua præſentia conſtituens partialiter illum contractum in ratione contractus, ſimul complet illum in ratione Sacramenti: ac proinde ſi cooperatur Miniſtris vt conficientibus contractum in peccato, cooperatur illis vt conficientibus Sacramentum in peccato; ideoque peccabit vti in aliis Sacramentis, & quoad hoc non ſubſiſtit inſtantia allata de Epiſcopo conficiente Chriſma in peccato, quem nos ſuprà diximus non peccare: etenim ille tantùm conficit remotam materiam, quia proxima eſt ipſa vnctio; deinde ità conficit, vt planè realiter ſeparentur illæ actiones etiam longiſſima temporis mora: neque enim tunc, quando eſt Chriſma in ſacrario, eſt ibi Sacramentum Ordinis; aut vbi ſeruatur oleum infirmorum, eſt ibi Sacramentum Extremæ Vnctionis, magis quàm vbi eſt aqua non eſt Baptiſmus; quia in vtroque caſu tantùm eſt materia remota neceſſaria pro eis Sacramentis: iàm autem dixi ſuprà, ad confectionem eius materiæ non eſſe neceſſarium ſtatum gratiæ; ac proinde nec qui ex farina & aqua pinſendo hoſtias conſtituit materiam Sacramenti Euchariſtiæ, tenetur eſſe in gratia. In præſenti tamen contractus non eſt materia remota, ſed proxima, haud aliter quàm ſit ipſa ablutio in Baptiſmo: deinde non eſt quid ſeparatum à Sacramento, ſed ſimul cum illo & quaſi indiuiſibiliter.

Non eſt Sacramentum vbi eſt Chriſma aut oleum infirmorum.

39 *Diſparitas ſuperiùs à nobis aſſignata elucidatur.*

Reſpondeo Secundò obiectioni ſuprà poſitæ, Etſi dicamus Parochum illum non peccare aſſiſtendo tunc temporis, adhuc tamen noſtram ſolutionem ſubſiſtere: quia quòd illa impedimenta non ſint peccata ſufficit, vt poſſint ſine infamia contrahentis reuelari; poſita autem capacitate reuelationis poteſt habere locum præceptum Eccleſiæ de negando tunc Sacramento & deferendis ad Epiſcopum eis impedimentis; de huiuſmodi autem Eccleſiæ voluntate conſtat nobis aliunde: ad hunc enim finem mandat, vt non contrahatur matrimonium ſine denuntiationibus publicis, omnes cogens ad deferenda impedimenta quæ ſciunt: quo præcepto maximè includitur Parochus, qui deſignatur ab Eccleſia ad videndum, ne cum eis defectibus matrimonium contrahatur. Quoad reliqua verò peccata, etiamſi, eo ipſo quòd ſint publica, ac proinde eo ipſo quòd poſſint etiam deferri ad Ordinarium ſine infamia contrahentium, potuerit Eccleſia exigere à Parocho & ab aliis vt ea deferrent, & non contraheretur matrimonium ab homine publico peccatore; nihil tamen de facto in hoc puncto mandauit; ac proinde in eis denuntiationibus nihil dicit de aliis peccatis: non enim obligat, vt quem ſcio eſſe ebrioſum vſurarium, &c. deferam ad Ordinarium, caſu quo matrimonium velit contrahere: ergo ex hoc capite nulla eſt ab Eccleſia impoſita ſpecialis obligatio, ſed res eſt relicta in naturali obligatione: ex hoc autem non videtur quidquam probari; nam cùm Parochus non ſit niſi teſtis, non Miniſter, non habet obligationem aliam quàm teſtes contractuum aliorum, qui nullam penitus obligationem habent attendendi, vtrùm contrahentes ſint in peccato, an in gratia, ſed præciſè iuxta dicta, vt ſeruentur conditiones requiſitæ publicè ex iure pro eis contractibus.

40 Poteſt tamen adhuc vrgeri, Nam Parochus videtur cooperari illi actioni iniquæ, ac proinde independenter ab vllo Eccleſiæ præcepto peccare; ergo tenetur tunc non aſſiſtere. Secunda hæc ſolutio non eſt ſufficiens. Reſpondeo, Illam cooperationem eſſe potiùs permiſſionem quàm cooperationem, quia tenetur ſuam præſentiam exhibere: eſt enim Miniſter publicus deputatus ad id non quidem ex natura rei, quia ſeclusa ordinatione Eccleſiæ non habet Parochus magis cum matrimonio quàm habeat infans, ſed ex mandato & commiſſione Eccleſiæ, Eccleſia autem, vt dixi, non conſtituit illum vt attenderet ad alia peccata, ſed ad impedimenta; ergo nullam habet obligationem ad alia attendendi, ac proinde non peccat, ſi non attendit.

Parochus aſſiſtens matrimonio contrahentibus in peccato non cooperatur peccato, ſed permittit.

Replicabis adhuc: Etſi non habeat obligationem ex iuſtitia, habet ſaltem ex charitate impediendi, dum poteſt, peccatum proximi. Reſpondeo, Hanc obligationem eſſe communem omni homini: nos autem præciſè agimus de ſpeciali obligatione ipſius Parochi; deinde ſiue communis illa ſit, ſiue non, tunc ſolùm locum habet, quando moraliter & prudenter creditur profutura admonitio. At in noſtro caſu gratis homo cum talibus iam ad matrimonium accedentibus ageret, ſi nollet aſſiſtere quouſque emendaretur; quòd ſi tamen ſperaret ſe ſua monitione effecturum vt per confeſſionem ad illud ſe benè diſponerent, profectò non dubitarem dicere, illum fore obligatum ex charitate ad eam monitionem, & ad negandam eis ad tempus ſuam præſentiam pro Sacramento. Et hactenus de Parocho, quæ ſuo modo de teſtibus aliis duobus intelligenda ſunt.

Obligatio impediendi peccatum ex charitate eſt communis.

SECTIO VII.

Quid de contrahentibus ipſis?

41 *Alia difficultas de Miniſtris Sacramenti Matrimonij proponitur.*

IAM de ipſis contrahentibus, vt ſunt Miniſtri Sacramenti: videntur enim ex hoc capite eſſe non minus obligati quàm Sacerdos ad non baptizandum publicum peccatorem. Vnde vlteriùs ſequitur, contrahentem matrimonium cum hæretica peccare, quia illud miniſtrat indigno, & verò eo caſu dupliciter peccare, tum quia miniſtrat indigno; tum quia ipſe ſuſcipit indignè; ſicut Sacerdos conſecrans & communicans peccat dupliciter. In contrarium tamen illud videtur obſtare, quòd poſſint ſine vllo ſcrupulo in locis, vbi eſt religionis libertas, huiuſmodi matrimonia contrahi; & paſſim contrahuntur. Deinde ſæpe Pontifices dant expreſſam licentiam in aliis locis contrahendi talia matrimonia; vti de facto dedit Reginæ Angliæ Catholicæ cum Anglo hæretico. Si autem ea actio eſſet intrinſecè peccaminoſa, non poſſet ad eam dari diſpenſatio. Fortaſſe ad hoc vltimum aliquis diceret, tunc Pontificem ſolùm dare licentiam vt matrimonium illud ſit validum; vtrùm autem licitè deinde contrahatur necne, non curari ab ipſo. Hæc tamen ſolutio eſt valdè difficilis; quia reddere validum quod alioquin non fuiſſet tentatum niſi data ea validatione, eſt ſummum irritamentum ad illud attentandum, quod alioquin non fuiſſet tentatum: non eſt autem præſumenda de Pontifice talis in-

ductio ad malum per eam validationem. Deinde Pontifex vtitur verbis, quibus planè ſignificat dare ſe facultatem vt licitè contrahatur illud matrimonium.

42 *Licitum eſt contrahere matrimonium cum peccatore. Ita Sanchez Ioannes Præpoſitus & Cardinales Lugo.*

DICO PRIMÒ, Etſi non careat probabilitate ſententia negans, eſſe licitum tale matrimonium; Eccleſiam verò auferendo nullitatem ſolùm permittere illud contrahi ob grauiora damna, ſicut permittit meretrices, &c. nihilominus probabilius eſt, licitum eſſe contrahere cum peccatore. Ita Pater Thomas Sanchez lib. 7. de Matrimonio, diſp. 72. num. 5. & P. Ioannes Præpoſitus in 3. p. quæſt. 7. de impedimentis matrimonij; quos ſequitur Cardinalis Lugo ea diſput. 8. ſect. 14. Hæc vnicè eſt probanda aſſignando diſparitatem inter Miniſtrum huius Sacramenti, & inter Miniſtros reliquorum Sacramentorum. Ea autem eſt, quam benè hi Auctores tangunt, quod contrahens matrimonium ita ſit Miniſter reſpectu alterius, vt ſimul ſit recipiens Sacramentum illud, & conſequenter percipiens fructum illius. Hinc enim diximus ſuprà, poſſe me ſine peccato petere à Sacerdote peccatore vt audiat meam confeſſionem, ſeu vt miniſtret mihi Sacramentum confeſſionis, etiamſi inde ſequatur illum peccaturum; quia ego non teneor me eo bono maximo priuare ob alterius peccatum, in quod ego tunc non concurro poſitiuè, ſed permiſſiuè; quia ille poteſt dolere de ſuo peccato, & adminiſtrare licitè Sacramentum; ita eodem modo dicimus, Petrum v. g. poſſe licitè petere Sacramentum Matrimonij ab altero ſibi miniſtrari, eſto ſimul ipſe miniſtret illud inadæquatè homini indigno; quia per hoc non priuatur ſuo iure, & quaſi præcisè permiſſiuè ſe habet reſpectu ſuſceptionis indignè eiuſdem Sacramenti. Addo, præter vtilitatem ſpiritualem, quæ in ſuſceptione eius Sacramenti reperitur, dari etiam corporalem. Sæpiſſimè autem licitum eſt dare per accidens occaſionem peccato alterius, ne ego patiar damnum aliquod, aut priuer mea magna vtilitate coporali; ne v. g. alter pecuniam neget mihi, poſſum adducere teſtes etiam gentiles, & petere vt iuramento faciant fidem, quod ille mihi eam pecuniam debeat; etiamſi mihi omnino conſtet, tales iurando per ſuos deos falſos commiſſuros aliquod peccatum. Item poſſum ad iuramentum ob meam phyſicam vtilitatem cogere illum quem ſcio falsò iuraturum; poſſum item publicæ meretrici domum elocare, &c. Vnde vlteriùs ſit (quod benè Sanchez lib. 1. diſput. 11. numer. 20. & Lugo ſuprà notarunt) vt liceat aliquando ſimulare exterius conſenſum in matrimonium ad vim iniuſtam repellendam: id quod fieri non poteſt in vllo alio Sacramento etiam ob tutandam vitam. Quid ergo mirum, ſi ratio ea Miniſtri matrimonij, quæ videbatur obligare ad non contrahendum cum indigno, ſeu ad non porrigendum Sacramentum indigno, quia tamen compenſatur eo altero titulo quem diximus, iam ampliùs hic & nunc non obliget illum ad non contrahendum cum peccatore?

Diſparitas inter matrimonium & alia Sacramenta oſtenditur, & explicatur.

43 *Licitum eſt matrimonium cum excommunicato tolerato.*

SECVNDÒ hinc DICO, Licitum etiam eſſe contrahere cum excommunicato tolerato. Ita Sanchez, Præpoſitus & Lugo ſuprà; probaturque ex dictis facilè. Nam ſi aliquid impediret eum contractum, eſſet vel ratio peccati, qua redditur alter contrahens indignus effectu Sacramenti: hoc autem iam oſtendimus non obſtare; vel ſpeciale impedimentum ab excommunicatione proueniens: at hoc non impedit, quia Concilium Conſtantienſe dedit licentiam Catholicis agendi cum huiuſmodi excommunicatis: ergo ratione excommunicationis non habet non excommunicatus ſpeciale aliquod impedimentum ad contrahendum.

Priuilegium à Concilio Conſtantienſi datum agendi cum excommunicatis toleratis & circa illud dubium ſoluitur à Sanchez.

Rogabis; quandoquidem hoc priuilegium à Concilio conceſſum non eſt directè in gratiam ipſorum excommunicatorum, ſed in gratiam non excommunicatorum, vt hi ſine ſcrupulo agere poſſint; vnde ſolùm indirectè fruuntur eo priuilegio ipſi excommunicati, nec poſſunt præuenire, ſed præuenti annuere: rogabis inquam, Vtrùm ſi excommunicatus præueniat petendo matrimonium, poſſit tunc non excommunicatus licitè conſentire. Thomas Sanchez reſpondet cum diſtinctione: Vel enim ille excommunicatus petens matrimonium poteſt obtinere interim abſolutionem ab excommunicatione, vel non poteſt: ſi poteſt, tunc concedit licere non excommunicato admittere; ſi verò non poſſit tunc, non licere; quia tunc ipſe excommunicatus peccat petendo; ac proinde etiam alter peccabit conſentiendo.

44 *Cuius ſolutionem vt duram reiicit Cardinalis Lugo.*

Cardinalis Lugo meritò hoc iudicat durum, quia ſaltem poterit tunc non excommunicatus ſi non annuere petenti, ſaltem incipere petendo de nouo: ac proinde excommunicatus iam licitè reſpondebit. Vbi aduerte, ne putes poſſe excommunicatum & in peccato exiſtentem licitè contrahere, cùm ex natura rei ſit illicitum Sacramenta in peccato ſuſcipere, quidquid ſit de adminiſtratione: ac proinde non potuiſſe Concilium Conſtantienſe dare licentiam, vt hæreticus excommunicatus, aut quilibet alius in peccato exiſtens, licitè contrahat Matrimonij Sacramentum; ſiue ipſe primò illud matrimonium petat, ſiue inuitetur à Catholico: ne igitur id ſuſpiceris, aduerte quæ ab his Auctoribus in hac vltima illatione docentur, intelligenda eſſe de excommunicato, qui per actum contritionis iuſtificatus eſt, etiamſi actu duret excommunicatio. Aduerte præterea, quæ diximus de facultate contrahendi licitè cum hæreticis, intelligenda eſſe quantum eſt ex parte reuerentiæ debitæ Matrimonio vt Sacramentum eſt: nam vtrùm ob periculum peruerſionis ipſius Catholici contrahentis, ob periculum etiam prolis non benè educandæ, aut ex aliis capitibus illud matrimonium ſit illicitum; (quæ quæſtio habere poteſt locum, etiamſi Matrimonium non eſſet Sacramentum, vti locum habuit in Lege veteri, quando non erat Sacramentum an liceret cum idololatris:) in hoc inquã ſenſu non diſputari à nobis in præſenti: quia ea quæſtio eſt omnino aliena à puncto de Sacramentis.

45 *Non eſt licitum matrimonium cum excommunicato non tolerato.*

TERTIÒ DICO: Si alter ſit excommunicatus non toleratus, quia eſt denuntiatus publicè, vel publicus Clerici percuſſor, tunc non licere vllo modo aut rogare illum pro matrimonio, aut roganti annuere: quia ipſemet non excõmunicatus tenetur vi excommunicationis alterius non agere cum illo, maximè in rebus ſacris.

Si vterque ſit excommunicatus neutri licitum eſt petere, ex mente Concilij Conſtantienſis.

QVARTÒ & VLTIMÒ DICO: Si vterque ſit excommunicatus, toleratus tamen, neutri

Digitized by Google

neutri licere primò petere matrimonium; quia fauor Concilij Conſtantienſis eſt directè pro illo qui non eſt excommunicatus: ac proinde ipſe excommunicatus non poteſt incipere petendo. Difficilius eſt, an poſtquam vnus petiit, poſſit alter licitè reſpondere. Pater Thomas Sanchez ea diſput. 9. lib. 7. numer. 11. putat omnino ei licere; quia quando iam ſemel eſt prouocatus, habet poteſtatem reſpondendi: id quod ſic declarat; Nam per excommunicationem Ioannæ v. g. quia eſt tolerata, non prohibetur Petrus à petendo; quia ab excommunicata tolerata peti poteſt: ſolùm ergo per eam excommunicationem impeditur ipſa Ioanna ne petat: ergo contra hanc excommunicationem Ioannæ non facit Petrus reſpondens: per excommunicationem item ipſius Petri, quia etiam eſt toleratus, non impeditur ipſe Petrus quo minùs reſpondeat: ergo reſpondendo contra nullam excommunicationem facit ex his duabus.

Hæc quidem probabiliter dicta ſunt; habent tamen contra ſe eam difficultatem, quod illud priuilegium petendi ab excommunicata eſt datum non excommunicatio; ac proinde eo ipſo quod ambo ſint excommunicati, iam neuter fruitur priuilegio reſpectu alterius; non quia ſola alterius excommunicatio id impediat, ſed quia ab vtraque ſimul ſumpta id impeditur; & illi duo iam inter ſe ſunt conſtituti perinde ac ſi eſſent excommunicati non tolerati: quæ ratio mihi videtur efficax; ac proinde probabilius cenſeo non licere eo caſu ne quidem reſpondere. Et ſatis de ſanctitate requiſita ex parte ſuſcipientis Sacramentum.

DISPVTAT. VIGESIMASECVNDA

DE INTENTIONE REQVISITA EX PARTE ſuſcipientis Sacramentum.

SECTIO I.

Quæ certa ſunt circa infantes.

Matrimonium & Pœnitentia requirunt poſitiuam voluntatem ſuſcipientiũ,

1 DVo ſunt Sacramenta quæ ſine poſitiua voluntate ſuſcipientium nunquam poſſunt eſſe valida, Matrimonium ſcilicet & Pœnitentia: hæc quidem, quia includit accuſationem de peccatis commiſſis, & dolorem de illis cum propoſito emendationis in futurum: quæ omnia actus ſunt voluntarij & liberi ipſius ſuſcipientis: Matrimonium verò, quia dat contractum mutuum, in quo (iuxta ſuprà dicta) ipſi contrahentes ſunt miniſtri, ac proinde neceſſaria eſt eorum voluntas. Et licet Reſpublica habeat poteſtatem vt pupillis aſſignet tutores, qui in ciuilibus contrahere nomine illorum validè poſſint, non habeat tamen in ordine ad matrimonium talem poteſtatem; neque fuit expediens eam à Deo tradi Reipublicæ: cùm enim ea obligatio matrimonij ſit perpetua, & aliunde in proprias perſonas non debuit induci per alienas voluntates. De his ergo duobus Sacramentis nulla eſt difficultas circa alia quinque, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Ordines & Extremam Vnctionem conſtat inter Doctores Primò poſſe validè conferri infanti ſine vlla præuia voluntate: id quod non debet in aliam cauſam reduci quàm in Chriſti Domini ea Sacramenta inſtituentis voluntatem, qui ſine dubio potuit ad omnia Sacramenta poſitiuum ſuſcipientis conſenſum requirere; ideoque potuit infantes facere incapaces omnium Sacramentorum. De hac porrò voluntate Chriſti conſtat nobis ex reuelatione aut declaratione ipſius per communem traditionem & vſum totius Eccleſiæ, maximè circa Baptiſmum: ex quo valdè efficaciter deducitur argumentum ad reliqua quatuor. De quo puncto quod ferè controuerſiſticum eſt, vide Cardinalem Bellarminum Tomo 2. lib. 1. de Baptiſmo & Patrem Vaſquez diſput. 154. De extrema quidem Vnctione, quia ſupponit pro ſui valore hominem eum priùs actualiter peccaſſe poſt Baptiſmum, alia eſt ratio, non ob præceptum voluntarij, ſed ob materiæ defectum; ob quem non poteſt adhiberi, niſi illi qui habuit vſum rationis, & potuit poſt Baptiſmum ſuſceptum peccare. Fortè quoad hoc vltimum dices; Eſto quis poſt Baptiſmum non potuerit peccare, quia immediatè poſt incidit in amentiam; poterit tamen ſuſcipere Extremam Vnctionem, quia iuuabit illa, caſu quo in ipſa Baptiſmi ſuſceptione non fuerit ille homo benè diſpoſitus; iuuabit inquam vt iam obtineat gratiam; nihilominus dicendum eſt illum recipere non poſſe tunc Extremam Vnctionem: vel enim poſt indignè ſuſceptum Baptiſmum habuit attritionem, vel non: ſi non habuit, nihil illi poteſt prodeſſe Extrema Vnctio, quæ gratiam cauſare non poteſt minimum ſine attritione; ſi verò eam attritionem habuit, iam fuere ei eo ipſo remiſſa præcedentia peccata. Et verò hæc obiectio deſtruit caſum noſtræ ſuppoſitionis; ſupponimus enim nec locum habuiſſe poſt Baptiſmum vt peccaret; vnde infertur nec habuiſſe vt doleret de peccatis; vel quia, vt dixi, immediatè cecidit in amentiam; vel quia ante amentiam petiit baptiſmum, eumque deinde in amentia ſuſcepit; quo caſu clariùs adhuc conſtat peccare non potuiſſe poſt Baptiſmum. Peccata autem ante Baptiſmum commiſſa non ſunt materia Sacramenti Extremæ Vnctionis, vti nec Pœnitentiæ; ergo eo caſu homo ille non eſſet capax Extremæ Vnctionis. Hoc tamen, vt dixi, non oritur ex conceptu voluntarij, de quo nunc diſputamus, ſed aliunde.

Reliqua Sacramenta validè poſſunt conferri infanti.

Conſtat ex voluntate Chriſti nobis nota per traditionem.

Peculiaris difficultas de Extrema Vnctione ſoluitur.

Digitized by Google

SECTIO II.

Difficultas circa adultos.

3 *Proponitur ſtatus quæſtionis & ratio dubitandi.*

EX dictis de Sacramentis in infantibus oritur difficultas circa adultos, Vtrùm ſcilicet validè poſſint Sacramenta illis conferri ſine vlla voluntate ipſorum adultorum, vel etiam contra voluntatem: ratio autem dubitandi eſt, quia cum ex inſtitutione Chriſti Domini conſtet non eſſe partem Sacramenti ipſum conſenſum ſuſcipientis, alioquin infantes non ſuſciperent Sacramentum integrum, cum eo conſenſu careant, eodem modo videtur dicendum, ſi adultis applicentur ea Sacramenta, non fore neceſſarium eorum conſenſum, imò nec obfuturum poſitiuum diſſenſum; quia non conſtat eam carentiam diſſenſus fuiſſe petitam à Chriſto Domino tanquam partem aut conditionem eſſentialem (vt alij loquuntur) Sacramenti: ex altera verò parte videtur planè incredibile poſſe aliquem etiam inuitum fieri Chriſtianum. Propter hoc variæ fuere in hoc puncto ſententiæ.

Prima docens, etiamſi homo corde diſſentiat, dum tamen ore petat Baptiſmum, illum verè baptizari. Ita Gloſſa ad cap. *Maiores de Baptiſmo.*

4 Secunda ſententia docet ſufficere non reſiſtentiam poſitiuam, etiamſi nunquam fuerit poſitiua voluntas. Ita Caietanus hac 3. Par. q. 68. art. 7. vbi ait rariſſimè poſſe contingere vt aliquis, qui accedit ad Baptiſmum, non habeat nec voluntatem illius, neque contrariam. Caietano videtur adhæſiſſe Ledeſma in 4. 1. Par. quæſt. 9. art. 7. Prius autem quam de veritate huius ſententiæ quidquam dicam, obſeruo Patrem Vaſquez docere, falſum ſupponi à Caietano, quod ſcilicet rariſſimè contingat, vt qui baptizatur non habeat vllam ex oppoſitis illis voluntatibus, cùm poſſit quis in amentia aut in ſomnis baptizari, etiamſi in vigilia aut vſu rationis nihil de Baptiſmo audiuiſſet: ac proinde etiamſi neutram ex eis voluntatibus habuiſſet. Cardinalis Lugo è contrario defendit Caietanum, quia hic non dixit abſolutè eum caſum non poſſe contingere, ſed vel non poſſe, vel rariſſimum eſſe: id quod (ait Lugo) omnino ita eſt; quia nunquam baptizatur quis dum dormit, niſi priùs explorato eius conſenſu: ſi autem in amentiam incidit, rariſſimum eſt, prius eum non voluiſſe, aut è contrario non reſpuiſſe. Ego tamen iudico meritò Vaſquez dixiſſe, illum caſum non eſſe rariſſimum, quia Caietanus ad rem (de qua tunc agebat) ſine dubio debuit loqui de poſſibili; ſi autem validus eſſet ille Baptiſmus eo modo datus, iam caſus fieret re ipſa frequens, qui alioquin in ſe facilè non poſſet contingere; porrò facilè eum poſſe euenire non ſolum in ſomnis & amentia, ſed etiam in vigilia, videtur mihi omnino certum; nam apud Ethnicos dum quis manus Ethnico aut caput lauat, & ille de Baptiſmo nihil antea audiuerat, idem dico de Iudæo, Mahometano, &c. poſſet nihil ei ſignificando proferre ſubmiſsè ea verba, *Ego te baptizo*, &c. idque maximè habere locum potuit & poteſt in balneo, aut cum ſimul natant, vel eminus aquam proiiciendo exteriùs per modum ioci, ſimul tamen interius habendo voluntatem ſeriam baptizandi: qui caſus paſſim contingere poſſunt. Quod item ait Cardinalis Lugo, rariſſimè de facto illum baptizati in ſomno, aut non explorato ipſius prius conſenſu, eſt quidem veriſſimum, quia ſupponimus talem Baptiſmum eſſe nullum; at ſi cum Caietano putaremus eſſe validum, frequentiſſimè id accidere potuiſſet, & reuera accideret. Et hæc obiter circa eam additionem Caietani.

Examinatur ſententia Caietani à Vaſquez & Cardinale Lugo.

De Baptiſmo collato homini amenti vel dormienti.

5 *Sententia communis & vera adultum non baptizar. validè ſine poſitiuo conſenſu ipſius.*

Tertia ergo communis & veriſſima ſententia eſt, adultum, qui rationis fuit capax, non poſſe validè baptizari, niſi habuerit poſitiuum conſenſum. Ita docet D. Thomas quæſt. 68. art. 7. & Theologi reliqui; quos videre poteris apud Patrem Suarez diſput. 14. ſect. 2. & Vaſquez diſput. 152. cap. 2. Probatur autem ex Concilio Carthaginenſi III. cap. 34. & Arauſicano 1. c. 12. in quibus tunc ſolum datur poteſtas baptizandi adultos, quando anteà habuerunt vſum rationis, & eo deſtituti iam ſunt, conſtatque eos anteà petiiſſe Baptiſmum. Eamdem ſententiam tradidit Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. & in Rituali Pauli Quinti, dum agitur de Baptiſmo, idem docetur.

Aliquis fortè diceret, eis locis non dici Baptiſmum eſſe inualidum, ſed tantum eſſe illicitum. Reſpondent nonnulli, Eo ipſo quod Concilia permittant Baptiſmum illa tantum conditione poſita, videri inſinuare ſine illa non eſſe validum. Verùm ego non video, quomodo ea illatio inde deducatur: nunquid non poteſt ea ſola conditio deſiderari, vt licitus fieret ille Baptiſmus, vti multa Concilia prohibent infantes vllos Paganorum baptizari contra voluntatem parentum, ſi tamen baptizentur, re ipſa haud dubiè erit validus Baptiſmus? Meliùs ergo reſpondetur, Si Baptiſmus talis validus eſſe ſupponeretur à Conciliis, non prohibitura in eis caſibus illum adminiſtrari; quia poſſet contingere talium hominum ſalutem pendere à tali Baptiſmo, ſi nullum habuerunt anteà mortale: tunc enim per ſolum Baptiſmum ſine vllo dolore aut actu ſupernaturali ſuſcipientis remitteretur Originale, & daretur gratia: vel certè ſi habuerunt actualia, fortaſſe de Baptiſmo nihil cogitantes habuerunt attritionem de peccatis, quæ cum Baptiſmo omnino ſufficeret ad remiſſionē eorum omnium peccatorum. Id quod haberet locum maximè in his qui inter Catholicos commorati ſunt, & de myſteriis religionis multa audiuerunt: licet enim fortè adhuc exteriùs non petierint Baptiſmum, poſſet tamen frequentiſſimè euenire vt interiùs haberent voluntatem illum ſuſcipiendi, & dolorem verum de ſuis peccatis, ac proinde Baptiſmus illis eſſet neceſſarius ad ſalutem; quia ergo Eccleſia ſupponit ad valorem Baptiſmi in talibus eſſe neceſſarium eorum conſenſum, iure merito, quamdiu ipſi Eccleſiæ de ea conditione eſſentialiter requiſita non conſtat, prohibet ne talibus adminiſtretur. Ratio, ob quam iure optimo Chriſtus Dominus exegerit talem conſenſum, eſt quia non erat rationi conforme, tales, qui ſui ſunt iuris, ſine ipſorum voluntate cogere ad religionem Chriſtianā, vel ad Ordines ſuſcipiendos, qui habent ſibi annexas graues obligationes. In Confirmationis Sacramento non habet res tantam difficultatem quia nullam obligationē ſpecialem inducit ſibi annexā; ac proinde pro eo Sacramento non vtor hac ratione. Dices cum nonnullis, Imprimitur per

6 *Senſus Conciliorum circa hoc punctum examinatur.*

Aſſignatur ratio, cur Chriſtus ſuſcipientis voluntatem exigat.

Digitized by Google

per illum character. Fateor; dum tamen inde alia non ſequatur obligatio, impreſſio characteris non eſt onus, quod non potuerit imponi homini de eo non cogitanti.

7 *Inſtantia contra rationem proponitur.* Contra dicta, & maximè contra allatam rationem vrget inſtantia de infantibus, quibus validè ſine vlla ipſorum voluntate poſſunt ea Sacramenta concedi: eadem enim omnino videntur inde inconuenientia ſequi, quia etiam coguntur ſine vlla ſua voluntate onera illa amplecti. Vt verò maior ſit ratio dubitandi, pone puerum, qui per duos tantùm dies habuit vſum rationis, & amiſſo illo incidit in perpetuam amentiam; pone alterum perpetuò amentem; quid quæſo habet momenti ad rem noſtram ille duorum dierum rationis vſus, vt propterea vnus ex his amentibus poſſit validè baptizari & ſaluari, alter iam ſit incapax ſalutis? *Diſſoluitur, & aſſignatur diſparitas inter adultos & infantes.* Reſpondeo, Vt Chriſtus Dominus diuerſo modo ſe gereret circa adultos & alios rationis adhuc incapaces fuiſſe ſufficientiſſimum fundamentum ex eo, quòd qui habet vſum rationis iam ſeipſum poteſt iuuare; ac proinde meritò requiritur eius voluntas ad valorem Sacramenti: at qui eſt incapax rationis non poteſt; ac proinde non debuit eſſe neceſſaria ipſius voluntas, vt ei validè applicaretur Sacramentum ne omnino relinqueretur ſine remedio. *Etiam in Sacramento Confirmationis & Ordinis.* Et licet hæc ratio non habeat vim niſi in Baptiſmo, qui ſolus eſt ei infanti ad ſalutem neceſſarius, in Ordine autem & Confirmatione non vrgeat; à ſimili tamen ſatis probabilior deducitur ob augmentum gratiæ quod cauſant, in Confirmatione verò maximè, quia adfert ſine inconuenienti ſeu ſine onere magnam vtilitatem ad defendendam Fidem quam per Baptiſmum quis ſuſcepit.

8 Eſt etiam alia ratio quæ per ſe in adultis vrget: nam qui habuerunt vſum rationis, probabiliter commiſerunt aliquod peccatum graue; cùm autem hoc non poſſit tolli ſine attritione, & hæc concipi non poſſit niſi per veram Fidem, meritò ab eo requiritur voluntas Sacramentum Baptiſmi ſuſcipiendi, & per illum intrandi ad veram Fidem. Neque obſtat quòd aliquando illud tempus vſus rationis ſit breue; id enim per accidens eſt, quia in regulis ſeu præceptis vniuerſalibus (vt ad alias materias dici ſolet) non debet conſiderari quid in vno aut altero caſu poſſit per accidens contingere, ſed quid per ſe, & vt plurimum: non enim poſſunt prudenter per Leges vniuerſales excipi caſus particulares: eſt autem per accidens, quod vſus ille rationis duret vno aut altero die, & non diutius; ac proinde non debet inde deſumi vlla differentia, vt propterea talis poſſit ſine poſitiua voluntate baptizari; alij verò, qui diutiùs illum vſum retinent, non poſſint. Ad rationem dubitandi in contrarium iam ex dictis eſt reſponſum ſufficienter. Ad illud verò quod dicebatur, eam intentionem non eſſe materiam & formam, aut quid eſſentialiter requiſitum, concedimus in infantibus, negamus in adultis, Neque inconueniens eſt, quod ex inſtitutione Chriſti vna pars amplius ſit neceſſaria in vno caſu quam in altero: non enim ideò fiunt illa Sacramenta moraliter diuerſa, quia præcipuas partes eaſdem ſemper retinent, & eoſdem omnino effectus præſtant, ac ad eumdem finem ordinantur; ideóque ſemper ſunt moraliter idem Sacramentum.

9 *Pro ſententia Caietani obiicitur Ius* Adhuc tamen pro Caietano obiici ſolet caput illud *Maiores. de Baptiſmo*, in quo videtur Pontifex Innocentius III. docere, vt imprimatur character ſufficere, quod homo non habuerit voluntatem in contrarium. *Canonicum & torquetur.* Reſpondetur, Eo capite oppoſitum potius doceri; dicitur enim, ex his qui amentes facti ſunt, eos tantum baptizandos qui anteà fuerunt catechumeni, & habuerunt animum ſuſcipiendi Baptiſmum: poſt quæ addit Pontifex ea verba, quibus Caietanus nititur; in quibus τὸ *Quando obicem contrariæ voluntatis non inuenit*, iuxta immediatè antè dicta, idem omnino ſonant, ac quando inuenit voluntatem præcedentem adhuc per contrariam non retractatam. Vbi Suarez dubitat, cur Pontifex non fecerit mentionem de his qui medio modo ſe habent; reſpondet autem & poſt ipſum Cardinalis Lugo, rationem eſſe, quia rarò ex his qui notitiam habuere Baptiſmi vllus eſt, qui vel non poſitiuè illum reſpuat, vel è contrario non illum acceptet. Mihi facilior videtur reſponſio, ſi dicamus, Eo ipſo quod dixerit Papa eos tantùm poſſe baptizari qui voluntatem habuere Baptiſmi, reiectos eſſe illos qui nec voluerunt, nec reſtiterunt: quia tales verè non habuere voluntatem: non fuit ergo neceſſaria Pontifici noua excluſio.

SECTIO III.

Exceptio quædam traditur.

OBiici vltimò adhuc poteſt: Extrema Vnctio ſolet dari etiam his qui eam non petierunt; ergo. 10 *Cur Extrema Vnctio datur non petentibus, & quomodo.* Reſpondetur communiter, Eo ipſo quòd quis ſuſcipit religionem Chriſtianam per Sacramentum Baptiſmi, virtualiter ibi habere animum ſuſcipiendi & Euchariſtiam, & Extremam Vnctionem, quando occurret eorum neceſſitas: ſpecialiter enim hæc duo Sacramenta cenſentur implicitè volita; quia & valde vtilia ſunt, & nullam inducunt obligationem, ob quam poſſit poſteà pœnitere ſuſcipientem, quòd illa ſuſceperit: quo differunt à Matrimonio & Ordine, quia per Ordinem mutatur ſtatus, & nouæ obligationes valdè graues imponuntur: vnde non licet adultum extra ſe factum ordinare. Adde etiam auxilia gratiæ, quæ per Sacramentum Ordinis dantur, non eſſe neceſſaria, niſi ſuppoſito ipſo Sacramento: ac proinde eo ipſo ceſſit neceſſitas illud ſuſcipiendi. Aut auxilia quæ dantur per Euchariſtiam & Extremam Vnctionem ſunt neceſſaria etiam ante ipſum Sacramentum, & non tam facilè conceduntur quam per Sacramentum: ergo iure cenſetur homo voluntariè interpretatiuè ſuſcipere hæc Sacramenta, non verò Ordinem & Matrimonium, niſi hæc expreſsè petat. *Idem dicendum eſt de Confirmatione.* De Confirmatione puto eodem modo ac de Extrema Vnctione diſcurrendum; quia etiam nullum graue onus per illam imponitur; & eius gratia poteſt eſſe valdè vtilis data deinde occaſione tentationum contra Fidem.

Adhuc tamen contra hæc obiicies: Ergo ſi quis ſumat Euchariſtiam inaduertenter, hoſtiam aliquam conſecratam putans non eſſe conſecratam: nihilominus tamen recipiet gratiam: id quod videtur valdè durum. 11 *Obiectio ſoluitur à Vaſquez.* Pater Vaſquez Tomo 3. in 3. Part. diſput. 212. capite 2. negat conſequentiam: quia homo tunc habet voluntatem contrariam non ſuſcipiendi Sacramentum, quandoquidem putat eſſe panem ordinarium. *Solutio impugnatur à Cardinale Lugo.* Non ſatisfecit ex integro hæc ſolutio Cardinali Lugo: quia ſaltem poſſet difficultas habere locum, caſu quo homini dor-

Digitized by Google

mienti hoſtia immitteretur : tunc enim non haberet voluntatem contrariam ; & tamen non reciperet gratiam;ergo vniuerſalior ratio quærenda eſt : eam ipſe adducit, quod voluntas interpretatiua ſuſcipiendi eiuſmodi Sacramentum, quam diximus ſupponi in homine qui ſuſcepit Baptiſmum, eſt voluntas ſuſcipiendi Sacramentum more Chriſtiano, quando ſcilicet dari ſolet cum debitis circumſtantiis : quando autem panem comedit tanquam non conſecratum non ſuſcipit cum debitis circumſtantiis, & eo modo quo ſolent Chriſtiani ſuſcipere Euchariſtiam;ac proinde quid mirum ſi non cenſeatur habere tunc eam voluntatem, quam haberet, ſi eadem Euchariſtia daretur per modum Viatici.

Alia ab eodem proponitur:

12 Ego quidem hanc rationem Cardinalis Lugo optimam iudico ad explicandum, eam ſuſceptionem non eſſe voluntariam ; non tamen propterea videtur ſatisfacere difficultati : nam cum Euchariſtiæ Sacramentum non conſiſtat in vſu, fit vt non pendeat vllo modo à voluntate ſuſcipientis quod validè ſuſcipiat Sacramentum ; eo enim ipſo quod hoſtiam conſecratam ſuſcipiat, ſuſcipit Sacramentum. In hoc enim differt hoc Sacramentum à reliquis, quod cætera conſiſtant in vſu ; vnde qui habet voluntatem contrariam vſui, aut adultus non habens poſitiuam voluntatem illius, impedit veram effectionem Sacramenti,& conſequenter gratiam per illud conferendam ; at Euchariſtia, quia eſt Sacramentum permanens, non pendet à voluntate ſuſcipientis, quò minus verum Sacramentum ſuſcipiat, ſi ſemel hoſtiam conſecratam ſuſcipit. Iam autem debuiſſet ratio adferri, cur ſi homo tunc ſit in gratia, eſto non habeat vllam voluntatem recipiendi Sacramentum, quia tamen non ponit obicem gratiæ, non recipiat eamdem gratiam. Vrgetur autem hæc ratio ; Primò in infantibus, quibus ſi detur Eucharia, augetur illis gratia;nec tamen illi habent vllam voluntatem magis quam habeat dormiens adultus eamdem ſuſcipiens: Secundò in ipſo exemplo, quod hic Auctor admittit,de homine infirmo & extra ſe facto ; cui tamen dari poteſt Euchariſtia, & quidem cum fructu : vnde oritur ratio dubitandi ; nam ambo ſunt in gratia, ac proinde non ponunt obicem ambo recipiunt verè & propriè Sacramentum; cur ergo illius effectus in vno impeditur,& non in altero,quando ea præſumpta voluntas,quæ in vno caſu intelligitur, & non in altero, nihil iuuat ad validè Sacramentum ſuſcipiendum ? Tertiò confirmatur in homine, qui eſto voluntariè flectat vt communicet, eſt tamen omnino diſtractus in ipſa ſuſceptione;& tamen recipit gratiam ; ergo etiam illam recipiet ille, cui dormienti & in gratia exiſtenti hoſtia intruditur.

Sed non ſatisfacit difficultati.

Differt Euchariſtia ab aliis Sacramentis, quod ipſa ſit Sacramentum permanens.

13 Difficilis hæc obiectio, ob quam puto validè probabile eo caſu dandam gratiam, maximè cùm non poſſit oſtendi Chriſtum in inſtitutione Sacramenti differentiam aliquam poſuiſſe inter ſtultum infirmum ex vna parte, & inter dormientem ex altera communicantes, aut etiam inter infantes communicantes:quod enim illis Eccleſia dederit olim cum cæremonia aliqua Euchariſtiam, non conducit ad effectum gratiæ quia gratia illa non pendet à cæremoniis & ſolemnitatibus Eccleſiæ, ſed ex virtute ipſius Sacramenti: neque inde poteſt deſumi diſparitas ad caſum, quo ipſe infans deprehendens hoſtiam conſecratam, nihilque de Sacramento intelligens, eam vt ordinarium panem comederet:cur enim in hoc caſu non acciperet gratiam, acciperet vero caſu quo ei à Sacerdote daretur? Certè hæc diuerſitas nihil facit ad gratiam, quia non ipſa datio Sacerdotis, ſed Sacramentum cauſat gratiam. Quod ſi ſemel concedimus illum infantulum ſic ſuſcipientem Euchariſtiam accipere gratiam;profectò eamdem accipiet adultus iuſtus eadem occaſione hoſtiam conſecratam ſumens : cur enim melioris erit conditio infantulus quàm alter.

An qui acciperet hoſtiam conſecratam inaduertenter gratiam acciperet.

14 Dices hunc modum argumentandi non valere;nam ſi infans baptizetur accipiet gratiam, eſto nihil de Baptiſmo cogitauerit;ſi autem adultus rationis capax baptizetur ſine voluntate propria, nullam gratiam accipiet. Reſpondeo, Inſtantiam non eſſe ad rem, & à nobis iam implicitè ſolutam, dum ſententiam noſtram probauimus. Etenim Baptiſmus dat propterea infanti gratiam ſine eius voluntate, quia eſt verum Sacramentum ; in adulto autem ſine propria voluntate nullum eſt Sacramentum. Quid ergo mirum, ſi non cauſet in hoc gratiam, quam cauſauit in illo ? Propterea dixi ſupra, ad Sacramenta quæ conſiſtunt in vſu multum facere voluntatem ſuſcipientis adulti : ex ea enim pendet valor aut nullitas Sacramenti. At in Euchariſtia hæc diuerſitas non habet locum ; quia independenter ab omni voluntate ſuſcipitur Sacramentum validum,habens ex ſe vim cauſandi gratiam in non ponente obicem. Eſt etiam alia ratio, quod in adultis non remittatur Originale ſine actualibus;pro actualibus verò debet interuenire dolor : cumque rarò aliquis adultus rationis capax diu ſit ſine mortali, debet neceſſariò interuenire tunc aliquis ipſius actus. Quæ ratio habet locum ferè ſemper, non tamen vbique;quia poſſet aliquando talis adultus ſine mortali inueniri, etiamſi D.Thomas iudicet nunquam committi veniale ante mortale ab homine non baptizato. De quo fuſiùs Tomo 3. Licet ergo hæc ſecunda diſparitas non ſit vniuerſalis ; prima tamen eſt vniuerſalis & clara.

Inſtantia de Baptiſmo ſoluitur.

Et oſtenditur diſparitas inter Baptiſmum & Euchariſtiā.

15 Replicabis tamen : Ergo ſi alicui iuſto intrudatur Venerabile, violenter adhuc recipiet gratiam : id quod eſt validè durum. Quod ſi reſpondeas, illum tunc peccaturum,facilè id reiicietur: quia poteſt habere cauſas iuſtas vt reſiſtat, imò vt teneatur;quia v.g. non eſt ieiunus,ac proinde non debet communicare. Reſpondeo, Rem in hoc caſu videri longè faciliorem, quia talis etſi reſiſtat ſumptioni ob iuſtas cauſas, cum tamen videt ſe non poſſe euadere, non reſiſtit effectui gratiæ,imò illum optat, ac proinde multò certius videtur talem recepturum gratiam, quàm ſi caſu comediſſet, vt diximus, hoſtiam conſecratam. Quòd ſi talis reſiſteret non ſoli ſumptioni Venerabilis,ſed etiam gratiæ : quaſi diceret, Nolo ſuſcipere gratiam:putarem illum omnino peccaturum grauiter : ac proinde non mirum,ſi tunc non acciperet vllam nouam gratiam per illud Sacramentum.

Replica: An qui reciperet Euchariſtiā violenter intruſam acciperet gratiam.

Huic argumento non video quid poſſit reſponderi, niſi dicendo Chriſtum Dominum voluiſſe vt Sacramentum ſumptum caſualiter non daret gratiam:eam verò daret,quando ob deuotionem & reuerentiam ſuſcipitur,aut datur. Vtor hac diſiunctiua, *datur aut ſuſcipitur*, aut includam tam paruulos & amentes, quando eis ab Eccleſia datur Venerabile ob fructum ſpiritualem, quam etiam adultos Euchariſtiam voluntariè ſuſcipientes, excludo verò è contrario ipſos

Reſponſio vltima ad obiectionem Noluit Chriſtus vt Sacramentum caſualiter datum vel ſuſceptum daret gratiam.

Digitized by Google

ipſos etiam infantes, quando caſu ipſi acciperent hoſtiam conſecratam perinde ac ſi alia eſſet, nam in eo caſu neque ipſi illam acciperent, neque eis daretur ex deuotione.

16 Si autem roges vlteriùs, Vnde nobis conſtet de ea voluntate Chriſti Domini, reſpondendum eſt, Eam colligi probabiliter partim ex vſu Eccleſiæ, partim ex communi conſenſu Theologorum. Etenim Eccleſia olim admiſit vt vtilem Communionem infantium; vnde fertur, datam illis eſſe gratiam ſine vlla propria ipſorum diſpoſitione: dabatur tamen illis tunc ab Eccleſia deuotionis cauſa. Ex altera verò parte communis ſententia Theologorum docere videtur, hominem, caſu ſuſcipientem conſecratam hoſtiam perinde ac ſi eſſet ordinarius panis, non ſuſcipere gratiam, hinc enim infertur, eam ſuſceptionem caſualem non valere ad cauſandum effectum gratiæ. Hæc probabiliter dicta ſunt, non tamen omnino ſatisfaciunt; tum quia quidquid ſit de illa Eccleſiæ conſuetudine circa infantes, multi valdè Theologi negant datam tunc illis gratiam; requirunt enim aliquam deuotionem actualem. Vide Patrem Suarez diſp. 62. ſect. 4. vbi aliquos refert negantes licitè dari infantibus ſacratiſſimam Euchariſtiam; diſp. verò 63. refert multò plures qui actualem deuotionem requirunt. Ex quibus conſtat non eſſe certum, Chriſtum voluiſſe vt conferat gratiam ſuſcipientibus ſine diſpoſitione propria; ac proinde iam ruit prima pars eius ſuppoſitionis, ex qua deſumebatur diſparitas ad alterum caſum de ſuſcipientibus hoc Sacramentum caſu. Deinde, quidquid ſit de ea prima parte, quoad ſecundam, pauci ſunt qui rem ex propoſito tractent, & non inuenio niſi duos vel tres id aſſerentes. Suarez, quidem ſuprà dicit communiter ita ſentiri, nullum tamen citat, neque aſſignat diſparitatem inter eos duos caſus. Denique de ea diuerſimoda voluntate Chriſti reſpectu amentium & caſu ſuſcipientium nihil ſolidi poteſt dici; ac proinde duæ illæ opiniones non videntur ſibi benè cohærere: cumque longè probabilior ſit, quæ affirmat, paruulos recipere poſſe fructum illius, putarem etiam idem dicendum de iuſtis caſu Venerabile ſuſcipientibus.

Conſtat voluntas Chriſti ex vſu Eccleſiæ & conſenſu Theologorum: nō niſi tamen probabiliter.

SECTIO IV.

Noua obiectio contra dicta.

17 CONTRA principalem autem rationem de Extrema Vnctione replicari ſic poteſt: Nam ſi ad illam ſufficit generalis ea voluntas ſuſcipiendi Sacramenta Eccleſiæ iuxta exigentiam temporis modo explicato, ergò qui habuiſſet voluntatem procurandi æternam ſalutem, & benè operandi, poſſet poſteà dum ſenſibus deſtitueretur baptizari validè & fructuoſè, hoc autem eſt abſurdum; ergo P. Coninck quæſt. 64. art. 8. n. 103. concedit talem poſſe validè baptizari, ſi priùs habuit attritionem de peccatis ob timorem pœnarum inferni, aut ob ſpem gloriæ æternæ; quia in tali dolore includitur propoſitum ſeruandi omnia præcepta ad eum finem neceſſaria; inter quæ eſt præceptum Baptiſmi ſuſcipiendi. Quod etiam poteſt confirmari; quia ſi talis haberet contritionem, diceretur habere votum Baptiſmi & ratione illius iuſtificari; certum autem eſt ſuo modo, non minùs attritionem eſſe votum ſeruandi omnia neceſſaria ad ſalutem, quàm id habeat contritio: ſæpè enim ſolùm differunt in nobilitate motiui, non in voluntate præcepta ſeruandi. Hæc doctrina meritò diſplicuit Cardinali Lugo, eò quòd ex illa ſequeretur potuiſſe olim Iudæos, qui, antequam ad ipſos perueniſſet notitia Euangelij, ſeruabant iuſtè Legem Moyſis, & conſequenter habebant frequenter attritionem ſupernaturalem; potuiſſe inquam validè dormientes baptizari: id quod valde durum eſt. Fortè reſponderet Coninck limitando aliquo modo ſuam reſolutionem, vt intelligatur de his tantùm qui non ſperantur ampliùs habituri vſum rationis; vnde negabit conſequentiam ad eos Iudæos de quibus in obiectione; quia in illis oportebat expectare donec excitarentur à ſomno: id quod verum eſt, licet poſitiuè petiuiſſent Baptiſmum: non enim poſſent baptizari in ſomnis: quod ſi illi Iudæi iam non ſperabuntur redituri ad vſum rationis, concedet eos potuiſſe baptizare.

Sententia Coninck, ſufficere generalem voluntatem ſuſcipiendi Sacramenta Eccleſiæ:

Impugnatur à Cardinale Lugo Primò.

18 Secundò ergo impugnatur: Nam ſi ea ratio Conin. eſt ſufficiens, profectò ſi homo ille non habuiſſet attritionem, ſed purum putum deſiderium naturale ſalutis, potuiſſet tamen dari illi in amentia Baptiſmus; quia illud deſiderium etiam eſt voluntas implicita faciendi omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, inter quæ eſt illa ſuſceptio Baptiſmi. Reſpondebis, requiri in tali homine attritionem, vt obtineat remiſſionem actualium quæ commiſit. Sed contrà, quia fortaſſis nullum habuit mortale actuale; & tunc ad ipſius iuſtificationem non requiritur niſi voluntas etiam naturalis ſuſcipiendi Baptiſmi: hanc autem iam diximus tam benè includi in deſiderio naturali ſalutis, quantum eſt ex parte hominis efficaci, quàm in ipſa attritione; ergo vel non loquitur conſequenter hic Auctor, vel nimis multùm probat eius ratio.

Impugnatur Secundò ea ſententia.

Tertiò poteſt abſolutè ea doctrina impugnari ex eodem Cardinale Lugo magis declarante rationem quam Suarez adduxerat diſput. 14. ſect. 2. pro noſtra ſententia. Nam Iudæus habens attritionem (& idem eſt de eo qui cum inuincibili ignorantia Fidei habuit attritionem vel propoſitum benè viuendi, & nihil de Baptiſmo audiuerat) ſolùm vult viuere benè iuxta regulas Iudaiſmi, quem iam nouit, & examinatum ac probatum habet, & cuius Legibus ſecurè ſe commiſerat; de religione autem Euangelica cùm nihil audierit, non poteſt velle vti eius Legibus: quamuis enim in communi habeat propoſitum ſeruandi omnia præcepta Dei, & per conſequens implicitam voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum Chriſti, ſi ſit præceptum illius; hoc tamen debet intelligi præuio debito examine de veritate Euangelij; ſine quo examine non poteſt obligari: quare ante præuium illud examen non poteſt baptizari, quia nec voluit Baptiſmum accipere niſi præmiſſo eo examine. At Chriſtianus qui iam examinauit Legem Chriſtianam, quia iam ſcit omnia eſſe ſancta & ſibi vtilia, poteſt vi illius voluntatis in agone vngi, & accipere Euchariſtiam.

Impugnatur Tertiò ratione ex Suarez à Cardinale Lugo adducta.

19 Hoc argumentum patitur aliquam difficultatem. Nam ſi res benè ponderetur, eadem videtur ratio in Chriſtiano quoad Extremam Vnctionem, & in Iudæo quoad Baptiſmum: nam ſicut Iudæus in eo propoſito vniuerſali non habet votum implicitum Baptiſmi niſi præmiſſo examine, quòd Deus Baptiſmum inſtituerit, vnde infertur, eum dormientem non poſſe validè

Sed ea ratio patitur difficultatem.

baptizari ante illud examen, ita qui ſuſcipit religionem Chriſtianam, & habet implicitum propoſitum Extremæ Vnctionis, non habet votum illius niſi præuio examine, quo ipſi conſtet eam eſſe à Chriſto (cuius Fidem profitetur) inſtitutam: ſuppono enim vt ex terminis notum, ad hoc vt aliquis ſufficienter inſtruatur in religione Chriſtiana, ita vt validè baptizari poſſit, & verò etiam fructuosè, non eſſe neceſſarium ei expreſsè declarare omnia ſeptem Sacramenta. hoc ſuppoſito ſic argumentor: Eſto hic proponat omnia quæ ſunt de religione Chriſtiana, non poteſt tamen obligari, niſi ipſimet conſtet Extremam Vnctionem eſſe è religione Chriſtiana; quia antequam hoc noſcat, non poteſt obligari vi illius propoſiti impliciti, eodem planè modo, quo, antequam ſciat Iudæus Baptiſmum eſſe è præcepto Dei, non poteſt ad illum obligari, ergo ſicut ob hanc rationem Iudæus non poteſt dormiens baptizari ante proprium examen, ita Chriſtianus dormiens ante proprium examen de Extrema Vnctione non

20 poterit eam validè ſuſcipere. Explico id quaſi à priori; Nam in vtroque propoſito includitur ratio aliqua generalis, in vno vna complectens Baptiſmum, in altero alia complectens Extremam Vnctionem, quia ibi dicit, *Volo omnia præcepta Dei*, hîc dicit, *Volo omnes ritus Chriſtianos*. In vtroque caſu re ipſa & in ſe & Baptiſmus eſt præceptum Dei, & Extrema Vnctio eſt ritus Chriſtianus. In vtroque denique caſu illi homines id ignorant quando proponunt, nam & Iudæus neſcit re ipſa eſſe præceptum Dei de Baptiſmo, quia de eo nihil audiuit, & Chriſtianus ignorat Extremam Vnctionem eſſe ritum Chriſtianum, quia, vt iam ſupponimus, nihil de ea audiuit. Vides ergo omnia omnino eſſe in vtroque caſu paria, iam ergo argumentor ſic interrogando, Cur magis ex propoſito amplectendi ritus Chriſtianos cenſetur iſte velle etiam ante præuium examen eum ritum, qui re ipſa eſt Chriſtianus, ipſe tamen ignorat eſſe Chriſtianū, quàm ex voluntate ſeruandi præcepta Dei non infertur velle abſolutè ante præuium examen Baptiſmum, qui re ipſa eſt ſub illo præcepto, ipſe tamen id ignorat? Profectò non videtur hîc aſſignabilis vlla diſparitas. Quod enim dicitur de examine Iudaiſmi, & quod non examinauerit religionem Chriſtianam, non ſatisfacit: etenim Iudæus implicitè tam poteſt dici examinaſſe, & amplexus eſſe omnia præcepta Dei, ſicut alter examinauit omnes ritus Chriſtianos, vtrique autem deeſt ſcire, & Baptiſmum præceptum eſſe à Deo, & Extremam Vnctionem eſſe ritum Chriſtianum, ergo non poſſumus dicere probabiliter, magis vnum eſſe voluntarium altero, aut eſſe maiorem neceſſitatem præmittendi examen in vno caſu quàm in altero.

Nam nullam facit diſparitatem inter Baptiſmum & Extremã Vnctionem.

21 Ergo ea ratio omiſſa, optima mihi videtur illa diſparitas, quam nos ſuprà notauimus, quòd ſcilicet Extrema Vnctio & Euchariſtia cùm nullam penitus ſecum adferant difficultatem, nullum nouum onus, faciliùs præſumimus hominem Chriſtianum velle illa ſuo tempore ſuſcipere, cùm aliunde ſint in ſe valdè vtilia, quàm in voluntate illa ſeruandi præcepta includatur voluntas Baptiſmi; quia per hunc homo notabilem facit mutationem religionis, diuerſiſſima onera ſubit; quæ ſi præuidiſſet benè quando habuit illud propoſitum, fortaſſe omnino in eo vacillaſſet, & baptizari renuiſſet: at in Extrema Vnctione (vt oſtendimus) nihil ſimile reperitur. Confirmo, quia ob eandem planè maiorem difficultatem etiam intra ipſos Chriſtianos ritus diximus cum his Auctoribus non poſſe baptizatum & deinde in amentiam incidentem validè ordinari Sacerdotem aut Diaconum, &c. vbi non poteſt vllo modo recurri ad hoc, quòd non examinauerit ritus Chriſtianos, cùm Ordo non minùs Chriſtianus ſit ritus quàm Extrema Vnctio. Debet ergo deſumi ratio ex dictis à me de graui onere, quòd per illud Sacramentum imponitur; ideoque eadem ratio, quæ de Baptiſmo à nobis eſt allata, hîc habebit locum; vnde conſequenter nos in hoc puncto diſcurrere clarè conſtat.

Vera & ſolida diſparitas aſſignatur.

Et ex iure ei meni nis.

SECTIO V.

Quanta debeat eſſe eius intentionis perſeuerantia?

22 QVÆRIMVS, Vtrùm ſea voluntas, quam in adultis requiri diximus ad validè ſuſcipienda Sacramenta, debeat durare ipſo tempore quo ſuſcipiuntur, an ſaltem virtualiter, vt de intentione Miniſtri diximus, an verò ſufficiat illam habuiſſe, & nondum eſſe retractatam. Et quidem difficultas hæc non habet locum in Euchariſtiâ & Extrema Vnctione, imò nec in Confirmatione, ſuppoſita ſuſceptione Baptiſmi; nam iuxta dicta ſufficit ſola habitualis perſeuerantia; imò nec in rigore habitualis explicita requiritur, ſed ſufficit implicita. Quæſtio ergo reducitur ad Baptiſmum, Ordinem, Pœnitentiam & Matrimonium.

Ad Euchariſtiam, Extremam Vnctionem, Confirmationem ſufficit habitualis perſeuerantia.

Dico Primò circa Baptiſmum, omnino ſufficere voluntatem præcedentem non retractatam. Hæc eſt inter omnes Auctores certiſſima; & conſtat ex conſenſu communi Eccleſiæ in multis Conciliis declarato, vbi permittuntur baptizari illi qui in amentiam inciderunt, dummodò anteà petierint Baptiſmum; vt conſtat ex Concilio Carthaginenſi III. cap. 34. & in Arauſicano I. cap. 12. & Innocentius III. id ipſum tradit in cap. *Maiores. de Baptiſmo.* Ratio huius eſt, quòd Deus non aliud petierit pro conditione ad valorem Sacramenti in adultis, quàm quòd illi non ſit inuoluntarium, eò autem quòd illud petiit, & non retractauit voluntatem, ſemper cenſetur eſſe illi voluntarium. In quo maximum eſt diſcrimen inter intentionem Miniſtri & voluntatem ſuſcipientis, quòd Miniſter concurrit vt cauſa, ſeu actiuè; vnde debet per intentionem actu durantem vel ſaltem virtualiter influentem determinare actionem exteriorem ad eſſe Sacramentale potiùs quàm ad iocum, aut alios fines extrinſecos, ob quos fieri poſſunt illæ actiones. At ſuſcipiens non ſe habet niſi paſſiuè, & (vt ſic dicam) non reſiſtendo; ad hoc autem ſufficit voluntarium illud habituale, quod, vt diximus, nec quidem eſt neceſſarium in infantibus.

Ad Baptiſmũ ſufficit voluntas non retractata.

Diſcrimen inter voluntatem ſuſcipiẽtis & intẽtionem Miniſtri.

23 De Ordine eodem modo diſcurrendum eſt quoad valorem; licitè tamen non putarem poſſe conferri amenti aut dormienti, etiamſi anteà illum petierit; quia cùm eius non ſit tanta neceſſitas, & ad decentiam requirat varias cæremonias, quæ non poſſunt exerceri ab iis, non videtur licitum eſſe illum conferre talibus.

Ordo non confertur licitè amenti aut dormienti.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ Primò dicendum

Digitized by Google

Ad pœnitentiam non ſufficit voluntas implicita in Baptiſmo habita.

cendum eſt non videri ſufficientem, vt quis abſoluatur, illam voluntatem implicitam quam habuit in Baptiſmo; cuius ratio eſt manifeſta; quia vi illius non cenſetur ſe accuſare de eo peccato quod poſt eà commiſit: nullius enim momenti eſt accuſatio ante culpam, quia retractatur per ipſam culpam: cùm enim voluntariè eam iam committat, iam retractat omne propoſitum eam non committendi. Secunda ratio, & adhuc efficacior, eſt; nam ſola voluntas confitendi ſine dolore & attritione non eſt ſufficiens pro valore Sacramenti, vnde ſi conſtaret aliquem velle actu confiteri, non tamen habere attritionem vel contritionem, non poſſet illi dari abſolutio; quia non haberet vnam partem eſſentialiter à Chriſto requiſitam. Atqui ante commiſſum peccatum non poteſt haberi dolor & attritio de illo (vt ex terminis conſtat;) deinde eſto habe.etur, ille tamen formaliſſimè retractatur per ipſum peccatum: quæ enim maior retractatio voluntatis non faciendi aliquid, quàm deinde illud ipſum voluntariè facere? Secundò dicendum: Si poſt commiſſum peccatum homo petat abſolutionem pro caſu quo in amentiam incidat, & non conſtet eum deinde commiſiſſe aliud peccatum, poteſt validè abſolui, dummodò de ea voluntate conſtet Sacerdoti; vel quia ipſe id audiuit; vel quia ita alij teſtantur. Ratio eſt, quia tunc per eam petitionem iam ille ſe accuſauit, & dedit ſigna doloris, ac proinde ſi de ea re iuridicè conſtet Sacerdoti, poterit exercere munus iudicis eum abſoluendo. Non diſputo iam, Vtrùm abſenti dari poſſit abſolutio néc ne, id enim ſuo loco decidetur, ſed ſolùm dico, ex parte voluntatis ſuſcipiendi Sacramenti ſufficere eam petitionem quam diximus.

Ante commiſſum peccatum non poteſt haberi de eo dolor.

24 Vbi aduerte, leue aliquod hîc poſſe moueri dubium, Vtrùm voluntas hæc debeat influere in abſolutionem ipſam? Negare id videtur Vaſquez diſput. 212. cap. 2. Cardinalis Lugo verò affirmat, huius fundamentum eſt, quòd vt Sacerdos validè det abſolutionem, non ſolùm ſit neceſſarium præceſſiſſe ex parte ſuſcepturi eam voluntatem, ſed debeat eam ipſe Sacerdos ſcire, alioquin non poſſet dare abſolutionem vt iudex, & ad inſtantiam partis; ergo ea voluntas cognita debet mouere Sacerdotem, ac proinde influet in abſolutionem. In quo eſt diuerſitas magna inter hoc & alia Sacramenta, nam ad alia ſufficit, ſi homo habuerit intentionem ea ſuſcipiendi, licet eam ignoret Miniſter: ſi enim tunc dicat, *Ego te baptizo in quantum poſſum*, & reliqua applicet, verè baptizabit. Id quod in pœnitentia, vt diximus, non ſufficit.

Voluntas pœnitentis debet influere in abſolutionem.

Vindiciæ Vaſquez contra Cardinalem Lugo.

Ego hanc differentiam iudico omnino bonam, arbitror tamen à Vaſquez nullo modo negatam, qui nequaquam negauit debere Sacerdoti de ea volitione conſtare, ideò neque negauit hunc modum influendi intentionaliter & obiectiuè, ſed ſolùm affirmauit volitionem ſuſcipientis non ſe habere per modum cauſæ conſtituentis Sacerdotis abſolutionem in eſſe actionis humanæ voluntariæ & deliberatæ, &c. quia hæc omnia ſunt independentia ab ea volitione, vt per ſe patet. Vnde differentia inter hos Auctores videtur ad ſolum modum loquendi reduci. Adde, ſaltem implicitè poſſe dici, debere in aliis Sacramentis concurrere voluntatem ſuſcipientis mouendo Miniſtrum ad habendas illas volitiones, nam ideò eum baptizat tunc, quia ſuſpicatur illum habuiſſe voluntatem ſuſcipiẽdi Baptiſmum. Quidquid verò de hoc ſit contra concluſionem poſitam, poteſt ſic obiici, ſi ſemel dicamus ſufficere eam voluntatem præcedentem, non poteſt vllo modo determinari quamdiu poſſit præcedere; ſi enim dicamus poſſe vna die, cur non dicemus duabus, & ſic de aliis? multùm autem id extendere videtur eſſe durum; quia tunc moraliter eſſet impoſſibile quin aliud interuenerit peccatum; ac proinde iam eſſet reuocata illa petitio eo modo quo ſuprà diximus.

Reſpondeo, Duo hîc diuerſa in vnum confundi; aliud enim eſt quærere, quid ratione puræ putæ præcedentiæ requiratur; aliud verò, quid per accidens ex aliis capitibus poſſit obeſſe: ſi ergo de præcedentia præcisè ſit ſermo, putarem non obeſſe valori, etiamſi decem annis ea petitio præceſſiſſet; quia vti in humanis validè fertur ſententia, etiamſi duobus decemve annis poſt cauſam auditam primùm illa à Iudice proferatur; & quoad hoc ſine dubio ſi poſſit vna die præcedere, poteſt & duobus, & centum; ita in hoc foro. 25

Poteſt eſſe diuturna præcedentia voluntatis, & validum eſſe Sacramentum.

Dices: Licet ea petitio non ſit pars Sacramenti, ipſe tamen dolor, ſeu attritio (quæ ſupponitur tunc eſſe quando eſt petitio) eſt pars Sacramenti; pars autem debet habere coëxiſtentiam, ſi non omnino phyſicam cum aliis partibus, ſaltem talem quæ ſufficiat, vt poſſint moraliter cenſeri eſſe ſimul; at ſi præcedit dolor ille medio anno, imò duobus diebus, iam non poteſt facere vnum quid cum aliis partibus, ergo non conſtituet Sacramentum. Reſpondeo; Etiamſi aliæ partes, quæ ſe inuicem determinant vt in Baptiſmo ablutio & verba, debeant habere eam vicinitatem, alioquin nec verba erunt vera, nec ablutio cenſebitur actio moralis, in dolore tamen & pœnitentia id non requiri; quia ille dolor non concurrit niſi ſolùm reddendo hominem capacem abſolutionis, quatenus ſe accuſat, & petit veniam, ad hoc autem non eſt neceſſarium actu eum dolorem exiſtere, quia ea accuſatio & petitio veniæ, quæ ad genus moris ſpectant, cenſentur durare eo ipſo quòd ſemel extiterint, & non ſint retractata: vti preces, quibus ego aliquid ab Antonio petij, manere cenſentur quamdiu non retractantur, vt poſſint etiã poſt annos conferre mihi earum intuitu rem petitam. Conſtet ergo per ſe attenta volitionis neceſſitate nullam longam moram temporis obeſſe; ſi verò loquamur de his quæ per accidens interuenire poſſunt, haud dubiè valdè poteſt obeſſe mora ea temporis ob rationes in obiectione factas; quia peccator moraliter vix poteſt longum tempus tranſigere ſine nouo peccato mortali: vnde non iudicarem ſufficere ad dandam abſolutionem illi qui incidit in amentiam, quòd duobus menſibus anteà petierit confeſſionem, multò autem minùs, quòd vno anno antè, quia ibi moraliter eſt certum interueniſſe nouum peccatum mortale.

Aliud eſt de coëxiſtentia partium in Baptiſmo.

Quandoque mora temporis valdè obeſſe poteſt.

Dices, Poteſt contingere quòd talis re ipſa nullum nouum commiſerit, quia licet moraliter ſit difficile, poteſt tamen abſolutè id euenire, eo autem ipſo videtur omnino neceſſarium dare ei abſolutionem, quia nocere illi non poteſt, prodeſſe verò poteſt, caſu quo non habeat aliud mortale: eo enim ipſo ſalus ipſius penderet à tali abſolutione, in ea autem danda nulla eſt indecentia, quia periculum faciendi nullum Sacramentum non debet deterrere, quando eſt ſpes 26

ſpes ſalutis proximi. Reſpondeo, Licet, quando adeſt probabilitas Sacramenti conficiendi, poſſit quis ad vtilitatem proximi licitè ſe exponere periculo non conficiendi illud; at quando moralis eſt certitudo, quòd non fiet, non videtur poſſe id licitè tentari; alioquin ſi viderem hominem morientem quem aliàs non noſcerem, poſſem illum baptizare; quia abſolutè fieri poteſt quòd non ſit baptizatus, & quòd voluerit baptizari: & verò longè faciliùs hoc poteſt contingere, quàm hominem aliàs peccatorem vno anno in ſtatu peccati manentem non committere nouum peccatum mortale, vnde videtur talis anticipatio petitionis omnino inſufficiens. De quo fuſiùs adhuc Tomo ſequenti.

27

In matrimonio miniſtrãdo debet eſſe voluntas virtualiter permanens.

Reſtat nunc de Sacramento Matrimonij, in quo quia vterque coniux eſt Miniſter ſimul Sacramenti, videtur neceſſarium vt vterque habeat voluntatem non ſolùm habitualem, ſed etiam actualem, aut ſaltem virtualiter permanentem (vt in genere diximus de Miniſtris:) eſt item ſpecialis in hoc Sacramento difficultas ratione conſenſus, non enim videtur perfici contractus donec vtraque pars acceptet, & ea acceptatio ſit vtrique nota: vnde non ſolùm qua maritus v. g. dat ſuum conſenſum, & ſe habet actiuè, ſed etiam quà ſuſcipit alterius conſenſum, videtur habere debere actualem cognitionem & acceptationem. Eſt autem contra hoc duplex obiectio: Prima, quia (vt docent multi, inter quos P. Thomas Sanchez lib. 2. diſp. 12. n. 3.) ſi quis contrahat per epiſtolã hoc modo, *Ego ex animo trado me tibi, & tuam accepto traditionem*, iam videtur perficiendum matrimonium, cùm primùm ſecundus legens epiſtolam acceptauerit traditionem, & ſeipſum alteri tradiderit; at eo caſu qui epiſtolam miſit poteſt tunc temporis, dum alter legit & acceptat, omnino eſſe diſtractus, & conſequenter nullam habere actualem volitionem circa matrimoniũ illud; ergo non eſt neceſſaria actualis volitio in ſuſcipiente vt tali eius Sacramenti. Reſpondet Cardinalis Lugo huic primæ difficultati, non poſſe tunc perfici Sacramentum; quia non conſtat tunc ſcribenti epiſtolam de conſenſu alterius; non poteſt autem, vt diximus, compleri obligatio donec ſit notitia acceptionis mutuæ: id quod docet idem Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio diſput. 7. & independenter ab ipſius auctoritate ſuadetur; nam ſi ego omitto epiſtolam alicui, qua illi promitto dare centum, poſſum reuocare eam voluntatem validè antequam ad manus alterius epiſtola veniat, & ab eo acceptetur; ergo licet fieri nequeat, vt ego validè meum conſenſum reuocem, poſtquam alter legit meam epiſtolam; quia tamen ad perfectionem matrimonij in contractu mutuo cõſiſtentis neceſſum eſt, vt ille cui ſcribo conſentiat, & vt mihi conſtet eum conſentire; profectò eſto accepta mea epiſtola ille conſentiat, quia tamen mihi nondum de eius conſenſu conſtat, reuerà contractus non erit perfectus; & ille nihil reſpondens *Accepto* poterit tamen reuocare validè ſuam voluntatem, antequam ego ſciam illum acceptaſſe. Neque validè tunc poſſum dicere, *Ex hoc momento accepto tuam futuram traditionem*: cùm enim exigatur mea notitia traditionis illius, non poſſum ego ante notitiam conſenſus contractum perficere, aut illi auferre libertatem reuocandi conſenſum ſuum, vt dixi, antequam ego illum ſciam.

Difficultas de matrimonio per epiſtolam cõtracto.

28

Poſſunt procuratores validè contrahere licet vtrique parti non conſtet de conſenſu.

Dices ergo, In abſentia procuratores non poſſunt validè contrahere, donec vtrique parti cõſtet de conſenſu. Reſpondetur negando conſequentiã, quia tunc procuratores repræſentant perſonas contrahentium; ac proinde idem eſt quòd ambo procuratores ſciant, ac quòd ipſi contrahentes ſciant. Meliùs reiici poſſet ea ſolutio Cardinalis, nam etiamſi non perficiatur in caſu poſito matrimonium, quando alter legit epiſtolam, & acceptat meum conſenſum, ſaltem perficeretur, ſi ille reſcriberet mihi, & ego acceptarem vltimò: tunc enim iam vtrique eſſet notus ille conſenſus: at tunc quando ego accipio reſponſum earum litterarum poteſt ille omnino eſſe diſtractus, & nullam habere voluntatem ſuſcipiendi; ergo optimè docet P. Sanchez poſſe per litteras ita perfici hoc Sacramentum, quando ſuſcipiens non cogitat de illo; & ita omnino iudico abſolutè dicendum; ac proinde difficultas ſuprà poſita cõuincit intentũ.

Altera difficultas ſoluitur à Cardinale Lugo

Secunda, quam etiam Cardinalis Lugo tangit, eſt, quia in rigore metaphyſico, etiam quando inter præſentes contrahitur matrimonium, poteſt fieri, vt dum vltimam acceptationem Mariæ v. g. Petrus audit, iam Maria non cogitet de eo conſenſu, ſed diſtracta ſit: id quod probat, quia ſpecies ſoni non veniunt ad alterum in inſtanti, ſed ſucceſſu temporis. Ego tamen hanc doctrinam nec veram iudico, nec propriam huius loci: non veram, quia (vt ſuo loco docui, & quantum recordor, eſt etiam huius Auctoris ſententia) etiamſi ad remotum locum ſpecies ſoni tardè veniant, intra breue tamen ſpatium, ſeu intra propriam ſphæram ſoni auditur ille in inſtanti: id quod ipſa experientia notum videtur: de quo alibi: ergo cùm matrimonium quando inter præſentes contrahitur ſemper illi ſint intrà ſphæram colloquentium inter ſe, & non clamantium eminus, non debemus dicere tunc tardiùs eſſe notitiam meam quam ſint verba illius declarantia ſuum conſenſum: quòd ſi recurrere velimus ad caſum, quo per eos clamores, qui in inſtanti non deferuntur ad alterum procul accedentem, fiat contractus; tunc dico eam doctrinam non eſſe ſpecialem huius loci, quia eo ſenſu etiam qui baptizat, aut qui confirmat, licet immediatè habuerit anteà volitionem confirmandi, aut baptizandi, poteſt tamen fieri vt ipſo inſtanti, quo vltimum verbum profert, ſit diſtractus; ergo ex hoc capite nihil ſpeciale dicitur de ſuſcipiente matrimonium vt ſuſcipiens eſt, quod non conuenit Miniſtro Sacramenti vt Miniſter eſt; nos autem præciſe hîc diſputamus de matrimonio quoad rationem ſuſcipientis Sacramentum, an minùs requirat ſub eo conceptu volitionem quàm ſub conceptu Miniſtri; ergo ea doctrina non eſt ſpecialis huius loci. Concludo ergo ex dictis non eſſe abſolutè neceſſarium, vt in vtroque ſuſcipiente matrimonium ſit actualis volitio eo tempore quo Sacramentum perficitur; vt conſtat in caſu illo de matrimonio per epiſtolam contracto, prout à nobis res declarata eſt.

Eius ſolutio impugnatur.

Concluditur, non eſſe neceſſariam volitionem actualem in ſuſcipientibus Sacramentũ Matrimonij

DISPV

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA.

De cæremoniis Sacramentalibus.

1 HÆc ſola nobis reſtat quæſtio pro complemento eorum quæ ad Sacramenta in communi ſpectant: eam tamen breuiſſimè expediemus, quia res eſt facilis. Non agimus de cæremoniis in

Diuerſitas cæremoniarũ Eccleſiaſticarum.

tota ſua latitudine, prout ſe extendunt ad omnes actiones ſacras, etiam quæ non ſunt Sacramenta; vt ad cæremonias Proceſſionum, conſecrationis templorum, altarium, &c. ſed putè putè vt ad Sacramenta ſeptem: quo ſenſu definiri poſſunt, *Circumſtantia religioſa ad decentem Sacramenti adminiſtrationem inſtituta*: de eis Auctores Controuerſiſtæ maximè diſputant contra hæreticos huius temporis, qui vt Eccleſiam Romanam carpant, libertimè contra eas cæremonias tanquam contra humanum inuentum graſſantur. Thomas

Earundem propugnatores contra hæreticos.

Vvaldenſis integrum Tomum pro illis ſcripſit contra Vvicleffum; deinde Cardinales Hoſius & Bellarminus eaſdem propugnarunt; ille in Confeſſione Catholica cap. 37. 86. & ſeqq. hic verò lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 29. & verò etiam antiqui Patres & Eccleſiæ Doctores de illis ex propoſito egerunt, vt Iſidorus, Alcuinus, Hugo Victor. Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, & alij ſæpè mentionem earum fecerunt, & obſeruandas eſſe dixerunt; nos breuiſſimè, vt dixi, totam rem cõprehendemus.

SECTIO I.

Licitæ & honeſtæ ſunt huiuſmodi cæremoniæ, poſſuntque ab Eccleſia præcipi?

CONCLVSIO PRIMA ſit; Lumine naturæ

2 notum eſt licitum eſſe in ipſo cultu externo Dei cæremonias aliquas adhibere, vt decentiùs fiat: ſic enim in Orationibus quæ ad Deum

Licitas & honeſtas eſſe cæremonias Eccleſiaſticas lumine naturæ notum.

funduntur ſolemus flectere genua, leuare in cælum manus, pectus tundere, vt maiori humilitatis ſenſu illæ orationes fiant: quarum cæremoniarum exempla in ſacra Scriptura inueniuntur innumera: qua in re nihil aliud conſiderare oportet quàm exactiſſimam Dei in Lege veteri deſcriptionem ornatus templi, veſtium ſacerdotalium, & aliarum cæremoniarum; hinc enim conſtat, eas ex natura rei non eſſe malas & illicitas, ſed materiam capacem honeſtiſſimi præcepti; ac proinde tales, quæ honeſtiſſimæ eſſent, licet ſine præuio præcepto fierent ex eodem ipſo fine, quo à Deo ſunt mandatæ, ſcilicet ex animo illi cum maiori reuerentia & cultu ſeruiendi, illum adorandi, &c. quòd ergo ex natura rei licitæ ſint & ſanctæ, adeò certum eſt, vt nullus adeò ſtultus & audax poſſit eſſe hæreticus, qui id neget, niſi omnes Scripturas omnia etiam naturalia principia negando; & verò ipſimet in ſuis conuenticulis vtuntur ſuperpelliceis & aliis cæremoniis. Ratio à priori eſt clara. Primò, quia per eas exteriores cæremonias coram aliis hominibus proteſtamur cultum Dei id quod ſine dubio honeſtiſſimum eſt; vnde vocibus, inſtrumentis laudate Deum ſanctiſſimum eſt: ad quod nos Propheta Dauid paſſim hortatur.

Secundò, quidquid ſit de aliis audientibus, cùm homo ipſe conſtet non minùs animo quàm corpore, & vtrumque à Deo acceperit; profectò æquiſſimum eſt vt tam corpore quàm animo illum laudet, illum honoret, & ex omnibus viribus ſuis illi ſeruiat.

Dicent fortè hæretici, De his cæremoniis nil in nouo Euangelio reperiri; ergo non ſunt licitæ. 3

Stulta hæreticorum obiectio, non eſſe præceptas in Euangelio cæremonias.

Reſpondeo, Stultam eſſe obiectionem hanc; Primò, quia etiam nihil dicitur contra illas vnde ergo ipſis magis licebit dicere ſine textu Euangelij eſſe illicitas, quàm nobis ſine eodem textu eſſe licitas, maximè cùm nos habeamus lumen naturale pro nobis? Secundò, falſiſſimum

Oſtenditur vſurpatas etiã à Chriſto fuiſſe cæremonias.

eſt antecedens: etenim paſſim in Euangelio deſcribitur diuerſus modus, quo ipſe Chriſtus orabat: ipſe docet nos etiam in ſecreto clauſo oſtio orare Patrem; hoc autem ipſum eſt quædam cæremonia orationis: docet nos cùm ieiuniamus faciem habere lætam, non exterminatam ſicut hypocritæ: ecce nouam cæremoniam ieiunij: in cruce moriens voce magna exclamauit: ecce circumſtantia ſeu cæremonia orationis: cùm benedixit diſcipulis, eleuauit in altum manus: ecce cæremoniam.

DICENDVM SECVNDÒ, Has eaſdem cæremonias poſſe ab Eccleſia præcipi. Hæc non 4

Cæremoniæ poſſunt ab Eccleſia præcipi.

eſt tam manifeſta quàm præcedens; videtur tamen clariſſimè ex illa ſequi; nam cùm ſit res pertinens ad cultum Dei, & honeſta, haud dubiè poteſt Magiſtratus Eccleſiaſticus eas præſcribere: neque in hoc puncto poteſt eſſe difficultas, niſi apud illos hæreticos qui auctoritatem Eccleſiaſticam negant; contra quos non eſt diſcurrendum in præſenti: eſt enim quæſtio generalis ad alia præcepta Eccleſiaſtica, ad Feſtorum celebrationem, ieiunium, &c. porrò quoad hos ritus res eſt definita in Concilio Tridentino Seſſione 7. canone 13. de Sacramentis in genere, vbi definit, hos ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitos, & ab Eccleſia receptos & approbatos retinendos eſſe. Sunt autem vtiles Primò ad maiorem cultum, vt diximus, Sa-

Cæremoniarum ſacrarum vtilitas.

cramentorum: Secundò vt Sacramenta in maiore ſint æſtimatione apud populum; quia cùm ſubſtantia illorum paucis verbis & actionibus exterioribus perficiatur, & verò externa ipſa ſpecie res illæ videantur valdè communes & viles, negari non poteſt, quin ipſa Sacramenta vileſcerent, niſi cæremoniis veſtita animos intuentium & ſuſcipientium ad venerationem ſui, item ad myſteria ſubtus latentia cogitanda erigerent: maximè autem id apparet in Sacramento Altaris; ſi enim ſine veſtibus ſacris, ſine his cæremoniis quæ in Sacro ſeruantur conficeretur, accepto ſimplici pane ac verbis prolatis, nulla penitus eſſet deuotio, quæ incredibiliter augetur per maieſtatem cæremoniarum,

Digitized by Google

niarum, per orationes præuias; ita vt videre eam grauitatem ac ſolemnitatem cùm qua Eccleſia Catholica Diuina officia peragit, ſufficiens ſit ad cognoſcendam veritatem doctrinæ quam tradit: vnde è contrario quando Sacerdos ſine reuerentia properanter ſine cæremoniis Sacrum conficit, dat occaſionem grauiſſimam ſcandali & contemptus myſteriorum Diuinorum. Tertiò (quod ferè in idem recidit) inde augetur fidelium deuotio teſte Auguſtino lib. de Cura pro mortuis gerenda.

5 *Qui inſtituerint cæremonias ſacras.* DICENDVM TERTIÒ; De facto longè eſt probabilius omnes has cæremonias partim ab Apoſtolis, partim à Pontificibus & à priuatis Epiſcopis inſtitutas eſſe; quæ autem ſunt communes toti Eccleſiæ, approbatæ cenſentur ab ipſo Summo Pontifice; ac proinde ſolùm hic de plenitudine poteſtatis poteſt tales mutare; non tamen id facit ſine vrgentiſſima cauſa: quæ verò ſunt priuatæ aliquarum Eccleſiarum, niſi confirmatæ ſint à Summo Pontifice, poſſunt ab Epiſcopis earum Eccleſiarum mutari; habent enim hi tantam auctoritatem quantam earum inſtitutores; ac proinde poſſunt quod illi inſtituerunt mutare. Quæ omnia ex ſe ſunt manifeſta; ideoque non egent maiori probatione.

SECTIO II.

Quem effectum illæ habeant?

6 *Cæremoniæ ſacræ poſſunt cauſare gratiæ augmentum ex opere operantis;* ILLVD vnicè circa has cæremonias in dubium verti poteſt, Vtrùm habeant aliquem effectum ſpiritualem ex opere operato. Dico *ex opere operato*; nam ex opere operantis ratione actus virtuoſi, quo exerceri ſolent, poſſunt haud dubiè gratiæ habitualis augmentum, gratiæ auxilia, & cætera promereri. Sermo ergo eſt ex virtute ipſarum cæremoniarum, eo modo quo diximus Sacramenta cauſare gratiam. Hac de re benè agit Pater Suarez diſp. 2. ſect. 4. res alioquin eſt facilis.

Non ex opere operato: Dicimus ergo Primò, gratiam habitualem, & auxilia gratiæ, quæ in inſpirationibus ſupernaturalibus conſiſtunt, non cauſari ex opere operato per has cæremonias: cuius ratio eſt manifeſta, & Primò de gratia habituali; nam ſi hanc cauſarent, non tam eſſent cæremoniæ quàm Sacramenta. Quoad ſecundum verò de inſpirationibus etiam patet; quia hæc virtus non eſt annexa eis cæremoniis; Chriſtum enim eam illis conceſſiſſe nequaquam oſtendi poteſt; ergo neque nos debemus eam illis tribuere: quæ ratio à fortiori probat de gratia habituali; poteſt autem pro vtroque ſic formari argumentum: Datio tam gratiæ habitualis quàm auxiliantis eſt ex ſe propria ſolius Dei: ergo non debemus eam aliis tribuere, niſi nobis conſtet Deum illis conceſſiſſe huiuſmodi priuilegium; hîc autem nequaquam conſtat de tali; ergo. Vbi aduerte, me non negare eis cæremoniis vim naturalem excitandi ſpecies & cogitationes naturales, ſicut imagines, ſicut conciones & alia

Poſſunt tamē excitare in nobis motus ſupernaturales indirectè. excitant in nobis tales motus naturales directè, indirectè autem ſupernaturales ex lege Dei, qua in nobis, dum de rebus his naturalibus cogitamus, voluit etiam cogitationes ſupernaturales ad benè operandum ſupernaturaliter excitari; hanc ergo vim non eis negamus, hæc tamen neque eſt ex opere operato, neque eſt propria harum cæremoniarum, vt dixi.

Dices: Aliquando hæ cæremoniæ continent ſpeciales orationes Eccleſiæ, quibus illa petit à Deo gratiam ſpecialem pro his aut illis actibus; vt in Ordinationibus dicuntur Litaniæ pro ordinandis; aliæ inſuper Collectæ, petendo vt Dominus Deus eos ſpecialiter deinde dirigat in miniſterio quod ſuſcipiunt. Prætereà in conſecratione templi petitur à Deo vt exaudiat orationes in illo ad ipſum fundendas, &c. ergo ſaltem in hoc caſu propter illas Eccleſiæ Preces concedet Deus ſpecialia auxilia tunc petita. Reſpondeo concedendo totum; quod tamen nequaquam eſt contra noſtram doctrinam; quia talis impetratio eſt communis orationi omni, qua vnus orat pro altero; de qua in præſenti non agimus; quia neque conuenit omni cæremoniæ Sacramentali: multa enim ſunt quæ non conſiſtunt in tali petitione, ſed vel in ornatu aliquo phyſico, in actione aliqua externa, vt in Baptiſmo impoſitio ſalis in os infantis; item quòd perficiatur per trinam immerſionem, & cætera ſimilia: deinde neque è contrario ſolis conuenit his cæremoniis, ſed, vt oſtendi, omni orationi, qua vnus pro altero orat, aut etiam pro ſe. Aduertendum tamen, hos affectus non eſſe infallibiles, vti in aliis omnibus orationibus, ſed Deum aliquando exaudire, aliquando verò non. Hinc dicendum, neque eſſe vim his cæremoniis ad remittendum immediatè vllum peccatum; quia ea remiſſio eſt propria ſolius Dei; non conſtat autem eſſe conceſſam Eccleſiæ, vt ipſa poſſit extra Sacramenta remittere peccata; ergo. Poſſunt tamen per modum impetrationis, ſi includant aliquas orationes, obtinere à Deo (vt paulò antè diximus) auxilia, quibus homo excitetur ad aliquem actum bonum, quo obtineat venialium remiſſionem; quomodo autem intelligendum ſit; quod videtur à multis doceri, per aquam benedictam remitti venialia, non eſt huius loci. 7

Cæremoniæ non habent vim peccatum vllum immediatè remittendi.

8 *Poteſt applicari cæremoniis vis ſatisfaciendi pro animabus in Purga. &c.* Dicendum Quartò quoad remiſſionem pœnæ temporalis debitæ in Purgatorio, quia Eccleſia habet facultatem applicandi Indulgentias ex ſuo theſauro (vt in materia de Indulgentiis dicemus Tomo 8.) non eſt difficultas, quin poſſit quaſi ex opere operato ex eis ſatisfactionibus (vti aliàs facit dum dat Indulgentias viſitantibus Eccleſias) has aut illas applicare his cæremoniis. Duo tamen notanda ſunt; Primum, debere pro tali applicatione ſupponi eſſe in gratia illam perſonam cui applicantur; nam pœna temporalis nulla condonatur, antequam condonetur peccatum mortale, ſeu, non condonatur homini in mortali exiſtenti, & reſpectiuè pœnam debitam pro peccato veniali, v.g. mendacio iocoſo, non condonari, niſi eo peccato quoad culpam remiſſo; etiamſi pœnæ debitæ pro aliis remiſſis poſſint tunc condonari. Secundò notandum, etiamſi Eccleſia poſſit eo modo Indulgentias applicare, incertum tamen eſſe an de facto aliquas adiunxerit cæremoniis Sacramentalibus de quibus agimus.

9 *Habent etiam vim ad expellendos & coercendos dæmones:* Dicendum prætereà circa expulſionem & coërcitionem dæmonum Eccleſiæ à Chriſto fuiſſe conceſſam poteſtatem ſpecialem, vt vi nominis ipſius IESV, & orationis fidei, & ſanctitatis Eccleſiæ, poſſit eos ex corporibus eiicere, impedire ne grauiùs vexent, &c. Ita Theologi ſentiunt communiter, vt videre eſt apud Patrem

Digitized by Google

Pattem Suarez ſuprà ſect. 4. vbi adducit etiam aliquos Patres pro ea veritate, quæ fundatur in verbis illis Chriſti: *Dedit illis poteſtatem vt dæmonia eijcerent*, Matthæi 10. & Marci 3. *In nomine meo dæmonia eycient*, Marci vltimo; vbi tamen obſeruandum puto, ex his locis nõ videri eam veritatem deduci in ſenſu noſtro: verba enim illa denotant virtutem faciendi miracula; inter quæ ea dæmonum expulſio quodammodò reputatur; ea autem virtus non eſt conceſſa Eccleſiæ vt Eccleſia eſt, ſed aliquando huic, aliquando illi Sancto; nihilominùs tamen quia ipſa experiẽtia conſtat cæremoniis Eccleſiæ dæmones fugari, ſatis probabiliter colligitur ex eis verbis datam eam virtutem Eccleſiæ; vnde communiter docetur, etiam independenter à ſanctitate illius qui exorcizat cauſare hunc effectum.

10 Vbi etiam obſeruandum quod ſuprà diximus, hunc effectum non eſſe infallibiliter annexum eis exorciſmis: id quod obſeruauit Auguſtinus lib. 83. Quæſtionum, quæſt. 79. reddens rationem, cur Deus aliquando non exaudiat.

Non tamen habent effectum infallibilem, neque naturalem.

Circa modum verò quo hic effectus cauſatur audiendi non ſunt quidam putantes ex odore aut cantibus aliiſve phyſicis rebus dæmones naturaliter fugari: cùm enim illi ſecundùm ſuam naturam ſint omnino ſpirituales, & incapaces quidquam mali à rebus corporeis ſuſtinendi non aliter quàm Angeli boni, non poteſt ad eas res phyſicas recurri.

Dicendum ergo vno verbo, Chriſtum eos cogere tunc ſuo præcepto vt Eccleſiæ imperanti obediant; cogere quidem vel Deo illis iniicientе tam fortem cogitationem, cui illi vix poſſunt reſiſtere; vel determinando illos etiam contra voluntatem vt id faciant: puto tamen ex his duobus modis frequentiorem eſſe primum, aut fortè etiam vnicè illo Deum vti; quia eſt ſufficiens, & non indiget tantis miraculis. Et ſatis de cæremoniis; nam in particulari quæ ad quodlibet Sacramentum ſpectant ſuis locis ſunt declarandæ.

TRACTATVS SECVNDVS,

DE BAPTISMO

ET

CONFIRMATIONE.

MVLTA quæ ad Baptiſmum pertinent tetigimus ſuprà agentes de Sacramentis in communi, quæ hîc non repetemus; ſed breuiſſimè quæ deſiderantur & facilia ſunt percurremus.

DISPVTATIO VIGESIMAQVARTA.

De eſſentia, inſtitutione, neceſſitate, vnitate Baptiſmi, & diſpoſitione ad illum requiſita.

SECTIO I.

De materia Baptiſmi.

1 QVIA omnia ferè Sacramenta in actione aliqua externa conſiſtunt, duplicem habent materiam; vnam proximam, quæ eſt ipſa actio; alteram remotam, quæ eſt res illa circa quam actio verſatur: duplex ergo in Baptiſmo erit materia, remota vna, proxima altera.

SVBSECTIO I.

De materia remota.

CIRCA remotam, de Fide eſt ex Concilio Florentino & Tridentino Seſſ. 7. cap. 2. aquam elementarem ſufficientem & neceſſariam eſſe ad Baptiſmum; quamuis nonuulli olim & aliqui hæretici huius temporis dixerint ſufficere pro Baptiſmo quemcumque liquorem, ſiue vinum, ſiue ceruiſiam, ſiue oleum, lac, &c. aut certè ſola verba ſine vlla materia. De quibus erroribus vide Suariom diſp. 20. ſect. 1. vbi multa ex auctoritate congerit in confirmationem Catholicæ veritatis: ea autem ex perpetua Eccleſiæ

Materia Baptiſmi remota aqua.

Licitum eſt in caſu neceſſitatis baptizare minimam partem corporis ſub conditione.

Extra neceſſitatem ſub conditione rebaptizare.

6 Illud tamen obſeruandum eſt pro praxi: cum multorum ſit ſententia, & verò omnino probabilis, ſufficere ad valorem Baptiſmi ablutionem etiam in minima parte corporis, & per vnicam guttam aquæ licere omnino, caſu quo infans ſolum digitum ex vtero exponeret, & periculum eſſet mortis, eum baptizare ſaltem ſub conditione, quia fortaſſe re ipſa Sacramentum illud eſt validum; vnde ex eius defectu tunc poſſet infans priuari æterna ſalute. Quo etiam caſu illud Secundo obſeruandum, ſi deinde infans viueret, & poſſet debito modo baptizari, debere omnino ſaltem ſub conditione rebaptizari: id quod benè notauit Pater Gaſpar Hurtadus diſput. 1. de Baptiſmo, difficultate 6. etiamſi alioquin cum Vaſquez ſentiat ſufficere eam minimam ablutionem. Ratio huius obſeruationis eſt, quia cum talis Baptiſmus ſit dubius, fortaſſe re ipſa non eſt validus, ne ergo talis infans de æterna ſalute periclitetur, debet rebaptizari ſaltem ſub conditione, quod prior ablutio non fuerit ſufficiens. Vnde vltimò dicendum, ſi poſſit baptizari in ea parte corporis, quæ extra controuerſiam ſit ſufficiens, grauiſſime eum peccaturum qui in minima baptizaret, quantumuis ſequeretur ſententiam Patris Vaſquez, quia in eo modo baptizandi nulla eſt vtilitas, ob quam deberet ſe exponere graui illi periculo faciendi nullum Sacramentum, perpetuoque eum hominem perdendi: licet enim poſſimus eam opinionem ſequi quæ probabilis eſt, & à fortiori quam putamus probabiliorem; id tamen debet eſſe, quando inde non obiicimur periculo nocendi grauiter proximo, ſi ea actio fiat inualidè; vt in præſenti contingeret; & verò ipſa reuerentia Sacramenti independenter ab vtilitate proximi non permittit nos eam dubiam materiam accipere, quando poſſumus certam.

In periculo nocendi proximo grauiter non eſt ſequenda opinio probabilis relicta certa.

An ad quantitatem ablutionis ſufficientem ſit neceſſaria intentio Miniſtri.

7 Illud nunc quæri poteſt, Vtrùm quando è contrario ablutio eſt maior quàm ſimpliciter requiratur, perficiatur Sacramentum, quando eſt finis totius ablutionis; an verò quando abluitur prior ea pars, quæ eſt neceſſaria ſimpliciter. Aliqui putant hoc pendere ex intentione Miniſtri. Id quod Suarez reiicit, quia ex intentione Miniſtri non pendet dilatio vel ſuſpenſio Sacramenti, ſi adhibet materiam ſufficientem. Ego tamen in hoc puncto aliquid difficultatis inuenio; nam licet ſuppoſito quo Miniſter adhibens materiam, eam velit eſſe materiam, non poſſit maiorem requirere, quàm reuera ſit neceſſaria; tamen quia in poteſtate ipſius eſt nolle conficere per hanc, ſed per illam materiam, eo ipſo etiam eſt in eius poteſtate nolle conficere, ſeu velle intentionem differre vſque ad vltimam materiam. Eſt tamen notandum, tunc primam ablutionis partem non adhiberi ab illo propriè vt materiam, ſed quaſi concomitanter. Igitur dicendum eſt, ſi prima pars ablutionis applicetur vt vera materia, perfici Baptiſmum, cum primùm ſupra eam materiam profertur tota forma, nec expectandum finem ablutionis. Quòd verò Diuus Thomas in 4. diſp. 3. art. 4. docet, ſi Baptiſmus fiat per trinam immerſionem, tunc primò perfici quando tertia immerſio finitur; debet intelligi ita, vt verba non finiantur ante eam immerſionem.

Quomodo intelligendus Diuus Thomas de trina immerſione.

8 Obiicies; Quando eſt vna ablutio totalis, tunc ea prior pars non eſt in rigore ablutio, ſed pars ablutionis; ergo non erit materia integra Sacramenti, ſed illius pars. Reſpondeo; Etiamſi phyſicè loquendo ſit pars, in genere tamen moris non eſſe; quia in homogeneis compoſitis ratio totius ſaluatur etiam in partibus, ideoque Sacramentum conficitur in illa priori parte. Vt ſi quis vno ictu traiiciat cor alterius, & antequam abſoluatur totus ictus ille occidatur, certè ſecunda ea pars ictus in ordine ad occidendum non poteſt propriè dici componens vnam cauſam cum priori, eſto phyſicè in rigore vnum ſolum faciat ictum: tota ergo ratio cauſæ ſaluabitur in priori ea parte: ita in præſenti tota ratio Sacramenti ſaluabitur in priori illa parte ablutionis, etiāſi vnum quid componat phyſicè cum ſequentibus. Idem eſt in Euchariſtia iuxta communiorem ſententiam, quod ſpecies vini non dent plus gratiæ; nam licet Sacerdos accipiens vtramq; ſpeciem dicatur totum illud Sacramentum per modum vnius ſumere, tota tamen gratia cauſatur cū primùm ſumitur hoſtia: & verò nec partes ipſæ hoſtiæ omnes conferunt tunc gratiam, ſed illæ quæ prius perueniunt ad ſtomachum, vel ad locum vbi incipit collatio gratiæ.

Sacramentum conficitur in priori parte ablutionis pronunciata forma.

9 Secundò præterea aduertendum, neceſſarium eſſe motum aliquem aqua factum ab ipſo baptizante; alioquin licet ipſemet baptizatus ſe abluat non erit ſufficiens materia Baptiſmi, quia tunc non poteſt verè dici, *Ego te baptizo*, vt per ſe patet. Requiritur præterea vt motus aquæ ſupra baptizatum fiat animo baptizandi. Vnde ſi quis alium poſuiſſet in aquam ob diſparatum finem à Baptiſmo, & ſupra eum ſic in aquis ſtantem verba proferret, non baptizaret, quia ablutio præcedens non fuit ex intentione Sacramenti; permanentia autem in aqua non eſt propriè ablutio.

Neceſſarius motus aquæ factus ab ipſo baptizante.

Dubitari ſolet, an etiam ſimpliciter requiratur ex parte materiæ emerſio ex aqua; v. g. An ſi quis alium proiicit in aquam, & non extrahit, ſufficientem per hoc materiam adhibeat. Scotus & alij apud Suarez ſuprà ſect. 3. & Vaſquez diſp. 141. cap. 3. putant, eum, qui infantem ſubmergendum proiiceret in puteum, non baptizaturum illum. Probabilior tamen eſt ſententia Vaſquez, quæ apud alios etiam communis eſt, eſſe in eo caſu ſufficientem ablutionem pro valore Baptiſmi. Eſt enim præter rationem ablutionis extrahere ex aqua, aut exſiccare faciem aut manum totam.

Validus eſt Baptiſmus per ſubmerſionem ſine emerſione, contra Scotum

Dices: Illa proiectio pueri in puteum non fuit ablutio, ſed occiſio. Reſpondeo negando antecedens; vtrumque enim fuit, ſicut ſi animo occidendi puerum, & ſimul baptizandi, toties illum intruderem & extraherem ex aqua, donec moreretur.

Hæc circa neceſſitatem materiæ. Circa obligationem verò ex præcepto Eccleſiæ ſciendum eſt, per trinam immerſionem in aquam, in quantum qualibet nominaretur Trinitatis vna perſona, olim baptizatos fuiſſe. Quæ conſuetudo licet (vt multi putant) ex Apoſtolico præcepto deriuata fuerit, & aliquando videatur inſinuari eſſe neceſſariam ad valorem, fuit tamen poſtea paulatim abolita. Vide Suarium ea ſectione 3. De facto autem ſeruanda eſt cuiuſcumque Prouinciæ conſuetudo. Eſt enim in hac re magna diuerſitas, maximè circa infantes. 10

In ablutione ſeruanda cuiuſque Prouinciæ conſuetudo

Moueri nunc circa eamdem materiam dubium poteſt, Vtrùm ablutio conſiſtat in paſſione phyſica baptizati, an in actione. Sotus in 4. diſp. 3. art. 1. putat eam conſiſtere in paſſione,

quia ablutio eſt receptio aquæ in corpore baptizati. Probabiliùs diſcurrit Suarez ſect. 2. vbi meritò priùs obſeruat, nullius omnino momenti hanc eſſe quæſtionem; iuxta rigorem verò metaphyſicum nullam eſſe neceſſariam paſſionem; nam aqua, ad hoc vt corpus abluat, non indiget niſi contigua præſentia cum corpore abluendo; ea autem præſentia haud dubiè non recipitur in corpore ipſo quod abluitur, ſed in aqua;ergo non patitur tunc corpus illud.

In rigore ad Baptiſmum nulla eſt neceſſaria paſſio.

Non infrigidatio.

Forte dices; Debet ſaltem infrigidari, debet ſentire contactum aquæ. Reſpondeo, Hæc eſſe per accidens ad rationem Baptiſmi. Vnde licet aqua eſſet in eadem temperie cum corpore, ac proinde nullum calorem aut frigus produceret, & infans nihil omnino ſentiret, adhuc eſſet veriſſimus Baptiſmus; ergo in rigore Scholaſtico

11 nulla propria paſſio phyſica requiritur ex parte baptizati. Vbi rurſus obſerua, à Patre Gaſpare Hurtado Tractatu de Baptiſmo diſput. 1. difficultate 3. moueri quæſtionem, Vtrùm Baptiſmus conſiſtat in ablutione vt paſſiua modo explicato vulgariter, an verò vt actiua; refert autem Patrem Suarium docentem, in paſſiua & non in actiua conſiſtere; alios item refert, qui è contrario in ea vt actiua, quia forma Baptiſmi actionem ſonat, ſcilicet, *Ego te baptizo*: concludit deinde ipſe cum Vaſquez & Ochagauia, in vtraque debere conſiſtere, quia proxima materia Sacramenti & requirit vt ego v.g. baptizet, & vt Miniſter me baptizet. Iudico in hoc puncto non poſſe eſſe inter Catholicos vllam quæſtionem de re, ideoque graues eas quaſi tres claſſes auctorum ab eo citari. Omnes enim Catholici fatentur non fore Sacramentum, niſi ablutio illa fieret à Miniſtro; item niſi ea reciperetur modo vulgari in corpore quod abluit; in hoc inquam omnes conueniunt, ſiue poſteà diuerſo modo videantur loqui quoad illam reduplicationem, *vt paſſiua* vel *vt actiua*. Neque Suarez excludit actionem à Sacramento; ſed quia hæc quaſi præcedit, & deinde vltimò ſequitur ipſe contactus aquæ, ideò eam paſſionem vocat proximam materiam id quod ad modum loquendi ſolum ſpectat.

Ablutio actiua & paſſiua.

SECTIO II.

Quomodo forma Baptiſmi debeat eſſe coniuncta cum ablutione?

12 ANTEQVAM neceſſariam formam huius Sacramenti explicemus, oportet hanc quæſtionem præmittere. Dico ergo, inter eam & applicationem materiæ illam eſſe neceſſariam temporis coniunctionem, quæ ſufficiat, vt verè poſſit dici moraliter loquendo, *Ego te baptizo*; (quæ doctrina communis eſt planè aliis Sacramentis quæ in actione conſiſtunt;) vnde colligitur, non eſſe neceſſarium vt materia & forma ſimul tempore incipiant & deſinant, quia id non eſt neceſſarium ad veritatem verboru[m], *Ego te baptizo*. Nam in communi modo loquendi verè & propriè dicimus, *Lauo me, comedo, ſurgo, percutio te*, etiam immediatè antequam has actiones exerceamus, quando ſumus parati iam ad eas exercendas, & eas volumus inchoare, vel certè immediatè poſtquam illas abſoluimus.

Non eſt neceſſe vt materia & forma ſimul incipiant & deſinant.

Replicabis: Non benè dicitur, etiam immediatè poſtquam homo vltimum bolum in menſa ſumit, *Iam comedo*, ſed, *Iam comedi*; ergo etiam immediatè poſtquam baptizauit non poteſt dici, *Ego te baptizo*, ſed, *Ego te baptizaui*, ergo ſaltem requiretur, ne ablutio finiatur ante prolationem formæ. Reſpondeo Primò, Cùm prandium ſit actio diuturna, & habens multas partes, non rectè poſt vltimum bolum, iuxta communem modum loquendi, dici *Comedo*, ſed *Comedi*: hoc autem non habet locum in rebus aliis magis inſtantaneis: id quod patet in eodem exemplo prandij, nam licet tunc non dicatur benè *Comedo*; at etiam vno Pater & Aue poſtquam ſurrexerunt à menſa rectè dicitur, *Nunc ſurgimus à menſa*; & verò etiam poſt longiorem moram ſolet id dici. Ratio quaſi à priori in his modis loquendi eſt ipſa diuerſiſſima acceptio; aliter enim in hac, aliter in illa materia ſolemus terminos vſurpare. Reſpondeo Secundò, Etiam dici frequenter immediatè poſt vltimum bolum, *Iam meus Dominus comedit, iam eſt in menſa*, &c. Vnde benè colligunt Suarez, Vaſquez & alij (quos refert & ſequitur Hurtadus difficultate 8.) contra Sotum in 4. diſt. 6. qu. 3. Gabrielem quæſt. 1. art. 2. & Caietanum in Opuſculo, tit. 26. ad valorem Baptiſmi non eſſe neceſſarium vt forma incipiat antequam tota materia finiatur; aut è contrario, vt materia incipiat antequam tota forma finiatur; quia reuerà id non requiritur (vt diximus) ad veritatem earum propoſitionum prout moraliter accipiantur.

Neque vt forma incipiat antequã tota materia finiatur, aut è contrario.

Quòd ſi obiicias, Chriſtum voluiſſe ſeruari totum rigorem veritatis, vt ſcilicet actio ſit planè de præſenti, prout dicunt verba; facilè reijcieris, quia id eſſet omnino moraliter nobis impoſſibile. Quomodo enim fieri poterit, vt homo diſcernat inſtantia mathematica initij & finis verborum, vt ſimul cum eis coniungat initium & finem ablutionis? Fortaſſe id nobis repugnat etiam phyſicè. Hoc autem deberet requiri, ſi in toto phyſico rigore eſſet illa veritas conſideranda. Quòd ſi ſemel admittas aliquam vel inſtantaneam anticipationem aut poſtpoſitionem verborum, iam teneo intentum, ſcilicet eſſe recurrendum ad coniunctionem ſeu ſimultatem moralem; hæc autem nequaquam exigit initium formæ eſſe ante finem materiæ, vel è contrario. Confirmo hoc clarè ad hominem contra eos Auctores; nam iuxta illos ſufficit, ſi homo dicat, *Ego te*, antequam finiatur tota ablutio, quia eo tempore iam eſt inchoata forma antequam materia perficiatur: quo fundamento præciſè hi vtuntur. Atqui pro veritate eorum verborum, *Ego te baptizo*, tam parum efficit illud initium, *Ego te*, quàm ſi nihil planè dixiſſem, nam *Ego te* non ſignificat magis ablutionem quàm occiſionem, nam eodem modo dici poteſt, *Ego te occido*, *Ego te amo*, imò *Ego te non baptizo*, quàm, *Ego te baptizo*, ergo coniunctio illorum duorum verborum, *Ego te*, penitus nihil iuuat ad veritatem eorum verborum ſaluandam, ſed (iuxta dicta) debet recurri ad moralem coniunctionem, quæ eodem modo ſaluatur, eſto iam finita forma incipiat ablutio, aut finita ablutione incipiat forma: & hoc argumentum poteſt formari in verbis vltimis, cùm enim hæc verba *In nomine Patris, & Filij*, &c. nihil de ablutione ſignificent, magis quàm ſi dixiſſet priùs, *Ego te benedico*, aut, *Ego te dimitto liberum*, &c. non poteſt explicari, quomodo ad veritatem eius præcedentis propoſitionis, *Ego te baptizo*, ſufficiat incipere ablutionem dum dicitur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

13

Sufficit ſimultas moralis.

Argumentum ad hominem contra Soti, Gabrielis & Caietani ſententiam.

Digitized by Google

ſti. Conſtet ergo neceſſariò recurrendum ad moralem coniunctionem; ac proinde eſto poſt totam formam incipiat ablutio, aut è contrario, adhuc eſſe verum Baptiſmum: quanta autem debeat eſſe ea vicinitas, non poteſt meliùs declarari quàm quæ iudicio prudenti in circumſtantiis illis decidi poteſt. Vbi noto, eo ipſo, quòd homo incipiat accipere aquam v. g. & accedere ad baptizandum, &c. optimè poſſe dicere, *Baptizo te*, quia per illas actiones coniungitur magis ea actio cum forma; ex quo capite maior anticipatio poteſt habere ibi locum, quàm ſi nihil omnino eſſet inchoatum: quidquid verò de hoc ſit, curandum eſt, vt quàm poteſt fieri, ſimul omnia perficiantur. Iam ad verba quibus debet conſtare ea forma.

Curandum vt ſimul omnia perficiantur.

SECTIO III.

Quæ verba ſint neceſſaria pro forma Baptiſmi?

14 IN quo puncto ſuperiùs diximus neceſſariam eſſe illam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Explicuimuſque, qualis mutatio cenſenda eſſet ſubſtantialis, qualis verò accidentalis. Diximus etiam in Eccleſia Græca licitam eſſe illam, *Baptizetur ſeruus Chriſti:* quod ex Florentino eam approbante conſtat. Vnde fit, vt ſi in Eccleſia Latina quis ea vteretur, validum conficeret Sacramentum; etiamſi illicitè illud adminiſtraret.

Forma Eccleſiæ Græcæ. Baptizetur ſeruus Chriſti, *apud Latinos eſſet valida, ſed non licita.*

SVBSECTIO I.

Quid de eis formis, in nomine Chriſti, *&* in nomine Trinitatis.

15 CIRCA illam formam, *Ego te baptizo in nomine Chriſti,* poteſt eſſe aliqua difficultas propter quoſdam Antiquiores Patres, qui eam approbant. Nam Ambroſius lib. de Spiritu ſancto cap. 3. videtur ſupponere idem omnino eſſe dicere *In nomine Chriſti*, ac *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* vnde addit, Baptiſmum datum in vnius perſonæ nomine eſſe validum, quia in vna omnes continentur, ſicuti in Chriſto omnes dicuntur: eius ſententiam ſequi videntur Beda, Bernardus, Hugo de Sancto Victore, Magiſter, Adrianus, Caietanus, & alij apud Suarez diſputat. 21. ſect. 3. & apud Vaſquez diſputat. 143. pro qua etiam multa adducuntur; vt quòd Actor. 10. dicatur, *Iuſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti:* & ſimilia ferè habentur in aliis capitibus eorumdem Actuum, vt 2. 8. 11. & 19. adducitur etiam Paulus 1. Corinth. 1. vbi, vt reprehendat eos qui ſe ab ipſo Paulo baptizatos gloriabantur, & illos qui à Petro, ait: *Numquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* tacitè ſignificans eos baptizatos tantùm in nomine Chriſti. Eamdem ſententiam docuit Nicolaus Papa in can. *A quodam Iudæo*, de conſecrat. diſtinct. 4. vbi conſultus, Vtrùm Baptiſmus datus à Iudæo quodam eſſet validus; reſpondet, *Si datus fuit in nomine Patris, ſiue Trinitatis, vel Chriſti, fuiſſe validum.*

Baptiſmum in ſolius Chriſti nomine collatum validum eſſe tenuerunt S. Ambroſius, Beda, S. Bernardus Hugo de S. Victore, &c. Argumenta ex Scriptura pro illa ſententia.

Nicolai Pontificis teſtimonium.

16 His tamen non obſtantibus tenendum eſt, ad valorem Baptiſmi requiri inuocationem expreſſam trium perſonarum. In quo puncto, præter duos illos aut tres citatos, omnes alij Scholaſtici conuenerunt, vt videre eſt apud Suarez, qui multa & clariſſima loca Sanctorum Patrum adducit, qui expreſsè tradunt neceſſitatem talis inuocationis. Et ſanè verba illa Chriſti Domini Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, id clariſſimè denotant, adiuncta perpetua intelligentia eorum in eo ſenſu ab ipſo initio Eccleſiæ. Idem tradiderunt multi Pontifices. Quæ omnia vide apud Suarez: in re enim adeò omnibus nota non eſt neceſſarium diutiùs immorari. Quòd ſi rationem huius veritatis quæras, aliam non poſſumus reddere quàm voluntatem Chriſti Domini, qui vt pro materia requiſiuit ablutionem, ita pro forma ea verba. Congruentiam autem adferre poſſumus valdè bonam, quòd cùm præcipuum myſterium, quod Fides Chriſtiana fatetur, quodque etiam ipſis Iudæis olim videtur fuiſſe ignotum, ſaltem communiter & primariò à Chriſto reuelatum eſt, ſit myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, congruentiſſimum fuit illud in ipſa ſuſceptione Baptiſmi expreſsè nos profiteri.

Ad valorem Baptiſmi requiritur expreſſa inuocatio trium perſonarum. Teſtimonium Chriſti Domini & Pontificum pro hac ſententia.

Hinc colligitur, nec ſufficere dicere *In nomine Trinitatis*, quo reſpondetur ſecundæ quæſtioni in titulo propoſitæ, quia non declarantur perſonæ, item, non ſufficere, ſi vel vna perſona omittatur, vtrùm autem ſufficiat eas aliis vocibus declarare, dicemus paulò pòſt.

Non eſt validus Baptiſmus collatus in nomine SS. Trinitatis.

17 Ad ea quæ in contrarium obiecta ſunt reſpondetur. Ad loca ex Actis Apoſtolorum dicimus, ibi nequaquam tradi, non fuiſſe inuocatas tres perſonas Trinitatis, ſed vocari ideò Baptiſmum in nomine Chriſti, quia auctoritate & poteſtate à Chriſto conceſſa datus eſt. Scio Diuum Thomam & aliquos putaſſe, tempore Apoſtolorum ex ſpeciali diſpenſatione fuiſſe licitum Baptiſmum ſub ea forma: id quod tamen meritò reiicitur à Suario, Vaſquez, Hurtado, & aliis, quia ipſorummet Apoſtolorum extat Canon apud ſanctum Clementem lib. 7. Conſtitutionem Apoſtol. cap. 23. in quo expreſsè definitur, neceſſariam eſſe eam explicitam inuocationem totius Sanctiſſimæ Trinitatis: *Non enim* (inquiunt illi) *dixit Dominus, In morte mea baptizati eſtis, ſed, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Eſtque probabilis coniectura, quòd nulla eo tempore videatur fuiſſe neceſſitas eam formam mutandi; imò tunc maximè debeat fieri ea explicita profeſſio Trinitatis. Ad Ambroſium & Bernardum dicimus, eos difficulter locutos, non tamen propterea eſſe deſerendam ſententiam communem. Ad Nicolaum Papam aliqui reſpondent, cum vſum ea diſpenſatione quæ dicebatur fuiſſe in primitiua Eccleſia; verùm id omni caret probabilitate, cùm iam à Chriſto nato elapſi eſſent octingenti anni ad Nicolaum, nec poſſet apparenter dici eam tunc duraſſe, eſto olim fuiſſet; quod ipſum tamen iam diximus falſum eſſe. Faciliùs ergo reſpondetur, Eum ibi non definiuiſſe niſi id de quo interrogabatur, An ſcilicet Baptiſmus à Iudæo datus eſſet validus ratione infidelitatis illius; cui reſpondit, Omnino eſſe; reliqua quæ addidit obiter, & vt à priuato Doctore, non verò vt à Pontifice dicta accipi debent.

Reſpondetur argumentis pro contraria ſententia allatis.

Quid Ambroſius & Bernardus ſenſerint, quid Nicolaus Pontifex.

Dices: Eo ipſo tempore adeò erat certa ea veritas, vt non potuerit Pontifex eam ignorare etiam inuincibiliter. Reſpondeo, Si potuit Bernardus etiam trecentis annis pòſt, & Caietanus ſeptingentis contrarium docere, multò meliùs potuiſſe Nicolaum priuatim & inuincibiliter erra-

Digitized by Google

re. Fortè tunc erat quidem vſus Baptiſmi in nomine Patris, &c. non tamen adeò clarum, quòd non ſufficeret alia forma.

SVBSECTIO II.

Quid de ea, In nomine Genitoris.

18 *Sententia Caietani. & argumenta probantis eſſe validam formam.*

ILLVD difficilius, An ſufficiat eas tres perſonas, aliis nominibus inuocare, v. g. *nomine Genitoris; Geniti & Procedentis ab vtroque.* Caietanus apud Vaſquez diſput. 144. cap. 2. omnino putat eſſe ſufficientem formam pro valorẽ Baptiſmi; illicitam tamen, quia contraria eſt communi vſui Eccleſiæ. Fundamentum illius deſumitur ex can. Nicolai Papæ paulò antè citato, in quo Baptiſmus in nomine Chriſti collatus dicitur eſſe validus. Hoc tamen argumentum nimis probat, ſcilicet, nec quidem perſonas Trinitatis vllis nominibus inuocari neceſſum eſſe; quod vt falſum iam reiecimus. Fundatur etiam in eo, quòd Concilium Tridentinum non videatur excludere eiuſmodi formam; ſolùm enim dicit illam alteram, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* eſſe bonam; per quod non negat & hanc. Neque, hoc argumentum ſufficiens eſt, quia in primis eſt ab auctoritate negatiua; de qua ſolùm licet inferre, Ibi non reiici hanc formam; quòd autem ſit poſitiuè ſufficiens non oſtenditur; alioqui quamcumque aliam, quæ ibi expreſsè non reiiceretur, poſſemus dicere eſſe ſufficientem.

19 *Solidiùs probatur Caietani ſententia. Contraria tamen ſententia eſt probabilior propter auctoritatem.*

Meliùs ergo videtur probari ex æquiualentia vtriuſque formæ: Genitor enim denotat idem quod Pater, Genitus idem quod Filius, & Procedens ab vtroque idem quod Spiritus ab vtroque, ſeu Spiritus ſanctus. Fateor ob hoc argumentum mihi eſſe probabilem hanc Caietani ſententiam; propter auctoritatem tamen maiorem Scholaſticorum defendenda eſt contraria, quam Vaſquez cap. 3. probat, eò quòd voces illæ, *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*, ſunt voces expreſsè declarantes tres perſonas ſub conceptu perſonæ, vt notæ ſunt omnibus Eccleſiæ fidelibus tam doctis quàm indoctis; aliæ verò *Genitoris, Geniti*, &c. licet diſtinctè tres perſonas ſignificent, non tamen ſub conceptu perſonæ, ſed per notionem (vt dicunt Theologi in materia de Trinitate;) & hinc fit, vt eiuſmodi voces non ſint omnibus fidelibus notæ, ſed his qui aliqua ratiocinatione vtuntur, & doctrinam aliquam ſpecialem habent in hac materia. Videtur autem Chriſtus voluiſſe Baptiſmum per ea verba tradi quæ eſſent communia & omnibus nota. Hanc rationem deſumpſit Vaſquez ex Alexandro, & eam à Diuo Thoma inſinuatam ibidem cenſet. Mihi tamen non videtur efficax; Primò, quia ſatis communia ſunt ea verba *Genitoris, Geniti*, &c. vnde Eccleſia paſſim ea vſurpat in Hymnis, qui non ſolùm pro doctis & Theologis, ſed pro omnibus Latinè intelligentibus inſtituti ſunt: vnde ſi in natiuam cuiuſque linguam verterentur, ſatis clarè ſignificarentur per verba illis correſpondentia tres Perſonæ Diuinæ. Secundò, quia in qualibet lingua planè videntur ſynonyma hæc verba, *meus Pater, & qui me genuit*, & non niſi à ſtupido pro eodem non reputantur; & idem eſt dicere, *me eſſe filium Petri*, ac *me eſſe à Petro genitum*; ergo non ſunt obſcuriora ea verba, licet ſint minùs frequentia: vnde vlteriùs infertur, pro eis non benè requiri à Vaſquez & Alexandro ratiocinationem. In Spiritu ſancto poteſt eſſe maior difficultas; non enim ita communiter ſynonymæ reputantur illæ voces, ſaltem quoad homines indoctos, *Spiritus ſanctus*, & *Procedens ab vtroque*. Si res tamen diligenter conſideretur, fortè meritò diceret quis clariorem adhuc eſſe illam, *Procedens ab vtroque*, quam illam *Spiritus ſanctus*; nam ideò vulgus non reputat ſynonymas eas voces, quia per primam *Spiritus ſanctus* confuſè agnoſcit tertiam perſonam; & vix quid ſignificet propriè, niſi in communi vnam tertiam perſonam diſtinctam à duabus primis cognoſcit; at per τὸ *Procedens ab vtroque* iam proprio & explicito conceptu tertia perſona declaratur. Quòd verò aiebat Vaſquez, non eſſe vocem perſonæ, falſum eſt; nam ſicut Genitor non dicit expreſsè perſonam, ita nec eam dicit Pater; implicitè autem quatenus Pater dicit totum aliquod ſubſtantiale, ita Generans & Genitor eodem modo ſignificare videntur ſuppoſitum, ſeu perſonam. Alias rationes minoris momenti pro eadem communi ſententia omitto, quia ipſe Vaſquez benè eas ibidem refutat. Vnde concludo, ſtando rationi probabiliorem eſſe ſententiam Caietani, ob auctoritatem tamen, vt dixi, defendendam contrariam; quam ſic probare debemus, ſiue illæ voces ſint omnino ſynonymæ, ſiue non, potuit Chriſtus determinatè requirere has, *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*; eas autem requiſiuiſſe de facto probat communis Theologorum ſententia: vnde ſupra diſp. 2. ſect. vltima, agentes de mutatione in forma Sacramentorum, diximus, hanc *in nomine Genitoris, Geniti*, &c. non videri ſubſtantialem, ſed voces eſſe ſynonymas; ex quo etiam capite & nunc dicimus, non poſſe probari eam non eſſe ſufficientem; licet ex determinatione Chriſti, non obſtante ſubſtantiali quaſi conuenientia, vt probabilius defendamus eas non ſufficere.

Quam tenet Vaſquez & probat ex D. Thoma & Alexandro, ſed non ſatis efficaciter.

20 *Argumenta Vaſquez refelluntur.*

Sententia Caietani probabilior propter rationem.

Vbi aduerte, Patrem Vaſquez fusè agere de duobus locis Epiphanij & Athanaſij, quæ adduxerat Suarez diſput. 21. ſect. 4. pro huius communis ſententiæ confirmatione; ait ergo eos Patres nequaquam locutos in ſenſu noſtri caſus: licet enim Epiphanius hæreſi 73. dixerit in principio voces *ingeniti & geniti* non eſſe ad valorem Baptiſmi ſufficientes; & licet D. Athanaſius Sermone ſecundo contra Arianos, circa medium, obſeruet, Chriſtum non iuſſiſſe vt *in nomine geniti & ingeniti* baptizemus, ſed *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: licet, inquit, ij duo Patres ita loquantur, non volebant tamen aliud, quàm doloris Arianorum eis vocibus tectos reiicere; vnde nequaquam iudicarunt non poſſe eas voces admitti in ſenſu Catholico, & in eo validum per illas fieri Baptiſmum. Porrò hoc fuiſſe eorum Patrum intentum conſtat ex verbis illorum, quia Ariani voce illa *ingenitum* intelligebant idem quod *increatum*, ſeu *non factum*, vnde è contrario dum de Filio dicebant *genitum*, volebant illum denotare *creatum*, ſeu *factum*: pro quo deducit fusè vocabulum Græcum γέννητον cum duplici ν ſignificare aliquo modo *procedentem*, cum ſimplici verò ſignificare *creatum*. Vnde ait de Filio Dei poſſe dici genitum Græcè cum duplici, non tamen cum ſimplici, & hinc putat erratum eſſe in Codicibus Græcis Epiphanij, dum cum duplici ν poſitum eſt verbum γέννητον, cùm deberet eſſe per ſimplex in eo loco citato à Suario, tunc

21 *D. Athanaſius & Epiphanius à Vaſquez in alium ſenſum trahuntur ad refutandos Arianos de voce ingenitis*

Digitized by Google

tunc enim clariùs colligit contra Patrem Suarium, Epiphanium locutum de genito provt ſignificat creatum, & in eo ſenſu negaſſe, eſſe illam formam Baptiſmi validam, quia faceret ſecundam perſonam creatam.

22 *Sed minus conſideratè.*

Ego quidem iudico (ſalua reuerentia Patri Vaſquez debita) teſtimonium Epiphanij minus diligenter ab ipſo conſideratum, & minus benè voluiſſe ipſum corrigere exemplaria Græca, quæ omnino debent eſſe vt ſunt, & cum dupli ci ν. Vocabulum illud ἀγέννητον, & in primis citata teſtimonia non ſunt ipſius Epiphanij, ſed duorum Epiſcoporum (quos ille dicit eſſe Semiarianos) Baſilij & Georgij; quorum verba, vt appareat quæ ſit illorum confeſſio, refert ibi Epiphanius: & miror id neque à Suario neque Vaſquez notatum eſſe; ac proinde cenſeo inde nihil poſſe inferri circa Epiphanij ſenſum: fateor eum poſt Baſilij & Gregorij, non Gregorij, (vt Vaſquez ait) commonefactionem, ſeu Epiſtolas, addere (circiter ſeſquifolio deinde;) *Primum quidem, quod qui ex Gentibus vocati ſumus, non baptizati ſumus, in ingenitum & genitum, ſed in Patrem & Filium*: at ibi ſolum dicit quomodo ſint baptizati, non negat fore validum Baptiſmum ſub ea forma; *In nomine ingeniti*, &c. aliud enim eſt dicere, Hoc de facto fit, aliud verò, Aliter fieri non poteſt. Secundò iudico non videri ad rem illud teſtimonium; nam ingenitus non eſt idem quod Pater: ipſe enim Spiritus ſanctus eſt ingenitus, & non eſt Pater; at vox *Genitor* propria eſt Patris; & eum declarat (vt benè ibi obſeruauit Epiphanius illis verbis, ſedecim circiter lineis ante immediatè citata) *ingenitum non dum ſignificat Patris intelligentiam.* Denique, quod ibi non debeat eſſe ſimplex ν patet; nam hæretici illi non vtebantur illo verbo *genitus* vt ſignificat creatum (vt putat Vaſquez) alioquin iam verbis ipſis Filium facerent creaturam; quod tamen nequaquam faciebant illi contra quos Epiphanius, quin potiùs conabantur tegere verbis hæreſim, & fatebantur quidem alia omnia, tantùm nolebant dicere Filium eſſe vnius naturæ & eſſentiæ. Vnde Epiphanius nunquam ea vocabula reiecit tanquam hæretica, ſed tanquam non ſufficienter declarantia, provt Catholici volebant; ideoque Epiphanius non reiecit vocem *geniti* vt in Scriptura inauditam: id quod omnino vrgere debuiſſet, ſi per vnum ν poſitum eſſet, quia tunc diceret Filium eſſe creatum: ſed ſolum circa vocem *ingenitum* dixit eam nunquam in Scriptura audiri.

23 *Ingenitus non eſt idem quod Pater nam Spiritus ſanctus, eſt etiam ingenitus.*

24 *Teſtimonium Epiphanij contra hæreticos de voce ingeniti, examinatur.*

Pondera Epiphanij verba: *Si vero noui illi ac varij hæretici diſputant contra nos, ingenitum dicant & genitum, dicemus ad ipſos, Quandoquidem vos malefeci eſſentiæ nomen, quod Patres in vſu habent, velut non ſcriptum non admittitis, neque nos ingeniti vocem in Scriptura non exſtantem recipimus.* Hæc ibi. Vbi pondera, cùm primum dixiſſet hæreticos duabus illis vocibus *ingeniti & geniti* vſos, ipſum tamen deinde vnicam illam *ingeniti* dicere non eſſe in Scriptura, admittens eo ipſo aliam *geniti* in Scriptura contineri: ſi autem ea eſſet cum ſimplici ν, vt ſignificat creaturam, non potuiſſet Epiphanius eam admittere in Scriptura, vt per ſe conſtat. Denique, quod ex illis verbis, *Neque nos admittemus vocem ingeniti* Vaſquez infert Epiphanium reiicere eam vocem vt malam, nullo modo placet: ibi enim Sanctus Doctor non reiecit vocem, ſed ad hominem (vt dici ſolet) argumentatus eſt contra hæreticos hoc modo: *Si vos vultis admitti eam vocem, quæ tamen non eſt Scriptura, cur non vultis admittere illam eſſentiam, ſiue homouſion eſto non ſit in Scriptura? aut è contrario, ſi vos hanc non vultis, cur cogere nos vultis, vt ingenitum accipiamus? vtramque ergo accipere debemus.* Et hæc circa Epiphanium.

Oſtenditurque Epiphanium non reiicere vocem ingeniti tanquam malam.

25 *Teſtimonium S. Athanaſij*

Melius induci poteſt Athanaſius Oratione ſecunda contra Arianos, vbi hæc habet: *Eoque ſummam Fidei noſtræ tendere voluit, cum iuberet nos baptizari non in nomine geniti & ingeniti, neque in nomine conditi & inconditi ſeu increati, ſed in nomine Patris & Filij*, &c. His enim verbis iam videtur excludere omnem aliam formam, præter illam, *In nomine Patris & Filij*, &c. Quod verò Vaſquez ait locutum illum tantùm in ſenſu, quem hæretici verbis illis tribuebant, non ſufficit: nam iam oſtendi in hæreticis non reprehenſas eas voces vt malas, ſed vt non explicantes ſufficienter intentum Catholicorum. Quidquid verò de hoc ſit, certè dum Athanaſius ait Chriſtum non niſi eis verbis *Patris & filij* voluiſſe vt omnes baptizemur, clarè excluſit alias voces, ſiue illæ Catholicæ ſint, ſiue non: ac proinde negari non poteſt valde fauere Athanaſium huic communi ſententiæ, vt Suarez dicit.

Fauet communi ſententiæ.

SVBSECTIO III.

An ſufficiat dicere in nominibus; *& an debeat exprimi perſona baptizantis?*

26 *Debet dici in nomine, non in nominibus.*

CIRCA primam quæſtionem dubitari poteſt, Vtrùm τὸ *in nomine* adeò ſit neceſſarium, vt ſi dicatur *in nominibus*, non valeat Sacramentum. Reſpondeo, Communem eſſe ſententiam, omnino eam requiri, vt denoretur vnitas Naturæ Diuinæ: id quod expreſsè tradidit Hieronymus in cap. 4. ad Epheſios: *Vnus Dominus vna Fides: Non baptizamur in nominibus Patris & Filij, ſed in vno: quo intelligitur Deus.* Id ipſum Ambroſius, Auguſtinus, Gaudentius, & alij apud Suarez ea ſect. 3. expreſsè tradunt; & ita ſupponit Diuus Thomas hac quæſt. 66. art. 5. ad 6. Hi tamen Patres dicunt quidem expreſsè non dixiſſe Chriſtum vt baptizemur *in nominibus*, ſed *in nomine*; at non dicunt, Baptiſmum aliter collatum futurum inualidum: eſtque ſatis fortis ratio dubitandi in contrarium, nam illa vox poſita in ſingulari etſi poſſit ita accipi, vt ſignificet tantùm vnum nomen, & inde quaſi mediatè vnum Deum, eſt tamen in ſe etiam indifferens, vt accipiatur etiam pluraliter: in Latina enim phraſi idem eſt dicere, *Petas hoc à Ioanne in nomine meo & mei fratris*, ac dicere, *Petas id in nominibus mei & mei fratris*; ergo illud ſingulare non explicat Trinitatem, licet illam non excludat: id quod vrgeo vlteriùs ex ea forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Spiritus ſancti*: ea enim repetitio ex ſe licet poſſit abſolutè accipi pro vno nomine, quia vnum idemque poteſt repeti in oratione; vti poteſt dici, Deus Pater, Deus Filius, &c. id quod libenter concedo Patri Suario: id tamen non requirit: non videtur autem ſufficere, ſi terminis vtamur qui poſſint trahi ad eam ſignificationem: ſed ſi eam vnitatem volumus

Sed argumenta pro hac communi ſententia non conuincunt.

ſignificare, debemus vti terminis, qui determinatè eam ſignificent. Ratio denique videtur oſtendere, eam vocem, licet de facto in ſingulari poſitam, æquiualere tamen numero plurali: etenim illa vox *nomen* debet cum ſuo genitiuo coniungi *Patris*, non cum genitiuo *Dei*, qui in ea propoſitione non eſt; non enim dixit Chriſtus, Baptizantes eos in nomine Dei Patris, & Filij, &c. hoc enim modo diſcurſus ille nobiliſſimè ſubſiſteret; ſed dixit in nomine Patris; quaſi diceret, *In nomine Patris vt Patris, & Filij vt Filij*, &c. ergo τὸ *in nomine* æquiualet multis; quia Pater vt Pater & Filius vt Filius habent nomina diuerſa. Neque ex eò quòd pluraliter proferretur ea vox, excluderetur eſſentiæ vnitas, eſto non explicaretur, vti dixi illam etiam non explicari per vocem in ſingulari: etenim quòd dicam in nominibus perſonarum, non videor vllo modo negare illas eſſe in Deitate vnum; optimè ergo per illam vocem in plurali conficietur Sacramentum.

Vnde ſpeculatiuè loquendo contraria ſententia & forma eſt ſufficiens: non tamen practicè, propter Chriſti aliam inſtitutionem.

Dicendum cenſeo, ſi res conſideretur ſpeculatiuè, illam formam omnino videri ſufficientem; ſed quia (vt ſæpè dixi) in materia hac, quæ pendet vnicè à voluntate Chriſti inſtituentis, non eſt quærenda alia ratio quàm voluntas ipſiuſmet Chriſti inſtituentis Sacramentum; aliunde verò nequeat dubitari, quin, ſiue re ipſa illæ voces ſibi æquiualeant, ſiue non, potuerit Chriſtus reiicere eas in plurali, & in ſingulari requirere; id verò ab ipſo de facto ita volitum ſatis apertè citata Patrum teſtimonia teſtantur; dicendum erit omnino requiri eam vocem in ſingulari; quæ verò in contrarium obiecta ſunt, vnicè ex immediatè dictis explicantur: concedimus enim eis optimè probari, phyſicè loquendo, forte nullam eſſe differentiam inter illas; at negamus inde quidquam in contrarium concludi, cùm Chriſtus pro ſuo libitu noluerit niſi illam in ſingulari poſitam eſſe validam, ſiue debeat ſignificare proprium nomen Patris, ſiue Dei: quod etiam conuenit illis tribus perſonis.

28

An ſit neceſſe exprimi perſonam baptizantis.

Circa ſecundam quæſtionem huius ſubſectionis difficultas grauis eſt, Vtrùm ad valorem Baptiſmi requiratur in ipſa forma exprimi actionem illam oriri ab ipſo baptizante. Sotus in 4. diſt. 3. q. vnica, art. 3. docet id non eſſe neceſſarium; quia Eccleſia Græca (& id approbatur ab Eugenio IV. in decreto Fidei) vtitur illis verbis, *Baptizetur ſeruus Chriſti*; in illis autem non denotatur perſona, an ſcilicet ab ipſo loquente, an à Deo, an à Chriſto: idem ſentit Suarez diſputat. 2. ſect. 2. quia cùm Miniſter ſit cauſa inſtrumentalis, non eſt neceſſarium eum exprimi in forma; maximè cùm ex Chriſti inſtitutione id non colligatur, neque ex Eccleſiæ traditione.

Argumenta contrà.

In contrarium ſtat Alexander p. 4. quæſt. 8. m. 3. art. 3. §. 6. a. 6. num. 38. Ochagauia apud Gaſparem Hurtadum; quibus ipſe etiam ſubſcribit diſput. 2. difficult. 1. quia id deducitur ex traditione Eccleſiæ, quæ ita ea verba Chriſti, *Baptizantes eos*, intellexit, vt non ſolùm Chriſtus voluerit Apoſtolos re ipſa baptizare; ſed vt denotetur id ab ipſis fieri: hoc enim requirit illud participium *baptizantes* adiunctis prioribus verbis, *Euntes docete omnes Gentes*.

Quid ſibi velit verbum baptizetur in forma Græcorum.

Vnde ad inſtantiam è forma Græcorum dicunt ibi intelligi *à me*, id eſt, *Baptizetur ſeruus Chriſti à me*; quaſi ibi imperaret ille qui baptizat. Vnde addit Hurtadus contra Patrem Vaſquez non ſufficere verba hæc, *Baptizatur ſeruus Chriſti*, niſi addatur *meis manibus*; & inſinuat ibi, quaſi Florentinum eam formam, *Baptizatur ſeruus Chriſti*, reiiceret, niſi in ea ſubintelligeretur *meis manibus*, rationem verò addit, quia per τὸ *baptizatur* non ſignificatur quidquam de ipſo Miniſtro, cùm non baptizet imperatiuè, ſecùs per τὸ *baptizetur*.

Acceptio verborum baptizetur & baptizatur Hurtadi reiicitur.

Ego (vt verùm fatear) non capio quomodo Hurtadus inuenerit differentiam inter verbum 29
baptizetur & *baptizatur* quoad punctum denotandi perſonam baptizantem: etenim ſi propriè loqui vellemus, contrarium omnino dicendum eſſet, nam per indicatiuum propriè & in omni rigore poteſt ſubintelligi *ego*, baptizatur à me, nam prima perſona & actiuè & paſſiuè in oratione æqualiter vſurpatur, at imperatiuum, quale eſt *baptizetur*, propriè non poteſt dirigi ad ipſum imperantem: nemo enim ſibi propriè imperat (vt eſt lumine naturæ notum:) ac proinde dum dicit Hurtadus τὸ *Baptizatur ſeruus Chriſti*, non denotat, quòd id fiat ab ipſo loquente, quia non eſt verbum imperatiuum, adducit rationem, quæ omnino ſuadet contrarium intentum, ac proinde concludo, non minùs vnam quàm alteram formam validam eſſe, *baptizatur*, ſeu *baptizetur*.

In forma Græcorum nõ exprimitur perſona baptizantis.

Secundò iudico longè probabiliorem eſſe ſententiam Soti & Suarez, vtpotè quæ videtur manifeſtè ab Eccleſia approbata, dum approbata eſt illa forma, *Baptizetur ſeruus Chriſti*, quia quidquid ſit de conceptu interiori, quem homines ipſi formant, certiſſimum eſt, illud verbum *baptizetur* non ſignificare exteriùs, quòd ipſe proferens baptizet, nam licet concedamus poſſe ei addi *Baptizetur à me*, hoc tamen nullo penitus modo exigit vt ſit vera, ſi autem deberet id ſignificare exteriùs, deberet etiam id exigere, nemo enim dixit hanc vocem, *Occidatur Petrus*, denotare occiſorem eſſe Paulum loquentem, eſto poſſit intelligi *occidatur à me*.

Etiamſi ex ipſa actione id colligatur.

Dices fortè, Eſto illa verba ſecundùm ſe id non ſignificent; tamen eo ipſo quòd ille idem re ipſa baptizat, ſeu aquam in alterum infundit, iam denotat ſe baptizare. Reſpondeo, Aliud eſſe quòd ex ipſa actione id colligatur, aliud quòd ex verbis; nos in præſenti ſolùm dubitamus, an verba id debeant exprimere; ipſam enim actionem id denotare nemo poteſt dubitare. Adde ſimpliciter eam actionem id non denotare niſi intuenti: poteſt autem audiri forma non viſa ea actione. Ad rationem Hurtadi & aliorum dico, τὸ *Baptizantes eos in nomine Patris* nihil penitus ſignificare de expreſſione ipſius baptizantis; imò in rigore nec quidquam denotare, quòd verba ſint neceſſaria; nam verè baptizat, ſeu abluit, qui nihil dicendo abluit. 30

Vnde colligatur aliqua verba eſſe neceſſaria.

Replicabis: Vnde ergo colligitur neceſſaria eſſe aliqua verba? Reſpondeo, Ex multis definitionibus Conciliorum & Pontificum, & perpetua Eccleſiæ traditione. Certum autem eſt eam definitionem non eſſe circa hoc punctum, de quo agimus, quòd ſcilicet debeat exprimi perſona ipſius Miniſtri, cùm clarè oſtenderimus potiùs contrarium. Eccleſia enim Græca ſuo vſu & Latina dicens illam formam eſſe ſufficientem, approbat contrarium.

Cùm ex Chriſti verbis, baptizantes eos, & c. id nõ colligatur.

Quòd item vlteriùs addebat Hurtadus, participium *baptizantes* id exigere, manifeſtè reiicitur ex dictis; quia illud participium neque vllum verbum petit, vt hactenus oſtendi; multò autem minùs id per adiuncta ea verba declaratur, *Euntes docete*, &c. Imò contrarium

Digitized by Google

contrarium inde videtur oſtendi: ad docendum enim non eſt neceſſarium vt homo ipſe dicat reflexè ſe docere; ergo inde potiùs infertur, neque neceſſarium eſſe vt dicat ſe baptizare; & niſi iuxta perpetuam Eccleſiæ traditionem ea neceſſitas locutionis ſeu formæ in Baptiſmo fuiſſet intellectà ex illo ſolo præcepto Chriſti, profectò non potuiſſet colligi tacita ea expreſſio perſonæ baptizantis. Quod denique videbatur vltimo loco tacitè inſinuare, in Florentino non tradi vt validam illam formam, *baptizatur*, niſi quia intelligitur *meis manibus*, ego in Concilio non inuenio illud verbum *baptizatur*, ſed illud *baptizetur*, bis poſitum, ſemel ſine *meis manibus*, & ſemel cum *meis manibus*; ac proinde nihil inde poteſt colligi niſi pro nobis: & licet Concilium dixiſſet *baptizatur*, de indicatiuo, non propterea dixit ſine τὸ *manibus meis* non eſſe eam formam validam: nihil enim aliud ibi voluit denotare quàm illam formam per tertiam perſonam paſſiuam, ſiue de indicatiuo ſiue de imperatiuo, eſſe validam: id quod euidenter deducitur ex ratione quam ibi ſubiungit, *Cùm Miniſter ſit cauſa inſtrumentalis, non eſſe amplius neceſſarium*; hoc eſt, non eſſe neceſſarium declarare ipſam perſonam baptizantem; eſſet autem, ſi neceſſariò deberet addi *manibus meis*.

SECTIO IV.

De tempore inſtitutionis Baptiſmi.

31 *Sententia quorumdam, Baptiſmum eſſe inſtitutum poſt reſurrectionem:*

PATER Suarez diſp. 19 ſect. 1. & Vaſquez diſput. 140. cap. 2 referunt aliquos Auctores aſſerentes Baptiſmum non fuiſſe inſtitutum ante Chriſti mortem: quorum fundamentum deſumitur ex eo, quòd de ea inſtitutione maximè cum expreſſa forma, quæ neceſſaria eſt pro Baptiſmo, nihil audiatur in Euangelio ante verba illa Matthæi vltimo; *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ei ſententiæ fauere videntur aliqui Patres apud eumdem Vaſquez, maximè Leo Papa in Epiſt. 4. ad Epiſcopos Siciliæ.

Probabilius eſt, inſtitutum eſſe ante mortem.

Videtur tamen longè probabilius Baptiſmum fuiſſe inſtitutum ante mortem Chriſti, vel quando baptizauit Ionanem; vel ſaltem (vt aliqui dicunt) tunc fuiſſe decretum Baptiſmum, promulgatam verò eius inſtitutionem Ioannis 3. quando Chriſtus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: cui promulgationi cenſendi ſunt interfuiſſe multi diſcipuli Chriſti. Sententia hæc communis eſt inter Scholaſticos; vt videre eſt apud citatos, Suarez ea ſect. 1. & 2. & Vaſquez poſt ipſum cap. 3. vbi ex Auguſtino, Cyrillo, Hugone de Sancto Victore, & aliis Patribus eamdem confirmat. Probatur autem ex Scriptura Primò; nam Ioannis 1. obiecerunt Phariſæi Ioanni Baptiſtæ quòd baptizaret, cùm non eſſet Chriſtus, vel Elias; ergo iam ſciebant Iudæi Chriſtum baptizare.

Probatur ex ſacra Scriptura.

32 Dices: eodem modo ibi Iudæi loquuntur de Baptiſmo Chriſti ac de Baptiſmo Eliæ; atqui Elias & alij Prophetæ non habuerunt Baptiſmum (de quo nos agimus;) ergo non colligitur ex eo loco tunc extitiſſe inſtitutionem noſtri Baptiſmi. Reſpondeo, Ex prædicto loco colligi Iudæos audiiſſe vel vidiſſe Chriſtum baptizantem; licet ipſi non diſtinxerint inter Baptiſmum Chriſti & Baptiſmum Ioannis, aut Eliæ, vel cuiuſlibet alterius, ſi fortè alium agnouerant Baptiſmum. Nos autem, eo ipſo quòd Chriſtus tunc baptizauerit, inferimus valde probabiliter baptizaſſe per Baptiſmum præſentem ac propriè ſuum; non enim eſt probabile ipſum alio vſum Baptiſmo quàm proprio: in cuius confirmationem adduci poteſt Hieronymus citatus à Maldonato noſtro apud Vaſquez cap. 6. qui ait Ioannem baptizaſſe Chriſtum in aqua Baptiſmo non fructuoſo; Chriſtum autem è contrario baptizaſſe Ioannem in Spiritu ſancto; non quia non baptizauerit in aqua, ſed quia vtebatur iam vero Baptiſmo & fructuoſo, per quem Spiritus ſancti gratia infundebatur.

Chriſtus non alio vſus eſt Baptiſmo quam ſuo proprio.

Secundò eadem veritas probatur; nam Ioannis 3. & 4. dicitur Chriſtus baptizaſſe non per ſe, ſed per diſcipulos; ſi autem ille Baptiſmus non fuiſſet, cuius ſolus Chriſtus erat cauſa inſtituens, non diceretur ipſe baptizaſſe per diſcipulos: & ex hoc loco ſuperiùs nos probauimus Miniſtros Sacramentorum Chriſti nomine Sacramenta exercere.

Neque diſcipuli Chriſti, qui dicuntur in Scriptura baptizaſſe viuente Chriſto.

33 Ad teſtimonia in oppoſitum reſpondet Vaſquez ſuprà, aliquos fortè Patres ea de re dubitaſſe; nec mirum id eſſe, quia non eſt adeò clara inſtitutio illa ante mortem Chriſti. idem affirmat de Leone Papa; addit tamen ipſum ibi non definiuiſſe quidquam de tempore inſtitutionis, ſed vt priuatum Doctorem locutum. Quòd autem obiiciebatur, non conſtare ex Euangelio de ea inſtitutione ante reſurrectionem, reiectum eſt à nobis in probationem ſententiæ. Fatetur ergo eo loco Matthæi vltimo diſtinctiùs traditam formam baptizandi; negamus tamen ideò non fuiſſe etiam illis explicatam prius, quando nomine Chriſti baptizabant, licet Euangeliſtæ id omiſerint, ſicut multa alia ab iis ſunt omiſſa; quæ tamen non ſunt ideò neganda.

Patres aliqui de inſtitutionis tempore dubitarunt.

Illud poterat iam diſcuti, quando inceperit Baptiſmus eſſe ad ſalutem vtilis, quando verò ita neceſſarius, vt iam amplius nihil valuerit Circumciſio. Circa primum, certum videtur, ab eo ipſo tempore, quo Chriſtus vti illo cœpit illum fuiſſe vtilem, & cauſaſſe gratiam: neque enim Chriſtus illum contuliſſet inutiliter. Vnde Apoſtoli, & alij, qui eo tempore baptizari ſunt, & deinde non ampliùs receperunt illud Sacramentum, non ſunt defraudati gratiæ effectu. In hoc ergo puncto non eſt dubitandum. Secundùm verò de tempore quo cœpit eſſe neceſſarius, ita vt Circumciſio fuerit iam inualida, tractatum eſt à me Tomo 4. qui eſt de Legibus, diſput. 10. ferè per totam; vbi contra Patrem Vaſquez (quem ſequitur hîc de more Gaſpar Hurtadus diſput. 1. difficultate 15.) oſtendi, non à puncto mortis Chriſti Domini, ſed à promulgatione ipſo die Pentecoſtes facta incepiſſe obligationem; & verò nec quidem tunc vniuerſaliter pro toto mundo, ſed pro Hieroſolymis, & ſucceſſiue pro aliis partibus ad tempus ſufficiens promulgationis Euangelicæ legis, ideò de hac quæſtione nihil amplius hîc dicendum.

Quando Baptiſmus cœperit eſſe ad ſalutem vtilis, quando verò neceſſarius.

SECTIO V.

De neceſſitate Baptiſmi, maximè pro infantibus.

34 BAPTISMVM eſſe abſolutè neceſſarium ad ſalutem eſt de Fide, ex Trident. Sectione 7. cap. 2.

Neceſſitas Baptiſmi probatur ex

Digitized by Google

Scriptura & Tridentino Concilio.

cap. 2. & probatur ex verbis Chriſti paulò antè citatis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Hoc teſtimonium intelligendum eſt de neceſſitate medij; quia non baptizatus videtur ibi excludi à Regno. Quomodo autem cum hoc ſtet, vt ſine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto poſſit eſſe ſalus, dicam infrà. Porrò locum hunc ſemper intellexit tota Eccleſia de Baptiſmo & neceſſitate illius; vnde Auguſtinus 3. de Anima cap. 9. hæc habet: *Noli credere, noli dicere, Infantes, antequam baptizentur morte præuentos, peruenire poſſe ad Originalium indulgentiam debitorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Vnde non dubito ſententiam Alexandri p. 4. quæſt. 8. membro 5. Gerſonis Alphabeto 59. lit. R, quos ſequitur Caietanus quæſt 968. art. 2. docentium, Preces parentum aut obligationes aliquas poſſe prodeſſe paruulis, qui ſine parentum negligentia in vtero moriuntur, nimiùm eſſe erroneam, ſi non omnino hæreticam; nam illi infantes nec re nec voto ſuſcipiunt Baptiſmum; ergo non ſaluantur; quia ex Conciliis conſtat ſine Baptiſmo in re vel voto non remitti Originale. Vnde etiam reiiciuntur hi, qui dicunt Deum eiuſmodi infantibus morientibus ſuccurrere extraordinario modo, reiiciuntur inquam; nam cùm Concilia vniuerſaliter ponant eam propoſitionem, non poſſunt hi Auctores ſine vrgenti fundamento exceptionem aliquam facere; nullum autem in præſenti eſt, ergo. Vnde ex mandato Pij Quinti in nouis exemplaribus expuncta ſunt Commentaria Caietani articul. 1. & 2. vbi eam doctrinam tradidit.

Et ex S. Auguſtino.

Preces parentum pro paruulis ſine Baptiſmo morientibus non proſunt contra Alexandrum, Gerſonem, & Caietanum; quorum ſententia erroris arguitur.

Condemnatur ſententia Caietani à Pio V.

35 Obiici tamen poteſt in fauorem illius, non eſſe nunc peioris conditionis infantes quam fuerint in Lege antiqua, in qua habebant duo remedia contra Originale, Circumciſionem ſcilicet, & caſu quo illa non poſſet applicari, remedium Legis naturæ; ergo nunc infantes, ſi baptizari non poſſint, poterunt alia via iuuari. Confirmatur ex Gerſone: ne enim de Diuina miſericordia credendum eſt reliquiſſe eos infantes abſque omni remedio. Reſpondet Gaſpar Hurtadus, Eos infantes in Lege ſcripta vnicum tantùm habuiſſe remedium, nempe Legis naturæ, ſiue illud applicaretur per Circumciſionem, ſiue alio modo. Verùm fusè ſuprà oſtendi, verè per Circumciſionem datam fuiſſe gratiam, nec liberum fuiſſe Iudæis, niſi in caſu neceſſitatis, illud aliud remedium applicare. Secundò, ſiue ea dicantur duo remedia, ſiue vnum diuerſis modis applicatum, adhuc habet totam ſuam vim obiectio Caietani; nam in ordine ad maiorem facilitatem (ac proinde vt dicantur illi infantes fuiſſe melioris conditionis) idem omnino eſt dicere, fuiſſe duo remedia, ac dicere vnum, quod tamen hoc vel illo modo applicare liberum erat, quia eo ipſo facilior erat illis ſalutis conſecutio. Meliùs ergo reſpondetur; Etiamſi in eo puncto eſſet tunc aliquis exceſſus illum tamen aliunde compenſari de facto tum per maiorem gratiam, tum per maiorem facilitatem ipſius Baptiſmi præ Circumciſione: neque enim oportet vt in omnibus omnino facilior ſit Lex gratiæ quàm antiqua; alioquin deberet Caietanus Sacramentum Pœnitentiæ reiicere, quia illud difficultatem adfert grauem, quam non habebant olim Iudæi. Ad fundamentum Gerſonis dicimus; Vti omnes illos, qui olim de remedio Legis naturæ non ſciebant (fuere autem hi innumeri) reliquit Deus ſine vllo remedio, nec fuit tunc contra miſericordiam Dei, paruulos eorũ hominum quaſi ex integro deſerere; ita multò minus de facto eſſe contra eandẽ bonitatem Dei in caſibus aliquibus particularibus & valdè accidentariis, in quibus non poteſt Baptiſmus applicari, eos paruulos ſine proximo remedio relinquere. Et ſanè quod ad ipſos paruulos in infantia morientes attinet, tam de facto deſerti ſunt qui inter Gentiles moriuntur, quam qui inter Chriſtianos non poſſunt baptizari.

Caietani argumentum à ſolidè ſoluitur non ſatis ſolidè.

Melior & ſolidior reſponſio ad argumentum Caietani.

Gerſonis fundamento reſpondetur.

36 Illud nunc in dubium verti poteſt, Quomodo infantibus vſu rationis carentibus prodeſſe poſſit Baptiſmus. Varij fuere in hac materia errores; omitto Pelagium, qui negabat omne Originale peccatum, & conſequenter neceſſitatem Baptiſmi in infantibus ſaltem ex hoc capite: præcipuus eſt Anabaptiſtarum, qui negarunt poſſe quempiam ante vſum rationis baptizari. Hæretici item noſtri temporis cum admittant infantes poſſe baptizari, & aliunde ſine Fide ſalutem non poſſe contingere cenſeant, dixerunt vel non prodeſſe illum Baptiſmum paruulis, vel excitari in eis actus Fidei ad eum modum quo in vtero matris Ioannes Baptiſta exultauit ad præſentiam Chriſti. Aliter alij difficultati huic reſpondent, vt videre eſt apud Vaſquez diſput. 154. cap. 1. & 3.

Error Pelagij negantis Originale peccatum.

Error Anabaptiſtarum aſſerentium ſolis adultis prodeſſe Baptiſmum.

Catholica tamen doctrina duo dicit, & infantes poſſe licitè baptizari, & independenter ab vllo ipſorum actu eis remitti Originale, & gratiam infundi per Baptiſmum; ideóque eos ante vſum rationis, aut ante nouum peccatum decedentes, ſtatim ſaluari. Prima pars contra Anabaptiſtas eſt definita tum in multis Eccleſiæ Conciliis, tum perpetua traditione credita; in Tridentino Seſſione 7. can. 12. & 13. de Baptiſmo, in Mileuitano can. 2. quæ definitio repetitur in Concilio Africano: alia multa vide apud Vaſquez. Ex Scriptura etiam probat idem Auctor: vbi enim Chriſtus dixit; *Sinite paruulos venire ad me: talium enim eſt Regnum cœlorum*, videtur innuiſſe, eos poſſe baptizari: alias non poſſet eorum eſſe Regnum cœlorum: nam ſine Baptiſmo (vt ipſemet Chriſtus docuerat) non poteſt vllus intrare in Regnum cœlorũ. Vide Vaſquez ibi fusè tractantem hunc locum, vbi alias explicationes illius reiicit. Nos dicimus ſiue ea veritas in Scriptura tradatur, ſiue non, illud certum, non tradi quidquam ei contrarium. Vnde meritò dicimus Chriſtum voluiſſe infantibus etiam applicari poſſe Baptiſmum, & de hac ſua voluntate vel Apoſtolos ipſos immediatè inſtruxiſſe, vel alio modo Eccleſiæ eam reuelaſſe: nec deeſt etiam confirmatio ex Scriptura: cum enim Baptiſmus reſpondeat Circumciſioni, & hæc potuerit applicari etiam infantibus, videtur eodem modo & Baptiſmus applicari poſſe: neque enim credibile eſt, peioris nunc eſſe conditionis in Lege gratiæ omnes omnino infantes quàm olim fuerint in Lege ſcripta. Dixi *omnes*, quia aliquos per accidens eſſe peioris oſtendi paulò antè.

Doctrina Catholica proponitur contra Anabaptiſtas ex Conciliis, & ex Scriptura Marci 10.

37 Obiiciunt Anabaptiſtæ Primò quod 1. Petri 3. dicitur, homines in Baptiſmo ſaluos fieri non carnis depoſitione ſordium, ſed conſcientiæ interrogatione in Deum: at infantes non poſſunt eam interrogationem habere, ergo nec per Baptiſmum ſaluari. Reſpondeo Primò, Ibi Petrum agere cum adultis, qui conuertebantur & baptizabantur, in quibus oſtendit Baptiſmum non ordinari

Obiectio Anabaptiſtarum ex 1. Petri 3.

Soluitur.

Digitized by Google

ordinari ad abluendas corporis ſordes, ſed ſimul cum diſpoſitione ſuſcipientis (quam vocant interrogationem conſcientiæ) ea ſare gratiam, & remittere peccatum. Secundò poteſt reſponderi, interrogationem ibi accipi non propriè vt ſonat: quid enim homo debet interrogare Deum? erit ergo interrogatio idem quod puritas conſcientiæ, quam opponit depoſitioni ſordium carnis; & poteſt quodam modo dici interrogatio in Deum, quatenus qui mundam & ſanctam conſcientiam habet poteſt cum Deo iuſtè contendere, prætendere ſalutem: hanc autem munditiem ab actualibus habent paruuli.

Obiectio Secūda ex Pauli 1. Cor. 1. Obiiciunt Secundò Paulum, qui 1. Corinth. 1. agit gratias Deo, quòd neminem baptizauerit niſi Criſpum, Caium & Stephanæ domum; ergo non baptizabat infantes. Reſpondeo, Argumentum leue eſſe; Primò, quia dum dicit Stephanæ domum baptizatam, videtur includere filios & filiolos: quòd ſi nulli erant, non mirum ſi non baptizauerit. Secundò, argumentum eſt negatiuum: quòd enim Paulus prædicatione occupatus non voluerit ſe eiuſmodi Baptiſmis impedire, non probat non licuiſſe infantes baptizare.

38 *Obiectio tertia ex Marci capite vltimo.* Obiiciunt Tertiò ex vltimo capite Marci: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*; ergo ad Baptiſmum prærequiritur Fides; cuius non ſunt capaces infantes. Reſpondeo, Ibi ſermonem eſſe de adultis, quibus docendis mittebantur Apoſtoli.

Obiectio Quarta ex 1. Cor. 7. Obiiciunt Quartò 1. Corinth. 7. vbi videtur Paulus ſupponere filios fidelium ſanctos eſſe ſine Baptiſmo. Reſpondeo negando ſubſumptum: Paulus enim ibi monet, vt Chriſtianus vir maneat cum coniuge infideli, quando hæc conſentit habitare pacificè cum viro; & dat duas rationes: vna eſt, quòd ſi ſpes conuertendi vxorem; altera, quòd ſi eam deſerat, & ducat aliam, filij prioris thori immundi ſeu ſpurij reputabuntur; ſi autem ſimul maneant in matrimonio, ſancti reputabuntur filij, id eſt, è legitimo thoro nati: non enim ibi Paulus intellexit ſanctitatem habitualem. Aliæ obiectiones minoris momenti ex aliquibus Patribus videri poſſunt apud Vaſquez ſuprà, vbi benè eis ſatisfacit.

Infantes ſanctificātur per Baptiſmum independenter ab omni actione libera. Secunda verò pars Catholicæ doctrinæ, ſcilicet pueros per Baptiſmum ſanctificari independenter ab vlla propria operatione bona, facilè ſuadetur contra hæreticos huius temporis, qui etiam in eo errore non fuêre conſtantes: vt enim notauit Vaſquez ſuprà, Lutherus retractauit ſententiam priorem, & tandem conſenſit in hanc ſecundam partem; & quidem eos non eſſe *Probatur ex ſcriptura:* capaces vllius actus fidei aut amoris, ex Deuteronomij cap. 1. & Eccle. capite 6. efficaciter ſuadetur; dicitur enim ibi infantes neſcire diſtantiam boni & mali; ergo non poſſunt operari liberè, & ſe diſponere ad gratiam; ergo eam accipiunt independenter ab omni operatione bona libera.

39 *Confirmatur ex S. Auguſtino, Nazianzeno, Niceta & aliis.* Confirmatur ex Auguſtino, Nazianzeno, Niceta, & aliis Patribus apud Vaſquez cap. 3. qui expreſsè docent, ſine actu proprio infantes iuſtificari: ratio etiam eſt euidens, quia in ea ætate (vt experientia euidenter conſtat) omnino ſunt incapaces rationis; & non poteſt illis innoteſcere quidquam de myſteriis Fidei, quia nec vllam linguam callent, imò ferè carent auditu: vnde applicari huc poteſt quod Paulus ait Rom. 10. *Quomodo credent, ſi non audiuerint? Et quomodo audient ſine prædicante?* Neque poteſt ſine vrgentiſſima neceſſitate (qualis hîc non eſt) recurri ad extraordinaria miracula, vt bene Auguſtinus notauit Epiſtola 7. vbi ſimul reſpondit ad inſtantiam è Ioanne Baptiſta ſuprà pro contraria ſententia poſitam; ait enim ex ſingulari Ioannis exemplo non licere de cæteris idem dicere.

Nota tamen, aliquo modo ipſos infantes dici credere, quia eis infunditur habitus Fidei, per quem poſteà credituri ſunt myſteria Fidei, vt & Auguſtinus obſeruauit. Per hoc tamen nihil derogatur concluſioni præſenti, in qua de actu ipſo credendi diſputatum eſt. *Quo ſenſu poſſint dici infantes credere.*

SECTIO VI.

Explicatur in particulari, quæ ſit ea neceſſitas Baptiſmi?

Diximus Baptiſmum eſſe medium, ſine quo Originalis remiſſio ac proinde ſalus obtineri non poteſt; ex quo conſtat illum eſſe neceſſarium neceſſitate medij. Iam oportet explicare, Vtrùm etiam ſit à Chriſto impoſitum poſitiuum præceptum de illius ſuſceptione: aliqui, quos ſuppreſſo nomine Suarez refert diſputat. 21. ſect. 2. dicunt nullum tale eſſe; ipſe verò omnino putat illud debere admitti, quia cùm ad ſalutem non ſit ita neceſſarius Baptiſmus, vt non ſufficiat in re vel in voto, id eſt contritio loco illius; profectò ſi homo iam contritus tenetur Baptiſmum ſuſcipere (vt omnes ſupponimus teneri) ea neceſſitas debet prouenire non ex neceſſitate medij ad ſalutem; quia iam ſupponitur in gratia homo ille, ac proinde ſupponitur iam habens medium neceſſarium ad ſalutem; ergo id debet prouenire ex poſitiuo præcepto ſumendi Baptiſmum. Quòd ſi dixeris illam obligationem tunc oriri ex voto ipſius Baptiſmi incluſo in illa contritione, obiicit in contrarium Suarez; Illa contritio non neceſſariò includit votum expreſſum ſuſcipiendi Baptiſmi, ſed implicitum, quatenus eſt votum ſeruandi omnia præcepta; vnde non oritur ea obligatio Baptiſmi ratione contritionis, ſed quia iam ſupponitur obligatio ad Baptiſmum, ideò contritio eſt votum implicitum illius, ſicut eſt votum ſuo tempore ieiunandi v.g. &c. vnde addit, hoc præceptum ſe extendere ad omnes homines rationis capaces, infantes verò non obligari, quia hi non ſunt capaces præceptorum; quòd verò Chriſtus potuerit obligare etiam infideles ad Baptiſmum, certum eſt, cùm habuerit ſummam in omnes iuriſdictionem ſpiritualem. 40 *Poſitiuum Chriſti præceptum de Baptiſmo ſuſcipiendo à Suarez aſſeritur: Excipit infantes præcepti incapaces.*

Diceret tamen aliquis, Etſi probabiliter diſcurrat Pater Suarez, nequaquam tamen ſufficienter probari vllum præceptum poſitiuum Baptiſmi: etenim ſi Chriſtus Dominus omni præcepto poſitiuo præciſo habuiſſet hanc voluntatem, Nolo vt vllus ſaluetur ſine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto, caſu quo illius accipiendi commoditas fuerit, eo ipſo intelligeremus talem hominem non poſſe ſaluari, niſi Baptiſmum re ipſa ſuſcipiat data occaſione: atqui eo ipſo ſine vllo alio præcepto naturaliter eſt ille ad Baptiſmum ſuſcipiendum obligatus, ne de ſalute æterna periclitetur, ergo ad explicandam obligationem ſuſcipiendi Baptiſmi, etiam in homine 41 *Poteſt ſaluari obli-*

Digitized by Google

gatio ſuſcipiendi Baptiſmi ſine poſitiuo præcepto,

homine iam iuſtificato, non eſt neceſſum recurrere ad poſitiuum præceptum illius. Si fortè replicates, Eam voluntatem Chriſti videri omnino in ſe repugnantem, niſi interueniat ibi præceptum poſitiuum ſuſcipiendi Baptiſmi; nam homo iam habet gratiam ſi moriatur, neceſſariò eo ipſo debet ſaluari; ergo non poteſt Chriſtus eum excludere à Regno, niſi ſupponendo illum priùs cadere ex gratia; cadere autem eſt impoſſibile niſi peccando; atqui peccatum illud etiam requirit præceptum contra quod ſit; ergo debet iam ſupponi præceptum obligans ad ſuſcipiendum Baptiſmum; & quia illud non obſeruatur ab eo homine, ei aufertur gratia, & ſic tandem damnatur; Reſponderi poteſt, Licet ſufficiat de facto gratia finalis ad ſalutem, potuiſſe tamen Deum dicere, Nolo vt vllus ſaluetur, niſi ſuſcipiat ſimul data occaſione Baptiſmum, qua data volitione, ſi contingeret vt homo in gratia decederet, non tamen ſaluaretur, ſi data occaſione neglexiſſet Baptiſmum, eſto non peccaſſet in ea omiſſione, vnde colligitur eum peccaturum (niſi ignorantia excuſet) negligendo Baptiſmum, quia ponere impedimentum ad ſalutem, etſi illud non eſſet in ſe peccatum, re ipſa eſt peccatum. Si enim Deus dixiſſet, Etiamſi quis moriatur in gratia, non tamen vnquam ſaluabitur, niſi priùs ieiunauerit, profectò licet non præciperetur ieiunium, teneremur tamen ſub peccato ieiunare, ne priuaremur beatitudine, quia ipſum velle manere ſine beatitudine, eſto maneamus in gratia, eſt graue peccatum contra charitatem in ſeipſum, vti benè docet ipſemet Suarez alibi, eum hominem grauiter peccaturum, qui ſeriò optaret in hac vita manere ſemper, etiamſi maneret in gratia. Hinc videtur ſine vllo vitioſo circulo explicari poſſe, illam obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum ortam eo ſolùm ex capite, quòd Chriſtus dixerit, Nolo eſſe contentus ad ſaluandum Petrum, quòd ille ſit in gratia, niſi data occaſione baptizetur: eo enim ipſo ne Petrus de ſalute periclitetur, tenetur baptizari, data occaſione, ac proinde ſi negligat, iam peccabit, & cadet ex gratia.

Et explicari poteſt ſine vitioſo circulo.

41 *Replica ſoluitur.*

Replicabis, Totum hoc requiri de facto in omnino præcepto poſitiuo, nam etiam Deus dicit, *Nolo eſſe contentus ad ſaluandum Petrum, etiamſi ille ſit in gratia, niſi etiam die Dominico, cùm poſſit, audiat re ipſa Sacrum*, & tamen obligatio audiendi Sacri eſt ex præcepto poſitiuo, non ex eo quòd auditio ſit neceſſaria neceſſitate medij. Reſpondeo, Diſparem eſſe rationem, nam auditio Sacri præcepta eſt poſitiuè, Baptiſmus autem non. Sed contrà, quia de hoc eſt tota difficultas præſens, obiectio enim contendit, Baptiſmum neceſſariò debere eo tempore eſſe ſub poſitiuo præcepto, quia alioquin eius omiſſio non poterit nocere ſaluti, cùm iam ſupponatur homo eſſe in gratia, ac proinde ſupponatur habere quidquid eſt neceſſarium ad ſalutem. Meliùs fortè poſſet reſponderi, eam differentiam deſumi ex diuerſis voluntatibus Chriſti Domini; nam in vno caſu voluit, vt pro gloria homo non ſolùm eſſet in gratia, ſed ſimul haberet Baptiſmum, in altero nihil aliud voluit, quàm vt homo eſſet in gratia, auditionem verò Sacri tantùm voluit ad hoc, vt homo non caderet ex illa gratia; hoc autem eſt poſitiuè præcipere auditionem, licet in altero caſu ſine vllo præcepto verò ex ſola neceſſitate medij oriatur obligatio Baptiſmi.

Facilior & probabilior tamen eſt ſententia Suarez, quam tenent Vaſquez & Cardinalis Lugo:

Nihilominùs adhuc videtur longè probabilior & intellectu facilior reſolutio Suarez, quam etiam defendit Pater Vaſquez Tomo 4. in 3. p. quæſt. 84. art. 5. dubio vnico, numero 24. & Cardinalis Lugo hîc diſput. 5. ſect. 1. fusè, dicimus ergo Baptiſmum eſſe ſub præcepto poſitiuo diſtincto ab inſtitutione, qua factus eſt cauſatiuus primæ gratiæ: (id quod ſuo modo dicendum & de Pœnitentiæ Sacramento, quod relapſis in mortale poſt Baptiſmum eſt eodem modo neceſſarium in re vel in voto, ſicut Baptiſmus non baptizatis:) quòd ergo hæc doctrina ſit longè facilior quàm contraria, vt dixi, ex ipſis terminis videtur certum. Nam ſi adſit præceptum eius Baptiſmi, intelligitur ſine omni difficultate, quomodo homo verè deinde obligetur, etiamſi ſit in gratia, ad illum ſuſcipiendum, & quomodo eum non ſuſcipiendo cadat ex eadem gratia, faciliùs inquam quàm ſi recurratur ad eas voluntates Chriſti ſuprà poſitas. Quòd item ſit probabilior ea reſolutio oſtendo facilè: Nam licet de potentia abſoluta fortè poſſit in Deo eſſe huiuſmodi voluntas, qua dicat, Etiamſi inueniam hominem in fine vitæ in gratia, nequaquam tamen volo illum ad gloriam accipere, niſi re ipſa ſit baptizatus, non poteſt tamen concedi vllo modo de facto eſſe in eo talē voluntatem: ſequeretur enim manifeſtè, ſi aliqui iuſtificatus ante Baptiſmum per contritionem, poſteà data occaſione Baptiſmi illum non ſuſciperet, & ſiue ex ignorantia, ſiue aliunde non peccaret in ea omiſſione, ac in eo ſtatu moreretur, eum non ſaluandum, etiamſi in gratia decederet, quia non haberet id quod vlteriùs Chriſtus requiſiuit ad gloriam: neque item poſſet damnari, cùm ſine peccato deceſſiſſet, hoc autem eſt erroneum, ergo.

Quòd facilior probatur,

Quòd probabilior ſimiliter probatur.

43 *Obiectio ab impoſſibilitate & repugnantia caſus propoſiti.*

Dices: Repugnat ille caſus, quia cùm ſupponamus illum hominem non ſaluandum, ſi non ſuſcipiat Baptiſmum, eo ipſo peccabit eum non ſuſcipiendo, ac proinde cadet ex gratia. Sed contrà, quia in eo caſu ſunt duo, vnum eſt ipſa omiſſio in ſe Baptiſmi, hæc autem non eſt peccatum, ſed ſummùm obiectum actus peccaminoſi, alterum eſt actus peccaminoſus voluntariè omittens Baptiſmum, iam autem ſupponimus ex ignorantia malitiæ, etiamſi ille homo ſciat ſe poſſe baptizari, omittere Baptiſmum ſine vlla culpa: qui caſus nullo modo repugnat: eſt enim valdè contingens ignorantia inuincibilis malitiæ in actionibus etiam natura ſua malis, multò autem magis in tali actione, quæ nec quidem eo caſu cenſetur adhuc prohibita poſitiuè.

Dices vlteriùs, Chriſtus Dominus dum dixit, *Nollo vllum ſaluari, ſi re ipſa non ſit baptizatus data opportuna occaſione*, etiam addidiſſe, *Si re ipſa peccando omiſerit Baptiſmum.* Sed contrà, quia iam in hac voluntate ſupponitur præceptum ſuſcipiendi Baptiſmi, vt contra illud peccetur in ea omiſſione, alioquin non poſſet dici, *Si Baptiſmus peccaminosè omittatur.*

Explicatur, quæ ſit voluntas rerum quæ ſunt ſub præcepto poſitiuo.

Secundò, huiuſmodi voluntas eſt propria omnium rerum quæ ſunt ſub præcepto; *Nolo*, v. g. *Petrum exiſtentem in gratia ſaluari, ſi peccando omittat Sacrum*, imò (ſi loqui velimus magis rigorosè) etiam de rebus nullo planè modo ſub obligatione, ſed maxime indifferentibus, *Nollo vllum ſaluari, ſi peccando grauiter omittat lauare manus, ſi non fricet caput peccando tunc grauiter*, & verò etiam hoc modo,

Digitized by Google

do, *Nolo vt ſaluetur, ſi Miſſam audiat peccando in ea auditione.* Conſtet ergo in hoc ordine rerum, in quo, qui habet gratiam habitualem in fine vitæ, neceſſariò ſaluatur, non poſſe explicari in homine iam exiſtente in gratia obligationem ſuſcipiendi Baptiſmi, niſi ſit præceptum poſitiuum de illo ſuſcipiendo; quandoquidem non ita eſt factum medium neceſſarium ad ſalutem, vt ſine illo per contritionem non poſſit re ipſa obtineri ſalus. Cur autem præ aliis præceptis dicatur neceſſarius Baptiſmus in re vel in voto, dicemus infrà.

Non poteſt explicari obligatio ſuſcipiendi Baptiſmi in homine iuſto ſine præcepto poſitiuo.

44 Illud nunc addendum, Etiamſi infantes non ſint capaces vllius præcepti, parentes tamen in hoc puncto obligari vi illius ad baptizandos filios dum ſunt in periculo vitæ; nam extra hoc periculum poſſunt illos relinquere, vt iam adulti ipſi ſibi prouideant, loquor ſecluſo nouo præcepto Eccleſiaſtico; quod poteſt eſſe reſpectu parentum Chriſtianorum; nam reſpectu infidelium nihil præcipere Eccleſia poteſt: licet autem non extet vllum præceptum Eccleſiaſticum, quo parentes fideles obligentur ad baptizandos in infantia filios ſuos, conſuetudine tamen aut ſaltem ratione ſcandali ad id videntur obligari.

Parentes tenentur hoc poſitiuo præcepto pro infantibus.

Circa tempus verò, quo illud præceptum obligare primùm cœpit in mundo, vide quæ paulò ante dixi circa tempus, quo Baptiſmus cœpit eſſe neceſſarius ad ſalutem.

Rogabis, quando illud præceptum diuinum obliget adultos: ſed de hoc vide quæ ſectione vltima, agens de cæremoniis & circumſtantiis Baptiſmi, dicemus.

SECTIO VII.

An ſine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto poſſit eſſe ſalus?

45 NONNVLLI tempore ſancti Bernardi & Hugonis de Sancto Victore (vt videre eſt apud Vaſquez diſput. 154. cap. 1.) opinati ſunt à promulgatione Baptiſmi Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto,* &c. neminem poſſe ſalutem obtinere, niſi actu & re ipſa Baptiſmum ſuſceperit: id enim ea verba Chriſti ſatis apertè ſignificare videntur. Michaël autem Baius apud Vaſquez ex aliquibus Auguſtini locis malè intellectis in eandem ſententiam conſentit quoad neceſſitatem actualis ſuſceptionis Baptiſmi; addidit verò errorem peiorem priore, ſcilicet, eſto Catechumenus habeat (vt poteſt) perfectam & ſinceram charitatem ex corde puro, & conſcientia bona, ex gratia Dei, remiſſionem tamen peccatorum ſine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto obtinere non poſſe.

Error quorumdam veterum & Michaëlis Baij, non acquiri ſalutem ſine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto.

SVBSECTIO I.

Certa ſententia proponitur.

46 CONTRARIA tamen ſententia dicit non eſſe ſimpliciter neceſſarium Baptiſmum re ipſa ſuſceptum: id videtur eſſe de Fide; Primò ex Concilio Tridentino Seſſione 6. cap. 4. vbi Baptiſmum aut eius votum neceſſarium dicit ad ſalutem; vbi cùm diſiunctiuam illam ponat, oſtendit clarè, neutram illius partem determinatè neceſſariam eſſe. Secundò ex eodem Tridentino Seſſione 14. cap. 4. vbi agens de contritione docet, illam aliquando eſſe charitate perfectam, & reconciliare cum Deo ante Sacramenti ſuſceptionem, & licet ibi de Sacramento Pœnitentiæ præcisè loquatur, ratio tamen eadem eſt, vt etiam ante ſuſceptionem Baptiſmi per eam contritionem charitate perfectam contingat reconciliatio cum Deo; nam eodem modo Pœnitentiæ Sacramentum requiritur pro peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, ſicut Baptiſmus pro Originali & aliis ante ſe commiſſis; ergo ſi ea contritio ſufficit ante Sacramentum Pœnitentiæ, ſufficiet etiam ante Baptiſmum. Idem definitum eſt ab Innocentio III. in cap. *Apoſtolicam* de Presbytero non baptizato: & nouiſſime Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium idem docuêre. Probatur autem ex Scriptura Ezechielis 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor.* Item Lucæ 7. Mariæ Magdalenæ remiſſa dicuntur peccata, quia dilexit multùm: eo enim tempore iam erat inſtitutus Baptiſmus; nec probabilitatem habet vllam dicere Mariam fuiſſe baptizatam: ad quem locum multa congeri poſſunt Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus docent, charitatem, ſeu amorem Dei ſuper omnia, ſufficientem eſſe de facto diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum. Tertiò magis è re noſtra ex Act. 10. cap. idem ſuadetur: *Numquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos?* ergo ante Baptiſmum re ipſa ſuſceptum obtinuerunt remiſſionem peccatorum, & gratiam ſanctificantem per Spiritum ſanctum.

Baptiſmus non eſt ad ſalutem ſimpliciter neceſſarius: eſt de Fide Ex Concilio Tridentino. Poteſt quis iuſtificari per contritionem.

Ex definitione Innocentij III. Pij V. Gregorij XIII. contra Baium Ex Scriptura.

47 Video poſſe reſponderi huic loco, intelligi ibi per Spiritum Sanctum donum linguarum, vt illud acceperint ante Baptiſmum, non verò ipſam remiſſionem peccatorum, & gratiam habitualem. Nihilominùs tamen hæc explicatio eſt violenta: quando enim Scriptura abſolutè dicit alicui datum Spiritum ſanctum, vel eum plenum eſſe Spiritu ſancto, ſemper intelligit præcipuam Spiritus ſancti donationem, quæ eſt per gratiam habitualem: illa enim alia dona, maximè ſi homo adhuc ſit inimicus Dei, non ſufficiunt, vt ſimpliciter dicatur habere Spiritum ſanctum. Adde (quod benè obſeruat Auguſtinus 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 22. & 24.) non fuiſſe dona & gratiam linguarum conceſſa, niſi priùs conceſſa gratia habituali; licet non fuerit è contrario; eo ipſo quòd hæc fuit amiſſa, ablatum donum linguarum. Pro eadem veritate ſtant multi Eccleſiæ Patres, maximè Bernardus & Hugo de Sancto Victore, ex propoſito eam defendentes contra impugnatores illius, vt videre eſt apud Vaſquez ſuprà. Secundò principaliter ea ſententia ſuadetur; nam (vt Eccleſia tota ſentit) martyrium ſufficit ad obtinendam gratiam etiam ante Baptiſmum tam infantibus quàm adultis. In infantibus conſtat ex iis quos Herodes in odium Chriſti interfici iuſſit; licet enim aliqui Auctores dixerint eos tantùm fuiſſe ſaluatos qui circumciſi erant, cæteros verò Gentilium filios (multi enim ibi erant permixti, & omnes occidi iuſſi ſunt ab Herode) ad Lymbum, perinde ac ſi naturali morte obiiſſent, deſcendiſſe. Hæc tamen limitatio improbabilis eſt & erronea; nam omnes ferè Eccleſiæ Patres, qui videri poſſunt apud Vaſquez diſp. 153. cap. 7. vniuerſaliter de omnibus Innocentibus loquuntur. Præterea Eccleſia in Oratione eius ſolemnitatis 48
non recurrit vllo modo ad Circumciſionem, ſed ad

Per Spiritum ſanctum intelligitur donatio gratiæ habitualis.

Poteſt quis iuſtificari per martyrium.

Vt patet in Innocentibus etiam non circumciſis.

Digitized by Google

ad mortem ipſam pro Chriſto, ex qua deſumit eorum laudes, *non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt*; mors autem illa, ſeu confeſſio per mortem, planè eſt independens à Circumciſione. Hinc etiam fit, vt, iuxta omnium ferè ſententiam, ſi femina martyro afficiatur, & infans, quem vtero geſtat, occidatur etiam ante Baptiſmum, reputetur infans ille verus Martyr; quia verè ob Fidem occiſus, cum matre occiditur: & idem eſt à fortiori de infantibus iam natis & interfectis, licet baptizati non ſint. In adultis verò etiam martyrium ſufficere ante Baptiſmum, certa eſt Eccleſiæ traditio: multos enim colit vt Martyres qui baptizati non fuere, ſed conuerſi exemplo aliorum Martyrum, immediatè pòſt ſubiere martyrium; vt de ſancta Emerentiana adhuc Catechumena, de ſancto Romano, & aliis multis facilè probare poſſumus; ergo non requiritur determinatè Baptiſmus re ipſa ſuſceptus ad obtinendam ſalutem.

Infans in vtero matris vnà cum matre occiſus eſt Martyr.

Exempla adultorum Martyrum ſine Baptiſmo

SVBSECTIO II.

Quid ſit votum Baptiſmi; & quomodo per martyrium ſuppleatur eius defectus?

49 DVo hæc dubia ex proximè dictis oriuntur, Primum quidem, quia ſi alia via poteſt eius defectus ſuppleri, non videtur ille neceſſarius. Reſpondeo ex Concilio Tridentino ſupra citato, Illum ſolùm dici neceſſarium in re vel in voto; quid autem ſit votum Baptiſmi declarare iam oportet. Et in primis non eſſe neceſſarium proprium & rigoroſum votum ſuſcipiendi Baptiſmum, vniuerſaliter loquendo patet Primò in infantibus, qui ſine vllo actu proprio, & à fortiori ſine voto formali per martyrium ſaluantur. Deinde in adultis etiam non requiritur formale votum; ſufficit enim propoſitum recipiendi eum Baptiſmum: quod propoſitum impropriè ſolùm dicitur votum. Imò addo Secundò, non eſſe neceſſarium expreſſum diſtinctumque propoſitum: ſi enim quis Deum diligeret ſupra omnia, ignorans planè Baptiſmi inſtitutionem, & conſequenter non habens expreſſum propoſitum recipiendi illum; (nil enim volitum quin præcognitum,) nihilominùs iuſtificaretur. Dicitur ergo votum Baptiſmi ſaltem virtuale, quatenus qui Deum diligit ſuper omnia, ſine dubio habet propoſitum faciendi ea omnia quæ Deus grauiter imperat, cùm primùm ei conſtiterit de tali imperio. Cùm ergo Baptiſmus ſit ex voluntate Chriſti & Dei grauiter imperetur, eo ipſo qui Deum diligit ſuper omnia, vult virtualiter illum acceptare.

Neceſſitas Baptiſmi in re vel in voto.

Sufficit propoſitum;

Vel votum virtuale in amore Dei incluſum.

Obiicies; ergo Baptiſmus non eſt neceſſarius in re vel in voto neceſſitate medij. Patet conſequentia, quia iuxta dicta non aliter includitur in contritione votum Baptiſmi, quàm includatur votum ſeruandi præcepta; quatenus ſcilicet qui Deũ ſuper omnia diligit, etiam habet voluntatem ſeruandi præcepta grauiter obligantia. De hac obiectione me vide infrà in materia de Euchariſtia.

50 Secundum dubium etiam oritur ex dictis ſuprà; oſtendimus enim martyrium ſupplere vices Baptiſmi: iam ergo oportet explicare, Vtrùm cauſet gratiam independenter à contritione, & quo pacto; an verò præcisè quatenus ſupponit contritionem & amorem Dei ſuper omnia. Patet Vaſquez diſput. 143. expreſsè aſſerit martyrium non habere aliam vim delendi peccatum & cauſandi gratiam quàm ratione actus contritionis, aut amoris Dei ſuper omnia, à quo procedit; vnde infert, tria baptiſmata, aquæ, ſanguinis, & flaminis, quæ communiter diſtinguuntur, non verè diſtingui, ſed duo tantùm eſſe, aquæ & flaminis, id eſt contritionis; à quo non diſtinguitur baptiſma ſanguinis. Contraria tamen ſententia, quæ eſt Bellarmini lib. de Baptiſmo cap. 6. Suarez diſp. 29. ſect. 2. Leſſij lib. 3. de Inſtitut. cap. 10 & Gaſparis Hurtadi ſuprà difficultate 21. & Recentiorum, communiter probabilior eſt, martyrium cum ſola attritione eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad obtinendam remiſſionem mortalis & gratiam ſanctificantem. Probatur autem ex Patribus, qui cùm valdè extollant efficaciam martyrii quoad ipſam exteriorem paſſionem, ſine dubio videntur ſentire, per eam paſſionem obtineri remiſſionem peccatorum, & ſuppleri defectum Baptiſmi aut pœnitentiæ; alioquin martyrium ipſum planè impertinenter ſe haberet ad illum effectum gratiæ; quandoquidem ſola contritio illum cauſaret: baptiſmus autem ſanguinis, ſeu martyrium, non augeret, nec impediret vllo prorſus modo talem effectum magis quàm res alia quantumuis diſparata. Secundò probatur, quia infantibus per martyriũ confertur gratia quaſi ex opere operato & independenter ab actu amoris Dei ſuper omnia (vt & ipſe Vaſquez fatetur) ergo etiam adultis.

Vaſquez ſententia, martyrium iuſtificare vi contritionis

Contraria ſententia Bellarmini, Suarez, Hurtad. & Recentiorum probabilior, martyrium iuſtificans cum ſola attritione.

Obiicies Primò, Hoc argumentum nimiùm probare, ſcilicet adultos etiam ſine attritione per ſolum martyrium poſſe obtinere remiſſionem mortalis; quod tamen nec Suarez nec alij docent. Probatur ſequela; nam infantibus martyrium prodeſt etiam ſine attritione. Reſpondeo negando conſequentiam, ſolùm enim ego contendo martyrium ſupplere defectum Baptiſmi: & ſicut Baptiſmus prodeſt infantibus ſine vllo eorum actu, adultis verò prodeſt ſine contritione, non tamen ſine attritione, ita etiam martyrium infantibus prodeſſe ſine vllo actu, adultis verò ſine contritione, non tamen ſine attritione: loquor de adultis habentibus mortale. 51

Martyrium tam in adultis quàm infantibus ſupplet defectum Baptiſmi, diuerſo tamen modo.

Obiectio ex S. Pauli 1. Cor. 13.

Obiicies Secundò: Apoſtolus 1. Corinth. 13 ait, *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; ergo martyrium ſine dilectione Dei ſuper omnia non prodeſt ad ſalutem. Reſpondeo Primò, Teſtimonium hoc prout iacet acceptum etiam eſſe contra Vaſquez: quod oſtendo, nam ſine charitate, ſeu amore Dei ſuper omnia, de quo ibi agit Apoſtolus, prodeſſe poteſt etiam martyriũ in ſententia Vaſquez, nam ſi quis iuſtificatus fuiſſet per attritionem in Pœnitentiæ Sacramento ſine vllo actu amoris Dei ſuper omnia, & poſteà etiam ſi ſine amore Dei ſuper omnia per affectum Spei aut aliarum virtutum martyrium ſubiret, ſine dubio ei prodeſſet notabiliter, non quidem ad remiſſionem peccatorũ, quia iam ſupponimus anteà ei remiſſa, ſed tamen ad augendũ incõparabiliter præmium vitæ æternæ: quæ ſine dubio eſt magna vtilitas, cum tamen Paulus dicat ſine charitate nihil prodeſſe, nec faciat Apoſtolus diſtinctionem inter tolerantem martyrium præuia iuſtificatione, & tolerantem non præuia, ſed vniuerſaliter loquitur, ergo ab omnibus debet exponi. Nec poteſt dici, gratiam iuſtificantem, aut habitum charitatis, qui ſupponitur in iuſto, intelligi ab Apoſtolo nomine charitatis, vnde non negat iuſto prodeſſe martyrium, licet neget prodeſſe peccatori non amanti Deum ſuper

Retorquetur contra Vaſquez.

Digitized by Google

Paulus loquitur de actu non habitu charitatis.

per omnia: hoc inquam dici non poteſt; nam Paulus loquitur ibi non de habitu charitatis, ſed de actu, vt ex contextu conſtat; ergo cùm ſine charitate dicat nihil prodeſſe martyrium, videtur negare, ſine amore Dei ſuper omnia vlli illud prodeſſe, quod tamen falſum eſt. Ideò reſpondeo Secundò, Apoſtolum ibi fortè non ſolùm loqui de carentia charitatis,ſed de actu contrario;ac ſi diceret, Si odio habeo proximum, nihil mihi proſunt ea omnia bona opera. Quæ explicatio inde fit valdè probabilis;nam ordinariè dum dicimus,Non poſſum illum amare, plus notamus quàm carentiam amoris, & innuimus quamdam auerſionem poſitiuā aut ſpeciem odij.

Aut certè de contrario actu ſcilicet de odio proximi.

Aut de charitate erga proximum tantùm.

Reſpondeo Tertiò,Apoſtolum magis ibi loqui de charitate erga proximum quàm erga Deum; vt ex effectibus, quos illi tribuit, *Non amulatur, non agit perperam,non quærit quæ ſua ſunt,omnia ſuſtinet*,&c. ſatis probabiliter colligitur. Vnde cùm conſtet manifeſte,non eſſe neceſſarium actum amoris proximi ad valorem martyrij, vel debemus dicere iuxta ſecundam ſolutionem, per carentiam charitatis Apoſtolum intellexiſſe odium proximi, vel certe noluiſſe denotare tantam neceſſitatem eius effectus, ſed excellentiam ipſius declaraſſe, oſtendendo charitatem erga proximum eſſe excellentiorem donis gratis datis,quæ ibi enumerat,id eſt generibus linguarum, prophetia, ſcientia, &c. reſpectu verò martyrii non loqui de illo ob motiuum ſupernaturale attritiones, ſed alio modo. Reſpondeo Quartò, Paulum per charitatis vocem intellexiſſe vel actum ipſum amoris Dei ſuper omnia, vel diſpoſitionem ſufficientem; per quam homo reddatur dignus gratia & amore Dei ſuper omnia. Quæ autem ſit ea diſpoſitio, ibi non explicat.

Aut de diſpoſitione ſufficienti ad gratiam.

53 Obiicies Tertiò: Ergo qui putat ſe eſſe attritum, non tenebitur conari ad contritionem,licet, conſcientiam habeat mortalis,dummodò ſubeat martyrium. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſi ſit copia Confeſſarij, tenetur ad confeſſionem;hæc enim eſt remedium per ſe inſtitutum pro mortali poſt Baptiſmum, ſi verò non ſit copia,tenebitur conteri,quia non eſt omnino certum, martyrium cum attritione ſufficere: in tali autem occaſione tenetur certum medium eligere.

Martyrium ſubiturus tenetur confiteri ſi adſit Confeſſarius: ſi verò non adſit, tenetur conteri.

In hac ſolutione eſt nobis contrarius Pater Hurtadus, qui ea difficultate 21. putat, ſi adſit copia Confeſſarij, teneri Martyrem confiteri,at ſi non adſit, non teneri ad contritionem; quia tunc tantùm tenetur quis ad contritionem perfectam,quādo nequit alio remedio à mortalibus liberari,ne æternùm pereat;at cùm ſufficiat martyrium cum attritione, ceſſat iam illud periculum, ac proinde etiam obligatio procurandæ contritionis. Ego tamen iudico eum teneri ad contritionem:vt enim immediatè antè dixi, non videtur omnino certum, attritionem cum martyrio ſufficere;nam licet id ſit longè probabilius non tamen certum; videtur autem quilibet obligari ea hora, qua vltimò (ſine remedio emendationis, ſi error contingat) de ſalute æterna agitur, vſurpare, ſi poteſt, certum omnino remedium, & non fidere ei quod videtur probabile & probabilius:neque ideò inde ſequitur teneri ad contritionem intra Sacramentum Pœnitentiæ, cùm hoc ſit tutius; non inquam ſequitur, quia attritionem ſufficere cum Sacramento Pœnitentiæ ad iuſtificationem eſt adeo certum, vt ſit de Fide ex Concilio Tridentino; de quo alibi, ac proinde ſufficiens ex hoc capite remedium applicat qui atteritur.

Non eſt omnino certum martyrium ſufficere cum attritione.

Replicabis: esto ſit omnino certum attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere;non tamen eſſe certum, eum qui confeſſionem audit eſſe legitimè ordinatum Sacerdotem: deinde neque eſt certum eum habere tunc voluntatem ſeriam abſoluendi; ergo niſi conetur quis ad contritionem,non aſſecurat abſolutè ſuam ſalutem, & vero fortaſſe minùs quam Martyr cum ſola attritione. Reſpondeo,Ob hanc rationem valdè eſſe probabilem ſententiam eorum qui dicunt omnino obligari hominem eo puncto ad contritionē:de qua alibi. Reſpondeo Secundò,de Sacerdotio abſoluentis & de illius intentione non licere moraliter dubitare, longè minùs quàm de opinione, quam iam diſcutimus, vti dum Celebranti aſſiſtimus, non licet nobis dubitare, vtrùm ſit Sacerdos, & velit conſecrare néene: id quod maiorem locum habet in audiente confeſſionem, ſaltem quoad intentionem: nam licet in celebratione Sacri,vbi nullus pateretur detrimentum, fortaſſe poſſent aliqui ex nequitia carere intentione conſecrandi, at dum morituri excipit confeſſionem, non eſt mortale,quod velit negando illi abſolutionem ipſum perpetuò damnare; ergo ex hoc capite non eſt cur pœnitens obligetur ad contritionem habendam,ſicut in caſu martyrij. 54

Replica: Reuocatur in dubium effectus attritionis in Sacramento Pœnitentiæ.

Obiicies Tertiò:Non poteſt aſſignari inſtans, in quo Martyri anteà non habenti gratiam ea conferatur per martyrium, nam in inſtanti quo hoc completur iam non eſt homo,ergo iam non eſt capax gratiæ. Reſpondeo, Si homo deſinat eſſe per vltimum inſtans intrinſecum, in eo infundendam gratiam, ſin minùs,in eo inſtanti, in quo homo eſt ita læſus, vt naturaliter ſtatim ſequatur mors.

Quo inſtanti Martyr accipiat gratiam

Obiicies Quartò, & difficilius, Nos alibi docuiſſe, actionem exteriorem bonam nil addere meriti aut gratiæ ſupra volitionem internam, à qua procedit, vnde ſpecialiter de martyrio diximus, totum illius meritum conſiſtere in ipſa volitione illud acceptante, externam verò paſſionem non niſi indirectè conducere ad augmentum, quatenus eſt occaſio vt actus interiores diutius durent, & intentiores ſint, hinc ergo obiicies: Voluntas ſuſcipiendi martyrium, ſeu attritio, non delet peccatum mortale præcedens, nec meretur gratiam eo tempore, ergo licet actio exterior martyrij coniungatur, non merebitur remiſſionem mortalis, aut gratiam, ergo non iuſtificabitur per martyrium. Patet vtraque conſequentia,nam ſi per martyrium externum additum attritioni remitteretur peccatum, iam illa actio exterior adderet non ſolum plus de gratia, ſed ſimpliciter adderet gratiam, quam actus interior non fuerat vllo modo promeritus: quod repugnat ſuppoſitioni alibi à nobis, vt dixi, factæ. 55

Obiectio. Meritum martyrij conſiſtere in ipſa volitione.

Reſpondeo, Vniuerſaliter loquendo, quoad cæteras actiones externas, & quoad ipſa etiam tormenta martyrij, excepto vulnere naturaliter ſtatim cauſatiuo mortis, veram eſſe doctrinam illam, ſcilicet nil de gratia addi per actionem externa ſupra meritum internæ, & in ipſo etiam vulnere lethali, loquendo ex natura rei, idem eſt dicendum, quia etiam illud non eſt actio formaliter & per ſe libera, niſi quatenus oritur à libera voluntate acceptante, ergo non poteſt aliud habere meritum, quàm quod ha-

Reſponſio.

Digitized by Google

Actio externa martyrij ex opere operato, non per modum meriti, cauſat gratiam ſupra actus interni meritū.

bet ipſa actio acceptans.Per hoc tamen non tollitur quò minùs Deus ſingulatem ex liberalitate ſua voluerit fauorem annectere actioni externæ martyrij,vt ex opare operato,& non per modū meriti cauſet gratiam, vltra eam quam actus ipſe interior, à quo procedit, poteſt cauſare: ad eumdem planè modum quo actiones externæ Sacramentorum addunt nouam gratiam ſupra eam, quam meretur diſpoſitio illa,qua quis accedit ad Sacramenta. Quis modus cauſandi ex opere operato, & non per modum meriti proprij,ſed ex liberalitate Dei,non repugnat actioni externæ, licet non ſit in ſe libera libertate diſtincta ab actu, à quo procedit; neque id negatum eſt, dum vniuerſaliter actioni externæ nouum negauimus meritum.

SVBSECTIO III.

Illatio quædam; & quid requiratur ad martyrium pro ea cauſatione gratiæ?

Quid conſerat martyrium homini in gratia exiſtenti.

56 HINC collige, non ſolùm homini attrito per martyrium remitti peccatum, & primam gratiam concedi, quæ non fuiſſet conceſſa per ſolam attritionem, ſed etiam homini alioquin in gratia exiſtenti, & per voluntatem acceptantem martyrium promerenti decem v. g. gradus gratiæ, addi alios plures per ipſam externam paſſionem martyrij, eodem planè modo quo de Sacramentis diſcurritur. Quòd verò Deus hunc fauorem actioni externæ martyrij conceſſerit, colligimus ſatis efficaciter ex dictis in hac diſp. tam de martyrio infantum quàm adultorum; cur autem ex hac vi cauſatiua gratiæ non inferatur, martyrium eſſe Sacramentum, diximus alibi.

Cur martyrium non ſit Sacramentū ratio Hurtadi.

Nunc tamen obiter noto, à Patre Hurtado ea diſp. 1. de Baptiſmo, difficultate 20. ideò reijci martyrium à ratione Sacramenti, quia licet ſit ſignum gratiæ, & ex promiſſione Chriſti eam verè cauſet, non tamen illam ſignificat, neque cauſat vt illatum à Tyranno, ſed vt toleratum ſiue à paruulis ſiue ab adultis; de ratione autem Sacramenti eſt, vt illam cauſet, quatenus eſt actio procedens ab aliquo, non verò vt toleratur & recipitur. Quam etiam ſolutionem tradiderat Vaſquez diſput. 153 num. 42 iudico tamen per eam non ſufficienter rem declarari: etenim in illa reduplicatione, *Martyrium non cauſat gratiam niſi vt toleratum*, eſt magna æquiuocatio; ſi enim velit dicere, martyrium non cauſare gratiam, eò quòd ſit actio honeſta infligentis ipſum, veriſſimum dicet; id tamen neceſſarium non eſt ad rationem Sacramenti; quia licet Miniſter peccet conferendo Sacramentum, erit tamen vera actio Sacramentalis: ſi verò intendat dicere, ipſam actionem infligentis illud martyrium non eſſe neceſſariam ad ſignificandam & cauſandam gratiam, neganda eſt omnino ea propoſitio; quia eſſentialiter requiritur ea actio, & neceſſaria eſt intentio Tyranni, qua in Fidei odium velit occidere; nam ſi occideret eadem etiam phyſica actione,non tamen ob Fidem,ſed vt ſpoliaret, aut vt iniuriam ſibi illatam vindicaret; profectò non eſſet vlla ſignificatio neque cauſatio gratiæ; ergo ea actio vt actio eſt, per ſe requiritur ad eam ſignificationem.

Non declarat rem ſufficienter.

Ad martyrium neceſſaria intentio Miniſtri occidentis in odium Fidei.

57 Secundò, non oſtendit hic Auctor,cur de ratione Sacramenti ſit, quod vt actio ſignificet gratiam. Quidquid ergo de ea Hurtadi ſolutione ſit,dicimus Sacramentum eſſe cæremoniam ſacram in pignus gratiæ inſtitutam; hoc autem nequaquam reperiri in martyrio: propriè enim non eſt cæremonia ſacra, quia cæremonia vt talis dicit ordinem ad illum qui ea vtitur. Et fortaſſe in hoc ſenſu poteſt aliquo modo ſuſtineri ſolutio Hurtadi: qui enim afficit alterum martyrio non exercet cæremoniam ſacram; ipſa autem ſuſceptio vix poteſt dici cæremonia. Verùm ne faciamus vim in modo loquendi (quia ipſum pati martyrium eſt quodammodò conſecrari Deo, quaſi per cæremoniam illam ſpecialiter Deo dedicaretur) dicimus Secundò, martyrium non eſſe inſtitutum à Deo vt pignus gratiæ, & tanquam id per quod promiſſionem ſuam nobis declaret, ſed eſſe actionem cui Chriſtus annexuit gratiam; vt ſi ego dicerem Petro,Quando veneris ad me dabo tibi pallium, aduentus Petri non eſſet per modum pignoris, ſed eſſet id cui promiſſa eſt ea donatio: pignus enim tenet ſe maximè ex parte promittentis;id quod illa actio non habet: ſimiliter nec martyrium ſe tenet ex parte Chriſti, neque exercetur nomine Chriſti; ac proinde non eſt Sacramentum. De quo fuſiùs, dum egi de definitione Sacramenti.

Ex definitione Sacramenti declaratur quomodo martyrium non ſit Sacramentum.

58 Poſſet hîc quæri,quid requiratur tam ex parte infligentis martyrium, quam ex parte tolerantis, vt verum & proprium martyrium ſit; ſed hæc alio ſpectant. Breuiter tamen dico, In primis ex parte infligentis debere eſſe motiuum vel odium Fidei, vel alterius alicuius virtutis: v. g. ſi occidat, quia alter non vult falsò iurare, aut turpi deſiderio conſentire, &c. in omnibus enim caſibus iſtis alter moritur, ne Deum offendat. Si verò motiuum Tyranni ſit politicum, non erit ſufficiens ad martyrium: vnde ſi ob crimen falsò imputatum aliquis occiditur, non eſt Martyr; ſi autem quis ob iuſtam defenſionem Reipublicæ moritur, ſit Martyr, vt dixi Tomo 5. agens de fortitudine & martyrio.

Quid requiratur ex parte occidentis.

Ex parte ſuſcipientis requiritur voluntas vel actualis vel virtualis acceptans illam mortem; & quidem debet eſſe ſupernaturalis, vt habeat proportionem cum ordine gratiæ. Vnde licet quis in odium Fidei me nihil cogitantem repentè occideret, non eſſem Martyr.

Quid ex parte patientis.

Obiicies, ab Eccleſia aliquos coli vt Martyres, qui inopinatè occiſi ſunt propter Fidem, ita enim de quodam Sacerdote Catholico, qui dum per plateam pergeret ab Ariana femina tegula occiſus eſt; vbi non potuit ille moraliter mortem ſibi imminentem præuidere. Reſpondeo, Non conſtare, an non femina aliquid illi priùs obiecerit, vnde ipſe potuerit voluntariè mori. Secundò dico; Licet primum ictum inopinatè acceperit, forte non eo ipſo inſtanti mortuus eſt; ſed voluntariè poſteà dolorem illum tolerauit, & mortem acceptauit. Tertiò denique dico, Fortè in illo fuiſſe eam virtualem voluntatem, qualem ſolent habere qui inter perſecutores Fidei degunt, & à quibus ſibi timent probabiliter mortem; habent enim tunc voluntatem quandam, qua ſe exponunt morti quacumque hora aut tempore occurrenti: & probabile eſt talem vt minimum fuiſſe in eo Sacerdote, ſine dubio enim maxima pars eius ciuitatis erat hæretica, alioquin nec femina illa auſa fuiſſet illum occidere; nec operæ pretium fuiſſet pro ipſa vnum Catholicum occidere, ſi maior pars ciuitatis erat Catholica.

Quid inopinatè ex odio Fidei ſine vllo ſuo actu præuio occiditur, non eſt Martyr.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VIII.

De vnitate Baptiſmi; & an poſſit iterari?

Baptiſmus in omnibus eſt vnus ſpecie in genere moris.

59 CIRCA primam partem in titulo propoſitam duo verti poſſunt in dubium: Primum, An Baptiſmus ſit ſpecies atoma Sacramenti vt ſic; an verò ſit ratio communis ad diuerſa ſpecie Sacramenta: alterum? An conueniat vniuocè cum aliis Sacramentis? Vtraque quæſtio eſt facillima ex dictis, & vix vllius momenti: quoad primam quidem, cùm conſtet vnicam eſſe materiam illius, nempe ablutionem ex aqua elementari, & vnicam formam illam; *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. haud dubiè non minùs erit vnum ſpecie Sacramentum in genere moris, quàm homo eſt in genere phyſico vnum quid ſpecificè. Obiici tamen poteſt: Baptiſmus datus infanti non eſt idem ſpecie cum dato adulto & rationis capaci; etenim in hoc intrat vt pars eſſentialis conſenſus ipſius adulti, in illo verò non; ergo habet diuerſas partes eſſentiales vnus præ altero. Hanc obiectionem tetigi ſuprà agens de diſpoſitione requiſita ex parte ſuſcipientis Sacramentum; eſt autem communis ferè ad omnia Sacramenta; nam, excepta Pœnitentia & Matrimonio reliqua (vt diximus) conferri validè poſſunt infanti ſine eius voluntate; quæ tamen voluntas in adulto requiritur etiam in Euchariſtia pro fructu illius, iuxta communem ſententiam. Abſolutè reſpondeo,

Non verò phyſicè loquendo.

Eam differentiam eſſe quidem ſpecificam phyſicè loquendo, in genere tamen moris omnino nullam; quia nec ſignificatio illius, nec effectus, nec modus præcipuus illum conferendi vllam habet varietatem; imò, ſi velimus recurrere ad has phyſicas conſiderationes & rigores, etiam in ipſis infantibus inter ſe, & in adultis inter ſe, inuenire poſſumus eam diuerſitatem ſpecificam Baptiſmi: etenim quidquid iam ſit de volitione ipſius ſuſcipientis, ſuperiùs diximus voluntatem ſaltem ipſam Miniſtri eſſe partem eſſentialem Sacramenti: hæc autem intentio paſſim admittit diuerſitatem ſpecificam, imò & genericam, ſi ſcilicet vnus per volitionem naturalem, alter per ſupernaturalem vellent ea Sacramenta conferre, certè duæ illæ voluntates genere differrent; & inter naturales poteſt aliquando vna eſſe ob malum finem, ideóque peccaminoſa; altera ob bonum, ideóque è contrario bona; nullam ergo habet ſpecialē difficultatē ea obiectio.

Baptiſmus in genere Sacramenti conuenit cum aliis omnibus vniuocè.

60 Secundum dubium facilè ſoluitur, diximus enim ſupra, Si Baptiſmus comparetur cum aliis Sacramentis (& idem eſt de quolibet Sacramento reſpectu aliorum) tam nouæ quàm antiquæ Legis, conuenire cum illis vniuocè in genere Sacramenti. An verò per modum baptiſmatis & ablutionis in Lege veteri fuerint propria aliqua Sacramenta, vt ex eo capite magis ſpecialiter cum illis conueniat noſter Baptiſmus quæſtio eſt exigui momenti, neque huius loci: non enim agimus iam, quæ fuerint in particulari Sacramenta veteris Legis, neque qualem materiam & formam habuerint. Vbi ruſſus aduerte, etſi aliquando dicatur triplex Baptiſmus,

Quo ſenſu dicatur triplex eſſe Baptiſmus.

ſanguinis, id eſt martyrium, flaminis; id eſt contritionis, aquæ, id eſt de quo agimus in præſenti, tamen contra dicta nihil inde inferri; nam duo illa priora non ſunt Sacramenta vllo modo, licet Baptiſmi nomine vocentur, ſolumque inde denotatur, & per martyrium & per contritionem remitti poſſe Originale & actuale peccatum, & conferri gratiam.

Baptiſmi Sacramentum iterari non poteſt:

61 Secundum dubium in titulo propoſitum, An Baptiſmus ſemel validè collatus poſſit in eadem perſona iterari, eſt quidem in ſe maioris momenti, inter Catholicos tamen certum, omninò non poſſe. Nam licet aliquando ortum fuerit in Eccleſia dubium aliquod, Vtrùm Sacramenta collata ab hæreticis repetenda eſſent, iam tamen ibi ſupponebatur non fuiſſe tunc validè datum illum Baptiſmum, ſemper enim in Eccleſia fuit certum, non poſſe iterari, ſi ſemel fuit validus: ſoli Marcionitæ in ea re delirarunt. Catholicæ autem huius doctrinæ non poſſumus aliam rationem adferre quàm Chriſti Domini, ea conditione inſtituentis hoc Sacramentum, voluntatem. Eam autem Diuus Thomas conatur colligere ex verbis Apoſt. ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma*: licet enim genuinus ſenſus eius loci ſit, vnum tantùm ſpecie eſſe

Probatur ex S. Paulo ad Epheſ. 4.

Baptiſma, quia tamen multi Patres, quos Suarez refert diſp. 22. ſect. 2. intellexerunt eum locum de vnitate numerica in quolibet ſuſcipiente, vt ſcilicet iterari non poſſit, ſuam inde accipit veritas Catholica confirmationem. Eſt prætereà ea definita in Concilio Viennenſi, & habetur in c. vnico, §. vlt. de ſumma Trinit. lib. 6. & in Florentino, in decreto Eugenij, & Trident. Seſſ. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, & can. 11. de Baptiſmo. Eſt etiam tradita paſſim à Patribus, quos referunt & Suarez loco citato & Vaſquez diſp. 146. cap. 3. Reſque eſt adeò certa, vt ſuperuacaneum ſit diutiùs in ea immorari. Dixi paulò antè, non poſſe aliam reddi huius veritatis rationem quàm voluntatem Chriſti, quia reuera, ſi ille voluiſſet, vt quoties homo Fidem amittit, etiam deberet rebaptizari, vt ad Eccleſiam rediret, potuiſſet id naturaliſſimè inſtituiſſe, quare etſi bono animo, gratis tamen defatigantur illi Auctores, qui in quærendis eis rationibus deſudant: quæ enim adferuntur, magis ſunt congruentiæ quàm rationes, & quidem tales, quæ manifeſtiſſimè patiuntur inſtantiam contra ſe, vt illa qua multi vtuntur, quòd ſcilicet hoc Sacramentum ſignificet mortem & paſſionem Chriſti Domini: vnde ſicut ille ſemel tantùm pro nobis mortuus eſt, ita ſemel nos tantùm poſſumus Baptiſmum ſuſcipere. Verùm hæc patitur inſtantiam in Euchariſtiæ Sacramēto, quod adhuc magis eſt in memoriam paſſionis, & tamen poſſumus ſingulis diebus illud repetere.

Definitum eſt in Conciliis, Viennēſi, Florentino, & Tridentino.

Tota ratio refundi debet in Chriſti inſtitutionem.

Argumentum ex S. Auguſtino à Vaſquez allatum.

62 Secundam rationem ex Auguſtino adducit Vaſquez, quam dicit eſſe acutam, & tanto ingenio dignam, ait ergo Sanctus Doctor, eum qui rebaptizat non minùs perſequi Eccleſiam, quàm Tyranni olim eamdem perſecuti fuerint, nam hi corpus, illi animam occidunt: dum enim volunt dare alicui baptiſmum, eo ipſo volunt illum eſſe non baptizatum, ac proinde volunt, vt ſicut cogebat Tyrannus ad dicendum, *Non ſum Chriſtianus*; ita idem dicat qui rebaptizandus eſt, *Non ſum Chriſtianus, quia non ſum baptizatus*. Hanc rationem ego acutam iudico, ſuppoſito iam quòd Baptiſmus ſemel validè ſuſceptus faciat in perpetuum Chriſtianum: tunc enim optimè argumentatur Auguſtinus. Ad probandam tamen eam perpetuitatem puto nihil valere, nam ſi (vt dixi) Chriſtus voluiſſet vt amiſſa Fide deberet repeti baptiſmus, aut certè pro

Non valet ad probandam perpetuitatem Baptiſmi.

pro maiori gratia eo modo quo repetitur Euchariſtia;tunc ſanè non poſſet ille,qui vellet dare ſecundò Baptiſmum, dici velle cogere vt homo diceret, *Se non eſſe Chriſtianum*;ſed vel vt fateretur ſe à Fide defeciſſe:id quod verum in eo caſu eſſet, vel velle ſe adhuc magis vniri cum Chriſto;vti dum ſecundò volumus Euchariſtiam ſumere, non negamus nos fuiſſe incorporatos Chriſto,ſed quòd velimus adhuc magis conformes,& magis incorporari.

Ratio à Charactere petita ſupponit perpetuitatem Baptiſmi, non verò probat.

Tertia ratio, quam Vaſquez dicit reduci ad hanc ſecundam, eſt, quia Baptiſmus imprimit Characterem.Verùm & hæc ratio iam ſupponit perpetuitatem Baptiſmi; nam propterea Baptiſmus imprimit Characterem, quia perpetuus eſt, quòd verò debeat illum imprimere,non oſtenditur hoc argumento.

63 *Ratio à peccati Originalis per Baptiſmum remiſſione.*

Quarta ratio,quia Baptiſmus directè ordinatur ad remiſſionem Originalis; ergo cùm Originale non poſſit niſi ſemel deleri,non poterit Baptiſmus niſi ſemel ſuſcipi. Hæc etiam ratio non multùm vrget; Primò, quia ſicut Pœnitentiæ Sacramentum poteſt ſecundò ſuſcipi etiam cadendo ſupra eadem omnino peccata, quæ iam homo confeſſus fuerat; ita etiam potuiſſet Baptiſmus ſecundò repeti, licet eſſet ad remiſſionem Originalis vnicè ordinatus: ita enim debet intelligi ea ordinatio, vt ſimul cauſet gratiam; ob huius autem augmentum poterat locum habere ea repetitio.

Deinde, quia poteſt contingere vt Baptiſmus validè ſuſceptus non remittat Originale; ergo ſaltem in eo caſu poſſet repeti.Reſpondent,Recedente fictione illum cauſare gratiam, ac proinde non eſſe neceſſariam eius repetitionem. Sed contrà,quia cùm longè minùs certum ſit Baptiſmum recedente fictione cauſare gratiam, quàm quòd non poſſit repeti; profectò non debuit in huius probationem illa reuiuiſcentia adduci. Contrà Secundò,quia Auguſtinus probauit eam reuiuiſcentiam ex eo, quòd cùm Baptiſmus reiterari non poſſit,debuit reuiuiſcere,vt Originale per illum remitteretur. Vides iam hìc committi circulum,ſi rurſus ex reuiuiſcentia probètur non poſſe illum iterari.Conſtet ergo non eſſe multùm de rationibus hìc curandum; ſed vti re ipſa ex Chriſti Domini voluntate vnicè id pependit, ita vnicè in eam refundendum.

64 *Poteſt repeti Baptiſmus, quando dubium eſt an fuerit validus.*

Moueri tamen dubium poteſt,Quando Baptiſmus poſſit ſaltem ſub conditione, ex timore quòd non fuerit validus,iterari. Hac de re fusè agunt Auctores morales & Scholaſtici in præſenti;qui omnes docent tunc licitè poſſe,& verò etiam debere repeti, quandocumque omnibus penſatis dubium eſt, an fuerit validus; vndecumque ille defectus proueniat,ſiue ex defectu materiæ;vt quia dubitatur,an in aqua roſacea; id quod apud hæreticos inter viros Nobiles frequenter audio in his partibus contingere; ſiue quia non cenſetur vera forma applicata,ſiue quia defuiſſe præſumitur intentio.

Dubium ſufficiens quodnam ſit examinatur.

Dubium autem eſt illud in præſenti, quando eſt poſitiua probabilis ratio dubitandi in contrarium,vt ſi ab vno aut altero, qui fuit præſens audiret fuiſſe aquam roſaceam, aut ſe ita putare, vel quia conſtaret ita factitatum, vt dixi paulò antè cum aliis,vel quia baptizatus eſt ab aliqua ignorante fœmina, quæ probabilior vix perfectè protulit formam: item, quod notaui ſuprà, ſi vſus fuit Miniſter forma, aut materia, quæ non ſit omnino certa,eſto probabiliter Theologi aliqui eam dicant ſufficere, vt ſi loco *Patris & Filij* dixerat *Genitoris & Geniti*,&c. aut tantùm vnum digitum & leuiſſimè tetigerit aqua: quia eis caſibus eſto probabile ſit Sacramentum eſſe collatum, eſt tamen ob eas diuerſas opiniones res dubia,& non debemus exponere ſalutem æternam hominis vni opinioni incertæ, niſi quando non poſſumus applicare materiam certam (vt ſuprà cum Patre Hurtado notaui.) Dico ergo in huiuſmodi caſibus non ſolùm poſſe, ſed etiam debere repeti Baptiſmum, ſi ipſe, qui de ſe dubitat, petat, quia cùm ſit res valde neceſſaria,non poteſt ei petenti negari, quando iuſtè poteſt concedi. Dico prætereà, debere eſſe poſitiuam rationem in oppoſitum, quia purè purè dicere, Non conſtat eſſe baptizatum, non ſufficit ad repetendum, ſi talis homo natus & educatus ſit inter Chriſtianos,& à parentibus Chriſtianis:tunc enim præſumendus eſt certò baptizatus, eſto aliquis leuis ſcrupulus in contrarium eum vexet:ſecùs ſi in loco,vbi etiam ſunt infideles,inueniretur puer,nec ſciretur certò eum eſſe baptizatum:deberet enim tunc ſub conditione rebaptizari.

Debet eſſe poſitiua ratio in oppoſitum.

Vbi aduerto,in caſu neceſſitatis etiamſi baptizetur infans properanter à parente, non debere ideò nec quidem ſub conditione rebaptizari, ſi parens ſit intelligens,& dicat ſe hanc veram formam protuliſſe, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. quia tunc certiſſimè conſtat de valore Sacramenti,non minùs quàm ſi à Parocho fuiſſet baptizatus:id quod propterea noto,quia haud ita pridem ſcio à magno viro fuiſſe rebaptizatum infantem publicè, qui tamen modo dicto erat baptizatus à parente;& quidem qui priùs audierat cum plauſu Theologiam, & multos Parochos docere poterat: vbi ſanè niſi ex aliqua inaduertentia vix potuit à graui culpa excuſari talis baptizans. 65

Sed vt ad rem noſtram redeamus, in his & ſimilibus caſibus,in quibus eſt aliquod dubium, debet ſemper vel exterius vel mentaliter apponi ea conditio, *Baptizo, te N. ſi non es baptizatus*, vt hoc modo minùs quaſi attentetur rebaptizatio. De pœna in rebaptizantem dicam aliquid infrà.

Quomodo in dubio conditio ſit apponenda, quando Baptiſmus iteratur.

SECTIO IX.

De diſpoſitione neceſſaria ad recipiendum effectum Baptiſmi.

NOn loquimur de infantibus, in quibus nulla eſt diſpoſitio neceſſaria, nec item de effectu qui eſt Character;nam hic,eo ipſo quòd Baptiſmus ſit validus, cauſatur; quærimus ergo, quæ diſpoſitio requiratur in adulto & rationis capaci ad recipiendam gratiam pro Baptiſmo? Dupliciter poteſt adultus ad illum accedere, vel cum ſolo Originali ſine alio mortali; cum veniali tamen,aut ſine hoc;(ſuppono enim aliunde vt probabilius cum Originali poſſe primò coniungi veniale peccatum;) vel cum Originali & actuali mortali.Si accedat cum ſolo Originali & veniali, non eſt neceſſaria vlla contritio propria de mortali; nam de peccato non commiſſo per proprium actum non poteſt quis propriè conteri, aut atteri; ſolùm ergo in eo requiritur actus Fidei & Spei, nam *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*: ſperare item debet gratiam, quam per eum Baptiſmum recepturus eſt. Vide Patrem 66

Quæſtio eſt de adulto.

Accedēti cum Originali & veniali non eſt neceſſaria contritio, ſed Fides & Spes. Heb. 11.

Digitized by Google

Patrem Vaſquez diſp. 158. cap. 1. Dixi de mortali non eſſe neceſſarium vllum dolorem; nam ſi habeat veniale, & cupiat illud ſibi remitti, debebit de illo atteri. Tota ergo difficultas conſiſtet in eo, qui etiam habet aliquod actuale mortale, de quo quærimus, an debeat conteri, aut ſaltem atteri.

67 *Scoti ſententia, omnia peccata, per Baptiſmum ſine dolore remitti.*

Tribuitur Scoto ſententia docens ſolam voluntatem recipiendi Baptiſmum ſufficere, vt remittantur omnia peccata actualia præcedentia; Vaſquez tamen eo cap. 1. fusè illum excuſat, probans eum requiſiuiſſe aliquem dolorem ſupernaturalem, ait tamen in ea ſententia apertè fuiſſe Caietanum, Roſellam & Angelum; Gabriel verò ab eodem citatus ex parte conſentit præcedenti ſententiæ, & ex parte ei extremè opponitur; ait enim peccatum ipſum Originale omnino tolli per Baptiſmum, eo ipſo quòd validus ſit, non ſolùm caſu quo præceſſerunt peccata actualia, ſed etiam ſi in ipſa ſuſceptione grauiſſimè quis peccaret: id quod probat; nam Originale conſiſtit in debito habendi Iuſtitiam originalem; hoc autem debitum iam non ampliùs manet ſuſcepto Baptiſmo, quia iam homo non habet debitum habendi Iuſtitiam originalem, ſed gratiam habitualem, ergo non ampliùs habet peccatum Originale. Quoad peccata verò actualia præcedentia non ſolùm requirit dolorem vtcumque, ſed rigoroſam contritionem vt remittantur. In hac ſecunda parte conſentiunt cum Gabriele alij quos refert Suarez diſput. 28. ſect. 2. & Vaſquez cap. 2. alij tamen eam limitantes dicunt debere ſaltem eſſe re ipſa veram attritionem, exiſtimatam tamen contritionem. Ita Nauarrus & Corduba apud eoſdem Vaſquez & Suarez ibi.

Sententia requirens contritionem.

68 *Proponitur vera ſententia requirens aliquem dolorem.*

Conclusio Prima: Requiritur aliquis dolor ad remiſſionem peccatorum mortalium actualium etiam in Baptiſmo. Hæc eſt contra Caietanum & alios pro prima ſententia, eſtque communis inter Scholaſticos, & videtur tradita à Tridentino Seſſione 6. cap. 6. vbi agens de diſpoſitione adulti ad recipiendum Baptiſmum, ponit dolorem de peccato, & propoſitum melioris vitæ. Eam ex Patribus tradidere Auguſtinus, Baſilius & Fulgentius apud Vaſquez cap. 3. Ratione non poteſt probari; nam in poteſtate Chriſti fuit talem Baptiſmo conferre virtutem, vt eo ipſo quo quis ſeriò illum reciperet, & non committeret peccatum actuale, in ipſa ſuſceptione remitterentur illi omnia præcedentia. Eſt tamen congruentia bona pro hac ſententia, quòd ſicut propria voluntate & actu ille homo ſe auertit à Deo per peccatum; ita, vt ad Deum iterùm redeat, habere debeat aliquem dolorem de illo peccato, per quem ab eo voluntariè auertatur. Confirmatur à ſimili ex pœnitentia, quæ etiam non remittit peccatum ſine dolore de illo: nec maiorem videtur habere vim Baptiſmus ad remittenda peccata ante ſe commiſſa, quàm habeat pœnitentia ad remittenda commiſſa poſt Baptiſmum; hunc autem dolorem debere eſſe ſupernaturalem conſtat ex principiis generalibus de gratia, quod ſcilicet diſpoſitio proportionata ad recipiendam gratiam debeat eſſe ordinis ſupernaturalis.

69 *Qui in Baptiſmo non recipit remiſſionem peccati mortalis actualis, non recipit etiam remiſſionem Originalis.*

Conclusio secunda contra Gabrielem: Non poteſt remitti Originale, niſi ſimul remittantur cætera mortalia præcedentia; & conſequenter repugnat, vt qui actu peccat dum ſuſcipit Baptiſmum, aut non dolet de actuali mortali præcedenti, recipiat remiſſionem Originalis; quia non recipit remiſſionem actualis, vt & ipſe Gabriel fatetur: & ratio id ipſum oſtendit; nam ſi actu tunc peccat, non meretur remiſſionem actualis, ergo nec Originalis. Non dico de potentia abſoluta non poſſe remitti Originale ſine actuali; contrarium enim alibi docui, etiam inter ipſa actualia vnum ſcilicet ſine altero poſſe remitti: ſolùm ergo aſſero de facto non remitti vnum graue ſine altero, ſiue ambo ſint actualia, ſiue actuale vnum, Originale alterum. Probatur autem. Primò in ipſo Originali retorquendo argumentum Gabrielis: nam iuxta communiorem ſententiam, Originale conſiſtit in carentia Iuſtitiæ originalis; per eam tamen iuſtitiam intelligitur maximè habitualis gratia: nam priuatio, ſeu carentia aliorum donorum naturalium, quæ ſimul cum gratia conſtituebant in Adamo Iuſtitiam originalem, non poteſt pertinere ad rationem maculæ conſtituentis infantem dignum odio Dei, & filium iræ; ergo illud peccatum non poteſt deleri niſi acquiſita gratia habituali, per quam tollatur ea priuatio; vel, ſi daremus hominem iam non ampliùs eſſe ſubiectum capax eius gratiæ; tunc enim ea priuatio tranſiret in puram negationem, & deſineret eſſe peccatum: de quo caſu, quia in hoc ordine rerum non eſt poſſibilis, non agimus nunc; nam de facto non tollitur niſi per formam, id eſt per gratiam. Atqui in caſu poſito non infunditur ei baptizato gratia (vt ipſe Gabriel ſupponit) nec tollitur per incapacitatem nouam ſubiecti, aut carentiam debiti habendi eam gratiam; eſt enim planè ridiculum dicere, hominem ante Baptiſmum teneri habere gratiam, ſeu Iuſtitiam originalem, & non teneri eam habere ſuſcepto ipſo Baptiſmo, aut in inſtanti quo ſuſcipitur; cùm potiùs contrarium videatur dicendum, ſcilicet magis teneri in Baptiſmo quàm ante illum. Secundò reiicitur Gabriel; nam peccatum Originale (vt aliunde ſuppono) non conſiſtit in ſola priuatione gratiæ, imò nec inadæquatè illam dicit, ſed in peccato ipſo Adami moraliter facto proprio ipſis infantibus, & dante ſufficiens fundamentum, vt illi odio habeantur à Deo, & ſint filij iræ: atqui Deus de facto non deponit iram grauem contra aliquem, niſi illum admittendo in amicitiam, ſeu traducendo ad ſtatum gratiæ (vt communiter omnes Theologi ſupponunt;) ergo non deletur peccatum Originale ex condonatione Dei, niſi infundatur gratia, & cætera mortalia deleantur.

Probatur aſſertio contra Gabrielem.

Idem Gabriel impugnatur alio argumento.

Ipſe autem homo tollere illud non poteſt formaliter dando ſatisfactionem æqualem (qua alibi diximus formaliter tolli peccatum, ſi ſemel ea eſſet poſſibilis;) hoc inquam modo non ſolùm ſeorſim deleri Originale non poteſt, ſed nec ſimul cum aliis; quia purus homo non poteſt pro vllo mortali dare ſatisfactionem æqualem non ſolùm pro ſe, quando adhuc ſupponitur in peccato, ſed nec iam poſitus in gratia, & factus dignior, poteſt pro aliis ſatisfacere, vt ſuppono ex Tomo 6. de Incarnatione. Ex hic dictis ſimul eſt ſatisfactum argumento Gabrielis; oſtendimus enim non poſſe eſſe illum tranſitum ab homine obligato ad habendam iuſtitiam ad non obligatum. 70

Ad delenda peccata mortalia actualia in Baptiſmo

Concluſio Tertia: Ad remiſſionem peccatorum actualium præcedentium Baptiſmum ſufficit attritio ſupernaturalis etiam exiſtimata vt talis. Hæc eſt etiam contra Gabrielem (vt

 paulò

Sufficit attritio ſupernaturalis exiſtimata vt talis.

paulò antè dixi) qui pro actualibus requirebat rigoroſam contritionem; eſt etiam contra Nauarrum & Cordubam, qui ſaltem exiſtimatam contritionem petierunt. Noſtra autem concluſio eſt communis, vt videre eſt apud Suarez ſuprà & Vaſquez cap.4. Probatur quoad primam partem, quia ſi re ipſa ſemper requireretur contritio, Baptiſmus nunquam liberaret à peccatis, nec per illum obtineretur gratia in homine, qui antea grauiter peccaſſet: hoc autem eſt valdè abſurdum; nam Patres & Concilia ſemper ſignificant per Baptiſmum remitti peccata præcedentia; ſentiunt ergo non neceſſariò ea ſupponi remiſſa ante ipſum Baptiſmum. Quòd verò non requiratur exiſtimata contritio, patet, nam ſi re ipſa non requiritur contritio, ad quid erit neceſſarius error intellectus, quo quis putet habere ſe contritionem, quando reuera non habet? ſi verò è contrario re ipſa requiratur contritio, parum faciet bona fides, aut exiſtimatio, quòd illam habeat; nam licet bona fides ſeu exiſtimatio conducat, vt homo non peccet in ea actione aut receptione Sacramenti, non ſufficit tamen vt re ipſa validum illud efficiat, ſi non appoſuit id quod eſt neceſſarium; vt ſi quis bona fide putans eſſe vinum, verba proferat ſupra aquam, aut ſupra acetum, licet non peccet; non tamen conſecrabit: & idem eſt in omnibus aliis Sacramentis, quando omittitur aliquid ſubſtantiale, licet bona fide id omittatur.

Non requiritur contritio exiſtimata.

71 Obiicies: Chriſtus Sacramentum Baptiſmi inſtituens potuit requirere pro effectu illius attritionem exiſtimatam contritionem; id eſt, vt ſi non habet contritionem, ſaltem putet ſe illam habere: ſicut vt quis accedat ad alia Sacramenta, requiritur vel vera contritio, vel attritio exiſtimata contritio; quo caſu diximus ſuprà cauſari primam gratiam ab omnibus Sacramentis; ſi autem agnoſceretur vt attritio, tunc homo peccaret recipiendo ea Sacramenta, & à fortiori non remitterentur ei præcedentia peccata; ergo idem dicere poſſumus de Baptiſmo. Reſpondeo, Obiectionem conuincere id potuiſſe in Baptiſmo requiri; nego tamen de facto requiri, quia nullum planè eſt fundamentum ad id aſſerendum, imò potius ad contrarium. Diſparitas autem inter hoc & alia Sacramenta (excepta Pœnitentia) ea eſt, quod cætera quinque Sacramenta ſunt (vt dici ſolet) viuorum, quæ eo ipſo ſupponunt pro diſpoſitione requiſita ſtatum gratiæ, ſeu vitam ſpiritualem. Baptiſmus autem & Pœnitentia, cum ſint Sacramenta mortuorum, & per ſe inſtituta ad dandam vitam, non debent neceſſariò eam vitam ſupponere. Hinc fit, ad hoc vt homo non peccet recipiendo alia Sacramenta, debere illum iudicare, ſe eſſe in gratia, & conſequenter exiſtimare, ſe habere contritionem; in Baptiſmo autem & Pœnitentia non eſt neceſſaria ea exiſtimatio: vnde cum ſola attritione etiam cognita vt tali poteſt licitè accedere, & conſequenter recipere effectum illius: Sacramenta enim cauſant ſuum effectum, dum eſt diſpoſitio quam homo tenetur habere in eorum ſuſceptione.

Potuit Chriſtus requirere contritionem ſaltem exiſtimatam.

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA.

An filij infidelium inuitis parentibus baptizari poſſint?

1 Mvlta ſub hoc titulo continentur, quæ ſequentibus ſectionibus explicanda ſunt.

SECTIO I.

Tres priores concluſiones.

Baptiſmus infantibus inuitis parentibus collatus eſt validus.

Conclvsio Prima: Si infantes (quicumque illi ſint) baptizentur etiam reſiſtentibus parentibus, verus eſt Baptiſmus: & eis remittitur Originale, ac confertur gratia. Eſt communis inter omnes ferè Scholaſticos: eam tenet Diuus Thomas, Diuus Antoninus, & alij apud Suarez diſp.25. ſect.1. & Vaſquez diſput. 155. cap.4. eſt tamen contra Durandum, Paludanum, Marſilium, Capreolum, &c. apud eoſdem. Probatur Primò ex Auguſtino cap. 23. vbi docet, non obeſſe infanti quod ipſum offerentes non videantur credere, aut intendere Fidem, ſed aliud lucrum; & paulò poſt addit, non eſſe neceſſarium ad valorem Baptiſmi vt parentes offerant infantes baptizandos; ergo ſentit etiam inuitis parentibus baptiſmum eſſe validum. Hoc tamen teſtimonium meo iudicio non eſt admodum efficax; nam quoad primam partem expreſsè admittit Auguſtinus voluntatem in offerente vt baptizetur infans, licet finem aliquem temporalem ei aſſignet. Aliud autem eſt, non velle ſimpliciter vt baptizentur; aliud id velle, licet ob finem temporalem. Poteſt ergo dici, Auguſtinum hoc ſecundum docuiſſe ſufficere, non primum; ſicut omnes debemus dicere, adultum rationis capacem non validè baptizari, ſi non conſentiat; ſi tamen velit baptizari, licet ob finem aliquem temporalem, validum eſſe eius baptiſmum. Quoad ſecundam verò partem non vrget teſtimonium, quia ſolum dicit Auguſtinus non requiri poſitiuum conſenſum parentum; per quod non aſſerit non requiri ſaltem, vt non reſiſtant. Ratione probat idem intentum Pater Vaſquez, quia tali baptiſmo nihil deeſt vt ſit validus; nam conſenſus ipſius infantis non requiritur; vt patet in filiis Chriſtianorum; nec conſenſus offerentis, vt conſtat ex Auguſtino; ergo. Hæc tamen ratio non eſt diſtincta à fundamento ipſo ex Auguſtini auctoritate.

Teſtimonium S. Auguſtini pro hac ſententia non eſt efficax;

Ego ſanè non puto tam certam eſſe hanc concluſionem quàm eam Vaſquez facit; nam & negatur ab illis quinque magni nominis Scholaſticis: & aliunde ratio videtur habere firmum fundamentum: nam licet ex baptiſmo infantum filij Chriſtianorum ſatis probabiliter argumentum deducatur, non tamen ita, vt maxima diſparitas aſſignari nequeat; quia in illis iam parentes videntur conſentire; & licet ex nequitia non cōſentiant, quia fortè iam apoſtatarunt à Fide; quia tamen ſunt tunc Eccleſiæ ſubiecti, videtur ſufficere conſenſus ipſius Eccleſiæ; vel ſi hoc non ſufficit, poteſt conſequenter diſcurri dicendo, etiam tunc temporis illum baptiſmum eſſe nullum

Neque ratio Vaſquez conuincit.

Digitized by Google

nullum:neque ſpecialiter contra hoc eſt aliquod argumentum, niſi fortè, quod id non negetur etiam à Durando, Paludano, &c. in quo videntur conſequentiam deſeruiſſe.

Probatur concluſio ex voluntate Chriſti.

Probanda ergo eſt CONCLVSIO hoc modo. Licet Chriſtus potuerit ita inſtituere Baptiſmum, vt requireretur vel conſenſus ipſius baptizati, vel alterius, ſub cuius tutela ille eſt, aut ſaltem ne illi poſitiuè contradiceret: in omnibus enim his modis inſtituendum Baptiſmum nec leuis apparet indecentia, imò è contrario ſatis magnæ congruentiæ poſſent inueniri. Nobis tamen non conſtat vllo modo, Chriſtum requiſiuiſſe conſenſum, aut non reſiſtentiam parentum, imò ex communiori Theologorum ſententia, & ex Auguſtino, ſaltem quoad carentiam poſitiui conſenſus, contrarium colligitur; ergo non debemus dicere, illum Baptiſmum eſſe nullum.

Aliquæ obiectiones deſumptæ ex periculo in talibus infantibus retrocedendi à Fide, ſi poſtea ſint ſub cura parentum infidelium, probant (vt dicemus ſtatim) non eſſe licitum talem Baptiſmum; at inualidum eſſe nequaquam perſuadent.

3

Filij infidelium extra iuriſdictionē Chriſtiani Principis poſitorum non poſſunt licitè baptizari ſine conſenſu parentum;

CONCLVSIO SECVNDA: Si parentes infantis ſint infideles, & extra iuriſdictionem Chriſtiani Principis, non poſſunt eorum filij licitè baptizari illis reſiſtentibus. In hac fere conueniunt omnes Scholaſtici apud Suarez ſect.3. & Vaſquez cap.3. Ratio huius à priori eſt ſola voluntas Chriſti, de qua nobis conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ prohibuit talem Baptiſmum, non autem prohibuiſſet, ſi Chriſtus illum permiſiſſet; quia nulla occurrit iam ſpecialis ratio, ob quam poſſit primò ab Eccleſia prohiberi. Vide Suarez, qui aliquot Iuris capita & Concilium Toletanum pro hac ſententia refert. A poſteriori quidem ſunt aliquæ congruentiæ, ob quas potuit Chriſtus prohibere eiuſmodi Baptiſmum: Prima, propter periculum defectionis à Fide, ſi illi infantes educarentur poſteà inter infideles parentes: Secunda, ne redderetur valdè odioſa Fides, ſi liceret abſtrahere filios à parentibus non ſubditis, eoſque baptizare. Alias addunt Suarez & Vaſquez: qui vltimus putat duas has poſitas debere accipi per modum vnius, vt argumentum ſic formetur; Vel infantes baptizantur, & relinquuntur ſub poteſtate parentum infidelium, & tunc habet locum prima congruentia de periculo defectionis à Fide; vel abſtrahuntur à parentibus violenter; & ſic redditur odioſa noſtra Fides. Obiectionem contra has rationes tangemus paulo poſt.

Propter periculum defectionis à Fide.

Iudæi, licet ſubditi Principum Chriſtianorum non poſſunt inuitis parentibus baptizari.

CONCLVSIO TERTIA: Licet tales infantes ſint filij ſubditorum Eccleſiæ aut Chriſtiani Principis, quales ſunt Iudæi in multis partibus Chriſtianitatis, non poſſunt inuitis parentibus baptizari. Ita D. Thomas & alij apud Suarez ſect.4. diſſentiunt tamen nonnulli apud Vaſquez & Suarez ſpecialiter de Iudæis; quia putant eos eſſe Chriſtianorum mancipia: eſt tamen falſum fundamentum, & ratio contrarium ſuadet; nam & illi ſunt domini ſuarum rerum non minus quam Chriſtiani, & conſequenter habent ius in ſuos filios ſicut in res omnes.

4 CONCLVSIO autem noſtra ſuadetur: nam quod ſit aliquis ſubditus Principi, is non ideò amittit ius in ſuum filium; ergo non ideò poteſt Princeps illi eripere filium, eumque baptizare.

Obiectio prima ſoluitur.

Dices Primò: In Lege naturæ poterat etiam inuitis parentibus applicari infanti remedium contra Originale; ergo & nunc poterit Baptiſmus. Poſſet fortaſſe negari conſequentia; quia tunc temporis ea applicatio non videbatur habere annexum ſibi onus, quod nunc habet de facto; nam qui baptizatur ſubiicitur Eccleſiæ & omnibus illius præceptis; poteſt item ab ea puniri, &c. eo verò tempore nulla ſpecialis incurrebatur ſubiectio, nulla item obligatio profitendi Fidem, &c. cùm ergo tunc eſſet applicatio remedij præcisè in bonum ſine vllo incommodo, cur quæſo non potuit fieri etiam inſciis & inuitis parentibus? Quidquid verò de conſequentia ſit, reſpondeo Secundò, Nec tunc fuiſſe eam applicationem contra voluntatem parentum licitam; imò (vt benè ait Suarez) fortaſſe à ſolis ipſis parentibus poterat illud remedium applicari: non enim ſcimus quomodo tunc & à quibus eſſet applicandum.

Nec remediū Legis naturæ contra voluntatem parentum potuit infantibus applicari

Obiectio ſecunda difficilior.

Secundo dices, & grauiùs; Ex eo quod talis infans ſit deinde educandus inter Gentiles, & quidem more Gentilium, nullum planè deſumitur argumentum, ob quod debeat non baptizari, nam ſi ſupponamus (& reuera ita erit, ſi ſecretò ille baptizetur) illum nihil de ſuo Baptiſmo intellecturum, non grauius peccabit, quam ſi re ipſa baptizatus non eſſet; quæ ergo irreuerentia fiet Baptiſmo? quod enim hic præceſſerit, eſt nimis per accidens ad punctum irreuerentiæ. Aliunde verò poteſt ille Baptiſmus eſſe in ſummum bonum baptizati, ſi hic moriatur ante vſum rationis; vt frequentiſſimè contingit; aut ſi poſt vſum rationis diu non peccet mortaliter: cur ergo ob hanc vtilitatem maximam non poterit admitti ille materialis contemptus Baptiſmi? Fateor quidem, ſi eò quod ille eſſet baptizatus re ipſa, eſſet etiam grauiùs deinde peccaturus; aut parentes ideò in Baptiſmi contemptum ea occaſione aliquid eſſent tentaturi, vel in ignominiam & contemptum Fidei, facilè redderetur ratio, cur tunc illicitus eſſet ille occultus Baptiſmus; at ſi nullum huiuſmodi inconueniens ſequatur (vt ſupponimus) non apparet, cur ſit illicitum tunc eum infantem baptizare. Reſpondeo, Etſi fortaſſe ob hanc rationem ſatis reddatur probabilis opinio docens tunc eſſe licitum Baptiſmum; nihilominus non eſſe recedendum à communi id negante, quia certum videtur potuiſſe Chriſtum in inſtitutione Baptiſmi requirere ad hoc, vt licitè adminiſtraretur infanti, interuenire parentis illius conſenſum: hoc autem ſuppoſito, quod ita re ipſa decreuerit, ſatis probabiliter colligitur ex communi ſenſu Eccleſiæ. Quod igitur dicebatur, poſſe in magnum bonum baptizati vergere illum Baptiſmū, fatemur libenter; at ſi Chriſtus eo fine non, obſtante voluit ne id fieret, haud dubiè faciendum non erit. Adde illud bonum eſſe valdè incertum; & ad hoc ſufficere, ſi quando ille puer eſt in vitæ periculo, poſſit licitè baptizari. Quod autem rurſus dicebatur, illum contemptum Baptiſmi fore materialem, quando nulla interuenit notitia ſuſcepti Baptiſmi, eſt quidem verum quoad rationem peccati deinde ſecuturi; quia nullo modo erit (vt ſupponimus) ex hoc capite grauius. Nihilominus tamen, quod tantum Sacramentum inutiliter conferatur, & ille ipſe contemptus materialis eſt graue inconueniens: da Hoſtiam ſacram à Petro inuincibiliter ignorante eius conſecrationem proiici ad terram; procul dubio nullus erit ibi formalis contemptus: tamen ego non poſſum dare

Reddit opinionem contrariam probabilem:

Nihilominus eidem ſatisfit.

5

Digitized by Google

dare occaſionem huic contemptui etiam materiali, ſed teneor, ſi poſſum, illum impedire; ita ſuo modo dicimus in præſenti.

Obiectio tertia.

6 Dices Tertiò: Quilibet habet ius vt defendat infantem contra parentis vim;vt ſi v.g.illum vellit occidere;ergo cùm parens nolit puerum baptizari, & illi vim in hoc ipſo inferat ſpiritualem: quatenus enim impedit ne ad gratiam perueniat, cauſat illi æternam mortem,poterit ergo quis etiam inuito parente infantem baptizare. Quod argumentum ſpecialiter vrget contra ſecundam concluſionem; nam Princeps poteſt abſtrahere filium, quando malè educatur à parente; ergo poterit à ſubdito infideli abſtrahere filium, & baptizare, ne illum parens in Gentiliſmo aut Iudaiſmo educet.

Ex doctrina Suarez & Vaſquez ſoluitur.

Reſpondeo cum Suarez & Vaſquez, Ex natura rei tunc tantùm eſſe ius ad defendendum filium contra parentem, quando illi vult inferre vim contra naturam rationalem; qualis eſt corporalis mors; at in puncto Religionis,ſeu Fidei,vbi non eſt propria iniuſtitia, non licet pro filio inferre vim parenti,niſi ſpecialiter id permittatur a Deo: de qua permiſſione nil nobis conſtat, imò contrarium à Deo volitum, ſatis efficaciter oſtenditur ex dictis in prima concluſione.

Quando poſſit Princeps abſtrahere filios à parentibus.

Quoad confirmationem de ſubditis Eccleſiæ reſpondeo facilè, Eos non eſſe ſubditos niſi in temporalibus; vnde ex hoc capite non poteſt Princeps niſi in ordine ad temporalem politiam filium abſtrahere à parente;ac proinde ſimpliciter non eſſe verum, ob quamcumque malam educationem poſſe è patria poteſtate ſubduci.Cùm ergo Princeps ille admittens Iudæos aut Gentiles in ſuis Prouinciis non reputet eas ſectas contrarias temporali politiæ, non poteſt abſtrahere filios eorum Gentilium aut Iudæorum,ne in ſuis ſectis educentur: quòd ſi eas alienas religiones Reipublicæ contrarias cenſeret, vti non poſſet parentes cogere ad Fidem, ſed deberet tunc illos eiicere è Regno; ita non poteſt inuitis parentibus filios baptizare.

SECTIO II.

Quarta & quinta concluſio.

Filius infidelium parentum poteſt baptizari in mortis articulo inuitis parentibus.

7 CONcluſio Quarta; Si filius infidelis iamiam credatur moriturus, poteſt baptizari inuitis etiam parentibus: ratio eſt, quia in prædicto caſu cenſetur ille filius moraliter extra dominium parentis, & conſequenter non fit huic violentia, ſi baptizetur ille;neque item eſt periculum defectionis à Fide, cùm iam ſupponatur planè de vita deſperatum; ergo ceſſant inconuenientia ſuperiùs poſita.Aliunde autem vrget extrema neceſſitas pueri non valentis poſtea ex libertate ſua accedere ad Baptiſmum, cùm non ſperetur victurus. Ex quo capite in caſibus priorum concluſionum non erat tanta neceſſitas dandi infanti Baptiſmum.

Conciliantur ſententia Suarez & Vaſquez

Cùm in huius concluſionis ſubſtantia Suarez & Vaſquez conueniant, valdè tamen hic illum impugnat, eo quod dixerit,debere Baptiſmum fieri tunc in ſecreto inſciis parentibus.Re tamen ipſa non differunt duo hi Auctores nec quidem in circumſtantia. Nam Suarez ea ſect. 3. præciſè ait non licere violentiam inferre parentibus, vt baptizetur puer: quod ipſum docet Vaſquez cap.3.nec Suarez negat,etiam videntibus parentibus, dummodò nulla eis vis inferatur,poſſe puerum baptizari.

Filius mancipij Chriſtiano Domini ſubditi licitè baptizatur inuito parente.

Concluſio Quinta: Si infidelis ſit verum mancipium Chriſtiani, poteſt eius filius adhuc rationis vſu carens licitè à Domino illius baptizari,etiam parente inuito.In hac concluſione ſic abſtractè poſita conueniant ferè omnes Auctores, vno vel altero excepto: vt videre eſt apud Suarez diſp 25.ſect.4. 8

Dico Secundò: Eſt autem difficultas, An poſſit talis infans baptizari ſolùm quando abſtrahitur à parente,an etiam relictus ſub cura parentis. De vtroque puncto agit fuse Suarez ibi & ſect. 5. Dicendum ergo Primò, concluſionem maximè debere intelligi de filio ſeparato à patre: pro quo ſupponendum eſt ex Iure communi in mancipia(imò in Bohemia idem eſt ius Dominis in filios ruſticorum ſubditorum) poſſe Dominum ſeparare parentem à filio, & curam gerere filij per ſe vel per alium à parente diſtinctum.Ex hoc principio & alio inter Theologos certo,quòd filius infidelis,qui ſeparatus eſt à parentibus,nec poteſt iam ad eos redire,poſſit licite baptizari,infertur,Dominum ſeparando filium infidelis à ſuo patre,& accipiendo illum ſub cura propria,poſſe illum baptizare,imò ad hunc finem baptizandi filium poſſe vendere parentem, & apud ſe retinere filium,aut è contrario,retinere patrem hic in Bohemiâ v.g. & filium in Hiſpaniam vendere Chriſtiano,qui illum baptizet. Neque obeſt quod Caietanus quæſt. 67. art. 10. dicat, hoc medium vendendi parentem non eſſe proportionatum fini Baptiſmi, eò quòd venditio,quæ eſt medium,pertineat ad ordinem naturalem,finis verò ſit ſupernaturalis; hoc inquam non obeſt,quia potiùs eſt maximè iuxta rationis rectæ regulas, res naturales ordinare ad finem ſupernaturalem;ergo quando aliunde non oſtenditur,in quo ſit ea indecentia,nihil penitus contra nos infertur ex diuerſitate ordinis.

Poteſt à parente ſeparari.

Quatuor incommoda afferuntur contra illam ſeparationem.

Dices: Talis ſeparatio poteſt grauia incommoda ſecum adferre; Primò, quòd parens, ne ſeparetur à filio, poteſt fingere ſe velle fieri Chriſtianum, ac proinde ſimulatè ſuſcipere Baptiſmum. Secundò,quòd fortè priùs parentes occident ſuos filios, quàm expectent vt ſeparentur à ſe vt fiant Chriſtiani. Tertiò, quia ſi hoc faciant Chriſtiani cum filiis mancipiorum, idem facient è contrario infideles cum filiis Chriſtianorum mancipiorum. Quartò, quia facilè ipſi filij ſic baptizati poſſent poſtea redire ad infidelitatem paternam; nam ex natura rei propendemus ad parentum fidem. 9

Incommodis reſpondetur ex ſententia Suarez. Primò.

His autem omnibus benè reſpondet Suarez ſuprà. Ad primum, ibi nullam eſſe propriè coactionem ad Fidem, ſed fortè inductionem quandam, quæ ſine dubio eſt licita; vti ſanctus Gregorius Papa conabatur inducere Iudæos ad conuerſionem eos liberandos à vectigalibus, proponendo præmia,&c. & licet daremus,directè non licere intendere eo modo conuerſionem parentis,quia eſſet intendere ſimulationem illius; certè dare cauſam alioquin ex ſe honeſtam, ex qua fortè per accidens ſequetur illa ſimulatio, non habet vllam malitiam.

Secundò.

Ad ſecundum ait Suarez, non tam facilè huiuſmodi caſum contingere poſſe, vt timeri debeat hoc periculum; quod inde declarari poteſt, quia vel parens non erit adeò obſtinatus, vt malit filium mortuum quàm Chriſtianum;vel quia timebit,ne ideò ipſe poſteà

Digitized by Google

poſteà occidatur; vel quia poteſt Dominus ſeparationem facere antequam intelligat quidquam parens de eo animo. Denique, ſi caſus talis occurreret, in quo reuera illud eſſet periculum, nec illi poſſet occurri; deberet Dominus omnino ceſſare ab eo Baptiſmo. Ad tertium

Tertiò,

conſtat Gentiles non eſſe ſolicitos quid in hoc puncto faciant Chriſtiani, quia ipſi omnino iudicant ſe habere perfectum ius ad ſua mancipia; ac proinde ſi id omittant, ea eſt ratio, quod non tam multum curent Religionem, & magis ſint ſoliciti de vtilitate temporali quam de ea conuerſione. Ad quartum dicimus, ſi illud quid-

Quartò.

quam probaret, certè neque etiam mortuo parente id licere; quia etiam tunc poſſent redire filij ad parentum infidelitatem: id quod eſt contra ſenſum communem omnium. Imò addo, etiamſi ipſi parentes eos obtuliſſent Baptiſmo, poſſe habere locum idem inconueniens, ei abſolutè reſpondemus, poſſe illud facilè vitari per bonam inſtructionem in Fide, detinendo inſuper illum ne ad ea loca redeat, vbi paterna infidelitas viget.

10 Circa ſecundum caſum, videtur è contrario communis & certa ſententia docere, non eſſe licitũ baptizare talem infantem relinquendo illum ſub tutela & gubernatione parentis, quia per ſe id vergit in contemptum Baptiſmi; poteſt enim parens filium ſuum inſtruere in ſuperſtitione ſua, & planè reddere in eo inutilem Baptiſmum.

Dices; Ergo non licebit baptizare filios hæreticorum, qui inter hæreticos deinde educandi ſunt. Patet conſequentia, quia etiam talis peruertetur eodem modo quò Gentilis. Reſpondebis, Eccleſiam habere ius parentem hæreticum coërcendi, ne id faciat; hoc autem iure caret reſpectu Gentilis; ac proinde non valet ab vno ad alium conſequentia.

Diſparitas inter filios hæreticorum & infidelium proponitur.

Reſpondebis Secundò, hæreticum non abalienare ſuum filium ſimpliciter à Religione Chriſtiana, ſed ſolùm à Religione Catholica. Sed contra, quia prima reſponſio non habet ſæpè locum; nam ſæpè Eccleſia non poteſt vti in hæreticos ſua iuriſdictione, vt cum illi habent libertatem conſcientiæ: item, dum ſunt vbi nullus eſt ferè Catholicus: vti in Saxonia, Scotia, &c. tunc ergo tam certum erit ſubuerſionis periculum in filio quàm in Gentili. Quod item ſecundo loco reſpondebatur minus eſt ad rem; quia ſiue hæreticus relinquat ſuum, filium Chriſtianum, ſiue non, ei tamen aufert veram Fidem; quando autem ſemel Fides amittitur, parum videtur ad rem præſentem conducere, quod in vno errore plus minuſque decipiatur ille; præterquam quod ſæpè ſolent hæretici grauiſſimos errores & peiores quodammodò quam ipſi Gentiles inducere (excepto puncto Chriſti.)

11 Reſpondebis adhuc Tertiò, hæreticos valdè multos eſſe, maximè ex plebe, qui inuincibiliter errant, ac proinde non amittunt habitum Fidei, etiamſi poſteà aliquos materiales errores teneant: hi ergo retinebunt habitum & poterunt poſteà ſe iuuare eliciendo aliquem contritionis actum, quo iuſtificentur; proderit ergo illis Baptiſmus ad ſalutem: at in Gentili, cum non inſtruatur poſteà circa verum Deum, quem poſſit amare ſuper omnia, non inſtruetur etiam circa actum doloris & contritionis; erit ergo in eo omnino inutilis Baptiſmus. Probabilis diſparitas, quæ tamen non ſatisfacit: etenim quoad ignorantiam inuincibilem eadem eſt ratio de Gentili; nam ſine dubio & hic poteſt eam habere, vnde Baptiſmus poterit illi prodeſſe vt ſi moriatur antequam committat mortale, ſaluetur non minus quam inter hæreticos natus: quod ſi vterque mortaliter peccet, videtur etiam vterque deſtitutus iam remedio. Nam multi hæretici expreſsè damnant contritionem, & ſolum requirunt Fidem, quod ſibi ſint remiſſa peccata per Chriſtum.

Non ſatisfacit ea diſparitas in caſu ignorantiæ inuincibilis.

Propter has rationes Pater Suarez putat eamdem rationem eſſe de hæreticis ac de Gentilibus, ſcilicet non poſſe vtroſque baptizari, ſi educandi ſint inter Gentiles, aut inter hæreticos: atque ipſos miniſtros hæreticos ſemper in Baptiſmo infantium peccare, quia ſemper habent eum animum, vt illos deinde in hæreſibus inſtruant.

Sententia Suarez, non poſſe licitè baptizari filios hæreticorum inter hæreticos educandos.

12 Ego tamen primum cenſeo vtendum hic eſſe diſtinctione: Vel enim hæretici illi, inter quos educandus creditur infans, errant in ſpeculatiuis punctis tantùm; vt olim Ariani circa æqualitatem Filij cum Patre, & Neſtoriani circa vnionem hypoſtaticam: vel errant circa iuſtificationis media, vt moderni hæretici negantes bona opera, attritionem, conditionem, ſolam autem Fidem, quod ſibi ſint peccata remiſſa, agnoſcentes. Si hæretici ſint generis prioris, nullo modo puto illam Suarez doctrinam poſſe ſuſtineri; nam etiamſi talis infans credatur futurus hæreticus, non tamen erit formalis, ſed materialis, vti diximus eſſe magnam partem eorum qui inter puros hæreticos habitant; vel certè etiamſi ſit futurus formalis hæreticus; quia tamen habet inſtructionem circa media pro iuſtificatione, poterit dolere, aut alicui Sacerdoti, ſi adſit copia, confiteri, ac redire ad ſtatum gratiæ: non poſſet autem facilè remedium hoc adhibere, ſi non eſſet baptizatus; ac proinde eſſet incapax aliorum Sacramentorum.

Cum diſtinctione ſententia Suarez approbatur.

Quod ſi hæretici illi errent (iuxta dicta) circa ipſa media iuſtificationis, poteſt probabiliter ſuſtineri ea opinio Suarez, quia pro tali non videtur futurus vllus fructus in illo Baptiſmo; nam licet demus eum hominem futurum materialem tantùm hæreticum, nec amiſſurum Fidem, ſeu Fidei habitum, & licet demus eum circa vera myſteria Fidei eliciturum actus ſupernaturales Fidei; quia tamen circa media ſalutis erraturus creditur, inde etiam iam fieri videtur ei inutilis futura ea Fides; poſſet ergo probabiliter dici, non eſſe licitum per ſe eum baptizare.

Si hæretici errent circa media requiſita ad iuſtificationem.

Nihilominùs tamen neque in hoc puncto cenſeo admittendam eam ſententiam Suarez; quia (vt dixi paulò antè) multi tales ſolùm ſunt materiales hæretici: poſſum ergo ego baptizans illum infantem perſuadere mihi probabiliter, eum etiam futurum ſolùm materialiter hæreticum; cumque aliunde tales veri Dei notitiam habituri ſint, etiamſi materialiter in aliquos errores caſuri credantur, non debent propterea ſacro Baptiſmo priuari.

Quamquam & quoad hoc ſententia Suarez reijcitur.

Hæc ratio in Gentilibus omnino ceſſat; nam etſi fortaſſe, vt dixi, multi etiam materialiter tantùm à Fide defecturi ſint, veri tamen Dei ignorantiam certò habebunt, ideò neque ipſum amare neque inuocare poterunt; eritque in eis habitus Fidei, ſi tamen permanſerit, ex integro inutilis: ergo non eſt eodem modo de hæretico & Gentili diſcurrendum.

Et diſparitas aſſignatur inter filios Gentilium inter infideles educandos.

13 Denique, ſi rectè ipſius Baptiſmi profeſſionem velimus conſiderare, inueniemus hæreticos directè nihil omnino contra illam facere, ac proinde non eſſe contra reuerentiam ei Sacramento debitam,

Digitized by Google

debitam, baptizare infantem deinde in hæreſim lapſurum; vti è contrario dicebamus de Paganis

In tribus conſiſtit reuerentia Baptiſmo debita

Tria enim in Baptiſmo quaſi directè profitemur, per quæ ab omnibus aliis ſectis diſtinguimur; Primò vnitatem Dei, Secundò Trinitatem perſonarum, Tertiò Chriſtum eius Sacramenti auctorem: alias autem veritates ad Fidem pertinentes, vt cultum Sanctorum, Purgatorium, &c. ibi non profitemur.

Quam non violant baptizantes filios hæreticorum.

Hinc conſtat, contra eam profeſſionem nihil deinde hæreticos facere, maximè modernos, qui omnia illa tria profitentur, etſi aliquid faciant contra alias veritates, ad quas etiam extenditur habitus ipſe Fidei; talis autem oppoſitio non videtur eſſe contra Baptiſmum; vnde illi nequaquam Baptiſmum contemnunt, ſed potiùs æſtimant, approbant, &c. ergo contra debitam reuerentiam Baptiſmo nihil facit qui baptizat hæretici filium.

Secus baptizantes filios infidelium.

Aliter res contingit in Paganis: illi enim directiſſimè operantur in contemptum Baptiſmi, deinde in Trinitatem perſonarum, in Chriſtum, in vnitatem Dei directiſſimè blaſphemant, vnde per ſe exponitur ibi directè Baptiſmus contemptui, ludibrio, &c. non videtur autem obligatio adminiſtrantis Baptiſmum vlterius extendi, quam ne illum ei perſonæ conferat, in qua deinde directè contemnatur & Baptiſmus & profeſſio Fidei in eo facta; quod verò indirectè aliquid contra ipſum poſtea ſecuturum ſit, non tenemur vitare; alioquin quia etiam peccata (in quocumque genere illa ſint) ſunt aliquo modo contraria Baptiſmo, ſeu gratiæ habituali, quæ confertur per hoc Sacramentum, etiam non deberet baptizari ille, qui timeretur deinde futurus deprauatorum morum; imò, quod grauius eſt, etiam ipſi parentes Catholici, habitantes tamen inter hæreticos, nec facilè potentes inde exire, ac timentes ſe morituros ante vſum rationis ſuorum filiorum, non poſſent illos baptizare: etenim etiam in hoc caſu timerentur illi filij lapſuri in hæreſim; hoc autem eſt ſanè durum; ergo.

14 Hinc infero: Etiamſi miniſtri hæretici baptizantes infantem habeant animum eum docendi deinde hæreſes, & in eo animo peccent, non tamen peccare in ipſa voluntate conferendi Baptiſmi, vt Pater Suarez ſupra volebat: quia reuera collatio Baptiſmi etiam in tali caſu eſt iuſta ex ſe, neque ordinatur ad hæreſim: ergo quod autem illi habeant ſimul adiunctum malum finem, peccabunt quidem haud dubiè ratione illius finis, non tamen ex eo quod baptizent: vnde ſi daremus eos tunc cogitare quidem de futura inſtructione in hæreſi, dum tamen baptizant non facere eo animo, vt deinde peruertant: ſed præcisè vt infantem faciant Chriſtianum; dico nequaquam illos vllo modo peccaturos; quia per accidens tunc illa cogitatio aut etiam voluntas peruertendi ſe haberet ad Baptiſmum: licet enim non baptizaretur infans, poſſent illum eodem modo deinde in hæreſi inſtruere: vnde non eſt cur ab ea voluntate Baptiſmus reddatur malus. Imò cum illi hæretici, etiamſi in punctis aliis errent, iudicent tamen Baptiſmum licitè conferri, imò neceſſarium illum eſſe ad ſalutem, non capio quomodo illi peccent formaliter baptizando, quidquid ſit in altero peccato tunc per accidens adiuncto, hoc eſt, de voluntate deinde inſtruendi in hæreſi eum infantem.

Miniſtri hæretici baptizantes non peccant, etſi habeant animum baptizatos hæreſes docendi.

15 Hinc à fortiori colligitur non debere negari Baptiſmum, eò quod deinde timeatur infans futurus grauis peccator, eſto fidelis: etenim eo caſu nihil directè fit contra Baptiſmum; imò verò tali homini poteſt eſſe vtilis valdè, quia cum retineat habitus Fidei & cognitiones mediorum neceſſariorum ad ſalutem, facillimè poteſt deinde iuuari ad pœnitentiam & ad ſalutem. Ergo ex eo quod filij infidelium, antequam abſtrahantur à ſuis parentibus, baptizari non poſſunt, nihil omnino infertur de filiis hæreticorum; multò autem minùs inferetur quidquam de filiis tam hæreticorum quam aliorum infidelium; quando petunt Baptiſmum iam habentes vſum rationis; nam etiamſi tunc ſit periculum peruerſionis, quia tamen iam illi ſunt ſi[illegible] iutis quoad religionem, ſi ipſi petunt Baptiſmum, non debet eis negari: ſuppono aliunde illos eſſe ſufficienter inſtructos in Fide: vitatio autem eius ſubuerſionis quæ tunc timetur ipſos concernit; & quandoquidem ipſi iam nouerint veritatem noſtræ Fidei, faciliùs & cum reflexione maiori attendent ſibi, ne inuoluantur deinde parentum, aut eorum cum quibus conuerſaturi ſunt, erroribus.

A fortiori baptizari poſſunt filij hæreticorum & Gentiliũ petentes, & iam vſum rationis adepti.

SECTIO III.

Aliqua dubia circa præcedentem concluſionem.

16 EA nunc circa dicta reſtat difficultas, An baptizare eos infidelium filios, qui mancipia ſunt, antequam à parentibus ſeparentur, ſeu relinquendo eos in poteſtate parentum, non ſolum ſit contra reuerentiam Sacramenti, iuxta hucuſque dicta, ſed etiam contra iuſtitiam, ita vt parenti fiat iniuria in eo Baptiſmo. De hac quæſtione agit P. Suarez ea diſputatione 25. à §. *Supereſt dicendum*; vbi etiamſi valde efficacia iudicet argumenta pro parte negatiua, ob communem tamen auctoritatem putat omnino id fore contra iuſtitiam; quia licet Dominus indirectè, ſeparando ſcilicet localiter filium à patre, poſſit illum ab eius extrahere gubernatione, at ſi illum ſemel relinquit in loco eodem, non poteſt parentem impedire, ne dirigat ſuum filium: vti ſi mancipium eſt coniugatum, poteſt quidem Dominus illud mittere procul, & ea occaſione impedire ne debitum coniugale reddat, aut petat; ſi tamen ſemel vtrumque ſimul relinquat, non poteſt impedire ne ad ſe inuicem accedant: cuius ea eſt ratio, quòd illud ius ad ſe accedendi eſt quaſi connaturale matrimonio; ac proinde Dominus non habet vllum ius, vt directè impediat eum vſum matrimonij. Atqui non minus eſt connaturale parenti ius in filium ſuum, ergo etiam Dominus non habebit poteſtatem vt directè eum priuet, non poterit illum baptizare parente inuito, quia id eſt quædam gubernationis ſpecies.

Sententia Suarez, non poſſe filium mancipij infidelis non ſeparatum à parentibus baptizari ſine iniuſtitia.

17 Ego tamen iudico longè probabilius, vi virtutis iuſtitiæ baptizari optimè poſſe eum filium, etiam non ſeparatum: id quod vt valdè probabile defendit ibidem Suarez; & verò (vt notaui) videtur magis ad hoc propendere, etſi retreatur auctoritate communi ſtante in contrarium. Ratio noſtræ concluſionis eſt clara, quia educatio prolis eſt planè actio politica & ciuilis ſubordinata Magiſtratui. Vnde poteſt parentibus præſentibus mandari, Hoc & hoc doceas tuum puerum, mittas ipſum ad ſcholas, talibus veſtibus

Probabilior ſententia contraria.

Digitized by Google

bus induas, &c. multò autem magis quoad hoc erit ſubiecta ea educatio ei qui & parentis & filij dominus eſt. Et verò manifeſta experientia id conſtat ſaltem in his partibus (vbi ruſtici ſubditi habent de mancipiis multum:) de facto enim ſine vllo prorſus ſcrupulo, etiamſi filij maneant in domo parentum, ac proinde locali habitatione non ſparentur, Domini tamen præſcribunt quæ illi debeant diſcere; deinde accipiunt ipſi Domini ad ſuas aulas & matrem & filiam; filiam tamen Domina inſtruit in ſuo gynæceo, relinquit verò matrem in aliis inferioribus officiis laborare. Denique, ſiue mancipium ſit cum parente, ſiue ſine illo, nemo dubitare poteſt, quin Dominus licitè poſſit contra voluntatem etiam parentum nolle vt illud diſcat opificium quod parens vult, ſed præcisè illud quod ipſe Dominus vult; nolle item vt comedat quæ parens vult, ſed quæ Dominus ipſi dat: idem de veſtibus iudicium. Ergo cùm aliunde Baptiſmus ſit actio honeſtiſſima in ſe, poterit Dominus curare filium baptizari etiam inuito parente, eo maximè titulo, quia vt ſibi ſit deinde fidelis, vult eum eſſe Chriſtianum.

Declaratur vſu & conſuetudine Regni Bohemiæ.

18 Denique, qui poteſt quod plus eſt, poteſt quod minus, ſi illud minus includatur in maiori. Quæ propoſitio lumine naturæ eſt nota, niſi aliunde oſtendatur manifeſta repugnantia: qui enim poteſt licitè alterum occidere, quo ſeparat illum à filio v.g. poteſt à fortiori non occidendo ſeparare à filio: & qui poteſt auferre alteri mille, poteſt auferre ſolos centum; & ſic de aliis. Atqui Dominus poteſt mancipium patrem ſeparare à filio; in qua ſeparatione includitur priuatio educationis parentis; ergo non ſeparatum poterit ea educatione priuare; quia reuerà non poteſt excogitari ratio vlla apparens, cur ex ea præſentia parentis teneatur Dominus in filium illum (qui eſt res ipſius Domini) non habere curam, ſed eam committere ipſi parenti; neque oſtendi è contrario poteſt, quòd ius addat ea præſentia ipſi parenti, vt priuari iam non poſſit educatione, qui poterat vtraque ſimul priuari.

Argumentum à maiori ad minus lumine naturæ notum.

19 Solùm vrget inſtantia allata de matrimonio, poteſt enim Dominus ſeparare mancipia, non tamen poteſt impedire, vt ſi ſimul habitent, non reddant ſibi debitum coniugale. Reſpondeo Primò, Fortaſſe id non eſſe vniuerſaliter verum, quia ſi Dominus aduertat inde mancipium reddi inutile valdè ad laborandum, poterit ei eam actionem prohibere. Secundò, quidquid de hoc ſit, Faciliùs nego conſequentiam ad noſtrum caſum; eſt enim manifeſtiſſima duplex differentia: Prima, quòd redditio & petitio debiti non eſt actio politica & ciuilis ſubiecta Reipublicæ, neque ipſis Dominis; quia immediatè & per ſe non eſt in bonum Reipublicæ: ac proinde circa illam non poteſt eſſe directum ius; vnde etiam ipſa Reſpublica (eſto ciues non ſint illius mancipia) poteſt maritum ob neceſſitates publicas obligare ad bellum, aut negotium aliud expediendum, mandando inſuper ne ſecum vxorem accipiat, ſi putatur ei futura impedimento in ea cauſa Reipublicæ; quo caſu indirectè impedit ne coniugale debitum ſibi reddant: non poteſt autem eos ſimul habitantes impedire in eo debito; & tamen (vt ſuprà diximus) non poteſt ciuilis Magiſtratus curare baptizari filium ſui ſubditi, quod poteſt verus Dominus; ergo ex eo puncto matrimonij nihil infertur ad rem præſentem.

Inſtantia Suarez de matrimonio ſoluitur:

Et aſſignatur duplex diſparitas.

Secunda differentia eſt, quia copula illa eſt remedium naturale ad vitandas tentationes carnis; ergo immediatè non poteſt Dominus eam illis prohibere.

Dominus non poteſt prohibere debitum coniugale: poteſt tamen impedire ſeparando coniuges localiter.

Dices, Hinc ſequitur, neque poſſe eam impedire ſeparando eos localiter. Nego conſequentiam, quia certiſſimum eſt, difficilius longe eſſe ſe continere in præſentia, & (vt ſic dicam) in potentia proxima, quàm ſi abſentes ſint; vnde eſto poſſit eos ſeparare, non tamen poterit præſentes impedire; non ergo ex debito coniugali quidquam infertur de educatione mancipij.

Secundò circa dicta poteſt quæri, Vtrùm non ſolùm liceat Dominis baptizare eos infantes, ſed etiam ad id teneantur: neque enim duo hæc ſunt inter ſe connexa *poſſum & debeo*. Pater Suarez ſuprà putat omnino non teneri; quia Dominus infantis mancipij poteſt quomodocumque velit illud vendere, etiam Gentilibus: ſi enim illi caperentur in bello, & poſteà petatur redemptio vel per pecuniam, vel alio modo, negari nequit, quin Dominus licitè poſſit illum infantem remittere; ergo licitè poteſt eum non baptizare: nam ſi baptizatus eſſet, non poſſet remitti. Vrget, quia ſi Chriſtiani non poſſent vendere infantes infidelium captos, haberent occaſionem & ipſi infideles non permittendi redemptionem Chriſtianorum infantium, quos illi è contrario caperent. Deinde ipſis Dominis Chriſtianis imponeretur graue onus, ſi deberent ſemper tales alere, nec poſſent pecuniam pro illis accipere. Vnde rurſus non eſſent in bello ita ſoliciti de capiendis hoſtibus; vel certè citiùs eos occiderent quam caperent. Denique in contrarium nihil poteſt obiici, nam etiamſi Dominus poſſit, ſi velit, eam gratiam infanti præſtare, non proptereà cum incommodis grauibus tenetur id facere: id quod confirmo efficaciſſimè, nam ſine dubio, ſi ego haberem pecuniam, & viderem vendi talem vel talem infantem, poſſem licitè illum emere, & baptizare, & educare piè, non tamen tenerer ad id, quia ad bonum ſpirituale proximi non tenemur cum damno noſtro: ſi ergo non teneor exponere pecuniam, ergo nec teneor pecuniam oblatam pro liberatione infantis contemnere, & eum apud me retinere vt illum baptizem. 20

Sententia Suarez Dominum non teneri baptizare filium ſui mancipij:

Argumenta pro illa & inſtantia.

Nemo tenetur ad bonū ſpirituale proximi cum damno ſuo.

Replicabis 3. Si ille iam adultus peteret Baptiſmum, non poſſet ei negari; ergo neque de facto poterit illum ei negare Dominus, quia ipſe ſuccedit in voluntatē infantis. Reſpondeo, Conſequentiam nullam eſſe, quia Dominus non tenetur facere ea quæ infans peteret, ſed vtitur titulo iuſtitiæ in rem ſuam vendendo illam, etiamſi per accidens deinde ſequatur eius damnum, vel in caſu ſuprà poſito non tenetur emere infantem vt eum baptizet. Deinde, ſi infans iam adultus Baptiſmum peteret, ipſiuſmet petentis eſſet habere curam, ne deficeret à Fide, ideoque optimè poſſet illum etiam baptizatum Dominus tunc vendere infidelibus: præſumeretur enim tunc retenturus Religionem, quam voluntariè ſuſcepit: at ſi infās baptizaretur à Domino, non poſſet vendi, quia Dominum, qui illum baptizauit, concerneret tunc eum retinere, ne exponeret eum periculo apoſtaſiæ, ac proinde iam cogeretur illum non vendere: id autem iuxta dicta eſſet graue onus ipſius Domini; non obligat autem nos bonum ſpirituale proximi cum graui damno noſtro. 21

Replica:

Soluitur.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Vltima in hoc puncto concluſiones.

22 *Filij à parẽtibus abſtracti poſſunt baptizari inuitu ipſis.*

CONCLVSIO SEXTA: Si puer abſtractus eſt iam à parentibus, ſiue iuſtè ſiue iniuſtè, ita vt parenres ampliùs nec noſcantur (in omnibus his concluſionibus nomine parentum intelligo etiam tutores vel ex iure vel ex natura rei deſignatos) nec vlla ſit ſpes redeundi ad illos, poreſt infans baptizari licitè quamuis conſtaret parentes fore inuitos; nam irrationabiliter tunc cenſentur inuiti, cùm in ordine ad corporalem quaſi vſum filij iam penitus amiſiſſent proximam potentiam; in ordine autem ad ſpiritualia non poſſunt eſſe directè inuiti, quia non habent dominium in ſpiritum filij. Pater Vaſquez opinatur Suarium in hac ſententia non tenere conſequentiam, eò quòd dicat ipſam actionem baptizandi contra voluntatem parentis eſſe iniuſtitiam. Vnde infert Vaſquez, Ergo licet filius ſit in loco, vnde ad parentem remitti non poſſit, erit actus contra iuſtitiam illum baptizare. Sicut ſi quis vtatur re aliena inuito Domino, facit contra iuſtiriam, vbicumque res ea ſit. Non videtur Vaſquez bene attendiſſe ad ſententiam Suarez, qui cùm concedat filium iam morti vicinum poſſe baptizari inſcio parente & inuito, ſine dubio non conſtituit iniuſtitiam in ipſa actione baptizandi, ſed in ea quatenus eſt coniuncta cum vi aliqua parenti illata, aut certè cum abſtractione infantis à patria poteſtate; cùm ergo in caſu concluſionis nec vis nec noua abſtractio cauſetur, non poteſt eſſe contra iuſtitiam etiam in ſententia Suarez illi Baptiſmus. Neque inſtantia illa rei abſentis à Domino, qua ego non poſſum vti, eſt ad rem; quia Dominus ſaltem eam donando poſſet diſponere de re abſente; ac proinde nemo contra eius voluntatem poteſt illam diſtrahere. At filius non eſt parentis niſi purè putè in ordine ad educationem: quòd ſi hæc ob eam diſtantiam iam ſit impoſſibilis, non poteſt impedire Baptiſmum. Deinde res, pallium v. g. cenſetur eſſe meum in perpetuum, ac proinde ob impotentiam præſentem eo vtendi non debet mihi auferri. At filius non ſubiacet parenti quoad religionem, niſi dum caret vſurationis; ac proinde ſi eo tempore non poteſt eſſe ſub parente, non poteſt hic impedire eius Baptiſmum.

Vindicatur Suarez cõtra Vaſquez.

Filius quoad religionem nõ ſubiacet parẽti, niſi quãdo caret vſu rationis.

23 *Nõ poteſt baptizari filius inuitus in dubio vſus rationis etſi parentes permittant:*

CONCLVSIO SEPTIMA: Si filius infidelis parentis ſit in ætate, in qua dubitetur, an habeat vſum rationis, & dicat ſe non velle baptizari, parens verò permittat eum baptizari, non poteſt licitè extra caſum extremæ neceſſitatis baptizari: ita Suarez ſect. 3. & Vaſquez ſuprà cap. 3. contra Sotum, qui putat id licitè fieri. Probatur, quia eſt periculum faciendi inuoluntarium, & conſequenter irritum Sacramentum: ſi enim reuerà habeat vſum rationis, reſiſtentia ipſius facit inuitum Baptiſmum, ac proinde inualidum. Aliam rationem addit Suarez, quòd in dubio melior eſt conditio poſſidentis; ergo tunc melior eſt conditio ipſius infantis poſſidentis ſuam libertatem. Ratio hæc meritò diſplicuit Patri Vaſquez, quia infans non poſſedit anteà ſuam libertatem, imò de hac ipſa poſſeſſione dubium totum eſt; ergo non habet locum ibi conditio poſſidentis; è contrario potiùs dicendum eſt parentem eſſe qui poſſidet tunc ius; nam illud poſſedit vſque ad eam horam, & iam incipit tantùm dubium, an debeat illud amittete, ergo ex poſſeſſione antiqua melior eſt eius conditio in præſenti dubio quàm filij.

Dixi, extra caſum extremæ neceſſitatis talem non poſſe baptizari, nam ſi infans iam ſit depoſitus, cenſeo cum Vaſquez licitè poſſe & debere baptizari: licet enim ſit periculum faciendi inualidum Sacramentum, quia tamen eſt probabile etiam quòd fiet validum, & puer ſaluabitur, nec poſſit expectari, donec conſtet, an habeat vſum rationis, neceſſarium erit propter æternam ſalutem illius ſuperare periculum, quod poſſet eſſe faciendi irritum Sacramentum, vt in multis aliis caſibus conſtat faciendum. 24

Niſi in caſu extremæ neceſſitatis.

CONCLVSIO OCTAVA: Si vnus ex parentibus, ſiue ille pater ſiue mater ſit, & ſiue Chriſtianus ſiue infidelis, conſentiat in Baptiſmum filij, poteſt hic licitè baptizari. Ita Suarez ſect. 3. ex cap. 2. Extra. de conuerſiis infidelium, vbi Gregorius IX. id docet, & ex Concilio Toletano IV. idipſum fusè probat: & ratio eſt, quia cùm in præſenti caſu videatur eſſe inter vtrumque parentem æqualis cauſa, ſi ius naturale conſideremus, præualere debet ille, qui bonum pueri intendit, niſi aliunde nobis conſtaret de contraria ſpeciali diſpoſitione Chriſti inſtituentis Baptiſmũ (de qua in præſenti nil habemus,) ergo adiudicanda eſt cauſa parẽti permittenti Baptiſmũ.

Filius conſentiente vno ex parentibus poteſt licitè baptizari.

Dices, Id verum eſſe, ſi pater permittat, at non videri verum, ſi tantùm mater, quia hæc minus ius habet in filium, ergo non debet eius voluntas præualere voluntati patris. Fateor ob hanc obiectionem non eſſe tam certum ſufficere voluntatem matris quàm patris, nihilominùs tamen dicimus vtramque ſeorſim ſufficere, quia ſi eſt aliquod maius ius in patre, illud compenſatur à matre, eò quòd in bonum maximum filij intenta eſt, parens verò in damnum.

Etiamſi ſola mater conſentiat.

Dixi hucuſque, quibus in caſibus liceat aut non licet baptizare filios infidelium; iam reſtat explicare, an quotieſcumque licet baptizare, ſit etiam poſitiua obligatio baptizandi. Vaſquez cap. 7. videtur vniuerſaliter ſentire, quandocumque licet etiam eſſe obligationem: fundamentum illius eſt, quia charitas videtur obligare, eo ipſo quòd licitum ſit: & fusè toto eo capite impugnat Suarium, qui ſect. 6. videtur contrarium docuiſſe. Ego tamen iudico vtrumque eſſe in eadem ſententia; nam Vaſquez expreſsè num. 89. docet, eum, qui in bello ceperit infantem infidelem, non teneri illum apud ſe retinere, ſed poſſe, ſi velit, parenti reſtituere donando ei libertatem; & in eo caſu non eſſe obligationem baptizandi: hoc autem præcisè docuit Suarez ea ſect. 6 vbi concluſionem ſuam, quæ videtur Patri Vaſquez contraria, hinc probat, quia nulla eſt obligatio retinendi apud ſe illum infantem, eo autem ipſo quòd non retineat, etſi poſſit, non tenetur baptizare: de quo nos ſuprà. Hinc conſtat, malè Vaſquez impugnare Suarium, quaſi ſentiret, ſuppoſita voluntate retinendi apud ſe illum infantem, non eſſe obligatum ad illum baptizandum; id enim non aſſeritur à Suario, ſed præcisè non eſſe obligationem retinendi & non reddendi parenti infantem: quod, vt dixi, etiam Vaſquez docet; & videtur eſſe probabilius; quia Lex charitatis extra extremam neceſſitatem non obligat, maximè quando aliquæ ſunt in contrarium rationes vt in præſenti. Dominium enim quod quis habet in illum infantem, permittit vt poſſit reſtitui parenti; ne etiamſi è contrario infans Chriſtianus caperetur ab infideli, non 25

Quandocumque licitum eſt baptizare, eſt etiam obligatio baptizandi.

Suarez & Vaſquez inter ſe conciliantur.

redde

Digitized by Google

redderetur parenti propter bonum;ergo hoc publicum non obligat charitas ad non reddendum puerum, & ad illum baptizandum : de quo fuſiùs paulò ſuperiùs. In aliis verò caſibus,vbi ceſſant hæ rationes, ſine dubio quando quis licitè infantem baptizare poteſt, tenetur id facere ex charitate, ne periclitetur de ſalute ob defectum Baptiſmi.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA.

Reliqua quæ de Baptiſmo deſiderantur.

SECTIO I.

De Miniſtro Baptiſmi.

SVBSECTIO I.

Quæ certa ſunt ſupponuntur.

1 *In caſu neceſſitatis quilibet homo rationis compos eſt Miniſter Baptiſmi.*

PRIMÒ certum eſt, in caſu extremæ neceſſitatis quemcumque, ſiue virum, ſiue feminam fidelem, ſiue infidelem, rationis tamen compotem, eſſe Miniſtrum & licitum & ſufficientem Baptiſmi: quod Auguſtinus docuit lib. 2. Contra Epiſtolam Parmeniani cap. 13. & certiùs conſtat ex cap. *A quodam Iudæo.* diſtinct. 4. de conſecrat. vbi id definitur : hinc fit, vt extra caſum neceſſitatis ſit validus Baptiſmus, à quocumque conferatur;licet illicitè id faciat.

Contra Caluinum & eius fundamentum, ſumptum ex Matthæi vltimo capite.

Contra hanc veritatem ſtetit Caluinus, qui docuit, neminem non ordinarium Miniſtrum ad id deputatum poſſe hoc Sacramentum non ſolum licitè, ſed nec validè conferre, quia Chriſtus ſolis Apoſtolis, quos vt Doctores miſit, dedit poteſtatem baptizandi Matthæi vltimo: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. Confirmari autem poſſet hic error ex Gregorio II. in Epiſtola ad Bonifacium, vbi ait, *Quos à Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine Trinitatis mandamus.* Videntur etiam huic errori fauere aliqui Patres, quos referunt & Suarez diſput. 27. ſect. 1. & Vaſquez diſput. 147. cap. 2. & priùs à Bellarmino lib. 1. de Sacramento Baptiſmi fuere explicati. Reſpondeo: Chriſtum Dominum ibi non determinaſſe adminiſtrationem Baptiſmi ad vllum genus perſonarum. Imò ex illo loco poteſt ſumi argumentum contra Caluinum : vti enim docere Religionem Chriſtianam poteſt quilibet & vir & femina, & etiam ipſe Paganus qui eam non credit, poteſt alterum de ea inſtruere ; ita poterit validè baptizare. Ad teſtimonium è Gregorio II. reſpondetur communiter, illum ſuppoſuiſſe eos Paganos non baptizaſſe ſub debita forma ; vnde cum reflexione dicit, *Vt denuò baptizes in nomine Trinitatis*, quos ſupponit non fuiſſe baptizatos in eo nomine. Ad Patres, qui in contrarium videntur ſtare, reſpondetur, eos locutos de Miniſtro, qui non ſolùm validè, ſed etiam licitè & extra caſum neceſſitatis poteſt baptizare. Vide Bellarminum, Suarium & Vaſquez.

Et teſtimonio Gregorij II. Pontificis.

2 *Extra neceſſitatem Miniſter ordinarius eſt Sacerdos.*

Secundò certum eſt, Miniſtrum ordinarium, cui ex officio incumbit baptizare extra caſum, neceſſitatis, eſſe Sacerdotem. Ita definitum eſt in Florentino ; & eſt communis omnium ſententia. Quando dico Sacerdotem, à fortiori includo Epiſcopum, tum quia etiam eſt Sacerdos tum quia primariam habet iuriſdictionem ; & Epiſcopis dictum eſt à Chriſto, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. Vnde primatiò ipſis id conuenit ; licet quia grauioribus occupationibus impediuntur, id aliis Sacerdotibus ordinariis committant, ideóque hi ſint Miniſtri per ſe huius Sacramenti, ex commiſſione tamen Epiſcopi ; ſicut Sacerdos eſt Miniſter ordinarius Pœnitentiæ, licet indigeat iuriſdictione ab Epiſcopo conceſſa.

Diaconus non eſt per ſe ordinarius Miniſter.

Diaconi verò non ſunt per ſe ordinarij Miniſtri niſi ex commiſſione Sacerdotis;ſicut nec ad Sacramentum altaris impertiendum ſunt ordinarij Miniſtri, licet poſſint id aliquando facere. Poteſt autem Diaconus in defectu Presbyteri etiam ſolemniter cum cæremoniis aliis baptizare;id quod non poſſunt laici, & cæteri Miniſtri etiam in caſu extremæ neceſſitatis ; tunc enim ſine cæremoniis debent conferre Baptiſmum.

3 *Ordo ſeruandus in admittendis Miniſtris Baptiſmi.*

Quod ſi contingat infantem periclitari, & non poſſe Baptiſmum conferri ſolemniter, præſenſque ſit Sacerdos; huic debet cedere Diaconus, & huic Subdiaconus, & ſic deſcendendo iuxta ordines aut dignitatem ſexus : nam licet tunc ſit neceſſitas omittendi eas cæremonias, non tamen eſt neceſſarium vt baptizetur à femina, ſi adeſt vir; & ſic de cæteris:Catholicus item præferendus hæretico; hic Gentili.

Quæſtio de modo loquendi inter Suarez, Vaſquez, Hurtadum.

Hæc de re certa ; moueri tamen quæſtio poteſt fortè ad ſolum modum loquendi ſpectans, quomodo dicenda ſit ea poteſtas baptizandi ordinaria in Presbyteris, cum tamen indigeant licentia Epiſcopi ad baptizandum : eodem enim modo poſſet dici ordinaria Diaconis, licet hi indigeant licentia Presbyteri. Pater Vaſquez diſput. 147. cap. 3. docet, Presbyterum ſine licentia Parochi non poſſe abſque indignitate & irreuerentia in Baptiſmum illum conferre. Id quod reiicit Hurtadus diſput. 2. de Baptiſmo, difficult. 2. vbi pro ſe citat Patrem Suarium, ait ergo, Etſi Sacerdos indigeat licentia Epiſcopi, aut Parochi, ne faciat iniuriam ipſi Epiſcopo, aut Parocho, ingerendo ſe ad accipiendum aliquem in ipſius communitatem ſine eius licentia;non tamen indigere ea licentia, vt Sacramenti ſit digna adminiſtratio. Sacramentum enim quà tale non exigit niſi Sacerdotem : neque enim ex parte poteſtatis quidquam deeſt Sacerdoti; quandoquidem baptizare non eſt actus iuriſdictionis, ſicut eſt abſoluere à peccatis ; quia in non baptizatos non habet Eccleſia poteſtatem ſeu iuriſdictionem ; etiamſi ipſe Parochus habeat ius, ne alter admittat vllum ad communitatem ipſius, niſi cum eius conſenſu. Dixi, quæſtionem hanc ferè ad modum loquendi reduci. De re enim & Suarez & Vaſquez & Hurtadus fatentur, baptizare non eſſe actum iuriſdictionis in baptizatum, ob rationem datam, quod ante Baptiſmum Eccleſia non habeat iuriſdictionem in illum. Fatentur item omnes

Quorum ſententiæ conciliantur.

hi eſſe injuriam in ipſum Parochum, baptizare ſine eius licentia. Fatentur Tertio, ipſum Sacramentum non exigere ex parte conferentis niſi ea duo. Hæc de re certa. An verò, eò quod Sacerdos ſine ea licentia Parochi non poſſit licitè adminiſtrare, dicendus ſit ſimpliciter habere ordinariam poteſtatem, quæſtio eſt de modo loquendi.

An Sacerdos ſine licentia Parochi baptizans committat ſacrilegium.

Dices: Inde eſt quæſtio de re, quia Suarez & Hurtadus negant eam adminiſtrationem ſiue licentia Parochi, aut Epiſcopi, futuram ſacrilegium contra Baptiſmum. Id quod affirmat Vaſquez. Sed contra, quia licet Hurtadus eam aſſignet diſparitatem; ego tamen non inuenio in Vaſquez, quod tunc Sacerdos peccet peccato ſacrilegij, ſed ſolum, quod licet acceperit poteſtatem baptizandi, materiam tamen, in quam illam exerceat, non habeat, quovſque deſignentur illi quaſi ſubditi; hoc autem re ipſa & Hurtadus & Suarez docent.

5 *Oſtenditur tamen contra Hurtadum, poſſe in ea actione rationem ſacrilegij inueniri ex mente Vaſquez.*

Quid autem de mente Vaſquez ſit quoad hoc punctum de ſacrilegio, fortaſſe minùs benè re ipſa diſcurrit Hurtadus: Vt enim aliquis irreuerentiam in ipſum Sacramentum committat, non eſt neceſſum aliquid illi deeſſe ex parte Ordinis, ſed ſufficit ex parte iuriſdictionis, aut quaſi iuriſdictionis aut ex parte facultatis ab Eccleſia dandæ; id quod probo clarè exemplo ipſo ab Hurtado allato, & omnibus certo: etenim Sacerdos in ordine ad Euchariſtiam conficiendam ita accipit poteſtatem per ipſum Ordinem, vt planè ab Epiſcopo in puncto celebrandi non pendeat; quia ibi nec materia nec iuriſdictione non ſolum propria, ſed neque impropria indiget, cùm nullus ibi exerceatur neque directè actus iuriſdictionis, & tamen ſi quis tempore aut loco ab Epiſcopo prohibito celebret, vt tempore ceſſationis aut interdicti, aut factus irregularis, &c. ſine dubio committet ſacrilegium & irreuerentiam contra Sacramentum; quia hoc petit pro ſui debita celebratione, non ſolam poteſtatem Ordinis, ſed reliqua, quæ ſunt neceſſaria ad licitam eius adminiſtrationem: vti petit, ne ſine veſtibus ſacris, ne poſt cibum ſumptum, &c. celebret; ergo cum licet non ex defectu Ordinis, aliunde tamen non poſſit conferri licitè Baptiſmus à ſimplici Sacerdote ſine Epiſcopi aut Parochi licentia, haud dubiè irreuerentiam in illum committet, qui ſine ea licentia illum contulerit: nam etſi ratione ſui, vt ita dicam, eam licentiam Baptiſmus immediatè non requiſierit petit tamen illam ſaltem mediatè, iuxta dicta de celebratione Sacri in loco & tempore prohibito & idem eſt, ſi Baptiſmus ab Epiſcopo daretur ſine cæremoniis, eſſet ſacrilegium, non tamen ex defectu iuriſdictionis; ergo ſi ibi admittit Vaſquez irreuerentiam in Sacramentum rationabiliter diſcurrit.

6 *Vaſquez impugnat Suarez.*

Hoc tamen addendum, minùs benè ab eodem Vaſquez ea diſp. n. 17. reiici Patrē ſub nomine quorumdam Recentiorum, eo quod dixerit, Sacerdotes ex ſua conſecratione poteſtatem ſufficientem habere vt dignè baptizent, & ex hac parte eorum miniſterium non pendere à conſenſu Epiſcopi, neceſſariam tamen eſſe iuriſdictionem in perſonam, vt rectè illi adminiſtrent. Si enim, inquit Vaſquez, ſemel concedatur, Sacerdotes vi ſuæ ordinationis poſſe dignè baptizare; quomodo ſine Epiſcopi licentia baptizare dignè non poſſunt; Non enim hæc duo videntur inter ſe conuenire. Hæc impugnatio non mihi placet, quia Suarez non dixit, Simpliciter & omnibus penſatis Sacerdotem habere vi ſolius Ordinis poteſtatem ad dignè baptizandum, & ſimul indigere licentia: hæc enim duo omnino contraria ſunt, habere omnia neceſſaria abſolutè, & ſimul indigere aliquo alio:

Sed male doctrina Suarez explicatur.

ſolùm ergo docuit habere Sacerdotem illam poteſtatem, quæ dicitur Ordinis, ſeu capacitatem illam proximam, vt ſibi conferatur à Parocho poteſtas in perſonam; & in hac capacitate dixit illum eſſe independentem ab Epiſcopo; quia verè Epiſcopus non poteſt illi auferre capacitatem proximæ potentiæ; etiamſi proximam potentiam illi auferat: & quoad hoc idem eſt de poteſtate celebrandi Sacrum. Et ſatis de diſſenſione eorum Auctorum.

7 *Differentia Sacerdotis dependentis ab Epiſcopo, & Diaconi dependentis à Sacerdote in adminiſtratione Baptiſmi.*

Quoad rem autem ipſam ſuprà poſitam dico in hoc differre Sacerdotem à Diacono: quod licet ille ab Epiſcopi, hic ab ipſius Sacerdotis licentia pendeat, diuerſiſſimo tamen modo: Sacerdos enim eam facultatem ex ſola voluntate Epiſcopi ſine vlla alia cauſa poteſt accipere; Diaconus verò non niſi vrgente neceſſitate graui. Secundò, Sacerdos ſolùm accipit poteſtatem accipiendo iuriſdictionem modo ſupra explicato in oues illas; at Diaconus non tam accipit iuriſdictionem à Sacerdote quam, vt ſic dicam, capacitatem intra rationem Ordinis: id quod inde optimè declaratur,

Parochus Diaconus non poteſt baptizare præſente Presbytero.

ſi Parochus ſit ſolus Diaconus, non poteſt baptizare niſi de licentia Presbyteri; tunc Presbyter ei non dat iuriſdictionem, quia iam anteà eam habebat, ſed eum complet quaſi intra terminos Ordinis, ad modum quo Epiſcopus conferens Ordines Parocho iam inſtallato non dat ei iuriſdictionem ad abſoluendum; hanc enim iam ſupponitur habere: & qui ordinat poteſt eſſe Epiſcopus titularis nullam habens propriam iuriſdictionem, quam ei communicet, ſolùm ergo complet intra terminos Ordinis. Hinc fit è contrario, ſi Epiſcopus, qui adeſt ſimul cum Sacerdote in loco Baptiſmi, non ſit eius loci, ſed alterius Epiſcopus, non teneatur ei deferre Sacerdos; quia excepta iuriſdictione, quam tunc etiam ille Epiſcopus non habet, in reliquis omnino ſunt pares quoad Baptiſmi collationem; iam autem oſtendi, hoc non eſſe inter Diaconum & Presbyterum. Vides quam ſit de re clara differentia.

SVBSECTIO II.

Quæ magis dubia ſunt declarantur.

8

ILLVD tamen maiori iure poteſt in dubium verti, An hæc diuerſitas nata ſit ex ipſo iure diuino Chriſti Domini, an ex ſola Eccleſiæ inſtitutione.

Sententia Suarez, iure Eccleſiaſtico inductam eſſe Miniſtrorum Baptiſmi ſubordinationem, & conformem eſſe iuri diuino.

Pater Suarez obiter attingit hanc quæſtionem, docetque iure humano fuiſſe inſtitutam, eſſe tamen conformem valdè iuri diuino; non explicat autem in quo conformitas hæc conſiſtat, aut quod ſit illud ius, cui ea inſtitutio conformatur. Ego, vt verum fatear, non ſcio vnde poſſit ſufficienter hæc quæſtio decidi; nam quod immediatè Chriſtus aliquid in hoc puncto inſtituerit, non poteſt vllo modo probari ex vllo loco Scripturæ: quod enim dixerit Apoſtolis, *Euntes docete omnes Gentes*, &c. nihil ad rem noſtram probat, quia non conſtat limitatum eſſe illud præceptum ad ſolos Apoſtolos, & eorum in Apoſtolatu ſeu Epiſcopatu ſucceſſores. Deinde, ſi ex hoc loco aliquid colligeretur, deberemus dicere, eam poteſtatem non eſſe ordinariam

Matth. 28.

Digitized by Google

ordinariam non ſolùm in Diaconis, ſed neque in Presbyteris; quia Chriſtus eo loci cum ſolis Epiſcopis, quales erant Apoſtoli, locutus eſt. Quòd ſi propterea dicas, etiam ibi fuiſſe multos alios, qui non erant Epiſcopi; tunc è contrario redibit argumentum, quia eodem modo dicam fuiſſe ibi multos qui non erant nec quidem Diaconi; ac proinde ex Chriſti inſtitutione omnes etiam non ordinatos fuiſſe ibi deſignatos vt Miniſtros ordinarios huius Sacramenti.

9 Quod ſi propterea relicto hoc loco probetur ea doctrina ex ipſa maiori dignitate Epiſcopali reſpectu Sacerdotis ſimplicis, tunc dicam ſolùm Epiſcopum eſſe ordinarium Miniſtrum, Sacerdotem verò & alios omnes inferiores eſſe extraordinarios, aut omnes eſſe ordinarios, excepto laico; quia ſicuti ex Chriſti inſtitutione maior eſt Epiſcopus ſimplici Sacerdote; ita hic ex eadem inſtitutione eſt maior Diacono, ac Diaconus reſpectu Subdiaconi, & hic tandem reſpectu omnium inferiorum graduum, inter quos fit ſimilis deſcenſus vſque ad laicum; qui cùm nullum habeat infra ſe, non poterit dici reſpectu vllius ordinarius Miniſter. Denique ex dictis paulo antè oſtenſum eſt, maiorem dignitatem Epiſcopi ſe habere per accidens ad hunc effectum propriè loquendo. Nam Epiſcopus extra ſuam Diœceſim etſi retineat totam quantam ſuam dignitatem maiorem præ ſimplici Sacerdote, non tamen habet tunc ius vllam accipiendi præ Sacerdote ſimplici actionem baptizandi; eſto ex decentia aliqua & vrbanitate debeat ei ſimplex Sacerdos illud munus deferre; ergo ex ſola maiori dignitate Epiſcopi non infertur, Ex Chriſti inſtitutione Epiſcopum præ Sacerdote ſimplici eſſe ordinarium Miniſtrum.

Nullum tamen ſolidum argumentum affertur, quòd ſit ex Chriſti inſtitutione.

Dices, Non ex ſola dignitate maiori id colligi, ſed ex iuriſdictione maiori, quæ eſt annexa Epiſcopis. Sed contrà, quia in hoc ſenſu ſolus ſummus Pontifex deberet dici ordinarius Miniſter, & Epiſcopi ex conceſſione illius, quia ipſe ſolus habet immediatè iuriſdictionem, Epiſcopi verò ab ipſo, Parochi ab Epiſcopis.

10 Videtur valdè probabile hanc totam differentiam eſſe inſtitutam ab Eccleſia ſicut reliquas ſolemnitates Baptiſmi; non quaſi Eccleſia iudicauerit Chriſtum Dominum id intendiſſe, ſed quia decentia & ratio naturalis videbatur exigere eam ſubordinationem: id quod videtur tradidiſſe clarè Hieronymus Dialogo contra Luciferianos num. 2. vbi ait: *Inde venit, vt ſine Chriſmate & Epiſcopi iuſſione neque Presbyteri neque Diaconus ius habeant baptizandi.* Vides illum coniungere neceſſitatem iuſſionis Epiſcopi cum neceſſitate Chriſmatis; certum autem eſt Chriſma pro Baptiſmo inſtitutum ab Eccleſia, non è Chriſto: & id ipſum Clemens Romanus lib. 3. Conſtitutionum cap. 11. ſatis clarè inſinuat dum ait: *Imò neque reliquis Cleiricis poteſtatem baptizandi facimus, vt Lectoribus, Cantoribus, &c. ſed ſolis Epiſcopis & Presbyteris miniſtrantibus Diaconis.* Vides eum non dicere, à Chriſto ordinem hunc conferendi Baptiſmum eſſe inſtitutum; ſed in perſona Apoſtolorum & propria auctoritate eorum id inſinuat mandatū.

Quare dicendum eſt omnino ab Eccleſia inſtitutam eſſe. Probatur ex S. Hieronymi Dialogo contra Luciferianos n. 2.

Neque videtur id eſſe ab Apoſtolis mandatum.

Dices: Apoſtoli id mandarunt, quia ita fuerat à Chriſto illis ſignificatum. Sed contra, quia id ea verba nequaquam requirunt; non debent autem addi in illius textus explicatione verba, quæ nec implicitè in eo textu continentur; alioquin ego contraria ibi ponam, & dicam: *Mandamus noſtra auctoritate, eſto Chriſtus de ea re nihil in particulari iuſſerit, ſed in arbitrio noſtro id poſuerit.* Et ſanè cùm ad addendum robur ei mandato, & omnem à ſe auertendam inuidiam, ſi quæ in illo, eſſe poterat, valde fuiſſet expediens dicere; *Non facimus poteſtatem baptizandi niſi Epiſcopis, &c. Chriſto ipſo ita diſponente*; profectò non omiſiſſent Apoſtoli eam clauſulam.

11 Circa caſum verò neceſſitatis extremæ aduertendum eſt, ad illum non ſufficere, ſi infans periclitetur de vita, dummodò adſit ibi proprius Parochus: eo enim ipſo cùm hic tam benè poſſit occurrere ei neceſſitati quàm non Parochus, non poteſt cenſeri caſus neceſſitatis ad inuertendum præſcriptum modum ab Eccleſia; perinde ergo tunc peccaret Sacerdos non Parochus baptizans ſine licentia Parochi, ac ſi, quando nullum eſſet periculum, baptizaret ſine eius licentia; ſi tamen Parochus nollet baptizare, tunc licitum eſſet ſimplici Sacerdoti, imò teneretur baptizare; quia perinde eſſet ac ſi reuera Parochus deſideraretur: quando autem Sacerdos abeſt, in caſu neceſſitatis tunc Diaconus eſt præferendus Subdiacono, hic verò aliis inferioribus Ordinibus; deinde inter puros laicos vir eſt præferendus feminæ, vt ſupra diximus, item non excommunicatus excommunicato; quia hic ſpecialiter eſt prohibitus non adminiſtrare Sacramenta, niſi in caſu neceſſitatis; non eſt autem neceſſitas, quando adſunt alij qui poſſunt: id quod locum habet etiam reſpectu Sacerdotis excommunicati: ei enim præferendus eſt laicus non excommunicatus ob rationem datam.

Non cenſetur caſus neceſſitatis, quando infanti periclitanti adeſt Parochus.

Non excommunicatus præferendus eſt excommunicato.

Illud tamen poteſt quæri Primò circa dicta, An hæc regula ſolum ſit intelligenda de excommunicato non tolerato, an etiam de tolerato. Ratio dubitandi eſt, quia licet toleratus non poſſit ſeipſum vltrò intrudere, ego tamen habeo ius cum illo agendi, & petendi ab eo Sacramentorum adminiſtrationem, ergo, caſu quo non eſſet ibi Sacerdos niſi toleratus excommunicatus, eſſet mihi licitum ob ſolemnitatem baptiſmi petere ab illo eam adminiſtrationem, eo autem ipſo iam illi etiam eſſet licitum adminiſtrare. Ob hanc rationem puto ſatis probabilem hanc partem, abſolutè tamen probabilius eſt contrarium, quia ea licentia petendi à toleratis adminiſtrationem Sacramentorum videtur eſſe, quando commodè ego aliunde non poſſum Sacramentum obtinere, cùm ergo eo caſu adſint alij qui poſſint dare, non video cur poſſim à tolerato excommunicato id petere. Sed de hoc puncto fuſiùs ſuprà, dum egimus de Sacramentis in communi.

Quando licitum ſit petere Sacramentum ab excommunicatis toleratis.

12 Secundò dicendum eſt, ob reuerentiam Sacramenti, cæteris paribus, etiam eſſe præferendum hominem iuſtum peccatori.

Præferendus eſt homo iuſtus peccatori

Fortè dices, Quomodo poſſumus ſcire quis ſit iuſtus. Reſpondeo. Hanc regulam intelligendam eſſe moraliter; hoc eſt, Conſtat Petrum eſſe peccatorem, de Ioanne nihil tale præſumitur, præferendus ergo eſt illi hic, etiamſi fortè ambo interius ſint in peccato.

Rogabis adhuc, Quis eam prælationem faciet? Reſpondeo, Vel parentes baptizandi, vel ipſum baptizandum, ſi adultus ſit, vel denique illum, qui in tali occaſione vrget Baptiſmum. *Dixi cæteris paribus*, quia ſi ille, qui præſumitur peccator, eſt Sacerdos, & non ſit ibi alius, niſi

Digitized by Google

niſi vel laici, vel inferioris Ordinis, non putarem Sacerdotem prætereundum; quia ea diuerſitas, quòd hic ſit Miniſter ordinarius & proprius, videtur præponderare alteri indignitati, maximè cum poſſit, ſi velit, conteri, & ſic rectè adminiſtrare.

Pro complemento quæres, Qualis ſit culpa prædictum ordinem inuertere. Quia variæ ſunt in præſenti comparationes, varia etiam eſt reſolutio: & Primò, ſi Sacerdos in aliena Parochia baptizaret ſine licentia Parochi, nec quidem præſumpta, peccaret grauiter, quia grauem iniuriam illi irrogaret: ea enim adminiſtratio ſine dubio in ſe eſt res grauis, & aliunde eſt debita alteri; ergo eius vſurpatio erit graue peccatum.

Sacerdos in aliena Parochia baptizans peccat grauiter.

Dices; Non poteſt adeò facilè oſtendi, in quo ſita ſit ea iniuria grauis, quia nec honorem nec pecuniam illi aufert, nec aliud graue damnum infert; ergo. Reſpondeo, Etiamſi ea actio ſpiritualis non ſit materia pecunia æſtimabilis, pertinere tamen illam ad genus honoris: honor enim alterius contemnitur, dum quis præſumit ipſo inuito vſurpare actionem grauem, ſiue ſpiritualem, ſiue corporalem, quæ ad illum ſpectabat. Secundò dico, quidquid ſit iam de iniuria graui, Ex eo ſolum capite fore peccatum graue, quia eſt contra grauem prohibitionem Eccleſiæ, & in materia graui: vnde à fortiori colligitur, ſi Diaconus præſumat id facere inuito Sacerdote, etiam grauiter peccaturum: quia quodammodò maius ius habet Sacerdos præ Diacono, quam Parochus præ Sacerdote.

Quia eſt contra grauem Eccleſiæ prohibitionē.

13 Tertiò dicendum, Si Subdiaconus vſurpet hanc adminiſtrationem præſente Diacono, probabilius etiam futurum peccatum graue. In hac quæſtione Pater Suarez non eſt conſequenter locutus; nam diſput. 23. ſect. 2. adeò conſtanter tenuit ibi eſſe peccatum graue, vt dixerit nullum ea de re dubium eſſe: inferiùs tamen diſput. 31. ſect. 4. cum Soto docet vt probabilius, ibi non eſſe peccatum graue. Nobiſcum tenent Vaſquez diſput. 147. cap. 5. Coninch quæſt. 69. art. 5. dub. 2. Reginaldus lib. 27. num. 44. & Gaſpar Hurtadus diſput. 2. difficultate 3. Ratio eſt, quia Diaconus eſt per ſe Miniſter ab Eccleſia conſtitutus in abſentia Sacerdotis: ergo eo ipſo grauem iniuriam ſaltem contra Eccleſiam præcipientem committit is qui prædictum ordinem inuertit.

Suarez arguitur inconſequentia:

Et contra illum oſtenditur, Subdiaconum in præſentia Diaconi baptizantem grauiter peccare.

Dices cum Suario vbi ſupra diſp. 31. Diaconus non eſt ordinarius Miniſter huius Sacramenti præ Subdiacono: ergo vſurpare illi hanc actionem non poteſt eſſe materia ad peccatum mortale ſufficiens. Reſpondeo, A Suario negari non poſſe, ſpecialiùs eſſe conſtitutum Diaconum Miniſtrum huius Sacramenti præ Subdiacono, quàm ſit conſtitutus Subdiaconus reſpectu Exorciſtæ, aut hic reſpectu Oſtiatij, & vir reſpectu feminæ: etenim (vt ipſe Suarez benè admittit) ex hac ſpeciali deſignatione prouenit, tum vt minores longè cauſæ ſufficiant ad hoc, vt Sacerdos hanc adminiſtrationem committat Diacono, quàm vt Diaconus Subdiacono: deinde, vt in multis caſibus Diaconus poſſit ſolemniter adminiſtrare, id quod nunquam poteſt Subdiaconus, niſi forte ex noua ſingulari conceſſione id ei Pontifex tribueret; ergo ob hunc exceſſum poſſumus rectè dicere, dum Subdiaconus ſe intrudit in eam actionem; omiſſo Diacono, grauem eſſe culpam; etiamſi Exorciſta contemnens Subdiaconum fortè non peccet grauiter: de quo ſtatim. Dixi, probabilius eſſe tunc peccati grauiter, quia non nego probabile è contrario eſſe quod Sotus & Suaris ſecundo loco docent, quia non tam facilè oſtenditur ibi ea grauis indecentia.

Eſt tamen Suarez & Soti ſententia probabilis.

Hinc dico cum omnibus ſuprà citatis (excepto Vaſquez) inter alios inferiores, includendo ipſum Subdiaconum, non eſſe graue peccatum, ſi in caſu neceſſitatis præferatur Subdiacono Exorciſta, & huic Lector, aut femina viro; tum quia quando in caſu neceſſitatis datur Baptiſmus ſine ſolemnitatibus, non eſt actio adeò celebris, vt in vſurpatione illius poſſit eſſe peccatum graue, excepta prohibitione; quandoquidem incipiendo incluſiuè ab ipſo Subdiacono nullus eſt deſignatus ab Eccleſia Miniſter huius Sacramenti, etiamſi debeat ob aliquam quaſi vrbanitatem aut decentiam ſeruari ille ordo, vt quò altiores ſunt, eò debeant præire. 14

Inter cæteros Miniſtros neceſſitatis Diacono inferiores non eſt graue peccatum, ſi ordo non ſeruetur;

Quod ſi obiicias; Ergo in eo caſu neceſſitatis non erit mortale admittere infidelem relicto fideli ad dandum Baptiſmum; id quod videtur valdè durum: Reſpondet optimè Suarez, Etiamſi ratione prælationis perſonarum non ſit ibi peccatum graue, aliunde tamen ab eo non excuſari tum ob ſcandalum, tum ob irreuerentiam in Sacramentum; dum ille, qui manifeſtè in graui peccato adminiſtraturus eſt Sacramentum, præfertur ei qui poteſt licitè & ſanctè illud conferre. De pœnis autem irregularitatis in vſurpantes extra neceſſitatem collationem Baptiſmi dicemus aliquid infrà.

Niſi infidelis adminiſtret Baptiſmum in præſentia fidelis, ob ſcandalum

Vltimò aduerte, Diaconum neque in caſu extremæ neceſſitatis poſſe baptizare ſolemniter ſine Sacerdotis licentia; cuius ratio eſt, quia in tali caſu non baptizat ille vt Diaconus, ſeu ratione poteſtatis quam habet vt Diaconus, ſed ſicut cæteri laici; ergo tunc non habet ius vtendi cæremoniis ſolemnibus. Dico, *niſi Sacerdote ei concedente licentiam*: nam eo ipſo quod ea licentia adſit, iam ipſe eſt quaſi Miniſter à iure deputatus: & pro talibus occaſionibus ei concedunt Iura ſolemnitates.

Diaconus in extrema neceſſitate non poteſt baptizare ſolemniter ſine licentia Sacerdotis.

Rogabis, Quando poſſit ei committi à Sacerdote hæc actio. Reſpondeo, Quando eſt occaſio baptizandi, & non poteſt facilè ipſe Sacerdos adeſſe: quæ verò in particulari debeant eſſe occupationes Sacerdotis illum excuſantes non poſſumus in particulari decidere, niſi quod ſit vel morbus, vel negotium aliquod graue impediens acceſſum.

SVBSECTIO III.

Cætera quæ de Miniſtro deſiderantur.

PRIMVM eſt, quo pacto duo, tres aut plures poſſint concurrere ad vnum conferendum Baptiſmum. Primò ſupponendum eſt, debere illum qui profert verba ſimul etiam abluere: id enim requirit veritas verborum; ſi enim alius abluit, & non ego, non poſſum ego dicere, *Ego te abluo*: quæ ratio etiam habet locum in omnibus aliis Sacramentis. De quo ſuprà dixi.

Licet plures vnum baptizent, debet tamen is qui verba profert abluere.

Dices tamen, Nos ſuprà, dum egimus de coëxiſtentia formæ cum materia, non requiſiuiſſe ad veritatem eorum verborum niſi moralē coëxiſtentiam; qualis ſcilicet apud homines cenſetur ſufficere, vt dicat quis de præſenti, *Ego te abluo*; etiamſi phyſicè actu non exiſtat tunc illa

Digitized by Google

Mandare alteri ablutionem non ſufficit, vt dicatur quis abluere.

illa actio. Hinc ſic argumentor: Ergo pari ratione ad veritatem eius propoſitionis, *Ego te abluo*, non requiſiuit Chriſtus plus quàm homines requirunt, vt dicant, *Ego hoc aut illud facio, feci*, &c. atqui ad hoc ſufficit, ſi alteri ego iubeam vt abluat; eo enim ipſo communiter dicor abluere; vt Herodes dicitur occidiſſe Innocentes, qui mandauit vt illi occiderentur: & ille dicitur ædificaſſe domum, plantaſſe vineam, qui iuſſit ædificare, plantare, &c. ergo ſi ego dico famulo, *Ablue in hunc*, & ille faciat, potero ego verè dicere, *Ego te abluo*, ſeu, *Ego te baptizo*; ergò non eſt neceſſum, vt immediatè per
16 ſe ille qui profert formam, adhibeat phyſicè materiam. Reſpondeo; Etiamſi ille modus loquendi aliquando admittatur, quia iuxta ſubiectam materiam intelligitur ſenſus; ſcitur enim Regem per ſe non occidere realiter, ſed per ſuos miniſtros; item ipſum non eſſe muratium, aut fabrum, vt phyſicè immediatè domum ædificet; & ſic in aliquibus aliis materiis; abſolutè tamen non eſſe ſemper verum, maximè in rebus quæ in actione ita conſtituuntur, vt non relinquant poſt ſe effectum: vti nequaquam dicor ego ſaltaſſe, cucurriſſe, riſiſſe, &c. ſi Petro mandem vt currat, ſaltet, rideat, &c nec dicar, *Ego laui Petro manus*, etiamſi dicerem famulo vt lauaret; ergo non dicar propriè, *Ego te abluo*, eſto famulus meus eum abluat meo iuſſu. Secundò reſpondeo, Chriſtum Dominum non dixiſſe, *Iubete eis*, aut *Conſulite eis, vt ſe baptizent*, ſed *Baptizantes*: vbi, quidquid ſit de eo allegorico modo loquendi, veram ablutionem voluit fieri ab iis ipſis qui verba illa *In nomine Patris*, &c prolaturi eſſent, De quo puncto fuſiùs agit Pater Suarez diſp. 23. ſect. 3. pro hac noſtra & communi reſolutione citans D. Thomam & plures alios; in contrarium verò ſolum Marſilium; cui videtur etiam fauere Caietanus hac quæſtione 67. a 6. examinat autem ibi tres ratione Diui Thomæ: duas omitto, quia facilem habent ſolutionem: tertia eſt quam nos adduximus de veritate verborum; & fundatur vltimò in voluntate Chriſti Domini, qui haud dubiè potuit velle vt ſufficeret, ſi inter duos conficeretur Sacramentum: quo caſu debuiſſet alia forma poni vt vera eſſet.

Diſtinctio inter actiones tranſeuntes & relinquentes poſt ſe opus.

Chriſtus voluit veram ablutionem fieri non allegoricam per alium.

17 Dices Secundò cum Caietano: Ea verba, *Ego te baptizo*, non ſignificant, *Ego te abluo exteriùs*, ſed, *Ego tibi confero Sacramentum Baptiſmi*; hoc autem verum eſt, eſto non abluat, ſi tamen verba proferat; nam ſaltem partialiter confert Sacramentum ille qui formam profert: ille enim etiam confert partẽ Sacramẽti. Verùm hæc ſolutio ſupponit improbabilem doctrinam, quia illud verbũ *abluo* non ſignificat niſi ablutionẽ ipſam phyſicam, vt ex ſe patet; ibi autem non debet verbũ extrahi à ſua ſignificatione naturali. Conſtet ergo non poſſe eo modo concurrere duos aut plures ad conferendũ Sacramẽtum.

Obiectio pro contraria Caietani opinione.

Quæſtio ergo reducitur ad caſum, quo vterque abluat & proferat ipſam formam. Vbi ſupponendum eſt, poſſe vnum eumdemque Miniſtrum ſimul plures baptizare dicendo, *Ego vos baptizo*, ſicut auditis duorum confeſſionibus poteſt vtrumque ſimul abſoluere, quia nec ex inſtitutione Chriſti, nec ex ſignificatione verborum, nec aliunde poteſt irritus reddi talis Baptiſmus, aut abſolutio: non debet tamen id fieri extra neceſſitatem, vt ſic decentiùs cuilibet conferatur tale Sacramentum.

Propoſito ergo dubio reſpondeo Primò, Non videri poſſe occurrere neceſſitatem aliquam vt licitè conferatur à duobus idem Baptiſmus, neceſſitatis enim ex parte baptizati id nullatenus exigit, ergo non debet id fieri, nam exponuntur morali periculo, vt vnus ex illis irritũ faciat Sacramentum, quia ſubſequitur quodammodò alterum in prolatione verborum.

Licet nulla neceſſitas poſſit eſſe, vt duo vnum licitè baptizent.

18 Dices, Quando conſecrantur Sacerdotes, omnes cum Epiſcopo licitè formam conſecrationis proferunt, ergo poterunt etiam in Baptiſmo. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ex traditione Eccleſiæ conſtat id permiſſum in Euchariſtia, non autem in Baptiſmo, & poteſt aſſignari diſparitas: eſt enim magna congruentia vt id fiat in Euchariſtia, cùm tunc noui ordinati accipiant primariam & propriam Sacerdotis poteſtatem conſecratiuam, vnde expediens fuit eos illam tunc cum Epiſcopo exercere: id quod non habet locum in ordine ad baptiſmum.

Reſpondeo Secundò: Si de facto duo baptizent proferendo in ſingulari formam, *Ego te baptizo*, fore validum Baptiſmum: ratio eſt, quia vnus non impedit alterum. Suppono quod dixi ſuprà, proferentem verba debere etiam abluere, Quòd ſi contingat vt vnus priùs abſoluat, ille ſolus faciat Sacramentum, ſi verò ſimul faciant vterque etiam conficiet.

Talis tamen Baptiſmus eſſet validus.

Hinc oritur duplex dubium: Primum, An tunc ſint duo Baptiſmi. Secundum, An vterque Miniſter ſit cauſa totalis, an verò partialis. Circa primum arbitror vix eſſe poſſe quæſtionem de re, certum enim eſt re ipſa ibi interuenire & materiam & formam & intentionem Miniſtri duplicem, & ex ſe quamlibet eſſe adæquatam, certum item non eſſe duas remiſſiones Originalis, nec duos Characteres, aut duas infuſiones gratiæ, nec infantem quaſi dupliciter intrare in Eccleſiam. Hæc de re certa, ad quæſtionem autem de nomine pertinebit, An propter diuerſitatem materiarum & formarum, &c. dicendi ſint duo Baptiſmi: affirmat Suarez diſp. 23. ſect. 3. Coninck & alij: negat D. Thomas q. 67. art. 6. Scotus in 4. diſtinct. 6. q. 2. ego dicerem phyſicè duos eſſe propter diuerſitatem partium componentium, moraliter verò vnum, quia in ordine ad omnes effectus & vim eos cauſandi perinde ſe habent, ac ſi eſſet vnicus ab vno ſolo conceſſus.

Eſſentque phyſicè duo Baptiſmi, moraliter vnus.

19 Circa ſecundum, An ſint ibi duæ cauſæ totales, facilè ex dictis reſpondetur, ſi Baptiſmi ſint duo, non eſſe niſi vnicam cauſam totalem cuiuſlibet, ſi verò ſit vnus, tunc poſſunt dici eſſe ibi duæ cauſæ totales: id quod non repugnat ſaltem diuinitus, & cùm ea cauſatio in Baptiſmo ſit ſupernaturalis, facilè poteſt admitti duplex, præterquam quod in ordine ad cauſalitatem moralem, qualis ea eſt, etiam naturaliter non repugnant duæ cauſæ totales (vt dixi in Phyſica agens de fine,) poſſum enim hîc & nunc determinari ad volendum ambulare & propter ſanitatem & propter recreationem, tanquam propter duo totalia motiua, ita vt hîc & nunc quolibet deficiente, nihilominùs eodem modo ambularem, cur autem in eiuſmodi cauſalitatibus non detur ea repugnantia ex otioſitate deſumpta, quia in duabus actionibus phyſicis totalibus reperitur, ibidem dixi. Solùm aduerte nunc, Vaſquez in hac materia non conſequenter diſcurrere ad ſua principia, negat enim etiam diuinitus duas eſſe poſſe cauſas totales eiuſdem effectus, eò quòd repugnat effectum,

Quo ſenſu ſint duo baptizantes cauſæ totales Baptiſmi quo non.

Qua in re Vaſquez arguitur inconſequenter loquutus.

qui ab vna ſufficientet accepit ſuum eſſe, pendete, ſeu indigere altera. Hæc autem ratio eodem modo applicari poteſt ad duas cauſas totales motales; quas tamen admittit in præſenti reſpectu eiuſdem Baptiſmi. Etenim cauſa adæquata moralis eo modo, quo eſt cauſa, debet participare definitionem communem, & conſequenter debet ab ipſa effectus pendere adæquatè: quod ſi ſufficienter ab vna pendet in genere morali, etiam repugnat vt indigeat altera in eo genere: nemo enim indiget altero, cum aliunde ſufficienter habet, quod ab eo expectare poterat, vt argumentatur in cauſis phyſicis Vaſquez: qui licet hic ſibi obiiciat inconſequentiam, non tamen ſe ſufficienter purgauit, quia non vrſit contra ſe rationem dubitandi, nec illi reſpondit.

Licet ſibi eam inconſequentiã obiiciat non ſatis ab ea ſe expedit.

Doctrina hæc admittenda eſt, licet dicamus ibi eſſe duo baptiſmata, non quidem vt in ordine ad ipſum Baptiſmum ſint duæ cauſæ; iam enim dixi data ea ſententia nullum Baptiſmum procedere à duabus cauſis, ſed vnum ab vna, alterum ab altera; reſpectu tamen Characteris & gratiæ collatæ debet habere locum, quia vnicus eſt Character & vnica gratia, ab vtraque tamen

20 cauſa procedens; & cùm quælibet ſit ex ſe cauſa eius gratiæ adæquata, admittendæ omnino videntur duæ cauſæ totales reſpectu Characteris & gratiæ.

Concluditur, admittendas eſſe duas cauſas totales reſpectu Characteris & gratiæ. Cæremoniæ Baptiſmi defenduntur contra hæreticos.

Alia, quæ de Baptiſmo diſquiri poſſent, maximè circa cæremonias illius, minoris momenti ſunt; & videri poteſt Pater Vaſquez tota diſputat. 166. & Bellarminus eo libro de Baptiſmo; ex quibus nos ſuprà diximus in genere de omnibus Sacramentis contra hæreticos; ob reuerentiam Baptiſmo v. g. debitam, & ad declarandos effectus illius, eas cæremonias eſſe ſanctè ab Eccleſia inſtitutas; nec obeſſe quidquam, quòd in Scriptura de iis nulla fiat mentio: non enim omnia ſcripta ſunt, ſed multa Chriſtus tradidit oretenus Apoſtolis: conceſſit etiam Eccleſiæ Capitibus poteſtatem in his rebus aliqua addendi aut immutandi pro maiori ſolemnitate Baptiſmi. Quod argumentum maiorem habet vim contra hæreticos, quia & ipſi ſuas addunt cæremonias, de quibus etiam nihil eſt in Euangelio; quæ autem ſint in particulari pro Baptiſmo determinatæ, dicemus inferiùs.

SECTIO II.

De Patrino huius Sacramenti.

SVBSECTIO I.

Qui & quot poſſunt eſſe Patrini; & quam affinitatem ſpiritualem cum baptizato contrahant?

21 INter alias ſolemnitates pro collatione Baptiſmi ab Eccleſia inſtitutas vna eſt, vt baptizatum aliquis teneat, ſiue vlnis, ſi infans, ſiue tangendo illum manibus; per hoc denotans ſe ſpecialem curam illius ſuſcipere quoad inſtructionem in myſteriis Fidei; quia baptizatus, ſi adultus ſit, cenſetur in Fide paruulus, egenſque pædagogo, à quo inſtruatur: hic tenens dicitur Patrinus; quia verò eius munus reducitur ad Miniſtrum conferentem Baptiſmum, egit de eo Diuus Thomas immediatè poſt doctrinam de Miniſtro; circa quem breuiſſimè hæc notanda;

Patrinus pædagogi munus circa baptizatum obtinet.

Primò, eam obligationem inſtruendi baptizatum, quam dixi oriri in Patrinis inter filios Chriſtianorum in Chriſtianis locis educatos, non habere locum, quia communiter iam ſupponuntur eſſe alij inſtructores pro illis; ſi tamen ſiue inter Chriſtianos, ſiue alio modo, baptizatus ille non haberet inſtructorem, nec ipſe per ſe poſſet ex libris facilè notitiam myſteriorum acquirere, obligatum fore Patrinum ad eum inſtruendum commodo tempore.

In defectu inſtructorum tenetur illum inſtruere.

Secundò notandum eſt, olim prohibitum, ne vnius baptizati plures eſſent Patrini quàm vnus: id quod vſu deinde obſoletum; & è contrario inductum, vt tres etiam, quatuor vel plures eſſent; tandem verò ex Tridentino non permitti niſi ſummum duos, virum & feminam: ita Seſſione 24. cap. 2. de reformatione Matrimonij.

Non poſſunt Patrini eſſe niſi duo, ſummum vir & femina. Monachus non poteſt eſſe.

Tertiò notandum eſt, prohiberi ne Monachi id munus obeant; quia ea cura & ſolicitudo eos non concernit. Vnde è contrario meritò notant Auctores non comprehendi ibi ſub nomine Monachi Religioſos Mendicantes, quia horum inſtituto conforme eſt inſtruere in Fide.

Monachi nomine non intelliguntur Mendicãtes. Patrini debent deſignari à Parocho.

Quartò notandum eſt, iam poſt Tridentinum debere eos Patrinos eſſe deſignatos à Parocho, ſeu ei oſtenſos, vt eorum nomina etiam inſcribat in libro publico, vbi nomina baptizati & parentum inſcribuntur.

Quintò notandum eſt, ab Eccleſia annexum Patrinis impedimentum contrahendi matrimonium tam cum ipſo baptizato quàm cum patre & matre illius. In quo puncto Tridentinum ſuprà ſtatuit, vt hoc impedimentum non ad omnes tenentes, ſed ad vnum, & ſummum ad vnam extendatur: ob varias enim difficultates in praxi repertas derogauit antiquo iuri, quod ſe extendebat ad omnes tenentes. Cumque Concilij verba de viro & femina loquantur, eis ſtandum erit: vnde duo viri vel duæ feminæ non contrahunt dictum impedimentum; multò autem minùs illi qui, præter duos deſignatos, infantem tenuerint. Vbi ſtatim oritur dubium duplex: Primum, quid ſi ſiue ex inaduertentia, ſiue ex malitia deſignentur plures, contrahéntne omnes? Secundum, quid ſi nullus deſignetur è contrario, & teneant duo aut etiam plures, contrahéntne illi duo, vel etiam illi plures? Pater Suarez pro deciſione vtriuſque dubij ſupponit Tridentinum nolle contrahi huiuſmodi impedimentum, niſi quando Patrini ſunt ſpecialiter deſignati; quo ſuppoſito conſequenter ait, Si nullus ſit deſignatus, nullum contrahere, etiamſi mille teneant; quia id non faciunt ex officio: quo reſpondet ſecundo dubio. Circa primum verò ait, illum tantùm virum & feminam contrahere, qui primi tenuerint, aut è fonte ſuſceperint infantem; quia illi præoccupando exercuêre munus illud, reliqui verò iam ſunt facti eo ipſo incapaces; quod ſi tamen fingamus caſum, quo omnes etiam ſimul tangant, tunc putat neminem contrahere propriè impedimentum, quia nullus exercet ibi munus eo modo, quo ab Eccleſia præſcribitur: nam Concilium non vult niſi duos tantùm contrahere. Thomas Sanchez lib. 1. de Impedimentis diſputat. 57. à num. 19. hæc dubia tangens, putat eos qui deſignati ſunt, & tenent infantem, verè contrahere illud impedimentum; de cætero annuit in omnibus Patri Suario: quòd verò omnes illi deſignati contrahant probat, quia Tridentinum non ſtatuit vt neceſſarium ad impedimentum contrahendum,

22 *Patrini contrahunt impedimentum affinitatis tã cum ipſo baptizato quàm cum patre & matre illius.*

Duo viri vel duæ feminæ non contrahunt impedimentum.

Etiamſi plures teneant infantem, ſi nullus ſit deſignatus nullus contrahit impedimentum.

Sententia Sanchez, omnes deſignatos contrahere impedimentum.

Digitized by Google

trahendum, quòd ſint tantùm duo. Aliunde verò cùm idem Tridentinum non irritet tunc admiſſionem plurium, ſed ſolùm eam prohibeat, iubeatque, ſi contrarium negligentia Parochi contingat, eum puniri; ſignum eſt, quòd relinquat validam illam admiſſionem; ergo illa erit ſufficientiſſima, vt contrahatur impedimentum hoc.

Idem Sanchez arguitur inconſequentiæ ex Concilij Tridentini ſtatuto.

23 Cenſeo tamen in hoc puncto Primò Patrem Sanchez non videri ſatis conſequenter diſcurriſſe; quia ſicut dicit non eſſe conditionem à Concilio eſſentialiter requiſitam ad contrahendum impedimentum, quòd ſit vnus & vna; ita eodem modo debet dicere, neque requiri ad contrahendum, quòd ſint deſignati: & verò ſi verba Concilij diligenter ponderemus, potiùs videtur contrario modo diſcurrendum: nam antequam quidquam diceret de deſignatione, iam omnino concluſerat actionem impedimenti illis verbis; *Statuit, vt vnus tantùm ſiue vir, ſiue mulier, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant; inter quos,* &c. *ſpiritualis cognatio contrahatur*: deinde verò iam nouam clauſulam addit, in qua præcipit, vt Parochus diligenter intelligat, qui illi duo Patrini futuri ſunt, vt notet illos in libro, per hanc autem clauſulam nequaquam oſtendit illam aduertentiam Parochi, ſeu illam deſignationem eſſe neceſſariam ad validè contrahendum impedimentum, ſed potiùs quodammodò ſupponit iam contractum, addit quidem paulò poſt; *Si alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint*, eos non contrahere: vbi magis expreſſè videtur requirere deſignationem. At illa ipſa clauſula eſt contra hunc Auctorem; nam tunc docet non deſignatos non contracturos, quando fuerint alij præter illos: atqui ſi nulli ſint deſignati, non eſt verum dicere, quòd alij præter deſignatos tenuerint; ergo exceptio Tridentini non habet locum quando nulli deſignantur.

Probatur ſententia Suarez, quam Sanchez reiecit; ex eodem Concilio Tridentino.

Oſtendi ex Tridentino non probari ſententiam Sanchez; iam oſtendi potiori iure dicendum probari alteram partem ſententiæ Suarez, quam Sanchez reiecit: etenim quod non niſi duo debeant contrahere illud impedimentum, videtur planè expreſſè à Tridentino doceri; nam antequam quidquam dicat de ea publica deſignatione Patrinorum, ſtatuit, vt non niſi vnus, vel ſummum duo, vir & femina, teneant; & addit, *Inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem tantùm*, &c. illa autem propoſitio ibi clarè ſignificat, *Nolumus niſi duos tenere; & duos tantum contrahere.* Quod ſi in vno puncto aliquid fiat contra Concilij voluntatem, non continuò fiet in altero; ac proinde eſto plures aſſignentur ad tenendum, & in hoc non ſeruetur mandatum Concilij; non propterea fiet, quod plures debeant contrahere. Atqui non eſt maior ratio tunc, cur hi duo, quàm cur illi contrahant illud impedimentum; ergo nullus contrahet.

SVBSECTIO II.

Obiectio contradicta ſoluitur?

24 Dices contra hanc vltimam illationem: Concilium requirit vt duo minimùm contrahant; ergo cùm non ſit ratio, cur hi potiùs quàm illi excipiantur, debemus dicere omnes contraxiſſe. Reſpondeo, Cùm contrahere illud impedimentum ſit res odioſa (vt benè oſtendit ibi idem Thomas Sanchez, quia eſt contra libertatem matrimonij) certè quando dubia eſt reſolutio, debemus nos potiùs decidere in fauorem matrimonij. Cùm ergo Concilium dicat, Duo contrahant, & non plures, & duos non poſſimus includere, quin etiam includamus quattuor; id quod eſt contra Concilium non minùs quàm nullum includere; ac proinde, quomodocumque res decidatur, videatur contra Concilium decidenda; melius eſt decidere in fauorabilem partem, & omnes libertate, maximè cùm tam expreſſa ſit ea excluſiua, *Tantùm duo contrahant*, quàm poſitiua, *Duo contrahant.* Et licet Concilium ſtatim nouam clauſulam incipiat, mandans vt illi duo, qui tenere debent, publicè deſignentur à Parocho, & notentur; per hoc tamen non ampliat vllo modo clauſulam reſtrictiuam, quod duo tantùm contrahant; idcóque non video cur ex errore in deſignandis pluribus debeat ampliari prior voluntas Concilij, potiùs quàm reſtringi.

Concilium Tridentinum explicatur in fauorabilem partem, ne multiplicentur impedimenta.

25 Vnde concludo, Magis conſequenter locutum Suarium dum docuit, in neutro caſu contrahi a pluribus illud impedimentum. Quod verò dicebatur à Patre Sanchez, Concilium non irritare illam admiſſionem plurium, ſed iubere Parochum tunc puniri; ergo admiſſionem relinquit omnino validam, ergo ſufficientem ad inducendum illud impedimentum; hoc inquam mihi videtur vel ſupponere quod probandum eſt, vel nihil valere. Rogo enim, quid intelligat hic Auctor dum dicit, *Concilium relinquit validam illam deſignationem*; id eſt, non efficit quò minùs illi re ipſa ſint deſignati phyſicè, & phyſicè teneant; in hoc ſenſu libenter concedimus intentum; quia Concilium hoc ſenſu, etiamſi voluiſſet, non tamen habuiſſet vires ad id impediendum: eſt enim res facti & phyſica, quæ per illas prohibitiones non impeditur, quò minùs extiterit in rerum naturâ: quantumuis enim Concilium dixiſſet, *Nolo vt deſignentur, Volo vt duo ſoli teneant*, non ideò efficere potuiſſet, vt ſi deſignantur quatuor, & hi tenent, non ſint re ipſa deſignati, & re ipſa non teneant; ergo in hoc ſenſu nolens volens relinquit validam illam deſignationem & tentionem: quod ſi ideò in ſecundo ſenſu accipiatur τὸ *Relinquit validam eam tentionem*, id eſt, *ſufficientem ad inducendum impedimentum matrimonij*, tunc iam ſupponitur id, de quo eſt tota quæſtio; quia nos dicimus, ex vi prioris clauſulæ, quam non retractat, nec limitat Concilium in ſecunda, omnes tenentes, ſiue deſignatos, ſiue non deſignatos, vltra numerum duorum, iam eſſe à Concilio excluſos à contrahendo illo impedimento; ac proinde, iuxta dicta, etiamſi illi tranſgrediantur præceptum Tridentini, quia hæc tranſgreſſio cùm ſit actio libera aliorum, non poteſt phyſicè à Concilio impediri (vt oſtendi) & ex eo capite iubeat puniri Parochum in hoc puncto negligentem; non propterea illud velle, vt contrahatur dictum impedimentum ab omnibus; nam quoad hoc habet poteſtatem perfectam Concilium: dicendo enim, *Nolo vt ſit impedimentum*, eo ipſo non erit, etiamſi ipſi tenentes velint vt ſit. Conſtet ergo potiùs dicendum, nullum contrahere, quàm omnes.

Quod benè Suarez oſtendit, licet non ſatis conſequenter.

Non poteſt impedire Concilium ne plures deſignentur phyſicè, ſed poteſt impedire ne plures impedimentum contrahant.

Etiamſi ipſi velint contrahere.

26 Crediderim tamen poſſe nos inuenire alium modum explicandi totam quæſtionem: vt enim benè

Ex deſigna-

ris qui prior tangit, contrahit impedimentum. Ex quatuor ſimul tangentibus & deſignatis illi contrahunt, qui primi nominati ſunt;

benè Pater Suarez dicit, & cum eo Sanchez, ſi ex deſignatis vnus prior altero tangat, iam eo ipſo ſolus ille contrahet, alter non; ita dico, etiamſi quatuor ſimul tangant, duos tamen tantùm contrahere, illoſque eſſe qui primi nominati ſunt: licet enim in ordine ad tangendum poſſimus ponere eum caſum, ob quem nunc diſputamus, quòd ſcilicet omnes quatuor ſimul phyſicè æquè primò tangant infantem; in ordine tamen ad deſignationem non poſſumus dicere, moraliter eos eſſe æquè immediatè nominatos & deſignatos: ſemper enim ea deſignatio tam mente quàm voce fit ſucceſſiuè; & priùs Petrus, deinde Ioannes v. g. & poſtea Maria & Franciſca deſignantur.

Vir, qui inter viros, fœmina, quæ inter fœminas priùs nominata eſt.

Dico ergo, illum virum, qui primò inter viros, & illam fœminam, quæ primò inter fœminas nominantur, ſeu deſignantur, contrahere; caſu quo deinde omnes quatuor aut ſex ſimul tangant: vti enim Suarez dicit, illum qui tactu præit, præripere munus illud; ita dico, antequam veniatur ad tactum, illum, qui fuit primò deſignatus, præualere; & quia deinde in tactu ambo ſunt æquales, retinere illum ſuam præeminentiam Patrini præcipui, & illum ſolum contrahere impedimentum.

Dices: Adhuc poteſt contingere, vt non voce, ſed geſtu deſignentur, v. g. ſint ibi præſentes quatuor, & parens pueri dicat, eos digito oſtendendos, *Omnes hi quatuor ſint*; iam eo caſu nec quidem in deſignatione vnus alterum præcedet: redit ergo iam tota difficultas poſita.

Vbi deſignatio verbalis locum non habet, mentalis ſaltem habet.

Reſpondeo, Etiam in eo caſu poſſe habere locum meam ſolutionem; nam licet exterior illa deſignatio per verba illa *Omnes hi* æqualiter denotet omnes quatuor præſentes; negari tamen moraliter vix poteſt, quin mente aliqui priùs fuerint electi: non enim voluntas vnquam in ſimilibus caſibus æqualiter omnes primo impetu eligit; ſed hic iam primo loco placet, alter ſecundo, &c. in eo ergo caſu, cùm reliqua exteriùs ſint paria, reduci debet tota differentia ad interiorem electionem; idcóque cenſerem in eo caſu (qui tamen ob tot concurrentias ſimul moraliter vix poteſt contingere) debere interrogari parentem, quem primo loco deſignauerit, & illum ſolum incurſurum impedimentum. Nec graue debet hoc videri, ſi iuxta aliorum ſententiam non ſolùm ille, ſed omnes deſignati contrahunt impedimentum. Quòd ſi adhuc demus caſum, quo neque ille recordetur, quem primò elegerit, tunc omnes abſoluerem cum Suario ab eo impedimento, ob dicta hucuſque.

Inter eos qui tenent non contrahitur impedimentum

Circa illud verò admittendum eſt, non eſſe inter perſonas tenentes inter ſe: v. g. tenent Petrus & Maria, illi inuicem inter ſe contrahere poterunt matrimonium; quia (vt ſuprà dixi) impedimentum ſolùm eſt reſpectu baptizati & matris ac parentis baptizati, nec ampliùs extenditur ratione conſanguinitatis aut affinitatis; vnde impedimentum vxoris non redundat in maritum, aut è contrario; ac proinde ſi baptizatum tenuit ſolus Petrus, vxor Petri nullum contrahet impedimentum cum eo baptizato, aut cum eius parentibus.

SVBSECTIO III.

Duo dubia expediuntur.

28 DVo adhuc in hoc puncto reſtant dubia breuiter explicanda: Primum, An hoc impedimentum contrahatur, quando Baptiſmus celebratur ſine ſolemnitate. Affirmant multi apud Suarez in Commentario art. 8. quæſt. 67. maximè ſecundùm Iura antiqua, quia illa ſine diſtinctione loquebantur de tenentibus; Sotus verò, quem idem Suarez ſequitur, negat, quia hoc impedimentum ex natura rei non prouenit, ſed eſt annexum ab Eccleſia propter ſolemnitates Baptiſmi; ergo eis ſolemnitatibus ceſſantibus etiam illud ceſſat.

Sententia Suarez probabilior, non contrahi impedimentum niſi in Baptiſmo ſolemni.

Confirmatur, quia quòd aliquis debeat tenere baptizatum, eſt ſolemnitas ab Eccleſia inducta; alioquin poſſet infans in lecto iacens, aut ſupra ſedem, nullo tenente baptizari; & multò minùs id eſſet neceſſum in adulto: ergo ſicut tentio illa inducta eſt pro ſolemni Baptiſmo, ita & impedimentum ex illa reſultans præcisè reſpiciet Baptiſmum ſolemnem; vnde in priuato non erit obligatio conſtituendi aliquem qui teneat. Quod ſi aliquis re ipſa tenuerit, id erit per accidens; & inde nulla inſurget in tenente obligatio inſtruendi deinde puerum: id quod ex communi omnium acceptione ſatis confirmatur: nam nunquam vocantur Patrini ij qui in huiuſmodi neceſſitatis caſibus tenent, nec illi ſe vocant Compatres, &c. ergo ſignum eſt tunc eam ſuſceptionem non eſſe illam quam Eccleſia inſtituit. Hæc opinio eſt etiam meo iudicio probabilior, etiamſi fortaſſe aliquis poſſet dicere, ſolemnitates eas Baptiſmi habere latitudinem, & poſſe etiam in eo caſu ad aliquas obligari, eſto non ad omnes, quia aliquæ poſſunt tunc applicari, licet non omnes, ergo etiamſi non ſit locus pro aliis, poterit tamen eſſe pro Patrinis, & conſequenter, vt etiam ij contrahant impedimentum. Verùm licet potuerit Eccleſia hoc modo rem inſtituere: difficultas enim nulla eſt in ea ſeparatione ſolemnitatum: nihilominus, quamdiu non conſtat de ea inſtitutione, abſolutè dicendum eſt, eas ſolemnitates eſſe proprias Baptiſmi publici, & cum integra ſolemnitate facti. Et ita hanc ſententiam ſecutus eſt Pater Thomas Sanchez eo lib. 7. diſputat. 62. in fine.

Circa quod punctum aduerte, Patrem Sua- 29
rium addere, Si tamen quis in caſu eo neceſſitatis teneat infantem animo verè eum ſuſcipiendi, ad modum quo in Baptiſmo ſolemni & animo ſeruandi illam cæremoniam, tunc probabiliter contracturum impedimentum hoc.

Contrahere impedimentum non eſt in poteſtate tenentis, vt oſtendit Sanchez contra Suarez.

Hæc additio diſplicuit, & meritò, loco citato Patri Sanchez: quia huiuſmodi impedimentum contrahere non eſt in poteſtate ipſius tenentis; nam ſi Iura illud non ponunt, profectò quantumuis ipſe velit contrahere, non contrahet.

Dices fortè cum Suario, illam voluntatem tenentis ad hoc deſeruire, non vt contrahatur immediatè impedimentum, quod ius ipſum non ponit: id enim haud dubiè repugnat: ſed ad hoc, vt per illam habeat ea tentio ſolemnitatem, & conſequenter, vt eo ipſo habeat locum caſus, de quo Iura loquuntur. Confirmatur ex dicendis infrà, ſcilicet eum, qui etiam in Baptiſmo ſolemniter tenet baptizatum, ſi id non faciat animo verè ſuſcipiendi, eo modo quo ſuſcipere ſolent Patrini, ſed materialiter, vel ne infans in terra ſit, vel vt Patrinum, qui ſenex eſt, & infantem tenere non poteſt, iuuet, non contrahere impedimentum: ergo multum facit voluntas tenentis ad hoc, vt contrahatur vel non contrahatur impedimentum. Reſpondeo, Modo dicto poſſe aliquando requiri eam volitionem, quia

iuuat,

Digitized by Google

iuuat, vt actio illa ſit humana, & vt ſit modo requiſito ab Eccleſia. At in præſenti negamus volitionem illam poſſe quidquam efficere, quia deberet concurrere ad efficiendum ſolemnem illum actum Baptiſmi; iam enim cum eodem Suario ſupponimus non contrahi hoc impedimentum quando abſunt ſolemnitates inſtitutæ ab Eccleſia: quod autem ille velit tenere formaliter, vt ſic dicam, nullam omnino addit ſolemnitatem, nec quidem leuem, multò minùs facit Baptiſmum abſolutè ſolemnem; ergo non poteſt concurrere neque mediatè ea volitio ad contrahendum hoc impedimentum.

Voluntas tenentis non facit ſolemnem Baptiſmum.

30 Secundum dubium eſt, An ſi parens extra neceſſitatem teneat legitimum ſuum filium, quandoquidem contrahere impedimentum matrimonij non poteſt, quia iam eſt contractum, ſaltem contrahat impedimentum ad petendum debitum. Dico *ad petendum*; quia non excuſabitur à reddendo debito; quandoquidem vxor, quæ nullam culpam commiſit, poteſt licitè petere, niſi caſu quo etiam vxor ipſa tenuiſſet ſimul cum marito: tunc enim ſi neuter poſſet petere, neque etiam poſſet reddere; quia tunc ſolùm tenetur reddere vnus, quando alter licitè petit. Pater Suarez ſuprà benè agit hac de re, docétque non incurri impedimentum illud petendi; nam cùm Iura de illo non loquantur, ſed ſolùm in ordine ad contrahendum matrimonium, non debemus nos extendere eam legem ad impediendam petitionem: non enim leges pœnales debent extendi ob paritatem rationis.

Parens tenens ſuam prolem extra caſum neceſſitatis non incurrit impedimentum ad non petendum debitum.

Obiectio:

Dices: Alia impedimenta matrimonij contrahendi; ſi poſt illum contractum ſuperueniant, ſaltem impediunt petere debitum, atqui hoc eſt tale, ergo etiam impediet.

Soluitur.

Reſpondeo, Antecedens eſſe verum, quando ipſa Iura ita diſponunt expreſsè, alioquin ex natura rei illa propoſitio vniuerſalis non eſt vera; nam ſi quis ante matrimonium contractum ſit impotens, eſt impedimentum eſſentiale ad contrahendum matrimonium; at ſi poſt validè contractum redderetur impotens vnus ex illis, non diſſolueretur matrimonium, nec poſſet petere & reddere. Deinde, ſi ante matrimonium initum contrahentes fuiſſent mancipia, non potuiſſent validè contrahere ſine voluntate Domini; at ſi contracto matrimonio fiant mancipia, iam nec ad petendum, multò minùs ad reddendum indigent Domini licentia. Et multi fortè ſimiles caſus excogitari poſſunt; quidquid verò de illis ſit, nobis ſufficit oſtendiſſe, duo illa ex natura rei non eſſe idem: hinc enim clarè infertur; Ergo non debemus ab vno ad aliud argumentari, niſi Iura ita diſcurrant; hic autem nullum adfertur tale ius; ergo.

31 Dices: Caput *Peruenit*. 30. quæſt. 1. facit eam prohibitionem expreſſam. Reſpondetur, Cùm in eo capite dicantur contrahere hoc impedimentum parentes, etiamſi ſine culpa, ſed neſcientes id faciant; conſtet autem clarè ex aliis capitibus recentioribus, ſaltem quando bona fide parentes proceſſerunt, non contrahi illud impedimentum, dicendum eſt, caput hoc eſſe correctum; deinde & re ipſa eſt abſolutè abrogatum in cap. *Si vir*. de cognatione ſpirituali.

Explicatur Ius Canonicum pro contraria ſententia citatum.

Secundò obiicies hoc idem cap. *Si vir*; nam in eo ſolùm dicitur; Alter alteri non ſubtrahat debitum; ergo non dat licentiam ad petendum. Reſpondetur, Neque negare eam licentiam, vbi ex cap. *De eo*. 30. quæſt. 1. in quo dicitur, Etiamſi ambo coniuges ex induſtria tenuerint, non tamen eos ſeparandos, ſed poſſe, ſi velint cohabitare, optimè infert Suarez, concedi facultatem petendi; alioquin non permiſiſſet Eccleſia eos ſimul cohabitare. Varia alia dubia, quæ in hoc puncto poſſunt occurrere, vide apud Patrem Sanchez ſuprà: pro intento enim noſtro hæc ſufficiunt. Nunc cum eodem diſp. 58. obſerua, etſi ad contrahendum hoc impedimentum requiratur voluntas exercendi id quod Patrini ſolent, quia alioquin non eſſet formalis, ſed materialis ſuſceptio, non tamen requiri vllam voluntatem contrahendi illud impedimentum; vti non requiritur in aliis materiis impedimentum ſimile cauſantibus, quia Iura non requiſierunt hanc voluntatem, imò neque impedimenti notitiam.

Ad contrahendum impedimentum non requiritur voluntas illud contrahendi.

SECTIO III.

De cæremoniis Baptiſmi.

32 NOn eſt animus hàc de re ex propoſito diſputare: res enim eſt nullius ſpeculationis, ſed ſolius eruditionis, & aliquantulum controuerſiſtica: de qua eruditè agit Pater Suarez diſputat. 31. Breuiſſimè ergo notabo quæ ſunt aliqua conſideratione digna; & quidem in genere expediens fuiſſe in Sacramentorum adminiſtratione aliquas adhibere cæremonias ad decentiorem eorum tractationem, ad maiorem reuerentiam & deuotionem ſuſcipientium & adſtantium, diximus ſuprà agentes de Sacramentis in communi: habet autem ea ratio maiorem vim in Baptiſmo, in quo plures ferè ſunt cæremoniæ quàm in omnibus aliis ſimul ſumptis; quia cùm ſit ianua ad Eccleſiam, & primum omnium Sacramentorum, debuit cum maiori apparatu adminiſtrari: neque obeſt quòd in initio Eccleſiæ non fuerint adhibitæ, vt obiiciunt hæretici: etenim ſemper aliquæ fuere, licet non tot. Deinde, quia Eccleſia non ita erat tunc fundata, & magis occultè ob perſecutores adminiſtrabatur hoc Sacramentum; non erat ergo locus eis vſurpandis; earum ergo honeſtate ſuppoſita.

Cæremoniarum ſacrarum vtilitas.

SVBSECTIO I.

De tempore Baptiſmi ſuſcipiendi.

33 PRimò circa tempus Baptiſmi, vt ſolemniter conferendi, olim erant duo dies aſſignati, Sabbatum ſanctum & Sabbatum Pentecoſtes: pro qua re multa congerit Suarez teſtimonia ſect. 2. Ratio autem huius inſtitutionis fuit, quòd Sabbatho ſancto & paſſio Chriſti completa, & inchoata reſurrectio fuit: & quia per Baptiſmum morimur diabolo, & reſurgimus Chriſto, opportunè ea die celebratur; Sabbatho verò Pentecoſtes, quia tunc recolitur memoria deſcenſus Spiritus ſancti, qui baptizatis etiam communitur. Succeſſu deinde temporis ob multitudinem baptizandorum, maximè verò infantium, qui ſæpè ob eam dilationem moriebantur ſine Baptiſmo, ablata eſt ea conſuetudo quoad obligationem differendi Baptiſmi, vt pulchrè declarat Rupertus Abbas lib. 4. de Diuinis Officiis cap. 18.

Tempus Baptiſmi conferendi in Eccleſia antiqua.

Qua occaſione poſſet illud in dubium verti, Vtrùm pro adultis ſit aliquod tempus deſignatum, vltra quod non liceat differre Baptiſmum. Cui reſpondeo, Ex natura rei tunc obligare, cùm primum

Digitized by Google

Quo tempore adulti obligentur ad Baptiſmum.

primum homo agnouit religionem Chriſtianam eſſe veram; ſeu cum primùm ſignis credibilitatis obligatur ad credendum; non dico eum ſtatim obligari ad Baptiſmum, ſed data opportuna occaſione: non enim ſufficit homini credere myſteria Fidei, ſed debet attendere, ne ſe exponat periculo decedendi ſine Baptiſmo.

34 *Punctum temporis obligantis aſſignari non poteſt.*

Quod autem ſit illud punctum, quo ea obligatio incipiat, non poteſt facilè determinari: qua de re bene agit Suarez diſp. 31. ſect. 2. vbi tangit quandam obiectionem deſumptam ex pœnitentia; nam etiamſi homo peccet mortaliter, non obligatur tamen ſtatim agere pœnitentiam: licet enim præcepto Eccleſiæ teneatur quis confiteri in Paſchate, ablato tamen hoc præcepto ex natura rei potuiſſet diutiùs differre confeſſionem ergo eodem modo poterit differre Baptiſmum: non enim hic magis neceſſarius eſt quam Pœnitentia, maximè ſi ſupponamus hominem ſe per amorem Dei ſupra omnia ad gratiam diſpoſuiſſe; & confirmari id poteſt, quia præcepta affirmatiua non vrgent niſi tempore neceſſitatis.

Præcepta affirmatiua non vrgent niſi tempore neceſſitatis.

Vnde legimus, ſanctum Martinum octo annis fuiſſe Cathecumenum, & ſanctum Ambroſium quando electus eſt Epiſcopus, nondum fuiſſe baptizatum; videturque ſatis diu fuiſſe Catechumenus, cùm natus eſſet parentibus Chriſtianis Denique cum Baptiſmus liberet ab omni pœna debita in Purgatorio, quò tardius ſuſcipitur, eò videtur eſſe fructuoſior, vt homo minùs habeat in Purgatorio ſoluendum. Ad hæc argumenta reſpondet ibi Suarez; & Primò ad primam inſtantiam & rationem generalem ex præceptis affirmatiuis deſumptam, ſpecialem eſſe in Baptiſmo rationem, ob quam non licet illum tamdiu differre, quia Baptiſmus eſt fundamentum Chriſtianæ religionis, & ianua ad Eccleſiam, per quem homo fit capax aliorum Sacramentorum Chriſtus item Dominus voluit ſuos infideles in hac vita vniri in vna viſibili Republica, ſeu Eccleſia, ſub vno Capite; id quod fit per Baptiſmum: vnde conſequenter videtur voluiſſe id fieri ſtatim à principio vitæ, moraliter loquendo ſeu à puncto, quo homo veritatem Fidei noſtræ cognouit: ac proinde noua deſumitur confirmatio; nam ad credendum homo obligatur cùm primùm ei proponuntur ſufficienter motiua Fidei; ergo etiam obligatur ſtatim ad ſuſcipiendum Baptiſmum; quia non ſolùm homo obligatur vt credat interiùs, ſed etiam vt ſolemni ritu Fidem exteriùs profiteatur; vnde negat hic Auctor eamdem eſſe rationem quoad hoc punctum de Pœnitentia ac de Baptiſmo.

In Baptiſmo tamen videtur eſſe alia ratio.

35 *Eſt maior obligatio non differendæ Pœnitentiæ quam non differendi Baptiſmi.*

Ego tamen crediderim longè maiorem eſſe obligationem ex natura rei non differendæ Pœnitentiæ, quam non differendi Baptiſmi, ſi homo per amorem Dei ſupra omnia & contritionem iuſtificetur; quia multò maioribus bonis priuatur qui eſt in mortali, quam Cathecumenus iam iuſtificatus per contritionem ſine Baptiſmo: in quo puncto nemo videtur poſſe dubitare. Vlteriùs, peccator exponit ſe periculo lapſus noui: quia homo peccator diu ſine nouo peccato non durabit, vt diximus Tomo 4. in materia de Gratia. Quod verò dicitur de ianua & fundamento, intelligendum præcisè eſt quoad receptionem aliorum Sacramentorum; nam bonorum operum valor, augmentum gratiæ, &c. non pendent à Baptiſmo. Denique peccator, ſi in eo ſtatu præoccupetur morte, aut perpetua amentia, certò damnabitur; at verò Catechumenus iuſtus ſaluabitur. Ergo ex hoc capite non poteſt negari, quin maiores longè rationes ſint ad accelerandam Pœnitentiam quàm ad Baptiſmum. Quando *Pœnitentiam* dico, loquor de illa vt abſtracta à confeſſione Sacramentali & à contritione. Nam ſi ante confeſſionem habeat contritionem, iam erit eadem ratio quæ de Catechumeno iuſtificato. Quod addit Suarez, Chriſtum voluiſſe vt ad initium vitæ moraliter fiat ea profeſſio per Baptiſmum, eſt idipſum de quo dubitamus; nam ſi conſtaret Chriſtum Dominum id voluiſſe, ceſſaret haud dubiè ſtatim tota quæſtio.

Intellige Pœnitentiam prout abſtrahit à confeſſione Sacramentali & contritione.

36 *Statuitur, Baptiſmum non eſſe diu differendum.*

Igitur probabilius videtur tam ad Baptiſmum quàm ad Pœnitentiam teneri hominem quàm primùm moraliter; Eccleſiam autem quoad Pœnitentiam declaraſſe illud tempus eſſe ſingulis annis. Quoad Baptiſmum verò dicendum, ſi quis adultus agnita Fidei noſtræ veritate eodem modo ad annum vnum tantum differret Baptiſmum extra caſum neceſſitatis, eum non peccaturum grauiter. Ad factum autem S. Martini & S. Ambroſij, quod etiam tetigit Caietanus q. 68. art. 3. reſpondetur, vel illos non putaſſe ſe teneri, vel habuiſſe aliam excuſationem rationabilem, de qua nobis non conſtat. Quod vltimò obiiciebatur de ſatisfactione pro pœna temporali, leue eſt; quia maioris momenti eſt aſſecurare valdè ſuam ſalutem, cùm contritio non adeo facilè haberi ſoleat, & poſſe augere gratiam per alia Sacramenta, quam commoditas illa delendæ totius pœnæ temporalis. Et hæc circa obligationem ex præcepto ipſo diuino.

Quare S. Ambroſius & S. Martinus tamdiu Baptiſmum diſtulerint.

Iam quæri poteſt, Vtrùm Eccleſia poſſit adultos obligare eis præfiniendo tempus D. Thomas eo art. 3. quæſt. 68. ſupponit & poſſe, & re ipſa eſſe tale præceptum; ait enim peccare grauiter adultum differentem Baptiſmum vltra tempus ab Eccleſia præſcriptum: videtur autem id probari, eò quod Chriſtus dederit Eccleſiæ poteſtatem circa diſpenſationem Sacramentorum; vnde de facto præſcripſiſſe ea duo tempora Sabbati ſancti & Pentecoſtes pro Baptiſmo diximus paulò antè. Nihilominus dicendum eſt ex generalibus principiis non poſſe, quia Eccleſiæ non dedit Chriſtus ius vllum in eos qui foris ſunt, iuxta illud tritum Pauli ad Corinth. 1. cap. 5. *De iis qui foris ſunt nihil ad nos.* idipſum clariùs expreſſit Tridentinum Seſſione 14. cap. 4. illis verbis; *Eccleſia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi ianuam ingreſſus fuerit.* de quo benè Suarez ſuprà. Ad rationem ſuperiùs inſinuatam dicimus Chriſtum dediſſe poteſtatem Eccleſiæ ad Sacramentorum adminiſtrationem; inde tamen non colligi, dediſſe poteſtatem cogendi ad illa infideles. Quod de aſſignatis duobus illis Sabbatis dicitur, non eſt ad rem; quia aliud eſt mercatorem v. g. dicere, Ego nihil vendam niſi die Lunæ; aliud verò dicere, Ego te cogo vt venias ad me die Lunæ ad emendum: Eccleſia dicit, Qui voluerit baptizari me inueniet tali die paratam; at per hoc non dicit, Cogo vos vt veniatis.

Eccleſia non habet poteſtatem cogendi infideles ad Baptiſmum.

7 *Proponitur caſus, in quo quis à ſuſcipiendo Baptiſmo excuſetur.*

Reſtat nunc explicare, Vtrùm poſſit aliquando eſſe cauſa, quæ excuſet penitus à ſuſcipiendo Baptiſmo. Reſpondetur communiter; Si homo ita ſit infirmus, vt per ipſum Baptiſmum periclitetur de vita, tunc excuſari; quia baptizare tunc hominem, eſſet eum occidere. Bonum eſt quod per conditionalem illam, quæ nihil ponit in eſſe, explicent hi Auctores illam concluſionem

Periculum mortis ex Baptiſmo videtur eſſe impoſſibile. ſionem; alioquin omnino puto eſſe etiam phyſicè impoſſibile tale periculum. Cum enim ad Baptiſmum iuxta multorum ſententiam ſufficiat etiam vna gutta aquæ, & iuxta omnes ſex vel ſeptem ſufficiant, & ſiue in capite, ſiue in brachiis applicentur, quomodo euenire poteſt, vt ex contactu illarum ſex guttarum, maximè attemperatarum moderato calore, & quæ ſtatim abſtergantur, poſſit homo de vita periclitari? quòd ſi tamen fingamus tantum illud eſſe periculum, reſpondendum ſub disiunctione; Vel eſt ſpes non dato eo Baptiſmo infirmum conualiturum, vel non; ſed iam eſt omnino deſperatus: vnde non niſi acceleratio aliqua mortis timetur ex illo Baptiſmo. In primo caſu dicendum eſt, illum debere differri ad conualeſcentiam, quia tunc etiam per eam dilationem omnia ſaluantur. In ſecundo dicendum è contrario debere omnino conferri Baptiſmum, quia cùm iam ſupponatur ille moriturus, non eſt iudicanda vllius momenti illa acceleratio mortis reſpectu damnationis æternæ: id quod maximè habet locum in his, qui per proprium actum non poſſunt ſe diſponere ad gratiam: habet vim etiam in adultis, nam licet poſſint per contritionem id obtinere, eſt tamen res difficilior, & non tam vtilis, tum propter remiſſionem pœnæ totius temporalis, tum propter augmentum maximum gratiæ; nec ideò licebit puerum in puteum proiicere, quia id eſt directè illum occidere.

38 *An qui propter Baptiſmum ſuſceptum eſſet occidendus à Tyranno, debeat baptizari.* Sed quæres; Quid ſi periculum vitæ immineat à Tyranno, qui mortem minatur ei qui baptizari vult, aut ei qui alium vult baptizare. Reſpondeo, Si ille, de quo agitur, ſupponatur iam tunc moriturus ex morbo independenter à violentia illata (& idem dico de adulto) baptizandum omnino eſſe etiamſi ob id paulò citiùs violenter occidendus ſit à Tyranno, ob rationem immediatè antè datam de eo qui per ipſum Baptiſmum eſſet occidendus: ſi verò in dilatione non eſt periculum, debet differri Baptiſmus. *Si Baptiſmus ſit inſtar profeſſionis Fidei, ad illum tenetur quis, etiamſi occidendus ſit.* Quòd ſi periculum immineat adulto baptizando, conſiderandum eſt, an per dilationem poſſit vitari huiuſmodi periculum; deinde, an ea comminatio mortis ſit in odium Fidei, & talis, vt ipſum deſiſtere à Baptiſmo videatur eſſe, annuere Tyranno vrgenti defectionem: ſi enim id contingat, tenebitur homo baptizari, ſicut tenetur profiteri Fidem; quia ille Baptiſmus tunc eſt profeſſio Fidei: & idem eſt ſi Tyrannus minetur mortem ipſi baptizanti; quia etiam tunc ipſum baptizare eſt profiteri Fidem: habebit autem in hoc caſu maiorem certitudinem hæc reſolutio, ſi ipſe baptizandus iamiam ſit moriturus: teneor enim ego etiam cum vitæ propriæ periculo accurrere proximo de æterna ſalute periclitanti: ſed de hoc puncto, quod eſt commune ad alias materias, fuſiùs egi in Tractatu de Charitate. Quòd ſi ex dilatione Baptiſmi ob illud periculum non creetur nec baptizando damnum, nec religioni Chriſtianæ infamia, nec timeatur ſcandalum vllum, poteſt ſine dubio ad tempus differri, maximè quando comminatio mortis adhuc non eſt facta, ſed timetur facienda, ſi Tyrannus reſciat de Baptiſmo; tunc enim clariùs conſtat poſſe differri ad aliud tempus vel anticipari in ſecreto, ita vt Tyrannus de illo nihil reſciat.

SVBSECTIO II.

De loco Baptiſmi, & de reliquis illius cæremoniis?

CIRCA locum Baptiſmi certum eſt, neque ex natura rei, neque ex Lege diuina vllum eſſe certum & determinatum, ſed olim ad fluuios, ad fontes baptizatos eſſe fideles, vt ex Actis Apoſtolorum conſtat; iam verò in quibuſlibet Parochiis vas lapideum, aut ſtanneum, aut alterius metalli ad id eſt diſpoſitum, quod ſolet communiter vocari Fons Baptiſmi, in quo conſeruatur aqua pro Baptiſmo, quæ ſpecialibus benedictionibus Sabbato ſancto benedicitur trina Chriſmatis perfuſione, & trina Cerei Paſchalis immerſione, vt habetur in Officio Sabbati ſancti. Prohibetur autem Clementina vnica de Baptiſmo ne vllus extra Eccleſiam, niſi filij Regum aut Principum, baptizetur: quo ſecundo nomine intelligit Gloſſa non Duces, aut eos qui titulum habent Principum, vt multi in Italia, aut Germania, ſed qui quodammodò comparantur Regibus; vt ſunt ſupremi Principes, v. g. Electores Imperij, Dux Florentiæ, Parmæ, & ſimiles, qui ſolent habere etiam titulum Sereniſſimi. Inſinuat autem Hurtadus non licere niſi in his fontibus Baptiſmi vllum baptizare: id quod non eſt in vſu: dummodò enim in Eccleſia baptizentur, vti hîc Pragæ in noſtro templo (vbi tamen non eſt talis fons Baptiſmi) ſæpè vidi Iudæos baptizari: & dummodò ea aqua accipiatur, quæ eſt pro Baptiſmo modo dicto conſecrata, poteſt is licitè conferri. 39 *Nullus eſt locus Baptiſmi determinatus.* *Clementina prohibet extra Eccleſiam baptizari niſi filios Principum.*

Circa proprias verò cæremonias; Primò olim adulti, qui volebant audire Legem Chriſti, vocabantur Catechumeni; & iuxta illud Chriſti Domini Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes*, diligentiſſimè tam de myſteriis credendis quàm de præceptis ſeruandis inſtruebantur, iuxta ea alia Chriſti verba: *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*: poſt perfectam verò inſtructionem ſi animum adijciebant, ſua nomina dabant; per quod annumerabantur inter electos ad Chriſtianiſmum, imò eo ipſo vocabantur Chriſtiani: deinde exercebantur in orationibus & ieiuniis, ac tandem baptizabantur: id quòd fuſiùs deducit adductis variis teſtimoniis Pater Suarez ad art. 1 quæſt. 7. Diui Thomæ Hic Catechiſmus, licet non cum eis ieiuniis, & cum præuia datione nominis, etiam nunc ſeruatur, quando adulti baptizantur. 40 *Cæremonia cum adultis.*

Pro infantibus verò nunc eſt in vſu Catechiſmus cæremonialis, non quia infantes ſint tunc capaces inſtructionis, ſed vt Patrini ſciant obligationem quam habent inſtruendi deinde infantem, cùm ad vſum rationis venerit; & vt Eccleſia declaret obligationem, quam infans habet ſeruandi legem Chriſtianam, perinde ac ſi propria voluntate ad Baptiſmum veniret.

Tertio loco adhibetur exorciſmus dæmonis, non quia baptizati ſupponantur à diabolo obſeſſi corporaliter; hoc enim etſi fortè aliquando in vno aut in altero contingat, in reliquis nequaquam ſupponitur; ſed ad ſignificandum hominem per peccatum originale fuiſſe ſeruum diaboli, iam verò per Baptiſmum fieri liberum, & conſtitui filium Dei. Fortaſſe etiam ea ipſa cæremonia, vt nomine Eccleſiæ exercita habet efficaciam ad obtinenda à Deo ſingularia auxi- *Vſus exorciſmi.*

lia ad reſiſtendum diaboli tentationibus, & ad coërcendas etiam ipſas tentationes. Fit autem exorciſmus per inſufflationem Miniſtri. De quo exorciſmo & de modo illius agunt multi ex antiquioribus Patribus, vt videre eſt apud Suarium in Commentario articuli 2.

41 *Sale,* Quartò imponitur infanti in os ſal ad ſignificandam veram ſapientiam, & ad monendum, ne nouis peccatis vergat in corruptionem: de qua cæremonia etiam egerunt antiquiores Patres.

Sputi & ſaliua. Quintò aures & nares liniuntur ſputo ad Chriſti exemplum, qui oculos cæci & aures ſurdi ſputo & ſaliua tetigit, in ſignum, quòd baptizatus debeat eſſe bonus odor Chriſti; & quòd aperiantur illi aures ad obediendum Dei vocibus. Vnde Ambroſius lib. 1. de Sacramentis cap. 1. hæc ait: *Ideò tibi Sacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad ſermonem & ad eloquium Sacerdotis.* & infrà: *Quare nares? vt bonum odorem accipias pietatis æternæ, & ſit in te Fidei deuotioniſque plena fragrantia.*

Olei ſanctificati, Sexta cæremonia eſt iniunctio Olei ſanctificati ad denotandum, eum conſtitui athletam contra diabolum; ad ſignificandam etiam Spiritus ſancti vnctionem; fortè ad ſimilitudinem Samaritani, qui oleo ſanauit vulnera illius qui incidit in latrones: de qua etiam agunt Ambroſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij apud Suarez ſuprà.

42 *Chriſmatis.* Hæ cæremoniæ præcedunt actum Baptiſmi; poſt illum verò primò ſequitur iniunctio Chriſmatis in vertice baptizati: fit autem ad ſignificandam conſeruationem gratiæ habitualis; differtque ab ea quæ in Confirmatione adhibetur, quòd in Baptiſmo ſit pura cæremonia, & fiat in capite, & poſſit à ſimplici Sacerdote; in Confirmatione autem eſt eſſentialis, fit in fronte, & à ſolo Epiſcopo: de ea Ambroſius libro tertio de Sacramentis capite primo ſic ait: *Accipis myſterium, hoc eſt vnguentum ſupra caput: quare ſupra caput? quia ſenſus ſapientis in capite eius: friget enim ſapientia ſine gratia; ſed vbi ſapientia acceperit gratiam, tunc opus eius incipit eſſe perfectum.* Grauiter autem Eccleſia præcipit, vt hoc Chriſma ſit nouum, id eſt, eo anno benedictum, niſi in caſu extremæ neceſſitatis.

Veſtium albarum olim, Secunda cæremonia erat veſtimentis albis induere baptizatum: vtebantur autem his veſtibus tota Octaua Paſchæ; vnde, quia prima deinde Dominica eas deponebant, dicitur huc uſque Dominica in Albis: iam verò qui adulti baptizantur, veſtes illas geſtant prout volunt: in-

Nunc veli albi. fantibus autem loco veſtis ponitur ſuprà caput velum album. Hæc cæremonia clarè ſignificat innocentiam & ſanctitatem, quæ per Baptiſmum confertur.

Vltimò denique ponitur illis cereus accenſus in manu, ad ſignificandam Fidem viuam, quam acceperunt; maximè verò ad denotandum, eos debere cum candelis accenſis expectare Dominum à nuptiis reducem. Et de cæremoniis pro noſtro inſtituto ſatis.

SECTIO IV.

De pœnis in cooperantes illicitæ adminiſtrationi Baptiſmi?

DVPLICITER ad rem noſtram peccari poteſt in adminiſtratione Baptiſmi, vel illum iterando; vel ſi eius adminiſtratio vſurpetur ab eo, ad quem non ſpectat, vt ſi à Sacerdote non Parocho, vel à Diacono aut Subdiacono in præſentia Sacerdotis: nunc ergo breuiſſimè explicandum, quæ ſint pœnæ in huiuſmodi peccata impoſitæ; non loquor de pœnis communibus peccatis omnibus, ſed de ſpecialiter ab Eccleſia impoſitis. 43

Circa iterantes aduertendum, in Iure ciuili tam rebaptizato, ſi rationis ſit capax, & conſentiat in talem repetitionem, quàm ipſi rebaptizanti eſſe impoſitam pœnam capitis in Lege 2. Cod. *Ne ſanctum Baptiſma.* ſed hæc ad nos non ſpectat. Ab Eccleſia eſſe in vtroſque irregularitatis pœnam decretam communiter omnes Doctores ſupponunt; qui tamen non videntur adducere ſufficientem probationem illius. Nam quòd ex citata Lege adfertur non eſt ad rem, quia Magiſtratus ſæcularis non poteſt irregularitatem imponere. Canon item 47. Apoſtol. citari ſolet, in quo dicitur, deponendum eſſe eum ex officio, qui Baptiſmum repetit; ibi tamen non imponitur pœna ipſo facto incurrenda: nec ea depoſitio nunc eſt in vſu. Alium textum ex Felice III. Epiſtola 1. cap. 2. & refertur in cap. *Eos quos.* de conſecrat. diſtinct. 4. vbi grauiſſimæ pœnæ imponuntur ei qui ſancti Baptiſmatis facit iacturam, reiicit Suarez diſp. 31. ſect. 6. tum quia illæ pœnæ non ſunt in vſu; tum quia in ipſum tantùm rebaptizatum videntur latæ. *In Iure ciuili rebaptizãs & rebaptizatus incurrũt pœnam capitis, in Iure Canonico irregularitatem.*

44 *Etiam Acolythus qui aſſiſtit.* Denique cap. 2. Extra, *de Apoſtatis*, in quo maximè fundantur Auctores, non niſi rebaptizatum ipſum & Acolythum aſſiſtentem comprehendit; non videntur autem Leges, maximè odioſæ, poſſe trahi per ſimilitudinem rationis aut delicti ad alios caſus in eis Legibus non contentos. Nihilominùs cum communi ſententia dicendum eſt, verè eam irregularitatem incurri. Nam Pontifex ibi in eo capite non imponit pœnam ob ſpeciale delictum cooperationis Acolythi, ſed quia cooperator extitit rei nefandæ: atqui eadem ratio omnino repetitur in baptizante: vt enim benè notat Suarez, non trahitur ibi argumentum ad ſimilem actionem, ſed formaliter ad eamdem; quia ad eamdem actionem nefandæ iterationis ambo extitere cooperatores.

Verùm hinc oriuntur diuerſa dubia breuiter expedienda. Primum, de qua irregularitate ſit ea pœna intelligenda, an de exercitio ſuſcepti iam Ordinis, an de ſuſceptione altioris. Reſpondet Suarez, & benè, Cùm verba textus ſolùm impediant aſcenſum ad altiorem Ordinem, & odia non ſint amplianda, non eſſe niſi planè prout iacent intelligenda: id quod etiam de ipſo baptizante intelligi: vnde ſi Sacerdos ille ſit, poteſt celebrare, audire confeſſiones, &c. licet ad Epiſcopatum aſcendere nequeat. *Irregularitas illa non impedit miniſterium in ſuſcepto Ordine, ſed ad ſuſcipiendos Ordines altiores.*

Secundum dubium, An ſit expectanda ſententia pro ea pœna, an verò incurratur ipſo facto. Reſpondetur, Cùm Pontifex nihil dicat de ſententia lata, ſed quòd ille non valeat promoueri altiùs, iam eo ipſo oſtendere, incurri eam impotentiam per illud delictum. *Dicta irregularitas ipſo facto incurritur.*

Tertium

Digitized by Google

Tertium dubium; An incurratur ob ſolam rebaptizationem publicam, an verò ob occultam: id quod ita intelligendum, vt maneat etiam deinde occulta; nam ſi poſteà fiat publica, iam eo ipſo cenſebitur publicè commiſſa in ordine ad hunc effectum. Ratio dubitandi ſumitur ex ipſo textu; vbi dicitur, Si occultum ſit illud factum, poſſe promoueri. Reſpondeo cum Suario, qui Syluestrum & Iuriſtas communiter pro hac ſententia dicit ſtare, non incurri, quia reuera textus requirit publicationem, vt incurratur. Dicunt aliqui, id ſolum intelligendum de Acolytho; de quo eſt ibi ſermo. Sed contrà, quia (vt benè citati Auctores) de baptizante nullus eſt alius textus; ergo ſi in odioſis comprehenditur ſub nomine Acolythi, debebit etiam in fauorabilibus.

Non incurritur niſi ex publica rebaptizatione.

45 Quartum dubium, An incurratur à rebaptizante exteriùs, ſine interiore tamen animo baptizandi? Reſpondeo, Nullo modo incurri coram Deo, ſed ſummum in foro externo; quia ille verè & propriè non rebaptizat, ſeu non intendit rebaptizare; vti ille qui exteriùs tantum negat Fidem, non verò interiùs, non incurrit pœnas in hæreticos latas. Vnde optimè decidit Suarez ſuprà quintum dubium, An rebaptizantes ſub conditione incurrant etiam pœnas; aitque non incurrere, quia illi non volunt rebaptizare propriè; quapropter licet grauiter peccent, quando temerè & ſine fundamento faciunt, non tamen propterea pœnam in rebaptizantes incurrunt: id quod priùs docuerant Nauarrus in Summa cap. 27. num. 246. Palacios & Maiolus, quos ibi citat Suarez.

Neque ex rebaptizatione exteriori, ſi animus deſit rebaptizandi.

Neque qui rebaptizat ſub conditione.

Contra has tamen duas reſolutiones occurrit mihi dubium ex textu illo: nam Acolythus ille bonæ indolis (vt in eo capite dicitur) minimè fuit de hæreſi ſuſpectus; alioquin eſto factum fuiſſet occultum: non permiſiſſet Pontifex illum ad altiores Ordines promoueri; ergo non cenſetur à Pontifice erraſſe in Fide; ergo ſupponitur ille non putaſſe poſſe validè Baptiſmum ſecundò conferri: quod ſi id non putauit, profectò repugnat, quod ille non habuerit voluntatem aſſiſtendi rebaptizationi: vel certè collatus eſt ille Baptiſmus appoſita conditione, *Si non eſſet baptizatus*; ergo ad incurrendam illam pœnam nec requiritur interior animus nec voluntas abſolutè baptizandi, ſed ſufficit eam actionem exteriorem exercere ſeriò, ac ſi reuera vellet baptizare. Reſpondeo, Eſto aliquis non erret in Fide, poſſe tamen habere ſerium animum faciendi quidquid poteſt fieri per eam actionem; & talem præſupponi à Pontifice fuiſſe illum Acolythum: id quod optimè intelligitur ex his quæ diximus in materia de Sacramentis in genere, poſſe ſcilicet etiam Gentilem qui nihil credit, habere intentionem faciendi per illa verba quidquid alij faciunt; eo autem ipſo conficit ille validè Sacramentum, quando ſubiectum eſt capax: ab hac autem voluntate procul abeſt, qui tantum ficte baptizat, aut qui conditionem addit, *Si non eſt baptizatus*, quid ergo mirum, ſi hi non contrahant eam pœnam, quam ille Acolythus contraxit.

Soluitur dubium ex Iure Canonico.

46 Sextum dubium, An qui ob ignorantiam facti; hoc eſt, quia ignorat alterum eſſe baptizatum, rebaptizat abſolutè, incurrat hanc pœnam? Reſpondeo, Si ignorantia excuſet ab omni culpa, rem eſſe claram, quia illa irregularitas eſt impoſita per modum pœnæ, quæ non incurritur niſi præcedat culpa; vnde infert benè Suarez contra paucos quoſquam, non ſufficere culpam leuem in ea ignorantia, nam cenſura tam grauis non debet imponi ob culpam ſolum venialem. Quod ſi ignorantia non excuſet à mortali, tunc videtur dicendum, omnino incurri eam pœnam Ita Scotus in 4. diſtinct. 6. quæſt. 8.

Neque qui ex ignorantia ſine culpa rebaptizat.

Obiicies: Ille qui ex ignorantia baptizat, nequaquam cenſetur velle rebaptizare; ideò enim præcisè baptizat, quia iudicat eum non eſſe baptizatum: ergo de tali non poteſt præſumi quod animo hæretico rebaptizet. Reſpondeo: Eo ipſo quod ille hic & nunc habeat ſufficientem rationem dubitandi, vtrum alter ſit baptizatus, & nolens ampliùs id reſcire, cum poſſit, velit baptizare, cenſeri omnino implicitè velle, aut non curare rebaptizare; vti ſuo modo diximus agentes de ignorantia craſſa, eum qui dubitat an ſit fera, an homo ille in quem iaculatur, & nolens, cum poſſit, deponere dubium, iaculatur, cenſeri meritò apud omnes voluiſſe implicitè homicidium, ideóque incurrere pœnas in homicidas ſtatutas. Vnde miror Patrem Suarez iudicaſſe eam obiectionem tam grauem, vt vix non propter illam tenuerit contrariam ſententiam.

Niſi ſit ignorantia craſſa.

Verùm circa hoc adhuc quæres, Quid ſi quando licitè ob dubium poteſt aliquis rebaptizari ſub conditione, baptizans tamen omittat eam appoſitionem conditionis, incurretne irregularitatem, ſi re ipſa ille homo erat baptizatus? 47 Reſpondet Suarez cum Nauarro, Non incurſurum, quia iuxta Innocentium III. in capite vnico, de Clerico per ſaltum promoto, non monſtratur eſſe iteratum, quod neſcitur eſſe factum. Ego quidem reſolutionem hanc iudico omnino veram; textum tamen illum Innocentij non puto eſſe ad rem, quia nunc iam ſupponitur eſſe dubium ſufficiens vt repetatur licitè Baptiſmus; ſolumque eſt quæſtio, An eò quod omiſerit apponere illam conditionem, quam iubet Alexander Papa apponi, incurrat irregularitatem? Pro excuſatione autem huius omiſſionis parum videtur facere ille textus. Facilior ergo ratio poteſt eſſe, quia Alexander eo cap. 2. de Baptiſmo vbi præcepit apponi illam conditionem, nullam omnino ſtatuit pœnam in omittentes illam: ex altero verò priori textu de Acolytho nihil infertur de irregularitate in caſu præſenti: quia ibi eſt ſermo, quando Baptiſmus non poteſt dari: iam autem ſupponimus in noſtro caſu licitè id poſſe fieri; ergo non eſt caſus, in quo incurritur irregularitas. Nunc ad ignorantiam iuris, in qua dicimus cum communi, ſi ignorantia ſit præcisè pœnæ impoſitæ, non excuſare, vt patet in aliis irregularitatibus: non enim eſt neceſſum ad incurrendas illas, quod fuerint notæ ipſi peccanti. In excommunicatione eſt aliqua difficultas; de qua alibi. Si verò ignorantia ſit prohibitionis, ſeu iuris etiam diuini, & inuincibiliter ignoretur (vt ſine dubio poteſt ignorari, cùm purè purè id pendeat à voluntate Chriſti, non ex natura rei: & verò etiam de præceptis naturalibus alibi diximus poſſe eſſe ignorantiam inuincibilem) tunc quia nulla eſt culpa, nulla etiam pœna incurretur; ſecus ſi culpabilis & grauiter craſſa fuerit ea ignorantia; vt immediatè diximus de ignorantia facti: eſt enim eadem ratio vtriuſque.

Si vbi rebaptizando conditio apponi debebat non apponatur, non ideò incurritur irregularitas.

Quia Alexander Pontifex nullam ſtatuit pœnam.

Sola ignorantia iuris ſeu pœnæ non excuſat.

Septimum dubium eſt, Quomodo ille Acolythus, qui non protulit verba, nec applicuit 48

Digitized by Google

materiam, dicatur cooperatus Baptiſmo: non enim videtur niſi præciſè cooperatus cæremonialibus. Vnde infertur, eum qui ſine repetitione Baptiſmi repeteret ſolemnitates, etiam incurſurum hanc pœnam. Reſpondeo duobus verbis, Illam cooperationem, etſi non fuerit proxima, fuiſſe tamen remotam; nam & qui Sacerdoti ferret aquam, & qui puerum illi teneret vt rebaptizaret deberet dici cooperans; vti cooperatur ad mortem Petri etiam ille qui dat gladium Ioanni vt occidat, & qui tenet eundem Petrum &c. eſto non det ictum lethalem. Vnde deciditur id quod de repetitione cæremoniarum quærebatur: dicimus enim, cum repetitio illarum nullo modo poſſit verè dici repetitio Baptiſmi, & illæ cæremoniæ poſſint ex voluntate Pontificis ſæpè repeti, inde nullam prorſus incurri irregularitatem. Et de baptizante ſatis.

Quid ſit cooperari rebaptizanti.

Quomodo rebaptizatus incurrat irregularitatem.

Circa rebaptizatum verò communis ſententia tenet etiam incurrere irregularitatem, eſto varietas ſit aliqua circa textus, quibus illa probanda eſt; vt videre licet apud Suarez ea ſect. 6. qui vltimò id deducit ex Epiſtola Felicis Tertij cap. 5. quæ habetur in cap. *Qui in qualibet.* 1. quæſt. 7. vbi ea irregularitas expreſsè traditur adhuc cum maiori ampliatione quam contra rebaptizantem, quia extenditur tam ad ſuſceptionem noui Ordinis quam ad vſum iam ſuſcepti. Hic tamen textus reuerà non eſt ad rem, quia illius mens nequaquam eſt agere de rebaptizato qua tali, ſed de eo qui ab hæreticis ſuſcepit Baptiſmum ſiue ſemel ſiue bis; ita enim dicitur: *Qui in qualibet ætate alibi quam in Eccleſia Catholica aut baptizati aut rebaptizati fuerint, &c.*

49 *Examinatur Felicis Tertij Pontificis ſtatutum.*

Certum item eſt, hunc textum æqualiter agere de primo ac de ſecundo Baptiſmo; id enim denotat illa diſiunctio, at nemo dicet, eum qui baptizatur ſemel in Eccleſia Catholica, incurrere irregularitatem; id enim eſſet ſummus error; ergo non debet id dici vi eius textus de eo qui rebaptizatur. Denique tota vis textus eſt in illis verbis, *Alibi quam in Eccleſia Catholica,* quæ planè nihil de rebaptizatis in Eccleſia. Confirmo, quia idem Pontifex eo cap. vt refertur diſtinct. 4. de conſecrat. cap. *Eos quos.* (eſt enim ex eadem Felicis Epiſtola cum ea quam diximus referri citato cap. *Qui in qualibet.*) prius egerat de rebaptizatis abſolutè, & abſtrahendo ab eo quod intra Eccleſiã Catholicã, aut extra illam; & varias in eos pœnas ſtatuerat, nihil tamen de irregularitate: & pœnæ illæ iam ſunt abrogatæ. Vnde infertur, in hac ſecunda parte non de rebaptizatis vt talibus, ſed de communicantibus cum hæreticis agi.

Dices: Communiter Scholaſtici intelligunt illud caput de ea irregularitate. Confirmatur, nam perinde ſe habet qui rebaptizatur, ac ſi eſſet extra Eccleſiam. Reſpondeo; Si textus nullo modo eam irregularitatem verè continet, quod ita illum intelligant Scholaſtici, non dat illi vim vllam vt inducat eam irregularitatem. Quod autem ſecundo loco dicitur, eum, qui rebaptizatur, ita ſe habere in eo facto ac ſi eſſet extra Eccleſiam, non vrget, quia eſto id verum ſit (quod tamen ſimpliciter admittendum non eſt) nihil facit ad rem; nam textus non dicit, eum, qui perinde ſe gerit ac ſi reciperet Baptiſmum apud hæreticos, ſed planè abſolutè requirit extra Eccleſiam Catholicam Baptiſmum recipi; recipitur autem intra Eccleſiam Catholicam in caſu noſtro; ergo. Neque in rebus odioſis licet extendere Leges ad caſus planè in ipſis non contentos. Vnde ſatis probabile eſt, non eſſe talem pœnam re ipſa impoſitam.

50

Concluditur, probabile eſſe rebaptizatis non eſſe impoſitam irregularitatem: Probabilius tamen eſt incurrere.

Dices: In Concilio Carthaginenſi lib. 5. omnino imponitur ea pœna, vt habetur in c. *Confirmandum.* diſt. 50. & in cap. *Qui in aliquem.* & in cap. *Solet.* diſp. 5. Reſpondeo; Ea Concilia non habere vim obligandi generaliter. Nihilominùs abſolutè propter communem auctoritatem videtur probabilius, eam pœnam omnino incurri: dici autem poteſt à Pontificibus confirmata ea pœna per tacitam approbationem & ampliationem eorum capitum.

Si adſit intentio & alia requiſita.

Iam nunc illud addendum Primò, vt incurrantur hæ pœnæ, etiam requiri ea omnia quæ ſuprà poſuimus in rebaptizante, ſcilicet intentionem abſolutè & ſeriò ſuſcipiendi Baptiſmi. Secundò, ne conditionatè ſuſcipiatur. Tertiò, vt ſcienter; nam ſi per ignorantiam inuincibilem fiat, nulla incurretur cenſura, quia nulla erit culpa; quidquid in contrarium dicant aliqui Canoniſtæ apud Suarez ſuprà §. *Solet autem.* Vti enim rebaptizans quando excuſatur à culpa, excuſatur ab irregularitate; ita & rebaptizatus.

Maximè ſi ignorantia inuincibilis abſit.

Dices, In cap. *Qui bis.* diſtinct. 4. de conſecrat. dicitur etiam, illos, qui ignoranter ſunt rebaptizati, non debere promoueri; additurque id eſſe contra ſacros Canones. Secundò, in eo cap. *Qui in qualibet.* dicitur, vt incurrantur, in quacumque ætate rebaptizatus ſit; ergo etiamſi baptizetur in infantia: quando ſine dubio ſupponitur habere ignorantiam. Reſpondeo ad primum illum textum, Non habere auctoritatem Iuris, quia eſt aſſumptus ex Pœnitentiali Theodori: quod verò dicatur ibi id eſſe contra Canones, fortaſſe locutus eſt Theodorus de aliquibus priuatis conſtitutionibus, quæ apud illum vigebant. An ſecundum, *Qui in qualibet.* iam dixi paulò antè, ibi propriè non imponi contra rebaptizatos, ſed contra baptizatos ab hæreticis. Secundo dico, τὸ *in qualibet ætate* debere intelligi, dummodò ſit rationi capax: nam in aliis Iuribus eſt declaratum, baptizatos in infantia ab hæreticis non incurrere irregularitatem vllam vt in cap. *Qui apud.* de conſecrat. diſtinct. 4. citatur etiam à Patre Suarez & aliis cap. *Placuit* ex eadem diſtinctione: in illo tamen nulla omnino mentio fit de noſtro caſu, ſed An, pueri, de quibus nullus poteſt dare teſtimonium, quod ſint baptizati, poſſint rebaptizari Quidquid verò de hoc puncto ſit, certe ratio eſt pro communi doctrina: etenim infans, & qui ignoranter rebaptizatur, cum nullam culpam contrahat & aliunde nulla omnino indecentia manere in illo cenſeatur ex ea repetitione Baptiſmi, non poteſt incurrere irregularitatem. Vbi etiam bene notat Pater Suarez, Eſto tales ignoranter rebaptizati cùm primum ſciunt, quid ſit circa ipſos factum, illud approbent, non ideò incurrere pœnam hanc: quia per hoc non reddunt actionem præcedentem peccaminoſam & dignam ea pœna, etiamſi committant iam nouum peccatum: pro quo tamen nulla eſt in Iure impoſita pœna.

51

Nec quidquam euincit Ius Canonicum in contrarium.

Patet in infante, qui ſine ſua culpa rebaptizatur.

Etiamſi poſteà adultus approbet, non incurrit pœnam.

52 *Qui conſentiunt in rebaptizationem ex metu irregularitatem incurrunt.*

Hac occaſione quæres, An qui per metum rebaptizantur incurrant eam cenſuram? Reſpondetur; Aut illi occaſione metus habent interiorem conſenſum in Baptiſmum, aut ſolum in exteriorem formam Baptiſmi: ſi primum, dicimus eos incurrere hanc pœnam, quia illam volitionem

litionem omnino interiorem habent planè liberè; ad illam enim nullus metus poteſt cogere; ſi verò ſolùm conſentiunt in actionem exteriorem tunc non incurrere, quia illi tunc tantùm ſe habent paſſiuè & permiſſiuè ad actionem, quam illi alij nequiter faciunt.

Non verò qui conſentit ex metu in ordinationem ab Epiſcopo hæretico Diſparitas. aſſignatur.

Dices: Si quis violenter ordinetur ab Epiſcopo hæretico, & ei conſentiat, non incurrit irregularitatem: ergo neque ille, qui per metum conſentit in rebaptizationem, contra id quod in prima parte reſolutionis diximus. Reſpondeo Diſparitatem eſſe manifeſtam; nam rebaptizatio eſt intrinſecè mala; ac proinde conſenſus in illam neceſſarió eſt peccaminoſus. At accipere Ordines ab hæretico ſolùm eſt iure humano prohibitum: ac proinde conſenſus in illos Ordines poteſt eſſe licitus, quando incutitur metus. Imò addo, cum ſimpliciter tunc & qui dat & qui recipit ſint capaces ſuſcipiendi & conferendi illud Sacramentum Ordinis, longè melius eſſe in eo caſu conſentire quam reſiſtere; nam conſentiendo ſummum poſſet fieri contra præceptum Eccleſiaſticum; à cuius obſeruatione grauis ille metus excuſat. At ſi tunc reſiſteret, faceret quodammodò contra præceptum diuinum; quia efficeret, ne debita materia & forma eius Sacramenti ſortiretur ſuum effectum Sacramentalem. Vnde conſequenter dicendum, Si quis adultus nondum baptizatus, & baptizari cupiens, cogatur per vim ab hæreticis ad Baptiſmum, melius eum facturum conſentiendo, & re ipſa accipiendo Baptiſmum, quam ſi reſiſteret. Suppono aliunde hæreticos vti materia & forma pro valore eius Baptiſmi ſufficienti.

Vltimo quæri poteſt, Vtrùm hæc irregularitas extendatur etiam in eos Miniſtros, qui peruertunt ordinem debitum miniſtrandi; vt ſi Sacerdos ſimplex baptizet præ Parocho, ſi Diaconus præ Sacerdote, &c. Reſpondeo breuiſſimè cum Suario ea diſput. 31. ſect. 4. Nullum extare Ius, vnde ea cenſura colligatur; nam licet in Clementina 1. de priuilegiis, prohibeantur Monachi adminiſtrare Extremam vnctionem, Euchariſtiam, & ſolemnitates Matrimonij ſine licentia Paſtorum, inde tamen nihil infertur de Baptiſmo, multò autem minùs de aliis ſæcularibus Sacerdotibus. 53

Irregularitatem non incurrunt qui miniſtrant Baptiſmum ordinario Miniſtro præſente.

Dices: In cap. 1. de Clerico non ordinato, imponitur pœna irregularitatis in eum qui non ordinatus miniſtrat Baptiſmum. Reſpondetur, Hinc nihil de ſimplici Sacerdote non Parocho; nam ille ſimplex Sacerdos verè eſt ordinatus; idem dico abſolutè de Diacono reſpectu Presbyteri. Secundo reſpondeo, Illud caput debere ita intelligi, *Si baptizet ſolemniter qui non eſt ordinatus.* Et ratio eſt clara; nam baptizare priuatim non eſt actus Ordinis; ac proinde qui illum actum vſurpat, non vſurpat actum Ordinis; hoc eſt, non gerit ſe ac ſi eſſet ordinatus. Vbi aduerte, eò quod titulus ille ſit de Clerico non ordinato, aliquos apud Suarez ſuprà putaſſe; non incurri eam irregularitatem à laico etiã ſolemniter baptizante; quia ille non eſt Clericus non ordinatus. Nihilominùs quia Pontifex (quidquid de illo titulo ſit) in ipſo textu abſolutè dicit, *Qui non eſt ordinatus,* debet etiam de laïco intelligi ea pœna. De qua re vide Suarium ibi. Et ſatis nobis de tota quæſtione de Baptiſmo.

Ius Canonicum pro contraria ſententia citatum explicatur.

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

De Sacramento Confirmationis.

Quare poſt Baptiſmum tractetur de Confirmatione.

1 DE eo agit Diuus Thomas quæſtione 72. immediatè poſt Baptiſmum, ſecutus Magiſtrum in 4. diſtinct. 7. ideò autem ei ſecundus locus tribuitur, non quia nobilitate & neceſſitate ſit ſecundum, ſed quia ſolet communiter dari pueris immediatè poſt vſum rationis, & verò etiam ante: idcóque in ordinaria adminiſtratione ſuccedit immediatè Baptiſmo. De eo etiam egerunt ferè omnes ex antiquioribus Patribus, vt videre eſt apud Suarium ad hanc quæſtionem Diui Thomæ; fuſiùs verò apud Bellarminum lib. de Confirmatione à cap. 3. agunt etiam de illo Controuerſiſtæ reliqui contra hæreticos huius temporis.

SECTIO I.

An Confirmatio ſit Sacramentum; & quando inſtitutum?

Hæretici negant Sacramentum Confirmationis.

HÆRETICI nonnulli ex antiquioribus, & ferè omnes recentiores pertinaciter negant Confirmationem eſſe Sacramentum: quia non conſtat id apertè ex Scriptura. Verùm hoc argumentum vti leuiſſimum, ita frequentiſſimum eſt apud hæreticos ad inuertendam totam Religionem Catholicam: ſæpè illud reiecimus: & ſanè cùm ex ipſamet Scriptura conſtet multa eſſe à Chriſto Apoſtolis tradita, quæ ſcripta non ſunt, & Paulus & Ioannes Apoſtoli in ſuis Epiſtolis dicant, ſe oretenus multa diſpoſituros quæ ad Eccleſiæ gubernationem pertinebant, non ſcio quomodo ex hoc ſolo capite audeant illi traditiones Eccleſiaſticas reprobare.

Concluſio ergo Catholica ſit, Confirmationem eſſe Sacramentum à Baptiſmo & aliis quinque diſtinctum. Pro qua veritate adducit Diuus Thomas tanquam clariſſimum teſtimonium Melchiadis Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſub nomine manuum impoſitionis illis verbis: *De his, ſuper quibus rogatis vos informari, vtrum maius ſit Sacramentum, manuum impoſitio Epiſcoporum, an Baptiſmus: ſcitote vtrumque magnum eſſe Sacramentum.* Ex quo loco vlterius colligitur, in Eccleſia vt certum fuiſſe ſuppoſitum, illud eſſe Sacramentum: dubitaſſe autem Epiſcopos Hiſpaniæ præciſè de comparatione illius cum Baptiſmo. Addit autem Pontifex: *Spiritus ſanctus, qui ſuper aquam Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, ex fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam.* Ecce ſub nomine etiam Confirmationis facit mentionem illius, vti Clemens Papa lib. 3. Conſtitut. c. 46. & Epiſtola 4. item Vrbanus Papa Primus, & alij multi, quos vide apud Suarez & Bellarminum. Expreſsè autem veritas hæc fuit definita ab Eugenio IV. in decreto vnionis, & à Tridentino Seſſione 3. & Seſſione 23. Omitto antiquiſſima Concilia Prouincialia, quæ de hoc Sacramento 2

Confirmatio eſt verum Sacramentum. Probatur ex Pontificium reſponſis.

Digitized by Google

cramento fecere mentionem: omitto etiam Patrum teſtimonia pro ea veritate, quia iam non ago Controuerſiſtam, ſed inſinuo breuiter quæ certa ſunt inter Catholicos. Vide citatos, Suarium & Bellarminum.

Ex actis Apoſtolorum probabile pro ea argumentum conficitur.

Licet autem omnino euidenter non poſſit ea veritas ex Scriptura oſtendi, ſatis tamen probabiliter colligitur ex Actis Apoſtolorum, in quibus ſæpe fit mentio impoſitionis manuum Apoſtolorum, per quam accipiebant credentes Spiritum ſanctum: ea enim impoſitio etiamſi (vt ſtatim dicemus) in modo, quo aliquoties ab Apoſtolis fuit adhibita, differat materialiter à noſtra Confirmatione; eſt tamen vnum idemque Sacramentum diuerſo modo collatum.

3 His teſtimoniis reſpondent hæretici; Primò, eam manuum impoſitionem fuiſſe non ad gratiam habitualem ſeu ſanctificantem conferendam, ſed vel ad gratiam miraculorum, vel ad donum linguarum: id quod videtur confirmari ex verbis illis Act. 19. *Cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebatur linguis, & prophetabant.*

Reſponſio hæreticorum reijcitur.

Quando datur Spiritus ſanctus, intelligitur præcipuus ipſius effectus gratia ſanctificans, Non de dono linguarum aut miraculorum. quamquam & vtrumque ſemel ... eſt intelligi.

Hæc tamen ſolutio facile reijcitur; Primò, quia quando dicitur, Spiritum ſanctum dari, mitti, &c. id debet intelligi de donatione vel miſſione per præcipuum ipſius effectum, nempe per ſanctificationem: quod verò eo loco adducitur nihil iuuat eam expoſitionem; nam etſi concederemus in vno loco ex adiunctis verbis poſſe illud *Accipiebant Spiritum* intelligi de dono linguarum; non continuò inde infertur, in aliis locis, vbi ſolitariè illud ponitur, debere intelligi de dono linguarum, aut miraculorum; alioquin & quando in Pentecoſte, & quoties Chriſtus Apoſtolis dixit, *Accipite Spiritum ſanctum*, nihil deberemus de gratia habituali, ſed de dono miraculorum intelligere: id quod eſt abſurdiſſimum. Secundò dico, etiam in eo loco duo tradi, & quòd Spiritus ſanctus venerit ſupra illos per gratiam habitualem; & quòd per genera linguarum & Spiritum Prophetiæ. Principaliter verò reiicitur ea ſolutio hæreticorum; nam donum linguarum non conferebatur omnibus viris, feminis pueriſque, vti in eis locis ſignificatur indiſcriminatim Spiritum ſanctum deſcendiſſe ſupra eos, quibus Apoſtoli imponebant manus: deinde quia ſi non fuiſſet ibi proprium & verum Sacramentum, quodque à ſolis Epiſcopis conferri potuiſſet, neceſſe non fuiſſet mittere Petrum & Ioannem Samaria, vt imponerent manum baptizatis, ſed ſuffeciſſet per alios id exequi.

Alia hæreticorum ſolutio impugnatur.

Impoſitio manuum non eſt approbatio Baptiſmi.

4 Secundò ergo principaliter hæretici reſpondent, per illam manuum impoſitionem denotari tantùm quamdam approbationem fidei in Baptiſmo receptæ; ac ſi dicerent Apoſtoli, rectè illos eſſe baptizatos, & aggregatos Eccleſiæ. Hæc tamen ſolutio friuola reiicitur clarè Primò; quia ſi per modum puræ approbationis eſſet ea impoſitio, non diceretur per illam acceptus Spiritus ſanctus, quia iam in Baptiſmo acceptus ſupponebatur; dicere autem è contrario Baptiſmum ante eam impoſitionem non contuliſſe Spiritum ſanctum, euidenter eſt falſum, quia ab vna tantùm pura cæremonia, qualem hanc dicunt hæretici, non potuit habere dependentiam effectus ille gratiæ: neque ſine blaſphemia dici poſſet, etiam eos, qui cum recta diſpoſitione baptizabantur, priuatos effectu gratiæ, ſi non fuit ſecuta illa manuum impoſitio.

Obiicies Primò. Hoc ipſum videtur in Scriptura expreſſum; nam cùm Actorum 8. dicitur in ciuitate Samariæ multos eſſe baptizatos; additur tamen in nullum illorum veniſſe Spiritum ſanctum, niſi poſtquam Petrus & Ioannes impoſuerunt illis manus. Et verò ex hoc eodem loco videtur reiici impugnatio præcedentis ſolutionis; ibi enim diximus, ea verba, *Accipite Spiritum ſanctum*, abſolutè prolata in Scriptura ſignificare miſſionem Spiritus ſancti per præcipuum illius effectum, hoc eſt, per gratiam habitualem, ergo quando eo capite dicitur nondùm Spiritum ſanctum veniſſe in baptizatos, debet intelligi, adhuc eos non fuiſſe iuſtificatos; vel ergo malè ſuperiùs diximus, per illas voces non intelligi ſolam gratiam linguarum & miraculorum, vel nunc debebimus admittere non per Baptiſmum, ſed per illam impoſitionem manuum primo collatam eſſe gratiam habitualem, ſeu Spiritum ſanctum.

Accipere Spiritum ſanctū eſt accipere gratiæ habitualis plenitudinem.

Quoad gratiam habitualem reſpondeo, obiectionem eſſe etiam contra ipſos hæreticos; nam & illi admittunt, Baptiſmum ſolùm etiam ante impoſitionem manuum eſſe validum Sacramentum, & gratiam cauſare. Secundò abſolutè reſpondeo, eadem phraſi vti Euangeliſtam Lucam eo loco, qua ipſe Chriſtus vſus eſt ſæpè agens cum Apoſtolis, quibus ita promittit ſe miſſurum Spiritum ſanctum, vt inſinuare paſſim videatur eos nondum habere Spiritum ſanctum. Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* item 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, &c. Certiſſimum autem eſt ex ipſomet Chriſto Domino Apoſtolos in gratia fuiſſe, ac proinde habuiſſe Spiritum ſanctum hora cœnæ: ita etiam Lucas dicit de baptizatis, ante Confirmationem enim negat eos accepiſſe Spiritum ſanctum, non quia non acceperint gratiam iuſtificantem, ſed quia plenitudinem gratiæ, quæ per Confirmationem dabatur, nondum accederant: ſicut Apoſtoli ante aduentum Spiritus ſancti non acceperunt plenitudinem illius, nam deſcenſus ille Spiritus ſancti fuit Apoſtolis loco Confirmationis, vt tradit Melchiades Papa Epiſt. 1. citata, vnde oſtenditur valdè ad rem eſſe inſtantiam à nobis illatã.

Per Confirmationem completur gratia in Baptiſmo accepta.

Secunda difficultas eſt, quando inſtitutum ſit hoc Sacramentum, & à quo. Non defuere olim etiam Catholici aliqui, qui putarunt in Concilio Meldenſi inſtitutum eſſe hoc Sacramentum. 5

Confirmationis Sacramentum à Chriſto inſtitutum.

Verùm iuxta Florentinum & Tridentinum Sacramenta omnia noſtra ſunt de facto inſtituta à Chriſto Domino: id quod (vt diximus) adeò conforme eſt ipſi naturæ Sacramentorum, vt multi negauerint poſſe vlli creaturæ concedi poteſtatem inſtituendi Sacramenta, non eſt ergo cur in hoc puncto hæreamus. Cùm autem in Actis Apoſtolorum, vt oſtendimus, de eo fiat mentio, & Melchiades multò antiquior eo Concilio Meldenſi de illo adeò diſtinctè tractet, frigidè ad Concilium Meldenſe recurritur.

Circa tempus, quo illud inſtituit Chriſtus, putarunt aliqui fuiſſe quando imponens paruulis manus dixit: *Sinite paruulos venire ad me.* Marci 10.

Variæ ſententiæ de tempore, quo inſtitutum ſit Sacramentum Confirmationis, reijciuntur.

Verum hæc opinio nullius eſt momenti, quia nec illi paruuli erant tunc baptizati, vt ad Confirmationem ſuſcipiendam requiritur, nec vlla ibi fit mentio Spiritus ſancti ſupra eos deſcendentis. Fortè Chriſtus intendit tunc adumbrare hoc Sacramentum. Alij ideò cenſent fuiſſe inſtitutum, dum Chriſtus Apoſtolos conſtituit

Epiſcopos

Digitized by Google

Epiſcopos poſt reſurrectionem. Verùm id non habet ſolidum fundamentum; nam licet eos tunc conſtituerit Epiſcopos, & dederit eis poteſtatem adminiſtrandi hoc Sacramentum, non continuò illud tunc inſtituit. Tertiò, alij dicunt in die Pentecoſtes. Hoc tamen ſuſtineri nequit, quia & omni caret fundamento; & inde ſequitur, vel Chriſtum non immediatè per ſe inſtituiſſe hoc Sacramentum, vel in cœlo exiſtentem id feciſſe, & per reuelationem deinde hanc ſuam voluntatem manifeſtaſſe Apoſtolis: id quod abſurdiſſimum eſt, ad quid enim illam dilationem feciſſet? Communior ergo ſententia Diui Thomæ, Soti, Victoriæ, & aliorum apud Bellarminum ſuprà cap. 8. Suarez diſput. 32. ſect. 2. eſt, in nocte cœnæ, quando Apoſtolis myſteria magna reuelauit, hoc Sacramentum etiam inſtituiſſe: id quod Fabianus Papa Epiſtola ſecunda cap. 1. tradidit his verbis, *In illa die Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis; & lauit eorum pedes, ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit*; nam τὸ *Chriſma conficere docuit* ad hoc Sacramentum debet reduci. Addit verò Suarez, & benè, eſto Apoſtoli ea nocte fuerint de futuro Sacramento inſtructi, poteſtatem tamen illud adminiſtrandi non eſſe eis conceſſam niſi poſt reſurrectionem, quando eos vltimò conſtituit Epiſcopos.

Sententia D. Thomæ, inſtitutum eſſe in vltima cœna noctis.

SECTIO II.

De materia remota huius Sacramenti.

6 *Materia remota Confirmationis Chriſma.*

CIRCA materiam remotam illis non videtur poſſe eſſe dubium vllum, cùm Concilium Florentinum in decreto Eugenij doceat illam eſſe Chriſma confectum ex oleo & balſamo. In qua definitione non minus requiritur balſamum quam oleum, & è contrario. Et ita ſentiunt communiter Doctores, vt videre eſt apud Suarez ea diſput. 33. ſect. 1. & Bellarminum cap. 9. de Confirmatione; apud quos etiam videri poſſunt aliqua teſtimonia Diui Dionyſij, Cypriani & aliorum; qui per Chriſma expreſſè intelligunt oleum & balſamum mixta inter ſe: id quod etiam Innocentius Tertius in capite vnico de Sacra Vnctione tradidit.

SVBSECTIO I.

Obiectio contra dicta ex Apoſtolorum facto.

7 *Sola manuum impoſitione non perficitur hoc Sacramentum.*

NON defuere aliqui Canoniſtæ, qui ſolam manuum impoſitionem putarunt eſſe de eſſentia Sacramenti Confirmationis: in quam ſententiam videntur etiam illi Scholaſtici deflexiſſe, qui docuerunt ex præcepto Eccleſiæ prouenire neceſſitatem mixtionis balſami. Fundamentum horum, & ſimul obiectio contra dicta eſt, quod Apoſtoli ea ſola manuum impoſitione ſint vſi; ſuprà autem docuimus illud fuiſſe Confirmationis Sacramentum; ergo. Verùm hæc ſententia nequaquam poteſt ſuſtineri, quia Eccleſia non habet poteſtatem mutandi materias Sacramentorum. Ad obiectionem ergo reſpondemus, ipſum Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem vt ad tempus tam Chriſmate quam manuum impoſitione vterentur ad libitum pro hoc Sacramento, donec Eccleſia benè eſſet per Orbem fundata; non quia daret eis poteſtatem materiam eligendi, ſed quia ipſe Chriſtus ex illis quamlibet eligit pro materia ad tempus; nam licet Bellarminus noſter cap. 9. ſecutus Vvaldenſem & Suarez ſect. 4. de Sacramentis, & alij apud Hurtadum difficultate 7. de Confirmatione dicant, per manuum impoſitionem (de qua in Actis Apoſtolorum) intelligi vnctionem Chriſmatis, ideóque putent nunquam Apoſtolos ſine Chriſmate adminiſtraſſe hoc Sacramentum; quia non eſt neceſſarium dicere, vſos eos fuiſſe ſpeciali diſpenſatione Chriſti; probabilius tamen eſt non fuiſſe eos adſtrictos ad vnicum modum; id quod docet D. Thomas quæſt. 72. art. 2. & 4. Sotus in 4. diſput. 7. ar. 2. Gabriel quæſt. 1. art. 15. & Suarez ſuprà ſect. 4. in fine. Videtur autem id eſſe expreſſum ab Eugenio IV dum ait loco impoſitionis manuum Apoſtolorum dari in Eccleſia Confirmationem, id eſt vnctionem Chriſmatis: hinc enim argumentor; Si ea impoſitio manuum intuliſſet vnctionem Chriſmatis, profectò hæc non ſucceſſiſſet loco illius, ſed debuiſſet dici, Noſtra Confirmatio eſt illa impoſitio manuum: quod verò etiam vſi fuerint aliquando Chriſmatis Vnctione patet ex teſtimoniis Dionyſij & aliorum, quæ apud Suarium & Bellarminum videri poſſunt; & hinc ſatisfactum eſt obiectioni Canoniſtarum.

Duplex materia huius Sacramenti pro diuerſitate temporis.

Olim impoſitio manuum ſola;

Nunc vnctio Chriſmatis.

P. Suarez etſi, vt dixi, ea ſect. 4. in fine probabiliorem defendat hanc noſtram ſententiam, duo tamen dicit quæ digna ſunt examine: Primò enim fusè oſtendit valdè probabilem eſſe ſententiam Bellarmini & Vvaldenſis, ideoque conatur eneruare argumentum ex teſtimonio Eugenij; nam eis verbis putat nullam ſignificari diuerſitatem in ritibus Sacramenti, ſed ſolum doceri, feciſſe idem Apoſtolos per manuum impoſitionem, quod facimus nos vngendo; per quod non negatur illos etiam vnxiſſe; ſicuti Epiſcopi nunc dicuntur ſucceſſiſſe loco Apoſtolorum, quamuis Apoſtoli fuerint veriſſimi Epiſcopi, & habuerint poteſtatem Ordinis eiuſdem rationis cum ſuis ſucceſſoribus. Hanc ſolutionem puto eſſe minus probabilem: id quod clarè oſtendo impugnando eam inſtantiam de Epiſcopatu eodem Apoſtolorum. Etenim nunquam in perſonis vtimur illo modo loquendi, quo in Sacramentis: non enim dicimus, Iidem ſunt Epiſcopi nunc, qui fuerunt olim; nec dicimus nunc eſſe eoſdem Religioſos Ordinis ſancti Benedicti, vel ſancti Bernardi, qui fuerunt olim; vnde meritò Epiſcopi noſtri dicuntur ſucceſſores Apoſtolorum: nec tamen ideò inferre licet; aliquam eſſe in illis diuerſitatem quoad ordinem Sacramenti Epiſcopalis: aliter loquimur, quando agimus non de perſonis, ſed de rebus moralibus; tunc enim quando illæ res eædem ſimilitudine perſeuerant dicimus abſolutè eaſdem perſeuerare, nec dicimus vnam ſucceſſiſſe alteri; ideò dicimus Eccleſiam ſemper eſſe vnam: in Sacramentis autem maximè id conſtat; dicimus enim nunc eſſe eumdem Baptiſmum qui fuit olim, non dicimus noſtrum illi ſucceſſiſſe: per hoc enim denotaremus aliquam inter vtrumque diuerſitatem. Ratio huius diuerſi modi loquendi, & planè inter omnes recepti, eſt, quod in perſonis attendimus ad ipſam earum indiuidualem naturam, non ad dignitatem: vnde Innocentium non vocamus eumdem Papam cum Vrbano, ſed illius ſucceſſorem: in Sacramentis autem & corporibus moralibus non attendimus ad diſtin-

8 *In ſententia Suarez examinatur modus loquendi, & impugnatur.*

Quid ſit perſonam perſonæ ſuccedere, rem verò rei

Digitized by Google

ctionem numericam illorum, ſed ad ſimilitudinem; vnde ſi de Religione, vt eſt corpus quoddam, loquamur, dicimus, Eadem Religio ſancti Benedicti, ſancti Dominici, Societatis Ieſu, &c. eſt hodie quæ fuit ante quadraginta annos; quod tamen, ſi ſub voce *Religioſus* loquamur, non poſſumus dicere. Dicimus ergo: Hodie in Eccleſia eſt idem Baptiſmus, qui ante cētum annos, & ante mille: hoc eſt, Datur ſub eadem forma & materia in ſpecie, & habet eoſdem effectus, &c. nec dicimus, Succeſſit Baptiſmus Baptiſmo. Hinc argumentor; Ergo Concilium docens Confirmationem in Eccleſia ſucceſſiſſe impoſitioni manuum Apoſtolicarum, ſatis manifeſtè denotat diuerſitatem eſſentialem in vſu illius Sacramenti, & è contrario quaſi identitatem in effectu; ac ſi diceret, Gratia, quæ dabatur tunc per manuum Apoſtolicarum impoſitionem, nunc datur per Confirmationem: & ſanè negari nequit, quin non bene de Baptiſmo diceremus; Pro Baptiſmo Apoſtolorum ſucceſſit in Eccleſia Baptiſmus in nomine Patris. &c. quia in hoc (iuxta paulò antè notata) non eſt vlla ſucceſſio, ſed identitas, vt potiùs debeat dici, Manet idem Baptiſmus qui anteà fuit.

Confirmatio. nem Confirmationi.

9 Secundum quod ibi docet idem Suarez eſt, ſi admittamus Apoſtolos aliquando contuliſſe gratiam ſine vnctione Chriſmatis per ſolam manuū impoſitionem, tunc non debere admitti illam fuiſſe verum Sacramentum, quia non fuit cæremonia ſtabilis, vt ad rationem Sacramenti requiritur; ideoque non fuiſſe verum Sacramentum Confirmationis quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad effectum. Hoc etiam mihi ea ex parte diſplicet, quia videtur mihi planè per hoc deſtruere hic Auctor totum argumentum, quo fusè ſectione prima probauerat ex Scriptura poſſe argumentum deduci pro Confirmationis Sacramento; cùm enim id præciſe deduxerit ex ea impoſitione manuum, & ea non fuerit Sacramentum, quomodo quæſo ex Scriptura oſtendet fuiſſe à Chriſto inſtituta Sacramenta ſeptem, è quorum numero ſit noſtra Confirmatio? quòd enim data ſit gratia per impoſitionem eam manuum, ſi illa non fuit Sacramentum, nihil penitus iuuat ad aliquid de inſtitutione Sacramenti probandum.

Aliter eiuſdē Suarez loquēdi modus impugnatur.

Dices Primò: Quia loco illius ſucceſſit noſtra Confirmatio. Sed contrà manifeſtè, quia de ea ſucceſſione nihil ex Scriptura colligitur; ac proinde iam ex Scriptura non poterit oſtendi veritas Catholica, eſto aliunde probetur.

Dices Secundò, Eamdem eſſe difficultatem, etiamſi concedamus illam fuiſſe Sacramentum,
10 quia per hoc non probatur noſtram Confirmationem fuiſſe iam tunc inſtitutam; ac proinde potiùs deberemus dicere cum Bellarmino & Vvaldenſi, Apoſtolos ſemper vſos fuiſſe Chriſmate. Reſpondeo, Neque Bellarminum ſatisfacere huic difficultati, quia etiamſi Apoſtoli re ipſa ſemper fuerint vſi Chriſmate, id tamen, vt oſtendi, non poteſt ex Scriptura probari; ac proinde redibit tota difficultas. Abſolutè ergo reſpondeo negando eſſe eamdem nobis difficultatem; nam eo ipſo quòd dicamus illam impoſitionem manuum fuiſſe Sacramentum, habemus iam ſeptem Sacramenta fuiſſe à Chriſto inſtituta; deinde meritò dicimus Confirmationem noſtram fuiſſe illud Sacramentum non ſolùm quatenus cauſauit eoſdem effectus; hoc enim non ſufficeret vt diceretur eſſe Sacramentum, multò minùs vt diceretur idem; ſed quia habuit veram rationem Sacramenti, deinde ab eodem Miniſtro traditum vt per impoſitionem manuum in capite: quòd verò mutata ſit aliqua pars materiæ in aliam phyſicè diuerſam, debet iudicari omnino per accidens ad hoc, vt non dicatur eſſe idem Sacramentum moraliter, vti diximus ſuprà in Baptiſmo; nam ille ab infante ſuſceptus non requirit ſuſcipientis conſenſum tanquam partem eſſentialem; requirit autem illum conſenſum in adulto: & eodem omnino modo in Ordine, & in ipſa Confirmatione vrgeri poteſt: illa enim etiam poſſunt conferri infanti ſine actu proprio, nequaquam tamen adulto. Conſtet ergo etiam eam impoſitionem habuiſſe rationem Sacramenti; quòd verò obiiciebatur, non habuiſſe perpetuitatem ſufficientem, non vrget, quia ſaltem ad aliquot annos eam habuit, donec Lex Euangelij eſſet ſufficienter promulgata. Secundò, quia ſub ratione Sacramenti confirmantis in Fide ſuſcepta habuit ſtabilitatem, & quidem maiorem quàm olim habuerit Sacramentum Legis naturæ: quod tamen verum fuiſſe Sacramentum ipſe Suarez meritò aſſerit; eo enim nec perſona adminiſtrans determinabatur, ſicut in Confirmatione fuit ſemper determinata perſona Epiſcopi; neque vlla actio exterior in ſpecie, ſicut hîc impoſitio manuum in capite, ſiue ea per vnctionem ſiue alio modo fiat; ergo ex perpetuitatis defectu non eſt cur reiiciatur à vera ratione Sacramenti.

Vſos Apoſtolos Chriſmate non poteſt probari ex Scriptura.

Quomodo dicitur eſſe noſtrū Sacramētum Confirmationis eſſe idem quod olim.

Etiamſi impoſitio manuum nō fuerit perpetua.

Dubitari nunc poſſet, quando Apoſtoli vſi fuerint ſimplici manuum impoſitione, quando 11
verò Chriſmate, cùm dixerimus iam hoc iam illo modo eos vſos fuiſſe. Nonnulli docent, quando dabatur Spiritus ſanctus ſub viſibili aliquo ſigno aut effectu doni linguarum, &c. tunc fuiſſe per ſolam impoſitionem manuum, quando verò ſine eo effectu publico, per Chriſma: vbi rurſus alij dicunt, Gentibus fuiſſe per impoſitionem manuum, Iudæis per Chriſma & vnctionem. Verùm hoc vltimum non cohæret cum primo, quia etiam Iudæis eſt datus Spiritus ſanctus cum exterioribus eis ſignis. Primum verò etſi fortaſſe re ipſa ita contigerit, non video tamen vnde poſſit vel apparenter deduci, nam ex Actibus Apoſtolorum nihil planè colligi poteſt in hoc puncto, quia (vt diximus ſuprà) nec ſemper, quando accipiebant Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem, concedebantur ea dona; neque habemus fundamentum ad dicendum, aliis vicibus, quando data eſt per vnctionem, non fuiſſe etiam ſigna viſibilia: neque enim quæcumque ſunt facta, omnia ſunt in Actis ſcripta; imò vti illos per vnctionem confirmaſſe dicimus, eſto id non ſit traditum in eis Actibus, dicere eadem ratione poſſumus, etiam tunc ſigna aliqua viſibila concurriſſe, quibus aduentus Spiritus ſancti ſignificaretur: hoc ergo vltimum punctum vt incertum relinquo.

Quando vſi ſunt Apoſtoli ſola manuum impoſitione, quando etiam Chriſmate.

SVBSECTIO II.

Reiicitur alia quorumdam doctrina.

SECVNDO loco debet reiici Caietanus q. 72. art. 2. Sotus in 4. diſtinct. 7. quæſt. vnica, art. 2. 12

Sententia ſtatuens ſolum oleum eſſe materiam huius Sacramenti reiicitur:

art. 2. Couarruuias lib. 1. Variarum cap. 1. num. 4. & Valentia diſp. 5. quæſt. 1. puncto 2. & alij apud Suarez, qui dicunt ſolùm oleum oliuarum eſſe materiam eſſentialiter requiſitam pro hoc Sacramento: quorum fundamenta h[illegible] ſunt; Primum, quia cùm Chriſtus pro ſuis Sacramentis acceperit materiam obuiam & facilem, vt poſſent vbique adminiſtrari, non debet credi eum noluiſſe ſine balſamo poſſe validè ad[illegible]trari. Reſpondetur Primò, Propterea hoc Sacramentum non eſſe de neceſſitate ſalutis, ac proinde nullum inde ſequi periculum, ſi in aliquibus locis ob defectum eius balſami non poſſet adminiſtrari. Secundò reſpondeo, Non eſſe tantam eam raritatem, vt in modiciſſima quantitate, prout ſufficit ad hoc Sacramentum, non poſſit reperiri, vt de facto ſemper fuit repertum in Eccleſia; adeò vt etiam potuerit ſingulis annis nouum confici Chriſma antiquo combuſto: vnde cùm quidam Epiſcopi à Fabiano Papa petiiſſent diſpenſationem, non vt ſine balſamo fieret Chriſma; (hoc enim Fabianus concedere non poterat;) ſed ne cogerentur ſingulis annis nouum benedicere antiquo reiecto, ob raritatem illius, nequaquam putauit Pontifex Epiſtola ſecunda eam excuſationem eſſe ſolidam, ideóque diſpenſare noluit in eo præcepto, eſto ſolùm Eccleſiaſtico. Pro quo aduerte, etiam balſamum Occidentale eſſe ſufficiens pro hoc Sacramento, ſiue diuerſum ſit ab eo, quod in Palæſtina habetur, ſiue non: neque enim Chriſtus Dominus ſpeciem vllam atomam balſami requiſiuit; vnde cùm Paulus Tertius & Pius, & conſtat ex aliquibus Auctoribus, conceſſerunt, vt in balſamo Indico poſſet fieri Chriſma, non eſt id ita intelligendum, quaſi ea ſit diſpenſatio aliqua, ſed per modum declarationis eius quod fortaſſe aliquo modo videri poterat dubium.

Et argumentum pro ea à raritate balſami ſumptū ſoluitur.

Secundò principaliter pro ea ſententia Caietani adduci ſolent quorumdam Patrum teſtimonia, in quibus nulla fit mentio balſami, ſed ſolius olei. Verùm reſpondeo, Feciſſe illos mentionem olei, quia maior pars Chriſmatis ex illo conficitur; per quod tamen nullo modo negarunt balſamum requiri; quin potiùs illi ipſi in aliis locis expreſsè illud requiſiuerunt, vt videre eſt apud citatos.

Cur ſolius olei & non balſami faciant mentionem Sancti Patres.

13 Tertium & difficile argumentum pro ea ſententia ſumitur ex Innocentio Tertiò, qui capite primo, de Sacramentis non iterandis, cùm interrogatus eſſet, An confirmatio per errorem ſolo oleo conceſſa eſſet iteranda; reſpondet; Nihil iterandum; ſed ſupplendum cautè quod incautè fuerat prætermiſſum: vnde inferri videtur, balſamum non eſſe eſſentialiter neceſſarium, alioquin tota Confirmatio eſſet repetenda; & nequaquam ſufficeret adhibere balſamum, quia hoc ſolum non benedicitur pro hoc Sacramento conferendo. Reſpondetur communiter, & benè, ex illa reſponſione potiùs fortè confirmari quàm impugnari noſtram ſententiam; nam cùm dicat Pontifex repetendum quod incautè fuit prætermiſſum, innuit repetendam vnctionem ex oleo & ex balſamo, nam vnctio ſola balſami non debet vllo modo repeti, tum quia ſolum balſamum non eſt materia ſufficiens in omni ſententia, tum quia ſi eſt de neceſſitate præcepti balſamum, certè non ſolùm, ſed ſimul cum oleo; ergo non voluit Pontifex vt repeteretur vnctio ex ſolo balſamo. Quod confirmo ex inſtantia qua vtuntur Aduerſarij contra nos de admixtione aquæ in calicè: ſi enim aliquis vel ex malitia, vel ex ignorantia conſecraret in ſolo vino, non deberet poſtea admiſceri gutta aquæ; nec deberent proferri ſupra illam verba conſecrationis, quia aqua ſola non eſt materia nec ſufficiens nec præcepta, ergo ſi eodem modo ſe habent guttæ balſami, non debet poſtea facta quaſi conſecratione ſeu adminiſtratione Sacramenti per ſolum oleum repeti vnctio per ſolum balſamum; ſi autem repetitur per vtrumque, iam eo ipſo conſtat ſolum oleum non fuiſſe ſufficiens ad valorem, alioqui fuiſſet iteratum hoc Sacramentum: id quod non poteſt præſumi mandatum eſſe à Pontifice. Addit Suarez, ſaltem ratione dubij debuiſſe in eo caſu repeti Sacramentum; quia licet non ſit omnino certum non ſufficere ſolum oleum, eſt tamen valdè dubium; in caſu autem dubij debet repeti Sacramentum.

Decretum Innocentij Tertij pro eadem ſententia allatum explicatur;

Pro vera ſententia:

Simul cum inſtantia de admixtione aquæ in calice.

14 Duo circa dicta notanda ſunt; Primum, ita eam mixtionem eſſe neceſſariam, vt tamen etiamſi poſtea in vaſculo aliquæ guttæ olei maneant, quæ non ſint coniunctæ balſamo (id quod neceſſariò euenire debet cùm modiciſſimum balſamum adhibeatur pro bona ſatis quantitate olei) non tamen propterea Confirmatio ſit inualida, etiamſi ab Epiſcopo confirmante accipiantur illæ ſolæ guttæ olei, quæ balſamum non habent: etenim Chriſtus Dominus non voluit illam rigoroſam mixtionem phyſicam, ſed vt ſimpliciter ac propriè oleum illud eſſet mixtum: eſt enim ea mixtio quid morale, vbi totus rigor philoſophicus non habet locum; alioquin eſſent infinitæ occaſiones ſcrupulorum, vtrum aliqua eſſet gutta balſami accepta néne; vnde licet, quod nonnulli (inter quos eſt Hurtadus diſ. 4.) requirunt, balſamum ſaltem ſuo odore alteraſſe totum oleum ſit probabile, puto tamen in rigore non eſſe neceſſarium; nam eſto per accidens balſamum careret odore, adhuc tamen eſſet materia ſufficiens pro ea mixtione; & tunc haberet locum quidquid diximus, quòd paucula guttæ non poſſint totum oleum penetrare; ac denique, quòd ea mixtio debeat moraliter conſiderari: vti ſi de neceſſitate validæ conſecrationis Euchariſtiæ eſſet ea mixtio aquæ cum vino, vt totus calix conſecraretur, ſufficeret ſimpliciter vinum illud eſſe mixtum, etiamſi non omnes guttæ vini haberent vnitam ſibi aliquam guttam aquæ.

Qualis ſit neceſſaria mixtio olei & balſami.

Non eſt neceſſarium vt balſamum ſuo odore oleum alteret.

Secundò circa hoc notandum, non eſſe de neceſſitate huius Sacramenti quòd Chriſma ſit recens, ſeu eius anni, quia de ea re nihil eſt in Eugenio IV. & aliis Patribus; etiamſi de neceſſitate præcepti id ſit, vt ex Epiſtola 2. Fabiani ad Orientales conſtat: computatur autem annus à die Iouis ſancti ad ſequentem diem Iouis ſancti.

Non eſt neceſſe ad valorem Sacramenti vt Chriſma ſit recens.

SVBSECTIO III.

A quo debeat benedici Chriſma?

Concluſio: Debet Chriſma eſſe ab Epiſcopo benedictum. Vbi varia poſſunt in dubium verti: Primùm, An ita neceſſariò requiratur benedictio, vt tamen validè dari poſſit hoc Sacramentum in oleo non benedicto? Secundò, An non quæcumque benedictio, ſed etiã Epiſcopalis, ſit neceſſaria? Tertiò, Vtrùm ſaltem 15

Digitized by Google

tem à Summo Pontifice poſſit committi ea benedictio ſimplici Sacerdoti, ſicut poteſt eidem committi adminiſtratio ipſius Confirmationis. Quartò, Vtrùm, ſi Epiſcopus ſit excommunicatus, valeat eius benedictio. Quintò, An ſit neceſſaria aliqua benedictio determinata & ab Eccleſia præſcripta ſeu approbata. Sextò, Vtrùm Chriſma ſemel benedictum profanari poſſit deinde aliquo caſu, ita vt ſecunda benedictio illius ſit neceſſaria.

Benedictio Epiſcopalis eſt eſſentialis Chriſmati.

His omnibus quæſtionibus hac vnica concluſione reſpondeo, Benedictionem Epiſcopalem eſſe omnino eſſentialem, ita vt non poſſit ea committi ſimplici Sacerdoti; ſufficere autem quamcumque & cuiuſcumque Epiſcopi etiam excommunicati, nec debere vllo modo eam benedictionem vnquam repeti. Tota hæc concluſio ſic poſita eſt communis inter Scholaſticos; & probatur, quia cum de hac neceſſitate benedictionis nihil à ratione poſſimus colligere; res enim tota pependit à voluntate Chriſti, debemus ad auctoritatem confugere: auctoritas autem Eugenij, quæ rem hanc declarat, abſolutè ponit pro materia ad hoc Sacramentum requiſita oleum benedictum ab Epiſcopo, nullamque facit exceptionem pro hoc vel illo caſu, nullam limitationem ad Epiſcopum non excommunicatum, nullam ſecundam benedictionem requirit, nullam in particulari exigit; neceſſarium ergo omnino eſt, vt dicamus quamcumque cuiuſcumque Epiſcopi benedictionem eſſe ſufficientem, neque ampliùs requiri.

Cuiuſcumque Epiſcopi etiā excommunicati benedictio ſufficit.

Dices Primò, Poſſunt templa conſecrata profanari, ita vt indigeant conſecratione ſecunda, ergo & oleum ſacrum. Nego conſequentiam, quia templorum conſecratio tota eſt de iure Eccleſiaſtico; poteſt autem Eccleſia ſtatuere ne valeat conſecratio prior, ſi talis aut talis caſus deinde accidat; at cùm neceſſitas huius conſecrationis ſit de iure diuino, & Chriſtus non petierit niſi Chriſma eſſe benedictum; hoc autem ſi ſemel habuit, non poſſit illi auferri ab Eccleſia, inde eſt, quod non poſſit hæc efficere, vt quod ſemel eſt benedictum, non valeat iam amplius ad hunc vſum.

Neque tollitur benedictio Chriſmatis ſicuti conſecratio templorum.

16 Dices Secundò; Eccleſia poteſt facere, vt Epiſcopi excommunicati (vt docet Suarez Tomo 3. in 3. Part. diſp. 23. ſect. 2.) exterior benedictio potiùs ſit execratio quàm benedictio; ergo poteſt facere vt non ſufficiat. Reſpondeo negando antecedens; nam quantumuis Eccleſia excommunicet Epiſcopum, efficere non poteſt, vt ſi ille ſerio animo mihi dicat, *Deus tibi benedicat*, & det benedictionem, ea non ſit in toto rigore benedictio. In ordine ad alios effectus, qui ab ipſius Eccleſiæ diſpoſitione pendent, efficere quidem illa poterit, ne valeat talis benedictio; at in ordine ad eos, quos Chriſtus inſtituit, non poteſt, niſi aliunde oſtendatur ei datam eſſe à Chriſto talem poteſtatem: id quod in præſenti nequaquam poteſt probari. Vnde etiam colligitur, Eccleſiam non poſſe Epiſcopos priuare poteſtate vt validè conficiant Chriſma, neque vllo modo in hac benedictione vel diſpenſare, vel eam reſtringere aut ampliare poſſe.

Eccleſia excommunicando Epiſcopum non tollit, quò minùs benedicere poſſit validè Chriſma.

Replica.

Replicabis: Benedictio exterior eſt ſignum ad placitum, ergo pendet eius ſignificatio à voluntate Eccleſiæ; ergo poterit hæc inſtituere vt ſigna & verba prolata ab Epiſcopo excommunicato non ſint ſignificatiua propriè benedictionis. Reſpondeo, Cùm Eccleſia non poſſit efficere quo minus quilibet homo aliquibus verbis, aut ſaltem aliis ſignis, declaret animum ſuum de conferenda benedictione, non poſſe vllo modo efficere quo minus Epiſcopus validè benedicat, ſi velit. Poteſt quidem communitas efficere, ne hæc aut illa non ſit ſignum publicum & vniuerſale; at nullo modo poteſt à quolibet indiuiduo in particulari tollere omnem modum loquendi ſiue priuatum, ſiue publicum; vt illi qui per ciſras duo ſoli inter ſe loquuntur, verè ſignificant quod volunt. Si ergo Epiſcopus dicere velit, Ego per hæc ſigna, ſeu per hæc verba, ſeriò tibi benedico; profectò non poterit Eccleſia id impedire. Cùm ergo non conſtet aliquid aliud fuiſſe pro Chriſmate à Chriſto Domino requiſitum, quam quod Epiſcopus verè illud benedicat; vtrum autem ea benedictio danda ſit per ſignum commune omnibus, an per particulare, liberum reliquerit; profectò liberum omnino erit cuilibet vero Epiſcopo illud validè benedicere. Vnde ea Patris Suarez do- 17
ctrina mihi nullo modo probatur. Neque huic noſtræ ſolutioni opponitur quod diximus agentes de materia proxima Ordinum diſp. 6 ſect. 2. & iterum dicemus Tomo 8. agentes de Ordine; vbi oſtendimus in toto rigore poſſe Eccleſiam efficere ne aliquis Epiſcopus excommunicatus validè conſecret, ſi à materia ab eo adhibenda auferat rationem ſigni Ordinis conferendi. Vnde etiam inferri videtur, poſſe auferri ab eodem Epiſcopo rationem ſigni collatæ benedictionis. Hæ inquam doctrinæ inter ſe non opponuntur; nam ad materiam Ordinis (vt eo loco probauimus ex Bellarmino & multis aliis) Chriſtus Dominus materiam exteriorem reliquit determinandam ab Eccleſia: vnde factum eſt, vt planè diuerſa materia Sacerdos conſecretur in Eccleſia Græca ab ea quæ in Latina; ſi ergo determinare poteſt materiam, poterit etiam determinare ſub quibus conditionibus illam eſſe oporteat. At in ordine ad benedictionem pro Chriſmate nihil aliud requiſiuit Chriſtus, quam vt verus Epiſcopus illud benediceret; hoc autem non poteſt Eccleſia impedire: quia cùm non poſſit Magiſtratus vllus me impedire, quo minus ego poſſim meum ſenſum manifeſtare, ſiue id faciant ſigno publico, ſiue priuato, vt dixi; ita non poterit Eccleſia efficere, ne verus ille Epiſcopus aliquo exteriori ſigno oſtendat ſuum animum benè peccandi, hoc eſt benedicendi illud Chriſma; neceſſario autem tunc eo ipſo debet iudicari illud eſſe benedictum, ideóque omnino ſufficiens vt ſit materia remota Confirmationis & Extremæ Vnctionis ac Ordinum.

Non poteſt Eccleſia impedire ne aliquis det alteri aliquo ſigno benedictionem.

Conciliatur hæc doctrina cum alia noſtra.

Dices Tertiò; Nonnullis locis legitur datam 18
eſſe ſimplici Sacerdoti poteſtatem benedicendi Chriſma. Reſpondeo, Si id alicubi inueniatur, debere intelligi de Chriſmate, quo baptizati caput ſolet inungi.

Dices Quartò: Simplici Sacerdoti poteſt à Papa conferri poteſtas adminiſtrandi hoc Sacramentum Confirmationis: ergo à fortiori poterit concedi poteſtas benedicendi Chriſma, quod minus eſt. Reſpondet Suarez Primò, probabilem eſſe hanc conſequentiam: ego tamen vt verum fatear, eam nullo modo iudico probabilem: vti Sacerdos ſimplex eſt Miniſter ordinarius Extremæ Vnctionis: & tamen non ſequitur inde vllo modo, nec quidem probabiliter, ipſum eſſe ordinarium Miniſtrum pro benedictione olei: quæ videtur eſſe minus quid quam collatio

Sacerdos ſimplex non poteſt ex diſpenſatione Chriſma benedicere;

Digitized by Google

tio ipſa Ordinis. Quare autem ea conſequentia probabilis non ſit, ſtatim dicemus. Reſpondet Secundò Suarez negando eam conſequentiam; quia plus requiritur vt concedatur vtrumque quàm vnum tantùm. Multò minùs hæc ſolutio ſatisfacit; iam enim non contendimus, niſi purè putè poſſe quodlibet ex illis ſeorſim concedi ſimplici Sacerdoti, eſto vtrumque eidem non poſſit. Meliùs ergo dicimus, in hac re, quæ à ſola voluntate Christi Domini pendet, non eſſe aliam rationem quærendam quàm quod ita ipſe voluerit: in vno ergo puncto dedit poteſtatem diſpenſandi, in alio non, quia ita ipſi placuit; id autem ita voluiſſe conſtat ex citato teſtimonio Eugenij in ordine ad dandam Confirmationem. Pro benedictione nullus eſt textus. Accedit, quod obſeruat bene ipſe Suarez, Chriſma benedictum ab Epiſcopo facilè poſſe accipi, etiam ad ea loca, ad quæ Epiſcopus accedere non poteſt; & proptereà non fuiſſe neceſſitatem tantam diſpenſandi in hoc quantam in illo.

Poteſt autem Sacramentum Confirmationis ex diſpenſatione miniſtrare.

SECTIO III.

De materia proxima Confirmationis.

Proxima materia Confirmationis eſt vnctio facta in formam crucis in fronte.

19 COmmunis & certa ſententia eſt, illam eſſe vnctionem ex eo Chriſmate: hic enim eſt actualis vſus eius materiæ remotæ; vti ablutio eſt actualis vſus aquæ in Baptiſmo. Moueri autem breuiter poſſunt varia dubia circa hunc vſum: Primum eſt, Vtrùm ea vnctio debeat fieri in formam crucis. Reſpondetur, id omnino requiri, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, quæ iubet vt ſignum crucis fiat in fronte; id verò eſſe neceſſarium ad valorem Sacramenti probant nonnulli, quia alioquin verba formæ non eſſent vera ex integro, nam ſola vnctio eſt materia; ergo forma, *Signo te ſigno crucis*, non caderet ſupra materiam, ſi vnctio non eſſet ſignum crucis, quia non caderet ſupra vnctionem. Hæc tamen ratio meo iudicio valdè debilis eſt; imò potiùs verba ipſa videntur exigere, vt Epiſcopus priùs ſignet ſigno crucis, & deinde confirmet Chriſmate ſalutis. Vnde Pater Suarez meritò non vtitur eo argumento, ſed maximè auctoritatibus Patrum, qui dicunt debere ſignari in fronte Chriſmate. Verùm & hæc probatio non eſt admodum efficax; quia ſignare Chriſmate non dicit debere eſſe ſignum crucis: vt enim homo dicatur ſignatus, ſufficit ſi vngatur in fronte, aut facie, ſiue vnctio ſit in figuram crucis, ſiue alio quocumque modo: vti quando filij Iſraël ſignarunt ſanguine poſtes domorum, non ad figuram crucis, aut ad vllam aliam determinatam attenderunt, ſed ſolùm linierunt ſanguine poſtes: meliùs ergo id ſuadetur ipſa conſuetudine perpetua eo modo adminiſtrandi hoc Sacramentum; quæ eo ipſo denotat eſſe eſſentialem partem illius.

Reiectis aliquibus argumentis.

Probatur ſola conſuetudine.

20 Hinc autem deciditur ſecunda difficultas quæ poteſt moueri, quanta debeat eſſe ea vnctio. Reſpondemus enim ex dictis, debere eſſe tantam, vt faciat ſignum ſanctæ Crucis, neque maiorem requiri; quia nullum eſt fundamentum plus requirendi. Et hæc circa vnctionem ipſam in ſe.

Circa locum verò diximus paulò antè, eam debere eſſe in fronte, quidquid in contrarium dicat Ledeſma apud Suarez diſput. 33. ſect. 3. licet enim id non requirant verba formæ, quæ nihil de fronte dicunt; tamen vſus perpetuus Eccleſiæ & modus loquendi Patrum id exigunt: de quo vide Suarium ſuprà.

Tertia difficultas circa hanc materiam eſt, Vtrùm ſit neceſſarium immediatè digito Pontificis fieri eam vnctionem, an verò ſufficiat, ſi ligнello aut penicillo aliquo vtatur, aut certè chirothecâ indutus ſignet: vtroque enim modo poteſt verè dicere, *Signo te*, &, *Confirmo te*: vti pictor dicit, *Pingo, ſigno*, etiamſi penicillo, non manu vtatur immediatè. Reſpondeo, De neceſſitate præcepti, ſaltem ex ipſo vſu, id omnino requiri. Probabile etiam eſt, vt ait Suarez, debere fieri immediatè per digitum, quia ita videtur ſemper in Eccleſia ſupponi, licet non ſit vllus textus, vnde id efficaciter ſuadeatur; ac proinde non carebit contraria opinio ſua probabilitate. Multò autem minùs erit certum debere eſſe pollicem dextrum; videtur enim in rigore quilibet digitus ſufficere; ſit autem pollice, quia ille commodior eſt ad ea ſigna facienda. Iam poteſt quæri, Vtrùm præter eam vnctionem requiratur impoſitio manuum. Reſpondemus Nequaquam, vt ex Florentino conſtat; in quo nihil de ea diſtincta manuum impoſitione dicitur; imò (vt vidimus ſuprà) inſinuat vnctionem ideò impoſitionis manuum ſucceſſiſſe.

Probabile eſt debere vnctionem fieri digito Epiſcopi.

Præter vnctionem non requiritur manuum impoſitio.

SECTIO IV.

De forma huius Sacramenti.

EX decreto Eugenij conſtat illam eſſe ſufficientem, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Circa quam illud poteſt in dubium verti, an tota ſit neceſſaria. Reſpondeo, cum communi. Omnino eſſe; quia cum Eugenius totam illam ponat pro forma, debet tota eſſe eſſentialis: ibi enim nonniſi partes eſſentiales declarauit. Quando dico totam eſſe eſſentialem, id ita intelligo, vt æquiualenter maneat tota; vti in ſimili de forma Baptiſmi diximus: & in primis debet denotari perſona confirmans & confirmata. Deinde ſi ſignum illud crucis factum vnctione eſt neceſſarium, vti reuerà eſt, inde etiam neceſſariò infertur, eſſe neceſſarium id explicare verbis ipſis vt in Baptiſmo. 21

In forma debet exprimi perſona confirmans & confirmata.

Dices: Etſi omittatur τὸ *ſigno*, & dicatur, *Signo te cruce, & confirmo te Chriſmate ſalutis*, &c. videtur eſſe integer ſenſus; quia in τὸ *Signo*, vt eſt verbum, includitur, quod ſit futura ea actio per ſignum: vt ſi quis diceret, Scribo ſcriptione. Reſpondeo, Mihi eſſe probabile illud nomen ibi non eſſe omnino eſſentiale, ſed ad maiorem explicationem deſeruire.

Dices Secundò: Poteſt dici validè, *Baptizetur ſeruus Chriſti*; ergo etiam poterit dici, *Signetur ſeruus Chriſti ſigno crucis, & confirmetur Chriſmate ſalutis.* Reſpondeo, Et hoc omnino videri dicendum conſequenter; quia nulla maior eſt ratio, cur in Baptiſmo τὸ *Baptizetur ſeruus Chriſti* æquiualeat his, *Ego te baptizo*: & in Confirmatione, *Confirmetur ſeruus Chriſti*, non æquiualeat his, *Confirmo te*, &c.

Validè quis diceret, Signetur ſeruus Chriſti.

Dices Tertiò: Si dicatur, *Signo te Chriſmate ſalutis*, videtur declaratum totum quod Miniſter facit; quia in primis iam denotat ſignum crucis, denotat vnctionem, denotat effectum ſpiritualem per illud verbum *ſalutis*; ergo ea ſufficient. 22

Digitized by Google

cient. Reſpondeo negando per ea explicari totam actionem; nam in primis .(vt paulò antè obſeruaui) *Signo te* non denotat ſignum ſanctæ Crucis; poteſt enim eſſe ſignum, quod non ſit crux; deinde illud verbum *Confirmo te* videtur omnino neceſſarium, quia per hoc maximè declaratur primarius effectus huius Sacramenti, qui eſt, hominem per gratiam & auxilia gratiæ confirmare ad reſiſtendum tentationibus contra Fidem; difficilius videtur, an ſufficiat forma hæc, *Confirmo te ſigno crucis & Chriſmate ſalutis*: etenim illud verbum *Confirmo*, adiuncto nomine *ſigno*, videtur denotare, & quod Epiſcopus ſignet, & quod vngat & confirmet; ergo. Reſpondeo, Probabile valdè eſſe, omnino ſufficere; quia dicere, *Confirmo te ſigno crucis*, videtur includere *Signo te cruce*: vt enim paulò antè dicebam, verbum *Signo* ſine nomine *ſigno* tantum denotat quantum ſimul; quia repetitio illa ſolùm videtur ad maiorem emphaſim; ita è contrario nomen *ſigno* adiunctum illi verbo *Confirmo* denotare videtur etiam ipſum conferentem imprimere illud ſignum, ergo non eſt neceſſaria ea repetitio: nihilominus cenſeo dicendum non ſufficere; ratio eſt, quia non æquiualent ſibi hæc duo, *Confirmo te ſigno crucis*, &, *Signo te cruce*: etenim confirmare poſſum alterum, etiamſi illud ſignum crucis à me non ſit factum: ſi enim crucem iam factam alteri ſupra caput ponam, ego poſſum veriſſimè dicere, *Confirmo te ſigno crucis*: atqui (vt oſtendimus) debet explicari quod ſignum procedat ſeu fiat à confirmante: & hinc apparet diuerſitas inter illam formam, *Signo te cruce*, quæ, vt paulò antè diximus, ſufficit, & hanc, *Confirmo te cruce*; quia eo ipſo quod τὸ *Signo* ſit verbum, denotat actionem ſignandi ab ipſo loquente prouenire: vnde ſi dicit, *Signo te cruce*, dicit idem omnino, ac ſi diceret, *Signo te ſigno crucis*: at quando τὸ *ſigno* ſumitur pro ſolo nomine, & adiungitur verbum, quod non ſignificet effectionem eius ſigni, vti illam non ſignificat τὸ *Confirmo*, poteſt totus ille ſenſus ſaluari optimè per impoſitionem crucis ſupra caput, eſto ea facta non ſit à confirmante.

Primarius effectus exprimitur per verbum Confirmo.

Signo te cruce & Confirmo te cruce *quomodo differant.*

23 *Replica:* Replicabis: Si ego imponam Petro crucem iam antea factam, vti ſolet fieri dum Equites militares creantur, dici poteſt, *Signo te ſigno crucis*: ergo vel non eſt neceſſarium per verba formæ declarare expreſsè quòd ipſe illam crucem formet; vel ſaltem non magis id declarabitur per τὸ *Signo*, quatenus eſt verbum, quàm quatenus eſt nomen; ſi adiungatur τὸ *Confirmo te ſigno crucis*. Reſpondeo, Obiectionem eo collimare, vt oſtendat illud verbum *Signo te*, etiamſi addatur *ſigno crucis*, non denotare ſufficienter quod Epiſcopus ipſe formet crucem; quia etiam repetendo verbum illud poteſt, qui alteri imponit crucem ſancti Iacobi v.g. iam factam, dicere, *Signo te ſigno crucis ſancti Iacobi.* Hoc autem eſt contra omnes. Abſolutè reſpondeo, Ea obiectione nihil probari; nam τὸ *Signo* quando eſt verbum, directè ſignificat actionem ipſius loquentis, ac proinde quòd ipſe faciat illud ſignum: quando autem eſt nomen, & coniungitur cum alio verbo, nempe *Confirmo te ſigno crucis*, non ſignificatur actio ſignandi, ſed confirmandi: hæc autem actio non denotat productionem crucis; ſed optimè poteſt ſaluari per impoſitionem crucis factæ iam anteà. Quod dicebatur de imponente crucem ſancti Iacobi, qui tamen verè dicere poteſt, *Signo te cruce*, non vrget; negamus enim id eſſe verum: ille enim propriè loquendo non ſignat, ſed ornat ſigno.

Solutio.

Vrgebis; Qui inſtrumento aliquo, in quo eſſet crux, illam inureret alteri, poſſet in toto rigore dici, *Signo te cruce*; ergo & qui crucem factam imponeret ad collum dicere poſſet, *Signo te cruce.* Reſpondeo negando conſequentiam; nam qui inurit crucem, facit diſtinctam crucem in altero, diſtinctam inquam ab ea quæ eſt in ferro iam facta; ac proinde in omni rigore dici poteſt facere crucem in altero, eúmque ſignare: at qui crucem factam imponit, propriè non ſignat, ſed ſigno facto alterum aut ornat aut diſtinguit; non autem facit ſignum id quod verbum *Signo* in rigore Latino ſignificat.

Denique circa illa vltima verba, *In nomine Patris, & Filij*, &c. dicendum eſt ex communi Patrum ſententia omnino eſt neceſſaria: vide Suarium ſectione 5. vtrum autem loco illorum ſufficiat dicere *In nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis*, &c. eſt eadem quæſtio quæ de Baptiſmo: vide ſuprà dicta.

SECTIO V.

De effectibus Confirmationis.

Circa effectus huius Sacramenti pauca occurrunt dicenda vltra ea quæ agentes de Sacramentis in communi diximus; ibi enim oſtendimus, per tria Sacramenta (inter quæ Confirmationem poſuimus) imprimi Characterem, idque iterari non poſſe. Secundò diximus Baptiſmum eſſe ianuam ad reliqua, ac proinde ſine Charactere illius non poſſe imprimi Characterem Confirmationis: Tertiò, per omnia Sacramenta cauſari in non ponentibus obicem gratiam habitualem: Quartò, etiam ſpecialiter gratiam ſeu auxilia ad aliqua ſingularia munia. Confirmationem autem diximus cauſare ſpecialia auxilia ad perſiſtendum in Fide, quam quis in Baptiſmo eſt amplexus. Quæ omnia fuſiùs vide apud Suarez diſput. 34. ſectione 1.

24 *Per Confirmationem imprimitur Character dependenter à Charactere Baptiſmi.*

Confirmatio cauſat ſpecialia auxilia ad perſiſtendum in Fide.

Dices: Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 16. ait manuum impoſitionem non ſicut Baptiſmum repeti non poſſe: quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem? Reſpondeo, Hunc locum etiam eſſe ad probandum Confirmationem non eſſe Sacramentum; quod tamen eſt certum de Fide. Abſolutè reſpondeo, Auguſtinum ibi agere de ea manuum impoſitione, quæ fiebat ſupra hæreticos dum reconciliabantur Eccleſiæ, non de noſtro Sacramento Confirmationis. Vide Suarium de eo loco fuſiùs agentem ea ſectione prim . Poſſet autem hic diſputari, Vtrùm confirmatio det primam gratiam aliquando, vtrùm fictè ſuſcepta reuiuiſcat. Verùm de iis omnibus egimus ſuprà in materia de Sacramentis in communi; & infrà agentes de Euchariſtia aliquid dicemus. Vltimò circa eff. ctum illius quæri poſſet, Vtrùm gratia quam cauſat ſit maior quàm quæ per Baptiſmum datur. Multi affirmant, eo quod Patres ſummis laudibus extollant Sacramentum hoc, dicantque per illud hominem fieri virum, qui per Baptiſmum primò regeneratus erat; deinde quia etiam à nobiliori Miniſtro confertur. Verùm hæc non ſunt ſolida argumenta, maximè hoc de Miniſtro; inde enim fieret, per Euchariſtiam & per confeſſionem dari minorem gratiam quàm

Comparatio Baptiſmi & Confirmationis quoad nobilitatem & effectus.

Digitized by Google

quàm per Confirmationem & Ordinem, quia hæc duo nobiliorem habent Miniſtrum quàm illa. Deinde ſi aliquãdo Patres vehemẽter ex tollunt Sacramentum hoc, etiam ſæpè tollunt Baptiſmum. Alij ergo Scholaſtici è contrario dicunt Baptiſmum; quia eſt primus ingreſſus in Religionem Chriſtianam, & ad remiſſionem peccatorum inſtitutus, ac fundamentum aliorum, dare maiorem gratiam. Quæ etiam ratiocinatio non eſt admodum ſolida, ac proinde rem hanc omnino incertam iudico: id quod benè notauit Suarez diſp. 34. ſect. vltima, poſtquam aliquas pro vtraque parte rationes propoſuiſſet.

SECTIO VI.

Reliqua quæ de Confirmatione deſiderantur.

25 Circa ſubiecta, quæ ſunt huius Sacramenti capacia, dicendum eſt Primò, omnes Chriſtianos baptizatos eſſe capaces: eſt de Fide, ex vſu & traditione Eccleſiæ. Dubitari autem ſolet, vtrùm etiam infantes ante vſum rationis? Reſpondetur, omnino eſſe: quod ſuadetur antiquo Eccleſiæ vſu, qui etiam nunc vrget in multis partibus: de quo nos ſuprà diximus aliquid, agentes in genere de intentione requiſita ad recipienda validè Sacramenta. In adultis neceſſarius eſt conſenſus formalis aut interpretatiòus, iuxta ibi dicta. Dubitari autem ſolet, quid ſit melius, illud conferre in infantia; vt ſtatim ſint armati ad reſiſtendum diabolo, an in ætate adulta, quando meliùs homo ſe poteſt ad illud præparare? Reſpondeo, Si nulla ſit cauſa, quæ cogat ad præueniendum, puta quia non erit commoditas deinde illud conferendi, melius eſſe illud conferre in adulta ætate; quia tunc copioſior erit gratia ob diſpoſitionem ſuſcipientis quàm in infantia.

Infantes ſunt capaces Sacramenti Cõfirmationis. In adultis neceſſarius conſenſus.

Fructuoſiùs cõfertur adultis quàm infantibus.

Dices, Hinc idem probari de Baptiſmo. Reſpondeo; Eſto ea ratio habeat aliquem locum pro Baptiſmo, aliunde tamen fieri compenſationem, ex eo quòd infans ante Baptiſmum eſt filius iræ, inimicus Dei, peccator; expedit autem quàm citiſſimè malum illud ab infante remoueri: at infans baptizatus, eſto non confirmatus, eſt iam in gratia & amicitia Dei, hæreſque gloriæ, ac proinde non indiget ea acceleratione Confirmationis.

Secundò dubitari ſolet, Vtrùm debeat dari amentibus, maximè perpetuis, quique nunquam indigebunt gratia roborante ad defenſionem Fidei? Reſpondetur tamen, non debere eis negari propter augmentum magnum gratiæ, maximè cùm per hoc Sacramentum nulla incurratur obligatio, quæ exigat iudicium rationis.

Conferri poteſt amentibus.

Circa Miniſtrum verò illius communis & certa ſententia eſt, ordinarium & per ſe eſſe ſolum Epiſcopum: id enim teſtantur Pontificum & Patrum teſtimonia, quæ videri poſſunt apud Patrem Suarez diſput. 36. ſect. 1. Contra hanc veritatem obiiciuntur aliqua teſtimonia & Scripturæ & Conciliorum, quibus videtur probari; Sacerdotem poſſe abſolutè in defectu Epiſcopi hoc Sacramentum conferre; vt 1. Timoth. 4. vbi dicitur, *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij:* ergo Presbyter poteſt hoc Sacramentum adminiſtrare: verùm ibi non legitur *Presbyteri*, ſed *Presbyterij*, hoc eſt Sacerdotij collati tibi: loca verò ex Conciliis deſumpta loquuntur non de hac vnctione quæ fit in Confirmatione, ſed de ea quæ in baptizati fronte fiebat, & quam Epiſcopi in ſolemni adminiſtratione Baptiſmi ſibi vſurpare ſolebant. Vide Suarium diſput. 36. ſect. 1. vbi benè oſtendit Ananiam Actorum 9. imponentem manus Saulo illum non confirmaſſe, vt aliqui putant, ſed reſtituiſſe illi viſum: quòd autem dixit ſe miſſum vt ille repleretur Spiritu ſancto, poteſt de Baptiſmo ſubſequente intelligi. Addendum, Eſto Ananias confirmaſſet Saulum, non poſſe inde quidquam inferri, quòd Presbyter ſimplex poſſit hoc Sacramentum conferre; quia non poteſt probari Ananiam non fuiſſe iam factum Epiſcopum: deinde cùm illa manuum impoſitio fuerit ante Baptiſmum, debuit eſſe ex ſingulari priuilegio Dei, ſi ea fuit Confirmatio; tuncque eadem ratione dici poſſet, ibi à Deo diſpenſatum, vt illud Sacramentum conferretur à ſimplici Sacerdote, nec tamen ideò licere quidquam inferre ad alios caſus.

Ananias non confirmauit Paulum per impoſitionem manuum.

Licet autem ordinarius Miniſter ſit Epiſcopus, de conſenſu tamen ſummi Pontificis poſſe conferri à ſimplici Sacerdote communis eſt ſententia, vt conſtat ex Epiſtola 23. lib. 3. Gregorij Magni, qui eam facultatem dedit cuidam Sacerdoti: id quod etiam approbat Eugenius Quartus in ſuo decreto vnionis illis verbis: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem Sacramentum Confirmationis adminiſtraſſe.* Pater Suarez diſput. 36. ſect. 2. varias affert explicationes eius facti Diui Gregorij, quas ipſe refutat ad longum. Quidam enim dicunt Diuum Gregorium omnino erraſſe vt priuatam perſonam, forte ſecutum opinionem probabilem, alij eum tantùm purè permiſſiuè ſe habuiſſe. Alij putant eo tempore Presbyteros etiam fuiſſe Epiſcopos, alij Gregorium non de Sacramento Confirmationis, ſed de alia vnctione Chriſmatis locutum. Alij denique dicunt Diuum Gregorium per eam conceſſionem conſtituiſſe eos Sacerdotes Epiſcopos quoad illud factum. Omnes explicationes hæ improbabiles ſunt, & vno verbo reiiciuntur textu illo Eugenij. Deinde temerariè tribuitur Gregorio ille error, vti & conniuentia illa in re ſacrilega. Tertiò, cùm ipſe faciat ibi diſtinctionem inter Epiſcopos & Presbyteros, improbabiliter dicitur tunc omnes Presbyteros fuiſſe ſimul Epiſcopos. Denique, quòd dicatur eum in ordine ad illud factum eos Presbyteros conſtituiſſe Epiſcopos, ſunt pura verba, quibus nihil aliud dicitur quàm noſtra concluſio, quia Epiſcopalem ordinem non eis conceſſit, ergo ſolam poteſtatem adminiſtrandi hoc Sacramentum; hoc autem nos dicimus poſſe concedi ſimplici Sacerdoti: quòd verò in eo facto dicatur conſtitui quaſi Epiſcopus, eſt quæſtio de modo loquendi, nec à nobis re ipſa negatur. 26

Poteſt committi poteſtas confirmandi Sacerdoti.

Non errauit Gregorius Magnus committendo Sacerdoti hanc poteſtatem, vt aliqui volunt.

Non eſt ergo dubium de poſſibilitate eius commiſſionis; cùm autem ex eis textibus Gregorij & Eugenij ſolùm conſtet à Summo Pontifice fieri poſſe eam commiſſionem vero Sacerdoti, conſequenter dicendum eſt inferiores Epiſcopos non poſſe eam poteſtatem concedere, neque ipſum Papam aliis quàm Sacerdotibus; nam cùm aliæ definitiones potiùs videantur negare vllam omnino talem commiſſionem poſſe fieri, non debemus maiorem exceptionem fa-

Solus Summus Pontifex poteſt hanc poteſtatẽ Sacerdoti conferre, neque alteri quàm Sacerdoti.

Digitized by Google

re quàm ab ipſiſmet Pontificibus fiat. Quòd ſi rurſus quæratur, vnde id proueniat; dicendum erit, ex Chriſti voluntate, qui ſummo ſuo in terris Vicario eam poteſtatem in ordine ad diſpenſandum cum Sacerdote conceſſit, non tamen cum inferiori ordine; de hac autem voluntate nobis conſtare ex Eccleſiæ declaratione proximè dicta.

Poteſt Papa conferre hanc poteſtatem, etiamſi non ſit conſecratus Epiſcopus.

Illud autem aduertendum eſt, Papam electum, eſto non ſit conſecratus Epiſcopus, poſſe hanc diſpenſationem facere, quidquid aliqui in contrarium dixerint, non aduertentes hanc poteſtatem non prouenire ab ordine Pontificis; nam in hoc non ſuperat reliquos Epiſcopos; ſed à ſola poteſtate iuriſdictionis, quæ integra eſt in Papa, etiam antequam conſecretur. Vtrùm autem requiratur iuſta cauſa ad eam diſpenſationem, quæſtio eſt generalis ad omnes diſpenſationes: neque in hoc puncto video aliquid addendum.

27 Dubitari tamen adhuc poteſt, Vtrùm ea licentia data à Summo Pontifice ſimplici Sacerdoti expiret mortuo ipſo Pontifice? Reſpondeo, Quæſtionem hanc eſſe communem ad omnes alias gratias, quas ſolent Pontifices concedere; de quibus poteſt in dubium verti, vtrùm ceſſent mortuo Pontifice.

Hæc autem poteſtas Sacerdoti conceſſa non ſemper expirat mortuo Pontifice qui conceſſit.

Dicendum autem eſt, Pontificem poſſe dare eam commiſſionem, ita vt valeat etiam poſt ipſius mortem, quouſque ab altero Pontifice reuocetur. In hoc puncto non poteſt eſſe vlla ratio dubitandi: ſicut enim concedunt alia priuilegia duratura poſt ſuam mortem, ita poſſunt & hoc. Certum Secundò eſt, poſſe è contrario etiam dare ſolùm vſque ad ſuam mortem; quomodo autem hîc & nunc concedant, res eſt facti, de qua nos nihil poſſumus certò dicere: illud videtur certum, quando licentia non eſt ad vnum aliquod indiuiduale Sacramentum conferendum, ſed vniuerſaliter, quia v.g. mittitur ille Sacerdos ad loca vbi nullus eſt Epiſcopus, tunc licentiam illam eſſe perpetuam, quamdiu inter tales gentes ille hæſerit ſiue moriatur Pontifex, ſiue non: ipſa enim occaſio id ibi exigit, ne cogatur ille Romam toties pro illa licentia ſcribere.

Quæres adhuc, Quid ſi Pontifex dediſſet expreſſe ad mortem ſuam tantùm, cenſebitúrne expiraſſe ea facultas ipſo puncto mortis, an verò primò tunc, cùm ad eum Sacerdotem noua venerint de morte Pontificis?

Conceſſa facultas vſque ad mortem concedentis intelligitur vſque ad notitiã de morte.

Reſpondeo, Debere intelligi ad notitiam mortis, quia alioquin exponeret Pontifex eum Sacerdotem periculo adminiſtrandi in bona fide (quamdiu putat adhuc Pontificem viuere) illud Sacramentum; exponeret inquam periculo faciendi irrita Sacramenta, quæque deberent poſteà cum magno populi ſcandalo repeti; & ipſamet exhibitio Sacramenti inutilis & inualida eſſet grauiter mala: poteſt tamen de plenitudine poteſtatis Pontifex ita diſponere, vt re ipſa omnes Confirmationes, quæ deprehenſæ forent poſt obitum illius adminiſtratæ, iudicandæ eſſent nullæ. Vide quæ Tomo 4. de reuocatione Legum diximus.

Cærimonia Sacramenti Confirmationis.

Iam agendum eſſet de ritu, quo hoc Sacramentum confertur. Suprà in communi oſtendimus, meritò adhiberi ab Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum aliquas cæremonias: quæ doctrina huc etiam debet applicari; & verò in ipſa collatione non alia adhibetur cæremonia quàm aſſiſtentia Patrini: de quo nihil occurrit dicendum vltra ea quæ agentes de Patrino in Baptiſmo diximus. Ligatur etiam confirmato frons linea faſcia; hæc tamen non tam eſt cæremonia Confirmationis, quàm ne ſanctum Chriſma defluat: vnde cùm primùm à Sacerdote illud abſtergitur, faſcia deponitur. In benedictione ipſius olei plures ſunt cæremoniæ, quas benè explicat, & ab hæreticorum exſibilationibus defendit Suarez diſp. 37. per totam.

Præceptum de hoc Sacramento ſuſcipiendo an ſit diuinum.

Vltimum denique dubium circa hoc Sacramentum eſt, An illud ſit ſub præcepto aliquo, 28
ſiue naturale illud ſit, ſuppoſita eius Sacramenti inſtitutione, ſiue poſitiuum diuinum, aut Eccleſiaſticum. Tres vel quatuor ſunt in hoc puncto ſententiæ, quas Suarius tangit diſp. 38. ſect. 1. vna docet eſſe præceptum à Chriſto impoſitum. Ita Scotus in 4. diſt. 7. qu. 1. & alij, quos ea ſectione citat Suarez. Fundamentum illorum ex variis Patrum & quorumdam Conciliorum Prouincialium locutionibus deſumitur, in eis enim dicitur, Chriſtianum non confirmatum nondum eſſe perfectè Chriſtianum: atqui haud dubiè Chriſtus voluit ſuos diſcipulos eſſe perfectè Chriſtianos; ergo. Confirmatur ex Can. *Omnes.* de conſecrat. diſt. 5. vbi Vrbanus Papa hæc habet: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum accipere debent.* Ecce ibi declaratum præceptum, *vt planè Chriſtiani inueniantur*; ecce rationem paulò antè inſinuatam. Confirmatur Secundò, quia qui tempore opportuno non ſuſcipit hoc Sacramentum, illud contemnit; hoc autem eſt contra inſtitutionem illius, ergo.

An Eccleſiaſticum.

Secunda aliorum ſententia docet hoc præceptum tantùm eſſe Eccleſiaſticum, quia de præcepto à Chriſto impoſito nihil poteſt efficaciter oſtendi; at eſſe Eccleſiaſticum ex verbis ipſorum Pontificum ſuadetur.

An naturale.

Tertiò, alij putant eſſe naturale: ſi enim negligitur data occaſione, ergo contemnitur; hoc autem ipſo iure naturali ſuppoſita ſanctitate Sacramenti prohibetur. Quartò, alij putant tunc præcisè nos obligari ad illud, quando eſt occaſio profitendi Fidem coram Tyranno: illud enim eſt inſtitutum ad obtinenda ſpecialia auxilia gratiæ pro ea defenſione Fidei; ergo ſi illud quis negligat, exponet ſe periculo Fidei negandæ; ergo peccabit contra iuris naturalis obligationem ad ſuſcipiendum illud, quia (vt ait Cyprianus Epiſtola 54.) contra rationem eſt ſine armis ad pugnam accedere.

Concluditur nullam exſtare præceptum.

Nihilominùs probabilius videtur, non eſſe ab- 29
ſolutè vllum præceptum de ſuſceptione huius Sacramenti. Ita Suarez ſuprà ſecutus Sotum in 4. diſt. 17. quæſt. vnica, artic. 8. Ledeſmam, Adrianum, Angelum, Ruardum, Victoriam, & alios: eſt etiam Patris Vaſquez quæſt. 90. art. 1. dub. 4. & Hurtadi difficultate 11. & priùs fuit Diui Thomæ in 4. diſt. 17. quæſt. 17. 1. quæſt. 2. & hac 3. quæſt. 72. artic. 8. dum ait contemptu excluſo non eſſe peccatum hoc Sacramentum omittere, ſi autem eſſet præceptum, haud dubiè peccaretur illud non accipiendo, licet nullus eſſet contemptus.

Neque eſſe peccatum ſecluſo contemptu hoc Sacramentum omittere.

Probatur autem hæc ſententia, quia nullo ſufficienti argumento oſtenditur hoc præceptum: quod enim de contemptu dicebatur eſt planè ridiculum: quis enim dicet illum contemnere matrimonij Sacramentum, qui cùm poſſit, non vult illud ſuſcipere: & idem dico de Sacramento Ordinis, etiam Euchariſtiæ. Quod item vrgebatur, ſine hoc Sacramento hominem non eſſe perfectè Chriſtianum, eſt æquiuocum: ſi enim intelligatur, quòd non ſit Chriſtianus quaſi eſſentialiter, eſt omnino falſum; quia Baptiſmus conſtituit eſſentialiter hominem intra Eccleſiam

Digitized by Google

Eccleſiam & Chriſti ſectatorem; ſi verò intelligatur, quòd non ſi tam perfectus Chriſtianus, poteſt admitti; hinc tamen nihil infertur de præcepto; deberet enim oſtendi priùs, Chriſtianos omnes teneri ad eam perfectionem: id quod nequam poteſt probari. Patres autem & Vrbanus ſuprà etſi vtantur illo verbo *debent*, non continuò denotant obligationem abſolutam præcepti, ſed quamdam maiorem decentiam & honeſtatem in ea ſuſceptione.

Martyres ſine Confirmatione.

Denique, quod dicebatur de occaſione profitendæ Fidei coram Tyranno, minoris adhuc eſt momenti; quia ea auxilia, quæ dantur intuitu Confirmationis, dari alio modo poſſunt; vt patet in innumeris olim Martyribus, qui ſine Confirmatione mortem pro Chriſto glorioſiſſimè oppetiuerunt. Hinc colligitur, per ſe non eſſe mortale non ſuſcipere hoc Sacramentum etiam voluntariè, ſi contemptus abſit: id quod aliis rebus, ex conſilio v.g. auditioni quotidianæ Sacri, conuenit: ſi enim per contemptum negligantur, poterit in ea omiſſione eſſe graue peccatum.

Non debet neceſſariò præmitti ſacris Ordinibus.

Vtrùm autem ante Ordines debeat ex præcepto præmitti, dicetur infrà in materia de Sacramento Ordinis; hinc breuiſſimè dico, nec de ea re eſſe vllam obligationem grauem; nam licet Tridentinum Seſſione 23. cap. 4. dicat, vt non detur prima tonſura non confirmato, non videtur id grauiter prohibuiſſe, ſed id mandaſſe ob decentiorem adminiſtrationem Ordinis.

TRACTATVS TERTIVS, DE EVCHARISTIA VT EST SACRAMENTVM.

1 *Quæſtiones controuerſiſticæ prætereuntur.*

NON eſt animus in hac materia eas quæſtiones fusè diſcutere quæ planè ſunt controuerſiſticæ, & diligentiſſimè ab Auctoribus ſæpè diſcuſſæ; vt quòd Euchariſtia ſit verum Sacramentum; quòd in ea verè & realiter Chriſtus Dominus contineatur; & ſimiles; circa quas breuiſſimè præcipua loca tangemus, vnde deſumitur earum certitudo, vt ea quæ poſſunt in diſceptationes ſcholaſticas venire fuſiùs & diligentiùs examinemus.

DISPVTATIO VIGESIMAOCTAVA.

Quæ in hoc Sacramento reperiantur.

EVCHARISTIÆ nomine intelligimus Sacramentum ex ſpeciebus panis & vini poſt conſecrationem Chriſtum Dominum continentibus: quæ paulò diſtinctiùs explicanda erunt.

SECTIO I.

Eſt verum Sacramentum realiter in ſe continens corpus & ſanguinem Chriſti.

2 ET quidem illud eſſe verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum conſtat ex perpetua Eccleſiæ omniumque Patrum traditione, è quibus propè infinita teſtimonia adduci poſſent: eſt etiam hæc veritas definita in Concilio Florentino in litteris vnionis, in Tridentino Seſſione 13. & 21. in Lateranenſi, quod habetur in cap. *Firmiter*. in Carthaginenſi III. cap. 28. & 29. & alibi; adeò vt nullus hæreticus ſpecialiter hoc Sacramentum auſus ſit negare, niſi negando cætera. Et verò huius temporis Sectarij, etſi alia quinque negent, concedunt tamen hoc ſimul cum Baptiſmo. Vbi obſeruo, tacito nomine ſtatim à Patre Vaſquez diſput. 157. reiici Patrem Suarium, quaſi hic dixiſſet ſpecialiter ab aliquibus hæreticis negatum hoc Sacramentum. Ego quidem, niſi ferè verbo ad verbum viderem in Vaſquez poſitos eos hæreticos prout ſunt apud Suarez, non credidiſſem de Suario Vaſquez locutum, cùm nullo modo fuerit vſus Suarez eo verbo *ſpecialiter*, ſed purè putè dixerit diſp. 39. ſtatim ab initio; *Ex antiquis hæreticis quidam omnino negarunt*, &c. vtrùm autem illi admiſerint reliqua Sacramenta nec per vmbram ibi Suarez tetigit; nihil ergo in hoc puncto potuit iure reprehendere Vaſquez.

Hoc Sacramentum concedunt etiam hæretici.

Quòd autem hoc Sacramentum ſit diſtinctum ab aliis ſex, conſtat ex definitionibus Conciliorum immediatè allatis; conſtat item ex diuerſitate materiæ & formæ qua componitur: & licet

Digitized by Google

In ratione Sacramenti conuenit cum aliis Sacramentis.

licet (vti omnia alia Sacramenta inter ſe) ita hoc cum illis & illa cum hoc conueniant in eo, quòd eſt conſtare materia & forma à Chriſto determinata, item in ratione cæremoniæ ſacræ cauſantis gratiam, differt tamen ab illis omnibus in duobus punctis, in quibus illa alia inter ſe nequaquam differunt; Primò, quòd alia omnia conſiſtunt in actione tranſeunte, ablutione, vnctione, acceptatione, &c. ſimul cum verbis; hoc autem non in vſu, ſed in exiſtentia permanenti Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis & vini: Secundò, & maximè differt, quod alia Sacramenta continent res quæ ſunt ſigna pura cauſatiua gratiæ; at hoc includit verè & realiter ipſum fontem gratiæ, ipſum Deum & hominem; & hinc fit, quòd quantum excedit Chriſtus hæc ſigna materialia, tantum hoc Sacramentum excedat reliqua in dignitate. Per quæ tamen non dico effectum gratiæ, qui cauſatur per hoc Sacramentum, maiorem eſſe eo qui per alia, ſed præcisè ipſum Sacramentum in ſe eſſe excellentius. Et fortè propter hoc Sacramentum Tridentinum Seſſione 7. can. 3. damnat anathemate docentes omnia Sacramenta eſſe inter ſe æqualia.

Differt quòd permanens ſit.

Et non ſolùm gratiam, ſed etiam gratiæ datorem contineat,

Scilicet Chriſtum verè ac realiter.

3 In hoc autem Sacramento contineri Chriſtum verè & realiter certiſſima eſt totius Eccleſiæ doctrina, quam præter hæreticos antiquiores negauit Berengarius, & nouiſſimè hæretici Sacramentarij, Zuingliani & Caluiniſtæ; qui ſolùm per figuram ibi admittunt exiſtentiam Chriſti. Probatur autem Catholica doctrina; Primò ex cap. 6. Ioannis, vbi occaſione conuiuij præſtiti quinque millibus hominum ex quinque panibus, oſtendit Chriſtus ſe inſtituturum poſteà nobilius conuiuium, in quo caro & ſanguis ipſius ſit cibus & potus: *Caro mea verè eſt cibus; & ſanguis meus verè eſt potus*: quæ verba non per tropum aut figuram, ſed realiter vt ſonant intelligenda, conſtat ex ipſiſmet quibus dicta ſunt: ideò enim litigabant Iudæi, quomodo id poſſet fieri, & diſcipuli aliqui durum hunc ſermonem reputantes defecerunt à Chriſto. Eſt autem penitus improbabile dicere, Chriſtum ſolùm locutum de ſimilitudine quæ in ſe facilis eſt, voluiſſe tamen ſcandalizare audientes proponendo illam his terminis, qui rem impoſſibilem (vt dicunt Caluiniſtæ) præ ſe ferre viderentur; certè non quærebat Chriſtus occaſiones fugandi à ſe diſcipulos, ſed congregandi potiùs; ergo agnouerunt audientes Chriſtum intellexiſſe promiſſionem ſuam de carne & ſanguine in cibum vertendis, ac propterea ſcandalizati ſunt.

Non per tropum & figuram, vt volunt Caluiniſta.

Dices: Etiam in eo capite Chriſtus egit de Incarnatione, quam per fidem vult manducari à fidelibus; vnde diuus Auguſtinus Tractatu 25. in hoc caput Ioannis ait: *Quid paras dentes & ventrem? crede, & manducaſti.* Reſpondeo, In eo capite poſt explicatum Sacramentum Euchariſtiæ, ne putarent homines ſolam carnem & ſanguinem in Chriſto eſſe ſine diuinitate, ipſum progreſſum vlteriùs ad denotandum myſterium Incarnationis per illa verba, *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit* quæ non poſſunt intelligi de carne & ſanguine, quæ ex cœlo non deſcenderunt; ergo denotat ibi vnionem Verbi cum carne & ſanguine; ratione cuius vnionis dicitur ille panis de cœlo deſcendiſſe: ad credendum ergo hoc myſterium non ſunt neceſſarij dentes, ſed Fides, vt Auguſtinus ait; per quod tamen non negatur præcedens veritas de reali præſentia in Sacramento altaris. Ad Auguſtinum ergo reſpondeo, Vel illum agere de myſterio Incarnationis, vt dictum eſt; vel negare, eo modo comedendum corpus, quo fortè multi ex audientibus putarunt, nempe per partes diuidendum, & maſticandum inſtar ordinarij cibi.

Locus ſancti Auguſtini explicatur.

Replicabis: Idem Auguſtinus in Pſalmum 98. 4
ait, *Non hoc corpus, quod videtur, manducaturi eſtis*; & lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 16. *Figurata eſt hæc locutio.* Iiſdem his locis olim vſus eſt Berengarius pro ſuo errore, & ſufficienter Patres ac Theologi, qui contra ipſum egerunt, explicarunt Auguſtinum; qui ſolùm voluit dicere, non eſſe manducandum corpus Chriſti modo & forma diuiſibili, vt quaſi inſtar cadaueris diuideretur, ſed illud idem modo alio inuiſibili: quo ſenſu Paulus 1. Corinth. 15. ait, *Non corpus, quod futurum eſt, ſeminas*: per quæ verba non vult Apoſtolus denotare futurum in reſurrectione verè & realiter idem corpus quod in morte ſeminatum; neque ipſi hæretici talem explicationem Paulo tribuunt; denotat ergo ibi Apoſtolus non futurum corpus tale poſt reſurrectionem quale anteà, quantum ad dona immortalitatis gloriæ, &c. eodem modo Auguſtinus non negat idem corpus Chriſti manducandum quod videbatur; ſed præcisè non in ea forma viſibili cum impenetratione & neceſſitate diuidendi illud in partes, &c.

Replica ex eodem ſancto Auguſtino expeditur.

Secundò principaliter ea veritas ſuadetur ex inſtitutione ipſius Sacramenti Matthæi. 26. Marci 14. Luc. 22. & 1. Corinth. 2. in quibus locis Chriſtus expreſsè aſſerit ſe tradere corpus ſuum & ſanguinem in cibum & potum illis verbis, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei.* Reſpondent hæretici, ea verba intelligenda tropicè; id eſt, *Hoc eſt figura corporis mei.* Verum hæc reſponſio facilè reiicitur, quia verba ſemper ſunt accipienda in ſenſu proprio, niſi aliunde conſtet ibi non poſſe niſi figuratè accipi. Confirmatur, quia Chriſtus non induxiſſet totam Eccleſiam in tantum errorem vtendo verbis ex ſe ſonantibus verum copus, re tamen ipſa non ſignificantibus niſi figuram corporis: nec poteſt vel apparens reddi ratio, cur non addidiſſet Chriſtus, *Hic panis eſt figura corporis mei*, ſi id præcisè voluiſſet ſignificare.

Realis Chriſti præſentia probatur ex Scriptura.

Et reſponſio hæreticorum.

Hinc reſponderi poteſt ad aliquas inſtantias ex Scriptura deſumptas pro hæreticis, quòd dicatur Chriſtus Petra, Vitis, Leo, &c. in his enim tum ex ipſa rei natura, tum ex antecedentibus & conſequentibus conſtat non intelligenda ea verba rigoroſè, ſed metaphoricè; in præſenti verò nihil prorſus eſt quod ad metaphoram cogat; ſine fundamento autem non licet ad eas explicationes recurrere; alioquin etiam poſſemus interpretari omnia loca Scripturæ, in quibus Chriſtus dicitur Deus, ſolùm metaphoricè, id eſt figura Dei, vel affectiuè cum Deo coniunctus, vt Neſtorius dixit: vnde quoad hoc benè dixit Lutherus, per hanc interpretationem allegoricam verborum adeò ex ſe manifeſtè falſam aperiri viam & Arianiſmo & Atheiſmo & Neſtorianiſmo, quia poſſemus omnia loca, in quibus Filius Dei dicitur Deus, interpretari impropriè cum Ario, vel etiam negare eſſe propriè Deum.

Et inſtantiæ de aliis locutionibus figuratis ſoluuntur.

Dices: Repugnat idem corpus eſſe in diuerſis 5
locis: ergo non poteſt Chriſtus exiſtens in cœlo ſimul realiter eſſe in Sacramento. Retorquent aliqui hoc argumentum contra hæreticos, quia ipſi

Obiectio à repugnantia exiſtentiæ in duobus locis.

Digitized by Google

ipſi dicunt, Chriſtum nunquam poſt aſcenſionem deſeruiſſe cælum; & tamen conſtat ex Actis Apoſtolorum ipſum apparuiſſe in terra Paulo Damaſcum eunti; ita enim erat propè, vt vox illius audiretur à comitibus Pauli; & dum eſſet in carcere, Actorum 26. & ipſemet Paulus 1. Corinth. 15. ait Chriſtum ſibi nouiſſimè apparuiſſe tanquam abortiuo: ergo Chriſtus fuit tunc in duobus locis. Ergo abſtraho ab hac impugnatione, quia video multorum Catholicorum ſententiam eſſe in materia De Angelis, has apparitiones non factas immediatè ab ipſo Chriſto, ſed ab Angelo in perſona illius; vt de apparitionibus antiquis Dei ſolet etiam vniuerſaliter doceri. Meliùs ergo reſpondetur, gratis & ſine fundamento dici, repugnare diuinitus idem corpus poni in duobus locis, cùm potiùs contrarium videatur probari poſitiuè ex anima rationali, quæ tota eſt in capite, & tota in pede, & conſequenter ſimul in diſtinctis locis. Differentia autem corporis à ſpiritu non poteſt probare nec apparenter eam repugnantiam; nam vel corpus conſiſtit in impenetrabilitate naturali cum alio indiuiduo; & hinc non infertur, non poſſe ſimul eſſe in duobus locis: (nunc ſuppono expellenda alia inde corpora,) ſicut enim res penetrabilis non expellendo alias poteſt eſſe in duobus locis, cur non res impenetrabilis poterit etiam eſſe in duobus locis, expellendo, licet inde alia corpora quæ penetrare non poteſt; vnde de facto multi ponunt animas brutorum indiuiſibiles, & ſimul totas in multis locis; & alij punctum materiæ dicunt ſimul poſſe duo trávè puncta ſpatij occupare; ergo tam longè abeſt ea poſitio in duobus locis à contradictione, vt potiùs poſitiuè videatur probari eius probabilitas etiam naturaliter: quidquid autem ſit de poſitiua probatione, Aduerſarij debent oſtendere, ſequi inde duo contradictoria. Quod dixi de re ſpirituali, ſi eius conceptus conſiſtit in impenetrabilitate, eodem modo intelligenda ſunt, ſi cum alijs conſtituatur in indiuiſibilitate extenſiua: ſicut enim vnum pūctum poteſt eſſe in duobus locis, cur non poterunt duo puncta inter ſe vnita etiam exiſtere in duobus locis?

Oſtenditur contra hæreticos, non repugnare idem corpus eſſe in duobus locis.

6 Replicabis: Quomodo ergo Angelus dixit ad mulieres de Chriſto, *Surrexit, non eſt hic?* innuens eo ipſo illum non poſſe eſſe ſimul in duobus locis; alioquin potuiſſet Chriſtus ſurrexiſſe, & eſſe ibi? Reſpondeo Primò, Angelum non fuiſſe argumentatum, ſed duobus verbis diuerſis idem ſignificaſſe; ſicut ſolemus dicere, Non eſt domi, exiuit. Quòd ſi ad argumentum recurrere volumus, dico fuiſſe bonum in ſubiecta materia, quia non erat ibi neceſſitas faciendi miraculum poſitionis in duobus locis, ſuppoſita autem miraculi negatione rectè argumentatus eſt Angelus.

Marci 16.

Licet aliquando dicatur Chriſtus non fuiſſe in duobus locis;

Dices Secundò: Non poteſt vnum corpus etiam diuinitus aliud penetrare; ergo non poteſt totum corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia: deberent enim partes illius ſe inuicem penetrare. Reſpondeo, Hæreticis incumbere oſtendere duo contradictoria in tali penetratione, quæ nec apparenter poſſunt inueniri: quod autem naturaliter ſe penetrare non poſſint, nil probat in ordine ad potentiam abſolutam; ſicut quòd naturaliter homo non poſſit reſurgere, non probat diuinitus id fieri non poſſe. Adde ex ipſo Euangelio conſtare, de facto penetrationem duorum corporum datam; nam Chriſtus clauſis ianuis ad Apoſtolos intrauit, & clauſtro virginali non aperto natus eſt. Quòd vero reſpondet Caluinus, Chriſtum aperuiſſe inuiſibiliter oſtium, & poſtea ſuauiter clauſiſſe, planè contradicit Euangelio, hoc enim dicit *clauſis ianuis*, Caluinus verò *apertis*. Et certè cùm ille modus intrandi aperta priùs & deinde clauſa porta ſit valdè facilis & communis inter homines, gratis Euangeliſta tanquam ſingulare aliquid & miraculoſum ponderaſſet, quòd Chriſtus intraſſet ianuis clauſis. Adde, non poſſe hanc ſolutionem applicari pro Beatiſſima Virgine; ſequeretur enim inde, ſaltem in partu, illam non fuiſſe virginem: quod repugnat toti Eccleſiæ, & omnibus etiam ferè ipſis hæreticis.

Declaratur tamen ſæpè fuiſſe.

Aliæ obiectiones ex aliquibus Patrum teſtimonijs malè intellectis benè ſoluuntur à Bellarmino l. b. 1. de hoc Sacramento, & ab alijs, qui fuſiùs hoc punctum diſcuſſerunt.

SECTIO II.

Quomodo Euchariſtia diſtinguatur à Confirmatione?

7 QVIA finis, ad quam Euchariſtia ordinatur, videtur eſſe idem cum fine ad quem Confirmatio eſt inſtituta, oritur inter Auctores aliqua diſſentio in eis diſtinguendis, etenim Euchariſtia dicitur inſtituta vt ad proprium finem, ad conſeruandam & augendam vitam ſpiritualem animæ. Sicut cibus ordinatur ad corporalem vitam augendam; eodem modo Confirmatio ordinatur ad augendam vitam ſpiritualem: in eo enim differt à Baptiſmo, quòd hic ad dandam vitam, Confirmatio verò ad eam augendam & confirmandam ordinatur. Occaſione huius comparationis ſeu ſimilitudinis ex cibo materiali mirum eſt, quàm Pater Vaſquez q. 73. art. 1. ex propoſito inuehatur in quoſdam, quos dicit non intellexiſſe doctrinam Ariſtotelis, nec modum quo fit in homine nutritio tam circa oſſa quàm circa carnem: id quod ipſe ibi fusè deducit. Mihi verò videtur res extra inſtitutum noſtrum, & parum neceſſaria pro declaratione finis ad quem Euchariſtia ordinatur; & denique res tota ad ſolum modum loquendi deuoluitur, in quo non eſt operæ pretium diu hærere. Quòd enim Recentiores quidam dicunt hominem ſemper augeri ex ſe, eſto aliunde per nutritionem aliquid amittat, ratione cuius non ſemper abſolutè fiat maior; hoc inquam valdè diſplicuit Patri Vaſquez, qui putat non fieri iuxta Ariſtotelem augmentum animalis, niſi quamdiu oſſa creſcunt, etiamſi aliquando caro augeatur; hoc ego dico planè ad modum loquendi ſpectare, & nullius momenti eſſe: ſiue enim ea accretio carnis (eſto fiat ſine augmentatione oſſium) ſit vocanda augmentatio, ſiue non, quid quæſo ad finem Euchariſtiæ explicandum?

Quis ſit finis vtriuſque Sacramenti.

Vaſquez doctrina impetitur.

Hoc ergo puncto omiſſo, & ad rem noſtram rediens, aduerto, quod benè notauit Cardinalis Lugo, & in alijs materijs ſæpè admonui, allegoricas has comparationes ad res corporales, per quas ſæpè explicamus ſpiritualia, non ita accipiendas, vt in omnibus omnino debeat quæri ſimilitudo, quo poſito, vno verbo explicari poteſt quidquid eſt de re in hac materia, & id etiam quòd ad modum loquendi ſpectat. Certum

In comparationibus non eſt quærenda omnimoda ſimilitudo.

Sacramentorum ſingulorum finis.

tum igitur eſt omnia noſtra ſeptem Sacramenta eſſe cauſatiua gratiæ habitualis: duo ex illis directè ſunt ad reconciliandum hominem cum Deo, & ex inimico conſtituendum amicum, Baptiſmus ſcilicet & Pœnitentia: hæc non poſſunt directè dici ordinata ad augendam vitam ſpiritualem, & ad eam nutriendam, ſed potiùs ad primò dandam eam vitam. Reliqua quinque Sacramenta, quæ hominem ſupponunt in gratia, idcóque Sacramenta viuorum nominari ſolent, poſſunt meritò dici ordinata ad vitam ſpiritualem augendam; vbi tamen poteſt eſſe aliquod dubium, an ea inſtituerit Chriſtus Dominus primariò ob illud augmentum gratiæ, an verò propter obtinenda ſpecialia auxilia ad diuerſas actiones bonas, ad conferendam verò gratiam habitualem ſecundariò. Hoc tamen punctum, quia tangit intentionem Chriſti Domini, nobis

In Sacramentis viuorum Chriſtus primariò intendit augmentum gratiæ, ſecundariò auxilia ad operandũ.

planè occultum & incertum eſt; ſi tamen diuinare nobis licet, planè putarem Chriſtum intendiſſe directè & primariò augmentum gratiæ, & ſecundariò ratione illius auxilia ad eas operationes: nam cùm per ſe loquendo maioris excellentiæ ſit ipſa gratia quàm auxilia, connaturalius eſt dicere, primariò in ea inſtitutione habuiſſe præ oculis finem, qui in ſe nobilior eſt, quàm alterum minùs nobilem.

8 Dices: Ea auxilia licet ex ſe ſint minoris excellentiæ quàm gratiæ, quia tamen ex illis ſæpè pendet, ne homo ex gratia ipſa cadat in peccatum, dicere poſſumus, ad ea tanquam ad rem magis neceſſariam ordinaſſe Chriſtum primariò Sacramenta. Admitto ex hoc capite potuiſſe rem ita

Et augendā gratiam.

diſponi; & ob hanc rationem res eſt dubia; adhuc tamen dico, ſæpè ea auxilia non tam eſſe ad cauenda peccata, quàm ad augendam ipſam gratiam per bona opera: ibi autem clariùs apparet ipſum augmentum gratiæ fuiſſe finem intentum, ſaltem mediatè per auxilia; ergo à fortiori intendit ipſum augmentum gratiæ, quod immediatè cauſatur per Sacramentum. Deinde dico, eſto ea auxilia, ad quæ obtinenda Chriſtus inſtituit Sacramenta, ſint pro vitandis mortalibus, & ad retinendam gratiam habitualem; quia tamen nec ſemper quæ dantur ſunt efficacia, & poſſunt aliunde etiam ſine Sacramento concedi, nec ſunt effectus infallibiles Sacramenti ſicut gratia habitualis; probabilius adhuc videatur Chriſtum primariò intendiſſe illud augmentum gratiæ, & ſecundario auxilia: id quod videtur maximè locum habere iuxta multorum ſententiam, quòd ea auxilia non dentur niſi quando homo habet gratiæ habitualis augmentum per illa Sacramenta conceſſum. Quidquid verò de hac primaria intentione ſit, dicimus ea Sacramenta quinque etiam ſub fine illo communi augendi gratias habere ſuam diuerſitatem in ordine ad auxilia, quæ vel ex ſecundaria vel ex primaria intentione, iuxta dicta, conferunt.

Cur Ordo inſtitutus:

Nam Ordo eſt inſtitutus pro augmento gratiæ, & pro auxilijs tantum ad opera quæ Ordini ſunt annexa, non vniuerſaliter pro alijs actibus;

Cur Matrimonium.

v. g. vt digna celebret, confeſſionem excipiat &c: Matrimonium pro auxilijs ad moleſtias annexas ei ſtatui tolerandas, ad educationem rectam filiorum, &c.

Cur Extrema Vnctio.

Extrema Vnctio ad reſiſtendum tentationibus dæmonis, ex tempore maximè hominem debellantis, ad tolerandas æquanimiter morbi moleſtias & mortem ipſam.

Cur Confirmatio.

Confirmatio datur ad obtinenda auxilia, non vniuerſaliter ad omne opus bonum, ſed ad non negandam ſuſceptam Fidem: ideò datur hoc Sacramentum per vnctionem, ſicut olim luctatores vngebantur.

Cur Euchariſtia.

Euchariſtia datur vniuerſaliter ad obtinenda auxilia pro bonis operibus in omnibus alijs materijs ordinarijs, imo etiam in illis ipſis, ad quæ alia Sacramenta iuuant, nam Euchariſtia etiam addit pro martyrio conſtantiam, pro morte ſolamen, &c. Hinc autem ego declaro, cur dicatur per modum cibi ſpiritualis 9

In quo diſtinguitur à cæteris Sacramentis.

præ alijs Sacramentis: nam alia Sacramenta ordinantur ad vnam aut alteram tantùm operationem ſpiritualem, & quidem cuius exercendæ occaſio ordinariè loquendo rarò contingit; Euchariſtia verò vel ad omnes, vel certè ad ferè omnes: quam limitationem addo, quia non eſt neceſſum cum omni eo rigore pro præſenti puncto defendere, ordinari omnino ad omnes, ſatis eſt, ſi ad præcipuas vitæ ſpiritualis actiones exercendas ordinetur, ad amorem Dei, ad ſpem, ad humilitatem, patientiam, caſtitatem, temperantiam in cibo & potu, &c.

Concluditur meritò dici cibum; Sacramenta alia medicinas particulares.

meritò igitur dicitur cibus, quia cibi proprium eſt hominem nutrire ad omnes operationes vitales. Alia verò Sacramenta dicuntur in vno aut altero genere iuuare, idcóque non per modum cibi, ſed per modum particularem medicinarum, quæ ad hunc vel illum particularem effectum conferuntur: medicina enim vt talis non eſt niſi ad hunc vel illum morbum pellendum, vt ſic natura ipſa expedita ſit, vt per alimentum poſteà toti corpori ſuccurrat. Hinc fit vt Confirmatio & alia Sacramenta dicantur ſæpè augere vitam ſpiritualem, quia reuera augent gratiam; quia tamen non ea vniuerſalitate, non dicuntur cibus ſpiritualis. Adde, pro hoc modo loquendi plurimum facere, quòd inſtitutum ſit hoc Sacramentum ſub ſpeciebus panis & vini: fortaſſe enim, licet eoſdem effectus cauſaret, ſi fuiſſet inſtitutum ſub alijs materijs, non fuiſſet dictum cibus ſpiritualis, ſed quia nunc de facto phyſicè ſumitur vt cibus, & effectum habet ſpiritualem, dicitur ſpiritualis cibus præ reliquis Sacramentis, eſto conueniat cum eis in puncto nutriendi animam. Hæc videtur mihi eſſe maximè clara explicatio huiuſmodi loquendi; quòd enim aliqui dicunt, ideò Euchariſtiam vocari cibum præ alijs Sacramentis, quòd alia licet cauſent gratiam habitualem, non tamen vt illa eſt augmentum gratiæ, ſed vt ordinatur ad aliam operationem, Euchariſtia vero cauſet gratiam vt eſt augmentum gratiæ.

Aliquorum explicatio, cur Euchariſtia dicatur cibus, reijcitur.

Hæc inquam videtur mihi pura æquiuocatio in ſolis verbis, quid enim eſt augere gratiam non vt augmentum? niſi fortè recurrant ad hoc, quod Sacramenta illa non ſint inſtituta ad cauſandam gratiam directè, id vero habeat Euchariſtia, hoc autem vt minimum eſt incertum: fortè, vt paulo antè dixi, contrarium eſt longè probabilius, quia vel reliqua Sacramenta ſunt primario inſtituta ad augmentum gratiæ, & ſecundario ad auxilia illa, vel certè ſi alia Sacramenta dicuntur primario propter auxilia inſtituta, idem debet dici de Euchariſtia in ordine ad auxilia pro bonis operibus. Meliùs ergo ex illa vniuerſalitate bonarum operationum, ad quas Euchariſtia præ alijs Sacramentis ordinatur, explicatur modus ille loquendi, de quo hactenus, & differentia Euchariſtiæ à reliquis, maximè à Confirmatione.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

In hoc Sacramento non includitur ſubſtantia panis & vini.

DIXIMVS Chriſtum verè & realiter in hoc Sacramento contineri; nunc addemus,
10 ſubſtantiam panis & vini ab illo eſſe reiiciendam. Hoc eſt Catholicum dogma contra Lutheranos, qui ſemul panem cum Chriſto conſtituunt: qui fuit etiam olim error Berengarij, quem cum præcedenti tertiò reuocauit, & tandem in Catholica doctrina diem extremum obiit. Porrò non manere ibi ſubſtantiam panis & vini licet non ita manifeſtè ex ipſo Euangelio quàm præcedens veritas colligitur, eſt tamen expreſsè definitum in Tridentino Seſſione 13. cap. 2. & in Concilio Lateranenſi; quod refertur in cap. *Firmiter.* de ſumma Trinitate: deducitur autem ex ipſiſmet verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*: cùm enim τὸ *Hoc* denotet contentum ſub eis accidentibus, certè ſi ibi eſſet panis, ea verba hunc ſenſum redderent, *Panis & vinum eſt corpus meum.* Quæ eſt propoſitio falſa: ſiue enim ibi ſit Chriſtus, ſiue non, nunquam ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti. Multa Sanctorum Patrum teſtimonia hanc veritatem confirmantia videri poſſunt apud Bellarminum, Suarium, Vaſquez, &c. Reſponderi poteſt Primò, oſtenſis accidentibus vaſis v. g. poſſe dici *Hoc eſt vinum*, licet ibi maneat ſubſtantia, ex qua conſtat vas; ergo eodem modo in præſenti. Reſpondeo negando conſequentiam, quia τὸ *Hoc*, quando oſtenditur vas, non denotat ea quæ continentur ſub accidentibus vaſis, ſed quæ ſub ipſo vaſe; quod tam quoad ſubſtantiam quam quoad accidentia reputatur ibi vt includens, cætera verò quæ ſunt intus vt incluſa, niſi quando expreſsè ipſum vas oſtenditur; vt cum diximus, *Hoc eſt vas*: at in noſtro caſu ſi maneat ibi ſubſtantia panis, cùm illa non contineat propriè corpus Chriſti magis, quam è contrario corpus ipſum contineat panem: non enim ea ſubſtantia eſt per modum alicuius continentis, ſed potiùs per modum contenti; inde fit, vt per τὸ *Hoc* denoteretur in recto ipſa ſubſtantia panis, vt contenta ſub accidentibus, ſi ibi ſit; ergo fieret ſenſus ille falſus, quem paulò antè diximus. Reſponderi poteſt Secundò, Ad intentum Chriſti & effectum Sacramenti non eſſe neceſſarium, vt deſtruatur ſubſtantia panis; ergo non debemus dicere illam deſtrui. Contra, quia quidquid ſit de ea vtilitate, ſufficit verba ipſa Chriſti denotare talem conuerſionem; & ita creditum ſemper in Eccleſia fuiſſe; qua ferè ſolutione etiam vtitur Lutherus ipſe Tomo 6. Ser. de Eccleſia, contra Sacramentarios docentes non eſſe neceſſarium ponere Chriſtum realiter in hoc Sacramento.

Error Berengarij & Lutheranorum, manere panem & vinum.

Veritas ſtabilitur verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum.

Et ex Eccleſiæ continua & firma fide.

Quæ huc uſque de illo diximus omnino ſunt certa inter Catholicos; qui fuſiorem eorum probationem videre voluerit, legat Controuerſiſtas ſuprà citatos. Iam magis accedendo ad diſputationem ſcholaſticam explicandum eſſet ex his quæ in hoc Sacramento diximus reperiri, ſcilicet corpus Chriſti, ſpecies panis & vini, verba conſecrationis, quænam ſint propriè & formaliter partes eſſentiales huius Sacramenti, quæ item dicantur in recto, quæ in obliquo: verùm in priori Tractatu de Sacramentis in genere omnia hæc ſunt exactè diſcuſſa, quia videbantur valdè annexa his quæ de Sacramentorum inſtitutione vniuerſaliter ibi diximus; duæ tamen adhuc nobis reſtant quæſtiunculæ circa eam inſtitutionem breuiter diſcutiendæ.

SECTIO IV.

Quomodo actio ipſa, qua Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus panis, pertineat ad conſtitutionem huius Sacramenti?

PATER Suarez diſput. 42. ſect. 2. in principio ſupponit vt omnino certum, eam eſſe 11
extra eſſentiam huius Sacramenti, vti reliquas omnes actiones ſunt extra eſſentiam rei per ipſas productæ: actio v. g. productiua hominis omnino eſt extra eſſentiam hominis; actio productiua equi eſt etiam extra eſſentiam equi; & ſic de reliquis omnibus. Cardinalis verò Lugo diſput. 1. de Euchariſtia ſect. 6. è contrario iudicat non tam facilè debere excludi eam actionem à ratione partis Euchariſtiæ: quia Euchariſtia continet corpus Chriſti non vtcumque, ſed vt contentum ſub ſpeciebus; ergo ea res, qua formaliter, Chriſtus continetur ſub ſpeciebus, debet pertinere ad rationem Sacramenti: corpus autem Chriſti continetur ibi non per vnionem realem cum ſpeciebus, ſed per actionem, qua Chriſtus Dominus effectiuè conſeruat ibi accidentia; ergo actio iſta intrinſecè debet pertinere ad conceptum Sacramenti: id quod etiam locum habet in Euchariſtia vt permanente; nam etiam tunc manet illa eadem actio quæ priùs fuit, licet non maneat ſub conceptu primæ actionis, ſed conſeruationis. Certum eſt autem eam actionem non produci per illam aliam, quia actionis non datur actio; ergo ipſa formaliter pertinebit vt pars ad hoc Sacramentum; putatque hic Auctor id eſſe de mente quorumdam Theologorum docentium, actionem, qua ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, eſſe partem Sacramenti Euchariſtiæ. Ita Diuus Thomas in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 1. quem ad rem præſentem Sotus intellexit eo loco quæſt. vnica art. 1. Verum Diuus Thomas ibi nec indirectè quidem quæſtionem hanc attingit. Quod ſi obiicias huic Auctori, Actio eſt via ad Sacramentum, ergo eſſe non poteſt pars Sacramenti; Reſpondet benè, Aliquid poſſe eſſe ſimul viam ad totum, & ſimul formaliter partialiter illud componere: & multi (inter quos eſt ipſe Suarez) opinantur actionem eductiuam formæ materialis eſſe ipſam vnionem materiæ cum forma: quæ vnio haud dubiè eſt quid intrinſecum ei compoſito, ſcilicet equo. Addit autem hic Auctor, præter eam actionem etiam pertinere ad hoc Sacramentum qualitatem quamdam ſupernaturalem inditam ſpeciebus, per quam illæ trahunt ſecum corpus Chriſti: cuius tamen qualitatis productio non habet rationem partis Sacramenti, ſed puræ viæ productiuæ.

Sententia Suarez non pertinere ad eſſentiam Sacramenti.

Sententia Cardinalis Lugo contraria.

Citat pro ſua ſententia Diuum Thomam.

Quæſtio hæc pendet quodammodo ex dicendis infrà de modo, quo Chriſtus ponitur ſub ſpe- 12
ciebus; ſi enim ſupponamus cum hoc Auctore Chriſtum conſeruare ſpecies, & qualitatem eam inditam admittamus, reliqua conſequenter dicuntur. Ego tamen, quia neque eam effectio-

 nem,

Digitized by Google

nem, neque eam qualitatem admitto, ſed ſolam præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus cum alligatione extrinſeca Chriſti ad illas, prouenientе à voluntate Dei, omnino iudico non pertinere actionem vllam ad eſſentiam huius Sacramenti, ſed ſolùm Chriſtum cum ſpeciebus, & eam extrinſecam voluntatem Dei, qua alligatur, & ſummùm ipſas præſentias intimas Chriſti & ſpecierum. Dixi, *& ſummùm ipſas præſentias*; nam abſolutè loquendo illæ non poſſunt propriè pertinere; quia in priori naturæ, quando concipio poſſe moueri localiter hoc Sacramentum, iam concipio Sacramentum; & tamen nullas concipio vbicationes, quia adhuc eſt indifferens Chriſtus vt moueatur, & conſequenter vt nouas accipiat vbicationes, vel vt retineat antiquas, ac proinde pro eo priori nullas concipitur habere.

Probabilius eſt actionem vllam non pertinere ad Sacramentū.

Dices, Hoc nullum eſſe argumentum: nam etiam in priori naturæ, antequam ego moueam imaginem, concipitur imago, quandoquidem concipitur indifferens ad motum: & tamen tunc non concipiuntur vbicationes, quas ego alibi dixi eſſe partes intrinſecas imaginis: ergo etiamſi in priori, quo poſſum mouere Euchariſtiam, non concipiantur vbicationes, nihilominùs illæ poterunt dici partes huius Sacramenti; quia poteſt abſolutè dici in priori, quo poſſum mouere Euchariſtiam, adhuc non concipi Sacramentum, ſed Chriſtum & ſpecies cum alligatione illa in actu primo: in eoque priori non debere dici, *Sacramentum poteſt moueri*, ſed *Chriſtus & ſpecies poſſunt moueri*; vti in priori, quo poſſum mouere imaginem, non debet iam dici eſſe imago, ſed colorem, & telam, aut tabulam, per motum verò compleri in poſteriori naturæ imaginem: quia ponuntur vbicationes, in quibus conſiſtit partialiter ea ratio imaginis: verum quidem eſſe, loquendo moraliter, & iuxta communem ſenſum hominum (vti etiam ſuo loco oſtendi) imaginem non ideò mutari, quòd colores iam habeant has iam illas numero diſtinctas vbicationes, quia ſemper inter ſe manent eodem modo diſtantes, ac proinde in priori naturæ, quia iam eſt illa connexio; ex qua habent colores, quòd ſemper debeant manere inter ſe cum ſimili diſtantia, dici iure merito poſſe, etiam tunc eſſe iam imaginem. Hoc autem toto diſcurſu etiam iure merito poſſumus vti in Euchariſtia. Reſpondeo, Hanc obiectionem ſatis probabiliter oſtendere intentum, nihilominus dico vt longè probabilius, in Euchariſtia vbicationes non eſſe partem Sacramenti, ſed eam ſolam quam dixi alligationem Chriſti ad ſpecies. Ratio eſt, quia vt ſubſtantia ſit ſub accidentibus, non eſt neceſſarium concipi vbicationes vtrinſque, ſed ſufficit intelligere vnionem illius cum eiſdem accidentibus; ergo cum hic ratione illius quaſi alligationis vniatur Chriſtus illis accidentibus, ſufficit concipere eam alligationem etiam ante vbicationes: ad hoc vt dicamus Chriſtum ibi contineri in imagine, alia longè eſt ratio, nam pictura formaliſſimè conſiſtit in ea diſtantia colorum; diſtantia autem formaliter conſiſtit in vbicationibus, ergo.

Argumentum pro noſtra ſententia allatum à ſimili de imagine impetitur.

Vbicationes in Euchariſtia non ſunt pars Sacramenti.

SECTIO V.

Quid de ſumptione ipſius Euchariſtiæ?

CIRCA ſecundam difficultatem, Vtrùm ſumptio pertineat ad hoc Sacramentum? maior eſt Auctorum diſſenſio, pro qua ſupponendum contra hæreticos, etiam ante vſum Sacramenti Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus (vt definitum eſt in Tridentino Seſſione 13. can. 3. & ſemper fuit in Eccleſia creditum;) quo poſito aliqui Catholici cenſent ſumptionem eſſe partem huius Sacramenti. Contraria tamen ſententia eſt communis, vt videre licet apud Suarez diſput. 42. ſect. 4. Vaſquez diſp. 167. & Cardinalem Lugo diſp. 1. ſect. 7. Ratio deſumitur ex communi modo loquendi Eccleſiæ, quæ ſupponit dari in altari Sacramentum Euchariſtiæ: & ſemper Concilia de illo loquuntur vt de Sacramento ante vſum. 13

Communis ſententia, ſumptionem non eſſe partem Sacramenti.

Fortè reſpondebis, Hoc argumentum non eſſe bonum; nos enim diximus ſuprà, verba eſſe partem Sacramenti: & tamen illa non exiſtunt in altari; ergo idem poſſet dici de vſu ipſo. Reſpondeo negando conſequentiam, quia verba etſi tunc actu non exiſtant, extitere tamen iam realiter, ideoque poſſunt iuxta communem modum loquendi cenſeri moraliter permanere in ordine ad dandam denominationem illam Sacramenti; at vſus Sacramenti nondum fuit, imò ſæpè neque erit, vt contingit quando hoſtiæ corrumpuntur ante ſumptionem. Eſt autem inuſitatum denominationes concretorum vt exiſtentium deſumere ex poſſibilitate tantum rei; ſic licet hodie dicatur Petrus v. g. parens Antonij ob generationem præteritam, quæ iam hodie non exiſtit; non tamen dicitur parens ob futuram generationem; multò autem minus dicetur parens ob generationem præciſè poſſibilem; ergo cum hoſtia conſecrata dicatur & ſit verum Sacramentum, ſiue poſteà ſumenda ſit, ſiue non, clarè colligitur, ſumptionem illam futuram dici non poſſe partem illius.

Cur verba conſecrationis ſint pars Sacramenti, vſus verò non.

Reſpondebis, ſeu dices Secundò, Hinc ſolùm probari ſumptionem non eſſe partem eſſentialem Sacramenti, non tamen non eſſe integralem; quia ſine parte integrali ſolet manere denominatio totius: vti etiam ablata manu v. g. aut brachio dicitur homo, eſto non ſit integer. Reſpondeo, Concilia & Theologos ſemper loqui de hoſtia conſecrata vt de perfecto Sacramento. Vnde Tridentinum Seſſione 13. c. 3. dixit, *Hoc Sacramentum perfici ante vſum.* Nota τὸ *perfici*, quod haud dubiè denotat Sacramentum eſſe in ſe perfectum, non integraliter imperfectum.

Sumptio neque eſt pars integralis.

Lugo ſuprà aliter reſpondet; Si vſus eſſet pars Sacramenti, id debere habere, ex eo quod ſine ipſo non cauſatur gratia; at hæc ratio etiam probat illum eſſe partem eſſentialem: ergò ea obiectio vel nimium vel nihil probat. Ego tamen puto hanc ſolutionem non eſſe ſufficientem; dicerent enim Aduerſarij, ideò vſum eſſe huius Sacramenti partem integralem, non quia ſine ipſo non cauſatur gratia, ſed quia etiam ipſa ſumptio eſt ſignum gratiæ, ſeu pignus gratiæ; eſt enim cæremonia ſacra ſenſibilis ſignificatiua gratiæ. Cum quo optimè ſtat, quod ipſæ etiam ſpecies id habeant, ac proinde ambæ ſint partes integrales; vti eſto ſpecies vini conſecratæ in communiori ſententia non ſint cauſatiuæ alterius 14

Argumentum Cardinalis Lugo pro noſtra ſententia vt inefficax reiicitur.

Digitized by Google

alterius gratiæ, quàm illius quæ per ſpecies panis cauſata eſt, ſunt tamen Sacramentum; nec per hoc infertur, ſpecies panis ſine ſpeciebus vini non eſſe Sacramentum; ſeu non infertur, eas ſpecies vini eſſe partes eſſentiales illius Sacramenti, quod in ſpeciebus panis conſiſtit; ergo ex hoc capite admitti poteſt, eam ſumptionem eſſe partem integrantem Sacramenti: imò fortaſſis aliquis diceret, magis conuenire ei ſumptioni rationem Sacramenti, quia Sacramentum debet eſſe cæremonia ſacra in pignus gratiæ, &c. At ſpecies vt permanentes in altari non ſunt cæremonia, quia cæremonia dicit actionem aliquam tranſeuntem; hoc autem è contrario habet ipſe vſus, ergo ille maximè erit Sacramentum; quidquid verò ſit, an maiori titulo vſus quàm ſpecies conſtituant Sacramentum, ſaltem nihil illis videtur deeſſe ad hanc conſtitutionem.

Species ſunt cæremonia ſacra, quatenus includunt conſecrationem moraliter durantem.

Hæc obiectio non caret difficultate, qua parte agit pro vſu; nam qua excludit ſpecies, leuis eſt: illæ enim eædem ſpecies etſi phyſicè non ſunt cæremonia ſacra, vt in altari manentes, ſunt tamen, quatenus moraliter includunt conſecrationem ipſam adhuc moraliter perſeuerantem; vnde nos diximus ſupra, etiam verba eſſe partes eius Sacramenti; conſecratio autem haud dubiè eſt cæremonia ſacra; vnde etiam dici poſſunt ſacra cæremonia. Fortaſſe Secundò reſponderi poſſet, Sacramentum non requirere, niſi vt in fieri ſit cæremonia ſacra, non in facto eſſe.

15

Sententia communis, ſumptionem eſſe conditionem ad cauſandam gratiam.

Sed iam difficiliorem obiectionis partem explicemus: ei reſpondent communiter Doctores, vſum ſolùm eſſe conditionem putam ad cauſandam gratiam, non verò cauſam illius; vti approximatio ignis eſt conditio ad combuſtionem, non autem eſt nec quidem partialiter cauſa comburens. In hac tamen ipſa ſolutione eſt tota difficultas, vnde ſcilicet colligamus eum vſum eſſe ſolam conditionem: vti enim oleum conſecratum & Chriſma non dicimus eſſe Sacramenta Extremæ Vnctionis & Confirmationis, ipſamque vnctionem eſſe conditionem; ſed hanc dicimus eſſe propriè materiam proximam, illam verò remotam, cur non idem dicimus in Euchariſtia? Reſpondet Suarius & Lugo, hoc Sacramentum eſſe per modum cibi, cibum autem conſtitui ante comeſtionem & ſumptionem ipſam. Quòd ſi in contrarium vrgeas, Etiam Extrema Vnctio eſt per modum medicinæ; ergo etiam debet eſſe perfecta ante vſum; Reſpondebitur, Cùm requirantur in Extrema Vnctione & verba Miniſtri deſignata à Chriſto, & vnctio illius, clarè deduci, oleum ſolum non eſſe Sacramentum, ſed materiam remotam illius, non minùs quam in reliquis Sacramentis, Baptiſmo v.g. aqua ſola ante ablutionem non eſt Sacramentum; & eodem modo in Ordine. At in Euchariſtia ad ſumptionem nec verba nec ſpecialis Miniſter requiruntur; ergo ſumptio non eſt per modum materiæ nec inadæquatè.

Congruentia Suarez & Lugo ſumpta à ratione cibi non conueniunt.

Ego circa has reſponſiones iudico, congruentias in eis contentas de cibo, medicina, &c. eſſe plauſibiles, non tamen omnino ſolidas; quia (vt ſuprà cum eodem Cardinale notauimus) in his allegoricis comparationibus neceſſum non eſt omnia, quæ in rebus phyſicis reperiuntur, etiam ſpiritualiter reperiri in his quæ ipſis comparantur; ergo non benè infertur, Euchariſtia eſt in ſimilitudinem cibi; ergo debet in omni rigore habere omnes proprietates cibi; ergo ſicut cibus eſt ante comeſtionem, ita etiam Euchariſtia debet eſſe perfectum Sacramentum ante ſumptionem.

Petenda igitur ratio à priori ex voluntate Chriſti.

Optimam ergo differentiam ſumendam iudicarem à priori quidem ex ipſius Chriſti voluntate, ex qua pependit tota Sacramentorum inſtitutio; quia rationem pignoris & cauſandæ gratiæ potuit dare ſolis ſpeciebus cum corpore, ſumptionem verò ſolùm requirere vt conditionem pro actuali cauſatione gratiæ; potuit etiam, ſi voluiſſet, toti illi complexo ex ſpeciebus conſecratis & ſumptione eam rationem pignoris tribuere; de facto autem dicimus noluiſſe hoc ſecundum, ſed primum: id quod à poſteriori nos colligimus ex communi ſenſu Eccleſiæ, & maximè Tridentini, quod definit, vt dixi, ante vſum confici hoc Sacramentum. Vnde autem hoc Eccleſia collegerit, non puto poſſe ſolidè oſtendi ex ea allegoria cibi, ſed ex perpetua traditione Eccleſiæ; fortaſſe hæc poteſt optima ratio addi, quod cum certum ſit Chriſtum ipſum eſſe ſub ſpeciebus ante ſumptionem, voluerit ipſe hanc ſpecialem prærogatiuam ſuo corpori ſic exiſtenti tribuere, vt illud ſolum ſit cauſa moralis gratiæ, vſus verò ſolùm ſit conditio; in reliquis verò Sacramentis, quæ non continent tam nobilem materiam, noluiſſe ſoli materiæ tribuere rationem adæquatam Sacramenti, ſed ſolùm vſui, ſeu applicationi illius.

Concluditur, ſumptionem eſſe conditionem.

Hinc conſtat, quantuncumque dicatur, Poſita ſumptione datur gratia, ergo ſumptio eſt cauſa gratiæ, conſequentiam hanc eſſe malam: vti mala eſt ea conſequentia, Poſita approximatione ſtupæ ad candelam comburitur ſtupa; ergo ea applicatio eſt cauſa comburens; ſolùm enim fit inde eam eſſe conditionem, ita in præſenti.

Replicabis; Etiamſi in eſſentiis phyſicis intelligatur quo pacto poſſit vbicatio v.g. eſſe pura conditio ad operandum, nō verò cauſa in moralibus, tamen id vix poſſe declarari. 16

Etenim cùm cauſa moralis illa ſit, quæ media cognitione ſui vt exiſtentis allicit perſonam rationalem ad aliquid faciendum, cumque ſumptio Euchariſtiæ præuiſa vt exiſtens alliciat Deum ad dandam gratiam communicanti, neceſſariò videtur dicendum, eam ſumptionem eſſe cauſam moralem gratiæ, & non conditionem.

Antiqua Sacramenta fuerunt pura conditio ad gratiam.

Similem huic obiectionem tetigimus & ſoluimus ſuprà, agentes, quo pacto antiqua Sacramenta fuerint pura conditio ad gratiam, noſtra verò ſint vera cauſa; ibi enim fusè diximus cauſam moralem illam eſſe, quæ ob bonitatem ſui allicit alium, & mouet, vt aliquid donet; nec ſufficere ad rationem cauſæ, quòd agens ipſum determinauerit ſe pro ſua libertate ad hoc vel illud donandum, poſita tali re, ſi v.g. Deus dixiſſet, *Dabo tibi gratiam, quoties fricueris barbam*: non poteſt illa actio habere rationem cauſæ moralis gratiæ, quia non habet vllam bonitatem gratiæ proportionatam, ratione cuius moueat Deum ad gratiam; ſed hic, qui nulla actione ex noſtra parte petita poterat dare gratiam, potuit etiam petere hanc conditionem, etſi omnino ea ſit improportionata cum gratia.

Sumptio non eſt cauſa moralis gratiæ.

Quo poſito, ex dictis ſuprà, vbi oſtendi, in quo fuerit ſua dignitas noſtrorum Sacramentorum, reſpondeo, Chriſtum voluiſſe vt actio conſecratiua, ac proinde poſitio ſui ſub ſpeciebus, & eius permanentia fierent nomine ipſius, & proinde tanquam actiones ipſius Chriſti haberent valorem condignum ad gratiam; id autem non voluiſſe tribuere ipſi ſumptioni: Sacerdos enim conſecrans gerit vices Chriſti, non autem communicans; ac proinde communio non eſt condignè merens gratiam, ſecùs ipſa conſecratio.

Adhuc

Digitized by Google

17 Adhuc tamen replicabis; Eſto oſtenderimus ſumptionem non eſſe cauſam gratiæ, non continuò eſt oſtenſum, eam non eſſe Sacramentum;quia ad rationem Sacramenti vt ſic non requiritur, quod ſit cauſa gratiæ,iuxta dicta ſæpè: vti etiam patet in Sacramentis antiquis, ad quorum poſitionem vel nulla omnino cauſata eſt gratia,vel purè pure per modum conditionis;ergo adhuc ſumptio erit Sacramentum: eſt enim cæremonia ſacra in pignus gratiæ inſtituta,& ſaltem per modum conditionis gratiam ipſam cauſans. Reſpondeo, Eam ſumptionem eſſe quidem cæremoniam ſacram, non tamen eſſe in pignus gratiæ inſtitutam. Chriſtus enim Dominus noluit ſumptionem eſſe pignus gratiæ,ſed ſuum corpus, & ſuum ſanguinem,ſeu ſeipſum conſtituit in pignus;vnde Eccleſia non de ſumptione, ſed ipſo Chriſto in Sacramento loquens dicit *Illud eſſe pignus gratiæ*,& dum illud nobis datur, dari nobis pignus. Iam autem oſtendi fuſe ſuprà,agens de Sacramentis in genere, poſſe aliquid eſſe per modum conditionis, non verò per modum pignoris:ſi enim quis daret mihi ſuum annulum in pignus, vt quotieſcumque venirem ad ſe, donaret mihi ducatum;profectò aduentus meus ad illum non poſſet dici pignus, eſſet tamen conditio pro qua pignus obligat:id quod præſenti difficultati ſine vlla differentia applicandum eſt. Quòd ſi vlteriùs roges, Vnde conſtet rem ita eſſe diſpoſitam,iam dixi, Vltimam rationem in Chriſti voluntatem eſſe reducendam.

Sumptio eſt quidem cæremonia ſacra, non eſt tamen pignus gratiæ:

18 Vbi pro maiori totius quæſtionis comprehenſione aduerte,Cardinalem Lugo ſuprà laborare vt oſtendat ſumptionem non eſſe cauſam gratiæ, ſed ſolum conditionem: quod etſi nos immediatè etiam oſtenderimus, nequaquam tamen cenſemus eſſe neceſſarium pro præſenti quæſtione,quia hæc cauſatio ſiue de congruo ſiue de condigno ad rationem Sacramenti omnino ſe habet per accidens:neque enim illa requiritur pro Sacramento,neque è contrario illa ſufficit. Vnde præcipua totius dubij ſolutio inde deſumenda eſt,quòd licet admitteremus vſum Euchariſtiæ eſſe cauſam condignam gratiæ, non continuò inferretur, eum eſſe Sacramentum aut partem Sacramenti; vti noſtra bona opera licet gratiæ ſint ſigna, & ſint de condigno meritoria eius gratiæ, non tamen ſunt Sacramenta. Ratio eſt quam tetigi, quia Sacramentum non conſtituitur in ratione talis per hoc, quod cauſet gratiam ſiue de congruo, ſiue de condigno, ſed per hoc, quod ſit pignus eius gratiæ: poteſt autem aliquid eſſe cauſa gratiæ, & tamen non eſſe pignus illius,quia pignus tenet ſe quaſi ex parte ipſius Dei vt id, per quod nobis oſtendit ſuam voluntatem, & quaſi nobiſcum loquitur, vt fuſiùs ſupra declarauimus; noſtra autem opera bona (& idem dico de quacumque re alia habente condignitatem cum gratia) non propterea quia condigna, ſunt pignus Dei, aut tenent ſe ex parte illius vt ſignum, quo nobis ſuam voluntatem de conferenda gratia manifeſtat;ac proinde ſumptio eſto eſſet condigna, non ideò eſſet Sacramentum.

Eſto concederetur eſſe cauſam condignam gratiæ, non ſequeretur eſſe Sacramentum.

Illud præterea aduerto, hac occaſione diſcuti à nonnullis, Vtrùm ſi miraculosè poneretur in ſtomacho hoſtia conſecrata, cauſaret gratiam, cùm ea ſumptio non aliter requiratur, quàm vt hoſtia ponatur in ſtomacho; ſicut etiam cibus, ſi eo modo ſine ſumptione poneretur in ſtomacho, non aliter nutriret, quam ſi per os eſſet illuc proiectum. Id quod confirmari videtur hiſtoria illa, quam noſter Salmeron refert Tomo 9. Tractatu 33. ante tertium argumentum, de quodam Comite Gallo,qui cum ardentiſſimè optaret communicare morti iam vicinus, & ob frequentes vomitus id ei omnino negaretur, dum hoſtiam reuerenter ſupra pectus ponit, illo diuinitus aperto eam in ſe recepit,quo caſu haud dubiè gratiam accepit Sacramentalem. Cardinalis Lugo hanc doctrinam nouam dicit, Suarez verò diſput.63. ſect.7. putat non concedendum id ſufficere pro cauſanda gratia. Ego autem non video, quomodo decidere quidquam in hoc puncto poſſimus: cùm enim miraculoſus planè ſit ille caſus, nec ſciamus, quid Deus pro illo decreuerit, quid nos decidere poſſimus? hoc ſanè certum videtur, illum caſum in inſtitutione Sacramenti non fuiſſe à Chriſto comprehenſum, quia ſolùm ad caſus naturaliter poſſibiles videtur extendi inſtitutio; adeóque non iudico operæ prétium in hoc puncto hærere diuinando potiùs quam diſcurrendo:qui allegoriam illam de cibo volunt in omni rigore defendere, profectò debebunt admittere, eo caſu gratiam dandam; vti cibus naturalis eo modo poſitus in ſtomacho non minùs nutriret, quàm ſi fuiſſet traiectus per os. Obſeruandum tamen eſt, ſi dicatur illa comeſtio non neceſſaria, ſed ſufficere poſitionem Euchariſtiæ in ſtomacho, ceſſaturam quidem difficultatem circa ſumptionem; quia clarè inde infertur, eam nec quidem eſſe conditionem neceſſariam, difficultatem tamen totam habituram tunc locum in illa ipſa poſitione hoſtiæ in ſtomacho, cur ſcilicet illa non ſit Sacramentum, cui debebit reſponderi iuxta dicta à nobis de ſumptione. 19

Si miraculosè hoſtia poneretur in ſtomacho ſine ſumptione, vt factum tradit Salmeron:

Ignotum eſt, an cauſaret gratiam: pendet enim à voluntate Chriſti.

Denique, quæ diximus de ſumptione intelligenda ſunt de voluntate ſuſcipiendi hoc Sacramentum, eam eſſe conditionem non partem Sacramenti: id quod maiori titulo verum erit, ſi admittamus hoſtiam datam homini iuſto etiam ignoranti cauſare gratiam, vt cauſaret, ſi daretur infantibus.

Voluntas ſumendi Euchariſtiam eſt etiam conditio, non Sacramentum.

DISPVTATIO VIGESIMANONA.

De vnitate & neceſſitate huius Sacramenti.

SECTIO I.

De eius vnitate & neceſſitate.

1 QVia hoc ſanctiſſimum Sacramentum ſub duplici ſpecie conficitur, & quælibet iuxta dicenda infrà eſt ex ſe cauſatiua gratiæ, quælibet item continet totum eundem Chriſtum, duplex oritur in præſenti difficultas: Prima, An ſpecies panis conſecratæ ſint diſtinctum Sacramentum ab ſpeciebus vini conſecratis, & qua diſtinctione, ſpecifica, an numerica. Secunda, An potiùs è contrario tam hoſtia quàm calix inter ſe, quàm omnis hoſtiæ

Status quæſtionis duplex.

Digitized by Google

hoſtiæ conſecratæ (quia, vt dixi, eundem numero Chriſtum continent) ſint etiam dicendum vnum numero Sacramentum. De his difficultatibus fusè valdè Auctores, immeritò tamen, quia tota res purè purè pertinet ad modum loquendi: quoad rem enim ipſam non poteſt vlla eſſe difficultas, niſi in vno puncto, quod huc non ſpectat; Vtrùm ſcilicet ambæ ſpecies plus conferant gratiæ quàm vna ſola: de quo infrà ex propoſito: vt verò appareat rem totam eſſe de ſolo modo loquendi.

SVBSECTIO I.

Declaratur quid de re, & quid ſit de nomine; ac deciditur prima difficultas.

2 *Statuuntur quæ inter Catholicos certa ſunt.*

ADVERTENDVM eſt, inter Catholicos quoad rem ipſam certa eſſe omnia hæc quę quuntur; Primò, vi verborum ſub ſpeciebus panis ſolum corpus Chriſti contineri, ſub ſpeciebus verò vini ſolum ſanguinem, per concomitantiam autem totum Chriſtum ſub vtraque ſpecie Secundò, tam ſpecies vini quàm ſpecies panis conſecratas eſſe ex ſe cauſatiuas gratiæ; inde quæ priùs ſumuntur illam cauſant: hîc autem poteſt habere locum dubium quod dixi, Vtrùm ambæ plus cauſent quàm vna. Tertiò, hinc certum eſt eas ſpecies in cauſanda gratia eſſe inter ſe independentes; item abſolutè, validè, licet non licitè, poſſe vnam ſine altera conſecrari: de quo tamen aliquid infrà. Quartò, ex ipſis terminis eſt notum, formam conſecrationis vnius eſſe diuerſam à forma conſecrationis alterius; item ipſas ſpecies eſſe inter ſe differentes. Quintò, & vltimò (quod tamen pertinet ad allegoricum modum loquendi) certum eſt, vtramque ſpeciem conſtituere vnum conuiuium: quo vocabulo paſſim Eccleſiæ & Patres vocant hoc Sacramentum. Hæc de re certa; iam autem, Vtrùm propter ſpecierum & formæ conſecrationis diuerſitatem, ac ob independentiam earum, quam dixi in cauſanda gratia, vocanda ſint duo Sacramenta, & verò etiam ſpecie diuerſa, an è contrario, quia eundem Chriſtum continent, multò autem maximè, quia vnum conuiuium conſtituunt, debeant dici vnum Sacramentum ſpecie & etiam numero, quis non videat eſſe puram putam quæſtionem de voce, ſeu de modo loquendi? Idem etiam dico adhuc cum maiori iure quoad ſecundam quæſtionem, Vtrùm omnes hoſtiæ conſecratæ dicendæ ſint vnum numero Sacramentum, eò quòd eumdem numero Chriſtum contineant, an verò, quia ſpecies conſecratæ ſunt diſtinctæ numero, & ordinatæ ſunt ad diſtinctas numero gratis cauſandas, ſint dicendæ numero diſtincta Sacramenta, quis etiam non videat quæſtionem eſſe de modo ſolo loquendi? Vnde ſi non eſſet propter modum loquendi Conciliorum (de quo ſtatim) ferè putarem nullatenus eſſe curandam hanc quæſtionem, ſed his quæ ad rem ipſam pertinent explicatis, relinquendum cuilibet liberum modum loquendi. Hoc poſito,

Quæſtiones pertinentes ad modum loquendi.

3 *Aliquorum ſententia Euchariſtiam eſſe vnum Sacramentũ in genere, duo in ſpecie.*

Nonnulli, quos Suarez refert diſp. 39. ſect. 3. dixerunt Euchariſtiam eſſe vnum Sacramentum in genere, cõtinens tamen ſub ſe duo Sacrementa ſpecie atoma, adæquate diuerſa: quibus ſi obijcias, Ergo ſunt in Eccleſia octo Sacramenta contra communem eiuſdem Eccleſiæ ſenſum, maximè Conciliorum Florentini & Tridentini, quæ ſeptem tantùm dicunt eſſe Sacramenta; reſpondebit pro eis Vaſquez diſput. 73. cap. 1. poſſe Concilia intelligi, quòd Sacramenta ſint ſeptem in genere. Hanc tamen ſolutionem priùs poſuerat, & optimè impugnauerat Suarez; nam ex ea nihil certi ſumi poſſet circa numerum Sacramentorum, quia poſſemus dicere Sacramenta Eccleſiæ eſſe vnum tantùm in genere, aut certè (vt benè etiam notauit Cardinalis Lugo) duo in genere, vnum mortuorum, ſub quo includerentur Baptiſmus & Pœnitentia; alterum viuorum, ſub quo includerentur alia quinque. Poſſent etiam alio modo aſſignari plura Sacramenta in genere; vt ſi diceremus tria eſſe Sacramenta, vnum ſub præcepto abſolutè; ſub quo genere includerem Baptiſmum & Euchariſtiam; alterum non obligatorium, ſub quo intelligerem ordinem, Matrimonium, Confirmationem & Extremam Vnctionem; tertium denique, Sacramentum ſub præcepto his qui poſt Baptiſmum ſunt lapſi; ſub quo ſolam Pœnitentiam comprehenderem. Denique cùm ſaltem quinque Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Matrimonium, & Extrema Vnctio ſint quinque ſpecies atomæ, æquiuocè planè locutum fuiſſet Concilium, ad deſignandum numerum Sacramentorum, dicendo ſolùm eſſe ſeptem, hoc eſt quinque ſpecies atomas, & duo genera; ſub quibus includantur adhuc ſpecies aliæ atomæ adæquatè inter ſe diſtinctæ ſicut priores illæ, cur enim deberent illæ etiam numerari ſicut priores? vti malè quis diceret, Sex ſunt Religioſi Ordinis in Eccleſia, Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtianorum, Ieſuitarum, Carmelitarum, & Monachales, ſtatim enim contra hanc enumerationem quilibet prudens diceret: Cur illæ ſpecies atomæ debent facere numerum quinarium, & Benedictini, Præmonſtratenſes, Carthuſiani, Hieronymiani, qui tam benè inter ſe, quàm illi alij inter ſe diſtinguuntur, non debent reputari niſi vnus Ordo? Conſtet ergo hunc modum loquendi de multiplicatione duorum Sacramentorum adæquate inter ſe ſpecie diſtinctorum valdè eſſe alienum à modo loquendi Conciliorum, ac proinde omnino reijciendum; quia etiam ſolis verbis inordinatè prolatis poteſt incurri aliquando hæreſis.

Reijcitur & impugnatur ex modo loquendi Conciliorum.

Communis ergo ſententia, vt videre eſt apud citatos, dicit vnum Sacramentum eſſe in ſpecie; eſt autem difficultas, vtrùm illæ duæ ſpecies debeant dici duæ partes componentes vnum Sacramentum, eſto inter ſe ſpecie differant; vti anima & corpus etiamſi inter ſe genere ſint diuerſa, conſtituunt tamen vnum hominem; an verò debeant dici moraliter & in ratione Sacramenti vna ſpecies eſſe eiuſdem rationis cum altera. Hoc vltimum docent ſatis probabiliter aliqui Recentiores, quia licet materia & forma earum ſpeciarum differant inter ſe ſpecie, in ratione tamen ſigni non differunt; quia eamdem gratiam ſignificant per modum nutrientis hominem; vti licet homo & charta differant inter ſe tamen habeant albedinem eiuſdem ſpeciei, non dicentur differre in ratione albi, quia per illam reduplicationem *in ratione albi* iam denotantur accidentia; vti in præſenti denotatur ſignificatio Sacramentalis. Confirmarique poteſt vlteriùs hæc ſententia; Primò ex Sacramento Matrimonij; nam licet aliquando fiat per nutus, aliquando per verba, & hæ duæ partes inter ſe differant ſpecie;

4 *Communis ſententia, eſſe vnum Sacramentum in ſpecie.*

Et ſecundum aliquos, vna ſpecies in ratione Sacramenti eſt eiuſdem rationis cũ altera.

Digitized by Google

ſpecie; quia tamen in ratione ſignificandi idem ſunt, ſed etiam eiuſdem rationis ſpecificæ in vno caſu ac in altero: idem conſtat in Sacramento Pœnitentiæ; nam attritio & contritio, quæ ſunt partes, differunt inter ſe ſpecie; & tamen in ratione Sacramenti non dicitur differre ſpecie confeſſio facta cum attritione à facta cum contritione: & idem patet in ipſa Euchariſtia, quæ ſub ſpeciebus vini albi non differt ſpecie ab Euchariſtia ſub ſpeciebus vini rubri, acidi, aut dulcis; & tamen illæ ſpecies differunt inter ſe, albedo & rubedo, dulcedo & acrimonia. Vbi obiter obſerua, minùs benè ad hanc inſtantiam adducendam quoſdam addere, quod vinum album & rubrum quoad ſubſtantiam probabiliter differant ſpecie: ea enim differentia pro præſenti eſt inutilis planè: etenim ſubſtantia vini albi & rubri non componit hoc Sacramentum nec partialiter, ſed ſpecies quæ manent; ſpecies autem, eſto formæ ipſæ ſubſtantiales non differant ſpecie, certò differunt; nam color, ſapor, odor, aliæque qualitates diuerſæ ſunt maxima ex parte in albo vino ab his quæ in rubro; ergo hæc inſtantia non pendet vllo modo ab eo, quod ſubſtantiæ albi & rubri vini differant inter ſe ſpecie.

Etiamſi inter ſe differant ſpecie.

5 Alij ergo, inter quos eſt Pater Suarez & Lugo diſput. 2. ſect. 1. dicunt hoc Sacramentum eſſe quidem vnum eo modo quo conuiuium, vbi ſunt diuerſa fercula, cibus & potus, dicitur vnum conuiuium; & domus, in qua ſunt ligna, lapides, cæmentum, re dicitur vna, eſto eius partes inter ſe ſpecie differant: quam doctrinam ego etiam omnino iudico veram: quod verò partiale Sacramentum ſub ſpeciebus panis differat ſpecie inadæquata ab altero Sacramento ſub ſpeciebus vini patet; nam licet Chriſtum eundem contineant, tamen habent diuerſas ſignificationes gratiæ, quia etiam cauſant gratias diuerſas. Hac ſola probatione vtitur hic Lugo; quæ tamen ſupponit doctrinam dubiam, de qua infrà, ac proinde videtur probare certius per minus certum.

Sententia Suarez & Lugo, Sacramenti partes inter ſe ſpecie differre.

Meliùs mihi videtur poſſe eam diuerſitatem inde oſtendi; nam ad diuerſitatem Sacramentorum non eſt neceſſum ſignificare diuerſas gratias: etenim fortaſſe omnia Sacramenta antiqua, aut certè multa ex illis, ſignificabant eandem gratiam nobis in Lege gratiæ dandam; erant tamen in ſe diuerſa Sacramenta; ergo quidquid ſit, an eadem detur gratia per vtramque ſpeciem, quæ datur per vnicam, poteſt optimè cohærere earum diuerſitas in ratione Sacramenti: & ratio eſt manifeſta, quia Sacramentum neque eſt ipſa gratia, neque componitur intrinſecè per illam etiam partialiter; ergo licet vnica ſit gratia, poſſunt eſſe duo diuerſa ſigna, duo diuerſa pignora eius; vti circa idem obiectum poſſunt eſſe diuerſi amores, diuerſæ cognitiones, diuerſi reſpectus, &c. Hoc poſito facilè iam oſtenditur in genere motis ea diuerſitas; quia cum Chriſtus in hoc Sacramento (iuxta dicta ſuprà) ſeipſum conſtituerit vt pignus gratiæ, profectò cum ſub ſpeciebus vini poſuerit ſuum ſanguinem, ſub ſpeciebus verò panis ſuum corpus, & ita quidem, vt quoad perfectionem Sacramenti per accidens omnino ſit, quod de facto illæ partes inter ſe ſint vnitæ, aut quòd ſub qualibet ſpecie per concomitantiam contineant totum Chriſtum, ſequitur in hoſtia ſolum corpus eſſe pignus gratiæ, in calice ſolum ſanguinem eſſe eiuſdem gratiæ pignus; quis autem dubitet diuerſum pignus gratiæ eſſe corpus Chriſti à ſanguine Chriſti? Do hunc caſum, quod aliquis Princeps moriens per effuſionem ſanguinis diceret alicui, Accipe hunc ſanguinem meum in pignus donandæ tibi hæreditatis, accipe & corpus hoc etiam pro pignore; ita vt ſi vtrumque oſtenderis, efficaciùs ſignificaturus ſit meam voluntatem; volo tamen vt abſolutè etiam ſolum corpus ſufficiat, vel ſolus ſanguis; profectò nemo negabit, eo caſu duo ibi eſſe propria pignora; & quidem in quorum quolibet ratio pignoris ſaluatur, vtrumque tamen facere vnum quaſi expreſſius & fortius: ita eodem modo in noſtro caſu dicendum eſt, quia (vt oſtendi) eſſe ſub qualibet ſpecie per concomitantiam vtramque partem Chriſti, corpus & ſanguinem, nec in minimo præiudicat doctrinæ traditæ: etenim, vt paulò antè probaui, Chriſtus non dedit ſub ſpeciebus panis pro pignore niſi ſuum corpus; concomitantia autem ſanguinis ex vnione ſecuta habet ſe per accidens ad Sacramentum hoc.

Ratio Lugo pro illa ſententia reycitur, quia ſupponit doctrinam dubiam.

Poſſunt eſſe vnius gratiæ duo diuerſa pignora.

Declaratur ſimilitudine.

Obſerua, me in hoc diſcurſu non vti ratione quorumdam Recentiorum, quos Lugo ſuprà reiicit, probantium diuerſitatem horum partialium Sacramentorum ex eo, quod ſpecies panis ſignificent corpus, & ſpecies vini ſanguinem: etenim (vt benè ait idem Lugo) ratio Sacramenti non conſiſtit in corporis & ſanguinis ſignificatione, ſed in ſignificatione gratiæ: neque in diſcurſu paulò antè facto differentiam deſumo ego ex corpore & ſanguine vt ſignificatis, ſed vt ſignificantibus ſimul cum ſpeciebus; nam corpus Chriſti & ſignificatur per ſpecies, & ſignificat cum illis gratiam; vt ergo ſignificat, pertinet formaliter ad Sacramentum; ergo cum ſit diuerſum ſignum, diuerſum etiam erit pignus partiale ac diuerſum Sacramentum. 6

Ratio Sacramenti non conſiſtit in ſignificatione corporis & ſanguinis, ſed gratiæ.

Obiicies: Si hæ duæ ſpecies ſignificant eandem gratiam, ergo nullo modo different in ratione ſigni, vt dicebamus pro priori ſententia. Reſpondeo, Probatum à me paulò antè aliud eſſe, rem ſignificatam eſſe vnam, aliud verò, ſignum illius eſſe vnum. Certè etſi mea viſio ſit repræſentatio eiuſdem coloris, quem repræſentat viſio Ioannis, quando ambo eandem aſpicimus albedinem: nemo tamen propterea dicet illas in ratione viſionis & repræſentationis plures non eſſe: ſunt enim multæ viſiones, multæ repræſentationes, &c. Vnde facilè reſpondetur ad inſtantiam ſupra poſitam, quod homo & equus, ſi habeant eandem albedinem, non differant in ratione albi; ergo hæ duæ ſpecies, quæ, iuxta dicta, repræſentant eandem gratiam, erunt idem in ratione ſignificationis & Sacramenti: ad hanc inquam reſpondemus negando conſequentiam: quia in eo exemplo verè ponitur idem accidens in vtroque ſubiecto: at in noſtro caſu ſolum ponitur eadem res ſignificata, non verò idem ſignum: ac proinde æquiuocatio in eo argumento committitur: vti in ratione videntis non ſunt idem Petrus & Ioannes, eſto eandem videant albedinem: quia videns conſtituitur non per albedinem, ſed per viſionem: viſiones autem iam ſupponimus eſſe diuerſas, eſto res viſa ſit eadem: & idem in præſenti dicimus in ratione ſigni.

Obiectio.

Soluitur:

Et oſtenditur poſſe eſſe diuerſa ſigna eiuſdem rei.

Vbi & obiectionis æquiuocatio detegitur.

Vrgebis adhuc: Si Chriſtus permiſiſſet, vt Baptiſmus daretur in aqua, vel in vino, eſſet tunc idem moraliter Sacramentum, ſiue in aqua ſiue 7

in

in vino adminiſtraretur; ergo eodem modo erit idem ſiue ſub ſpeciebus panis ſiue ſub ſpeciebus vini. Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt clara, nam eo caſu duæ illæ materiæ non conſtituerentur partes Sacramenti, niſi vna in defectum alterius, ſeu ſub diſiunctione; vnde non poſſet conferri ſub vna & ſub altera; quia eo ipſo quòd conficeretur ſub vna, fuiſſet adæquatum & perfectum. At in præſenti vna ſpecies non eſt ſub diſiunctione loco alterius, ſed per ſe, ita vt in vtraque ſimul debeat confici; quia niſi ſub vtraque non eſt perfecta ſignificatio integraliter; licet abſolutè qualibet ſit cauſatiua gratiæ.

Dices Tertiò: Ergo qui ſumit ſolùm ſub vna ſpecie, non ſumit totum integrum Sacramentum. Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Non ſumit integrum & totum quoad ſignificationem, concedo; quoad gratiam cauſatam in mea ſententia, nego: quia (vt infrà oſtendam) non plus confertur gratiæ per vtramque ſpeciem quàm per vnam ſolam. In ſententia verò docente plus gratiæ conferri per vtramque ſpeciem concedendum eſt, neque quoad ſignificationem, neque quoad effectum ſuſcipi totum.

Qui ſumit vnam ſpeciē, ſumit totum Sacramētum quoad gratiā, non quoad ſignificationē.

Addit Cardinalis Lugo eam ſententiam defendens, non tamen propterea dicendum, abſolutè loquendo, talem non ſuſcipere Sacramentum; quia quando compoſita includunt partes, quarum quælibet habet denominationem totius, ſufficit vnam accipere, vt ſuſcepiſſe dicatur abſolutè illud totum; ſic bibiſſe dicitur aquam vel vinum etiam ille qui non exhauſit totum cantharum. Vti etiam qui ex diuerſis cibis in menſa poſitis non comedit niſi duos, dicitur ſumpſiſſe integrum prandium, etſi totum conuiuium non ſumpſerit. Hæc quidem ad ſolum modum loquendi pertinent; vt tamen verum fatear, magnam mihi ingerunt difficultatem, ſuppoſito eo principio, quia cùm hic Auctor dicat ſolas ſpecies panis non eſſe potum; profectò qui ſolùm comedit, & non bibit, ſicut è contrario, qui non comedit, ſed bibit, non dicitur habuiſſe prandium integrum, quia nomine prandij intelligitur etiam hauſtus, ſicut nomine conuiuij. Quòd verò additur, eum, qui ſub ſpecie panis ſumpſit, ſumpſiſſe quod ſufficit ad cibandum & alendum, habet etiam aliquam æquiuocationem, nam alimentum non eſt ex ſolo cibo, ſed etiam ex potu, hic enim valdè conducit ad nutrimentum, ergo ſi ſub vna ſpecie non datur hæc gratia, non poteſt dari conuiuium. Deinde, ſi quis è contrario ſuſcepiſſet ſpeciem vini, diceretur ſine dubio ſumpſiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, ac proinde conuiuium hoc, quomodo autem ex ſolo hauſtu diceretur quis accepiſſe quantum ſatis eſt ad nu-
8 triendum? Denique τὸ *quantum ſatis eſt ad nutriendum* ex eo capite habet æquiuocum ſenſum, quia cùm ſit particula reſpectiua τὸ *ſatis eſt*, oportet illi determinate terminum, ad quem dicatur *ſatis*, nullus autem hîc idoneus eſt, vt oſtendo, ergo. Etenim ſi dicatur, *Quantum ſatis eſt vt homo ſaluetur*, propoſitio non eſt vera, quia ante hunc cibum iam ſupponitur homo in gratia, ac proinde habens quantum neceſſarium eſt vt ſaluetur, ſi τὸ *quantum ſatis eſt* intelligatur, vt homo aliquantulùm augeat gratiam quam habebat, nihil ad rem dicitur, quia per quodlibet bonum opus ſupernaturale factum in gratia hæc augetur, & tamen illud opus non dicitur conuiuium & alimentum hominis *quantum ſatis eſt vt nutriatur*, ſi τὸ *ſatis eſt* intelligatur in ordine ad auxilia pro exercendis bonis operibus occurrentibus, ratione quorum, iuxta ſuprà dicta, comparatur hoc Sacramentum cibo ac potui, tunc clariùs apparebit illam propoſitionem non eſſe veram; quia ad augmentum vitæ ſpiritualis tam neceſſaria ſunt auxilia deſignata per ſpeciem ſanguinis, quàm quæ per ſpeciem panis; quia per ſanguinem, vt eſt potus, ſignificatur refrigeratio corporis contra ardores tentationum; humectatio, vt ſic dicam, ſpiritus contra morbos exſiccantes humorem cœleſtem, at ſine his non poteſt homo ali & creſcere, etiamſi cibum ſumat, qui alioquin eſſet ſuſtentatio hominis; ergo ſi datur per ſpecies vini diuerſa habitualis gratia, & ratione huius diuerſa deinde conferuntur auxilia ad conſeruandam vitam hominis; profectò non poteſt per ſolam ſumptionem panis dici ſumpſiſſe quantum neceſſum eſt, vt homo creſcat & alatur in vita ſpirituali. Vnde colligo, meliùs hæc ſaluari, ſi dicamus eamdem gratiam & eadem auxilia concedi per vnam ſpeciem, quæ per vtramque: vel certè admittendum in ea ſententia, non accipi quantum ſatis eſt ad augendam vitam ſpiritualem, addendumque, id ſine vllo inconuenienti admitti poſſe; quia hoc Sacramentum etiam quoad vnam ſpeciem non eſt de neceſſitate medij ad ſalutem: de quo infra.

Lugo modus loquendi patitur difficultatem.

Et æquiuocationem in ratione conuiuij, quod conſtat cibo & potu ad nutriendum.

Eadem gratia & auxilia per vnam conferuntur ſpeciem quæ per vtramque.

SVBSECTIO II.

An multæ hoſtiæ ſint idem numero Sacramentum?

DIFFICVLTAS hæc ſecunda eſt minoris mo- 9
menti quoad multiplicationem numericam, vtrùm ſcilicet omnes hoſtiæ conſecratæ debeant dici vnum Sacramentum. Cardinalis Lugo iuxta ſuam opinionem, quòd hoc Sacramentum ſolùm dicat in recto corpus & ſanguinem, iudicat omnes hoſtias eſſe vnum Sacramentum; quia multiplicantur præcisè iuxta multiplicationem recti; rectum autem eſt idem numero in omnibus hoſtiis. Inde tamen non ſequitur, ſpecies panis & vini efficere vnum Sacramentum; nam in his ſpeciebus non eſt idem rectum: ſanguis enim eſt quid realiter diſtinctum à corpore: vt autem vidimus ſuprà, hæ ſpecies in ratione Sacramenti conſtituuntur per id quod ponitur ſub illis vi verborum, non per id quod per concomitantiam, quæ eſt extra conceptum Sacramenti, & aliunde oritur.

Sententia Cardinalis Lugo, omnes hoſtias eſſe vnum Sacramentum.

Quòd ſi obiicias auctoritatem Clementis Papæ relati in cap. *Tribus gradibus.* de conſecrat. diſ. 2. vbi ait tot holocauſta eſſe offerenda in altari, quot populo poſſint ſufficere; ergo Clemens ſentit multiplicari Sacramenta iuxta multitudinem hoſtiarum; Reſpondet, non eſſe in textu *tot*, vt à Suario citatur, ſed *tanta*: τὸ *tot* ſignificat numerum, τὸ verò *tanta* magnitudinem. Hæc obſeruatio bona eſt, at non euacuat argumenti vim; nam in concretis non ſolùm attenditur id quod dicitur in recto pro multiplicitate, ſed etiam pro magnitudine: ſicut enim duo homines cum eadem albedine dicuntur duo alba; & è contrario vnus homo cum duobus coloribus non dicitur duo colorata, ſed vnum, ita ſine vlla planè differentia, vt dicatur, an ſit magnus albus, magnus calidus, quantus eſt

Explicat idē Cardinalis Lugo Clementis Pontificis verba contra ſuam ſententiam citata.

Digitized by Google

eſt hic calidus, quantum eſt hoc album, attenditur non ad caloris magnitudinem, ſed ad magnitudinem eius quod dicitur in recto: quod autem hic Auctor ait, Si adderetur homini plus de quantitate, diceretur maior, non tamen diceretur duo; eſt quidem veriſſimum, at non euacuat vim argumenti inde deſumpti; quòd ad denominationem ab eo vtroque termino prouenientе, *quot & quantum*, attendatur ſignificatum in recto: quia ergo quantitas illa addita, ſuppono eſſe cum noua ſubiecti parte, dicitur in recto ratione partis ſubiecti additi; ideò rectè dicetur homo maior ob accretionem ſignificati; ob vnionem autem illius cum præcedenti non dicitur duo: quod longè aliud eſt, & independens ab hac quæſtione, in qua ſolùm agimus, an augeri debeant ea quæ dicuntur in recto, vt dicatur totum augeri; ergo cùm corpus Chriſti non augeatur, malè dicentur holocauſta debere eſſe maiora, ſi corpus ſolùm dicatur in recto.

Sed eius explicatio habet ſuas difficultates.

Fortè adhuc dices; Si in homine augeretur ſola quantitas, etiam ſine materia diceretur homo maior. Reſpondeo, Vel ita poni caſum vt augeatur occupando maiorem locum, & tunc facilè admitto dicendum vulgariter maiorem, quia ſupponeretur etiam habere plus de ipſa materia: hæc enim non niſi ex quantitate iudicatur ab hominibus: vel poneretur ita, vt non occuparet diuerſum locum; & tunc non diceretur homo maior. Denique ſemper eſt verum, in his prædicationibus ſolùm attendi rectum, non ſolùm ad multiplicitatem, ſed etiam ad alia prædicata; vt dum dicitur, Album eſt dulce, eſt magnum, paruum, &c.

10 Secundò reſpondet hic Auctor ei teſtimonio, Pontificem ibi loqui vulgariter de holocauſtis, id eſt pro hoſtiis ante conſecrationem; ſicut dicimus quot hoſtiæ ſunt conſecrandæ. Verùm cùm paulò pòſt in eo capite addatur, Vt ſi poſteà ſuperflua fuerint, diligenter aſſeruentur, oſtendit ſanè Pontifex, ſe non ſolùm de holocauſtis & pane conſecrando, ſed de Sacramento iam confecto loqui. Hoc teſtimonium haud dubiè eſt contra eam ſententiam; quia tamen poſſunt alia adduci è contrario pro illa, & res ad modum loquendi pertinet, non eſt cur ideò cenſeatur reiicienda. Concludo ergo, eam doctrinam omnino eſſe conſequentem ad priorem Auctoris ſententiam; quòd ſolùm Chriſtus dicatur in recto.

Eiuſdem reſpōſio & alia explicatio verborū Pontificis reiicitur.

Concluditur, Pontificem eſſe contra ſententiam Cardinalis Lugo.

Nos tamen, qui ſpecies etiam diximus in recto ſignificari, videre debemus, quomodo inde cogamur in hoc puncto loqui; & quidem cùm tam Chriſtum quàm ſpecies poſuerimus in recto, & ad multiplicationem totius non ſufficiat multiplicari vnam ex partibus quæ dicuntur in recto, niſi ambæ multiplicentur; vt ſi in diuerſis corporibus poneretur eadem anima rationalis, nō dicerentur tunc multi homines; etiam in præſenti dicere debemus omnes hoſtias eſſe vnum Sacramentum ſaltem inadæquatè. Verùm oportet vlteriùs declarare, quid ſi ſolæ ipſæ ſpecies dicantur in recto. Pater Vaſquez putat omnes hoſtias, quæ non habent vnionem phyſicam inter ſe, eſſe diſtincta numero Sacramenta. Quæ doctrina mihi valdè placet: diſcurrit, enim valdè conformiter ad modum loquendi in aliis rebus phyſicis: ſi enim aqua tota continuatur, dicitur vna; ſi ceſſet vnio, iam dicitur duplex. Solùm poteſt in contrarium obiici, quòd deberet dici, Sacerdotem accipientem duas partes hoſtiæ iam ſeiunctas accipere duo Sacramenta: id quod eſt contra communem modum loquendi. Hoc argumento maximè reiiciunt eam doctrinam & Suarez & Lugo & alij. Putarem tamen ſatis clarè & facile poſſe reſponderi in hac quæſtione de nomine, per illam ſumptionem eo tempore & occaſione, quo ita ſumuntur illæ duæ partes ac ſi moraliter eſſet vna hoſtia, mutari illum modum loquendi, & quæ anteà dicebantur duo iam dici vnum Sacramentum. Pro quo aduerte, in ordine ad vulgarem modum loquendi maximè attendi in Sacramentis noſtris cauſationem gratiæ, ſeu vim illam cauſandi: quando ergo ita ſumitur Euchariſtia, vt reſpectu ſumentis idem omnino ſit illas duas partes ſumere, ac ſi vnam tantùm ſumpſiſſet, quia non accepit plus gratiæ, iure merito dici illum hominem vnum accepiſſe Sacramentum moraliter, etiamſi re ipſa phyſicè plura acceperit.

Omnes hoſtiæ ſunt vnum Sacramētum ſaltem inadæquatè.

Sacerdos accipiens duas partes hoſtiæ ſeiunctas non accipit duo Sacramenta.

Dices: In hoc ipſo eſt difficultas, cur ſcilicet talis homo non debeat tunc accipere diuerſas gratias, ſi accipit diuerſa Sacramenta? Reſpondeo, Hanc obiectionem ſolui facilè; quia quòd duæ hoſtiæ ſimul ſumptæ non cauſent diſtinctas gratias, eſt quæſtio de re, quæ nequaquam ab hoc modo loquendi de multiplicatione hoſtiarum dependet; ſicuti è contrario etiamſi Lugo & alij dicant Sacramentum, quod ſuſcipio hodie, eſſe idem numero cum eo quod heri ſuſcepi, non propterea debet dici, non ſuſcipere me hodie diſtinctum effectum gratiæ ab eo quem heri accepi. Ea ergo veritate de re ipſa aliunde ſuppoſita optimè reſpondetur, ex eo quòd tunc non niſi vna gratia cauſetur, vulgariter vocari eas duas hoſtias vnum tantùm Sacramentum: at quando hoſtiæ iam ſunt conſecratæ in pyxide, antequam per ſimultaneam alicuius ſumptionem iterùm quaſi moraliter vniantur, retinēt totam ſuam diſtinctionem phyſicam ſine vlla morali coniunctione; quid ergo mirum, ſi tunc dicantur diuerſa Sacramenta? 11

Neque diuerſas gratias.

Dices: Ergo ſi eadem hoſtia, quæ ab vno eſt ſumpta, & in eo cauſauit gratiam, eiiceretur ab eo, & ab altero ſumeretur, deberet dici duo Sacramenta; quandoquidem tunc cauſaret diuerſas gratias: hoc autem videtur abſurdum. Reſpondeo Primò, Caſum moraliter eſſe impoſſibilem, quia poſt eiectionem ex ſtomacho alterius nemo illas ſpecies ſumet, ſed potiùs tunc comburentur. Quidquid verò de eo puncto ſit, reſpondeo Secundò, Poſſe ſatis probabiliter dici, duo tunc Sacramenta. Quòd ſi tamen hoc ipſum videatur alicui durum, reſpondeo Tertiò, Minùs requiri ad hoc, vt illæ hoſtiæ dicantur vnum Sacramentum, quàm vt dicantur plura; quia vt dicatur vnum, ſufficit, vel quòd in ſe vnum ſit (vti eſſet illa hoſtia à duobus ſumpta, vel quòd, eſto ſint duæ hoſtiæ, ſumantur tamen ab vno per modum vnius; quando autem nec in ſe eſt vna, nec per ſumptionem illam per modum vnius coarctantur ad vnum, ſufficit ipſarum multiplicitas numerica, vt dicantur plura Sacramenta.

Hoſtia à duobus ſucceſſiuè ſumpta probabiliter efficeret duo Sacramenta.

Dices: Ergo Sacerdos, poſtquam diuiſit hoſtiam, habet iam duo Sacramenta in patena. Reſpondeo negando ſequelam, quia cùm ea diuiſio non ſit in ordine ad diuerſas perſonas, ſed præciſè ad vnam, & verò iam ſint non minùs determinatæ ad vnam ſumptionem, ſeu ad vnum effectum diſtinctæ illæ duæ partes, quàm ante diuiſionem, abſolutè in communi modo loquendi

Diuiſa hoſtia ſupra patenā non facit duo Sacramenta.

Digitized by Google

quendi non dicuntur duæ hoſtiæ, ſed vna.

Cardinalis Lugo putat in hac noſtra ſententia de ſignificatione ſpecierum in recto, quando omnes hoſtiæ ſunt coniunctæ localiter, dicendas vnum Sacramentum; quando verò ſunt ſeparatæ, dicendas plura Sacramenta: vti multa poma einſdem rationis, ſi ponantur ſimul in menſa, dicuntur vnus cibus; ſi autem ſeparata, dicuntur diuerſi cibi. Verùm hæc inſtantia non multùm vrget, quia quando homines ibi dicunt eſſe vnum cibum, non loquuntur de vnitate numerica, ſed ſpecifica; ac ſi dicerent, Eſt cibus vnius ſpeciei, ſeu eiuſdem rationis. Vnde etiamſi in diuerſis ſcutellis ponantur ea poma, & ſeparata à ſe, in eadem tamen menſa, dicuntur vnus cibus. Hinc vlteriùs etiam, poſtquam illa poma ſunt ſeparata per ipſam ſumptionem, quia vnus è conniuis duo, alter alia duo comederunt; (quo caſu hic Auctor fatetur illa poma eſſe duos cibos;) nihilominùs tamen etiam dicuntur tunc illi comediſſe vnum eumdemque cibum, vti etiam bibiſſe vnum idemque vinum hodie & heri, dummodò ſit ex eadem vinea, eſto in diuerſis vaſis ſeruatum. Ex his ergo locutionibus non eſt, cur quidquam inferamus contra eum modum loquendi magis accedentem ad rigorem Scholaſticum; ac proinde non eſt cur eam ſententiam Vaſquez non defendamus.

Inſtantia Cardinalis Lugo contra ſententiam Vaſquez non vrget.

Dices Secundò: Ergo vna hoſtia magna erit duo Sacramenta, quia poteſt diuidi & diſtribui multis. Reſpondeo negando conſequentiam, quia per continuationem phyſicam ſpecierum conſtituitur formaliter vnum Sacramentum; vti lapis ſi vnitus ſit, dicetur vnus, ſi in duas partes diuidatur, dicitur duo. Et hæc ſint ſatis de iſta quæſtione de puro modo loquendi, & verò etiam intra genus quæſtionis de nomine exigui valdè momenti, quia nihil inde vlteriùs deduci poteſt.

Hoſtia magna quia diuidi poteſt, non dicitur ideò duo Sacramenta.

SECTIO II.

An ſit neceſſaria Euchariſtia ad ſalutem neceſſitate medij, an verò præcepti?

13 PRo hac quæſtione oportebit diſtinguere duplicem neceſſitatem alicuius rei ad ſalutem: vna dicitur neceſſitas præcepti; ita eſt neceſſaria obſeruatio omnium præceptorum: altera eſt neceſſitas medij, id eſt rei quæ influit in ipſam ſalutem. Illa quæ priori modo dicuntur neceſſaria, ſi inuincibiliter omittantur, non impediunt ſalutem; quia poſitio illorum ſolùm requiritur ad non peccandum: hoc autem peccatum impeditur eo ipſo, quòd inuincibilis ſit ea omiſſio. At ſi ſecundi generis res omittantur ſiue inculpabiliter, ſiue quocumque modo, actum eſt de ſalute. Baptiſmum diximus ſuprà eſſe neceſſarium hoc ſecundo modo neceſſitate medij, reſtitutionem verò rei alienæ ſolùm neceſſitate præcepti. Contra hanc communem doctrinam ibi poſui obiectionem quamdam, cuius ſolutionem huc diſtuli explicandam, vbi de neceſſitate Euchariſtiæ, an ſit medij, an præcepti, diſputamus.

Quid ſit neceſſitas medij & præcepti.

SVBSECTIO I.

Ratio dubitandi, & quî ei à nonnullis reſpondeatur.

EA autem eſt: Baptiſmus non ita eſt neceſſarius ad ſalutem (& idem dico de Sacramento Pœnitentiæ, quod dicitur eſſe neceſſarium neceſſitate medij lapſis in mortale poſt Baptiſmum) vt non ſufficiat votum illius, id eſt contritio: atqui hoc modo etiam reſtitutio & obſeruatio omnium præceptorum eſt neceſſaria; quia licet in ſeipſa neceſſaria non ſit reſtitutio, eſt tamen ſaltem in voto ſui, ſiue in contritione: quæ ſicut eſt votum implicitum Baptiſmi & Pœnitentiæ, ita eſt votum implicitum obſeruationis præceptorum; ergo tam neceſſaria eſt reſtitutio neceſſitate medij quàm Baptiſmus. Vnde vlteriùs ad punctum noſtrum de Euchariſtia redeuntes, cùm conſtet illam eſſe ſub præcepto, ſaltem ſemel in anno, eo ipſo erit neceſſaria neceſſitate medij; ac proinde gratis in præſenti quæretur, quali neceſſitate requiratur. De hac obiectione egit Pater Vaſquez bis, eadem ferè vtrobique repetens, & Tomo 3. diſp. 169. cap. 1. & Tomo 4. quæſt. 84 art. 5. dubio vnico, Suarez Tomo 4. diſput. 17 ſect. 5. Coninck ad qu. 68. art. 2. Cardinalis Lugo diſp. 3. de Euchariſtia ſect. 1. 14

Videtur Euchariſtia poſito præcepto neceſſaria neceſſitate medij.

Canus ergo & alij, quos ſuprà Vaſquez citat, ob hoc argumentum dixerunt, ea quæ dicuntur neceſſaria neceſſitate medij debere vel per ſe immediatè influere, vel certè per explicitum votum ſui; quæ verò ſunt neceſſaria neceſſitate ſolùm præcepti non exigere huiuſmodi votum explicitum, ſed contenta eſſe implicito: vnde conſequenter docent, ſine expreſſo propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, vel ſine illo verè ſuſcepto, non poſſe hominem verè iuſtificari. Hæc tamen ſententia meritò reiicitur ab omnibus aliis; quia contritio (ſeu amor Dei ſuper omnia) habita cum ignorantia inuincibili Baptiſmi, ac proinde ſine explicito illius voto, iuſtificat: id quod hac occaſione confirmari poteſt, caſu quo aliquis Chriſtianus ſe baptizatum putans, cùm tamen non eſſet (id quod frequenter contingit) haberet actum amoris Dei, vel contritionis, ſine dubio iuſtificaretur; & tamen non haberet votum explicitum ſuſcipiendi Baptiſmum; ergo non requiritur tale votum expreſſum. Vti in pœnitentia poteſt contingere, vt aliquis fidelis peccator doleat ſuper omnia ſe Deum offendiſſe, & tamen tunc non recordetur confeſſionis; qui tamen ſine dubio iuſtificabitur: eſt autem quoad neceſſitatem medij eadem ratio de pœnitentia in eis qui poſt Baptiſmum grauiter peccarunt, quæ de Baptiſmo contra Originale.

Diſtinctio inter neceſſitatem medij & præcepti aliquorum Doctorum reiicitur.

Neceſſitas medij non requirit votum explicitum.

Ideò Secundò alij dicunt ita peccata dimitti per contritionem in ordine ad claues, id eſt, in ordine ad Pœnitentiæ Sacramentum (& idem eſt de Originali in ordine ad Baptiſmum) vt quamdiu homo non confitetur, quodammodò dicatur manere in peccatis; quia adhuc non ſatisfecit. Pro hac opinione citat Vaſquez eo art. 5. num. 8. Ioannem de Medina Cod. de Pœnitentia. Verùm hæc doctrina ſic prolata videtur eſſe vel hæretica, vel nihil ſpeciale dicere: etenim ſi doceat, homini per contritionem non deleri verè, ſimpliciter & abſolutè peccata, & eum nõ 15

Alia explicatio erroris arguitur.

 eſſe

Digitized by Google

eſſe amicum Dei, ac ſi tunc moriatur, non eſſe ſaluandum, erit minimum erronea ea doctrina contra Tridentinum, deficiens per contritionem & votum pœnitentiæ obtineri ſalutem ante ipſum Sacramentum:de quo nos nonnihil paulò ante, & fuſiùs Tomo 4. agentes de Contritione: ſi verò per illam limitationem, quam Medina poſuit, *quodammodò* intelligat talem hominem manere obligatum ad confeſſionem data occaſione, veriſſimum dicit:per hoc tamen non explicat differentiam inter ea quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti: nam etiam manet homo obligatus ad illa ſuo tempore exequenda.

Alia aliorum explicationes reiiciuntur.

Alij Tertiò videntur docere,contritionem per ordinem ad claues perfici, vt poſſit iuſtificare. Verùm & hæc ſententia facilè reiicitur, quia cùm contritio omnino ſit eadem in ſe,quæ eſſet, eſto Baptiſmus & Sacramentum Pœnitentiæ non fuiſſent inſtituta, non video quis ſit ille ordo, per quem illa contritio perficiatur ad iuſtificandum.

Quartò alij dicunt, ideò Baptiſmum eſſe neceſſarium in re vel in voto,quia illius neceſſitas non oritur ex præcepto : ſed quia eſt medium vnicum ad ſalutem. Verùm de hac ſententia fuſè nos egimus ſuprà oſtendentes, ſi non ſit poſitiuum præceptum de ipſo Baptiſmo,non poſſe in homine contrito eſſe obligationem illum ſuſcipiendi,cùm ante illum iam habeat per contritionem gratiam, & conſequenter etiam iam habeat medium ad ſalutem neceſſarium.

Sententia Coninck & eius explicatio.

Quinta explicatio eſt, contritionem, vt eſt votum Baptiſmi, vel confeſſionis, non afferre ſalutem, niſi cum directa obligatione Baptiſmi & confeſſionis; ſicut ad comparandum aliquid per emptionem neceſſarium eſt pretium, quia emptio eſſentialiter dicit ordinem ad pretium; ita dicunt iuſtificationem ipſam habitam virtute contritionis afferre obligationem Baptiſmi ſuſcipiendi. Ita Coninck ſuprà. Tota tamen hæc explicatio non continet niſi pura verba. Rogo enim, quid ſit illam contritionem habere dictam Baptiſmi obligationem,quodque non habeat etiam reſpectu reſtitutionis ſuo tempore faciendæ, aut reſpectu obſeruationis præceptorum reliquorum ? Vnde ea inſtantia pretij & emptionis non magis eſt pro voto Baptiſmi, quam pro voto faciendi alia opera, ad quæ ſub peccato homo tenetur. Abſolutè autem illud exemplum ideò non videtur ad rem,quia emptio ex ſe adducit obligationem ſoluendi pretium, ad quod ante emptionem non tenebamur : at verò contritio non adducit obligationem ſuſcipiendi Baptiſmi; hæc enim antea erat ; nec per contritionem augetur.

SVBSECTIO II.

Reſponſio Cardinalis Lugo.

16 *Explicatur Lugo, cur contritio ſit medium ad ſalutem non placet.*

CArdinalis Lugo cùm propoſuiſſet explicationem vnam bonam huius dubij,quam Vaſquez & alij tangunt, de qua nos paulò poſt, aliam addidit, quæ mihi minus probatur ; ait ergo contritionem ideò eſſe medium ad ſalutem, quia continet implicitè votum Baptiſmi, vel confeſſionis: potuit enim Deus inſtituere Sacramentum tanquam medium omnino neceſſarium ad ſalutem, ita tamen vt ſufficeret vel ipſum Sacramentum, vel voluntas Sacramenti, quatenus vicaria & ſupplens vicem Sacramenti in eius abſentia:nihil enim magis proportionatum ad ſupplendum pro aliquo opere externo quam voluntas & deſiderium perfectum illius : addit autem, vt contritio eſſet voluntas Sacramenti, & poſſet ſupplere pro illo, oportuiſſe præceptum imponi de ipſo Sacramento; eo enim præcepto impoſito, iam contritio eſt voluntas eius Sacramenti, quia eſt voluntas ſeruandi præcepta omnia. Vnde licet contritio æqualiter ex ſe ſit votum Sacramenti ac aliorum præceptorum, ſpecialiter tamen Deus mouetur à contritione, quatenus eſt vicaria Baptiſmi, & eius ſuſcipiendi votum ; nam licet Deus requirat pro diſpoſitione ad gratiam votum ſeruandi omnia præcepta, contritio tamen, vt eſt votum Baptiſmi, concurrit ad iuſtificationem duobus modis,& quatenus eſt votum Baptiſmi, qui eſt ſub præcepto;& quatenus eſt vicaria ipſius Baptiſmi. Vnde, etiamſi Deus non impoſuiſſet præceptum de illo ſuſcipiendo, adhuc eſſet neceſſarium cum contritione dari voluntatem Sacramenti ad hoc, vt Deus acceptaret illam loco Sacramenti; quia de facto voluit Sacramentum vel eius deſiderium eſſe medium neceſſarium ad ſalutem ; ita tamen id voluit, vt Sacramentum ipſum cum ſola attritione ſufficiat, ad deſiderium non niſi cum contritione perfecta : quòd verò hoc modo contritio concurrat,probat ex Tridentino docente Seſſione 6. can.4. ſine lauacro regenerationis, aut eius voto,fieri non poſſe iuſtificationem. Adducit præterea aliqua loca Ambroſij & Bernardi, quibus hi inſinuant vices gerere Baptiſmi eius deſiderium ſeu voluntatem illum ſuſcipiendi.

Eiuſdem explicationis probatio ex Tridentino, & Sanctis Patribus.

Quòd ſi obiicias ; Contritio illa acceptabatur antea ad remiſſionem peccati, etiam non eſſet tunc votum Baptiſmi ; ergo eodem modo nunc acceptabitur independenter ab eo deſiderio ; Reſpondet, Contritionem acceptari, non quia natura ſua ſufficiat ad hanc remiſſionem, ſed ex liberalitate Dei;ac proinde optimè poſſe Deum nunc attendere pro remiſſione, quòd illa ſit votum Baptiſmi, etiamſi id olim non attenderit. 17

Quòd ſi Secundò vrgeas per hoc, Non magis Baptiſmum eſſe neceſſarium in re vel in voto,quam ſit neceſſaria reſtitutio ; quia ſicuti iuſtificatio haberi non poteſt ſine Baptiſmo in re vel in voto incluſo in contritione;ita neque haberi poteſt eadem iuſtificatio ſine reſtitutione vel voto ipſius incluſo in contritione aut attritione; Reſpondet, Differentiam eſſe, quod reſtitutio, cuius contritio eſt votum, nunquam in ſe concurrit ad primam gratiam, ſicuti concurrit Baptiſmus. Poſt quæ addit, Si Deus Baptiſmum inſtituiſſet cum eadem vi quam nunc habet, non verò illum præcepiſſet, Eccleſia tamen impoſuiſſet præceptum de illo, non dicendum tunc illum neceſſarium in re vel in voto; nam licet contritio debuiſſet eſſe votum eius Baptiſmi tanquam rei præceptæ, non mouiſſet tamen Deum ad dandam gratiam,quatenus vicaria eſſet eius Baptiſmi, ſed quatenus eſſet retractatio peccati ; quatenus autem ipſa vel Baptiſmus cauſarent primam gratiam, poſſet etiam tunc dici neceſſaria in re vel in voto. Hæc ille fusè.

Solutio argumentorum contra explicationem Cardinalis Lugo.

Totam hanc doctrinam iudico, etſi terminis & voce videatur continere nouam explicationem eius neceſſitatis medij, re ipſa relabi in primam, quam diximus eſſe Vaſquez & aliorum, & quam ſtatim nos declarabimus ; ac proinde

Sententia Cardinalis Lugo coincidit in ſententiam Vaſquez.

non

non duas, ſed vnam eſſe explicationem:& verò ex ipſa doctrina id conſtat; nam dum reſpondet ſecundæ & vltimæ replicæ contra illam factæ, quòd ſcilicet non magis per eam declaretur, cur Baptiſmus, quàm cur reſtitutio ſit neceſſaria neceſſitate medij in re vel in voto, planè recurrit ad primam ſolutionem, quòd reſtitutio, cuius contritio eſt votum, non ſit cauſatiua primæ gratiæ, quando re ipſa exiſtit; id quod tamen Baptiſmus habet: hæc autem eſt ipſa prima ſolutio; ergo cùm poſt varias obiectiones contra ſecundam ſolutionem vltimò reſpondeatur per primam, iam tota ſecunda trahitur ad primam.

18 *Refutatur.*

Quidquid verò ſit, an duæ illæ coincidant, ſic argumentor: Nam quòd in ea dicitur, Deum moueri à contritione vt eſt vicaria confeſſionis aut Baptiſmi, ſi res benè conſideretur, non poteſt habere ſenſum vllum ad rem noſtram vtilem. (Suppono contritionem illam haberi cum ignorantia omnimoda Baptiſmi, ac proinde eamdem etiam numero haberi potuiſſe, eſto Baptiſmus non fuiſſet inſtitutus.) Vnde argumentor clariſſimè: Nihil penitus Deus videt nunc in ea contritione, quod non vidiſſet, caſu quo Baptiſmus non fuiſſet inſtitutus: atqui tunc nulla bonitas, nullum prædicatum fuiſſet in ea contritione, quod Deum alliceret, niſi quòd implicitè eſſet votum ſeruandi omnia præcepta, quæcumque illa ſint; ergo de facto Deus non mouetur per eam contritionem alio modo quàm ſub ea ratione implicita voti omnium præceptorum, quæcumque illa ſint; ac proinde nullam vtilitatem affert ille conceptus ſpecialis, *quod ſit votum Baptiſmi, & quòd dicatur illius vicaria.*

Argumentũ primum contra explicationem Cardinalis Lugo.

Confirmo hoc, & explico vim argumenti; Quòd contritio ſit nunc votum Baptiſmi, & dicatur vicaria illius, eſt denominatio præcisè extrinſeca, deſumpta ex eo quòd Deus præceperit Baptiſmum: atqui hæc denominatio extrinſeca nullam planè honeſtatem, aut bonitatem, aut libertatem tribuit illi contritioni, ratione cuius nunc poſſit Deum allicere ad dandam gratiam magis aut aliter quàm anteà (vt ex terminis eſt euidens:) atqui etiamſi contritio non moueat Deum quaſi ex natura ſua, neque ex natura ſua ſufficiat ad remiſſionem peccati, ſed liberaliter Deus ea ſit contentus: certiſſimum tamen debet eſſe apud omnes, Deum eam acceptare, ea contentari, quia eſt honeſta, ſupernaturalis, laudabilis; ac denique quia in ea homo purus exhibet nobiliſſimum actum quem poteſt; ergo cùm illa altera denominatio extrinſeca, quòd ſi votum Baptiſmi, nec honeſtatem, nec ſupernaturalitatem, nec nobilitatem ei vel per vmbram addat, ideóque non faciat hominem plus Deo aut aliud offerre quàm anteà, non video quomodo iam ſpecialiter ea contritione moueatur ſub titulo illius denominationis, aut illius vicariatus.

Confirmatur & explicatur argumentum

19 *Secundum argumentum contra explicationem Cardinalis Lugo.*

Secundò argumentor: Quantumcumque repetantur ea verba, *Contritio vt vicaria Sacramenti*, &c. nihil aliud per ea dicitur, quàm quòd contritio poſſit ſufficere abſente Sacramento; hoc autem certiſſimum eſt, nec longa indiget probatione. Porrò nihil aliud ibi dici patet clarè, quia contritionem eſſe vicariam Sacramenti nullum prædicatum in ea ponit, nullam addit dignitatem, quam non habuerit antequam inſtitutum fuiſſet Sacramentum: ſolùm eam denotat, quòd cauſat gratiam primam, quam etiam Sacramentum cauſat. Imò ex hoc capite videtur iam minoris æſtimationis eſſe contritio quàm anteà fuerit; nam anteà ita illa cauſabat primam gratiam, vt nihil aliud eſſet quod eam cauſaret, iam verò eſt aliud quod eam cauſet. Quòd ſi excludamus præceptum Baptiſmi, non magis contritio eſt illius vicaria, quam è contrario Baptiſmus vicarius contritionis; quia etiam tam contritio ſine Baptiſmo, quàm hic ſine contritione cauſant gratiam: quòd verò detur præceptum Baptiſmi, non facit contritionem magis eſſe vicariam illius quàm omnium aliorum præceptorum; ergo ex hoc capite nihil ſpeciale dicitur, niſi recurratur ad hoc, quòd Baptiſmus cauſet primam gratiam neceſſariam pro ſalute, quam reſtitutio vel obſeruatio aliorum præceptorum nunquam cauſat; ideóque præceptorum obſeruatio non dicatur in re vel in voto neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. Quod vero hic Auctor addidit, Etiamſi Deus non præcepiſſet Sacramentum, adhuc requirendum propoſitum illius ſimul cum contritione ad hoc vt remitterentur peccata; quia Deus voluit vt Sacramentum, vel eius deſiderium, eſſet medium vnicum ad ſalutem: hoc inquam mihi videtur planè repugnare iis quæ idem dixerat num. 15. contra aliquos Recentiores, ſcilicet, non poſſe intelligi, eſſe obligationem accipiendi Baptiſmi, ſi Baptiſmus non concipiatur præceptus; quia ſi præceptus non eſt, profectò homo ille, qui per contritionem habet gratiam, iam non indiget voto Baptiſmi ad ſalutem; non indiget inquam vt habeat gratiam, quia eam iam ſupponitur habere, non item vt non cadat ab illa, quia à gratia non caditur niſi per peccatum; peccatum autem non committitur niſi contra aliquod præceptum.

Cardinalis Lugo aſſerit repugnantia.

Dices: Deus voluit illam vel eius deſiderium eſſe medium ad ſalutem, ergo ad vnum è duobus tenemur; ergo debemus habere deſiderium Baptiſmi, ſi non habemus ipſum Baptiſmum. Sed contrà clarè, quia illa diſtinctio, *Deus voluit vt Sacramentum, vel eius deſiderium, ſit medium vnicum ad ſalutem*, in rigore habet locum in omnibus præceptis; nam etiam illa diſiunctiua eſt vera, Volo vt reſtitutio, vel eius votum; ſit medium vnicum ad ſalutem, ſeu vt ſit neceſſaria ad ſalutem: etenim ad veritatem diſiunctiuæ propoſitionis non requiritur, vt in vtraque ſaluetur illud prædicatum, ſed ſufficit, ſi in vna ex illis. Vti autem reſtitutio & eius votum non eſt medium; ita neque votum confeſſionis & confeſſio ſunt medium neceſſarium. ſecundo, iam oſtendi, in contritione non includi ſpecialiter votum confeſſionis magis quàm reſtituendi, ſeu quàm non furandi, niſi quatenus illa eſt voluntas ſeruandi omnia præcepta; ergo dicere, *Deus voluit, vt non niſi Baptiſmus, vel eius deſiderium, ſit ad ſalutem medium neceſſarium*, nihil aliud fuit dicere, quàm Volo vt vel Baptiſmus, vel contritio, quæ eſt voluntas omnium præceptorum, inter quæ eſt etiam præceptum de Baptiſmo, concurrat ad ſalutem; pro quo iam ſupponitur præceptum Baptiſmi. 20

Verùm Tertio id reiicio magis ſpeculatiuè, & meo iudicio efficaciter ex dictis. Antequam Deus ipſe præcipiat Baptiſmum, vel confeſſionem, nondum contritio concipitur, nec concipi poteſt vt votum illius, quia contritio (vt immediatè

Tertium argumentum contra explicationem Cardinalis Lugo.

Digitized by Google

mediatè dixi) ſolùm eſt in genere votum omnium præceptorum; ergo antequam confeſſio ſit ſub præcepto, nequit contritio eſſe votum illius, ſeu deſiderium illius: ſicut, antequam habeat Deus voluntatem me obligantem ad ſtudendum, non poteſt contritio eſſe votum vel deſiderij intelligit contritionem, repugnat in terminis, vt antequam dicat, *Volo Baptiſmum eſſe ſub obligatione*, dicat, *vt non niſi per illum, vel per eius deſiderium, detur gratia*, quia reſponderem ego tunc Deo, Domine adhuc in contritione nullum eſt deſiderium & votum Baptiſmi; ſicut non eſt in ea votum Circumciſionis, aut ſaltus, aut ſtudij; quomodo ergo per contritionem intelligis votum Baptiſmi? imponas priùs præceptum Baptiſmi, & tunc rectè dices, *Nolo niſi per illum, aut per contritionem, quæ eſt eius votum, conferre primam gratiam*: vti antequam præcipiatur ſtudium, non poteſt Deus dicere loquendo de contritione, Volo per votum & deſiderium ſtudij hominem iuſtificari: ſi (vt aliqui Auctores dicunt) neceſſariò requireretur in contritione ad ſalutem explicitum deſiderium Baptiſmi, haberet ea diſiunctiua locum, etiam ante omne præceptum Baptiſmi; at in implicito illo deſiderio non poteſt id fieri.

21 Teſtimonium Concilij Tridentini pro explicatione Cardinalis Lugo non vrget; neque teſtimonia Sāctorum Patrū quidquam probant.

Hinc apparet, ea quæ adducebantur ex Concilio Tridentino non vrgere; quia quòd Concilium dixit, Baptiſmum in re vel in voto eſſe neceſſarium, omnes ſcimus; inde autem nihil adducitur de explicatione huius Auctoris. Quæ item ex Ambroſio & Bernardo minùs vrgent; nam Ambroſius loquitur de expreſſo deſiderio, quod de Baptiſmo ſuſcipiendo habuit Valentinianus; ac ſi diceret, Ille iam petierat Baptiſmum ardenter; cenſendum ergo eſt obtinuiſſe à Deo effectum, interueniente tamen diſpoſitione alioquin ad huius effectum neceſſaria. Nam ſi de ſolo deſiderio (vt verba Ambroſij ſonant) intelligatur, omnino eſſet ea doctrina erronea: nam deſiderium poteſt homo habere efficaciſſimum; & tamen non ideò iuſtificabitur, ſi non habeat contritionem. Ex hac ergo doctrina quid quæſo infertur ad huius Auctoris conſiderationes? Idem autem dico ad Bernardum, qui quando ait voluntatem pro facto reputari, non poteſt vt iacet intelligi; quia voluntas Baptiſmi non eſt Baptiſmus, nec voluntas contritionis eſt contritio; debet ergo explicari, quòd Deus ita ſæpè acceptet eam voluntatem, vt interiùs moueat hominem per auxilia congrua ad habendam veram contritionem: vnde nihil aliud ad rem noſtram deducitur, quàm quòd contritio ſuppleat defectum Baptiſmi: id quod nos libentiſſimè admittimus.

SVBSECTIO III.

Duæ aliæ eius dubij explicationes.

22 Explicatio Vaſquez. cur Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medij potiùs quàm reſtitutio.

HIs ergo explicationibus reiectis, facilis & clara ea eſt, quam Vaſquez & ipſe Lugo & alij tradunt; ideò Baptiſmum dici neceſſarium neceſſitate medij in re vel in voto præ reſtitutione & obſeruatione aliorum præceptorum, quòd Baptiſmus, quando exiſtit ſine ſui voto, dat primam gratiam, quæ eſt neceſſarium medium ad obtinendam ſalutem, & cauſa poſitiua illius. At reſtitutio v. g. quando exiſtit, non eſt cauſatiua gratiæ nec primæ nec ſecundæ; ac proinde non influit vt medium poſitiuum in gloriam, ſed, iuxta ſæpè dicta, tanquam remouens peccatum, quod prohibere poterat eam gloriam. Hæc differentia poteſt aliis terminis fortè clarioribus explicari, vt ideò Baptiſmus in re vel in voto dicatur medium neceſſarium ad ſalutem, quia tam ipſe quàm eius votum ſunt cauſatiua gratiæ primæ; at in reſtitutione & eius voto vna ſola pars eſt cauſatiua gratiæ, ſcilicet votum reſtitutionis, non ipſa reſtitutio.

Differentia explicatur.

Et alia aſſignatur.

Secundam differentiam ego in hoc puncto inuenio meo iudicio ſatis notabilem; nam votum reſtitutionis & obſeruationis præceptorum poteſt eſſe in ſe naturale: ad vitandum enim peccatum in futurum non requiritur actus ſupernaturalis, imò per actum venialiter malum poſſum vitare peccatum mortale: & hoc ſolum ſufficit mihi ad ſalutem, quantum attinet ad carentiam peccati, ergo nec quidem votum reſtitutionis eſt cauſatiuum primæ gratiæ: at votum Baptiſmi, prout requiritur ad tollendum peccatum præcedens, neceſſariò debet eſſe ſupernaturale, ſeu neceſſariò eſt ipſa contritio, quæ habet vim cauſandi gratiam. Ne verò obiicias, Sicut poteſt eſſe votum reſtitutionis per actum naturalem, ita etiam poſſe eſſe votum Baptiſmi per actum naturalem, & ſicut ego dico votum Baptiſmi, quod dicitur ſufficiens ad tollendum peccatum, debere eſſe ſupernaturale, ita te reſponſurum, Votum illud reſtitutionis, quod dicitur neceſſarium ad ſalutem, debere eſſe ſupernaturale, & identificatum cum contritione: ne inquam hoc mihi obijcias, aduerte poſſe nos dupliciter loqui de voto reſtitutionis, vel ſolùm vt eſt votum reſtituendi rem alienam, quam adhuc ſine peccato apud me habeo, vel vt eſt votum reſtituendi rem alienam, quam peccaminoſè accepi, ſi loquamur de priore caſu, certum eſt illud votum poſſe eſſe naturale & ſufficientiſſimum ad ſalutem: & idem dico de propoſito ſeruandi omnia præcepta. Imò addo, in rigore nullum tale propoſitum tum eſſe ad ſalutem neceſſarium, nam ſi per ignorantiam inuincibilem homo illud omittat, aut quia non datur occaſio eius præcepti ſeruandi, per puram omiſſionem nihil de ea re decernat, ſine dubio poterit omnino ſaluari. Vnde colligo, nec obſeruationem præceptorum, nec eius votum eſſe in toto rigore ad ſalutem neceſſarium; quia ſi vtraque omittatur inculpabiliter, non ideò de ſalute periclitabitur homo; ſecùs omnino eſt in Baptiſmo, vel confeſſione, & eius voto, nam ſi vtrumque omittatur, ſiue id fiat culpabiliter ſiue inculpabiliter, ſaluari nequaquam homo poterit. Vides ergo clariſſimam & palpabiliſſimam differentiam; licet enim dixerimus contritionem eodem modo eſſe votum præceptorum ac eſt Baptiſmi, clarè tamen conſtat Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem in re vel in voto, ita vt ſi vtrumque omittat, nequeat eſſe ſaluus. At etiamſi negligatur tam reſtitutio quàm eius votum, dummodò id fiat inculpabiliter, poteſt eſſe ſaluus. Vnde haud bene ſupponunt communiter Theologi reſtitutionem in re vel in voto, & idem dico de reliquorum præceptorum obſeruatione, eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſicut re ipſa eſt neceſſarius Baptiſmus. Quòd ſi ideò loquamur de reſtitutione ſupponente hominem peccaſſe auferendo rem alienam, & adhuc in eo peccato eum manere, tunc oportet ibi duo diſtinguere, vnum eſt, exire ex peccato; alterum eſt, reſtitutionem

23 Obiectio ſoluta.

Et differentia illuſtrata.

Quomodo reſtitutio & obſeruatio præceptorum diuinorum ſint ad ſalutem neceſſaria.

Digitized by Google

tionem facere: quæ duo ſunt valdè ſeparabilia: poteſt enim homo reſtituere, & tamen adhuc manere in ſuo peccato; poteſt item ei remitti peccatum antequam reſtituat, imò & antequam habeat animum reſtituendi: ſi enim ex ignorantia inuincibili putat ſe non teneri ad reſtitutionem, haud dubiè poterit iuſtificari etiam poſitiuè volens non reſtituere: duo ergo illa, reſtituere & exire ex peccato furti, ſunt inter ſe diuerſa: ad vnum ergo ex illis, id eſt, ad exeundum ex peccato, requiritur tunc contritio, quæ eſt implicitum votum reſtituendi; at ea non requiritur quatenus exire ex peccato eſt aliquid de neceſſitate præcepti, ſed quatenus eſt de neceſſitate medij Ipſam verò reſtitutionem, qua propriè impletur præceptum, dicimus non eſſe neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem neque in re neque in voto. In hoc autem ſolo ſenſu agimus, dum de voto obſeruationis præceptorum agimus: non enim diſputamus de voto extendi ex peccato commiſſo contra præcepta, ſed de obſeruatione futura præceptorum; iam autem oſtendi, talem obſeruationem neque in re neque in voto eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem. Vnde clariſſima deſumitur differentia inter Baptiſmum & auditionem Sacri v.g. die Feſto: & idem eſt de aliis præceptis.

24 *Obiectio.*

Dices Primò: Fortè hæc doctrina locum habet in Baptiſmo & eius voto reſpectu voti de obſeruatione præceptorum, & reſpectu ipſius obſeruationis; nam ſine Baptiſmo aut voto illius nemo poteſt ſaluari, poteſt verò ſine obſeruatione præceptorum & eius voto: vt ſaluantur infantes baptizati tunc mortui, & ſaluaretur ille, qui in infantia baptizatus, & poſteà adultus, nunquam ſeruaſſet præcepta, ex ignorantia tamen inuincibili; neque habuiſſet votum eius obſeruantiæ, quia ea de re non cogitauit. At non poteſt id in Pœnitentia & eius voto dici, quia confeſſio, aut eius votum, non eſt neceſſaria ad ſalutem, niſi homini qui mortaliter iam peccauit; hic autem etiam non poteſt niſi per obſeruationem præceptorum aut eius votum ſaluari; quia niſi habeat contritionem, vel attritionem, quæ eſt votum, vt diximus, obſeruationis præceptorum, nullo modo ſaluabitur; ſicut non poteſt ſaluari ſine confeſſione aut eius voto, eadem ergo eſt de vtroque ratio. Reſpondeo, Ex huius replicæ ſolutione clariùs apparituram doctrinæ veritatem; dico ergo, Quando iam ſupponitur peccatum in homine, non poſſe habere locum eam diſiunctiuam quam Theologi ponunt, *Sufficere ad ſalutem reſtitutionem vel votum eius*; ſed (vt vera ſit) debere omnino intelligi de homine iam exiſtente in gratia: in quo tamen etiam adhuc non eſt vniuerſaliter vera; ac proinde concludo, eam propoſitionem diſiunctiuam nunquam eſſe veram. Probo ergo ſubſumptum: Nam qui dicit, *Hoc vel illud ſufficit ad ſalutem*, ſupponit procul dubio communiter loquendo, neutrum eſſe neceſſarium determinatè, ſed quodlibet ex illis ſufficere; nam ſi vnum ex illis determinatè requiritur, alterum verò non ſufficit, nec requiritur, non deberet dici, Hoc vel illud ſufficit, ſed, Hoc determinatè requiritur & ſufficit. At ſuppoſito peccato non ſufficit ad ſalutem reſtitutio, ſed requiritur determinate votum illius; ergo non deberet tunc dici, *Reſtitutio vel votum illius eſt neceſſarium, & ſufficit*, ſed determinatè, *Votum reſtitutionis eſt neceſſarium medium ad ſalutem.* Explico: Illa diſiunctiua, *Reſtitutio vel votum eius requiritur ad ſalutem*, non magis eſt vera quam hæc, *Votum reſtitutionis vel meus ſaltus requiritur ad ſalutem*: quia ſicut ſaltus nec ſufficit nec requiritur, ita reſtitutio in ſe nec ſufficit; quia eſto reſtituam, ſi contritionem, quæ eſt eius votum, non habeam, non ſaluabor; nec requiritur, quia per ſolum votum illius ſaluabor; ergo illa pars diſiunctionis *reſtitutio* tam eſt otioſa ibi quam ſi dicerem, *Saltus vel reſtitutionis votum eſt neceſſarium ad ſalutem.* Vnde clariſſimè apparet differentia in ordine ad confeſſionem; nam in ea ita eſt per ſe illa propoſitio, *Confeſſio aut votum confeſſionis eſt neceſſarium ad ſalutem*, vt quodlibet ſufficiat, ac proinde ſit diſiunctiua rigoroſa, & per ſe, non verò diſparata. Quod ſi 25
loquamur de homine exiſtente in gratia, licet ibi poſſit bono ſenſu dici ad ſalutem ſufficere, quod vel obſeruet præcepta, vel habeat de illa obſeruatione votum: quia ſi præcepta obſeruet eſto non habeat contritionem, quam nomine voti intelligimus, ſaluabitur; ac proinde iam illa diſiunctiua verificari poſſit in vna parte diſiunctionis. Iam tamen paulò antè oſtendi, hominem exiſtentem in gratia poſſe ſaluari, etiamſi nullum obſeruet præceptum, neque habeat votum obſeruandi. Et quidem de voto res eſt clariſſima, quia non eſt neceſſarium vt ille habeat iam contritionem, aut actum vllum poſitiuum & ſaluetur. De obſeruatione verò etiam patet, quia (vt & paulò antè notaui) etiamſi ille ea præcepta tranſgrediatur, ſi tamen ob ignorantiam inuincibilem non peccet, adhuc ſaluabitur; ergo in tali homine non eſt neceſſaria ad ſalutem obſeruatio præceptorum re ipſa poſita; ergo pro nullo ſtatu ea diſiunctiua eſt vera, ſicut eſt altera de confeſſione; nam ſuppoſito peccato vel ipſa confeſſio, vel votum illius, vel contritio ſufficiunt ita ad ſalutem, vt vnum ex illis requiratur. Secundò oſtendo, eam diſiunctiuam, *Reſtitutio vel eius votum requiritur ad ſalutem*, eſſe minùs veram; nam vel nomine voti reſtitutionis intelligitur ſola contritio, vel includitur etiam attritio in confeſſionis Sacramento. Si primum dicatur, tunc clarè falſa eſt ea diſiunctiua; nam tam ſine contritione (quæ ſola iam ſupponitur vocari votum reſtitutionis, ideóque & diſtinguitur ab attritione & ab ipſa reſtitutione) quam ſine ipſa reſtitutione poteſt homo ſaluari per attritionem cum Sacramento: quòd ſi ideò dicatur ſecundum, ſcilicet nomine voti intelligi etiam attritionem in Sacramento, tunc rurſus videtur falſa ea diſiunctiua; nam ad ſalutem non requiritur illud votum, quia votum ſignificat tam attritionem quàm contritionem: atqui non requiritur attritio in Sacramento & ſimul contritio: altera enim illarum ſufficit: quod ſi dicatur nomine voti non debere duos actus illos includi copulatiuè, ſed diſiunctè, ac ſi dixiſſem, Reſtitutio vel eius votum per attritionem in confeſſione, vel extra confeſſionem per ſolam contritionem debet interuenire ad ſalutem: ſi 26
hoc inquam modo explicueris propoſitionem, manebit adhuc difficultas, quòd videatur illa vox *votum* accipi æquiuocè: nam quando loquimur de Baptiſmo & confeſſione, & dicimus, *Baptiſmus vel eius votum, confeſſio vel eius votum requiritur ad ſalutem*, ſolam intelligimus contritionem nomine voti: at quando dicimus *Reſtitutio vel eius votum, obſeruatio præceptorum vel eius votum eſt neceſſaria ad ſalutem*, accipimus

Illuſtrat doctrinam propoſitam.

De reſtitutione & eius voto.

De confeſſione & eius voto.

De obſeruatione præceptorum.

Examinatur veritas huius propoſitionis Reſtitutio vel eius votum requiritur ad ſalutem.

Quid nomine voti intelligatur.

An contritio, an attritio.

Digitized by Google

accipimus votum tam pro attritione quàm pro ipſa contritione : id quod abſurdum valdè eſt. Deinde manet adhuc tota difficultas ſuprà tacta, quod ſcilicet tunc reſtitutio ibi ponatur otioſè, quia reuerà illa non ſufficit, nec requiritur, ſed præciſè votum illius prout comprehendit attritionem in Sacramento, aut contritionem extra. Denique cum attritio, ex eo quod ſit intra Sacramentum, non fiat magis votum reſtitutionis, quam ſi eſſet ſola ; quia ratio voti idem eſt quod ratio propoſiti ſeruandi præcepta ; & per hoc quod attritio ſit intra Sacramentum, non eſt magis propoſitum ſeruandi præcepta, quam ſi ſit extra ; vt patet ex terminis ; attritio autem extra Sacramentum non poſſit ad rem noſtram intelligi nomine voti de ea reſtitutionis, quia illa extra Sacramentum nullo modo ſufficit ad iuſtificandum ; profectò illa vox *votum reſtitutionis* ſic abſolute dicta ſignificare nequaquam poteſt attritionem in confeſſione, cum, vt dixi, nec ſignificet attritionem extra Sacramentum. Ex iis omnibus colligitur clarè, non poſſe in vllo ſenſu declarari eam diſiunctiuam in præceptis, vti e contrario oſtendimus veriſſimam eſſe in Baptiſmo & Pœnitentia ac in eorum voto.

27 *Altera obiectio.* Fortaſſe adhuc vltimò dices ita eam propoſitionem debere explicari, vt nomine obſeruationis præcepti intelligatur non tam poſitiua obſeruatio quam negatiua ; ac ſi diceremus, Requiritur ad ſalutem ne quis peccet, aut ſi peccauerit, habeat contritionem. *Reiicitur Primò.* Sed contrà, quia hic ſenſus eſt planè alienus ab omnibus Scholaſticis ; quia quando dicunt *requiri reſtitutionem vel votum illius*, haud dubiè intelligunt poſitiuam reſtitutionem vel eius votum : non autem ſunt contenti omiſſione reſtitutionis non peccaminoſa ; ergo idem erit dum de obſeruatione præceptorum loquuntur. *Secundò,* Contra Secundò, quia propriè non poteſt ea non-tranſgreſſio dici obſeruatio : quis enim dicet infantibus pro eo ſtatu eſſe neceſſariam obſeruationem præceptorum, vel propoſitum illius ? aut quis dicet eos obſeruare præcepta ? *Tertiò.* Contrà Tertiò, etiam in eo ſenſu eſt inſufficiens illa diſiunctiua ; nam non peccare non ſufficit ad ſalutem, niſi quando homo ſupponitur iam eſſe in gratia, ergo per hoc non explicatur vniuerſalis veritas eius diſiunctiuæ : quia quando iam homo eſt in gratia, non requiritur votum obſeruationis, ſed ſola obſeruatio ; vnde gratis ibi ponitur *vel*. Quod ſi è contrario ſupponatur homo in peccato, tunc & requiritur non peccare de nouo, & prætereà contritio, vel confeſſio ; ac proinde etiam tunc non eſt vera illa diſiunctiua vt diſiunctiua ; ſed deberet dici, *Oportet vt, ſi ſaluari vult, agat pœnitentiam, & non peccet.* Denique habet illa propoſitio magnam difficultatem ; nam quando dicit, *Obſeruatio præceptorum, aut eius votum neceſſarium ad ſalutem*, vel intelligitur τὸ *obſeruatio*, ſeu τὸ *non peccare* per totam vitam, vel ſolo tempore ante mortem : etenim illud non peccare eſt indifferens ad vtrumque ſenſum ; ſi de tota vita id dicatur, manifeſtè conſtat illam diſiunctiuam non eſſe veram ; nam ad ſalutem non eſt neceſſarium vel tota vita non peccare, vel habere votum non peccandi tota vita : ſi autem id intelligatur de hora mortis, ſeu de vltima morula vitæ, in qua eſt homo compos ſui, tunc ſine dubio eſt neceſſum non peccare; at ſi homo ſupponatur fuiſſe anteà in habituali peccato, non ſufficit id ; ac proinde non erit dicendum diſiunctiuè, *Sufficit vel non peccare, vel habere votum non peccandi* ; ſed vtrumque erit neceſſarium, quia erit neceſſarium & non peccare, & agere pœnitentiam : ſi autem è contrario homo ſupponatur eſſe in gratia, tunc ſolum ipſum non peccare erit illi neceſſarium, ac proinde non erit propriè diſiunctiuè loquendum, *Erit neceſſarium non peccare, vel vouere non peccare* ; ſed determinatè erit dicendum, 28 *Solum eſt neceſſarium non peccare.* Adde, ſi τὸ *obſeruare præcepta* vſurpetur pro eodem ac non peccare, non facilè intelligi, quomodo illud ex integro condiſtinguatur ab hoc, quod eſt velle efficaciter non peccare, vt poſſit poni ea diſiunctiua ; vel certè cum ipſum velle efficaciter non peccare includat neceſſariò non peccare, & ipſum non peccare ſit pro re præſenti velle non peccare, quandoquidem non peccare liberè ſit æquiualenter velle non peccare ; neque aliud velle non peccare ſit neceſſarium ad ſalutem in homine iam exiſtente in gratia, quomodo ibi dicitur, Eſt neceſſarium vel non peccare vel proponere non peccare?

Concluditur propoſitionem hanc, Reſtitutio vel votum illius eſt ad ſalutem neceſſaria, *non habere vllum verum ſenſum.* Ex his omnibus concludo, illam diſiunctiuam *Reſtitutio vel votum illius eſt ad ſalutem neceſſaria*, non habere vllum proprium ſenſum verum ; vti illum habent duæ illæ diſiunctiuæ, *Baptiſmus vel eius votum eſt neceſſarium ad ſalutem*, *Confeſſio vel eius votum in homine peccante poſt Baptiſmum grauiter requiritur ad ſalutem* : quia ita hic ea duo in diſiunctione poſita requiruntur, vt quolibet ſufficiat, ac proinde ſit in omni rigore bona illa diſiunctiua : vti eſt bona illa, qua vtuntur Logici, *Oculus dexter vel ſiniſter requiritur ad videndum* ; vnde ſicut infertur tam oculum ſiniſtrum quam dextrum eſſe medium ad videndum, ita in præſenti rectè infertur tam Baptiſmū quam votum illius eſſe medium ad ſalutem. Illa autem diſiunctiua, *Reſtitutio vel eius votum eſt neceſſaria ad ſalutem*, non eſt vera, quia vt oſtendi, ſine vtraque poteſt homo ſaluari, ſi, vt dixi ; & obſeruatio præceptorum & votum illius omittatur ſine peccato. Et ſatis de hac diuerſitate inter ea quæ dicuntur neceſſaria neceſſitate medij & medij & neceſſitate præcepti : de qua fuſius egi, quia communiter minùs eſt diſcuſſa illa diſiunctiua, *Reſtitutio vel eius votum*, &c.

SVBSECTIO IV.

Quid tandem de Euchariſtia neceſſitate dicendum.

29 *Sententia hæreticorum apud Suarez, Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medij.* EXPLICATA ergo neceſſitate medij & præcepti, iam oportet videre, quo ex his modis Euchariſtia ſit ad ſalutem neceſſaria. A quo puncto faciliùs nos expediemus quam à præcedenti. Pater Suarez diſp. 40. ſect. 2. ait olim quoſdam hæreticos putaſſe, Sacramentū Euchariſtiæ re ipſa ſuſceptum eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, ideoque aliquos ex illis etiam infantibus ſimul cum Baptiſmo dediſſe Euchariſtiam, alios verò etiam ipſis mortuis. Pater Valētia hoc 4. To. d. 6. q. 1. pun. 3. ait ex hac conſuetudine non colligi ſufficiēter, eos hæreticos erraſſe in puncto neceſſitatis Euchariſtiæ, quia potuerūt fortaſſe id facere, vel quia cenſebant Baptiſmum non

Digitized by Google

non dari validè ſine Euchariſtia, vel quia putabant magis prodeſſe;quo etiam modo potuerunt illi alij dare mortuis Euchariſtiam ob maiorem vtilitatem. In hanc ſententiam Valentiæ conſentit etiam Cardinalis Lugo. Ego tamen iudico valdè probabiliter Suarium dixiſſe, illos hæreticos id putaſſe, maximè de his qui mortuis dabant Euchariſtiam: non enim rem tam ex ſe abſurdam credendi ſunt feciſſe ob ſolum augmentum gratiæ, ſed ne illa anima æternùm periret. Denique & Cardinalis Lugo & Valentia non aliam habent euaſionem, quàm quòd forſan id fecerunt ob alterum finem: quo in puncto, ſi ad diuinationem recurrendum eſt, profectò magis videtur connaturale tribuere illis pro motiuo illud, quod per ſe ſtatim videtur annexum tali actioni, quam aliquod aliud magis diſparatum. Verùm, quidquid de hoc ſit, certa & Catholica ſententia eſt,non eſſe eo modo neceſſarium hoc Sacramentum, vt videre eſt apud Valentiam & Suarium eo loco, & Vaſquez. q. 169. c. 2. idem etiam D. Thomas videtur docere q. 65. a. 4. vbi ait duo ſolùm Sacramenta ſimpliciter eſſe neceſſaria vnicuique ad ſalutem, Baptiſmum, Pœnitentiam item, ſi ſequatur mortale poſt Baptiſmum. In probatione huius ſententiæ nulla eſt difficultas; cùm enim Sacramentum hoc ſit (vt dici ſolet) Sacramentum viuorum, non mortuorum, ac proinde ex ſe omnino ſupponat hominem in gratia, non poteſt eſſe neceſſarium medium ad ſalutem; quia homo habens gratiam iam eo ipſo habet omnia neceſſaria ad ſalutem:ſi enim tunc moriatur, eo ipſo ſaluabitur.

Defenditur opinio Suarez contra Valentiam & Cardinalem Lugo.

Catholica ſententia, Euchariſtiā non eſſe neceſſariam neceſſitate medij.

Reſpondebis, Hoc argumentum nullius eſſe momenti; nam eodem modo poſſem dicere, Si homo per contritionem ſit in gratia,& moriatur iam nihil illi deeſt ad ſalutem etiam ante Sacramentum Pœnitentiæ;& tamen hoc non obſtante Sacramentum eſt neceſſarium;ergo. Reſpondeo ex dictis paulò antè, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe per ſe inſtitutum ad dandam eam primam vitam, contritionem autem loco illius poni, ac Euchariſtiam, vt ex argumento facto conſtat,ex ſua inſtitutione ſupponere hominem in gratia, neque ipſam eſſe inſtitutam ad primam gratiam; ergo.

Quia ſupponit hominem in gratia.

30 Secundò dices: Eſto non ſit medium ad dandam primam gratiam,poteſt tamen eſſe medium neceſſarium ad eius conſeruationem; & conſequenter poterit eſſe medium ad ſalutem. Sed contrà, quia perſeuerantia in gratia vel vſurpatur pro diuturna permanentia in gratia poſt primam acceptam; & hæc non eſt neceſſaria ad ſalutem: vnde licet ad illam ſit neceſſaria Euchariſtia, non inde infertur, hanc eſſe neceſſariam ad ſalutem.Probo antecedens Primò; nam poteſt homo mori ſtatim, cùm primùm accepit gratiam baptiſmalem: Secundò,quia eſto longo tempore homo viuat,non eſt neceſſarium vt toto eo conſeruet gratiam; nam etſi ſingulis diebus labatur, dummodò ſingulis diebus, vel ſaltem vltimo die reſurgat, ſatis eſt, vt adueniente morte, poſtquam reſurrexit, ſaluetur. Iam autem dixi ad reſurgendum non eſſe neceſſarium hoc Sacramentum, imò per ſe nec vtile, quia potiùs ſemper ſupponit iam hominem in gratia. Dico, Eſto concederemus eſſe neceſſariam eam longam perſeuerantiam in gratia, adhuc nihil inde inferretur de neceſſitate Euchariſtiæ; nam auxilia, quæ Deus dat hominibus independenter ab Euchariſtia, ſunt ſufficientia ad perſeuerandum in gratia. Licet enim Concilium Tridentinum ponat inter effectus huius Sacramenti auxilia ſpecialia præſeruatiua à peccatis; non tamen id ita intelligendum eſt, vt ea auxilia non dentur niſi per Euchariſtiam, ſed quia maiora per illam dantur. Hoc ipſum oſtendo in aliis Sacramentis v. g. in Extrema Vnctione & Confirmatione; nam (vt ſuprà diximus) licet Confirmatio obtineat homini ſpecialia auxilia ad fortiter reſiſtendum Tyranno,& Extrema Vnctio ad patienter tolerandum mortis & infirmitatis dolores; non tamen propterea & qui non eſt confirmatus,& qui Extremam Vnctionem non ſuſcepit, non poteſt & Tyranno reſiſtere & moleſtias mortis tolerare. Vlteriùs probant alij, ad eam perſeuerantiam Euchariſtiam non eſſe medium neceſſarium; quia ſi illa perſeuerantia eſſet effectus huius Sacramenti, conferretur infallibiliter omnibus illud ſuſcipientibus; quia Sacramenta habent ſuos effectus certos. Non putarem tamen hinc quidquam pro nobis ſufficienter euinci; nam licet ea certitudo in effectu gratiæ habitualis ſit vera; ſemper enim gratia datur dignè ſuſcipienti; non video tamen vbi ſit definitum, auxilia, quæ deinde in occaſionibus occurrentibus ſolent dari, dari infallibiliter. Poſſet ergò dici, ſine Euchariſtia non dari huiuſmodi auxilia, non tamen propterea dari omnibus Euchariſtiam ſumentibus;omiſſo ergo hoc argumento, ſufficiant quæ poſuimus.

Ad reſurgendum à peccatis non eſt neceſſarium hoc Sacramentum.

Et aliunde ſunt auxilia ſufficientia ad perſeuerandum in gratia.

31 Ex his autem à fortiori debet inferri, non eſſe hoc Sacramentum neceſſarium neceſſitate medij ad perſeuerantiam, prout ſignificat non quidem longam durationem in gratia, ſed mortem ipſam in gratia, eſto contingat ſtatim poſtquam homo exiuit ex peccato;quia tunc nulla penitus eſt ratio cur requiratur, vt enim aliquis me dormientem occidat poſtquam veni ex confeſſione, & eo ipſo moriar in gratia, aut vt me inuadat tunc apoplexia, &c. non eſt neceſſaria Euchariſtia.

Infertur, Euchariſtiam non eſſe neceſſarium medium ad perſeuerantiam finalem

SVBSECTIO V.

Obiectiones ſolutæ.

CONTRA hanc veritatem objiciuntur communiter aliqua, quæ breuiter explicanda ſunt. Primum: Hoc Sacramentum eſt per modum cibi, ergo eſt neceſſarium ſimpliciter ad ſalutem ſicut cibus. Reſpondeo, In his allegoriis non eſſe quærendam ſimilitudinem in omnibus. Secundo dico: Cùm vt homo ſaluetur non ſit neceſſarium diu viuere poſtquam eſt in gratia, ſed ſi ſtatim moriatur, ſaluus ſit; ad hoc autem vt acquirat primam gratiam, non ſit neceſſarium hoc Sacramentum, inde eſt,neque neceſſarium illud eſſe ad ſalutem. Tertiò dico: Vita ſpiritualis ſemel acquiſita non tollitur, neque patitur, niſi voluntariè nos eam per peccatum deſtruamus. Nos autem poſſumus etiam ſine Euchariſtia per auxilia gratiæ, quæ Deus nobis dat, reſiſtere peccatis. Vbi Suarez & Lugo addendum putant, dari aliquam moralem neceſſitatem Euchariſtiæ; nam ſi quis ex negligentia omittit hunc cibum, fortaſſe Deus negabit illi auxilia congrua ad non peccandum. Quæ quidem doctrina veriſſima eſt, non tamen ad rem noſtram,hic enim agimus de neceſſitate ad

Licet ſit cibus animæ,

Et aliquando occurrat neceſſitas moralis ſumendi Euchariſtiam iuxta Suarez & Lugo,

Digitized by Google

ad ſalutem; longè autem minus requiritur ad ſalutem quam ad perſeuerantiam in gratia per longum tempus; quia(vt obſeruaui paulò antè) ad ſalutem non requiritur ea longa perſeuerantia; imò omnino iudico valdè multos ſaluari, qui, vt ſuprà dixi, etiam ſingulis diebus cadunt; qui tamen pœnitentiam frequenter agunt, vel certè circa horam mortis; ergo. Quidquid ſit de neceſſitate morali Euchariſtiæ ad longam perſeuerantiam in gratia; nihil tamen inde de neceſſitate etiam morali illius ad ſalutem.

32 *Neque maior nobilitas Sacramenti arguit maiorem neceſſitatem illius.*

Secundò objicitur: Hoc Sacramentum eſt nobiliſſimum inter omnia, ergo & maximè neceſſarium. Negatur conſequentia; potiùs enim inde infertur, eſſe minimè neceſſarium; quia debet ob ſuam excellentiam ſupponere hominem in gratia.

Tertiò objicitur: Illi tribuitur à Patribus reſurrectio corporum; ergo. Reſpondeo, Eſto ad reſurrectionem corporis diceremus eſſe neceſſarium, non continuò quidquam inferri abſolutè de ſalute; quia animæ vt videant Deum non indigent reſurrectione corporum. Secundò reſpondeo, Eos Patres, quos Suarez ſect. 1. citat, & benè explicat deinde ſect. 2. non dicere, Euchariſtiam eſſe ad eam reſurrectionem neceſſariam, ſed ad eam conducere, quatenus conducit ad perſeuerantiam in gratia, & ad mortem in gratia; qua mediante talus animæ & corporis reſurrectio glorioſa obtinetur.

Quartò objicitur locus ille Chriſti Domini Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: non enim aliter ibi loquitur Chriſtus de hoc Sacramento, quam dixerat de Baptiſmo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Reſpondeo, Ex ijs verbis non inferri aliud quàm neceſſitatem præcepti: ſicut dicitur, *Niſi quis ſeruauerit caſtitatem, niſi quis ſeruauerit reliqua præcepta, non ſaluabitur.* Ad inſtantiam de Baptiſmo optime reſpondet Suarez, Licet phraſis, ſeu modus explicandi eam neceſſitatem ſit vtrobique idem, diuerſitatem tamen aliunde colligendam ex diuerſo fine inſtitutionis Baptiſmi & Euchariſtiæ: ille enim ad dandam primam gratiam; & ad remiſſionem peccati originalis, hic verò ad confortandum hominem iam viuentem, vt definit Tridentinum; & S. Paulus ſupponit nos debere in gratia ad hoc Sacramentum accedere: hinc autem infertur clarè, iuxta dicta ſuprà, hoc non requiri neceſſitate medij, ſed ſolius præcepti, illud verò vtroque modo. Quando autem Chriſtus dicit affirmatiuè Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me*, nullam explicat neceſſitatem huius Sacramenti, ſed ſolùm vtilitatem. Adde illa verba, *Niſi manducaueritis*, poſſe habere alium ſenſum præter illum, de manducatione ſcilicet ſpirituali per fidem; ac ſi diceret, Qui non crediderit in me vt Deum & hominem, non poterit ſaluari: & in hoc ſenſu, qui etiam eſt litteralis, poteſt admitti neceſſitas medij ad ſalutem. Fides enim actualis in adultis vſum rationis habentibus, & in infantibus habitualis neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem.

Ex Chriſti verbis colligitur eſſe præceptum ſumendi Euchariſtiam.

33 *Hoc præcepto non comprehenduntur infantes.*

Quintò obiicitur Auguſtinus, qui Epiſt. 106. & l. 1. Contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 22. & lib. 1. de Peccatorum meritis c. 20. & l. 3. c. 4. & lib. 1. Contra Iulianum cap. 4. videtur inſinuare, etiam paruulos comprehendi illis verbis, *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. ergo ſenſit Auguſtinus hoc Sacramentum eſſe neceſſarium neceſſitate medij. Non deſunt Auctores qui putent Auguſtinum docuiſſe, infantibus eſſe neceſſariam Euchariſtiam. Verùm qui legerit attentè ea loca, deprehendet nullam penitus in illis eſſe difficultatem: in eis enim omnibus agit Auguſtinus tantùm de neceſſitate Baptiſmi pro paruulis, vultque id inferre ex illis verbis Marci vltimo; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, inde enim probat eos, ſi baptizati non ſint, nullam poſſe habere æternam vitam; quia verò hæretici Pelagiani, contra quos ex eis locis agebat, varias ſolutiones ad illa verba adducebant, dicentes Chriſtum tantùm negaſſe non baptizatis Regnum cœlorum; nam Ioannis 3. ſolùm dixit; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum cælorum*, vbi nihil dicitur, non habituros vitam eos qui non fuerint baptizati: in altero verò Marci vltimo, vbi ait, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, etſi minetur mortem, non tamen loqui poteſt infantibus, quia illi non ſunt capaces credendi: quia inquam hoc modo hæretici effugere volebant, Auguſtinus recurrit ad illa verba Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis.* Circa quæ tria ponderat, Primò, illa eſſe vniuerſalia, ac proinde comprehendere etiam omnes infantes, alioquin dici poſſet de ſolis tunc præſentibus ea dicta, nos vero ampliùs non teneri ad manducationem: quod eſt abſurdum. Secundò item docet, eis verbis non ſolum excludi à beatitudine eos qui non manducauerint, ſed etiam eis negari vitam. Tertiò ponderat, Euchariſtiam non poſſe vlli concedi qui baptizatus non fuerit; vnde argumentatur: Si ex illis verbis Chriſti Domini, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, non vultis fateri infantes ſine Baptiſmo decedentes perituros, ſed ſolùm dicitis, illos non futuros in Regno Dei, alibi autem habituros vitam felicem, ſaltem ex iis aliis verbis de manducatione corporis, &c. debebitis id fateri: omnibus enim illis non manducantibus negatur vita, ac conſequenter non baptizatis, quia non baptizati manducare non poſſunt. Hic eſt Auguſtini diſcurſus, quo eodem modo probat de infantibus dictum, *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Cùm autem ſibi obieciſſet, infantes non poſſe credere, neque ſuſcipere corpus & ſanguinem, ait illos credere & manducare mediis illis, qui illos baptizant & geſtant in vlnis. Hæc eſt tota ſubſtantia doctrinæ Auguſtini, ex qua ad rem præſentem hoc præcisè infertur, Auguſtinum docuiſſe infantes nec ſaluandos, nec habituros vllam vitam, niſi baptizentur, & in illo Baptiſmo quaſi voluntate parentum, & (vt ſic dicam) in voto implicito illorum ſuſcipiunt corpus & ſanguinem Chriſti, &c. ex quo ſummùm infertur, Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti; quia & ſuo modo dicere optimo iure poſſumus, infantes baptizatos habere iam ratione gratiæ habitualis & coniunctionis ſpiritualis cum Chriſto votum implicitum obſeruandi omnia præcepta ad eam amicitiam conſeruandam neceſſaria. Dico ſuo modo haberi ibi tale votum, quia cum illi non habeant verum actum proprium, non poſſunt etiam

Neque contrarium deduci poteſt ex ſancto Auguſtino.

Argumentũ S. Auguſtini contra Pelagianos:

34

Ex quo nil infertur contra d[ictam] ſent[entiam] communem.

Digitized by Google

etiam proprium votum habere eius Euchariſtiæ; quòd autem ea ſit neceſſaria neceſſitate medij, nequaquam hinc infertur.

Doctrina S. Auguſtini confirmatur Innocentii I. Pontificis verbis, quæ eodem modo explicantur:

Ad hanc doctrinam Auguſtini alluſiſſe videtur Innocentius Primus Epiſt. decretali 26. quæ eſt apud Auguſtinum 93. vbi ait perſtatuum eſſe, paruulos ſine Baptiſmi gratia poſſe donari vitâ æternâ; cum ſine Baptiſmo manducare non poſſint carnem filij hominis; ſine ea autem manducatione vitam in ſemetipſis habere non poſſint. Cui teſtimonio reſpondendum eſt vti reſpondimus Auguſtino, ſolùm ibi denotari implicitam manducationem in ſuſceptione Baptiſmi tanquam in voto incluſam.

Quamuis aliter explicent Suarez & Vaſquez:

Aliter reſpondet P. Suarez & Vaſquez tam huic Innocentij quàm præcedentibus Auguſtini teſtimoniis, in eis non agi de manducatione corporis & ſanguinis Chriſti, ſed de vnione ſpirituali infantium cum Chriſto mediâ gratiâ, aut mediâ habituali fide: quæ vnio, etſi non habuiſſet Chriſtus vllam voluntatem obligandi ad Euchariſtiam, imò etſi illam non inſtituiſſet, potuiſſet tamen dici manducatio corporis & ſanguinis illius. Ego etſi probabilem reputem hanc

35 ſolutionem, probabiliorem longè cenſeo eam quam attuli; tum quia eſt magis conformis diſcurſui Auguſtini citatis locis; cùm enim dicat eius manducationis non eſſe capaces niſi baptizatos, profectò de manducatione aliâ noua, ad quam apetiatur oſtium per baptiſmum, ille agit non verò de vnione per gratiam datâ, quæ in ipſo Baptiſmo conſiſtat. Deinde id oſtendo clariſſimè ex verbis ipſius Auguſtini loco ſuprà citato de Peccatorum meritis lib. 1. c. 20. vbi ad excludendam eam quam ſuprà dixi euaſionem, quòd infantes eſſent habituri vitam, extra Regnum tamen cœlorum, ſic ait: (pono ad longũ verba, vt appareat mentem Auguſtini eſſe eam quam dixi:) *Quaſi ſalus ac æterna vita poſſit eſſe præter Chriſti hæreditatem, præter Regnum cœlorum: habent enim videlicet quò confugiant, atque vbi deliteſcant, quia non ait Dominus, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non habebit vitam, ſed ait, Non intrabit id Regnum cœlorum: nam ſi illud dixiſſet, nulla hinc dubitatio poſſet oriri: auferatur ergo iam dubitatio, Dominum audiamus, non ſuſpiciones coniecturaſque mortalium, Dominum audiamus inquam, non quidem hoc de Sacramento ſancti Lauacri dicentem, ſed de Sacramento, ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo ritè niſi baptizatus accedit: Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ad hoc reſpondere potuerunt?* Hæc Auguſtinus; quibus euidentiſſimè oſtendit ſe de hoc Sacramento illatis loqui, ac proinde non poſſe ipſum explicari de vnione ſpirituali ſolâ, quæ fit in Baptiſmo per gratiam: pro hac enim non fuit neceſſum recurrere ad ſecundum Sacramentum, & eas facere deductiones, Sacramentum ergo Euchariſtiæ dixit infantibus neceſſarium: id quod intelligendum eſt de voto implicito; vti eo ipſo loco paulò inferius oſtendit, eos infantes eſſe etiam è numero credentium, non vtique ore ſuo & corde ſuo, ſed baptizantium. Ita de ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti intelligendus eſt Auguſtinus. De quo fuſiùs egi, quia multi valdè obiter tangant ea teſtimonia.

Quorum etſi probabilis ſit explicatio, noſtra tamen eſt probabilior; quia conformior verbis ſancti Auguſtini.

Vbi illud etiam addo, multò magis per hanc 36 explicationem confirmari Euchariſtiæ inſtitutionem ex mente Auguſtini; cùm ea verba Chriſti, *Niſi manducaueritis carnem*, non de allegorica manducatione, ſed de vera & propria, & ab ſpirituali, quæ per Baptiſmum fit, diſtincta, Auguſtinus ſemper intelligat, etſo non eam actu, ſed in voto requirat in infantibus. Vnde minus benè Ianſenius cap. 59. Concordiæ (quem refert & approbare videtur eius dictum P. Suarez ea diſp. 40. ſect. 2. circa finem) docet Auguſtinum ad abundantiam tantum doctrinæ extendiſſe ea verba Chriſti, ad paruulos etiam, ſi ille ſenſus nec proprius nec neceſſarius ſit: conſtat inquam hoc minùs benè à Ianſenio dictum, quia Auguſtinus ſolum voluit dicere, illud præceptum extendi ad omnes; & hoc haud dubiè pertinet ad verum ſenſum eorum verborum Chriſti; extendi inquam ad omnes; non quia omnes obligentur ſemper, ſed quia obligantur tunc, pro ſua tamen differentia temporis. Vnde ſicut dicimus præceptum Euchariſtiæ comprehendere omnes adultos rationis capaces, eoſque omnes actu obligari hodie, non quaſi obligentur ad hodie communicandum, ſed quia hodie obligantur pro Paſchate; ita merito dicit Auguſtinus illud præceptum obligare paruulos, non vt eo tempore, ſed iuxta dicta, vt ſuo deinde communicent. Et de Auguſtino ſatis.

Vnde verba Chriſti, Niſi manducaueritis carnem, de reali manducatione accipienda ſunt & extendenda ad paruulos & infantes ex mente S. Auguſtini.

Denique obiici poteſt Diuus Thomas, qui aliquando videtur docere Euchariſtiam eſſe neceſſariam in re vel in voto, ſicut eſt baptiſmus. Reſpondeo, Diuum Thomam nihil dicere de neceſſitate medij, ſed ſolum, quod in re vel in voto ſit neceſſaria Euchariſtia; id autem fatemur; vti de aliis omnibus præceptis dici ſolet.

Mens Diui Thomæ de neceſſitate Euchariſtiæ.

DISPVTATIO TRIGESIMA.

De materia remota huius Sacramenti.

1 QVæ ſint partes componẽtes hoc Sacramentum ſuprà declaratum eſt, nunc de materia capaci conſecrationis, quæ dicitur remota; ſignificauimus quidem ſæpè eam eſſe panem triticeum, & vinum de vite: ſunt tamen circa hoc ipſum graues aliquæ difficultates hac diſputatione expediendæ.

SECTIO I.

Quid intelligatur nomine tritici, quod eſt materia remota Euchariſtiæ?

DIvus Thomas quæſt. 74. art. 1. refert varios errores circa materiam tum eorum qui panem & caſeum obtulerunt in hoc Sacramento; & dicti ſunt Cataphrygæ & Pepuziani; tum eorum qui de infantis corpore ſanguinem minutis

Errores circa materiam Sacramenti Euchariſtiæ.

Digitized by Google

minutis punctionibus extrahebant, vt Euchariſtiam ſuam conſecrarent; tum eorum qui ſolam aquam adhibuerunt: præter hos P. Suarez diſput. 43. ſect. 1. refert alios diuerſos; Pater verò Vaſquez è contrario diſput. 70. cap. 1. totus eſt, vt oſtendat, nec Suarium nec alios benè retuliſſe hos errores. Verùm punctum hoc planè nullius eſt momenti: ſiue enim Pepuziani, ſiue Gnoſtici, ſiue alij his modis, ſiue aliis (quos Suarez ibi inſinuat) penitus delirando errauerint, nihil contra certam veritatem Catholicam, aſſerentem hoc Sacramentum non poſſe niſi pane & vino confici; hoc ergo ſuppoſito, ad ea quæ aliquam habent apparentiam veniamus. Et quidem ſupponendum eſt legumina, v. g. fabas, cicera, piſa, & ſimilia, non eſſe materiam aptam vt ex illis fiat conſecratio; quia reuera talia nec ſunt nec vocantur frumentum; nec eſt panis illud quod ex ipſis conficitur; tota ergo difficultas reducitur ad quatuor aut quinque ſpecies granorum, quæ ſunt triticum, hordeum, ſiligo, ſpelta, typha, far & auena.

Legumina non ſunt materia apta.

2 Gabriel lect. 35. in Canonem abſolutè affirmat quamcumque ex his ſpeciebus eſſe ſufficientem; quia quælibet eſt frumentum; & ex qualibet fit verus panis; Chriſtus autem Dominus nihil aliud requiſiuit quàm panem ex frumento; ergo. Concluſio tamen communiſſima, & omnino certa iam poſt Florentinum Concilium, docet ſolum triticum eſſe materiam aptam vt ex eo fiat panis conſecrabilis; quia Eugenius in ſuo decreto expreſsè definiuit, materiam eſſe panem ex tritico & vinum ex vite: & licet non poſuerit illam excluſiuam *ſolum*, quia tamen ibi declarabat materias neceſſariò requiſitas, omnino æquiualet illa affirmatiua alteri excluſiuæ. Vide Suarium diſput. 44. ſect. 1. & Vaſquez ſuprà ſect. 2. vnde manifeſtè excluditur à materia conſecrabili auena, hordeum; quia hæc duo nullo modo ſunt triticum, & magis ſunt pabulum equorum, maximè auena, quàm hominum: hordeum autem etſi in ceruiſiam & ad iuſcula ſoleat etiam pro hominibus eſſe in vſu, nunquam tamen reputatur triticum; & panis, qui ex eo aliquando conficitur, non vocatur abſolutè panis, ſed cum limitatione, panis hordeaceus. Infertur Secundò, illas ſpecies, quæ ſunt verè triticum, & differentiam tantùm aliquam accidentalem inter ſe habent, vt ſunt quas vocamus Hiſpanicè *rubion* & *candeal*, omnino eſſe ſufficientem: vti enim homo albus & niger ſunt veri homines eiuſdem ſpeciei; ita illa duo grana, vnum magis rubrum, alterum magis album, ſunt verum triticum.

Triticum ſolum eſt materia huius Sacramenti.

Nõ hordeum, neque auena.

Circa alia verò grana, ſpeltam, far, typham & ſiliginem aduerte eſſe magnam diſſenſionem inter Auctores, quid ſignificetur per has voces: aliqui enim per ſiliginem volunt intelligere triticum nobiliſſimum, alij neſcio quæ grana: ego hoc dicere poſſum, quod vocamus Hiſpanicè *centeno* vocari per totã Germaniam ſiliginem: licet enim fortè olim ſignificauerit nobiliſſimum triticum, à multo tamen tempore, minimum à D. Thoma, non ſignificat niſi granum hoc, quod in Germania eſt ordinariiſſimus panis, & vt dixi, Hiſpanicè *centeno*: eſt autem granum oblongius quam triticeum, & ſubtilius, farinam continens tantillo nigriorem: hoc Pater Vaſquez vocat typham; ego tamen non video neque in Calepino, neque ex aliis potui intelligere talem ſignificationem; quidquid verò de voce ſit, dico vlterius, me præter hæc grana non poſſe ſcire quid ſit ad rem noſtram far, typha, quia far in Calepino ponitur vocabulum generale, ſpelta non videtur eſſe Latinum; de ea tamen ſtatim dicam: typham dicit Calepinus eſſe hodie rem incognitam. Tota ergo quæſtio ad ſiliginem modo ſuprà explicato & ad ſpeltam deuoluitur.

Quid ſit ſiligo.

3 Diuus Thomas hac quæſtione 74. art. 3. ad 2 omnino cenſet ſiliginem eſſe ſufficientem materiam; idque probat, quia in terris debilioribus ex bono tritico fit ſiligo; vnde infert, non eſſe differentiam eſſentialem inter vtrumque. Non placet P. Vaſquez & aliquibus aliis hæc ratio, eo quod aliquando ratione malæ terræ ex vno ſemine naſcatur aliud alterius ſpeciei. Ego tamen valdè efficacem iudico eam deductionem; debuiſſet autem Pater Vaſquez oſtendere, in quibus terris, & quæ ſemina mutentur ſpecie ob terræ minorem fœcunditatem: certe ego de nullo tali ſcio, neque ab aliis talem mutationem ſpecificam audiui. Adde, licet fortè hoc argumentum præciſè à degeneratione non eſſet bonum, quia facilè quandoque natura degenerat in deterius, è contrario tamen optimum hic fieri argumentum, nam eadem ſiligo in terra fertiliori reddit triticum, vti in Vngaria paſſim cernitur: & idem fit in Hiſpania in aliquibus terris fertilioribus: eſt autem valdè difficile intellectu, quod ex ſola maiori fertilitate mutetur in meliorem ſpeciem, quidquid ſit de mutatione in deteriorem; quia, vt dixi, facilius eſt degenerare in peiorem ſpeciem quam ad meliorem aſcendere. Addit Pater Vaſquez, panem confectum ex ſiligine non dici ſimpliciter panem; ergo non ſufficit ad conſecrationem. Hæc etiam ratio non multum ei fauet, quia eſto in aliquibus locis, vbi non habetur ſiligo, quia nobiliſſimè creſcit triticum, ea vox *panis* non applicetur niſi pani ex tritico, quia ibi non naſcitur alterum; vti Compluti, & ferè in tota Caſtella; Romæ item, vbi Vaſquez vixit: in aliis tamen partibus, vbi vtrumque granum eſt commune, vti ferè in tota Germania, adeo non eſt verum non vocari communiter panem illum qui conficitur ex ſiligine, vt potius ille ſolus ſæpiſſimè dicatur Latinè panis; qui verò conficitur ex tritico vocatur ſemella vocabulo ordinario.

Sententia D. Thomæ, ſiliginem eſſe materiam ſufficientem.

Ratio Diui Thomæ impugnata contra Vaſquez defenditur.

Aliud argumentum Vaſquez contra ſententiã D. Thomæ impugnatum.

4 Indico ergo omnino veram eſſe ſententiam Diui Thomæ, quam tenent Bonauentura & alij, quos citat & ſequitur Tannerus diſp. 1. quæſt. 2. dub. 3. vbi eam confirmat; nam in Germania, vbi eſt etiam magna copia tritici, panis tamen ſiligineus eſt communis etiam in menſa Dominorum. Quæ ratio non caret etiam ſua probabilitate: dixi *non caret probabilitate*; nam abſolute non eſt ſufficiens: certum enim eſt ſiligineum, per ſe loquendo, ſolum dari quaſi in defectum tritici, eſto vnus; vel alter ob conſtipationem aut ob conſuetudinem comedendi ſiligineum, libentius illum habeat aliquando quam triticeum; alioquin etiam eodem modo poſſet quis probare, ceruiſiam eſſe materiam ſufficientem conſecrationis, quia in multis locis eſt potus ordinarius, & à multis præponitur vino: & eodem modo de oryza in Iaponia dicendum foret, illam ſufficere, quia ibi eſt ordinarius panis: non ergo ad vſum ordinarium attendendum eſt, ſed iuxta dicta à nobis, quod verè reducatur ad triticum, & ſit ſpecies illius, licet minus perfecta

Concluditur veram eſſe ſententiam D. Thomæ.

Pro qua ſententia ratio Tanneri ab vſu ſiliginis probabilis reputatur ſed non conuincit.

Siligo ſpecies tritici

Digitized by Google

perfecta; vti ex magna ſimilitudine cum illo, & ex ea conuerſione mutua ob terræ fertilitatem maiorem aut minorem nos oſtendimus cum Diuo Thoma.

Obiectio ex D. Thoma de ſpelta.

Replicabis tamen, Idem Diuus Thomas eo articulo ad ſecundum ait nihil ſpelta ſimilius eſſe tritico, & tamen in ea non poſſe Euchariſtiam confici: addit autem rationem, quæ videtur refutare noſtrum diſcurſum: *Similitudo, inquit, figura in talibus magis videtur ſignificare propinquitatem quàm ſpeciei identitatem; ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quòd canis & lupus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem eiuſdem: vnde ex talibus frumentis, quæ non poſſunt ex ſemine grani generali, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia huius Sacramenti.* Hæc D. Thomas; vnde colligitur, noſtrum argumentum de magna ſimilitudine ſiliginis cum tritico videri eſſe nullum. Reſpondeo, Circa ſpeltam me diu nihil potuiſſe deprehendere, quia ſub eo nomine non poteram eam in Auctoribus inuenire. His autem diebus abſoluto Opere hoc, & vt ad prælum mitteretur parato, caſu in quodam prædio nomen hoc inaudiui, & ex antiquo deſiderio curaui mihi hoc granum adferri; ſimulque eadem occaſione intellexi, illud Latinè non ſpeltam, ſed zeam à verbo Græco nominari, imò & quaſi per excellentiam ſemen dici. Sub illo ergo nomine zea de illa agunt Auctores, eámque dicunt eſſe medium quid inter triticum & hordeum quoad alimenti rationem: forma quidem illius exterior, dum eſt ſub paleis ſeu folliculis, eſt hordeo ſimillima, niſi quòd ſemper ſint duo grana iuncta, in hordeo verò vnum: cùm autem manibus tantillum teritur, dimittit ſtatim paleam; quo valdè differt ab hordeo, quòd non niſi violenter planè denudatur ſua exteriori pellicula. Cùm primùm autem ſpelta nudatur, oſtendit grana in formam planè tritici, & accedit ad illam, quā ait D. Thomas ſummam cum tritico ſimilitudinem; eſt tamen granum tantillo minus quàm tritici, & nigrius. Curaui ex propoſito fieri ex ea panem, & hoſtias pinſi, Hoſtiæ quidem etiam quoad colorem nullo modo differunt à triticeis ordinariis: panis verò colore & ſapore ad ſiligineum accedit, eſt tamen illo melior, quidquid ſit de facilitate concoctionis. Vnde, vt verum fatear, valdè dubito, an non ille ſit materia ſufficiens pro cōſecratione; & ferè propendeo, vt dicam eamdem de ſpelta rationem eſſe quæ eſt de ſiligine, & fortaſſe maiorem: quia reuera ex ſiligine nunquam poſſunt fieri tam pulchræ hoſtiæ quàm quas ex ſpelta vidi. Data autem hac doctrina facilè reſpondetur argumento D. Thomæ, vno enim verbo dicimus, per eam inſtantiam ex ſpelta non labefactari noſtram concluſionem de ſiligine, imò quodammodò roborari, cùm dicamus illam etiā eſſe ſufficientem materiam conſecrationis. Et, vt verum fatear, omnibus ponderatis, mihi videtur multò magis ad triticum accedere ſpeltam, quàm accedat ſiligo: & in eadem ſententia ſunt omnes illi, quibus hoſtias & panem oſtendi: nam, vt dixi, hoſtiæ fiunt meliores, panis etiam habet maiorem ſimilitudinem cum triticeo, quàm qui cōficitur ex ſiligine. Vnde non facilè aſſequor, ob quam rationem D. Thomas, non obſtante tota ea maiori ſimilitudine, dixerit ſpeltam non ſufficere pro conſecratione, ſufficere tamen ſiliginem. Probabiliùs ergo haud dubiè procedemus, ſi eodem modo de vtroque diſcurramus.

Inſtantia autem de lupo & cane, quam D. Thomas adfert, potiùs eſt pro nobis, quia ferè certum eſt lupum non differre ſpecie à cane, ſed illum eſſe canem ſilueſtrem, alterum domeſticum, ſicut catus domeſticus & ſilueſtris, porcus domeſticus & ſilueſtris non differunt ſpecie. 6

Addendum tamen erit, extra caſum neceſſitatis (quidquid ſit de probabilitate ſententiæ noſtræ) peccatum graue fore, in eis celebrare, quia ſine neceſſitate exponeret ſe quis periculo irritum faciendi Sacramentum; cùm, ſi re ipſa ea materia non ſit ſufficiens, nequaquam reddatur talis per probabilitatem opinionis.

Rogabis tamen, Cùm hæ ſint probabiles materiæ, an ad hoc, vt in eis ſine peccato celebretur, ſufficiat, quòd deſit panis triticeus, & Sacerdos habeat deuotionem celebrandi: etenim ex eo quòd fortè re ipſa illa materia non ſit ſufficiens, non fiet illi damnum, nec irreuerentia in Sacramentum; aliunde autem poteſt eſſe ipſi celebranti ea actio valdè vtilis, ſi re ipſa communicet: & licet ex ſpeciebus panis tunc fortaſſe nihil gratiæ accipiat, accipiet ſaltem ex altera ſpecie vini, quam ſolam conſecrare non potuiſſet, niſi habuiſſet materiam panis. Omnia quæ in hac obiectione aſſumuntur videntur clara; & ſola illa pars, quòd non fiat vlla irreuerentia Sacramento, poſſet eſſe dubia; facilè tamen ſuadetur, quia quando homo procedit iuxta ſententiam probabilem, non ſe exponit periculo faciendi formalem iniuriam Deo, vt per ſe patet; materialis autem in eo caſu nulla eſt, ergo. Dices; Fiet Sacrificium imperfectum, concedo id libenter, at non video quid inde (ſi bona fide proceſſum eſt) ſequatur re ipſa damni (vt ſic dicam) contra Deum; imò fortaſſe aliquis diceret longè melius eſſe (ſi bona conſcientia alioquin proceditur) offerri Deo ſaltem partiale Sacrificium quàm nullum planè; aliud autem damnum inde nullum poteſt oriri, ergo. Fateor hanc obiectionem ſatis eſſe probabilem, ac proinde niſi eſſet aliquod periculum ſcandali, putarem omnino poſſe eo caſu celebrari in eo pane. Et de ſiligine ac ſpelta, vt poteſt eſſe materia remota conſecrationis, ſatis.

Vbi periculū ſcandali abeſt, poteſt eo caſu celebrari in eo pane.

SECTIO II.

Aliqua dubia circa eam materiam.

IAM ad alia dubia; quorum primum eſt, Vtrùm in pane ex amylo poſſit conſecrari: eſt enim hic panis triticeus: quòd autem fuerit maceratum triticum priùs in aqua, non videtur mutare ſpeciem illius; reſpondeo tamen cum communi ſententia, illum panem non ſufficere, tum quia probabiliter per eam macerationem diuturnam in aqua fit ſubſtantialis corruptio, vt ex fœtore quem aqua contrahit, ex diuerſo ſapore & effectibus ipſius amyli reſpectu farinæ propriæ triticeæ colligi poteſt; tum quia (quidquid ſit de mutatione ſubſtantiali) certiſſimum eſt ex amylo non fieri panem vſualem: vt autem Cardinalis Lugo, Vaſquez & alij benè notarunt, in iſtis rebus non debet ſæpè ſpecifica diuerſitas conſiderari adeò rigoroſè, ſed quid ſit in ordine ad moralem æſtimationem eius panis; vnde conſequenter etiam dicendum: Licet pura accipiatur farina triticea, & ex ea oleo aut butyro mixta & frixa fiant placentæ, non fore materiam ſufficientem; ſiue illæ differant ſpecie à pane, ſiue non. 7

Panis ex amylo non eſt materia ſufficiens.

 Difficilius

Digitized by Google

Difficilius eſt, An ſi more ordinario pinſatur panis,& loco aquæ ponatur lac aut oleum, illa ſit futura materia ſufficiens: & quidem de lacte videtur eſſe maior probabilitas, quia frequenter ſolet talis panis pinſi; & reuerà in communi æſtimatione non reputatur pro placenta, aut pro alio opſonio,ſed pro pane vero,qui eſt pro condimento generali aliorum ciborum. Probabile ſatis iudico eum panem ſufficere: & ita ſentiunt Caietanus & aliqui Recentiores, qui inde probant concluſionem, quod liquor in maſſa tantùm deſeruit ad conglutinandas inter ſe partes farinæ,poſteà autem dum in furno coquitur, vi caloris euaneſcit totus ille humor quicumque ſit; ac proinde ſiue lacte ſiue aqua fuerit farina commixta & ſubacta, panis tamen deinde eiuſdem omnino ſpeciei reſultat. Hæc ratio non caret magna probabilitate, quia reuerà valdè multum de humore conſumitur in furno; nihilominùs tamen eſt aliqua in hoc difficultas, quia multa accidentia relinquuntur ex lacte in pane, dulcedo, maior candor, &c. quæ cum (vt aliunde ſuppono) nó tranſeant à ſubiecto in ſubiectum, & non videantur ea eſſe productiua alterius ſimilis accidentis,neceſſum videtur admittere,manere ibi aliquas partes eius liquoris ſparſas per panem, in quibus ſint ea accidentia quæ ibi ſentiuntur. Quidquid verò de hoc argumento ſit, ſufficiat quod nos poſuimus. Pater Vaſquez è contrario non putat ſufficientem materiam panem ex lacte,quia dicit illum vocari potius placentam quàm panem; vnde niſi lac ſit modicum, non credit ſufficere. Verùm non reſpondet argumento quod ego inſinuaui:etenim contrarium potiùs eſt in conſuetudine,quia,vt dixi, ſolent frequenter fieri panes tales, vocanturque communiter panes, & loco panum ſolent in menſa poni:& reuerà ſi oua, ſaccharum aliaque non admiſceantur,nunquam vocantur placentæ. Vrgebis;Ergo etiam ille panis delicatior,qui dicitur biſcoctus,erit ſufficiens.Reſpondeo,negando conſequentiam ex dictis:ille enim fit ex ouis, lacte,ſaccharo & farina;vnde nunquam reputatur propriè panis.

Panis cū lacte piſtus eſt probabilis materia.

Contra Vaſquez, qui id negat.

8 Circa alterum ex oleo confectum,omnino iudico non fore ſufficientem,quia reuerà talis non cenſetur vulgariter panis, neque poteſt propriè in menſa dari loco communis panis, ſed veluti ſingulare opſonium:ratio autem diſparitatis eſt, nam oleum longè magis diſtat ab aqua quàm lac: hoc enim,excepta aliqua dulcedine maiori,eodem modo ferè ſapit ac aqua dum bibitur, nec adeò diuerſos effectus operatur, vnde faciliùs ſubſtitui poteſt loco aquæ ad pinſendum panem menſalem, & verò eum panem non reddit alterius ſaporis,ſed gratiorem,nonnihil molliorem,albiorem,at ſi ex oleo fieret, planè eſſet & odore & ſapore & effectu longè diuerſus à pane communi.

Panis cum oleo confectus non eſt materia ſufficiēs.

Secundum dubium eſt, Vtrùm ſi cum granis tritici alia grana materiæ non ſufficientis, v.g. hordei, miſceantur, poſſit validè conſecrari: Reſpondeo,Si talis fiat commixtio, vt ſimpliciter non ſit panis triticeus,quia aliæ materiæ præponderant, non fore ſufficientem pro conſecratione.ſi verò triticum eſſet in maiori copia,omnino ſuffecturum.

Triticum mixtum cum hordeo excedente non eſt materia idonea.

Tertium dubium, Vtrùm ſi,poſtquam panis eſt coctus,accipiat quis manu partem aliquam, eamque humectando quaſi reducat in maſſam, ſufficiat ad conſecrationem? Pater Vaſquez & alij meritò aiunt omnino ſufficere, quia illa humectatio non tollit illi rationem panis,quam accipit ex furno, nec ideò reducitur ad ſtatum illum puræ maſſæ,quem habebat antequam coqueretur: id quod benè inde Vaſquez probat, quia alioquin ſi ea humectatio ſufficeret,ſequeretur hoſtiam, dum ſumitur,& oris humore eo modo quaſi reducitur in maſſam, non fore ſufficientem ad retinendum corpus Chriſti, vnde vlteriùs ſequeretur, vix vnquam nos Chriſtum ſumere,quia ordinariè antequam ad ſtomachum deſcendant ſpecies, iam ſunt quaſi ſubactæ in maſſam, hoc autem dicere eſt abſurdiſſimum, ergo.

Panis humectatus ſufficit.

Quartum dubium, Vtrùm panis debeat eſſe neceſſariò azymus? Reſpondetur, Eſto in Eccleſia Latina ad hoc,vt licitè fiat conſecratio,id requiratur, ad valorem tamen nullo modo id eſſe neceſſarium, vt expreſsè declaratum eſt in Florentino ſæpe citato,quia Chriſtus ſolum panem triticeum requiſiuit: quòd verò fuerit vſus azymo,id factum eſt, quia illis diebus non alius erat in vſu ob Paſchæ celebritatem. In quo puncto magna eſt quæſtio cum Eccleſia Græca,quæ contendit è contrario Chriſtum celebraſſe in fermentato. Hac de re diſputant Scripturiſtæ & Hiſtorici circa tempus paſſionis Chriſti, Græci ergo dicunt Chriſtum celebraſſe Paſcha vno die citiùs quàm Iudæi debebant illud celebrare:aliqua enim loca Ioannis Euangeliſtæ videntur denotare, Iudæos primò comediſſe Paſcha die Veneris Sancto ad noctem: vt enim poſſent illud manducare non introierunt in prætorium manè die Veneris, teſte eodem Ioanne. Item Sabbatum dicitur ab eodem Ioanne magnus dies: non videtur autem eſſe alia ratio, quàm quòd ſimul in illud incideret Paſcha,ergo Chriſtus Dominus non eſt vſus pane azymo,ſed fermentato;nam azymus primùm incipiebat in ipſo initio Paſchatis. Non eſt animus diſputare de die celebrationis Paſchatis, & de modo quo à Iudæis computabantur dies,an à media nocte ad mediam noctem, an ab occaſu Solis ad occaſum: hac de re eruditiſſimè egit Pater Suarez tota diſputatione 41. quæ eſt valdè longa; Vaſquez item diſp. 172.nos breuiſſimè dicimus certum videri Chriſtum eadem die comediſſe agnum, & inſtituiſſe Sacramentum altaris,qua Iudæi ſuum Paſcha celebrarunt;ita enim Lucas Euangeliſta teſtatur cap. 22. dum ait: *Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* & Marcus cap. 14. *Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant:* nec Chriſtus antè poſuiſſet eam celebrationem ſine vehementi cauſa, de qua tamen nihil conſtat: quod ſi tamen feciſſet, exprobratum ei haud dubiè fuiſſet à Iudæis, qui ad minora attendebant, vt carperent Ieſum. Secundò,ſiue anticipauerit,ſiue non, videtur etiam longè probabilius illum in azymo celebraſſe; quia licet non attendiſſet ad tempus propter aliquas iuſtas cauſas, non eſt cur dicamus illum non ſeruaſſe illam cæremoniam de pane azymo: cùm enim ea fuiſſet ex iure diuino in ea celebratione Paſchatis,ſupponendum eſt Chriſtum, qui ei legi de agni eſu obtemperare volebat, illam etiam ſeruaſſe cæremoniam, Græcis autem incumbit oppoſitum probare, quod ſi non præſtant, vt nec poſſunt, ſtandum eſt legi & conſuetudini.

9 *Ad valorem Sacramenti non eſt neceſſarium vt ſit panis azymus.*

Sententia Græcorum de celebratione Paſchatis.

Chriſtus illud cum Iudæis celebrauit.

Ad teſtimonia Ioannis facilè reſpondetur, ad primum, de non contaminatione vt ederent Paſcha,

Teſtimonia S. Ioannis

Digitized by Google

pro ſententia Græcorum explicantur. ſch[illegible], non ſolum eum, qui ſit die 14. Lunæ ad veſperam incipiente die 15. ſed etiam eum ex rebus involutis tota die 15. dici eum Paſchæ, & ideo abſtinuiſſe eos ab ingreſſu prætorij, non enim ad illum eſſe debebant eſſe mundi. Ad ſecundum clarius reſpondetur, ideo vocatum magnum Sabbatum, quia incidebat intra Octauam Paſchæ: non enim ad hoc, vt dicatur magnum, eſt neceſſe incidere in primam diem; quandoquidem & ſeptem illi omnes dies erant ſolemnes ferè æqualiter cum primo.

SECTIO III.

De materia calicis.

10 *Materia calicis vinum de vite:* CIRCA materiam calicis dicimus vno verbo illam ſolum eſſe vinum de vite: ita etiam definitum eſt ab Eugenio IV. loco ſæpe citato. Circa quod poſſunt eſſe duæ vel tres difficultates: Prima, An vinum adhuc in vuis exiſtens ſit materia conſecrationis? Communiter negant Auctores, & merito: vnicas tamen adhibet rationes Pater Vaſquez ea diſput. 27[illegible]. quia non eſt potabile: quæ ratio non placuit Cardinali Lugo, eò quòd etiamſi ſpecies vini conſecratæ imbibantur in offa, retinent tamen adhuc conſecrationem; & tamen non ſunt tunc potabiles: & ſimiliter ſi ſpecies conſecratæ iterum immitterentur in vuam, ibique clauderentur, haud dubiè retinerent conſecrationem, & tamen non eſſent potabiles. Verum huic argumento reſpondebit Vaſquez Plus requiri ad hoc vt primò fiat conſecratio, quàm vt iam ſemel facta conſeruetur. Meliùs poſſet ea ratio renci, quia (vt paulò poſt dicemus) non eſt neceſſe vinum eſſe proximè potabile, ad hoc vt poſſit conſecrari; vti patet in vino congelato: licet enim neget Vaſquez illud eſſe materiam proximam quæ conſecretur, niſi priùs liquefiat; longè tamen probabiliùs & Cardinalis Lugo & alij aſſirmant, quia reuera tunc eſt vinum, non cibus; vnde qui illud ſumeret, non frangeret ieiunium: vti & ſi nuces clauſæ non poſſint immediatè comedi niſi priùs frangantur, non tamen ideò deſinunt eſſe cibus etiam tunc. *Etiam congelatum, in ſententia Cardinalis Lugo contra Vaſquez.*

Fortè obijci poſſet, aquam congelatam non eſſe materiam proximam Baptiſmi, ergo neque vinum congelatum Euchariſtiæ. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Baptiſmus requirit ablutionem, quæ non poteſt per corpus durum fieri; at Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in vſu, ac proinde non requirit eam actualem liquefactionem. Adde, etiam poſſe ſpecies congelatas bibi; ergo ex eo quòd non ſint in vua proximè aptæ vt bibantur, non ideò ſunt incapaces pro conſecratione.

11 *Ratio Cardinalis Lugo, cur vinum in vua non poſſit conſecrari, reijcitur.* Cardinalis Lugo adducit eam rationem, quòd vinum, dum eſt in vua, non eſt demonſtrabile per pronomen *hic*; nam accidentia illa granorum non ſolùm denotant vinum ipſum, ſed etiam ſubſtantiam ipſius cuticulæ quæ non eſt vinum. Hæc ratio mihi ſatis difficilis videtur; quia moraliter loquendo, tam bene videtur per cuticulam poſſe demonſtrari vinum quam demonſtretur per vas, quando eſt in eo incluſum. Quod enim cuticula faciat vnum quid per ſe cum vino, nihil obeſt, nam ſæpe demonſtratur apud homines aliquid incluſum non demonſtrato ipſo includente, etiamſi hoc ſit illi vinum phyſicè; vti in nuce auellana, in nuce maiori, in caſtaneis, &c. licet enim cortex & omnes pelliculæ ſint intrinſecè vnitæ, quia omnes viuunt & informantur vna anima non minus quàm pelliculæ vini & ſuccus, nihilominus oſtendendo nuces caſtaneas, &c. poſſum dicere, Hæc eſt caſtanea, hoc eſt ſuauis cibus, &c. Vbi ipſemet Cardinalis paulò ante contra Patrem Vaſquez dixit, etiam de nuce clauſa poſſe dici, Eſt cibus, licet comedi non poſſit, niſi fractis & abiectis putaminibus duris, ergo ratione demonſtrationis nihil poteſt in præſenti inferri. Ego faciliorem puto eſſe rationem, quæ ex ipſa vulgi & communi opinione deſumitur; nam quamdiu ſuccus eſt intra cuticulam, non dicitur propriè vinum, neque hauſtus, ſed vua, ſed cibus, vnde & qui comedit vuam frangit ieiunium; qui verò bibit muſtum nequaquam: deinde, qui vinum bibere nequaquam poſſunt, libenter tamen comedere ſolent vuas, & in ordine ad effectus ipſos phyſicos eſt ſumma diuerſitas; nam vuæ nunquam inebriant ſicut vinum; non accendunt hominem ſicut vinum: iam autem diximus ſuprà, in his rebus moralibus non debere attendi tam ad diuerſitatem phyſicam, quam quid moraliter dicatur panis triticeus, quid vinum: hoc autem ſine dubio habet locum in præſenti, quia moraliter nemo vocat vuam vinum niſi per tropum; per quem dicimus etiam ante vindemias, Eſt magna copia vini: id eſt, Erit magna copia poſt vindemias. *Facilior ratio deſumitur ex vulgi opinione,* *Quia nemo vocat vuam vinum.*

Dices, Ergo eodem modo non poterit conſecrari validè vinum actu imbibitum in offa, quia iam tunc non cenſetur vinum, ſed offa; quapropter violat ieiunium, ſi comedatur, non minùs quàm vuæ. Reſpondeo Primò, Poſſe facilè concedi ſequelam, neque vllum video inconueniens. Reſpondeo Secundò eam negando: diſparitas eſt clara, quia etiamſi imbibitum ſit in offa dici poteſt vinum, poteſt demonſtrari; vt volebat Lugo, niſi fortè adeò parum ſit, vt vix poſſit oſtendi, & ſolæ appareant offæ. Eſt autem ratio vlterior huius diuerſi modi loquendi; nam vinum cum offa nullam habet vnionem, vt faciat vnum quid, ſicut facit cum pellicula; proinde faciliùs ibi reſtatur vinum quàm dum eſt in vua. Quòd verò dicebatur, etiam per offam frangi ieiunium, fortè verum non eſt; multi enim putant ſolum panem ibi frangere ieiunium: vnde ſi ex pane non ponatur niſi illa quantitas, quæ eſt licita in collatione veſpertina, etiamſi poſteà tota offa ratione etiam vini ponderet multò plus, dicunt non comedi vltra id quod licet; nam maius illud pondus non eſt cibus, ſed hauſtus; at in vuis nemo cum probabilitate poteſt dicere, per ſolas cuticulas frangi ieiunium, ac proinde, ſi illæ non veniant ad quantitatem grauem, etiamſi comederit quis extra tempus ſex libras vuarum, non frangendum ieiunium, aut certè ſi comedat, & reiiciat cuticulas, tunc non peccaturum. Poteſt etiam ſecundò reſponderi, concedendo etiam tunc frangi ieiunium ratione vini, negando tamen inde ſequi, illud non eſſe materiam aptam conſecrationis, quia tunc & habet rationem potus, ob quam poteſt validè conſecrari, & ratione admixtionis habet vim alimenti, vti multi dicunt vinum aut ceruiſiam calidam frangere ieiunium, cùm certiſſimum ſit, etiam in calidiſſimo vino fieri poſſe validè conſecrationem, & illud eſſe adhuc hauſtum. 12 *Vinum in offa imbibitum eſt materia ſufficiens.*

Secundum dubium eſt, Vtrùm conſecratio poſſit fieri in ſola vua ſpecie? Reſpondeo, Si lo-

Validè conſecrari poteſt vna ſine alia ſpecies, quamuis de valore conſecrationis, nullum eſſe dubium, nam cum primum Sacerdos conſecrat vnam ſpeciem, tam ibi eſt Chriſtus; nec deſineret eſſe, etiamſi deinde idem Sacerdos nollet conſecrare alteram, ſimul tet etiamſi in vini ſpecie ſit error ſubſtantialis, quia ponitur aqua loco vini, vt ſæpe contingit; ac proinde etiamſi duæ ſpecies non conſecrentur, non propterea altera non conſecraretur: ſi verò loquamur de conſecratione vt licita, certum etiam e contrario eſt *Non tamen licitè.* nequaquam poſſe vnam ſine altera conſecrari licitè; vtrùm autem vbi vinum non habetur, poſſit Pontifex diſpenſare, vt ſolum ſub vna adminiſtretur Sacramentum, infra dicetur; vtrùm item ille, qui vnam ſolam vellet conſecrare, validè conſecraret, dixi ſupra.

13 Tertium dubium, Vtrum poſſit vinum conſecrari, ſi non ſit ei admixta aqua? Reſpondeo, *Poteſt conſecrari vinum ſine aqua.* Poſſe validè id fieri, eſtque id extra controuerſiam apud omnes Theologos; & indicarunt ſatis a Patribus & Conciliis, quæ dum de materia conſecrabili loquuntur, nullam huius neceſſitatem ſignificant, ſed ſolum dicunt hanc conſuetudinem ſeruandam. Contra hanc tamen veritatem objici ſolet Cyprianus, qui Epiſt. 63. ad Cæcilium ait, in hoc Sacrificio non poſſe vinum ſolum offerri, quia tunc Chriſtus eſſet ſine populo, quia verò populus eſſet ſine Chriſto, non poſſe etiam aquam ſine vino; ergo æqualem ille tribuit neceſſitatem aquæ ac vini: quem videtur Iulius Papa imitari in cap. *Cum omne crimen.* de conſecrat. diſtinct. 2. Reſpondet Diuus *S. Cyprianus pro contraria ſententia citatus explicatur.* Thomas hac quæſtione 73. art. 7. Cyprianum ſolum egiſſe de neceſſitate præcepti: id quod ſit inde valde probabile; nam idem Cyprianus à D. Thoma citatus in argumento *Sed contra* ait, Si quis ex ignorantia eam mixtionem omiſit, poſſet ei concedi venia: at ſi fuiſſet ea mixtio de neceſſitate valoris, non poſſet id dici, eſſet enim error ſubſtantialis. Alij Secundò reſpondent, Cyprianum agere ibi contra hæreticos Aquarios qui detestabantur vinum, & ſolam aquam iudicabant adhibendam; vt verò argumentum ipſum eſſet fortius ad probandam neceſſitatem vini, ſuppoſuiſſe neceſſariam eſſe aquam, vt illi volebant, & inde voluiſſe neceſſitatem vini deducere. Verùm hæc ſolutio mihi non placet, quia potius in ſimili occaſione debuiſſet in contrariam partem deflectere Cyprianus negando neceſſitatem aquæ; quia per hoc magis probaſſet neceſſarium eſſe vinum: & ita aliquando ſolent ſancti Patres, dum vnum errorem oppugnant quaſi in contrarium extremum deflectere, at verò illum eundem quaſi approbare non capio quid vtilitatis adferat. Quidquid verò de hac ſolutione ſit, quæ data eſt ex D. Thoma, omnino ſufficit.

14 Dices Secundò: ſi non fiat illa mixtio, non repræſentabitur coniunctio Chriſti cum populo Chriſtiano. Reſpondeo, à Chriſto non hanc coniunctionem, ſed redemptionem noſtram per *Præceptum de aqua admiſcenda non eſt Eccleſiaſticum.* ſe in hoc Sacramento ſignificatam. Secundò in hoc puncto dicendum eſt, longè probabilius videri præceptum huius admixtionis non eſſe immediatè a Chriſto, ſed ab Eccleſia: ita ferè omnes Scholaſtici, vt videre eſt apud Vaſquez diſput. 172. cap. 2. Suarez diſput. 45. ſect. 2. & Cardinalem Lugo diſput. 4. ſect. 2. contra Valentiam, Alenſem & Hoſium apud Suarez. Probatur [illegible], quia de tali præcepto a Chriſto impoſito nuſquam conſtat; ergo non debet poni: neque enim licet confingere præcepta [illegible] ſine fundamento ſolido. Secundò, quia modus loquendi Conciliorum oſtendit potius contrariū: Tridentinum enim Seſſione 22. cap. 2. ait *Monet Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſceant*: licet enim Tridentinum non neget illis verbis præceptum Chriſti, cum tamen ad oſtendendam neceſſitatem mixtionis illius ſolùm recurrerit ad præceptum Eccleſiæ: profectò oſtendit id ſolum ab Eccleſia præceptum eſſe. Adde, in his quæ ſunt a Chriſto præcepta nunquam addi nouum Eccleſiæ præceptum, niſi ſummum ad tempus determinandum quando obliget. Denique ſatis fortis coniectura eſt illa, quam Pater Suarez adducit, quod ſcilicet ſi Chriſtus ea de re præceptum poſuiſſet, non eſſet vnde dicere nos poſſemus, non eſſe de neceſſitate validæ conſecrationis eam mixtionem, niſi expreſsè conſtaret Chriſtum dixiſſe, Mando ita fieri, non tamen volo neceſſarium id eſſe ad valorem conſecrationis: de quo præcepto ſic reſtricto nulla penitus eſt in Scripturis aut in traditione mentio. In contrarium obijci ſolet Cyprianus, qui ea citata Epiſtola dicit eſſe Dominicam traditionem eam poſitionem aquæ. Id ipſum Iuſtinus Martyr Apologia 2. [illegible], cum ait Apoſtolos tradidiſſe ita ſibi à Chriſto præceptum. Vaſquez concedit Cyprianum eſſe in con- *Neque Cyprianus* [illegible] traria ſententia; Cardinalis verò Lugo valde benè eum explicat, vt ſolum doceat illam mixtionem, quatenus requirit vinum, eſſe de præcepto *Cardinalis Lugo.* diuino; quia cum eo loco ageret Cyprianus contra Aquarios, qui mixtionem vini negabant, totus eſt vt oſtendat de iure diuino eſſe, vt non ſola aqua, ſed etiam adhibeatur vinum. Confirmatur; nam Cyprianus non niſi ex Scriptura probat eam neceſſitatem; certum eſt autem in Scriptura nullum eſſe præceptum de aqua, ſed ſemper fieri mentionem vini.

Obijci etiam ſolent Concilia, Carthaginenſe III. cap. 24. Aurelianenſe IV. cap. 4. Africanum cap. 4. Vvormatienſe cap. 4. Sexta Synodus generalis in canone Trullano. 32. quibus reſpondetur cum Vaſquez & Cardinale Lugo ibi ſolum eſſe ſermonem de neceſſitate ponendi vinum, non lac, mel, aliumue liquorem, ita vt ſi mixtio illa fiat ſine vino, nihil valeat; quod autem poni debeat etiam aqua non dicunt eſſe ex præcepto Chriſti. 15 *Nec Concilia* [illegible]

Quartum dubium eſt, Vtrum Chriſtus Dominus in ſolo vino, an verò ſimul cum aqua conſecrauerit? cui breuiter reſpondeo, In vino lymphato id quod putatur omnino eſſe de Fide. *Chriſtus* [illegible] *aqua mixto.* ita enim conſtans traditio Eccleſiæ confirmat. Vide Suarium ea diſput. 45. ſect. 2. & Vaſquez diſput. 176. cap. 1. quidquid in contrarium dixerit Vvaldenſis lib. de Sacramentalibus Tomo 3. cap. 32. vbi pro ſe citat Chryſoſtomum Hom. 83. in Matth. vbi tamen ipſi nullo modo fauet; quia licet contra hæreticos Aquarios contendat ibi Chriſtum in vino conſecraſſe, non tamen dicit in ſolo vino. Porrò id eſſe è mente Sanctorum Patrum conſtat ex Concilio Florentino in eo citato decreto vbi dicitur; *Aqua autem ideo admiſcetur vino, quoniam, iuxta teſtimonia Sanctorum Patrum, creditur ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum.* & aliſſimum [illegible] Trid. [illegible] 22. c. 2. [illegible] *Tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur.*

Vltimum

Præceptum miſcendi aquam cum vino probabiliter ab Alexandro Primo promanat.

Vltimum dubium eſt, A quo ſit impoſitum hoc præceptum: aliqui ſatis probabiliter putarunt id ab Alexandro Primo mandatum, quia in lectione 9. quæ eſt de Vita ipſius 3. Maij legitur, *quod iuſſerit miſceri aquam vino in Sacrificio altaris*:& licet Alexander ipſe Epiſtola 1.cap.4. doceat ſe id à Patribus accepiſſe,poteſt tamen optimè intelligi anteà fuiſſe in vſu, ſine obligatione tamen: eſt etiam probabile ab ipſo tempore Apoſtolorum incepiſſe eam conſuetudinem etiam ſub obligatione ad imitationem Chriſti. Vnde infero vltimò, in præcepto hoc poſſe diſpenſari à Pontifice, cum non ſit diuinum; vix autem videtur poſſe in praxi vllam circumſtantiam occurrere, quæ cohoneſtet eam diſpenſationem, niſi fingatur non poſſe in eo loco aquam inueniri. Quod autem ea aqua debeat eſſe naturalis, & in modiciſſima quantitate ſuppono vt omnino certum; vti quod non ſit neceſſarium eam ab ipſo Celebrante infundi; quandoquidem in Rubricis Miſſalis præcipitur, vt in Miſſa ſolemni eam imponat Subdiaconus.

SECTIO IV.

De præſentia & determinatione materiæ conſecrandæ.

16 EXplicata materia capaci conſecrationis oportet explicare circunſtantias, quibus illa redditur proximè capax: quæ ferè ad duas poſitas & tertiam, de qua ſectione quinta, reducuntur: circa quas varij caſus poſſunt in præſenti excogitari: multos tractant Pater Suarez diſp.43. ſect.5. & Vaſquez diſp.171. per totam; nos breuiter præcipuos attingemus. Primò dicimus materiam debere eſſe Sacerdoti præſentem, quod ſæpè ſuprà inſinuatum eſt, vt poſſit demonſtrari pronomine *hoc* vel *hic*;ad quod non ſufficit,vt ſimpliciter videatur ea materia; eminus enim poſſumus videre montes, quos tamen propriè non poſſumus demonſtrare pronomine *hic*, ſed *illi*. Quanta autem debeat eſſe ea propinquitas non poſſumus certò & mathematicè definire, tum quia id pendet ex quantitate ipſius materiæ:maior enim materia poteſt in maiori diſtantia demonſtrari pronomine *hoc* quàm minor 20. aut 30. paſſibus. v. g. poſſum dicere, *Hic fluuius*; non tamen poſſum dicere (licet eam videam) *Hæc acicula*: tum quia in eadem etiam materia, cum tota pendeat ab acceptatione hominum, vnus requiret minorem diſtantiam quam alter; certa ergo regula eius diſtantiæ tradi non poteſt, ſed prudenter conſideranda eſt; licet (vt verum fatear) quæſtio hæc parum ſit ad rem; nam ad licitam conſecrationem ſatis vicinam habemus materiam: quid autem aliquis ex nequitia volens inordinatè conſecrare poſſit efficere,nõ eſt multum curandum; vix enim Deus permiſit talem aliquando caſum.

Materia debet poſſe demonſtrari.

Certa regula præſentiæ aſſignari non poteſt.

Non eſt neceſſarium vt videatur materia conſecranda.

Secundò dicimus,non eſſe neceſſarium vt materia conſecranda videatur; nam hoſtiæ in vaſe tecto poſſunt conſecrari;& verò quando multę conſecrantur,etiamſi detectæ ſint, ſolùm apparent octo aut decem, cæteræ omnes non videntur;& tamen ex communi Eccleſiæ traditione validè conſecrantur: ratio huius eſt, quia ex communi acceptione hominum ea quæ continentur aliquo vaſculo, aut ciſtula,comprehenduntur nomine continentis; & ſicut continens oſtenditur, ita etiam poteſt & contentum oſtendi: eodem modo quando multæ res eiuſdem rationis ſunt ſimul, ſufficit aliquas videri, ſeu partem, vt ſic omnes ſeu totum demonſtrari queat.

17 Nota tamen, liceat quando ego ſum ad portam clauſam cubiculi tam præſens ſit mihi,phiſicè loquendo,res exiſtens intra cubiculum poſt valuas, quam res quæ eſt intra ciſtam ante me, quia vtrobique tantùm interiacet aſſer vnus;non tamen poſſe à Sacerdote extra cubiculum exiſtente conſecrari panem intra cubiculum clauſis valuis, licet poſſit intra ciſtam. Differentia huius rei non poteſt reddi niſi ex acceptione hominum: cubiculum enim non ſolet accipi pro re contenta ſicut accipitur ciſta; vnde fit,vt non poſſit res intra cubiculum deſignari eo pronomine,ſicut poteſt intra ciſtam.

Materia poteſt conſecrari intra ciſtam clauſam non intra cubiculum clauſum.

Materia à tergo poſita eſt conſecrabilis.

Tertiò dicimus, materiam etiam exiſtentem à tergo Sacerdotis poſſe validè conſecrari (licet à multis id negetur, niſi aliquo modo ea res videatur;)ratio tamen pro nobis eſt, quia ſi manu v. g. teneam pomum a tergo, poſſum alteri dando dicere, *Accipe hoc pomum*; malè autem diceretur, *Accipe illud pomum.* Ratio vlterior eſt, quia non ſolum ea quæ ſunt ante oculos, ſed & quæ ſunt homini valdè vicina, demonſtrari poſſunt per pronomen *hic* & *hoc*: vnde & de famulis ſe ſequentibus poteſt Dominus dicere, etiam non vertendo ad illos caput, *Hi mei famuli.* Inde etiam & cæcus poteſt de aliqua re ſibi præſenti dicere, *Hæc res*, &c. Illud difficilius, An vt materia cenſenda ſit præſens & conſecrabilis,debeat ſecundumſe totam eſſe præſens, an ſufficiat ſecundum partem, v. g. ſi aliunde aqua ſola eſſet materia capax conſecrationis,an poteſt quis in littore maris, eò quod partem illius habeat ſibi præſentem, totum mare conſecrare? & idem quærimus de magna quantitate panis, cuius extrema pars valde eſſet diſtans à conſecrante. Vaſquez numero 25. ſupponit non poſſe, ſi diſtantia aliarum partium ſit magna; in fine verò ait poſſe, non obſtante quacumque diſtantia. Probabilius cenſeo cum Suarez non poſſe: licet enim aqua Muldauæ v. g. ſit coniuncta cum aqua maris, non tamen poſſum Pragæ exiſtens, & deſignando Muldauam, dicere, *Hæc eſt aqua maris*, ſeu *Hoc eſt mare*: & licet Iaponicum mare coniunctum ſit cum noſtro, non tamen propterea poſſum ex noſtro littore dicere, *Hoc eſt mare Iaponicum.* Ratio huius rei (quæ ad acceptionem communem pertinet) ea eſt,quia licet vnio partium conducat, vt ad aliquam diſtantiam poſſint demonſtrari aliquæ partes per alias, non tamen id ſufficit ad quamcumque;ergo non poterit in quacumque diſtantia fieri conſecratio ratione alterius partis vicinæ, quanta autem debeat eſſe aliarum partium vicinitas, non poſſum vllo modo determinare, vt & ſuprà in ſimili dictum eſt.

Materia conſecrabilis, debet eſſe præſens ſecundum ſe totam.

Vt ſaltem poſſit communi modo loquendi demonſtrari.

18 Circa determinationem materiæ certum eſt non poſſe vagè & indeterminatè aliquam conſecrari; v. g. Conſecro hanc vel illam hoſtiam; ſed neceſſariò debere determinatè proferri verba illa, *Hoc eſt corpus meum*,ſupra materiam certam, quam determinatè vult Sacerdos conſecrare:vnde fit, vt ſi ante ſe habeat duas hoſtias, & nolit vtramque conſecrare, neceſſariò debeat applicare intentionem ad eam quam vult, alioquin nulla conſecrabitur: & ratio eſt, quia τὸ *Hoc* ſignificat determinatè aliquid, & non vagè: vnde fit rurſus, vt ſi inter multas hoſtias conſecratas

Materia conſecrabilis debet eſſe determinata.

Digitized by Google

conſecratas ponatur vna non conſecrata, ita tamen vt non diſtinguatur à Sacerdote, non poſſit conſecrati non ob defectum præſentiæ, ſed quia deſignari non poteſt nec per ſola (vt ſupponimus) nec ſimul cum cæteris; quia cum reliquæ ſint conſecratæ, non ſunt ampliùs demonſtrabiles in ordine ad conſecrationem.

Poteſt conſecrari dimidia hoſtia altera parte dimidia non conſecrata.

Vbi aduerte, aliquos Recentiores (quos benè refutat Cardinalis Lugo ſuprà ſect. 7.) contendere, etiam talem hoſtiam poſſe conſecrari; nam ſi quis velit conſecrare dimidiam partem hoſtiæ poteſt id validè facere, & tamen tunc non poteſt diſtinguere partes conſecratas à non conſecratis: deinde ſi ſciam in pyxide eſſe eam hoſtiam non conſecratam, poſſum dicere, *Volo conſecrare quidquid eſt hic conſecrabile*: & conſequenter conſecrabo illam hoſtiam quæ non erat conſecrata. Hic tamen minus benè diſcurrunt; nam illa inſtantia de conſecratione mediæ hoſtiæ non eſt ad rem: ibi enim (vt notauit benè Cardinalis Lugo) moraliter loquendo demonſtratur media illa pars, etiamſi mathematicè non poſſit vltima quaſi indiuiſibilis demonſtrari, in qua conueniunt duæ illæ mediæ partes: neque enim requiritur ad deſignationem humanam, vt poſſint cum omni vigore oſtendi ea puncta. Quod verò de voluntate conſecrandi quidquid eſt in pyxide dicebatur, etiam non eſt ad rem; nam vel homo vult conditionatè, *ſi non ſint conſecrata*, iterum omnes hoſtias illas conſecrare; & tunc facilè poſſet concedi illam permixtam conſecrandam, quia demonſtrata iam foret ſimul cum aliis; vti quando ciborium conſecratur, demonſtrantur hoſtiæ omnes, etiam illæ quæ inferius ſunt; demonſtrantur inquam per ſuperiores: nos autem nunc loquimur, caſu quo ſola illa demonſtranda eſſet per voluntatem purè abſolutam, de illa ſola & eo pacto diximus non eſſe poſſibilem eam demonſtrationem: vti non poſſum inter mille homines dicere, Hic eſt Petrus, ſi illum non noui.

19 *Vbi hoſtia non conſecrata ſunt conſecratis admixta, poteſt adhiberi conſecratio conditionata, contra Cardinalem Lugo.*

Quæri tamen hac occaſione poſſet, An ſi certò conſtaret vnam aut alteram hoſtiam eſſe non conſecratam inter valdè multas conſecratas, liceret tunc vſurpare eam conſecrationem conditionatam: Negat Cardinalis Lugo, quia poſſent tunc dari duæ hoſtiæ cuilibet communicanti; ſic enim certum eſſet omnes accipere ſaltem vnam verè conſecratam. Ego tamen diſtinguendum cenſeo; & primùm, ſi duæ aut tres eſſent non conſecratæ, profectò non poſſet moraliter illi inconuenienti occurri; nam cuilibet dare tres aut quatuor eſſet magna nota; deinde, ſi in alios dies relinquitur ibi ciborium cum hoſtiis, facillimè veniet in obliuionem ea obſeruatio: & aliquis etiam optimè diſpoſitus accedens deſtaudabitur magno illo fructu. In illis ergo caſibus iudicarem poſſe repeti conditionalem conſecrationem, quia reuera non fiet iniuria Sacramento, cùm conſtet aliquam ibi eſſe materiam non conſecratam, & proximi vtilitas exigat eam repetitionem; neque inde cogimur (vt obiicit hic Auctor) ſi vna gutta non conſecrata cadat in calicem conſecratum, repetere conditionaliter conſecrationem: etenim ibi nullum omnino eſt (& verò nec poteſt eſſe) periculum aliquem defraudandi: tum quia Sacerdos ipſe ſolus totum ebibit; tum quia eſto eſſet cum aliis diſtributurus, non poſſet moraliter fieri vt illa ſola gutta ad aliquem veniret.

Neque fit vlla iniuria Sacramento;

20 Quod ſi demus omnes illas hoſtias poſſe facilè vna vice inter multos communicantes diſtribui, & poſſe ſine graui nota dari cuilibet duas, putarem omnino non repetendam eam conditionatam conſecrationem; vt Cardinalis Lugo docet. Hinc à fortiori colliges, ſi ea mixtio ita fiat, vt plures vel certe tot ſint non conſecratæ quot conſecratæ, omnino debere repeti eam conditionalem conſecrationem: hinc etiam colligitur inter multas hoſtias non poſſe validè vllam conſecrari, ſi Sacerdos nolit omnes, ſed aliquas tantùm, illaſque ipſe nolit determinare, ſed Deo aut alterius voluntati relinquat determinandas: quouſque enim ea determinatio conſtet ipſi conſecranti, non poteſt vti eo pronomine *Hoc*.

Niſi fortè plures hoſtiæ dentur vni communicanti.

Qua occaſione aliqui diſputant, Vtrùm Sacerdos dans abſolutionem poſſit eam limitare ad aliqua peccata ex his quæ in confeſſione ſunt declarata. Cui quæſtioni vno verbo dico, inter mortalia id validè fieri non poſſe, quia vnum ſine altero non remittitur; inter venialia verò poſſe validè fieri, ſi tamen illa determinentur, nam ſi non determinentur ab ipſo Sacerdote, erit idem quod de hoſtiis. Dixi *validè*, quia licitè non poteſt ea limitatio fieri, cùm ſit in damnum confitentis.

Non poteſt validè dari abſolutio pro aliquibus peccatis, & non pro aliis niſi venialibus.

SECTIO V.

De termino materiæ conſecrandæ.

DE termino materiæ quantum ad magnitudinem dicendum eſt nullum eſſe, dummodo ex ea magnitudine non cauſetur diſtantia aliquarum partium, vt diximus paulò antè circa præſentiam; adeò ſi idem homo poneretur replicatus in toto Oceano, vnde poſſet tota aqua per τὸ *hæc* deſignari, poſſet, ſi aliunde aqua ſola eſſet capax conſecrationis, totam illam conſecrare; quod idem dico, licet eſſet infinitæ magnitudinis, dummodo toti illi homo eſſet præſens. 21

Non eſt certa quantitas materiæ conſecrandæ præſcripta.

Circa paruitatem verò è contrario in ſententia docente panem non poſſe in indiuiſibili conſeruari, ſed habere minimum aliquod naturale, infra quod exiſtere non poteſt, certum eſt infra illud minimum non poſſe fieri conſecrationem, quia non eſt panis: ſed quid, ſi miraculosè infra illud conſeruaretur; Reſpondeo; Probabile eſſe non conſecrandam eam materiam, quia non habet diſpoſitiones naturales ſufficientes ad formam panis; ſicut ſi miraculosè Deus poneret formam panis ſine diſpoſitionibus in aliqua materia, non poſſet conſecrari: & ratio à priori deſumitur ex illo nomine *Hoc*, quod debet denotare accidentia propria panis, quæ in tali caſu non reperiuntur: aliunde tamen ſatis probabiliter dici poteſt poſſe conſecrari, quia reperiuntur propria accidentia panis, excepta magnitudine, quæ non videtur impedire ne poſſit dici, *Hoc eſt panis*, niſi aliunde tam exigua eſſet, vt per ſenſus non poſſet demonſtrari non ſolùm vt panis, ſed nec vt alia ſubſtantia. In ſententia verò dicente, poſſe in indiuiſibili ſubſtantiam panis conſeruari, dicendum eſt, ſi illud indiuiſibile ſeparetur poſt conſecrationem, manſurum ibi Chriſtum Dominum, quia & ſunt diſpoſitiones ſufficientes pro pane, vt ſupponimus, ſub quibus poteſt manere Chriſtus; & aliunde non requirit ipſa Chriſti præſentia extenſionem; ante conſecrationem verò non eſſe materiam ſufficientem:

Probabiliter in indiuiſibili poteſt conſecratio fieri, modo ſit panis.

Digitized by Google

tem: vnum enim indiuiſibile non eſt demonſtrabile per ſe ab homine per vllum ſenſum.

22 Dices Primò cum Maiore in 4. diſt. 11. q. 3. vbi contrarium defendit; Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, ſed illud indiuiſibile, quod non poteſt videri, non eſſet ſenſibile ſignum; ergo non eſſet Sacramentum; ergo non poſſet in illo manere Chriſtus, Vaſquez concedit, ſi illa particula non eſſet ſenſibilis, non retenturam Chriſtum; negat tamen poſſe adeò paruam ſeparari, quæ ſaltem ab acutiſſimo viſu non poſſit ſentiri. Cardinalis verò Lugo ait illam particulam eſto ex defectu coniunctionis cum reliquis non poſſit actu ſentiri, tamen ex ſe eſſe ſenſibilem; vti color videri non poteſt in tenebris, & tamen etiam tunc ſenſibilis eſt: quod verò illa ſit ſenſibilis probatur, quia quando poſtea coniungitur cum alia, illa etiam mittit ſui ſpecies, & illa in ſe videtur. Quod ſi iterùm obiicias, illam vt ſic non poſſe manducari, ergo non eſt cibus; reſpondet, Poſſe manducari, ſi coniungatur cum aliis corporibus: vbi tenuis gutta alicuius quintæ eſſentiæ ſecundum ſe non poteſt comedi, poteſt autem in iuſculo aut vino; & tunc operabitur effectum quem in ſe continet: idem ergo erit de eo indiuiſibili panis.

Vaſquez vult materiam eſſe ſenſibilem.

Cardinalis Lugo, poſſe ſentiri, ſi cum aliis coniungatur.

Hæc tamen doctrina mihi eſt difficilis; & quidem Pater Vaſquez videtur ſtatum quæſtionis omnino deſtruere, quia pro illo ſupponimus manere panem, & tamen non eſſe ſenſibilem eam ſpeciem. Non item Cardinalis ſolutio ideò non placet, quia illa ſenſibilitas non eſt proxima, ſed valdè remota; argumentum autem intendit debere ſpecies ita eſſe ſenſibiles, vt in ſe ſecundùm ſua intrinſeca poſſint ſentiri: hoc autem illæ non habent: niſi enim vniantur intrinſecè cum aliis & creſcant, non poſſunt ſentiri. Demus illas ſpecies ob paruitatem materiæ non eſſe operatiuas vllo modo; demus item materiam conſecrabilem eſt inſtitutione Chriſti debere eſſe aliquid operatiuum: profectò non poſſemus dicere, illam exiguam materiam eſſe conſecrabilem, & retinere conſecrationem; quia reuerà tunc non eſſet propriè actu operatiua, ſed foret, caſu quo coniungeretur cum aliis: vnde etiam data ea coniunctione foret materia conſecrabilis: idem ergo in præſenti dicendum.

Vaſquez ſtatum quæſtionis deſtruit.

23 Hinc autem apparet inſtantiam illam de colore in tenebris non eſſe ſufficientem; nam colori ex ſe nihil tunc deeſt, ſed tantùm aliquid extrinſecum, cuius defectus non cenſetur moraliter illi tollere ſenſibilitatem; at illis paruis particulis deeſt intrinſeca, vt ſic dicam, virtus, quæ ex intrinſeca vnione cum reliquis illis partibus deſumitur: qui defectus planè reputatur intrinſecus: id quod clarè hoc exemplo oſtenditur, ſi ſit ignis magnus, eſto ego illi non ſim applicatus, dicimus illum abſolutè eſſe potentem ſeu ſufficientem ad calefaciendum; quia ille defectus approximationis non tenet ſe ex parte ipſius ignis, ſed eſt extrinſecus: at ſi ignis non ſit niſi vna exigua ſcintilla, non poſſumus abſolutè dicere, Hæc ſcintilla eſt abſolutè potens & ſufficiens vt me calefaciat, etiamſi coniuncta cum aliis omnino ſufficeret: quam etiam differentiam ex parte tetigit idem Auctor, vt oſtenderet quo pacto panis etiam in tenebris, quando non poteſt videri conſecrati tamen poſſit; illa tamen particula, de qua loquimur, non poſſit conſecrari. Quæ differentia ſi bona eſt, vti reuera eſt, habet locum in ordine ad permanentiam Chriſti Domini in ea materia, quia illa indemonſtrabilitas non oritur ex abſentia vlla; ſupponimus enim illam eſſe viciniam, ſed oritur ex nimia debilitate illius: ea autem debilitas vti ſufficit, iuxta hunc Auctorem, vt reddat indemonſtrabilem eam materiam ita debet ſufficere vt reddat inſenſibilem; quia indemonſtrabile & inſenſibile mihi videntur omnino ſynonyma, cæteris paribus, hoc eſt indemonſtrabile per ſe, & inſenſibile per ſe, indemonſtrabile per accidens, inſenſibile per accidens; loquor etiam reſpectu hominum; nam alioquin facilius poteſt aliquid eſſe demonſtrabile quàm ſenſibile; (ac proinde ex eo capite minus requireretur vt poſſet ea materia oſtendi per pronomen *hic*, quam vt eſſet ſenſibilis:) etenim res quæ inſenſibiles ſunt Angelis, ſunt illis tamen demonſtrabiles; ergo ex hoc capite non oſtenditur, quomodo illa particula ſit adhuc ſignum ſenſibile, ac proinde poſſit eſſe actu Sacramentum, & non ſit res demonſtrabilis, ideóque non poſſit conſecrari.

Inſtantia Cardinalis Lugo & eius argumenta refutantur.

Facilius poteſt quid demonſtrari quam ſentiri.

Quod idem Auctor dicebat ſecundo loco, ſcilicet eam particulam eſſe adhuc cibum, quia ſaltem cum aliis poteſt comedi, non videtur etiam ad rem noſtram ſufficere; nam ſi nullo ſenſu poteſt actu percipi, nequaquam poterit eſſe cibus humano modo, vt vult hic Auctor debere eſſe Euchariſtiam, ad hoc vt ſit cibus ſpiritualis: etenim caſu, & per accidens, ac præter intentionem ſumentis poterit ſumi, ſi v. g. vbi eſt illud indiuiſibile ponatur caſu alius cibus cui adhæreat (id penitus homine ignorante,) hoc verò non eſt humano modo & voluntariè illam accipere; ergo etiam eſt inutilis ea particula ad effectum illum ſpiritualiter cibandi; ac, proinde neque erit cibus ſpiritualis animæ, ergo neque Sacramentum. Et hinc operoſum non erit eam inſtantiam de quinta eſſentia reiicere, Primò, quia vt aliquid ſit cibus naturalis, ſufficit ſi comedatur quomodocumque, modò etiam inaduertenter: at vt Euchariſtia ſit cibus, debet comedi omnino aduertenter (vt hic Auctor docet;) ſi loqueremur in mea ſententia, nulla eſſet difficultas. Dixi enim ſuprà, ſi homo ſit in gratia, eſto ignorans communicet, dandam nihilominùs ei gratiam. Secundo, ea inſtantia quintæ eſſentiæ non vrget, quia illa etiam gutta eſt viſibilis, & ſcienter comedi poteſt; cuius contrarium ſupponimus in noſtro caſu.

24 *Inſtantia de cibo reiicitur.*

Item inſtantia de quinta eſſentia.

His ergo ſolutionibus omiſſis faciliùs fortè quis reſponderet ad hoc, vt Sacramentum Euchariſtiæ perſeueret, non requiri quod iam ſit ſenſibile, ſed ſufficere quod fuerit. Vt enim ſupra diximus, ſi hoſtia conſecrata miſceatur inter innumeras non conſecratas (& idem clarius eſt de vino conſecrato, ſi in vas non conſecratum ponatur) iam non eſt ſignum ſenſibile; quia nihil habet quo diſtinguatur à reliquis non conſecratis; & tamen quia actu habet diſpoſitiones panis, qui verè eſt conſecratus (& idem dico de diſpoſitionibus vini) fit vt adhuc maneat ſub illis Chriſtus; quid ergo mirum ſi etiam maneat ſub illo minimo, quod, vt diximus, retinet veras diſpoſitiones panis, etiamſi demonſtrabile non ſit ob paruitatem.

Alia aliorum explicatio non ſatisfacit.

Neque hinc fit poſſe illud ab initio conſecrari; in initio enim debet poſſe demonſtrari per τὸ *hic*: id quod oſtendo inſiſtendo in eo exemplo hoſtiæ conſecratæ, & inter alias non conſecratas mixtæ: illa enim in omnium ſententia retinet conſecrationem; ſi tamen ſit ſic immixta &

25 *Vt materia conſecretur debet poſſe demonſtrari.*

Digitized by Google

& cum aliis confuſa, nequaquam potuiſſet ſola conſecrari, quia vt ſic non potuiſſet demonſtrari; ergo ſenſibilitas, quæ requiritur in initio, non eſt neceſſaria ad conſeruandum Chriſtum, & idem clarius conſtat in gutta vini conſecrata & immixta vaſi vini non conſecrati.

Vrgebis tamen: De ratione Sacramenti eſt eſſe ſignum ſenſibile; ergo ſi illa particula non ſit ſenſibilis, eſto fuerit ab initio, non erit iam Sacramentum, eſto ab initio fuerit. Reſpondeo, Non eo rigore requiri eam ſenſibilitatem in facto eſſe ac in fieri, vti patet in aliis etiam prædicatis, quæ ponuntur ab omnibus vt eſſentialia pro Sacramento: etenim Sacramentum debet eſſe cæremonia ſacra ſanctificans legaliter homines. Certum eſt autem, licet in hoſtiæ conſecratione fuerit reperta ratio cæremoniæ ſacræ, ipſam tamen hoſtiam permanentem deinde in ciborio non eſſe cæremoniam ſacram, ac tunc non ſanctificare legaliter ſuo vſu homines; & tamen retinet Chriſtum, vt docet Fides; ergo etiamſi in facto eſſe non retineat iam rationem ſigni propriè ſenſibilis, retinebit tamen Chriſtum Dominum. Ad argumentum ergo in forma poteſt reſponderi, in rigore loquendo, illas ſpecies, eſto in ſe contineant Chriſtum Dominum permanenter, vt definit Tridentinum, non retinere actu totum conceptum adæquatum Sacramenti, ſed ratione ipſius Chriſti retenti dici Sacramentum, quia illa eſt præcipua Sacramenti pars; reliqua verò, quòd ſit cæremonia ſacra, quòd ſit ſenſibilis, ſolùm retinere per denominationem extrinſecam, ex eo quòd in fieri fuerit & cæremonia & ſenſibilis, &c. neque in hoc toto morali maior requiritur actualis exiſtentia ad eas denominationes, vti diximus etiam verba præcedentia eſſe partes huius Sacramenti.

Non requiritur ea ſenſibilitas in facto eſſe quæ in fieri.

Sufficit ſenſibilitas per denominationem extrinſecam.

26 Fortaſſe è contrario, ad probandam etiam illam minimam materiam inuiſibilem poſſe conſecrari, dices: Cæcus poteſt conſecrare validè, licet non videatur materiam; ergo & illud indiuiſibile, licet non videatur, erit conſecrabile. Reſpondeo negando conſequentiam, quia cæcus poteſt ſaltem tactu aut olfactu materiam ſibi præſentem ſentire, eamque demonſtrare. Vbi diſplicent aliqui qui dicunt, ſi illud indiuiſibile præſens mihi eſſe cognoſcam ex reuelatione, poſſe me illud validè conſecrare: diſplicent inquam; nam ea cognitio non ſufficit, vt poſſit illa res humano modo demonſtrari: ſicut licet ſciam Deum eſſe nobis præſentem, non tamen poſſum illum demonſtrare.

Moueri nunc poſſet illud dubium, quod tractat Pater Suarez diſp. 43. ſect. 7. & fuſiùs longè Cardinalis Lugo ea diſp. 4. ſect. 6. Vtrùm panis ſi naturaliter non poſſet exiſtere niſi in viginti v. g. indiuiſibilibus coniunctis, poſſint conſecrari decem aut octo tantùm aut certè octodecim ex illis, ratio dubitandi ex vna parte eſt, quia illa octo aut decem indiuiſibilia, licet ſeparata, non poſſent panis formam retinere, poſſunt tamen quando ſunt vnita aliis: atqui Chriſtus poteſt eſſe ſub ſpeciebus panis, ſub quibus ipſe panis poteſt conſeruari; ergo & Chriſtus poterit poni & manere in eis ſpeciebus quamdiu fuerint vnitæ aliis: ex altera verò parte, cum illæ ſpecies non poſſint adæquatè ſuſtentare panem, non videtur etiam poſſe Chriſtum poni ſub eis; quia Chriſtus non poteſt eſſe niſi ſub ſpeciebus quæ ſufficiant ad ſuſtentandum panem. Confirmatur, quia ſi eo caſu fieret conſecratio, ſequeretur vel panem manſurum in maiori parte quàm naturaliter poſſit manere, quia in media parte eſſet Chriſtus, in altera media eſſet panis, vel eam partem corrumpendam, ac proinde ſtatim notandum, alterá partem fuiſſe conſecratam: vtrumque autem eſt abſurdum, ergo. Imò facta ea conſecratione etiam Chriſtus deberet deſinere eſſe ibi; quia etiam tunc naturaliter illæ ſpecies panis in ea exigua quantitate non poſſent conſeruari. Pro parte affirmante ſtat Suarez ſupra, Cardinalis Lugo item poſt multas factas replicas contra eam ſententiam: ſtant etiam aliqui Recentiores in manu ſcriptis, & eam ego puto longè probabiliorem, & videtur omnino ſufficienter probata argumento pro ea facto: hoc autem addo (quod & notauit Cardinalis Lugo ſupra) quæſtionem ferè eſſe inutilem, vel quia de facto panis non habet huiuſmodi minima, infra quæ non poſſit exiſtere; vel quia eſto ea habeat, non poteſt ab homine fieri ea diuiſio tam ſubtilis, vel quia in tam exigua parte non poteſt Sacerdos deſignare vnam quam conſecret, & alteram quam omittat, res ergo eſt omnino inutilis, vnde nec longa diſcuſſione digna. Hoc poſito, ad argumentum in contrarium dicimus vno verbo, Chriſtum poſſe eſſe in illis ſpeciebus ſolis, quæ hîc & nunc etiam vt condiſtinctæ ab aliis poſſunt continere panem; quia non eſt maior difficultas de exiſtentia Chriſti ſub illis quàm de exiſtentia panis. Dixi *vt diſtincta*, non verò dixi *vt ſeparata*, quia illæ ſpecies eſto ſeparatæ non poſſint, tamen illæ, quæ ſunt diſtinctæ ab aliis cum quibus continuantur, continent etiam panem, eſto ad id requirant per modum conditionis, vt ſint vnitæ cum aliis: aliud autem eſt, illas etiam vt diſtinctas continere, aliud, indigere ad hoc ipſum continuatione cum aliis, vti in ſententia negante ſanguinem animari, corpus ſolum recipit ſeu continet adæquatè animam, ad eam tamen receptionem ſeu retentionem indiget tanquam conditione vnione ad ſanguinem; ita dico illam mediam partem eius minimi adæquatè ſuſtentare ſuam partialem formam panis, requirere tamen ad hoc vnionem cum aliis tanquam conditionem, ſicut corpus indiget ſanguine vt retineat animam, Chriſtus ergo poteſt eſſe ſub illis ſpeciebus, quæ ſufficiunt, vt ſint ſubiectum formæ panis, ſi ſimul habeant eam vnionem, à qua præciſè pendent vt à conditione. Ad confirmationem dico, in eo caſu facta conſecratione manſurum panem in altera parte, quæ non eſt conſecrata. Pro quo aduerte, ſi forma panis & vini v. g. habet minimum naturale, infra quod non poteſt conſecrari naturaliter, id ſolum exigere vt conſeruentur accidentia, à quibus illa pendet; conſeruatis enim accidentibus ipſa etiam durare poterit; cùm ergo in eo caſu accidentia non ſint infra minimum, ſed habeant totam illam extenſionem quam exigunt, nam & illa, ſub quibus dicimus ponendum Chriſtum, & alia, ſub quibus eſt panis, ſint inter ſe continua eiuſdem rationis, & eodem modo ſe defendunt, ac ſi eſſet vel Chriſtus ſub omnibus, vel ſub omnibus eſſet panis, non eſt vlla difficultas in eo quod ibi conſeruetur forma panis. Reſpondeo Secundo, Si adhuc velis contendere illam formam deſtruendam paulatim, tunc id haud dubiè non fiet niſi deſtructis etiam ipſis accidentibus

Alia quæſtio proponitur, An aliqua indiuiſibilia materiæ poſſint conſecrari non conſecratis aliis.

Aſſirmant Suarez & Cardinalis Lugo probabilius.

27 *Reſpondetur argumento contrariæ opinionis.*

Corpus Chriſti poteſt eſſe ſub illis ſpeciebus quæ ſufficiunt vt ſit panis.

Digitized by Google

Chriſti, quod ſpecies qui accidentia illa habebunt eam [illegible] pro ſui conſeruatione.

28 *Obiectio:* Obiicies adhuc: Si materia conſecrationis eſſet aliquod totum heterogeneum vt poſſet, non poſſet in ſolo capite poni Chriſtus, quia illud ſolum non ſufficit vt ſuſtentet formam ſeparatam ab aliis partibus; ergo. Reſpondeo, Differentiam eſſe manifeſtam; nam caput non eſt panis, ac proinde illud ſolum non poteſt retinere Chriſtum, cum ſupponamus materiam neceſſariam eſſe panem; at in noſtro caſu etiam illa media pars minima eſt panis, ac proinde eſt ſufficiens materia ad conſecrationem.

Soluitur. Diſparitas aſſignatur inter materiam heterogeneam & homogeneam.

Alia obiectio: Dices vltimò: Corpus Chriſti eo caſu non ſignificaretur per illam mediam partem accidentium, quia illa media pars ſola non ſignificat panem, quòd ſi reſpondeas ſignificari per omnia, tunc dicendum erit omnia intrare ad rationem Sacramenti; quod eſt abſurdum: hoc enim Sacramentum non componitur niſi ex ſpeciebus, ſub quibus eſt Chriſtus. Reſpondet Cardinalis Lugo, hoc Sacramentum poſſe conſiderari vel in ratione ſignificantis, vel in ratione cibi; ſub prima conſideratione fatetur illud includere eas alias ſpecies, ſub quibus non eſt Chriſtus; ſub ratione verò cibi ait ſolùm includere ſpecies, ſub quibus eſt Chriſtus. Ego tamen hoc ipſum non conſentio [illegible] ſpecies non conſecratas pertinere ad Sacramentum Euchariſtiæ. Facilius ergo reſpondetur, illas ſpecies, eo ipſo quòd ſint panis, ſignificare etiam Chriſtum: aliud enim eſt, quod illæ non poſſint durare, niſi ſint coniunctæ aliis; aliud verò, quòd illæ etiam vt diſtinctæ ab aliis non ſignificent. v. g. manus hominis ſola ſi ſeparata eſſet, non poſſet ſignificare animam, quia nec motum vitalem nec alia accidentia vitalia habere poſſet, quæ ſunt animæ ſigna; ſi tamen ſemel coniuncta ſit corpori viuo, illa ſola poteſt vitam ſignificare: ſi enim eam ſolam videam mouentem ſe vitaliter, etiamſi alias corporis partes non videam, dicere poſſum, *Ibi eſt homo*, & idem dico de hac charta, eſto forma illius non poſſet conſeruari niſi in viginti v. g. indiuiſibilibus, ſi tamen ego ſola decem videam, dicere poſſum, *Hic eſt charta*; quia licet illa decem exiſtere non poſſent ſine aliis, ſi tamen exiſtant, iam repræſentant; non ergo pendet ab aliis partibus vt à conſignificantibus, ſed quaſi extrinſecè ad ſui conſeruationem: idem ipſum dico de illa media parte minima pro pane. Et ſatis de hac quæſtione, quæ non eſt magni momenti.

Soluta à Cardinali Lugo:

Sed aliter reſponſio videtur eſſe danda, alias [illegible].

Exemplo [illegible] firmatur.

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

De conuerſione aquæ in Chriſti ſanguinem.

1 SI ante conſecrationem aqua conuertatur in vinum, non eſt dubium quin tranſeat in ſanguinem Chriſti; quia de vino non eſt difficultas, & aqua tunc iam eſt vinum, vt ſupponimus; ergo.

Dices: Vinum, quod eſt certa materia conſecrationis, debet eſſe ex vite; atqui illud non eſt ex vite, ergo non eſt certa materia conſecrationis. Reſpondeo ex dictis in materia de Sacramentis in communi, Quando requiritur vinum ex vite, oleum ex oliuis, aqua naturalis, &c. pro materiis Sacramentorum, non requiri neceſſariò cum ea circumſtantia, vt de facto ſit vinum ex vite, & oleum ex oliuis expreſſum, ſed præcisè denotari ſpeciem vini, olei, aquæ, &c. Vnde extra controuerſiam eſt, vinum illud in Cana Galilææ fuiſſe materiam ſufficientem conſecrationis: & idem eſt, ſi aliquis Sanctus de facto aquam conuerteret in vinum miraculosè, aut in oleum, balſamum, &c. eſſet enim tunc ſufficiens materia conſecrationis, Confirmationis, &c. cùm ergo aqua illa licet non ex vite, virtute tamen naturali proprij & rigoroſi vini conuerſa ſit in proprium vinum, non eſt difficultas vlla, ſed certum omnino eam ſufficere pro conſecratione: tota ergo præſens quæſtio in eo conſiſtit, an ſi tempore conſecrationis adhuc ſit aqua, conuertatur in ſanguinem Chriſti, an non.

Vinum in Cana [illegible] materia [illegible] fuerit ex vite.

SECTIO I

Sententia affirmatiua, & aliqua pro illa fundamenta.

PAucis abhinc annis cœpit in Scholis hæc opinio reſurgere, quam olim videntur aliqui tradidiſſe; & poſteà penitus ex Scholis ablegatam defendit Pater Coninck quæſt. 44. art. 8. diſput. 1. Paulus Arriaga in libello paruulo de hac difficultate, Cardinalis Lugo diſp. 4. ſect. 3. 4. referunt pro ſe Alanum, Altiſiodorum, Alexandrum & Peſantium; quos tamen duos vltimos negat Suarez ei fauere. Amplectuntur illam multi docti Recentiores, Cardinalis Toletus lib. 2. Summæ cap. 25. §. *Rurſus ſiue vinum.* Pater Ioannes Baptiſta Scortia lib. 4. de Sacrificio cap. 1. num. 14. Pater Ioannes Præpoſitus hic quæſt. 74. art. 8. dubio vnico, & pauci alij, qui videri poſſunt apud prædictos. In probatione huius ſententiæ non omnes eius Auctores conueniunt: Lugo enim meritò reiicit aliqua argumenta Coninck & Arriagæ; ipſe verò vtitur quibuſdam teſtimoniis Patrum, & vna aut altera ratione: quæ omnia per partes à nobis examinanda ſunt, vt quæ ſit probabilior opinio decidere poſſimus. 2

Sententia affirmans aquam immediatè conuerti in ſanguinem.

Illud in primis notandum, totam hanc quæſtionem ab auctoritate vnicè pendere, non à ratione: cùm enim in ſola Chriſti voluntate poſitum fuerit eam immediatam conuerſionem aquæ in ſanguinem facere, aut requirere è contrario prius conuerſionem illius in vinum, non poteſt hæc quæſtio aliter decidi quàm probando ex auctoritate hanc potius quàm illam fuiſſe voluntatem Chriſti. Dico id probari debere ex auctoritate;

Argumenta pro hac ſententia petenda ſunt ab auctoritate.

[illegible] quam ex ratione non video vnde quid-quam [illegible] volumus poſſit inferri; videamus ergo quid pro ea ſententia afferatur.

3 *Coninck pro-ba verbis Alexandri Primi.* Primo loco adducit P. Coninck verba Alexandri Primi Epiſt. ad Orthodoxos, quæ refertur in cap. 1. de conſecrat. diſtinct. 2. in qua ait Pontifex non debere ſolum vinum, ſed etiam aquam offerri, quia vtrumque fluxit de latere Chriſti Domini. Hæc tamen auctoritas non vrget, quia ibi Pontifex non agit de conuerſione immediata in ſanguinem Chriſti, ſed imponit præceptum de mixtione ante conſecrationem: de quo egi ſupra. *Sed hic nihil a[git] de conuerſione a[q]uæ in ſanguinem.* Replicat P. Coninck, τὸ *offerri* idem eſſe ac conſecrari; ergo vinum & aqua conſecrantur in ſanguinem Chriſti. Reſpondeo, Gratis ea duo confundi, imò contra vſum Eccleſiæ: oblatio enim panis & vini fit ante conſecrationem. Vrgeo: Si τὸ *offerri* idem ſit ac conſecrari, ergo cùm ibi imponatur præceptum à Pontifice de oblatione aquæ, imponeretur etiam præceptum de conſecratione aquæ; & conſequenter teneremur moraliter eſſe certi tempore conſecrationis adhuc ibi eſſe aquam, vt ſic eam conſecraremus. quod falſum eſt, nec vllus ex Aduerſariis id audebit dicere.

Cyprianus potius fauet contrariæ opinioni. Secundò argumentatur ex Cypriano lib. 2. Epiſt. 3. vbi ait tum confici Sacramentum, quando aqua & vinum confuſa adunatione copulantur; ergo ſentit aquam etiam tranſire immediate in Chriſti ſanguinem. Reſpondeo, Nimis multum probari hoc argumento, ſcilicet, ſolum vinum non eſſe materiam ſufficientem pro conſecratione; quod tamen falſum eſt. Fortaſſè in Coninck retorqueret quis hoc teſtimonium Cypriani; nam quando dicit confuſam adunationem, videtur denotare aquam tranſiuiſſe in vinum: ſi enim ambæ naturæ aquæ & vini manerent integræ, non eſſet confuſa adunatio. Vnde Athanaſius, vt oſtenderet in Chriſto duas eſſe naturas, & nullam in alteram conuerti, dixit in Symbolo *non confuſione ſubſtantiæ.* Quia tamen dici poteſt, per eam confuſionem non denotare Cyprianum aliud quàm mixtionem localem, ideò eam argumenti impugnationem omitto, & abſolutè reſpondeo, ſolùm loqui Cyprianum de obligatione eius mixtionis, nihil verò dicere de tranſitu immediato aquæ in ſanguinem.

4 *Neque fauent huic opinioni Damaſcenus & Ambroſius.* Tertiò adducuntur, Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. vbi ait vinum & aquam per inuocationem & aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutari in corpus & ſanguinem Chriſti: Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Vinum cum aqua in calice miſſum fit ſanguis conſecratione:* hoc tamen teſtimonium valdè leue eſt, quia Ambroſius non ait aquam fieri ſanguinem, ſed de vino, quod fuerat ſimul poſitum cum aqua, id dicit: id quod a nemine negatur, ideò poteſt ad hoc alter locus eiuſdem paulò inferiùs ante verba Chriſti, *Calix eſt vini & aqua plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* *Paſchalis,* Paſchalis lib. 1. de Corpore & Sanguine Domini cap. 1. *Propterea non inconuenienter etiam ob hoc idem aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed quod conuertatur in ſanguinem.* *Samona.* Samona Epiſcopus Galenſis in diſputatione cum Hamet Sarraceno, vt habetur Tomo 6. Bibliothecæ, vbi ait, *His igitur pane & aqua nobis a[dq]ue a[lti]s, Dominus coniuncta ſua diuinitate virtute ſua [illegible] in proprium corpus & ſanguinem ea tranſ-*

fert. *Nicolaus Metonenſis.* Nicolaus Metonenſis in Libro [illegible] Oratione de Euchariſtia, quæ habetur eodem Tomo 6. *Martinus Brachar. Epiſcopus.* Martinus Bracharenſis Epiſcopus in libro Capitulorum ex Græcis Synodis collecto. *Non oportet aliud offerri præter panem, vinum & aquam, quæ in typo Chriſti benedicuntur, conſecrantur.* & addit: *Hæc tria vnum ſunt in Chriſto Ieſu.* *Iuſtinus Martyr.* Item Iuſtinus Martyr Apolog. 2. *At qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum qui adſunt percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt; atque cibus hic apud nos Euchariſtia nominatur.* *Hieronymus apud Baronium.* Hieronymus apud Baronium anno Domini 1188. *Formas ſanguinem ſuum in calice vino & aqua mixtis, vt alio purgemur a vitiis & culpis, alio redimamur a pœnis.* Hæc omnia loca prius etiam adduxerat Pater Suarez diſput. 45. ſect. 4. & deinde Vaſquez diſput. 178. cap. 1. quibus optime reſpondebant, nihil in eis penitus inueniri quod denotet eam immediatam conuerſionem, quòd vero dicant aliquando Patres accidentia aquæ eſſe in calice conſecrato, veriſſimum quidem eſt; nam licet aqua tranſiuerit prius in vinum, ita tamen tranſiit, vt aliqua ſua accidentia relinquat, quibus vinum aliquo modo alterauit: & ratione huius iure optimo dicitur eſſe ibi aqua. 5 *Non dicunt de conuerſione immediata aquæ in ſanguinem.*

Dices: Si aqua prius tranſit in vinum, omnes illæ locutiones Patrum erunt impropriæ: quia eo caſu non aqua cum vino, ſed vinum ſolum tranſiret in ſanguinem; alioquin etiam poſſet dici, Terra cum vino tranſit in ſanguinem, quia etiam ex terra & aqua fit vinum, quod poſtea tranſit in ſanguinem. Vrgetur, quia Ambroſius & Damaſcenus indicant manere aquam vſque ad conſecrationem; ergo ſentiunt eam immediate conuerti. Reſpondeo Primò, Eam inſtantiam de terra non eſſe ad rem, quia ea non miſcetur cum vino prout aqua ante conſecrationem; quòd verò ipſum vinum fuerit productum ex terra & humore, per accidens eſt ad tempus conſecrationis: non enim ponuntur in calice duæ res, ſed vna, quæ prius fuerit terra &c. at aqua rectè dicitur tranſire cum vino in ſanguinem, licet prius tranſeat in vinum, quia poſiti ſunt illi duo liquores adæquatè diſtincti, ideoque verum eſt de vtroque dicere, quod tranſierint in ſanguinem, licet vnum prius in alterum conuertatur: ſicut poſſumus dicere humores & ſanguinem conuerti in ſubſtantiam hominis, licet illi tres non prius conuertantur quàm tranſeant in ſanguinem.

Ad replicam ex Ambroſio dicimus illum non locutum de inſtanti immediato conſecrationis, ſed de tempore antecedenti, quando ponuntur in calice vinum & aqua, quibus dicit plenum eſſe calicem, per quod non negat aquam tranſire prius in vinum. Confirmatur, quia illæ propoſitiones ſunt vniuerſales, & non poſſumus intelligere, Ambroſium & alios Patres voluiſſe ibi negare conuerſionem naturalem aquæ in vinum, aut requiſiuiſſe vt ſemper immediate ante conſecrationem ſit ibi aqua; ergo ſolum loquuntur de aqua tempore mixtionis, quam [illegible] tranſire in ſanguinem, eſto tranſeat prius in vinum. Verum hinc replicabis, Illi Patres abſolute & vniuerſaliter locuti ſunt, [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] co[nſecr]atione, [illegible] dicitur a

diciſſima ſit aqua, & vinum in magna quantitate, & valdè ſit fortè; tum quia olim valdè multum de aqua miſcebatur, eratque moraliter impoſſibile tunc totam illam conuerti in vinum; ergo ſenſerunt in aliquibus ſaltem caſibus eum tranſitum immediatum aquæ in ſanguinem; quòd ſi vel ſemel eum admiſerunt, iam ex integro ſunt in ea ſententia. Reſpondeo. Cùm ex mente Aduerſariorum etiam conſtet ſemper materiam conſecrationis calicis eſſe debere vinum; vnde non ſufficit, ſi in æquali quantitate vinum & aqua ponantur, ſed debere præualere ſemper vinum; ſemper etiam in Eccleſia ſeruatum eſſe, vt modiciſſima pars aquæ miſceatur, niſi fortè quando etiam de vino multò plus infundebatur; ſemper enim reſpectiuè aqua fuit modica: vnde per ſe loquendo ſemper ſupponitur tranſire in vinum; meritò ergo abſolutè docuerunt Patres eam conuerti in ſanguinem. Nec obeſt, quòd fortè in aliquo caſu non fiat ea conuerſio; quia hoc non impedit id quod per ſe & ordinariè contingit. Male item dicitur à Patribus ſupponi non fieri conuerſionem aquæ in vinum: de quo adhuc plura infrà. Addo tamen, licet fortè Paſchaſius, aut aliquis alius minoris momenti inter Patres, eam ſententiam expreſsè tradiderit, ſufficienter eis opponi D. Thomam & Bonauenturam, qui & Patres & ſanctiſſimi ac doctiſſimi fuerunt, & rem diligentiùs examinarunt, item omnes ferè Scholaſticos, vt conſtabit inferiùs.

Supponitur aqua trāſire in vinum.

7 *Innocentij Tertij Pontificis reſponſum ad hanc quæſtionem examinatur.*

Quartò vtuntur teſtimonio Innocentij Tertij in cap. *Cùm Marthæ.* vbi à Pontifice quæſitum fuit, An aqua ſimul cum vino conuertatur in ſanguinem? Pontifex ponit tres ſententias; primam, quæ affirmat aquam conuerti in aquam quæ ex latere Chriſti profluxit, ſecundam, quæ aquam ſimul cum vino in ſanguinem dicit conuerti, quia priùs conuertitur in vinum; additque Pontifex, *Licet hoc vltimum à Philoſophis negetur*, tertiam, quæ dicit aquam manere ſemper in ſua ſubſtantia. Ex his tribus ſententiis ſecundam defendit Pontifex vt probabiliorem; vnde ſic illi arguunt: Pontifex ſentit aquam tranſire in ſanguinem, & non approbat rationem, quòd priùs conuertatur in vinum; ergo ſentit, etiamſi non conuertatur in vinum, conuerti in ſanguinem. Confirmatur Primò, quia alias non reſpondiſſet quæſtioni propoſitæ, *An aqua in ſanguinem immediatè conuertatur*; nam de mediata conuerſione, ſi prius in vinum fuiſſet conuerſa, nulla erat quæſtio. Secundò, Pontifex dicit probabiliorem eſſe eam ſententiam, quæ tunc magis erat recepta in Eccleſia: atqui ea ſententia erat de immediata conuerſione, vt ex quinto argumento conſtabit; ergo Pontifex cenſuit probabilius eſſe quod immediatè conuertitur.

Statuitur contra Coninck, non fuiſſe quæſtionem hanc Pontifici propoſitam.

Aduerte, falsò ſupponi à Coninck & aliis, quæſtionem in prædicto capite propoſitam fuiſſe circa immediatam conuerſionem aquæ in ſanguinem; dico enim præcisè fuiſſe dubium, an ſimpliciter conuerteretur in ſanguinem, ſiue mediatè, ſiue immediatè; vt & benè notarunt aliqui, qui eamdem ſententiam Coninck defen-

8 dunt; ideóque meritò iudicarunt hoc teſtimonium ei opinioni non fauere. Hoc poſito ruit argumentum totum; nam Pontifex ſolùm decidit quæſtionem propoſitam admittendo aquam conuerti in ſanguinem, negando autem illam conuerti in aquam quæ fluxit è latere Chriſti; item & negando eam manere ſemper in ſua ſubſtantia; vtrùm autem priùs conuertatur in vinum, non decidit ibi expreſsè, licet (vt Vaſquez & Suarez argumentantur ſatis probabiliter) inferri poſſit, ipſum approbaſſe rationem ſecundæ ſententiæ, nec curaſſe quòd id negetur ab aliquibus Philoſophis. Neque obeſt illum non repetiiſſe rationem ſecundæ ſententiæ; nam eo ipſo quòd non poſuerit nouam rationem, videtur approbaſſe eam ſecundam ſententiam cum ſua ratione ei adiuncta, ſeu prout prius ipſe illam ſententiam retulerat: & ita eum intellexit D. Thomas infra citandus, hunc eumdem locum ponderans. Confirmatur autem valdè efficaciter ex ponderatione Patris Vaſquez: eo enim loco Pontifex nullam poſuerat ſententiam de conuerſione immediata aquæ in ſanguinem, ſed de mediata; ergo ſi non in eodem ſenſu eius opinionis reſpondiſſet, malè dixiſſet *inter opiniones prædictas*: illa enim de conuerſione immediata non fuiſſet inter prædictas, ſed noua alia hoc noſtro tempore excogitata; ergo prædictum teſtimonium potius videtur eſſe contra hos Auctores. Dixi *videtur*, quia obeſt id quod paulò pòſt ſubiungam, ob quod non iudico Innocentium vlli ex his opinionibus fauere. Ad id quod vrgebatur, tunc temporis magis communem fuiſſe in Eccleſia hunc opinionem, reſpondeo, ſine vlla probabilitate id dici; imò hanc ſententiam de immediata conuerſione dicit Pater Vaſquez, qui in Patribus & Auctoribus ſcholaſticis valdè verſatus eſt, eſſe inuentum recens quorumdam Scholaſticorum. Ego, vt magis clarè oſtendam Innocentium ei ſentētiæ non fauere, aduerto eumdem Pontificem lib. 4. de Sacrificio Miſſæ cap. 29. cùm mouiſſet quæſtionem de immediata conuerſione aquæ in ſanguinem, concluſiſſe his verbis, *Quis audeat hoc definire?* vide ergo quàm alienus fuerit à mente Coninck; vnde licet ex Vaſquez & Suarez dixerim eſſe probabile in eo capite magis nobis fauere, ſimpliciter tamen neutri parti fauere; quandoquidem non audet ſe in eo puncto determinare, quando illud tractat in terminis expreſſiſſimis; ergo quod prius dixit intelligendum eſt tantum de conuerſione mediata in ſanguinem, non autem in aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti.

Eſt ſententia Diui Thomæ; quam ex mente Pontificis Innocentij illuſtrat Vaſquez.

Teſtimonium eiuſdem Pontificis contra opinionem Coninck.

SECTIO II.

Noua fundamenta pro eadem ſententia.

9 *Gaufredus & Baronius intelligi debent de mediata conuerſione.*

QVINTÒ afferunt teſtimonium Gaufredi ad Epiſcopum Albanenſem, Vicarium Pontificis, apud Baronium Tomo 12. in fine anni 1188. vbi Gaufredus ait inueniſſe in Galliis nouam & inauditam opinionem, ſcilicet quòd ſubſtantia aquæ, quæ cum vino in calice offertur, non conuertatur in ſanguinem Chriſti: contra quam opinionem congerit ibi Gaufredus multa Patrum teſtimonia; Baronius autem ait non extare Pontificis reſponſum; illud verò non potuiſſe aliud eſſe quàm quod credidit ſemper Romana Eccleſia, nimirum aquam ſimul & vinum transſubſtantiari in ſanguinem Chriſti. Confirmant idem ex miraculo à Baronio relato fine anni 1192. de aqua conuerſa in ſanguinem; eò quòd particula hoſtiæ conſecrata in eam ceciderit. Poſtquam hiſtoriam habet hæc Baronius: *Hoc miraculum refutauit hæreſim hoc ſæculo exor*

Digitized by Google

exortam, negantium aquam vino mixtam mutari in ſanguinem. Quæ omnia de immediata conuerſione debere intelligi putant hi Auctores; nam de mediata nullum erat dubium.

Ego tamen valdè miror viros doctos hos vſos teſtimonio, & contendere a Baronio inuri notam hæreſis ſententiæ neganti immediatam conuerſionem: quomodo enim poteſt vocari hæreſis illa doctrina, quam ipſemet Romanus Pontifex decem circiter annis poſt illud miraculum (vt paulò ante vidimus) non audet vllo modo reiicere? Certè vel Baronius nimis exceſſit in ea cenſura, ſi in eo ſenſu locutus eſt, vel (quod probabilius iudico, quia plus tribuo prudentiæ Baronij) non eſt in eo ſenſu locutus, ſed de mediata conuerſione; & licet ex Innocentio non potuiſſemus id probare, qua apparentia dicta fuiſſet hæreſis opinio omnium ferè Scholaſticorum cum D. Thoma poſt illud miraculum, & quod grauius eſt, tradita in Catechiſmo Pij Quinti iuſſu edito tanquam doctrina vera & communis inter omnes Scholaſticos?

Reſponſum ad Gaufredi epiſtolam videtur eſſe illud Innocentij ante citatum.

10 Pro ſolutione ergo nota id, quod Aduerſarij non conſiderarunt, Innocentium Tertium, cuius eſt caput illud *Cum Martha*, factum fuiſſe Pontificem octo circiter annis poſt eam epiſtolam Gaufredi, & quatuor poſt illud miraculum; vnde inducor vt opiner reſponſum, quod dicit Baronius non extare ad eam epiſtolam, contineri in eo ipſo cap. *Cum Martha*. quia licet ibi non reſpondeatur immediatè ipſi Gaufredo, eſt tamen valdè probabile illam opinionem per illos octo annos nullo obtento à Pontifice reſponſo propagatam fuiſſe, & debuiſſe de nouo Innocentium conſuli. Vnde infero, hæreſim in eo conſtitiſſe, quod negarent aliqui aquam etiã conuerſam in vinum conuerti in ſanguinem, vt diximus ad prædictum caput, quia putarent conuerti in aquam quæ fluxit ex latere Chriſti; de immediata verò conuerſione non fuiſſe tunc diſſenſionem, vel ſi fuit, malè opinionem negantem appellatam hæreſim à Gaufredo. Confirmatio è conuerſione aquæ illius in ſanguinem non eſt ad rem, quia fuit miraculoſa; ex qua nihil probatur circa factum ordinarium; ſi autem aliquid probaret, certè nimium, ſcilicet aquam etiam ſolam eſſe materiam ſufficientem conſecrationis: quod eſt hæreticum.

Hæreſis fuit, aquam conuerſam in vinum non ideò trãſire in ſanguinem.

11 Sextò argumentantur quia omnino certum eſt, ſiue mediatè ſiue immediatè, aquam conuerti in ſanguinem Chriſti: hoc enim minimum probant teſtimonia Patrum, & Tridentinum videtur definiiſſe dum docet poſt conſecrationem ſolùm remanere ſpecies vini; (per vinum autem intelligit totum liquorem;) ergo non manet ſubſtantia aquæ: atqui vel ſemper vel ferè ſemper aqua retinet ſuam ſubſtantiam vſque ad conſecrationem; ergo immediatè conuertitur in ſanguinem. Præterea multi etiam ex negantibus immediatam conuerſionem aquæ in ſanguinem docent certa fide tenendum eſſe, aquam tranſire in ſanguinem; ergo cum non ſit certum aquam conuerti in vinum ante conſecrationem, dicendum eſt immediatè poſſe tranſire in ſanguinem. Porrò non eſſe certum aquam conuerti in vinum, imò contrarium probabilius ab iis probatur Primò ex Ariſtotele lib. 1. de Generatione cap. 5. textu 34. vbi id videtur docere. Secundò, quia corporalia ſimplicia, qualis eſt aqua non poſſunt immediatè conuerti in mixtum. Tertiò, quia vinum eſt ſanguis vuæ; ſed ſanguis non eſt operatiuus aut conuerſiuus alterius corporis in ſe, ergo nec vinum. Quartò, quia aqua eſt tenaciſſimæ naturæ; vnde ſi in candentem ollam ferream reiiciatur, & vapores exciptantur, tota aqua excipietur quæ fuerat poſita. Quintò, quia ſi aliquæ guttæ aquæ miſceantur cum vino, poſſunt etiam poſt longum tempus extrahi in ſua ſubſtantia; ergo non ſunt conuerſæ in vinum. Sextò, quia vinum deſtruitur per admixtionem aquæ, ergo non conuertit aquam in ſe; alioquin potius augeretur, ſeu nutriretur. Dicunt autem hi, ſi ſingulis diebus vna gutta aquæ in vas vini infundatur; deſtruendum tandem totum illud; ergo non conuerterat vinum in ſe eam aquam. Septimò tandem, quia licet fortibus vinis & per longum tempus concedatur vis conuertendi in ſe modiciſſimam aquam, non tamen poteſt vniuerſaliter in omnibus concedi; ergo cum in Concilio Friburgenſi can. 19. permittatur vt tertia pars calicis ſit aqua, & Concilium illud celebratum ſit in Germania, vbi vina non ſunt tam fortia; videtur certum tunc aquam non conuerſam in vinum, aut ſaltem non totam; quia nullum viuens eſt quod totum alimentum in ſe conuertat, & non relinquat excrementa aliqua: imò ignis, qui eſt valdè actiuus, relinquit cineres & fauillas quas in ſe non conuertit. Hæc ſunt omnia argumenta quæ fusè huius ſententiæ Auctores proſequuntur, licet non omnes omnia.

Argumenta probantia aquam non conuerti in vinum:

A natura vini & aquæ.

Reſpondeo tamen Primò, Licet concedamus certum eſſe de fide, aquam ſimpliciter tranſire in ſanguinem non ideo ſequi quidquam de immediata conuerſione; nec ſufficit dicere, non eſſe certum aquam tranſire in vinum, nam ego quoque dicam è contrario non eſſe certum illam manere in ſua ſubſtantia: vnde meritò Pater Tannerus diſput. 5. quæſt. 2. dubio 6. ait aliud eſſe ſubſtantiam eius concluſionis eſſe de fide, aliud verò, hunc aut illum modum eam definiendi eſſe determinatè de fide, cumque ſubſtantia concluſionis poſſit quocumque modo defendi ex definitione de fide, non debet vllus ex illis modis in particulari probari; ſed aliis rationibus debet perſuaderi. Secundò, benè ipſe Tannerus oſtendit non eſſe de fide aquam, ſiue mediatè ſiue immediatè, conuerti in ſanguinem, cùm Innocentius ſolum id vt probabilius docuerit, poſt illum autem nulla ſit noua definitio in hoc puncto, nec noua Patrum traditio, nam quod ex Tridentino dicitur non eſt ad rem: ibi enim Tridentinum non tam declarat quæ ſit materia capax immediatæ conuerſionis in ſanguinem, quàm contra Lutheranos negantes tranſſubſtantiationem aſſerit ſub accidentibus, vbi Chriſtus eſt, non manere panem, per quod non negat poſſe eſſe in calice aliquam aliam ſubſtantiam, in qua tamen non ſit Chriſtus. Non enim crediderim hos Auctores ita exceſſiſſe, vt velint à Tridentino definiri, ſi ſint atomi in vino, aut alij pulueres, gutta olei aut alterius liquoris, etiam Chriſtum ſub talium rerum accidentibus poni, & oleum, atomos, pulueres tranſire immediatè in ſanguinem Chriſti, ergo Tridentinum nil definit circa punctum præſens. Adde, licet demus Tridentinum de toto liquore locutum optimè ſaluari eam definitionem à ſententia, quæ dicit aquam tranſire priùs in vinum: quod ſi hic tranſitus negetur, certè id ex Tridentino nõ prohibitur, ſed aliunde, ac proinde ea definitio inutilis erit ad quæſtionem præſentem. 12

Non ſequitur tamen aquã tranſire immediatè in ſanguinem.

Concilium Tridentinum nil definit pro affirmante ſententia.

Venia

Digitized by Google

Veniamus ad videndum, An ſit probabilius aquam conuerti priùs in vinum; id quod tot argumentis conantur hi impugnare. Ad primum de Ariſtotele, benè oſtendit Tannerus ex Conimbricenſibus ipſum eſſe in contraria ſententia, pro qua etiam eum Vaſquez meritò citat: quod autem vnum aut alterum verbum habeat obſcurum in hoc puncto, non ideò fauet his Auctoribus; ſed eſto id dicat, in contrarium ſtant omnes penè Eccleſiaſtici Scriptores teſte Cardinali Alano lib. 1. cap. 13. qui tamen ſententiam de immediata conuerſione tuetur.

Ariſtoteles pro hac ſententia citatus magis fauet conuerſioni aquæ in vinum.

Ad ſecundam de corporibus ſimplicibus reſpondeo, nimium eo argumento probari, ſcilicet nunquam vllum elementum nec mediatè nec immediatè poſſe tranſire in mixtum; quod tamen Aduerſarij negant, probo autem ſequelam, quia vt mediatè tranſeat in mixtum, debet immediatè tranſire in aliquid; rogo ergo, Illud aliquid eſtne elementum, an mixtum? ſi mixtum, ergo iam elementum tranſiuit immediatè in mixtum; quod negabatur, ſi elementum, ſeu ſimplex; ergo nec ex illo poterit tranſire in mixtum; & conſequenter non poterit eſſe tranſitus mediatus elementi in mixtum. Abſolutè reſpondeo, Tranſire poſſe, quia habet accidentia corruptibilia, & poteſt conſequenter ab agente contrario deſtrui: & ita dicimus contingere in vino & debent hoc ipſum fateri Aduerſarij, quando vuæ ex pluuia augentur; conuertunt enim in ſe aquam: id ergo quod facit vua in aquam pluuialem, dicimus fieri à vino in eas pauculas guttas ſibi admixtas.

Poteſt elementum tranſire in mixtum.

14 Ad tertiam, quòd vinum ſit ſanguinis vuæ, reſpondeo eſſe ſimilitudinem concionatoriam, & nihil habere de rigore Scholaſtico; quia vinum propriè non eſt ſanguis. Adde, minorem eſſe falſam, quia ſanguis eſt operatiuus, & conuertit in ſe humores alios; ergo hinc potiùs ferè argumentari poſſemus; Dicent ſe non loqui de ſanguine dum eſt in viuente, ſed de illo extra venas, vti vinum eſt extra vuas; Sed contra, quia ſanguis ideò extra venam non operatur, quia ſtatim incipit corrumpi, & amittit calorem ferè ſummum quem habeat, & qualitates alias vitales; per quas maximè operabatur; at vinum è contrario videtur perfici potius extra vuas, & maiores acquirere vires; ac proinde multò magis eſt operatiuum quam fuerat intra. Denique miror hos Auctores non aduertiſſe, nullam planè eſſe eam comparationem, cùm certiſſimum ſit vinum adeo eſſe operatiuum, vt ſæpè non aquam, vel liquorem iam ſibi magis affinem, ac hoc ipſo faciliùs conuertibilem, ſed carnes ita in ſe conuertat, vt eas conſumat vſque ad oſſa, etiam intra breuiſſimum tempus, vt multæ experientiæ id teſtantur: ruit ergo tota ea comparatio, & omnia alia argumenta, quibus conantur probare illud non eſſe actiuum.

Actiuitas vini probatur.

Ad quartam probationem contra conuerſionem aquæ in vinum dicimus, fortè eam non poſſe tranſire immediatè in ignem aut in aliud elementum, quia magis eſt eis oppoſita, non tamen ideò ſequi, non poſſe tranſire in vinum; certè in homine & animali videtur eſſe extra controuerſiam, eam etiam in magna quantitate, vel ſimul cum cibo tranſire in ſubſtantiam illius, vel certè propriam formam amittere.

Similiter facilitas aquæ ad conuerſionem.

15 Ad quintam dicimus Primò multos contendere, etiam ex vino non lymphato poſſe extrahi liquorem aqueum; vnde illi putant elementa eſſe formaliter in mixto: quod ſi non obſtante ea experientia dicunt hi Auctores liquorem illum eſſe propriè vinum, licet fortè ſubtilius & debilius; ita ego dicam de ea gutta, quæ videtur eſſe aqua poſtea extracta. Secundo reſponderi poteſt cum Tannero vel negando eam experientiam, vel certè in eo liquore, cum, vt fatentur Aduerſarij, ſentiantur multa accidentia vini, quæ dicunt producta ab aliis accidentibus, meritò nos poſſe dicere, non eſſe ibi formam aquæ ſed vini, licet colorem vini non acceperit; quia color vini non eſt ita operatiuus ac alia accidentia.

Ad ſextam de deſtructione vini facilius reſpondemus, admittimuſque id eſſe commune agenti omni, quod ſemper reparatur, nec enim quia homo reparatur à cibo, negandus eſt habere virtutem conuertendi in ſe cibum.

Quare Concilia mandet vt aqua modica admiſceatur.

Ad ſeptimam dicimus, ideò à Conciliis mandari vt modiciſſima aqua adhibeatur vino, vt poſſit hoc, etſi debile ſit, conuertere in ſe aquam, quod ſi totam non conuertat, ſed fæces aliquas relinquat, non ideò Aduerſarij iuuantur, quia cùm illæ fæces iam non ſint aqua, non crediderim ipſos poſſe probabiliter dicere, etiam illas tranſire immediatè in ſanguinem Chriſti, alioquin (quod inauditum eſt apud Patres) non ſolum aqua & vinum, ſed aliæ ſubſtantiæ tranſirent immediatè in ſanguinem Chriſti.

Ad Concilium Friburgenſe dicitur Primò, non conſtare quantæ illud ſit auctoritatis: Secundo, fortè duas partes vini habere virtutem vt vnam tertiam aquæ in ſe conuertant, etiamſi non ſint vina fortia: quod ſi in aliquo caſu non conuertatur, aut tunc, quando in tanta quantitate adhibebatur aqua, non fuit conuerſa in vinum, fatemur nec etiam fuiſſe conuerſam in ſanguinem, nec in eo Concilio definiri eam tunc tranſire in ſanguinem. 16

Caſu quo aqua non ſit conuerſa in vinum, non conuertitur in ſanguinem.

Septimo principaliter argumentantur, quia Chriſtus conſecrauit in vino mixto aqua, & quidem non in modiciſſima quantitate, quia in regionibus calidioribus, qualis eſt Palæſtina, vbi vina ſolent eſſe fortiora, ſemper ad bibendum miſceri valdè ſolet aqua; ergo cum immediatè poſt mixtionem conſecrauerit, non eſt credendum fuiſſe aquam iam conuerſam in vinum, nec aliunde dici poteſt Chriſtum Dominum dediſſe ad bibendum in calice liquorem, in quo non eſſet ipſius ſanguis. Reſpondeo Primò, Non conſtare de quantitate aquæ admixtæ: cum enim Chriſtus tunc non tam ad ſatisfaciendum naturali ſiti, quàm ad inſtituendum hoc Venerabile Sacramentum dederit diſcipulis calicem, probabiliſſimum eſt & modiciſſimè quemlibet ex eo calice bibiſſe, quia nec fuit magnus, nec bis creditur conſecratus, conſequenter etiam ſpecialiter potuit iubere modiciſſimam aquæ admixtionem. Et ſanè S. Bonauentura ait Chriſtum non dediſſe diſcipulis calicem, quouſque vinum in ſe conuertit aquam: ita docet in 4. diſtinct. 11. in 2. parte diſtinct. art. 1. quæſt. 3. Licet autem naturaliter ea conuerſio non fuiſſet facta tam citò, potuit etiam à Chriſto miraculosè fieri. Reſpondeo Secundo, non conſtare de conuerſione eius aquæ in ſanguinem; nec inconueniens eſt, quod fuerit ibi ſimul aqua; potuit enim Chriſtus ad denotanda aliqua myſteria velle admixtionem aquæ cum vino, licet illa non tranſiiſſet in ſanguinem.

Probabile eſt Chriſtum modicam aquam admiſcuiſſe vino.

Neque certum eſt eam conuerſam eſſe in ſanguinem.

Octauo argumentantur, quia ſi aqua non conuerſa 7

conuerſa in vinum non tranſit in ſanguinem, ſequitur eo caſu, quo ante conſecrationem non eſſet facta vinum, non poſſe proferri verba conſecrationis, quia non eſt deſignabilis tunc materia conſecrabilis: item, Sacerdotem tunc poſt ſumptionem non eſſe ieiunum, quia bibit aquam; cum tamen Eccleſia videatur ſupponere per ſumptionem calicis non violari ieiunium: Tertiò, committi idololatriam, quia adoramus totum liquorem in calice; eo autem caſu aquam adoraremus. Reſpondeo, Argumentum eſſe leue. Ad primum inconueniens dico, vinum rectè tunc poſſe deſignari, licet habeat aliquas partes aquæ, quia à maiori fit denominatio; & quoad hoc eadem eſt difficultas, licet eſſet ibi aliquid terræ aut lactis; quod tamen non tranſit immediatè in ſanguinem Chriſti, etiam iuxta Aduerſarios. Ad ſecundum dico, ſi rigorem omnem attenderemus, tam benè violari ieiunium per illa ſola accidentia, quam ſi ibi eſſet ſubſtantia; quia ergo lex de ieiunio ante ſumptionem eſt Eccleſiaſtica, & mixtio ea aquæ fit ex præcepto Eccleſiæ, rectè Pater Vaſquez dicit ipſam Eccleſiam non reputare violatum ieiunium per ſumptionem calicis & aquæ mixtionem, licet conſtaret eam nondum tranſiſſe in vinum aut in ſanguinem. Ad tertium dicitur, nos adorantes Chriſtum in calice, qui tunc verè ibi eſt, non facere eam reflexionem, vt adoremus quidquid eſt intra calicem; alioquin ſi pars aliqua vel auri vel ferri intus cecidiſſet, etiam illam adoraremus: quod Aduerſarij non dicent, ne labantur in eam idololatriam, quam nobis obiiciunt.

Licet aqua non conuertatur in vinũ, materia tamen vini ſufficienter deſignari poteſt ad conſecrationem.

SECTIO III.

Sententia negans.

18 CONTRARIAM ſententiam, docentem aquam immediatè conuerti in vinum, docet D. Thomas hic quæſt. 74. art. 8. in corpore; vbi cùm retuliſſet duas illas ſententias, quas Innocentius Tertius retulerat (vt ſupra vidimus) in cap. *Cum Marthæ*, hæc ſubiecit Sanctus Doctor: *Et ideo, ſicut ipſe Innocentius tradit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in ſanguinem; hoc autem fieri non poſſet, niſi adeò modicum apponeretur de aqua, quod conuerteretur in vinum.* Quæ verba cùm adeò ſint clara, & cùm rationem contineant, cur debeat eſſe modica aqua, vt poſſit tranſire in vinum, ingenuè fateor me non caperem, quomodo Cardinalis Lugo dicere potuerit, D. Thomam dubium eſſe in hoc puncto; & quando dicit aquam conuerti in vinum, eum fortè non locutum de conuerſione phyſica, quam Theologi volunt, ſed de alia: quomodo enim de alia, aut quæ illa poſſet eſſe, ob quam requirit Sãctus Doctor modiciſſimam aquam infundi, vt omnino poſſit agere vinum in illam, eamque in ſe conuertere? multò autem difficiliùs capio, quomodo dicat idem Auctor Patres clarius eſſe locutos pro conuerſione immediata in ſanguinem quàm D. Thomam pro hac ſententia: hic enim exigit expreſsè immediatam conuerſionem aquæ in vinum. Patres nunquam illud verbum vſurparunt, *Immediatè aqua mutatur aut conuertitur in ſanguinem*, ſed habent facilimam expoſitionem de trãſitu mediato, vt diximus, quomodo ergo obſcurius D. Thomas pro noſtra doctrina quàm Patres pro contraria? His adde eumdem Sanctum Doctorem in 4. diſtinct. 11. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula 1. vbi euidenter eamdem noſtram ſententiam tradidit. Cæterum videamus quid poſſit eſſe in D. Thoma, quod in dubium reuocare valeat eius mentem; dicunt eum hac quæſtione 74. articulo 6. in argumento *Sed contra*, clarè docere, auctoritate Alexandri Papæ in Sacrificio offerri vinum aqua permixtum. Hæc tamen ratio nullum negotium nobis faceſſit; Primò, quia ex argumento *Sed contra* nũquam colligitur mens Diui Thomæ; quia ſæpè reſoluit media via. Secundò, quia ſicut Alexander Papa non dicit ibi immediatè tranſire aquam in ſanguinem, ſed offerri ſimul vtrumque: id quod de oblatione, quæ poſt mixtionem immediatè fit, non de conſecratione intelligi poteſt; ita idem de D. Thoma dicendum. Tertiò, quia eſto loquerentur de ipſo puncto conſecrationis, adhuc inde nihil infertur; nam quando dicitur, *Conſecratur vinum aqua permixtum*, non dicitur quod ipſa aqua conſecretur, ſed ipſum vinum; cui conuenit ea denominatio, quòd ſit re ipſa permixtum: vti ſi quis diceret, *Lac permixtum aqua facillimè deſtruitur*, non vult per hoc denotare, quod ipſa aqua deſtruatur: & ſi quis diceret, *Vnus homo permixtus inter multos facilè occultatur*, non tribuit illud prædicatum *occultatur* alijs, cum quibus eum dicit permixtum: id quod manifeſtè in eadem materia oſtendo, nam ſi oleum loco aquæ fuiſſet permixtum, ita tamen vt vini denominationem non impediuiſſet, ſine dubio etiam tunc veriſſimè dici potuiſſet. *Oblatum eſt, conſecratum eſt vinum permixtum oleo*: non dico id licitè fieri potuiſſe, ſed examino veritatem propoſitionis affirmantis: & idem eſt ſi dicerem, Vinum quod eſt mixtum guttis mellis, vel quocumque alio liquore, & tamen nemo dicit illas olei guttas tranſire in ſanguinem, & idem dico de melle, &c. Imò cum Pontifex dicat præcisè, *Vinum, quod eſt mixtum aqua, tranſit*, potius videtur negare immediatam tranſitum aquæ in ſanguinem: certè ſi non neget, nulla ſaltem ratione illum affirmat, multò minus D. Thomas, qui duobus articulis poſt expreſſiſſimè (vt vidimus) eam immediatam conuerſionem negat: non eſt ergo quod ex tam obſcura deductione de ejus dubitetur mente.

D. Thomas ſentit aquam immediatè conuerti in vinum.

Cardinalis Lugo dub um facit D. Thomam, ſed immeritò.

19

Examinatur mens D. Thomæ.

Similibus declaratur.

Ex mente Alexandri Pontificis non videtur aqua tranſire immediatè in ſanguinẽ.

20 Verum obiiciunt Secundo, D. Thomas eo ipſo loco, quo illum pro nobis citauimus in corpore, ſupponit ex Patribus, & ex eo quod totum, quod eſt in calice, adoratur, non manere ibi aquam: atqui ſaltem aliquando non poteſt fieri præuia illà conuerſio aquæ in vinum, ergo ſaltem ex aliquo caſu concedit D. Thomas tranſitum immediatum aquæ in ſanguinem, prout Aduerſarij intendunt. Reſpondeo, Me mirari, quod cum eo ipſo loco Sanctus Doctor det rationem, cur non maneat aqua in calice, quia ſcilicet priùs conuertitur in vinum, & ad hoc requirat modiciſſimam aquam in illud infundi; me inquam mirari, quomodo hi inferant, illum ſentire immediatè tranſire in ſanguinem: quòd verò in aliquo caſu particulari non tranſeat ea aqua in ſenguinem, non curat ibi Sanctus Doctor. Neque argumentum de adoratione totius, quod eſt in calice, quidquam vrget; alioquin ſi fuiſſet ibi muſca, etiam illa tranſiiſſet in ſanguinem: loquitur ergo D. Thomas per ſe, ac proinde ſolum de tranſitu illo mediato aquæ in ſanguinem.

Neque id ex mente D. Thomæ euinci poteſt.

Denique

Denique dicunt clariùs ſtare pro ea ſententia, dum eadem quæſt.74.art.5.ait, Sicut aliqua grana alicuius alterius farinæ abſorbentur à farina tritici, ideoque etiam cum ea admixtione eſt materia conſecrationis, ita eodem modo guttu-
21 las illas aquæ abſorberi à vino.Reſpondent aliqui ex his qui nobiſcum tenent, D. Thomam putare illud grauum farinæ hordeaceæ conuerti in farinam triticeam: id quod meritò diſplicuit Cardinali Lugo.Ego faciliùs reſpondeo,Per τὸ *abſorberi* nequaquam D. Thomam velle eam partem farinæ hordeaceæ tranſire immediatè in Chriſti corpus, ſed eam non impedire quò minùs illa materia ſit abſolutè conſecrabilis; at ſi dixiſſet: Eſto ibi aliquid ſit, quod ineptum ſit conſecrationi,tamen quia per illud non impeditur denominatio abſoluta panis triticei,abſolutè etiam poteſt fieri conſecratio,& idem dico de aqua.Confirmo id clarè;nam in ordine ad eam, vt ſic dicam,abſorptionem idem eſt,ſi loco guttarum aquæ ponerentur guttæ olei vel mellis;ac proinde etiam tunc eſſet illud vinum conſecrabile; & tamen nemo dicere poteſt probabiliter oleum tranſire poſſe immediatè in ſanguinem Chriſti; ergo ex eo modo loquendi D. Thomæ nec in minimo debet reuocari in dubium mens ipſius eis in locis expreſſiſſimè tradita, quibus quæſtionem in terminis diſtinctè tractat.

Farina hordeacea admixta triticea non impedit materiæ conſecrabilitatem.

Diuum Thomam ſequuntur omnes Scholaſtici,vt videre eſt apud Suarium diſp. 45. ſect.4. Vaſquez ac Tannerum ſuprà: conſentiunt etiam Theologi, qui Catechiſmum iuſſu Pij Quinti compoſuêre, qui eam dicunt eſſe communem inter omnes ferè Scholaſticos: & quod caput eſt,ipſe Cardinalis Alanus, qui contrariam tenet,fatetur ingenuè hanc noſtram eſſe communiſſimam his verbis; *Omnium Eccleſiaſticorum Scriptorum iudicio defenditur, aquam modicè infuſam in vini ſubſtantiam prorſus deſinere*, &c. eamdem ego reputo probabiliorem, nam in hac quæſtione, quæ auctoritate præciſè decidenda eſt, cùm conſtet multò maiorem eſſe pro hac ſententia quàm pro contraria, ſine dubio vel inde ſufficienter redditur probabilior,non tamen nego ſuam probabilitatem contrariæ.

Noſtra ſententia eſt communis etiam teſtimonio Aduerſariorum.

22 Secundò ſuadetur ex Florentino: quod dum explicat quæ ſit materia remota conſecrationis calicis,ait eſſe vinum,cui modiciſſima aqua debet admiſceri, quo modo loquendi cùm ſolùm ponat in recto vinum, & in obliquo aquam,videtur clarè innuere, ſolum vinum eſſe materiam conſecrationis, aquam verò non, ſed admiſcendam ob alia myſteria ſignificanda. Reſpondent, Florentinum ſolùm denotaſſe præceptum de admiſcenda aqua, perinde ac ſi in Eccleſia Græca diceretur, *Materia conſecrationis eſt panis, cui modicum fermenti debet adhiberi*: quo modo loquendi non negatur fermentum ſimul cum pane eſſe materiam remotam conſecrationis. Sed contrà, quia præceptum illud magis denotatum fuiſſet, ſi etiam in recto dictum fuiſſet, modiciſſimam aquam ſimul cum vino eſſe materiam, per hoc enim magis denotaretur neceſſitas aquæ, quòd ſi id non ſufficeret, debuiſſet addi, & modiciſſimam aquam ex præcepto Eccleſiæ,ita vt ſemper aqua poneretur in recto, & de ipſa affirmaretur eſſe materiam, ergo cùm de ſolo vino affirmetur, innuitur aquam,etſi debeat admiſceri, non eſſe materiam. Ad inſtantiam reſpondeo eodem modo,Ex vi illius locutionis denotari, fermentum non eſſe materiam conſecrationis, & abſolutè omnino reputo, ſi fermentum,vt in aliquibus locis fieri ſolet, non ſit maſſa triticea, ſed fæces ceruiſiæ, vel aliquid aliud, & duret in propria forma tempore conſecrationis, non tranſiturum vllo modo in corpus Chriſti.

Suadetur ex Concilio Florentino.

Aqua conſecrationem non intrat niſi in obliquo, vinum autem in recto.

Vrgeo argumentum ex eodem Concilio Primò: ſi enim quis dicat, Eligatur in Regem Ioannes, cui Petrus & Antonius debent aſſiſtere,oſtenderet ſanè ſe ſolùm dicere, Ioannem in Regem eligendum, Petrum verò & Antonium non eligi: atqui Concilium eodem modo dicit vinum eſſe materiam, aquam verò debere ei miſceri,aut,vt magis inſtantiam allatam vrgeam, debere ei quaſi aſſiſtere, ergo ſentit aquam non eſſe materiam. Secundò,ſi dixiſſet,Solum vinum eſt materia, cui tamen debet adhiberi aqua, procul dubio prædicatum materiæ ſoli vino tribuendum eſſet, non aquæ: atqui in definitione Concilij idem eſt dicere, Materia conſecrationis calicis eſt vinum, ac dicere, Eſt ſolum vinum,quia (vt meritò omnes ſentiunt) propoſitiones Conciliorum in ſimilibus caſibus ſunt affirmatiuæ vniuerſaliter, & ſimul excluſiuæ, vt dum dicit, *Panis triticeus eſt materia conſecrationis, & vinum ex vite*, idem ſit ac dicere, *Nullus alius panis præter triticeum, & non niſi vinum ex vite eſt materia conſecrationis.* Vrgeo hoc idem, quando definiunt Concilia ſolam perſonalitatem Filij, cui identificatur natura diuina, vnitam eſſe hypoſtaticè humanitati Chriſti,intelligunt omnes Theologi communiter vnionem immediatè ſolùm factam in perſonalitate, non in natura,quia ex illo modo loquendi ſola perſonalitas (quæ ponitur in recto) denotatur tanquam terminus immediatus vnionis,ergo cùm eodem modo in caſu præſenti vinum ſolum ponatur in recto, licet dicatur aquam debere admiſceri, denotatur ſolum vinum immediatè conuerti in aquam,quæ illi admiſcetur. 23

Simili declaratur mens Concilij.

Tertiò Florentinum non ob aliam rationem petiiſſe videtur, vt modiciſſima aqua apponeretur,niſi quia illa non tranſit immediatè in ſanguinem Chriſti,ſi enim tranſiret,videtur æqualiter de vtraque materia imponi poſſe. Explico, quia ſi aqua immediatè tranſiret in ſanguinem, profectò cùm,etiamſi tantum de aqua poneretur quantum de vino, adhuc hoc retineret denominationem vini lymphati,ac proinde eſſet materia apta conſecrationi, non eſſet cur tam ſolicitè Eccleſia eam modiciſſimam mixtionem præciperet. 24

Ideò Concilium Florentinum vult aquam modiciſſimam admiſceri.

Dices, Quia certius eſt vinum eſſe materiam quàm aquam, voluit autem Concilium plus longè poni de certa materia quàm de incerta. Contrà,quia ſi res eſſet quodammodò in controuerſia, & non ſenſiſſet Concilium ſolum vinum eſſe materiam, cùm res hæc maximè ſpectaret ad fidem, maximè videbatur ab ipſo decidenda, & determinandum,an aqua ſimpliciter eſſet materia, an non;ſicut enim in hoc Concilio ſunt determinatè omnes materiæ aliorum Sacramentorum,cur non debuiſſet & huius?vnde iudico ea verba definire ſaltem probabiliter ſolum vinum eſſe materiam.

Dices Secundò, Ideò requiri à Concilio modiciſſimam aquam, quia hæc denotat populum Chriſtianum, vinum autem Chriſtum, qui eſt maior populo. Contrà Primò, quia ad hoc ſufficeret

Explicatio Aduerſariorum,cur modica aqua requiratur,reijcitur.

Digitized by Google

ficeret in maiori quantitate vinum imponi, licet non eſſet aqua modiciſſima. Secundò, quia cùm Chriſtus non ſit maior populo quòad multitudinem, numerum aut quantitatem, imò vt ſic ſit minor, maior verò virtute & dignitate, potiùs debuiſſet è contrario plus de aqua imponi quàm de vino, vt ſic per quantitatem maiorem aquæ denotata fuiſſet maior populi multitudo, & per nobiliorem vini naturam maior Chriſti ſubſtantialis perfectio; ergo relictis allegoricis rationibus dicendum eſt ideò requiri modiciſſimam aquam, vt poſſit tranſire in vinum; quia ſic eſt materia conſecrationis, vt Diuus Thomas ſuprà docuit.

25 *Confirmatur ſententia communis auctoritate Sanctorum Patrum.*

Quartò confirmatur ea ſententia; nam quando Patres abſolutè loquuntur de materia conſecrationis, ſemper vinum ponunt, admixtionem verò aquæ ſolùm requirunt per modum cæremoniæ ad ſignificandam vnionem fidelium cum Chriſto; ergo quia ſupponunt ſolum vinum conuerti immediatè in ſanguinem, reſponderi poſſet ex Cardinali Lugo, hoc argumentum nimis multùm probare, ſcilicet aquam impoſitam in calice, etiamſi conuertatur priùs in vinum, non tranſire in ſanguinem; quia Patres non vtcumque dicunt materiam debere eſſe vinum, ſed ex vite: atqui vinum, quod ex illa aqua fit, non eſt ex vite, ergo iuxta Patres non tranſibit in ſanguinem: vel ſi illa pars, quia iam moraliter cenſetur vinum de vite, tranſit in ſanguinem, etiam modiciſſima illa aqua tranſibit; quia iam cenſetur eſſe vinum. Sed contrà, quia hæc ſolutio minùs benè vſurpat illam particulam *de vite*: Patres enim non petunt illud vinum eſſe actu productum à vite; alioquin ſi Deus, vti fecit in nuptiis, conuerteret iam miraculosè aquam in vinum naturale, illud non eſſet materia apta conſecrationi iuxta Patres, niſi in modica quantitate admiſceretur alteri vino, quòd re ipſa de facto prodiit ex vite: conſequens autem manifeſte eſt falſum, & contra omnes Patres; ergo hi, quando vinum ex vite dixerunt eſſe neceſſarium, nullo prorſus modo loquebantur eo ſenſu, quem obiectio vſurpat, ſed pro vino, quòd ſit eiuſdem rationis cum illo, quod per ſe & naturaliter in vite generatur, hoc autem haberent illæ guttæ; nam licet immediatè de facto non eſſent ex vite, eſſent tamen mediatè & ex ſe eiuſdem rationis cum eo vino quod ex vite; ac denique eſſet vinum indifferens, vt procedere potuerit naturaliter ex vite; vnde apparet eam inſtantiam eſſe contra eius Auctores, nimiumque probare: nam eſto totus calix eſſet ex vino, quod non proceſſiſſet ex vite, ſed immediatè fuiſſet ab alio vino per aggenerationem productum, eſſet materia ſufficiens conſecrationis; ita, ſi ſimilitudo teneat debere dici, etiamſi totus calix eſſet aqua, adhuc fore materiam conſecrationis; quod tamen nullus Catholicus diceret; ergo ex ea particula *de vite* nec in minimo debilitatur argumentum, quod nos fecimus ex Patribus pro noſtra ſententia; manet ergo illa multò maximè conformis communi auctoritati Patrum & Scholaſticorum.

Sancti Patres non petunt vinum actu productum de vite;

Sed eiuſdem rationis cum vino producto de vite.

26 *Argumentum à mente Concilij Tridentini ex Suarez:*

Vltimò argumentari poſſumus ex Patre Suarez; Nam ſi ſpecies aquæ poſſunt immediatè conuerti in ſanguinem, ergo eſto poſt conſecrationem extraherentur ex vino (vt extrahi poſſe fortiter contendunt Aduerſarij) adhuc ſub ſolis ſpeciebus aquæ Chriſtus maneret: id quod omnino videtur eſſe contra omnem ſenſum Eccleſiæ: ſequela verò probatur, quia Concilium Tridentinum definit, per ſeparationem ſpecierum non deſinere Chriſtum eſſe ſub illis, & totum quidem ſub qualibet parte ſeparata. Cardinalis Lugo reſpondet negando conſequentiam, rationem reddit, nam aqua non eſt materia capax, niſi quatenus conſtituit vinum vſuale: vnde cum per ſeparationem amittat denominationem hanc, non poteſt tum retinere Chriſtum, vt in ſpeciebus panis conſtat: eſt enim ferè certum, etſi panis ex farina & aqua conficiatur, eſſe tamen Chriſtum non ſolùm ſub ſpeciebus farinæ, ſed etiam ſub ſpeciebus aquæ, quia probabiliſſimum eſt adhuc ibi durare guttas aliquas, nec enim per calorem omnes euaporarunt (vt & nos diximus ſuprà,) & tamen ſi illæ guttæ ſeparentur à farina, haud dubiè non retinebunt Chriſtum, quia iam non ſunt pars panis. Ad Concilium ergo reſpondet, illud loqui de ea ſeparatione, quæ non deſtruit materiam eſſentialem. Mihi hæc ſolutio, etſi probabilis ſit, non omnino ſatisfacit: in ipſis enim ſpeciebus vini videtur habere grauem difficultatem, nam ſi illæ ſeparentur iam conſecratæ, vt miſceantur in magna copia aquæ, etiam in fluuio, retinent tamen Chriſtum Dominum, iuxta ſententiam huius Auctoris, quamdiu non corrumpuntur, hinc autem argumentor: Etiam guttæ illæ in eo caſu planè amittunt denominationem vſualis vini, & tamen retinent Chriſtum quem priùs habebant, ergo guttæ illæ aquæ, etiamſi amiſerint denominationem vini, adhuc tamen retinebunt Chriſtum, quia priùs illum habebant, & licet ſolæ non potuiſſent conſecrari, ſicut nec illæ guttæ vini ſparſæ in fluuio potuerunt ſic conſecrari, ſemel tamen conſecratæ poterunt ſic conſecrationem retinere. Ad inſtantiam de guttis aquæ in farina reſponderi poteſt, ſub illis reuerà non eſſe Chriſtum.

Reſponſio Cardinalis Lugo.

Impugnatur Primò:

Replicabis, illas eſſe neceſſarias ad rationem panis, quia illis omnibus ablatis reſolueretur panis in pulueres, & deſineret eſſe panis, ergo debet eſſe Chriſtus ſub illis, quia ſub his omnibus debet eſſe, quæ ſunt neceſſariæ pro conſtitutiuo panis. Sed contra Primò, quia panis non requirit eam vnionem, nam etſi in pulueres redigatur, eſt verus panis, facilè ergo dicere poſſumus Chriſtum non eſſe ſub eis. Contrà Secundò, quia in hac ſolutione datur nobis diſparitas, qua ipſis reſpondeamus; nam illæ guttæ aquæ in pane proptereà coniunctæ conſecrantur, quia ſine illis (vt obiectio dicit) non eſt panis; quid ergo mirum, ſi tunc conſecrentur? non etiam mirum, quòd ſi ſeparentur, eo ipſo amittant conſecrationem, quia iam deſinunt eſſe pars eſſentialis panis. At guttæ aquæ, quæ in vino erant, non ſunt conſecratæ ea ratione, quòd fuerint pars eſſentialis aut integralis vini: vinum enim ſine illis eſt perfectiſſimum & integerrimum, imò per illas è contrario quodam modo deſtruitur, conſecrantur ergo (vt Aduerſarij volunt) quia Chriſtus ea impoſuit, vt directè etiam in illas caderet conſecratio, eſto ea ipſa illarum conſecratio penderet ab eo, quòd tunc eſſent permixtæ vino: non eſt ergo, cur facta iam ſemel conſecratione ceſſent retinere Chriſtum, etiamſi localiter ſeparentur à vino. 27 *Secundò.*

Secundò adhuc reſpondebunt, guttas vini etiam ſparſas per fluuium eſſe verè vinum, licet à nobis deſignari non poſſint, ex cuius etiam deſignationis defectu illas conſecrare non poſſumus: 28 *Reſponſio altera Aduerſariorum:*

mus: ſi enim illas etiam eo modo diſperſas ſignare potuiſſemus, etiam potuiſſemus illas conſecrare: at guttæ aquæ dum ſunt ſeparatæ à vino, nec ſunt in ſe vinum, nec retinent vini denominationem; ac proinde quid mirum, ſi non retineant Chriſtum, nec potuerint ſeparatæ conſecrari; non quia demonſtrari non poſſent, ſed quia non erant materia capax. Hæc etiam ſolutio eſt valdè probabilis; non tamen videtur ex integro ſatisfacere difficultati, quia licet optimè oſtendat non potuiſſe validè conſecrari eas guttas, eò quòd non fuerint tunc vinum vſuale, nequaquam tamen oſtendit, cur in conſeruatione Chriſti dependeat ab ea actuali denominatione, & non ſufficiat, quòd verè fuerint pars vini vſualis, & quòd de facto durent ſpecies aquæ, ſub quibus fuit Chriſtus: nondum enim oſtenditur, quomodo ex Scriptura, aut ex Patribus colligatur Chriſtum noluiſſe permanere ſub eis ſpeciebus ſeparatis, ſi in eis ſemel fuit; vti ſine dubio ille non voluit primò poni niſi ſub pane viſibili; vnde in indiuiſibili non potuiſſet primò poni: ſi autem, dum illud eſt cum reliquis, ſemel in eo ponitur Chriſtus, etiam manebit in illo ſeparato, licet iam non ſit, propriè loquendo, aliquid demonſtrabile ab homine; de quo fuſiùs ſuprà; ergo adhuc argumentum Suarez retinet ſuam vim. Quidquid verò de illo ſit, vti de aliquot aliis quæ fieri ſolent contra eam ſententiam, quæ prudens omitto, quia non ſunt magni momenti, facileque ſolui poſſunt, ſufficiat nobis oſtendiſſe, noſtram ſententiam, vti maiori auctoritate munitam, ita longè eſſe probabiliorem; ſola enim auctoritate illam eſſe decidendam, quia agitur de re, quæ ex ſola Chriſti voluntate dependet, diximus ſuprà.

Quamuis probabilis, non ſatisfacit.

Concluditur, argumentum Suarez vim ſuã retinere.

SECTIO IV.

Dubium ex dictis ortum deciditur.

29 ILLVD eſt, Quid dicendum ſit, ſi poſt inchoata verba conſecrationis, antequam tamen abſoluantur, aqua tranſiret in vinum, an tunc conuertenda eſſet in ſanguinem Chriſti? Ratio autem dubitandi in noſtra ſententia ea eſt, quòd cùm aqua non ſit materia conſecrationis, non potuit ab initio denotari per particulam *Hic*; ſi autem non fuit denotata ab initio, ergo iam non poteſt per ea verba conſecrari, niſi de nouo dicatur, *Hic eſt calix*, &c. Vaſquez putat omnino conuertendam, quia τὸ *Hic* nõ denotat id quod actu ſit ſub accidentibus, ſed quod erit in fine prolationis verborũ; & quia tunc erit ſub eis accidentibus ſanguis Chriſti, potuit meritò etiam tunc denotari aqua per τὸ *Hic*. Meritò hæc reſolutio diſplicuit & Patri Suarez in præſenti diſput. 45. ſect. 4. & Cardinali Lugo ſuprà diſput. 4. ſect. 5. quia in Sacramentis neceſſum eſt materiam eſſe præſentem, vt tota forma pronũtietur ſupra illam; vti in cæteris Sacramentis conſtat. Nam ſi poſt inceptam formã, *Baptizo te*, fiat primò præſens puer, non erit validus ille Baptiſmus; non minùs autem τὸ *Hic* dirigitur ad materiam conſecrandam, quàm dirigitur ad puerum τὸ *Baptizo*; imò mihi videtur multò minùs, quia τὸ *Hic*, à quo forma Euchariſtiæ inchoatur, iam incipit denotare aliquid præſens actu: hoc autem non habet ita expreſſè τὸ *Baptizo*, quouſque dicitur τὸ *te*; ac proinde faciliùs videtur concipi poſſe, ſi poſt τὸ *Baptizo* obiiceretur infans, futurum validum Baptiſmum, quàm ſi poſt τὸ *Hic* fieret præſens materia conſecrationis. Nec poteſt dici, iam fuiſſe quaſi præſentem moraliter eam materiam, quia quòd parum diſtat, parum diſtare cenſetur, iuxta Ariſtotelem; hoc inquam dici non poteſt, quia ſi illa diſtantia, eſto parua, ſufficit tamen, vt reuera demonſtrari non poſſit id quod eſt demonſtrandum, profectò æquè impediet, ac ſi eſſet magna: vnde ſi eſſet farina & aqua ſeorſim, quo caſu non eſſent materia conſecrationis, quia niſi faciant panem, non ſufficiunt, non poſſet ſupra illas validè proferri forma, licet in fine illius iam eſſent miraculosè commixta & cocta, facerentque panem. Eamdem veritatem vrget Cardinalis Lugo, quia materia offertur tanquam pars Sacrificij; debet autem ea eſſe præſens, & à fortiori exiſtens quando offertur: atqui illa aqua antequam conuertatur in vinum, non ſolùm non eſt materia præſens, ſed nec exiſtens; debet ergo priùs in vinum conuerti, vt ſic poſſit offerri; ergo ea conuerſio facta ante finem verborum non eſt ſufficiens ad conſecrationem. Fortaſſe huic argumento reſponderet Vaſquez eodem modo, illam eſſe præſentem moraliter; vnde debebimus redire ad priorem impugnationem; hac ergo vltima omiſſa, ego ſic ſpecialiter. Secundò oppugno eam ſententiam Vaſquez, quia in illa videtur ſupponi id ipſum quod in dubium nos vertimus; ait enim, ideò per τὸ *Hic* denotari aquam, quia in fine prolationis erit ſanguis Chriſti ſub illis accidentibus; hoc autem ego dico formaliſſimè eſſe id de quod diſputamus, non ergo ſoluit argumentum, ſed concluſionem reddit pro ratione: deinde efficaciùs ſic vrgeo, quia verba ea non habent ſuſpenſum ſenſum vſque ad finem concluſionis, ſed debent ſaltem accidentia ipſa determinatè oſtendi ab initio per τὸ *Hic*, cùm ergo ab initio non fuerint accidentia conſecrabilia, non potuerunt ab initio ſignificari, & conſequenter non potuit ſufficienter valida forma ſupra illa cadere, quia nec illa accidentia aquæ erunt in fine conſecrationis, non aliter quàm ſi ab initio fuiſſet pura aqua, & ante finem conſecrationis ſuffectum fuiſſet vinum loco aquæ, aut certè miraculosè ea aqua conuerſa in vinum; quo caſu nihil fuiſſet ibi demonſtrabile per τὸ *Hic*, nec ſubſtantia, nec accidens.

Si aqua mutetur in vinũ ante finita verba conſecrationis, putat Vaſquez mutandam in ſanguinẽ.

Impugnatur à Suarez & Cardinale Lugo.

A ſimili in Baptiſmo.

Quia quando incipit forma, debet materia eſſe præſens.

30 *Reſpondet Vaſquez eſſe moraliter præſentem.*

Sententia Vaſquez aliter oppugnatur.

Pater Tannerus etſi fundamentum Vaſquez non approbet, putat tamen futuram conſecrationem, eò quòd moraliter omnia illa accidentia denotentur per τὸ *Hic*: ſed neque ratio hæc probat quidquam, quia ſi denotantur ea accidentia ſeu ſubſtantia ab initio, ergo ſiue conuertatur aqua in vinum, ſiue non, ſemper tamen denotabitur: atqui quando non conuertitur poſteà aqua in vinum, non poſſunt denotari ea accidentia; alioquin propoſitio illa eſſet falſa, quia diceret, *Sub accidentibus vini & aquæ eſt ſanguis Chriſti*; id quod in noſtra ſententia & Tanneri eſt falſum; ergo nec quando conuertitur, denotatur, quia, vt ipſe Tannerus ait, tota ſignificatio eſt ab initio antecedenter ad conuerſionem poſteà ſecutam. Concludendum ergo eſt, in noſtra ſententia non poſſe fieri eam conſecrationem.

Pro eadem ſententia ratio Tanneri reiicitur.

Quid verò in ſententia admittente aquam tranſire poſſe immediatè in ſanguinem? Nam ſi in vltimo inſtanti verborum primò producerentur accidentia pro vino in illa materia, videtur etiam

Concluditur, aquam non mutandam in ſanguinẽ.

Digitized by Google

etiam non poſſe tunc conuerti in ſanguinem Chriſti; quia neque aqua nec vinum dici poſſent conuerti: non vinum, quia nondum erat ibi productum, quando dictum eſt τὸ Hic; non aqua, quia hæc ſupponitur iam deſtructa ex defectu propriorum accidentium; ergo non deſinit ob ingreſſum Chriſti; ergo non conuertitur tunc in Chriſti ſanguinem. Huic difficultati benè reſpondet Cardinalis Lugo ſect. 5. tunc conuertendam aquam in ſanguinem; & quidem, quod ea aqua illo ipſo momento, quo alioquin fit conuerſio, non exiſtat, nequaquam obeſt conuerſioni; imò neceſſarium id omnino eſt pro conuerſione, nihil enim poteſt eo inſtanti, quo conuertitur in aliud, exiſtere: quod autem defierit prius natura ex defectu diſpoſitionum etiam non obeſt conuerſioni; quia etiam tunc deſijt in ordine ad aliquam ſubſtantiam, in quam conuertitur. Denique, eſto forma aquæ tunc priùs natura deſierit ex defectu diſpoſitionum, materia tamen prima panis non deſijt ratione accidentium vini, ſed ratione ſanguinis Chriſti. Videtur prætereà poſſe Secundò reſponderi clariùs iuxta multorum doctrinam in libris de Generatione, formam panis eo inſtanti non cenſeri expulſam priùs natura, ſed poſteriùs ad Chriſti introductionem. Pro quo aduerte, etiã ſi diſpoſitiones pro forma ignis v. g. priùs introducantur in materiam ligni, antequam producatur ipſa forma ignis, non tamen propterea priùs expelli formam ligni; quia diſpoſitiones pro forma ligni non expelluntur, niſi ſimul natura cum productione formæ ignis; forma autem ligni perit poſteriùs natura ad generationem ignis.

In ſententia aſſerente immediatam conuerſionem aquæ in ſanguinem; in illum conuertetur. Probat Cardinalis Lugo.

Probatur aliter ex doctrina phyſica.

32 Dices: Diſpoſitiones ligni pereunt ſimul cum forma ignis in eodem ſigno naturæ; ergo eodẽ ſigno minimum perit forma ligni: probo conſequentiam, quia cum forma ligni pendeat à priori à ſuis diſpoſitionibus, & repugnet concipi priùs natura perire cauſam quam pereat effectus; quomodo enim in eo priori, quo concipitur carentia cauſæ, poteſt adhuc præſcindi à carentia effectus? an poteſt effectus eſſe indifferens ad exiſtendum, ſi non ſit cauſſa? cum ergo hæc ita ſint, neceſſum etiam eſt formam ligni perire ante ingreſſum formæ ignis; ergo ad rem noſtram, etiam forma aquæ expelletur ante poſitionem ſanguinis, ac proinde non per illum expelletur, ideoque nec conuertetur in ſanguinem. Reſpondeo; Etiamſi forma ligni deſtruatur, eodem ſigno quo deſtruuntur eius diſpoſitiones, non propterea ſequi, quod deſtruatur ante ingreſſum ignis, ſed in eodem planè ſigno, hoc autem ſufficit, vt vna expellatur per alteram, quia neque alio modo poſſunt ſe expellere; ergo cũ eodem ſaltem ſigno, quo forma aquæ perit, introducatur ſanguis Chriſti, ita vt ſimul natura ſit vnius ingreſſus, & alterius exitus; non ſcio quid aliud debeat deſiderari, vt aqua illa tunc dicatur conuerti in ſanguinem. Denique ad quæſtionem propoſitam reſpondeo, ſiue tunc dicatur aqua conuerti, ſiue non (id quod ad quæſtionem de nomine pertinere potiùs videtur quam ad rem ipſam) certiſſimum eſſe debere, nec aquam nec vinum ibi futurum, ſed ſanguinem Chriſti; ex cuius ingreſſu impeditur ne vinum, quod alias futurum erat, ibi producatur: vnde quoad modum loquendi fortaſſe quis diceret vinum tunc conuerti eo ſenſu, quatenus, cum debuiſſet naturaliter eſſe ibi, impeditur ne ſit propter exiſtentiam Chriſti; Chriſtus ergo extruſit vinum, non quod iam erat, ſed quod futurum erat: hoc autem poteſt quodammodo dici conuerſio vini in ſanguinem, quia ob ius illud naturale, quod vinum habebat vt produceretur, dici quodammodo poteſt æquiualenter extitiſſe; vt ſi Petrus v. g. iamiam erat eligendus in Papam, & Ioannes præripit illi eam dignitatem, dici poteſt, Papatus Petri non qui iam erat, ſed qui iam debebat eſſe, tranſiuit ad Ioannem.

Reſpondetur quæſtioni, & aſſeritur in propoſitio caſu futurum non niſi ſanguinem

Replicabis tamen ex dictis ſuprà, Etiamſi ea conuerſio nequaquam repugnet ratione illius denominationis, quæ poſſet ſubſtantiæ vini aut aquæ tribui, ratione tamen accidentium omnino repugnare: etenim ſuprà diximus, debere omnia accidentia, ſub quibus eſt Chriſtus, denotari ab initio per τὸ *Hic*; atqui in prædicto caſu neque accidentia aquæ denotantur per τὸ *Hic*, quia iam ſupponimus illa deſinere ante conſecrationem: accidentia item vini demonſtrari non poſſunt, quia producta adhuc nõ erant; ergo non potuit ab initio dici, Sub his omnibus accidentibus aquæ & vini Chriſtus erit. Reſpondebis fortè, Nimis hoc argumento probari, ſcilicet, ſi ponatur vinum album & rubrum, & vinum conuertat alterum in ſe iam inchoata conſecratione, non ponendum tunc ſub accidentibus vini conuerſi Chriſtum Dominum; quia eodem modo (vt paulò ante argumentabamur) ea accidentia noua non potuerunt vnquam demonſtrari per τὸ *Hic*: hoc autem videtur valdè durum, quia omnes ſupponunt eo caſu certiſſimo conſecrari vtrumque illud vinum. Sed contra Primò, quia non omnes ita diſcurrunt: aliqui enim ſunt qui omnino id negant. Contra Secundò, quia cùm omne vinum ſit materia ſufficiens conſecrationis per ſe, inde fit, vt etiamſi eadem numero, phyſicè loquendo, accidentia non ſint in fine quæ initio fuere, in ordine tamen ad moralem æſtimationem iudicantur eſſe eadem, perinde ac ſi miraculosè conuertiſſet Deus poſt inchoatam conſecrationem illa accidentia in alia numero diſtincta; nam tunc etiam valeret conſecratio. At in aqua id habet difficultatem; nam accidentia vini non poſſunt iudicari moraliter eadem cum accidentibus aquæ, vt propterea cenſeantur demonſtrata quando demonſtrabantur accidentia vini. Contrà denique Tertiò, quia vina etſi differant penes maiorem aut minorem fortitudinem, & penes aliqua alia accidentia, & inde fortaſſe (vt ſupponit obiectio) etiam formæ ipſæ differant eſſentialiter; nihilominùs ſemper conueniunt in multis valdè accidentibus, quæ neceſſariò debent tunc manere, & quæ fuère ab initio demõſtrata, erantque accidentia propria vini, ſiue huius, ſiue illius, ratione autem illorum poteſt tunc fieri illa demonſtratio per τὸ *Hic*: in aqua autem locum non habet hæc ratio, quia maximè differt à vino; ac proinde ſi tranſit in vinum, non retinet accidentia vlla, quæ ab initio fuerint ſignificata per τὸ *Hic*; & quæ durent poſteà eo tempore quo erit conſecratio; non ergo potuit ab initio dici, Sub his accidentibus erit ſtatim Chriſtus; ergo etiamſi aqua illa manens aqua potuiſſet in ea ſententia conſecrari, non tamen poterit, ſi conſecratione durante poſt dictum τὸ *Hic* tranſiuit in vinum. Reſpondeo, Eam replicam ſuprà poſitam non carere ſua probabilitate; ac proinde non videtur eſſe tam certa ea reſolutio ac nonnulli putant. Nihilominus addo, poſſe ei reſponderi etiam probabiliter, Licet accidentia aquæ phyſicè & moraliter differant ab acciden

33 *Replica.*

Ad illam reſponſio.

Impugnatur.

Reſpondetur replica ſuprà poſita. licet ſua probabilitate non careat.

accidentibus vini, ac proinde non poſſint ex capite pro eodem reputari; quando tamen iam ſunt permixta cum accidentibus vini, ſimulque ſupponuntur capacia conſecrationis (vti iam ſupponimus pro hoc dubio) moraliter etiam poſſe pro eiſdem reputari eo modo, quo paulò antè diximus de diuerſis numero accidentibus vini.

DISPVTAT. TRIGESIMASECVNDA

Præuia ad præſentiam Chriſti in Euchariſtia.

1 *Ex Philoſophia pleraque repetenda.* PR o exacta huius quæſtionis explicatione multa deberent hic ex Philoſophia tractari tum circa poſſibilitatem poſitionis diuinitus duorum corporum in eodem loco, tum vnius in duobus locis etiam circumſcriptiuè, tum de his quæ poſitionem eiuſdem corporis in duobus locis conſequuntur, tum de ſpatio imaginario, in ordine ad quod explicamus nos vbicationem, tum de ipſius vbicationis natura & diſtinctione illius à re locata; ſed quia hæc omnia fusè & diligenter diſcuſſi Tomo Philoſophico, neque eſt animus quidquam hic in eo puncto repetere, breuiſſimè me expediam aliqua addendo, quæ occaſione eorum quæ poſt meam Philoſophiam ab aliquibus video notata, neceſſaria ſunt pro præſenti intento.

SECTIO I.

Diſtinctione vbicationis breuiter probata agitur, vtrùm videatur ipſa vbicatio.

2 *Efficax modus aſſerendi: vbicationem diſtinctam.* VBICATIONEM eſſe entitatem realem aliquam, ſiue modalem, ſiue perfectè accidentalem, oſtendi fusè in Philoſophia, vbi principium quoddam tradidi; quod ſi perfectè obſeruetur, facillimum erit manifeſtè reiicere omnes tergiuerſationes negantium eam diſtinctionem, ſi ſcilicet omnes termini, omnes voces, omnes phraſes, quas hi adinuenerunt ad explicandum, quid ſit me eſſe in hoc loco, ſumantur in vnum, & interrogentur hi, an per illas omnes voces ſignificetur aliquid reale vltra me & ſpatium Pragenſe v. g. quæ duo erant in rerum natura antequam ego Pragam venirem, an verò nihil reale: ſi aliquid realem, illud erit vbicatio; ſi nihil, ergo per purum nihil & ſolas voces explicant rem realiſſimam; qualis eſt me ſedere, me ſtare, eſſe domi, foris, & cætera.

Etiam ab actione qua res producitur. Circa quod duo iam notanda occurrunt; Primum, quoſdam quidem fateri neceſſarium eſſe entitatem diſtinctam, eam tamen non diſtingui ab ipſa actione qua res producitur. Quam doctrinam ſic breuiſſimè & efficaciſſimè reiicio; nam homo (& idem eſt de aliis animalibus) priùs natura ſupponitur exiſtens antequam ipſe ſe moueat: ipſe enim ſe mouet. & quidem voluntariè (vt experientia manifeſtiſſima conſtat) ergo vbicatio non poteſt eſſe ea actio: patet euidenter conſequentia, quia actionis productiuæ ſui ipſius non poteſt homo ipſe eſſe cauſa, alioquin ſeipſum produceret: eſt autem cauſa eius vbicationis, ergo ea vbicatio eſt aliquid diſtinctum ab actione productiua rei, eaque poſterius; quandoquidem antequam ſe moueat in eo priori, quo eſt liber ad motũ, iam habet actionẽ.

3 *Vbicatio videtur oculis.* Secundum quod notandum cenſui eſt, inter alia argumenta, quæ ad perſuadendam vbicationis diſtinctionem adduxi, illud eſſe, quod vbicatio videretur oculis: video enim Petrum iam ſedere, iam ſtare, iam eſſe à dextris, &c. Non placuit hoc argumentum Cardinali Lugo hic diſp. 5. ſect. 4. etiamſi abſolutè ſententiam de diſtinctione vbicationis veram eſſe fortiter defendat; vt ergo ei reſponderet, dixit cum Patre Vaſquez, ideò hominem videre obiectum in hoc aut illo loco, quia ſpecies intrant in oculum per hanc aut illam partem; obiicit verò ſtatim ſibi; Ergo ſaltem percipitur vbicatio ſpecierum quando intrant; reſpondet negata conſequentia, quia ſolùm id percipitur ex eo, quod percipiatur viſio in ea parte pupillæ; viſionem autem docet percipi per impulſum, quem ad eam partem adhibet potentia; impulſum denique noſci per tactum qui ibidem fit: hæc fusè ea ſectione. Non videtur autem valdè fidiſſe huic explicationi; ſolùm enim dicit difficile creditu eſſe meum argumentum, & fortaſſe probabilius eſſe, non videri eam vbicationem. Mihi tamen, quo magis hac de re cogito, magis videtur euidens videri ipſis oculis vbicationem: id quod efficaciter nunc oſtendendum erit.

SVBSECTIO I.

Quatuor priora argumenta.

Argumentũ primum contra Cardinalem Lugo pro vbicationis viſione. PRimò ergo argumentor, Quia tantum abeſt ab eo, quod ſentiatur impulſus vllus in pupilla, vt ſi quis rem conſideret diligenter, neque an in oculo, an in fronte, an in naſo fiat viſio poſſit per vllum ſenſum reflexè immediatè ſentiri; agnoſcimus quidem nos quodam quaſi diſcurſu viſionem eſſe in oculis, quia dum eos claudimus non videmus, dum aperimus videmus: at ſi quis vel tantillum ſe reflectat dum videt, non poterit dicere, ſe viſionis locum ſenſu percipere: vnde ſi Deus hominem primò crearet in ætate perfecta, & ſine vlla alia ſpecie, apertis tamen oculis, ille tunc ſine dubio videret obiecta ante ſe propoſita: at, vtrùm viſio eſſet in fronte, an in naſo, nullatenus diſtingueret. Et ratio eſt manifeſta, quia neque ea viſio eſt color, neque ſapor, neque calor, neque ſonus, &c. Vrgeo, quia etiamſi iam aliunde ſciamus viſionem fieri in oculo, nemo eſt qui poſſit dicere, ſe experiri, vtrùm ea fiat in prima planè ſuperficie oculi, an in media oculi parte, an in indiuiſibili puncto, an in diuiſibili, an denique ſolùm fiat interius in cerebro: ſi autem obiectorum loca ex locis diuerſis, vbi viſio fit, deberent à nobis noſci, oporteret vt primò & per ſe eſſet notus locus viſionis. Habet autem maiorem & euidentiorem efficaciam hoc argumentum in brutis; quis enim Philoſophus præſumet dicere, *Confirmatur in animantibus.*

 canem

Digitized by Google

canem noſcere vtrùm viſionem habeat in diuiſibili, an in indiuiſibili ſpatio, vt iudicet inde, an ad dextram, an ad ſiniſtram eius pupillæ fiat viſio; & tandem inde dicat, *Ergo meus Dominus, quem nunc video, eſt à dextris meis, & non à ſiniſtris*; profectò vel ex ſola hac ponderatione oſtenditur improbabilitas eius ſententiæ. Quod de impulſu dicitur facilè reiicitur; nam productio viſionis fit ſine vllo impulſu aut motu locali: anima enim eſt ibi vicina, ſpecies producitur ſine motu; ſpiritus vitales iam ſunt ibi applicati; quis ergo eum impetum facit? Deinde rogo, an dum quis attente, conſtanter & ſuauiter intuetur obiectum, ſemper nouum & nouum impetum ſentiat, an ſolùm in initio? Primum improbabile penitus eſt, & contra omnem experientiam; videmus enim tunc obiectum nulla omnino percepta in nobis varietate aut alteratione: ſi verò ſecundum dicatur, non ſatisfit difficultati à me poſitæ, quia non ſolùm in initio, quando primùm rem vidi, ſed iam etiam percipio obiecti diſtantiam & locum, & quidem eodem modo immediatè in ſe, & ſine diſcurſu, provt vidi initio; atqui non video in impetu, ergo neque ab initio; neque poteſt dici, viſionem recordari prioris impetu, & in ea memoria videre murum ante ſe ſtantem.

5

Impugnatur Secundò ſententia Cardinalis Lugo.

Secundò principaliter impugno eam ſententiam, quia etiam admiſſo eo impetu, & ea ſenſatione tactus, manet tota quanta difficultas: nam eſto intuerer ego clarè ipſam viſionem, & locum illius, adhuc neceſſariò vlterius deberet dici, percipi per ſenſum locum obiecti. Aliud enim eſt (quod non videtur conſideratum ab Aduerſariis) noſcere vbi habeo viſionem, aliud noſcere vbi eſt obiectum viſum. Et pone id etiam in ipſis intellectionibus ſpiritualibus: licet enim Angelus noſcat vbi habeat ſuam intellectionem, non ideò noſcet vbi ſit obiectum ipſum intellectum, niſi videat illius obiecti locum admitto ergo nunc (quod tamen falſum manifeſte eſt) me percipere per tactum vbi ſit viſio; quis quæſo dicit oculo, *Eſto hic ſit viſio, res tamen eſt ibi, & non ibi*: aperio nunc repentè oculos, & video ante me linea recta Petrum ad duos paſſus, agnoſco viſionem eſſe in media pupilla; quis mihi dixit, *Petrus eſt ad duos, & non ad tres, ſex, vel octo*? Dices per diſcurſum, quia ſcio ad tales paſſus fieri in tali parte viſionem.

Gratis recurritur ad diſcurſum vt experientia conſtat.

Sed contrà Primò, quia quando eſt linea recta, tunc fiunt viſiones omnes in eadem parte; vnde ergo habeo tunc principium id inferendi? Contra Secundò, ergo ſi homo à Deo creatus immediatè intueretur obiectum aliquod ante ſe poſitum, videret v. g. albedinem, non poſſet tamen dicere vbi eſſet. Hanc conſequentiam vix non admittit hic Auctor; miror tamen id vehementer, cum alibi dixerit ipſe, implicare etiam diuinitus viſionem materialem quæ cerneret obiectum, & non ſciret vbi illud eſſet. Vrgeo; Non poſt primam viſionem, ad quam non præceſſit diſcurſus vllus, non recurrimus ad vllum alium ſenſum ad probandum, an res viſa in tali parte pupillæ ſit ad tantam diſtantiam, & ſic in ordine ad varias & propè infinitas diſtantias, quas oculis diſcernimus: ſi autem immediatè locum non perciperemus, deberemus dicere, Video albedinem, vtrùm ſit à dextris, an à ſiniſtris, non video. Quæ omnia eſſe contra claram experientiam nemo non videt: ſine talibus enim diſcurſibus & reflexionibus agnellus cum primum aperit oculos, non ſolum videt matrem, ſed vbi ſit, & ad vbera currit.

Sed age, quid quæſo me iuuare poſſunt omnes omnino poſſibiles diſcurſus mei præcedentes ad hæc, vt ego dum intro ſcholam videam Ioannem ſedere, Petrum ſtare; quandoquidem omnibus diſcurſibus præcedentibus non obſtantibus potuit Ioannes ſtare & Petrus ſedere: quo caſu dum ego intrarem ſcholam non haberem vlla principia diuerſa ad inferendum ſtare Ioannem, & Petrum ſedere, magis quàm ſi nunquam anteà de re illa cogitans tunc primò venirem ad ſcholam; ergo ſi caſu quo tunc primò fuiſſem creatus, & intraſſem ſcholam, non poſſem dicere, Ibi eſt vnus homo, & ex altera verò parte alius; ſed deberem dicere, Duos quidem video, vtrum autem illi ſint intra ſcholam an extra, an ſedeant, an ſtent, nequaquam video profectò id ipſum etiam iam poſt omnes meas experientias dicere debeo; nam ſi ad ſenſationem impulſus recurramus, etiam prima vice eſſet illa ſenſatio, vnde etiam eſſet eadem cognitio quæ iam eſt: id quod haud dubiè dicitur improbabiliter. 6

Tertium argumentum vrget inſtantiam de brutis animantibus.

Sed iam argumentor Tertiò, eam inſtantiam de brutis vrgendo; nam bruta non minùs diſtinctè vident vbi ſint obiecta, quam homo ipſe; at in brutis concedere illum reflexum tactum viſionis per impetum, & quod per illum inferant quem locum habeant obiecta, an ad dextram, an ad ſiniſtram, an procul, an propè, eſt manifeſte incredibile.

7

Quartum argumentum.

Quartò, quia demus eam ſenſationem impulſus, ſic argumentor, Dum ego v. g. intro ſcholam, & video Petrum à dextris, à ſiniſtris verò Ioannem, in mea pupilla tango duos impulſus, pro viſione vnum à dextris, alterum à ſiniſtris, vnde quæſo noui impulſum pro Petro eſſe à dextris, alterum pro Ioanne à ſiniſtris? & verò quis Philoſophus potuit vel cum apparentia minimæ probabilitatis dicere, nos per tactum tunc experiri, vtrùm ſint duæ viſiones diſtinctæ vna ad Petrum, altera ad Ioannem, & id non fieri per vnam indiuiſibilem, vt multi dicunt? quod ſi hoc per tactum non diſtinguitur, iam ruit tota illa ſolutio, quia ſi vnico actu vtrumque obiectum videtur, neceſſum eſt impulſum eſſe eumdem.

Manifeſtè doctrinam propoſitam declarat.

Ego ſanè vel ex hoc ſolo capite puto manifeſtè ſuaderi meam doctrinam: quod vt fortiùs vrgeam aduerte, impulſum illum potentiæ non eſſe diuerſum, eo quòd ſi tam pro viſione Ioannis quam pro viſione Petri, nam ille impulſus eſt per truſionem localem (vt ſic dicam) potentiæ: quæ truſio eiuſdem rationis eſt, ſiue ſit pro viſione Petri, ſiue pro viſione Ioannis; quomodo ergo pupilla, quando ſentit duas truſiones, ſeu duos impetus, nouit per tactum, iſte impetus eſt pro viſione Petri, & ille pro viſione Ioannis? imo licet daremus eos impetus eſſe diuerſos in ſpecie, & vnum dicere ordinem eſſentialem ad Ioannem, & alterum ad Petrum, nunquid tactus ille in oculis adeò eſt comprehenſiuus, vt intuitiuè diſtinguat eos impetus, & in eis penetret reſpectum eſſentialem ad Petrum & ad Ioannem? quando quæſo ex vllo actu etiam viſionis cognoſcitur terminus quem reſpicit obiectum immediatè viſum; an ex viſione albedinis agnoſco ego intuitiuè ſubiectum quod albedo reſpicit, aut noſco intuitiuè Deum & cauſas alias à quibus albedo dependet? idem eſt de colore, frigore, &c. an ſi

aliquis

Digitized by Google

aliquis me à tergo feriat, aut impellat, agnoſco per tactum, is ictus reſpicit Petrum vt cauſam, non verò Antonium? quomodo ergo dicemus pupillam eſſe tam perſpicacem, vt in iſtis duobus impetibus diſcernat ordines ad Petrum & Ioannem, eſto illi impetus eſſent ex eo capite diuerſi; quomodo ergo ex illis nouit Petrum ad dextram & Ioannem eſſe ad ſiniſtram?

SVBSECTIO II.

Vltima quatuor argumenta.

8 *Quintum argumentum contra Cardinalem Lugo.*

QVINTÒ, quia illa pupillæ alteratio non fit per ſpecies diuerſo modo intrantes: ſi enim (vt multi etiam nunc conſtanter defendunt) nullæ ſint ſpecies, ceſſat omnis ea alteratio pupillæ: atqui etiamſi ex diſcurſu fundato in eo, quod agens non agat in diſtans, & ex aliis principiis diuerſis dicamus probari euidenter, dari ſpecies; profectò, velimus nolimus, debemus concedere eis qui illas negant, nequaquam illas percipi per noſtrum ſenſum in ordinaria viſione; quomodo ergo pupilla illas ſentiet; Dixi *in ordinaria viſione*, quia non volo certam veritatem facere dependentẽ ab vlla prorſus opinione, ſcio enim aliquos Mathematicos (contra quos tamen egi in Philoſophia) docere, aliquando poſſe ipſaſmet ſpecies videri quando introducuntur in cubiculum clauſum, &c. hoc etſi meo iudicio falſum nunc eis permitto; at nullus dixit ſpecies percipi in ipſa pupilla, neque quando modo ordinario obiectum videtur: id quod pro me ſufficientiſſimum nunc eſt.

Sextum argumentum contra eamdem ſententiam à paruitate pupillæ oculi.

Sextò eam ſententiam reiicio, quia quis audebit non ſolum dicere, ſed vel ſomniare, dum ego in turri v.g. exiſtens aperio repentè oculos, & intueor vnam integram ciuitatem, domos, & feneſtras, tecta, templa, turres, fluuium, pontem, me ſentire tunc tot impetus in pupilla, & in tot partibus diſtinctis, quot video in diuerſis locis obiecta diſtincta; cumque in oculo non ſit tantum ſpatium quantum occupant obiecta viſa & impoſſibile ſit inter ſe diſtare eos impetus tantum quantum diſtant obiecta; vnde quæſo ſcio, aut quo circino duplicato menſus ſum diſtantiam, vt ſciam in meo oculo impetus pro illis duabus turribus, v. g. ſolùm diſtant tribus punctis, tria puncta diſtantiæ in oculo efficiunt centum in turribus, quaſi inuertendo circinum ad extremitates latiores; cumque tunc ſimul innumeras res intuear, quamlibet in ſua diſtantia ab alia, nec video, nec capere poſſum, quomodo in pupilla adeò parua ſint tot loca diſtincta capacia tot impulſuum diſtinctorum, ita vt nullus fiat in loco alterius, aut quomodo ad tot partes impulſa & mota paupercula pupilla non reddatur ſtulta inuerſo ei præ innumeris impulſibus (ſic dicam) cerebro? aut quomodo tactus tunc habeat tam perfectam vim dimetiendi, vt non confundatur cum tot vicinis impulſibus, ſed cuilibet tribuat alteram maiorem diſtantiam, quam ea menſura minor denotat in obiecto? aut denique ille, qui anteà de ſimilibus proportionibus non cogitauit, quomodo immediatè videns eam ciuitatem videre poterit eam diſtantiam?

9 *Argumentum vrget in motu locali.*

Habet autem hoc argumentum maiorem vim in motu locali; quando enim video vel duos equites inter ſe congredientes, vel duos arietes ſe impetentes cornibus, neceſſum erit vt tactus experiatur intra pupillam impetus illos recedentes; ac denique in ictu ipſo quando ſaltant arietes, vt ſe tangant, etiam tactus ſentiet duos impetus exilientes in pupilla ſuper lineam illam rectam, quam iidem impetus immediatè antè tenuerant; & dum videt triginta aut quadraginta aues, ciconias, apodes, cornices, &c. volantes, aut inter ſe ludentes, & quaſi choreas in aëre texentes, ac ſe hinc inde immiſcentes, homo etiam tanget in oculo tot impetus eaſdem choreas in oculis in pupilla ferè indiuiſibili exercentes, ac impetus illos ſeipſos irretientes, extricantes, eleuantes, demittentes. Quis autem hæc putet poſſe probabiliter dici.

Septimum argumentum.

Septimò argumentor efficaciſſimè, quia mutata tota percuſſione pupillæ adhuc oculus rem videt in eodem omnino loco: ergo ea percuſſio pupillæ eſt planè inutilis: ad ſolutionem difficultatis probo clarè antecedens; nam quantumvis ego accedam ad imaginem, video illam eſſe in eodem loco in quo anteà; quantumuis me vertam ad ſiniſtram, ad dextram, video illam pendentem in eodem loco cubiculi; & tamen in his caſibus haud dubiè incidentia ſpecierum variatur, non minus quam quando Petrus eſt à dextris, & Ioannes à ſiniſtris, ſeu quam ſi me immoto imago ipſa mutaſſet locum; ergo ex ea varietate incidentiæ non poteſt oculus agnoſcere imaginem eſſe in hoc loco, in medio muro, & non in angulo illius, cùm quacumque facta diuerſa incidentia idem videam ſemper imaginem in medio.

10 *Vim habet maiorem in auditu.*

Id quod clariùs ferè oſtenditur in auditu; nam licet hic ſenſus non tam diſtinctè percipiat obiecti locum, eum tamen abſolutè percipit, & homo agnoſcit, quando vocetur ab altero ante ſe exiſtente, quando verò ab exiſtente retro, quando ex loco altiori, quando verò ex inferiori; ibi autem manifeſtè apparet non poſſe recurri ad eum ingreſſum ſpecierum diuerſum, neque ad latera diuerſa potentiæ, vbi fiat auditus: etenim ſiue ſpecies veniant ex alto, ſiue ex loco inferiori, tamen cùm primum accedunt aures, inflectunt ſuam viam, & in linea recta intrant ad locum interiorem auditionis, vbi neceſſariò omnes, ſiue hinc ſiue inde venerint, idem faciunt iter, & in eodem loco ſe ſiſtunt; quis ergo poterit dicere, tunc auditum aduertere vocem eſſe infra ſe, eò præciſè quod in parte inferiori pupillæ ſentiat per tactum, auditionem? vel quomodo homo ſcit, an ſint ibi multæ partes, & an auditiones omnes fiant in vna parte; an verò in diuerſis, an in dextra an in ſiniſtra.

Pro octauo argumento ratio à priori.

Octauò denique argumentor ratione à priori; nam locus, ſeſſio Petri, ſtatio, &c. tam immediatè in ſe percipitur quam ipſa albedo aut color vllus; quis enim dicere poteſt cum apparentia veritatis, ſe albedinem muri v.g. videre immediatè, quòd verò murus ipſe ſtet ante naſum non videri, ſed per tactum in alio medio noſci? atqui albedinem muri in ſe agnoſco, ergo & illius vbicationem; ergo videtur immediatè vbicatio, ſiue ea ſit modus, ſiue res, ſiue quodcumque aliud; de quo poſtea agendum.

11 *Aliquorum Recentiorum euaſio præcluditur.*

Recentiores alij nonnulli cùm vidiſſent non poſſe per huiuſmodi impulſus rem hanc explicari, dixerunt, per ſenſus quidem externos nihil de loco & ſitu rerum videri, ſed poſita viſione exteriori obiecti reſultare ſpecies in ſenſu communi, quibus ea vbicatio cognoſcitur. Hæc tamen euaſio facillimè reiicitur; nam ſi nihil omnino

omnino ... ſenſum intrat, quod vllo modo dicat ... eſſe à ſiniſtris potiùs quàm à dextris, ... modo quæſo excitari poſſit talis ſpecies in phantaſia? aut quæ illius erit cauſa? hoc modo ego dicerem oculum nihil penitus videre, ſed ex obiecti exiſtentia excitari ſpecies in phantaſia, & per hanc ſolam me videre: certè (vt paulò antè tetigi) tam clarè dicit experientia me oculis ipſis videre Petrum eſſe à dextris, Ioannem eſſe ante me, ſedere, ſtare, quàm videam illum habere colorem: imò ſæpe clariùs cognoſcimus poſitionem loci quàm colores, vt quando eminus res video; ergo ſi non obſtante tam clara experientia licet his dicere, ſe non videre eam poſitionem niſi per phantaſiam, profectò mihi etiam licebit dicere, ne quidem colorem ipſum videri per oculum, ſed per phantaſiam intrante per oculum ſpecie coloris, quem tamen ipſe oculus non videat; vel ſi nolis oculo negare omnem omnino viſionem, dicam ego per oculum ſolum videri ſitum, & per phantaſiam colorem, ſicut tu dicis è contrario; vnde quæſo potiùs ego reiicar quàm tu?

SECTIO II.

Reſpondetur obiectionibus.

12 VERUM videamus quid nobis obiiciant: Primò ergo dicunt; Si non immutetur oculus diuerſo modo, hoc eſt per diuerſam lineam viſualem ab obiecto, non percipitur diuerſitas vbicationis, etiamſi ea mutetur; vt contingit, quando aliquis intra cameram nauis ſe mouentis aſpicit eamdem imaginem. Huic tamen argumento iam ego manifeſtè reſponderam; & habet euidentiſſimam inſtantiam in colore; nam ſi ſuccedat ſemper ſimilis & ſimilis color, non percipitur vllo modo ea diſtinctio colorum; vnde fit, vt ſi quis aſpiciat aquam fluminis, & non percipiat motum, ſemper putet ſe eamdem numero aquam videre: idem eſt dum quis aſpicit conſtanter cœlum, &c. imò quodam modo in his rebus diſtinctio colorum percipitur ex motu, non motus ex colore; ergo hoc argumentum æquè eſt contra eius Auctores. Illi abſolutè reſpondeo, Ob ſimilitudinem vbicationum non poſſe eas diſtingui à nobis, niſi eas inter ſe comparemus aliquo modo; quòd verò dicitur id fieri ex diuerſa affectione pupillæ, eſt planè ex dictis ſuprà incredibile; nam nullam alterationem ego ſentio in oculis ex eo quòd Petrus ſtet, vel ſedeat, nec diuerſas ex eo quòd ille ſit à dextris, Ioannes à ſiniſtris, quam non ſentirem ſi eſſet contrario modo Petrus à ſiniſtris, & Ioannes à dextris. Quæ ſola inſtantia meo iudicio demonſtrat rem. Denique, eſto longè ſit probabilius dari ſpecies (vt ſuprà dixi) id tamen omnium iudicio non percipitur per ſenſus, ſed per diſcurſum ſuadetur, ex eo quòd obiectum abſens non poſſit concurrere ad viſionem, &c. quomodo ergo quæſo poteſt percipi per ipſum ſenſum ea alteratio pupillæ, quæ, ſi ſpecies non dentur, nulla planè eſt? Vides ergo ex quot manifeſtis capitibus oſtenditur ex pupillæ alteratione non poſſe explicari viſionem Ioannis à dextris & Petri à ſiniſtris.

Obiectio Aduerſariorum patitur inſtantiam.

Reſpondetur argumento, & oſtenditur, quomodo diſtinguamus vbicationes.

13 Replicabis: Vbicationes ſunt in ſe non minùs differentes quàm albedo & nigredo; atqui differentia albedinis & nigredinis ſemper percipitur per viſum; ergo percipitur etiam ea ſucceſſiua mutatio vbicationum etiam in camera clauſa nauis. Reſpondeo, Replicam hanc eſſe etiam contra illos qui dicunt percipi has vbicationes per phantaſiam immediatè, licet non percipiatur vllo modo per externos ſenſus: rogo enim, Cur eo caſu etiamſi oculus non percipiat eas vbicationes, illas non percipiat ſaltem phantaſia, cùm ſint re ipſa diſtinctæ ſicut albedo & nigredo? Reſpondeo abſolutè, Eſſe valde dubium, vtrùm hæ vbicationes differant ſpecie; & quæ ſit ea diuerſitas. Et ſanè Cardinalis Lugo cùm alibi doceat vbicationes huius totiùs chartæ v. g. inter ſe vniti, eſto reſpiciant diuerſum ſpatium imaginarium, non ſcio quomodo det illis diuerſitatem ſpecificam, eodem modo quo frigori & calori inter ſe, albedini & colori inter ſe: quæ accidentia, quia habent diuerſitatem ſpecificam, non continuantur, eſto ſint in eodem omnino ſubiecto. Quidquid verò de hac conſequentia ſit, certum eſt difficulter explicari illam diuerſitatem ſpecificam, eò quòd ex vno puncto res tranſeat ad alterum: denique, eſto eam admittamus, argumentum nullam habet vim, quia non omnia prædicata diuerſa, quæ ſunt in obiectis, diſtinguuntur per ſenſus. Demus pro præſenti quæſtione veram eſſe ſententiam docentem, albedinem niuis eſſe ex natura ſua alligatam niui, albedinem chartæ chartæ, certè eo ipſo illæ albedines ſunt diuerſæ ſpeciei; & tamen nemo dicet eam diuerſitatem poſſe per viſum noſci; noſcitur, quidem per hunc vnam eſſe maiorem altera, ſi ſint maiores; at vnam eſſe alligatam chartæ, alteram columbæ, profectò oculus non videt: ita dico eam diuerſitatem vbicationum, eſto ſit ſpecifica, eſſe per ſenſum imperceptibilem expreſsè, & non niſi per comparationem vnius cum altera (vt quando duo obiecta videt, vel quando percipit motum, &c.) poſſe diſtingui.

Pugnat replicæ contra illos qui dicunt vbicationes percipi per phantaſiam: Reſpondetur replicæ.

Et doctrina Cardinalis Lugo de diuerſitate vbicationũ examinatur.

Denique, ni vehementer error, hæc tota replica etiam eſt contra eam doctrinam de impulſu pupillæ. Pro quo ſuppono id quod mihi obiicitur, etiam in eo caſu, quando intra cameram nauis mouetur imago, mutari ſpecie vbicationes illius imaginis. Suppono Secundò, impulſum eſſe natura ſua productiuum vbicationis; vnde colligo, ergo impulſus, qui eſt productiuus huius vbicationis, & non alterius, erit diuerſæ ſpeciei ab altero impulſu, qui eſt productiuus alterius vbicationis: vno verbo, impulſus mihi hîc impreſſus eſt diſtinctus ſpecie ab eo qui imprimitur Romæ: id quod conſequenter ad diſtinctionem ſpecificam vbicationis eſt neceſſariò dicendum; & videtur ad aliud propoſitum inferiùs admitti ab hoc Auctore, dum agit, quando corpus eſt in duobus locis, ſi in vno ei imprimatur impulſus, vtrùm ponendus ſit ille impulſus in altero loco, vbi eſt illud corpus; ibi enim ait talem impulſum, etſi replicetur, in altero tamen loco non cauſaturum motum, quia natura ſua non eſt productiuus motus in eo alio loco, ſed ſolùm in primo. Hinc ergo argumentor manifeſtè: Impulſus illi in pupilla facti in eo caſu, nauis ſunt diuerſi ſpecie, quia etiam ſunt diuerſæ ſpeciei vbicationes: licet enim maneat ſpecies eodem modo linea directa in oculum intrans, impulſus tamen prima die v. g. productus mouet pupillam verſus mare Genuenſe v. g. ſeu in hoc ſpatio imaginario alter impulſus ſecunda die mouet verſus mare Hiſpanicum, eſto reſpectu pupillæ motæ vterque ſit rectus: eſt ergo diuerſitas ſpecifica impulſuum

14 *Replica alia retorquetur.*

Et inde formatur argumentum:

Digitized by Google

pulſuum, vndecumque illa veniat; & tamen ea diuerſitas non cognoſcitur neque per vſum, neque per phantaſiam, neque per tactum, cum tamen ſaltem illi impulſus in ſe percipiantur (vt fatentur hi) potero ergo etiam ego dicere, non impulſus, ſed vbicationes illas diuerſas in ſe quidem percipi, eſto nullo modo vt diſtinctæ percipiantur per viſum; ergo illud argumentum eſt etiam contra Aduerſarium.

15 *Iterumque in Aduerſarios retorquetur.* Vt verò exhauriamus argumenti vim, eo etiam ex capite eſt contra eius Auctores, quia non poteſt negari, quin ſi ego mutem ſitum in ea camera, eo ipſo mutetur incidentia radiorum in pupillam; & tamen adhuc iudico imaginem habere eumdem ſitum, eſſe immutatam in ſe, &c. ſi tamen me immoto illa ponatur ad dextram, iam ego noſco illam eſſe in alio loco; ergo non per diuerſitatem impulſuum in me, ſed quia ipſam vbicationem rei video, agnoſco illam mutare locum. Vide quæ ſeptimo argumento dixi ſectione præcedente.

Obiectio ſecunda Aduerſariorum fauet noſtræ ſententiæ: Secundò obiiciunt; quia quando ſpeculo videmus obiectum ſtans nobis à tergo, apparet tamen nobis eſſe ante nos; quia nimirum propter reflexionem ſpecierum oculus eodem modo immutatur, quo ſolet quando obiectum eſt ex aduerſo: idem argumentum fieri poteſt ex virga quæ in aqua apparet inuerſa. Reſpondeo Meo iudico hoc argumentum eſſe pro me efficaciſſimum contra eius Auctores: id quod oſtendo facilè: non ſolùm enim in caſu obiectionis Petrum v. g. qui eſt mihi à tergo, ego video ante me, ſed video illum intra ſpeculum procul iuxta diſtantiam, quam ipſe à tergo habet: *Et impugnat impulſum pupillæ.* atqui illa diſtantia tunc cognita non poteſt vllo prorſus modo noſci ex impulſu pupillæ; nam eſto appareret obiectum in ſuperfice ipſa ſpeculi, profectò adhuc ſpecies intrantes in meum oculum venirent eadem prorſus linea recta qua iam veniunt; ergo facerent tunc impulſum in eadem parte pupillæ, in qua nunc; ergo quod nunc repræſentent illam diſtantiam, non venit ex motu pupillæ, ſed quia ipſa diſtantia videtur eo modo quo ſtatim dicam. Habet autem hoc meum argumentum maiorem vim in hac reflexione ſpeculi quam in obiecto ipſo directè viſo (etiamſi ibi efficax ſit;) quia maior minorve diſtantia, etiam linea recta in obiecto directè viſo, poteſt dici noſci ex eo, quod ſint intenſiores aut minùs intenſæ ſpecies illæ; vel certè dici poteſt nunquam manere obiectum in eadem linea reſpectu mei oculi, eo ipſo quod accedat aut recedat à me: hæ autem euaſiones tales quales nequaquam adhiberi poſſunt in reflexione illa ſpeculi: etenim ex eo quod illæ ſpecies repræſentarent obiectum in ipſa ſuperficie ſpeculi nequaquam fieret mutatio in pupilla: deinde, cùm ſpeculum non ideò eſſet in diuerſa linea à meo oculo, cur quæſo ſpecies illa ſuo modo dicit, *Obiectum eſt procul intro*, & non dicit *Eſt hic in ipſo ſpeculo vbi ego ſum?* ergo neceſſum eſt fateri, non in impulſu pupillæ, ſed in obiecto ipſo agnoſci illam remotam diſtantiam; ergo eo argumento confirmatur manifeſtè noſtra doctrina potius, quam impugnetur.

16 *Obiectioni reſpondetur ex doctrina Cardinalis Lugo in lib. de Anima.* Vt verò obiectioni, quæ omnibus eſt communis, reſpondeamus, vtor doctrina, quam in lib. de Anima fuse tradidit hic idem Auctor agens de ſpeciebus, & quam ego ab ipſo audiui (qua etiam videtur veluti nouo argumento reiici præſens ipſius opinio) eam ſcilicet eſſe naturam ſpecierum intentionalium tam viſus quam auditus; (nam in aliis ſenſibus eas non admittimus;) vt quando redeunt per reflexionem, repræſentent obiectum verſus partem illam vnde reflectuntur, & per lineam reflexionis, in ea tamen diſtantia qua obiectum à nobis diſtat. Hæc illi: quæ ego etiam iudico veriſſima; vbi quis non videat ab his admitti, ſpecies illas externas omnino repræſentare diſtantias locorum, & verſus quam partem ſint, &c. hæ autem quid aliud, rogo, ſunt quàm vbicationes ipſæ? ergo repræſentantur tunc vbicationes; neque ex eo, quod reuerà non ſit vbicatio obiecti poſt ſpeculum, ſequitur eam non repræſentari immediatè per viſum; nam dum quis aſpicit Iridem, ſine dubio immediatè oculus videt colorem; & tamen certum eſt re ipſa nõ eſſe ibi tales colores. Conſtet ergo hoc argumentum totum eſſe pro me, difficultatem verò, quæ in illo poteſt reperiri, debere ab omnibus ſolui modo à me dicto.

Tertiò argumentantur; Nam ſenſus non percipiunt vbicationes obiectorum, ergo neque viſus. Reſpondeo in primis; Si in aliis ſenſibus non ſunt experientiæ pro ea perceptione quæ ſunt in oculis; profectò conſequentia ab illis ad oculos nullius erit momenti. Secundò reſpondeo, Auditum omnino eam percipere; imò fortè efficacius de illo perſuaderi quam de viſu: vide quæ ſupià dixi in vltimo argumento. In aliis duobus ſenſibus, quia non percipiunt obiecta remota, ſed ea quæ in ipſo organo aut immediatè iuxta illud ſunt, videtur eſſe maior difficultas; ſi tamen argumentum ſuprà poſitum diligenter conſideretur, apparebit clarè etiam hos ſenſus percipere vbicationem; quia (vt ibi dixi, & res eſt alioquin clara ex terminis) aliud eſt, viſionem eſſe in capite: aliud, rem viſam eſſe in capite: & idem dico de aliis ſenſibus, aliud eſt, ſenſationem caloris eſſe in manu, aliud, cognoſci, ſeu ſentiri, quòd, ipſe calor cognitus ſit in manu, aliud eſt, dolorem formalem, qui ſolùm conſiſtit in ipſa ſenſatione, eſſe in manu, aliud obiectum cognitum eſſe in manu; ſicut aliud eſt, triſtitiam eſſe in corde, aut in capite, aliud, obiectum & motiuum triſtitiæ eſſe in capite: triſtor enim in capite de fratris aut parentis morte procul exiſtente, de amiſſione bonorum, &c. quæ non ſunt in capite: quod autem in his tribus ſenſibus ad duo ita concurrant, vt vbi eſt dolor ſeu ſenſatio, ibi aut immediatè propè etiam ſit obiectum illius, nequaquam efficit, quò minus ea duo ſint diſtincta, & vt talia ſint cognoſcenda. Hoc poſito argumentor ſic; Tactus percipit calorem in manu, ita vt, ſi loqui poſſet, diceret, Calor eſt in manu; ipſum autem tactum ſeu ipſam ſenſationem non cognoſcit tactus, quia non eſt reflexus ſupra ſeipſum; id enim cognoſcitur à ſola phantaſia; ergo etiam per alios ſenſus cognoſcuntur obiectorum vbicationes. Minùs ergo benè hi, vt probent non cognoſci vbicationem odoris v. g. dicunt certum eſſe, olfactum non cognoſcere vnde veniat odor; dico hanc rationem minùs benè pro intento adferri, quia ego non dico olfactum percipere vbicationem cauſæ, à qua oritur primo odor, ſeu vbicationem primi odoris; quia nec primus ille odor noſcitur, noſcitur ergo vbicatio illius odoris qui ſentitur immediatè, deinde per diſcurſum, videndo vnde maior ſentiatur, colligitur confusè cauſa: & verò hanc ſolutionem etiam hi tenentur adhibere; nam dicam ego, Cur auditus & viſus

17 *Tertia obiectio.* *Soluitur.* *Et reſpondetur, Auditum etiam percipi vbicationes. De aliis ſenſibus maior eſt difficultas.*

ſus percipiunt ſaltem per diuerſum impulſum in organo, vbi ſit obiectum, id autem non percipit olfactus? vnde ergo prouenit ea diuerſitas?

18 *Quarta obiectio.* Denique obiiciunt; Si oculus videt vbicationem, ergo debet videre eius vnionem cum colore viſo, quia ipſum vbi eſt entitas modalis; ergo debet videri vt vnita, quia ſi eam oculus videt, non videt in abſtracto, cùm videat per illam reddi colorem in hoc loco: atqui non videtur poſſe materiali ſenſui tribui talis modus cognoſcendi, vt percipiat ordinem eſſentialem rei viſæ ad aliam. Reſpondeo, Non debere videri eam vnionem vbicationis cum colore, vel reſpectum illius ad colorem; (etſi poſſet fortè aliquis id admittere ſine vllo abſurdo;) dico ergo ſufficere, quòd ea duo vti ſunt ſimul, ita etiam videantur, eſto illorum connexio inter ſe non videatur. *Retorquetur ſimiliter in Aduerſarios.* Et verò hoc argumentum eodem modo vrget Aduerſarios; non enim puto illos dicturos ſolum intellectum cognoſcere vbicationem, & bruta hanc non noſcere (quomodocumque id ſit, de quo ſtatim:) quis enim dicet equum, leonem, canem non videre hominem eſſe ante ſe, aut à dextris, aut à ſiniſtris? quòd ſi vident, ſiue ſit ex tactu pupillæ, ſiue quomodocumque; ergo leo ſcit me affici tali vbicatione à dextris vicina, non remota, &c. rogo ergo, Quomodo ille nouit vnionem eius vbicationis cum colore? Vides ergo difficultatem eſſe omnibus omnino communem: & verò fortè difficiliùs per eum impulſum explicabitur hæc obiectio; nam ille impulſus pupillæ dicens oculo, Hîc impellor, difficulter inferet, Ergo color eſt vnitus cum tali vbicatione in tali loco.

Denique concludo, hoc punctum me non poſſe capere, quomodo quando aperio oculos in medio foro, & video Petrum ſedentem, Ioannem ſtantem, Antonium iacentem, poſſit dici quòd debeam ad reflexiones ſupra pupillam aut de illa cogitare, & ad diſcurſus recurrere, vt videam ſeſſionem Petri, ſtationem Ioannis, cubationem Antonij, &c. & quòd ea non tam immediatè oculis ipſis intuear, quàm intueor veſtes & colores illorum; profectò ſi lumen naturæ non dicit æquè oculis vnum ac alterum videri, non ſcio quid ſit lumine naturæ notum.

19 *An diſtinctio vbicationis videatur oculis.* Aliud argumentum contra nos, quòd ſcilicet ſi videretur vbicatio, ſequeretur nos certò noſcere, eam eſſe diſtinctam, omitto nunc, quia licet conſequentia ſit bona in meis principiis, vt initio ſectionis præcedentis dixi, non tamen ita, vt ipſis oculis diſtinctio videatur; certum enim eſt videri oculis colorem, at vtrùm color ſit aliquid diſtinctum à luce, à temperamento quatuor qualitatum, &c. non videtur; ſolùm inde infertur, eſſe aliquid reale de diſtinctione aliunde iudicandum, mihi autem, vt argumentum ſit bonum, ſufficit quòd probem vbicationem vt talem eſſe aliquid reale, quia & colorem & illam video: inde enim benè argumentor contra illos, qui eam in virtualitatibus, in puris denominationibus, in ſolis phraſibus, ſine noua entitate, in negationibus, &c. conſtituunt. Et ſatis de hoc puncto.

Vbicatio non eſt reſpectiua ad ſpatium reale ſed imaginarium. Circa naturam verò eius vbicationis aduertendum eſt, quod & fusè oſtendi ſuo loco eo Tomo Philoſophico, eam non eſſe reſpectiuam ad ſpatium aliquod reale, vti Vaſquez & alij putant, qui cenſent vinum in vaſe v. g. incluſum non mutare locum, etiamſi vas quocumque transferatur, dicimus ergo illam præſentiam vini eſſe ſolùm reſpectiuam ad ſpatium imaginarium, eo modo quo illud ſpatium ibi explicuimus, non quaſi ſit aliquid reale, ſed quod deſeruiat, vt nos poſſimus concipere vicinitatem, diſtantiam, &c. Quælibet ergo res ita eſt in loco, vt etiamſi alia mutentur, poſſit ipſa retinere ſuam vbicationem, niſi fortè talis ſit, quæ etiam eſſentialiter ſit affixa alicui alteri, vt modi ſuis ſubiectis: tunc enim per accidens illa non poterit moueri niſi moto etiam ſubiecto. At eo etiam caſu illa vbicatio modi non reſpicit ſubiectum, ſed directè ſpatium imaginarium. Hinc ad præſentiam Chriſti in Euchariſtia dicendum eſt, illam non reſpicere ipſas ſpecies, ſed ſpatium imaginarium, ac proinde quandocumque ſpecies mouentur etiam Chriſtum mutare locum: id quòd facilè poteſt hoc modo explicari, nam ſine dubio poteſt Deus relicto Chriſto ibi deſtruere ſpecies, ergo præſentia Chriſti non deſumebatur in ordine ad eas ſpecies, ſed in ordine ad ſpatium imaginarium, eodem modo quo Deus poteſt diuinitus annihilare ciſtam in qua eſt pecunia, aut vas in quo eſt vinum, & tamen relinquere vinum & pecuniam illam in ordine ad idem ſpatium cœli, aut in eodem ſpatio imaginario, in quo anteà erat. Hæc omnia facilia ſunt, de hoc tamen aliquid infrà addam.

SECTIO III.

Quæ accidentia comitari debeant rem quæ ponitur in duobus locis?

ALTERA difficultas quæ hîc moueri poteſt (ad explicandum quæ Chriſtus ſecum habet in Euchariſtia ex accidentibus quæ habet in cœlo) eſt, An, quando corpus aliquod ponitur diuinitus in duobus locis, debeant, naturaliter loquendo, in illis duobus poni omnia quæcumque habet naturaliter in vno loco vnita, an verò ſolùm aliqua, & quæ illa? Cardinalis Lugo putat debere poni omnia, niſi fortè illa ſint annexa vni tantùm loco, ac proinde ſint immobilia. Fundamentum illius eſt, quia vbicumque eſt aliqua res, debet habere totam, ſic liceat dicere, ſuam ſupellectilem. Quòd ſi obiicias, Anima rationalis eſt in capite & in pedibus, & tamen non habet in pede actus quos habet in capite; reſpondet, Animam non exiſtere in capite vt in loco adæquato, ſed vt in partiali; eam autem doctrinam, quòd quælibet res, vbicumque ſit, debeat habere ſecum ſuam ſupellectilem, intelligendam tantùm eſſe de loco adæquato, non de inadæquato: non enim eſt neceſſum, vt in qualibet parte domus vbi habitat Imperator ſit culina, eſt tamen neceſſum, vt in qualibet domo vbi habitat ſit culina. Confirmat autem ſuam doctrinam, quia Tridentinum ex ſola vnione animæ Chriſti cum corpore & cum ſanguine colligit debere naturaliter per concomitantiam poni animam vbi eſt corpus, & corpus vbi eſt ſanguis, &c. 20 *Sententia Cardinalis Lugo, omnia accidentia immobilia poni, & eius fundamentum.* *Confirmatio ex Concilio Tridentino.*

Ego verò docui hanc doctrinam valdè eſſe dubiam, & probabilius dixi eſſe vtendum hac diſtinctione: Vel enim ea accidentia ſunt de naturali complemento eius ſubiecti, ita vt ſine illis quodammodò eſſet violentum; vel ſunt purus ornatus, non debitus naturaliter; vti ſunt actus viſionis, cognitionis, amoris in homine. De primis *Doctrina Cardinalis Lugo dubia. In hac quæſtione diſtinguenda ſunt accidentia.*

Digitized by Google

primis dixi probabilius longè eſſe, naturaliter debere poni vbicumque eſt ſubiectum per præſentiam adæquatam; quia ratio naturalis dictat ſubiectum illud exigere, vt vbicumque ponitur: ſit cum ſuo complemēto naturaliter ſibi debito, de accidentibus verò aliis, quæ ſunt extra exigentiam ſubiecti, dixi probabilius eſſe, non poſſe naturaliter poni in duobus locis: cuius ratio videtur mihi valdè efficax; nam poſitio cognitionis v. g. in duobus locis eſt omninò ſupernaturalis, non ſolùm ratione ſubiecti, ſed etiam ratione ipſiuſmet cognitionis; vnde eſto albedo conſeruaretur ſine ſubiecto, eſſet nouum miraculum illam ponere in duobus locis; ergo ex eo quòd ſubiectum eius cognitionis ponatur miraculosè in duobus locis, adhuc reſtat (vt ſic dicam) miraculum nouum in poſitione eius cognitionis in eis duobus locis; ergo, niſi aliquid aliud detur quod exigat quodammodò ſuperari eam nouam difficultatem, quæ in ea poſitione conſiſtit, debebimus ſanè dicere, nouum eſſe miraculum neceſſarium ad eam poſitionem accidentis in duobus locis; atqui ſi ſubiectum non exigit ea accidentia (quia, vt ſupponimus, ſunt tantùm ornatus illius quodammodo ſuperfluus) non apparet, cur debeat ſubiectum adeo ſtrictè petere eam accidentium replicationem, vt facilius ſit illud miraculum in noua poſitione accidentis conſiſtens, quàm quod in vno loco careat huiuſmodi ornatu; maximè cum non ſolum in

Accidentia, quæ non ſunt de complemento ſubiecti, non eſt neceſſe replicari.

21 vno, ſed & in omnibus poſſit illo carere naturaliter ſine vlla planè violentia. Profectò hæc ratio ſic à me deducta non poteſt non videri cuilibet valdè probabilis. Et verò eam ipſomet exemplo Cardinalis Lugo valdè efficaciter confirmo; licet alioquin exemplum illud in rigore non multum vrgeat, quia eſt comparatio quædam, quæ non in omnibus tenet; ſi tamen valet pro vno Auctore, debet valere pro altero, igitur ait non eſſe neceſſum, vt in qualibet domus parte, vbi Imperator v. g. habitat, ſit cœnaculum & culina, eſſe autem neceſſum vt in qualibet domo ſit cœnaculum aut culina. Ex hoc exemplo ego ſic argumentor; Quando Imperator vltra ſuam domum, vbi habet ſuam aulam, ſuam reſidentiam, habet aliquas alias domos ex ſuperabundantia pro venatione, pro recreatione, &c. eſto in eis etiam debeat habere cœnaculum, culinam, lectos, ſellas, &c. quia his rebus indiget: & hoc do ei inſtantiæ; non video tamen vnde intulerit Cardinalis eſſe neceſſarium vt ornatum quaſi ſuperfluum; quem habet in ſua ordinaria reſidentia, picturas, tapetia, &c. habeat etiam in aliis domibus; imò nec habere ſolet, nec expedit quodammodo vt habeat; ergo licet quando præter reſidentiam, ſic dicam, ordinariam ſubiecti, ſeu præter locum illum, in quo naturaliter ſubiectum reſidet, Deus dat illi diuinitus vnam aliam reſidentiam, vnum aliud vbi, eſto debeat illi tunc dare culinam, tectum, &c. id eſt accidentia omnia, quibus pro ſuo connaturali ſtatu indiget, ne ponat illud ibi violenter; at non eſt neceſſum vt illi det etiam ibi omnem ornatum quaſi ſuperfluum, quem alibi in ſua naturali reſidentia habet ſubiectum illud, & ſine quo etiam in domo illa ordinaria poterat adhuc naturaliter exiſtere. Nonne hæc inſtantia ſic explicata magis plauſibiliter probat meam ſententiam, quàm illam pro qua vſurpata eſt ab hoc Auctore? Vbi obiter noto (quod ſæpè dixi) non debere nos in explicationibus difficultatum

Confirmatur doctrina tradita exemplo, quo Cardinalis Lugo pro ſua ſententia vtitur:

Videturque magis fauere noſtræ, quam ipſius ſententiæ.

ſolidarum ſimilibus comparationibus multum fidere, quia ſunt veluti naſus cereus; poſſunt enim duobus tribuſue verbis mutatis in omnes formas etiam contrarias ſubigi: & hinc apparet reſponſio ad id quod nobis objicit hic Auctor, ſcilicet, non eſſe rationem vllam, cur res replicata petat ſecum replicari accidentia quibus indiget, non verò alia ſibi vnita: oſtendimus enim ratione illius complementi compenſari eam repugnantiam naturalem, quam poterat habere illud accidens, vt duobus in locis poneretur.

Sed iam videamus quid amplius contra noſtram ſententiam replicari poſſit. Dicunt ſequi 22
ex ea, Chriſtum in Euchariſtia non eſſe de facto cum gratia habituali, & aliis perfectionibus ſupernaturalibus, quas habet in cœlo; id quod videtur valdè nouum. Reſpondeo negando conſequentiam; imò ex noſtra ſententia ſequitur contrarium; dixi enim ea accidentia debere replicari, quæ exiguntur naturaliter à ſubſtantia quæ replicatur; cùm ergo corpus Chriſti naturaliter exigat animam, & ambæ exigant complementum ſubſiſtentiæ diuinæ, neceſſario debent omnia hæc replicari: ſubſiſtentia item diuina communicata Chriſto exigit naturaliter vt proprias paſſiones gratiam habitualem, lumen gloriæ, viſionem beatam, vt docent Theologi, ergo debent hæc omnia replicari tanquam neceſſaria ad complementum naturale eius ſubiecti, iuxta noſtram doctrinam, quod verò attinet ad reliquos actus, qui ſunt indebiti etiam ſuppoſita vnione hypoſtatica, facilè dixerim non poni in Euchariſtia, nec video cur id debeat offendere aliquem: & ſanè ſi attentè legamus verba Tridentini Seſſione 13. cap. 3. vbi de hac re loquitur, totum quantum nobis videtur fauere; nam ad inferendum poni aliqua per concomitantiam in Euchariſtia hanc habet rationem, *Vi naturalis connexionis, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur*, &c. Nota terminum *Vi connexionis*: connexio certè non eſt cum re quæ accidentaliter, & contingenter, & extra exigentiam conuenit ſubiecto: deinde id amplius declarant illa verba, *Iam non amplius moriturus copulantur*: ac ſi diceret, Quia iam Chriſtus eſt immortalis, neceſſum eſt vt non poſſint etiam in Euchariſtia ſeparari partes illæ. Hæc autem ratio ceſſat in his actibus quos Chriſtus habet ſine connexione cum illis, & quos nunc habet, nunc deponit. Vides ergo quàm conſequenter tota hæc doctrina tradatur?

Obiectio prima:

Soluitur. Chriſtus in Euchariſtia eſt cum gratia habituali quam habet in cælo.

Noſtra doctrina conformis eſt Concilio Tridentino.

Replicabis: Catechiſmus Romanus, 34. de 23
Euchariſtia, ex ſola vnione colligit debere vnum poni vbicumque alterum. Reſpondeo Primò, Catechiſmum etiam eſſe contra hunc Auctorem: non enim facit diſtinctionem inter loca adæquata & inadæquata, quam tamen facit hic Auctor: nec perſuadeo mihi Auctores Catechiſmi ſenſiſſe, ſi Angelus non poſſet vnquam eſſe niſi extenſus per ſpatium ſcholæ v. g. non habiturum per totam ſcholam ſuos actus, non obſtante vnione; iam verò de facto eos habere, eo quod poſſit ſe coarctare. Vide quæ paulò poſt dicam. Ergo Catechiſmus non eſt pro ſententia eius Auctoris, fortè magis contra illum quam contra nos; vel ſi illi licet explicare Catechiſmum de præſentia adæquata aut de inadæquata, licet nihil de illa Catechiſmus dixerit; cur non mihi licebit

Replica ex Catechiſmo Romano retorquetur in Aduerſarios.

Explicatur Catechiſmus

Digitized by Google

cebit explicare de vnione cum connexione, maximè cùm id ſit Tridentino conforme, vt oſtendi? Reſpondeo Secundò, Eſto Auctores eius Catechiſmi ita ſenſiſſent, nullam inde noſtræ doctrinæ notam inurendam, vt ipſe Cardinalis reſpondet, dum eadem auctoritas eiuſdem Catechiſmi ipſi obiicitur contra tranſitum immediatum aquæ in ſanguinem Chriſti.

Obiectio ſecunda:

Secundò obiiciunt, ſequi ex noſtra doctrina, humanitatem debere eſſe vbicumque eſt Verbum. Si reſpondeas, Verbum non exigere quaſi pro complemento ſuo naturali humanitatem, ac proinde non eſſe neceſſum vt hæc ponatur vbicumque eſt Verbum; Contrà inſurgunt; Nam ſaltem ipſamet vnio hypoſtatica exigit natura ſua Verbum; ergo accommodabitur naturæ Verbi; ac proinde erit in omnibus locis, in quibus eſt Verbum, vt actus Angelici ſunt naturaliter in omnibus partibus loci, in quibus eſt Angelus per præſentiam ſuam naturalem extenſam. Reſpondeo Primò, Hoc argumento multò magis vrgeri eius Auctorem: hic enim maiorem abſolutè exigentiam replicationis ponit quàm nos, magis ergo debebit laborare in ſolutione illius: vnde non capio quomodo ſit contra nos ſpecialiter poſitum.

Retorquetur in eius Auctorem:

24 Dicunt, Verbum eſſe in toto mundo quaſi in vno loco adæquato, quia non poteſt non eſſe in toto mundo, ac proinde neceſſum non eſſe vt vbique habeat humanitatem, ſicut non eſt neceſſum vt in qualibet parte domus ſit culina, Angelum verò ita eſſe in qualibet parte ſcholæ v. g. vt quælibet ſit ſpatium adæquatum eo ſenſu, quòd naturaliter poſſit in eo ſolo manere ceſſante altero. Verùm hæc ſolutio meo iudicio non ſatisfacit, Primò, quia quòd Angelus habeat in tota ſchola omnes ſuos actus, nunquam ab vllo Auctore factum eſt dependens ab eo, quòd contrahere ſe ille poſſit ad minus ſpatium, quia reuerà hæ duæ difficultates videntur inter ſe planè diſparatæ: qui item docet, ſi per impoſſibile Deus cognoſceret per actus à ſe realiter diſtinctos, non habiturum illos actus vbique, quia neceſſariò eſſet vbique extenſus? quis non videat ad nimis diſparatas quæſtiones alligari eam veritatem de non exiſtentia humanitatis Chriſti vbique cum Verbo? nónne magis connaturaliter diſcurremus, ſi dicamus, etiam eo caſu Deum & Angelum, quantumuis ſe non poſſent coarctare, habituros tamen vbique ſuos actus, quia illi tanquam proprietates Dei & Angeli participant naturaliter ſui ſubiecti naturam, vt ſicut hoc naturaliter poteſt habere vbi extenſum ita & illa? Profectò hic diſcurſus valdè eſt rationi naturali conformis; ergo adhuc replica ſuprà facta vrget hos Auctores non minùs, ſi non magis quàm nos.

Et ſolutio reijcitur.

Obiectioni abſolutè reſpondetur, Vnionem hypoſtaticam non exigere alibi eſſe quàm vbi eſt vtrumque ſuum extremum:

Ei abſolutè reſpondemus, Vnionem hypoſtaticam (quam ea præciſa ratione diſtinctam ponimus, quia hoc, quod eſt actu eſſe vnita ea duo extrema, eſt ab vtroque ſeparabile) non exigere naturaliter alibi eſſe quàm vbi exigit eſſe vtrumque ſuum extremum, maximè autem illud à quo materialiter pendet, vnde cùm humanitas natura ſua non petat eſſe vbique, non poteſt id vnio petere naturaliter, etiamſi Verbum, quod eſt alterum extremum, id petat: & ſicut ea vnio non exigit durare quamdiu durat Verbum, ita nec eſſe vbi hoc eſt: nihil ergo penitus inde contra nos, quia ea ſolùm diximus accidentia eſſe naturaliter vbicumque naturaliter eſt ſubiectum, quæ ſunt propria eius ſubiecti, & adæquatè illius, non quæ ſunt per modum nexus, & pendent eſſentialiter ab aliis, quæ non poſſunt naturaliter eſſe in duobus locis. Ecce quàm facilè defendatur noſtra ſententia. Denique cùm nos, vt dixi, minùs multiplicemus replicationes accidentium, non video quomodo hæc replica contra nos fiat, vt dixi ad præcedétem obiectionem.

Nunc pro complemento oportet videre quomodo reſpondeatur argumento, quod feci contra eos Auctores, inde deſumpto, quòd Angelus 25 non minùs exiſtit in tota ſchola tanquam in ſpatio adæquato aut inadæquato, quàm exiſtat anima rationalis in toto corpore: ſicut enim Angelus poteſt naturaliter eſſe in vna parte eius ſpatij non manendo in altera; ita poteſt anima manere in capite, etiamſi abſcindatur digitus; & tamen anima non habet in digito actus amoris, &c. quos habet in capite; Angelus verò è contrario habet neceſſariò in qualibet parte ſcholæ ſuos omnes actus; ergo ea diuerſitas de ſpatiis adæquatis aut inadæquatis, qua hi explicant præſentem quæſtionem, non eſt ſufficiens. Huic argumento reſpondent, animam rationalem non exiſtere in qualibet parte corporis vt in adæquato ſpatio, quia ſuppoſita vnione animæ cum corpore integro manere non poteſt in ſpatio ſolo capitis, ſed debet eſſe in ſpatio totius corporis, vel debet corrumpi ea vnio: at Angelus ita eſt in qualibet parte ſpatij, vt poſſit eſſe in ea ſola pro ſuo libitu. Hæc tamen ſolutio nequaquam ſatisfacit, quia reſpondet idem per idem dum ait, ſuppoſita vnione illius animæ cum corpore integro non poſſe non eſſe in toto corpore; hoc eſt, ſi illa eſt in toto corpore, non poteſt non eſſe in toto corpore: de qua propoſitione dubitat nullus: quòd autem huic vltimæ æquiualeat illa prior, patet; quia cùm nulla omnino res poſſit vniri phyſicè extremo diſtanti, idem eſt dicere, Debet eſſe in toto corpore ſuppoſita vnione cum illo, ac dicere, Suppoſito quòd ſit vbicumque eſt totum corpus, debet eſſe in toto illo.

Argumentum contra Aduerſarios de Angelo in ſchola & anima in corpore.

Solutio Aduerſariorum ad argumentum contra ſe factum reſpondet idem per idem.

Vt verò melius adhuc id intelligas, oportet 26 duo conſiderare in anima: vnum eſt, quòd perficiat ſeu informet corpus integrum; alterum, quòd informet caput vel pectus: quod vltimum ſine dubio ſeparabile eſt à primo. Hoc ſuppoſito argumentor euidenter; Data vnione animæ in capite, & vbicatione eiuſdem in capite, manere poteſt ſine vnione ad pedes, & ſine vbicatione ad pedes, iuxta dicta; ergo vnio illa & vbicatio illa in capite eſt per modum vbicationis & vnionis adæquatæ, quia hic Auctor expreſsè diſput. 8. num. 7. in hoc formaliſſimè conſtituit præſentiam adæquatam pro præſenti intento, quòd ſola poſſit ſufficienter manere ablatis aliis, hoc autem & vnioni illi animæ cum capite & vbicationi illius in eo loco conuenit reſpectu pedis. Vides ergo adhuc nullam aſſignari diuerſitatem inter Angelum in ſchola & animam in toto corpore. Faciliùs ſanè reſpondetur, Angelum ideò habere ſuos omnes actus in qualibet parte ſcholæ, quia illi, vtpote proprietates ipſius, participant de indole, vt ſic dicam, illius, & poſſunt naturaliter eſſe vbicumque ille eſt: in homine autem, quia actus, quos elicit, etiam ſpirituales pendent aliquo modo à materialibus phantaſmaribus, quæ ſolùm ſunt in capite, & non in pede, non ponuntur in pede; quia non poſſunt connaturaliter eſſe vbi non eſt principium à quo pendent. Vide quæ de hoc puncto dixi Tomo Philoſophico, vbi rem hanc exactè diſcuſſi.

Neque aſſignat diſparitatem inter Angelum in ſchola & animam in corpore, quam non aſſignamus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

Reſpondetur cuiuſdam nouis obiectionibus contra dicta.

27 *Ioannes de Dicaſtillo impugnat Cardinalem Lugo & noſtram ſententiam.*

CVM hæc typis diſpoſita haberem, ad meas manus venere quædam folia impreſſa ex Tractatu 4. de Sacramentis P. Ioannis de Dicaſtillo, quibus hanc quæſtionem de vbicationis diſtinctione & de effectu formali illius, licet Philoſophicam, fusè diſcutit, & in Cardinalem Lugo deinde in me inuehitur, quaſi in hac quæſtione nihil niſi idem per idem dixerimus. Cùm autem pro intelligentia eorum quæ diximus hucuſque, maximè circa poſitionem in duobus locis eiuſdem corporis & accidentium illius vtile ſit futurum eis obiectionibus reſpondere, iudicaui operæ pretium fore aliquantulum adhuc in hoc puncto hærere.

Primò ergo, cùm Cardinalis Lugo dixiſſet ſpatium imaginarium nihil aliud eſſe quam integram claſſem vbicationum poſſibilium inter ſe eſſentialiter diuerſarum, quarum vna habet ex ſua natura præſtare hunc effectum, quem vocamus eſſe hic; altera habet præſtare illum quem dicimus eſſe ibi; vnde vlteriùs colligimus, neque hanc poſſe eſſe ibi, neque illam hic, eo modo quo claſſis colorum omnium, quorum vnus, albedo v. g. habet ex ſua eſſentia dare effectum albi; alter, nigredo v. g. nigri, &c. ideoque vnus non poteſt facere quod alter color præſtat: cum hæc inquam Cardinalis optimè tradidiſſet hic Auctor ait ſe non trahendum in partes Cardinalis tota claſſe etiam vbicationum, ſicut non eſt tractus vna aut altera vbicatione. Secundò addit, totum hoc nec verum nec ad rem præſentem eſſe: non verũ, quia præſentiæ omnes poſſibiles non differunt inter ſe; omnes enim ſunt eiuſdem rationis: nam præſentia quam haberet totus hic mundus, ſi à Deo moueretur aliò, eſt eiuſdem rationis cum ea quam habet de facto: nec enim niſi dicendo idem per idem explicari poteſt, cur illæ inter ſe differant. Quod verò tota ea claſſis non ſit ad rem præſentem probat: non enim dicimus albedinem differre à nigredine, eò quod ea pertineat ad claſſem albedinis; hoc enim eſſet dicere idem per idem; ſed quia eſt diſgregatiua viſus, quo differt à nigredine, rubedine, &c. At claſſis vbicationum in hoc loco non explicatur à Cardinale niſi ex eo, quod hæ vbicationes v. g. pertineant ad claſſes vbicationum poſſibilium in hoc loco; hoc autem eſt dicere idem per idem.

Dicaſtillo aſſerit omnes præſentias poſſibiles non differre inter ſe.

28 *Impugnatur Dicaſtillo etiam in ſententia negantium vbicationes diſtingui.*

Circa quam impugnationem miror, quòd hic Auctor dixerit eas diuerſas vbicationes hic & in ſpatio vicino eſſe eiuſdem omnino rationis, & ad eamdem claſſem pertinere, cum inter Auctores, qui vbicationes diſtinctas ponunt, ſit primum principium, eam, qua ſum hic Pragæ, nec diuinitus poſſe me ponere Romæ; alias illæ vbicationes rurſus indigerent noua alia vbicatione, qua potiùs determinarentur ad hunc locum quam ad alterum: & verò, in rigore loquendo idem etiam eſt dicendum in ſententia negantium vbicationes diſtingui, nam etiam illi Auctores ponunt aliquid ſiue negatiuum, ſiue ad denominationes extrinſecas pertinens; à quo dicunt prouenire, quod ſim hic, & non Romæ; illud autem quodcumque ſit, haud dubiè non eſt indiferens, vt me conſtituat Romæ. Non diſputo autem nunc, Vtrùm duæ hæ vbicationes ſint diſtinctæ ſpecie, an verò ſolo numero: ſufficit enim mihi, quod vna ſit determinata ad hoc ſpatium, altera ad illud; vt in cognitionibus conſtat, nam eſto ea, quæ cognoſcit Franciſcum, non diſtinguatur ſpecie ab ea quæ cognoſcit Antonium, aut Ioannem, certiſſimũ tamen eſt, eam, quæ verſatur circa Petrum, non poſſe vllo modo mutato obiecto verſari circa Ioannem aut Franciſcum; ac proinde poſſe nos iure merito dicere, eſſe claſſes cognitionum diuerſas, etiam intra eamdem ſpeciem, vnam claſſem earum quæ reſpiciunt Petrum, alteram earum quæ reſpiciunt Gabrielem, Ioannem, &c. iure ergo meritò dixit Cardinalis diuerſam eſſe claſſem vbicationum, quibus conſtituor hic à claſſe illarum, quibus conſtitui poſſum Romæ, aut Matriti, ſiue, iuxta dicta, differant ſolo numero, ſiue etiam ſpecie: quod dubium non ſpectat huc. Vnde colligo, ſi hic Auctor dicere voluit, mundum hunc per eamdem numero vbicationem, quam nunc habet in hoc loco, poſſe à Deo moueri ad alium diſtantem locum, colligo inquam illum improbabiliter planè diſcurrere; omnes enim, qui de vbicatione diſtincta cogitarunt, ideò præcisè illam poſuerunt, vt determinaret ſubiectum ad hunc locum; ſi autem poſſet eadem eſſe in alio, iam non haberet eam vim determinandi, ſed indigeret ſecunda vbicatione ſuperaddita; de qua rurſus idem argumentum in infinitum fieri poſſet.

Defenditur Cardinalis Lugo.

29 *Qui rem explicat prout explicari poteſt.*

Secundò circa alteram impugnationem, deſumptam ex eo, quod Cardinalis explicaret idem per idem, dico, Cardinalem in hac materia explicaſſe rem prout explicari poteſt, & optimam attuliſſe inſtantiam ex claſſe colorum; & re benè perpenſa, idem eſſe in odoribus, ſonis, &c. id quod ſtatim apparebit refutando ſolutionem huius Auctoris, qui ait ſe claſſem albedinis explicare per hoc, quod ſit diſgregatiua viſus, quo differt ab aliis. Benè eſt; admitto hoc in albedine; at rogo illum, Quomodo mihi diſtinguet rufedinem à cæruleo colore, à viridi, à rubro? quomodo odorem pomi ab odore citrini, ab odore roſæ? &c. Nonne debet dicere (quod ſæpè in aliis materiis ego notaui) nos in omnibus noſtris declarationibus debere tandem ſiſtere in aliqua re ex ſe adeò clara vel ex ipſa experientia, vel ex explicatione terminorum, vt vlterius non poſſimus aliam explicationem quærere; alioquin daretur proceſſus in infinitum in omnibus declarationibus? quod eſſet abſurdiſſimum. Hinc fit vt ego diſtinguam ſonum organi à ſono harpæ à voce humana, vocem Petri à voce Ioannis: ſi interroger, in quo conſiſtat ea differentia, non potero vel verbum amplius dicere, quam me id ipſa experientia diſtinguere, & per ſe rem illam eſſe ex terminis notam. Vnde è contrario cum his, qui huiuſmodi experientias non poſſunt habere, non poſſumus nos quidquam de his rebus dicere. Quomodo (rogo hunc Auctorem) ipſe alicui cæco à natiuitate declarabit differentiam violacei & flaui coloris? aut olfactu carenti differentiam inter odores citrini & roſæ? His poſitis ad rem noſtram dico, hoc, quod eſt me & Petrum, Franciſcum, &c. ſedere, ſtare, iacere, eſſe hic, eſſe Romæ, Matriti, &c. ipſis oculis eſſe adeò notum, vt ampliùs explicari in ordine ad alia connotata non poſſit, non aliter quàm explicari non poteſt diuerſitas flauedinis à colore rubro vel violaceo. Sicut ergo quando video duas

Experientia colores diſtinguuntur, ſicut & vbicationes.

duas flauedines, dico illas pertinere ad claſſem flauedinis mihi ex ſenſibus notæ, non verò ad claſſem rubedinis etiam mihi ex ſenſibus notæ; & ibi omnino ſiſto; ita quando video Petrum hodie & cras in hoc eodem loco, dico illum hodie & cras habere duas vbicationes numero diuerſas, pertinentes tamen ad eamdem claſſem illarum, quæ faciunt eſſe in hoc loco, & non in alio; quid autem hoc ſit, non poſſumus vlteriùs declarare niſi recurrendo ad ipſos oculos: nã iuxta ea quæ ego ſuprà tradidi, non minus per illos videtur vbicatio quam color; nam ſi Petrum video à dextris Ioannis, & poſteà mutent è contrario locum, tam clarè hoc diſcerno, quam ſi Petrus anteà fuiſſet flauus, iam verò albus: ſi autem rurſus interroget, quid ſit illum iam eſſe à dextris, non potero ampliùs dicere, quam eum habere vbicationes tales, & Petrum tales, anteà verò habuiſſe quaſi contrarias; ſicut iam habet illum colorem quem oculis noſco eſſe flauum, anteà habuit quem oculis noui eſſe album aut viridem. Vides quam benè & clarè in hoc puncto & Cardinalis Lugo & alij, qui vbicationes diſtinctas ponunt, diſcurrant?

Non minus videtur per oculos vbicatio quam color.

30 Videamus iam quid contra me dicat ſequenti §. articulo 9. cum ait, Promiſiſſem velle me declarare quid ſit vbicatio, nihil aliud poſteà me præſtare, quam oſtendere vbicationem diſtingui à Petro; & in ſeptima ſubiectione me totum occupari, vt probem vbicationem non eſſe modum, ſed rem; aitque ſe deceptum ſua ſpe, dum nec ſectione 3. agens de ſpatio imaginario, quidquam dico de ea eſſentia; miraturque vehementer, quomodo ego dixerim ſpatium imaginarium eſſe quid fictum ad ſimilitudinem ſpatij realis. *O bone*, inquit, *concipis ſimilitudinem inter ſpatium reale & imaginarium, vt ex ea ſimilitudine concipias hoc ad modum illius; ergo priùs concepiſti extrema vt agnoſceres ſimilitudinem: quomodo ergo priùs concipiebas ſpatium?* Reſpondeo, Me ſufficienter declaraſſe quod promiſi. Quæ enim maior declaratio vbicationis quam dicere, Eſt forma quædam accidentalis diſtincta à ſubiecto, non vt modus, ſed vt res, per quem conſtituor hic? Iam dixi, illud eſſe hic aut eſſe Romæ, &c. videri oculis noſtris, nec poſſe amplius explicari, vt in albedine; certè ſuppoſita notitia intuitiua albedinis, quam habemus, aut, ne mihi recurrat ad vim diſgregatiuam viſus, ponamus exemplum in rubedine, aut viriditate, qui diceret eam non eſſe reflexionem lucis, ſed qualitatem quamdam accidentalem ſuperadditam, ſufficienter declararet illius naturam: neque circa vbicationem aliud quærunt qui diſputant, quid ea ſit, vtrùm negatiuum quid, vtrùm denominatio extrinſeca, an forma realis poſitiua diſtincta, & qua diſtinctione. Totum hoc declaraui; quid ergo aliud quæſiuit hic Auctor tam auidè? Secundum quod obiicit de ſpatio imaginario, magna æquiuocatione laborat: quando enim aliquid ad ſimilitudinem alterius concipitur, aut fingitur, non eſt neceſſum vt vtrumque priùs iam ſit conceptum, & poſtea concipiatur ſimilitudo vtriuſque, vt minus benè inſinuauit hic Auctor, ſufficit enim concipere vnum iuxta quod aliud fingitur: vt cum quis fingit hircocervum, non ſupponitur quod antea illum finxiſſet, ſed priùs nouit ceruum, nouit etiam hircum, deinde ipſa fictione format, ſeu dat eſſe obiectiuum hircoceruo; ita dicimus in præſenti. Spatium reale oculis intuemur, ſed quia illud mobile eſt,

Defenſio ſententiæ & promiſſionis noſtræ contra eumdem Dicaſtillo.

Laborat æquiuocatione.

Explicatur quid intelligatur nomine ſpatij imaginarij.

nos ei addimus per cognitionem fixibilitatem, & omnimodam immobilitatem, & ſic formamus conceptum ſpatij imaginarij, vt hoc modo explicare vtcumque poſſimus, quid ſit eſſe hic, quid Romæ; & ita quidem, vt licet ipſa ciuitas Romana ſecundum ædificia ſeu ſpatiũ ſuum reale moueretur aliò, adhuc ego poſſem manere cũ illa ipſa vbicatione, quã anteà habebã ad hoc cõmodè explicandum concipimus nos illud ſpatiũ imaginarium: nonne hæc doctrina ſatis eſt clara? aut quæ eſt hic tantæ exclamationis occaſio?

Tertiò, poſteà putat me manifeſtè mihi ipſi contradicere, & vno in loco facere vbicationes alligatas ſpatio, in alio verò ſolutas, quando agens de his accidentibus ſeu formis, quæ poſſunt aut debent replicari naturaliter, ſuppoſito quod ponatur corpus in duobus locis, dixi ea ſolum accidentia poſſe poni, quæ non ſunt alligata ſpatio, vbicationes verò, quia alligatæ ſunt, non poſſe poni; cum tamen dixerim alibi, vbicationes nullum planè ordinem realem aut alligationem habere ad ſpatia imaginaria, quæ in ſe nihil niſi purum ens rationis ſunt. Vnde hic Auctor cum admiratione exclamat; *Papæ! quid video? quis vnquam putaſſet inter pontifices Philoſophiæ, qui ſublicios nobis pontes faciunt, aliquem fore pontificem, qui tantam haberet ligandi atque ſoluendi poteſtatem, vt eamdem rem ſimul & ligatam & abſolutam eidem termino faceret, aut declararet? Verum hanc pontificiam definitionem ſeu declarationem ego vt non aſſequi, ita nec ſequi poſſum.* & addit; *Hoc ipſum mirari licet in Lugone*, &c. Reſpondeo, Hunc Auctorem quæſiuiſſe, vt dici ſolet, nodum in ſcirpo. Quo ſenſu vbicationem dixerim cum Cardinali Lugo, Suario, & aliis benè ſentientibus eſſe alligatam loco, clariſſimum eſt, ſcilicet per eam vbicationem, qua ſum hic Pragæ, non poſſe nec diuinitus eſſe Romæ: vt enim dixi immediatè antè, ſi hæ vbicationes eſſent ad hoc indifferentes, deberent habere duas alias quibus determinarentur; de illis autem rediret iterum argumentum in infinitum. De his autem iure merito dico, ſi ego ponar Romæ ſimul & Pragæ, non poſſe ibi poni mecum eam vbicationem quam Pragæ anteà habebam, & quam nunc etiam retineo ſimul cum Romana. Et quod hoc punctum non erat neceſſe recurrere ad eos caſus miraculoſos, de poſitione eiuſdem rei in duobus locis; quia in motu naturali ſucceſſiuo eſt eadem difficultas. Quando enim ego me moueo hinc, accipere ſeu retinere poſſum mecum omnia accidentia, quæ non ſunt alligata huic loco, hoc eſt omnia quæ habeo, excepta vbicatione & actione productiua eiuſdem: in quo omnes conueniunt. Quando verò dicere è contrario videmur, vbicationem illam non eſſe alligatam, ſolùm dicimus, eam non habere aliquem ordinem realem eſſentialem ad ſpatium imaginarium; quandoquidem hoc nihil eſt; ideoque iure dicimus eam realiter abſolutam: per hoc autem optimè ſtat, quod vbicatio, qua ſum hic, non poſſit me Romæ conſtituere; ſicut (vt exemplis ſuprà allatis inſiſtamus) quod flauedo non poſſit eſſe rubedo, habent ex ſua natura, etiamſi non habeant vllum reſpectum eſſentialem ad diuerſos terminos poſitiuos, per quorum reſpectum differant. Quid autem ſit me eſſe hic, me eſſe Romæ, iam paulò ſuperiùs contra eumdem dixi id ipſis oculis cerni, & eſſe adeò clarum, vt amplius non valeat declarari, ſed ſolùm poſſit

31 *Gratis arguit noſtram doctrinam contradictionis.*

Quærit nodum in ſcirpo.

Recurrit ad caſus miraculoſos.

Digitized by Google

poſſit diſputari, Vtrùm id proueniat à forma aliqua poſitiua, an à negatiua, &c. id quod ego ſatis eis locis teſte etiam hoc Auctore declaraui. Vides ergo non eſſe vllam contradictionis apparentiam in ea doctrina mea, neque ad pontifices Philoſophiæ aut ſimiles terminos in re ſeria recurrere oportere.

32 Tandem concludit hic Auctor, hanc difficultatem eſſe ſicut quadraturam circuli, quid ſcibile, non tamen ſcitum: nam ſi argumenta ponderentur pro diſtinctione vbicationis, fateor, ait, eſſe inſolubilia; ſi argumenta ponderentur imaginarium eſſe nihil, ſunt efficaciſſima; ſi quæ probant eſſe aliquid, ſunt efficaciſſima: quocumque ergo homo ſe vertit pungitur, quia vbique eſt ſenticoſa via. Iudico tamen hunc Auctorem & duas quæſtiones confundere in vnam, & immeritò ita exaggerare earum difficultatem. Vna quæſtio eſt, An vbicatio poſſit ſaluari ſine entitate diſtincta per ſolas negationes aut denominationes extrinſecas; ad quas recurrunt illi, qui eius diſtinctionem negant. Altera quæſtio, & planè diſtincta eſt, Quomodo ſine ordine reali poſſit explicari, quod vbicatio, quæ me ponit hic, non me poſſit ponere Romæ. Quod ergo hæ duæ quæſtiones ſint inter ſe plane diſtinctæ eſt certo certius meo iudicio; nam ſiue dicamus me eſſe hic per vbicationem modalem, aut perfectè accidentalem ſuperadditam, ſiue dicamus id fieri per negationes, vel per denominationes alias; certum tamen debet eſſe apud omnes, id ipſum, per quod hic mundus v. g. eſt in hoc loco (quidquid illud ſit) non poſſe aut potuiſſe eumdem mundum conſtituere in alio loco; in quo ſi Deus nunc crearet alium ei vicinum, conſtitueretur hic ſecundus. Suppoſito ergo, quod ea forma, quæcumque illa ſit, quæ conſtituit hic, non poſſit conſtituere alibi; profectò iam independenter ab eo, quod illa ſit modus, aut res, aut negatio, reſtabit tota difficultas ſecunda, quomodo ſcilicet id ſit declarandum ſine alligatione vlla ad ſpatium imaginarium. His ſuppoſitis,

Dicaſtillo duas quæſtiones in vnam confundit.

Quæſtio, Quid vbicatio ſit, caret myſterio.

Dico Primò: Quæſtio, An vbicatio debeat eſſe res ſiue modalis, ſiue accidentalis realis, necne, nullum habet myſterium: nam pro affirmatiua parte ſunt optima eaque efficaciſſima argumenta, vt & hic Auctor fatetur; pro parte verò oppoſita nihil eſt quod difficultatem ingerat vt ſuo loco probaui. Difficultas autem de ſpatio imaginario, quam adeò exaggerat hic Auctor, habet locum, eſto dicamus hoc, quod eſt me eſſe hic, non venire à poſitiua forma ſuperaddita; nam, vt immediatè dixi, etiam tunc oportet aliquid concedere, quod determinatè habeat vim me ponendi in hoc loco, per quod non poſſim poni Romæ. Debet ergo explicari, quomodo percipi id poſſit ſine reſpectu ad ſpatium imaginarium, quod eſt purum nihil, ob hoc ergo punctum non debet prior quæſtio dici adeò difficilis.

Dico Secundò, Neque ſecundam quæſtionem habere vllam difficultatem, niſi quatenus aliqui vellent in omnibus explicationibus rerum venire ad diuerſa connotata, in ordine ad quæ declarentur illæ res, hoc autem paulò antè oſtendi manifeſtè eſſe impoſſibile; quia ſi rurſus ipſorum connotatorum diuerſitatem ego petam mihi declarari, non poterunt ad alia recurrere, ne in infinitum abeamus; idque oſtendi clarè exemplo duorum colorum, odorum, &c. quorum differentiam non per vlteriora connotata, ſed per ſeipſos ſenſibus immediatè cognitos poſſum explicare. Dixi etiam, ex terminis nobis eſſe cognitum quid ſit hominem ſedere, quid ſtare, quid iacere, quid ſit eſſe hic, quid Romæ. Quando autem maiorem quærimus declarationem, vel ſolùm agimus, an id proueniat à forma aliqua accidentali diſtincta; & hoc pertinet ad primam difficultatem, quam iam dixi eſſe claram ob noſtra argumenta; vel quærimus, quomodo id explicemus in ordine ad ſpatium Romanum, cùm etiam ablata inde Roma poſſet manere eadem vbicatio: ad hanc autem facilè dico, nos qui ſupponimus iam illum locum quaſi ſpatium omnino fixum, declarare eas vbicationes in ordine ad illud, eſto realiter non ſunt illi neceſſariò affixæ ob rationes datas. Ob quam eamdem rationem ego dixi, nos concipere ſpatia imaginaria ac ſi eſſet ſpatium aliquod reale eſſentialiter immobile, eſto re ipſa nihil in ſe ſit; eo autem ficto explicamus vltimò (vt ſatisfaciamus his qui volunt omnes res explicari per connotata extrinſeca) diuerſitatem vbicationum perinde ac ſi haberent connexionem ſeu alligationem cum diuerſis partibus ſpatij illius, eſto re ipſa nullam habeant; ex quo capite hic Auctor putauit me minùs conſequenter loqui. Neque nouum eſt pro explicatione aliquarum rerum recurrere ad caſus impoſſibiles aut fictos; vti ad explicandum, quomodo Spiritus ſanctus opponatur Filio, recurrimus ad caſum illum impoſſibilem, an ſi per impoſſibile ab eo non procederet, diſtingueretur tamen ab illo: ita dicimus tales eſſe natura ſua vbicationes, vt ſi per impoſſibile eſſet ſpatium aliquid reale omnino fixum, vna eſſet alligata vni, altera alteri; eam autem diuerſitatem, quam haberent tunc per alligationem, habent nunc ſine vlla alligatione, quia ſunt eſſentialiter immobiles. Et hactenus de hoc Auctore pro intento noſtro, vt ad declarandam præſentiam Chriſti in Euchariſtia gradum faciamus.

33 *Vitanda explicatio per connotata, ne detur proceſſus in infinitum.*

Spatium imaginarium concipitur per modum ſpatij realis.

DISPVTATIO TRIGESIMATERTIA.

De præſentia Chriſti in Euchariſtia.

SECTIO I.

An præſentia Chriſti Domini in hoc Sacramẽto ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiã?

1 *Quid ſit ſupernaturale quoad ſubſtantiam & quoad modum?*

SVPERNATVRALE quoad ſubſtantiam illud eſt, quod ratione ſui ipſius excedit virtutem totam naturæ, ſicut gratia habitualis, lumen gloriæ, viſio beata, &c. quoad modum verò dicitur ſupernaturale, quod cùm in ſe naturale ſit, denominatione tamen ſupernaturale à modo quo hic & nunc fit; ſicut viſus cæco reſtitutus ex ſe eſt naturalis, & fortè idem numero quem anteà habuit: dicitur tamen ſupernaturalis ex modo

Digitized by Google

quo fit, quia hic & nunc non erant vires in natura ad illum producendum.

SVBSECTIO I.

Proponitur ſententia docens eam eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam.

2 Præsentiam ſeu vbicationem Chriſti Domini in hoc Sacramento ſimpliciter eſſe ſupernaturalem, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad modum, omnino certum videtur, eò quod partes corporis Chriſti ſint penetratæ inter ſe. Prætereà, nullum corpus naturaliter eſt capax ad habendas ſimul vbicationes diſtinctas, quales habet Chriſtus tam ſub diuerſis ſpeciebus, quam in cœlo & in altari. Quæſtio ergo præſens eſt, qualem ſupernaturalitatem habeat ea præſentia an quoad modum, quatenus illæ vbicationes ſunt quidem ordinariæ & naturales; modus tamen, à quo prouenit, quod ſimul exiſtant, eſt ſupernaturalis; an verò ſit præſentia altetius rationis, & in ſua entitate ſupernaturalis.

P. Herize apud Cardinalem Lugo ſibi contradicit.

Pater Herize apud Cardinalem Lugo (iam enim eum videre non potui) 1. Par. diſput. 48. num. 40. videtur ſibi in hoc puncto contradicere; ait enim vbicationem Chriſti in Euchariſtia eſſe naturalem in ſua entitate, eò quod ſit ignobilior quam præſentia Angeli indiuiſibilis in ſpatio diuiſibili: nihil autem ſupernaturale poſſit eſſe ignobilius ente naturali: ex alia verò parte ait præſentiam eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem, quia ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod in ſe continet gratiam: per quam connexionem & ordinem ad gratiam & viſionem Dei explicat ille ſupernaturalitatem.

Et meritò reiicitur à Cardinale Lugo.

Meritò reiicit vtrumque fundamentum Cardinalis Lugo; Primum quidem, quia non repugnat rem aliquam naturalem eſſe nobiliorem re aliqua ſupernaturali: id quod fusè nos variis in locis oſtendimus; & patet in Angelo & anima rationali, qui haud dubiè nobiliores ſunt quam habitus ſupernaturalis caſtitatis, imò quàm ipſa gratia. Secundum verò inde reiicitur, quia licet Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus ad cauſandam gratiam, id tamen non eſt ei præſentiæ eſſentiale: potuit enim ordinari à Deo ad alium finem Deinde potuit etiam Deus eo modo lapidem vel aliquid aliud indiuiſibiliter ponere ſine vllo planè ordine ad gratiam. Tertiò, quia ipſum corpus Chriſti & eius anima poſita ſunt eo fine in mundo, vt cauſent gratiam; & tamen non ideò ſunt dicenda ſupernaturalia in ſubſtantia. Addo, etiam poſſe ex ipſis conſecrationis verbis inſtantiam contra hunc Auctorem deſumi; nam ſine dubio verba illa, quando à me ſeriò ſupra debitam materiam proferuntur, non proferuntur alio animo quàm vt ponant Chriſtum, qui gratiam cauſet; & tamen ſunt naturaliſſima; ergo illa ordinatio ad eum finem non cauſat ſupernaturalitatem quoad ſubſtantiam in ea præſentia: hac ergo ſententia releċta,

Sententia Suarez & Cardinalis Lugo, Chriſti præſentiam in Euchariſtia eſſe entitatiuè ſupernaturalem.

3 Pater Suarez diſput. 48. ſect. 1. quem ſequitur Cardinalis Lugo ſect. 8. diſputationis 5. & alij multi, docent debere eam præſentiam eſſe in ſe ſupernaturalem, ſeu entitatiuè, eò quod ea non diſtinguitur à carentia extenſionis: atqui carentia extenſionis ex ſe eſt ſupernaturalis reſpectu corporis; ergo ea præſentia ex ſe eſt ſupernaturalis.

Argumentum hoc non vrget; nam licet Theologi communiter dicant, & quidem meritò, eam præſentiam carere extenſione, non tamen inde vel apparenter infertur, eam eſſe in ſe ſupernaturalem. Quod enim ait Suarez carentiam extenſionis non diſtingui ab ipſa præſentia poteſt habere æquiuocationem: ſi enim vnica ſit & indiuiſibilis præſentia, ſine dubio non diſtinguetur ab ea; nam extenſio formaliter conſiſtit in vbicatione, è contrario carentia extenſionis in talibus aut talibus vbicationibus: ergo ſi vnica indiuiſibilis ſit vbicatio, ſine dubio illa erit, ipſum carere extenſione; ſi tamen partes illæ corporis Chriſti quælibet habeat ſuam propriam vbicationem, licet omnes reſpondeant eidem ſpatio imaginario; profectò carentia extenſionis non erit eſſentialis cuilibet vbicationi, ſed erit denominatio extrinſeca ab exiſtentia multarum in eodem ſpatio imaginario: poterunt ergo omnes partes in eodem puncto ſpatij collocari per vbicationes naturales, per illas ſcilicet quas ſucceſſiuè omnes partes corporis Chriſti habere poſſunt in eo puncto; ſicut ſi multi homines ponantur in eodem loco, non continuo debent habere vbicationem ſupernaturalem in ſubſtantia, ſed poſſunt habere miraculosè ſimul eas naturales, quas ſine miraculo ſucceſſiuè habere poterant: quod idem eſt de partibus eiuſdem corporis, ſi manus v. g. haberet vbicationem ſuam naturalem in puncto A, quam de facto habet; & ſimul itidem caput haberet vbicationem, quam habuit anteà dum fuit in loco, in quo eſt de facto manus, aut ſaltem quam habere potuit; quia potuit ibi eſſe; potuit ergo res contingere per ſupernaturalitatem tantum quoad modum.

Pro qua ſententia argumentum Suarez patitur æquiuocationem.

Alterum argumentum Suarez non eſt efficax.

Secundò argumentatur Suarez, quia multi Theologi dicunt hanc præſentiam non ſolum eſſe ſupra naturam, ſed & ſupra captum intellectus. Neque hæc deductio eſt efficax vllo modo; nam fortè faciliùs intellectus capiet hanc præſentiam, ſi fiat per vnam aliam altioris ordinis in ſe ſupernaturalem (vt vult Suarez) quam ſi fiat per multas diſtinctas ſimul poſitas. Reſpondeo ergo ad hoc, Vt aliquid dicatur ſupra captum intellectus, ſufficere ſi ſit ſupernaturale quoad modum.

Tertium argumentum patitur difficultatem.

Tertiò, quia ſi præſentia eſſet in ſubſtantia 4
naturalis, poſſet naturaliter ab Angelo cognoſci: id quod communiter negatur. Sed in primis non videtur Suarez effugere difficultatem; nam licet præſentia ſit ſupernaturalis, Chriſtus tamen ibi exiſtens eſt naturale ens & cognoſcibile ab Angelo. Demus ergo ſententiam multorum, qui dicunt Angelum non poſſe cognoſcere intuitiuè res niſi ad certam diſtantiam. Sanè Angelus in templo cognoſcens Chriſtum poſſet vel per diſcurſum inferre, Ibi eſt ſub ſpeciebus; nam ego non poſſum illum cognoſcere niſi in tali diſtantia: atqui non eſt hic, & ibi, quia ego video carentiam vbicationis; ibi ergo debebit eſſe ſub ſpeciebus. Reſpondeo abſoluiè ex dictis in materia de Angelis, benè poſſe aliqua entia ſupernaturalia quoad modum cognoſci naturaliter ab Angelo quando exiſtunt: quod idem dico de hac præſentia, fortè tamen Deus miraculosè impedit dæmones, ne Chriſtum videant; bonos Angelos non impediri non dubito.

Quartum argumentum non eſt magni momenti.

Quartò, quia ſi in quolibet puncto hoſtiæ ponuntur per vbicationes diſtinctas omnes partes corporis Chriſti, ſequeretur in quolibet puncto reperiri infinitas præſentias, tot ſcilicet quot

ſunt

Digitized by Google

ſunt partes corporis Chriſti; imò inferretur, etiam ipſum Chriſtum habere varios ſitus in hoc Sacramento, & ſecundùm vnum ſtare, ſecundùm alterum iacere, &c. Hoc argumentum minoris eſt momenti; & miror eo vſum Patrem Suarium: ſi enim, quando Chriſtus eſt extenſus, quælibet eius pars habet vbicationem diſtinctam, proportionalis pars proportionalem vbicationem, determinata determinatam, nec inconueniens eſt hanc admittere infinitatem; quare erit inconueniens eas omnes admittere in vno tamen loco? Quod de ſeſſione & ſtatione dicitur planè non eſt ad rem; nam ſi omnes partes ſunt in eodem loco, non poteſt eſſe ſtatio, aut ſeſſio, nec nos dicimus poni omnes præſentias partium eodem planè modo, quo illas habet corpus, quando caret penetratione, ſed habere illas, quas in eodem loco ſucceſſiuè poſſunt omnes partes corporis habere, per quod impeditur ſeſſio, ſtatio, &c. nam hæ poſitiones eſſentialiter requirunt, ne vna pars corporis ſit vbi altera; ergo eo ipſo quòd omnes ſint in eodem puncto, repugnat ſtatio & ſeſſio, ſiue ibi ſint per vnicam vbicationem, ſiue per omnes poſſibiles reſpicientes illum indiuiſibilem locum.

SECTIO II.

Reiiciuntur alia argumenta pro eadem ſententia.

5 *Argumentum Cardinalis Lugo pro ſententia Suarez non vrget:*

CARDINALIS Lugo Suario ſuprà in ſententia adhærens ſicut eam probat; quia præſentia naturalis manus v. g. non eſt naturaliter vnibilis cum præſentia brachij in eodem loco: cùm enim naturaliter non poſſint illæ duæ præſentiæ eſſe in eodem loco; neque etiam naturaliter poterunt vniri: atqui omnes præſentiæ corporis Chriſti ſunt vnitæ inter ſe, & per modum vnius præſentiæ, ergo non ſunt naturales in ſubſtantia. Nec hoc argumentum vrget; Primò, quia facilè negari poteſt, eas præſentias eſſe inter ſe vnitas: vnde enim inferri ea vnio poteſt? fortè multi dicent, ipſas etiam præſentias naturales manus & brachij non vniri inter ſe, ſed eſſe præcisè contiguas. Et quidquid ſit de facto. illud mihi videtur extra controuerſiam, ad reddendas vbicatas partes corporis ſiue in eodem loco, ſiue in diſtinctis, per accidens ſe habere vnionem earum vbicationum inter ſe. Secundò reſponderi poteſt, in mea ſententia docente eamdem numero vbicationem eſſe indifferentem ex ſe, vt hanc vel illam partem corporis conſtituat in hoc loco, facilè per vbicationes omnino ſimiles poſſe in eodem loco vbicari omnes partes corporis; eo autem ipſo poterunt illæ omnes inter ſe vniri, quia ſunt eiuſdem rationis, ac ſibi omnino ſimiles. Tertiò denique dici poteſt, licet vbicationes ſint modi, adhuc eſſe locum vnioni earum inter ſe. Ad argumentum verò ſuprà factum dico; Licet naturaliter nõ poſſint vniri duæ præſentiæ manus & brachij in eodem loco, id tamen non prouenire ex repugnantia directa ad vnionem, ſed ex defectu coëxiſtentiæ, quia nunquam ſimul exiſtere poſſunt; quòd ſi diuinitus ſimul ponantur, iam eo ipſo fore vt poſſint naturaliter vniri; ergo propter vnionem non eſt ponenda vbicatio ex ſua eſſentia ſupernaturalis.

Reſpondetur eidem argumento.

6 Vnde colliges obiter, minùs benè eumdem Auctorem ob argumentum hoc inferre, Si quantitas eſſet diſtincta, & auferretur à materia, fore vt adhuc non poſſent ſe omnino penetrare illæ partes, vt ad punctum reducerentur, quia deberent ibi illæ præſentiæ vniri; id autem ob dicta non poteſt fieri naturaliter. Dixi, hoc minùs benè doceri; Primò, quia, vt ex dictis conſtat, nulla oſtenditur neceſſitas vnionis inter eas vbicationes: Secundò, quia, vt etiam oſtenſum eſt, ſi deberent vniri adhuc, id poſſet fieri naturaliter: id quod maximè debet habere locum in partibus materiæ (de quibus in ea illatione) diuinitus ab eis ablata quantitate; quia ibi ceſſarent fundamenta deſumpta ex auctoritate Theologorum, quia eam præſentiam dicunt eſſe inſtar præſentiæ rei ſpiritualis; vnde videtur ſequi, eam habituram omnes partes vnitas inter ſe. Denique rogo, vtrùm illæ præſentiæ ſint inter ſe naturaliter vnibiles, an non? ſi ſunt, ergo vnientur, & ceſſabit tota quæſtio, ſi non ſunt capaces vnionis; quod quæſo abſurdum erit in eo quòd exiſtant ſimul ſine vnione, quàm alioquin non poſſunt habere.

Idem Cardinalis Lugo malè infert.

Aliud argumentum (quod ferè in præcedens relabitur) adducit idem Auctor, ſcilicet ſaltem inde ſequi, non poſſe vniri inter ſe vbicationes duas eiuſdem manus; ſupponimus enim ita Chriſtum eſſe in tota hoſtia, vt totus ſit in qualibet eius parte, ac conſequenter manus ſit in qualibet parte: illæ autem duæ vbicationes eiuſdem manus in puncto A & B vniri inter ſe non poterunt; quia nunquam naturaliter poteſt eadem manus eſſe in hoc & in vicino loco ſimul, vt duæ ipſius vbicationes poſſint naturaliter vniri. Quòd ſi neges eas duas præſentias vniri; replicabit, Præſentia Chriſti in hoc Sacramento eſt ad modum ſubſtantiæ ſpiritualis; ergo ſicut Angelus exiſtens in hoc Gymnaſio non exiſtit in eius partibus per plures vbicationes totales & adæquatas, ſed per partiales & vnibiles inter ſe, vt vnam adæquatam integrent; ita dicendum de corpore Chriſti, eas ſcilicet præſentias inter ſe vnam adæquatam conſtituere.

Aliud argumentum Cardinalis Lugo proponitur:

7 *Et confirmatur ex doctrina Ariſtotelis:*

Confirmat autem hoc argumentum in ſententia Ariſtotelis de partibus in infinitum diuiſibilibus; in qua putat eſſe inexplicabile, quomodo Chriſtus in hoſtia habeat præſentias naturales, quæ potuerint exiſtere ſeorſim; vnde ait, ſe non videre qua conſequentia has duas ſententias ego coniunxerim, vnam de Ariſtotelis continuo, & alteram, quòd hæc præſentia Chriſti ſit in ſubſtantia naturalis, igitur ſic argumentatur: Quælibet pars vbicationis Chriſti in hoc Sacramento facit Chriſti manum v.g. præſentem pluribus partibus ſpatij, quia Chriſtus eſt totus in tota hoſtia, & totus in qualibet eius parte; hoc autem non habet præſentia vlla naturalis, quia naturalis non facit eamdem partem ſubiecti præſentem pluribus partibus ſpatij, ſed per illas commenſuratur ſubiectum ipſi ſpatio. Deinde nulla poteſt aſſignari vbicationis pars in Chriſto, per quam vnica pars ipſius ſit præſens huic ſpatio; ſed neceſſariò per quamlibet multæ partes Chriſti ſunt præſentes eidem ſpatio: hoc autem non habet vlla præſentia naturalis, quia nulla reddit duas partes ſubiecti præſentes eidem ſpatio; ergo.

Ego libenter admitto aliquam eſſe in hoc argumento difficultatem; addo tamen, illam non

Habetque aliquam difficultatẽ, nul-

Iam tamen ſpecialem contra doctrinam noſtram.

eſſe ſpecialem contra hanc ſententiam meam (quam defendo ſine vlla prorſus inconſequentiæ nota ;) eſt ergo tota hæc difficultas ob inexplicabilem compoſitionem continui in Ariſtotelis ſententia, vnde obiectio illa debet æquè ab omnibus ſolui. Pro quo aduerte, data ea ſententia Ariſtotelis non poſſe vlla ratione dici Chriſtum totum eſſe in ſolis punctis hoſtiæ, alioquin iam eo ipſo poneremus totam hoſtiam compoſitam ex ſolis punctis : quæ eſt ſententia Zenonis, quam nunc fugimus : debet ergo ita eſſe Chriſtus, vt ſi ſimul in punctis & partibus ſi dentur puncta & partes, vel certè in ſolis partibus indeterminatis. Hoc poſito ſic clariſſimè argumēto reſpōdeo, Præſentiam proportionalem,

8 *Reſpondetur argumento Cardinalis Lugo,*

quam pars proportionalis Chriſti habebat naturaliter ad partem proportionalē ſpatij, penetrari cū reliquis omnibus, quæ in ſimili parte proportionali poterant eſſe ſucceſſiuè. In quo puncto non eſt nunc maior difficultas, quàm quod ſucceſſiuè potuerit manus Chriſti v.g. tranſire per ſpatium hoſtiæ. Et pro maiori intelligentia concipe manum Chriſti ita venire naturaliter in longum ad extremitatem hoſtiæ cōſecrandæ, vt in eodem puncto terminetur cum hoſtia ; da illam manum velle ſucceſſiuè ab initio hoſtiæ ad finem vſque pergere ; profectò ſi illæ præſentiæ omnes ; quas reliquæ partes manus ad longum ſucceſſiuè eſſent habituræ, dum vellent tranſire per hoſtiam , arreſtarentur (vt ſi dicam) à Deo , & detinerentur ſimul , ne manus iret vltra hoſtiam, per ſolas illas præſentias eſſet tota manus in extrema parte hoſtiæ : quod autem dico de tranſitu ad longum vltra hoſtiam , dici poteſt eodem modo de omni alia dimenſione hoſtiæ ; ergo ratione naturalitatis non poteſt difficultas vlla eſſe ſpecialis in noſtro caſu.

Confirmatur & explicatur reſponſio.

Explico & confirmo id euidenter Primò; nam per hoc, quod illæ præſentiæ ſint ſupernaturales non augetur nec minuitur vllo prorſus modo numerus magis quam ſi ſint naturales , ſiue eas velis numerare per partes proportionales , ſiue per determinatas(vt videtur ex terminis notum) cùm ſupernaturalitas ſe habeat per accidens ad huiuſmodi multiplicationem , & ſupponamus non vbicari totum Chriſtum per vnam indiuiſibilem præſentiam. Hoc ergo poſito clare infero , non eſſe vllam ſpecialem difficultatem apud me in explicando modo , quo afficiunt quoad diuiſibilitatem ſubiectum præſentiæ naturales præ ſupernaturalibus. Iam veniamus ad alteram partem de partibus ſpatij , cui Chriſtus ſit præſens, & in illis rogo, vtrùm qualibet pars proportionalis ipſius præſentiæ reſpiciat ſpatium indiuiſibile , an verò è contrario proportionale ſicut ex parte ſubiecti reſpicit etiam partem proportionalem , iuxta paulò antè dicta : ſi dicatur primum , tunc in hoſtia non erunt niſi puta puncta ſpatij , ſiue infinita illa ſint , ſiue finita ; & tandem relabemur in ſententiam Zenonis, quam(vt dixi)nunc ſupponimus falſam : ſi dicatur ſecundum , ſcilicet eam partem proportionalem præſentiæ ſupernaturalis reſpicere partem proportionalem ſpatij ; idem ego dicam de parte proportionali naturali , quia (vt hoc iterum repetam) ad rem præſentem ſupernaturalitas nihil facit ad partes proportionales aut diuiſibiles ſpatij ; ſi autem de vnione earum partium ſit ſermo, iam oſtendi etiam eas naturales poſſe vniri.

9 Secundò principaliter vrgeo ad hominem, nam hic Auctor ſaltem quad præſentias animæ Chriſti Domini admittit naturalitatem ; vnde efficaciter argumentor: Illæ præſentiæ naturales animæ conglobatæ in vnum reſpiciunt ſimul ſpatium imaginarium bis, ter, quater , &c. ſicut reſpexiſſent ſucceſſiuè , ſi naturaliter anima in partibus diuerſis corporis ſucceſſiuè tranſiuiſſet illud ſpatium hoſtiæ : ergo quoad partes ſaltem ipſas ſpatij dicere idem ego poteto de præſentiis naturalibus, quas corpus ſucceſſiuè habuiſſet, ſi ſucceſſiuè pertranſiiſſet idem hoſtiæ ſpatium. Dixi *ſaltem quoad partes ſpatij* , quia licet ex parte ſubiecti ſit diuiſibilitas in præſentiis corporis ; quæ diuiſibilitas non eſt in anima; & ex hoc capite videatur eſſe aliqua differentia ; cùm tamen hic Auctor ex duplici capite dicat eſſe in meis principiis ſpecialem difficultatem, tum ob diuiſibilitatem ſubiecti , tum ob ſpatij ; ſufficit mihi quod vnam ſaltem oſtenderim eſſe in eius ſententia , vt inde ex ſolutione , quam ipſe adhibuerit pro illa, conſtet quid ſit ad alteram dicendum: nulla enim eſt ſpecialis difficultas in vna magis quàm in altera , ſi res benè conſideretur; vnde conſtat me nullam penitus inconſequentiam admiſiſſe, & fortaſſe hunc Auctorem , qui ob ea argumenta reiicit naturalitatem in vbicationibus corporis, & admittit in animæ præſentia, minus poſſe ſaluare conſequentiam.

Vrgetur ad hominem.

Concluditur contra Cardinalem Lugo, nullam eſſe in noſtra doctrina ſpecialem difficultatem neque inconſequentiam.

Cardinalis Lugo impingit nobis quod non aſſerimus.

Denique , quod initio ferè numeri 170. ait me ponere ſimul in Chriſto præſentias partiales, quæ ſeorſim poſſent naturaliter exiſtere , hoc inquam non traditur à me , quia ſolùm dicimus præſentias illas partiales naturales , quæ vnitæ quidem cum aliis ad loca vicina, potuiſſent ſucceſſiuè eſſe in ea parte ſpatij(ſiue proportionata, ſiue determinata, vt volueris) caſu quo per illam tranſiuiſſet ſucceſſiuè manus Chriſti : quo etiam caſu haud dubiè in eo ſpatio hoſtiæ pertranſiens manus nullam omnino habuiſſet præſentiam, quæ non fuiſſet vnita anterioribus præcedentibus & poſterioribus , illas inquam omnes præſentias, quæ naturaliter fuiſſent vnitæ iuxta ſupra dicta, dicimus nunc potuiſſe ſimul à Deo conſeruari in extrema parte hoſtiæ, & conſequenter ibi poni totam manum: id quod eodem modo dicendum eſt de reliquis partibus ſpatij illius hoſtiæ : quomodo autem Deus eas præſentias actu coniungat , non habet maiorem difficultatem quam communis ſententia Ariſtotelica, quomodo ſcilicet Deus actu producat partes has indeterminatas chartæ v.g. eiſque det vbicationes nouas dum mouetur charta recta ſucceſſiuè; neque habet maiorem difficultatem in naturalibus quam in ſupernaturalibus : eadem enim eſt in vtriſque confuſio, indeterminatio, &c. reſpectu partium illius vbicationis.

SVBSECTIO III.

Dubium quoddam incidens diſſoluitur ; & reſpondetur quæſtioni.

PRIVSQVAM quæſtioni directè reſpondeam oportet breuiter diſcutere quamdam doctrinam, quam circa eam præſentiam ſupernaturalem tradidit ſuprà idem Cardinalis; ait ergo illam eſſe talem, vt corpus Chriſti vi illius ſit penetrabile cum aliis corporibus , & partes ipſius corporis inter ſe ; quia cum talis præſentia ſit poſſibilis, non debemus dicere nouum eſſe miraculum in ea penetratione. Hæc doctrina non 10

Doctrina Cardinalis Lugo.

caret

Digitized by Google

Grauem patitur difficultatem: non caret graui difficultate, nam cùm quantitas maneat in eo corpore, hæc autem petat ex ſua eſſentia, ne ponatur ibi alterum corpus, repugnat in terminis retenta quantitate penetrationem eſſe Chriſti corpori naturalem.

Dices: Illa præſentia habet fortiorem exigentiam penetrationis, & fortius in illam ius quàm quantitas in contrarium. Sed contrà, nam ſi ambæ ſunt exigentiæ naturales, vnde conſtat vnam eſſe maiorem altera? Secundò, quia ea præſentia non exigit penetrationem, ſed ſummùm non reſiſtit; quantitas verò poſitiuè exigit impenetrationem, ergo fortior videtur eſſe hæc quàm illa. *Impugnatur* Sed quidquid de hoc ſit, ſic argumentor: Illa præſentia eſt ipſamet penetratio partium, ergo ante illam nihil eſt quo ipſius aduentus reddatur naturalis, ſed neceſſariò debebit eſſe ſupernaturalis, quia eſt contra exigentiam quantitatis, quæ exigentia non eſt correcta, aut frænata per aliquid aliud ante aduentum ipſius penetrationis, ſeu ipſius præſentiæ. Fortè in ordine ad quantitatem accidentium poſſet ea præſentia teddere corpus Chriſti naturaliter penetrabile. Verùm, ſi negemus ibi quantitatem diſtinctam, id non eſt neceſſum. Secundò, quia, vt oſtendam infrà, præſentia Chriſti ibi ſupponit iam accidentia, & eorum quantitatem; ac proinde ea præſentia Chriſti debebit eſſe penetratio actualis cum quantitate, non verò eam antecedens; ergo non valet auferre miraculum, quod in ea penetratione eſſe poteſt.

Reſponſio ad impugnationem: Reſpondebis toti huic argumento, Sæpè res aliquas naturaliter eſſe incapaces alicuius effectus; vti anima rationalis eſt natura ſua incapax viſionis beatæ, certum tamen eſt per lumen gloriæ reddi ita capacem illius, vt non ſit iam miraculum viſionem fieri ab anima. *Refutatur.* Sed contrà, quia dupliciter poteſt alicui res alia eſſe ſupernaturalis, vel quia non habet vires ad eam producendam, aut recipiendam; vel quia poſitiuè eam auerſatur. Primo modo viſio & dona gratiæ ſunt ſupernaturalia homini; & in eo caſu facillimè intelligitur, quomodo ſi homini detur complementum illud, quod ei deerat, iam non ſit illi ſupernaturalis illa forma: & hoc ſolum probat inſtantia allata. Altero modo eſt ſupernaturalis penetratio ipſi quantitati, quia ſcilicet habet oppoſitionem naturalem cum illa: exigit enim poſitiuè ne detur ea penetratio; ſicut exigit gratia poſitiuè ne ſit in eodem ſubiecto peccatum. Et in his caſibus vix aut ne vix quidem concipi poteſt, quomodo ea exigentia manente fiat tamen illi rei naturalis forma illa contraria: & hoc eſt quod mihi in præſenti difficultatem facit in ea doctrina, ob quam abſolutè eam iudico minùs probabilem.

11 *Statuitur noſtra ſententia præſentiã Chriſti non eſſe ſupernaturalem niſi quoad modũ:* Dicendum ergo ad quæſtionem præcipuam, probabiliùs videri eam præſentiam non eſſe ſupernaturalem niſi quoad modum: fundamentum eſt, quia non debemus ponere maiora miracula quàm auctoritas aut ratio poſtulat; atqui auctoritas nulla eſt, quæ perſuadeat eam ſupernaturalitatem in ſubſtantia: ratio verò ex myſterio deſumpta etiam illam non perſuadet; ergo dicendum eſt non eſſe ibi miraculum quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. *Quod animæ rationali euidentiùs quadrat.* Addo, licet in præſentia corporis admitteremus propter argumenta ſuprà facta ſupernaturalitatem in ſubſtantia, non eſſe tamen rationem vllam eam admittendi in ipſa anima rationali; nam ex ſuo connaturali modo exiſtendi poteſt eſſe tota in indiuiſibili, aut ſaltem in parte ſufficienti ad ſaluandas diſpoſitiones humanas; ergo propter indiuiſibilitatem eius præſentiæ non eſt neceſſum ponere in anima vbicationem in ſubſtantia ſupernaturalem.

Petes, An, quandoquidem anima rationalis informat tota omnes partes corporis, & in quauis parte hoſtiæ ſunt omnes partes corporis, habeat etiam anima multas præſentias in eodem puncto, per quas ſit præſens multis partibus corporis. Reſpondeo, Non habere, quia cùm præſentiæ non reſpiciant partes corporis, ſed punctum imaginarium ſpatij, inde ſit, vt per vnicam ſolam præſentiam reſpicientem illud punctum imaginarium ſufficienter reddatur anima præſens omnibus partibus corporis, licet eſſent infinitæ, omnibus inquam exiſtentibus in eodem puncto imaginario.

SECTIO II.

Aliqua dubia circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia?

Primò quæri poteſt, Vtrùm ea ſit talis, quæ natura ſua ſit immultiplicabilis; hoc eſt, Vtrùm ea præſentia, quam habet ſub vna hoſtia, exigat, ne ponatur Chriſtus alibi; an verò id natura ſua permittat, ita vt miraculum nouum non ſit, ſi Chriſtus etiam alibi acquirat aliam. Hanc autem quæſtionem mouit Pater Suarez diſput. 48. ſect. 3. cenſetque vtramque partem probabiliter poſſe defendi, quia non repugnat aliqua præſentia naturalis, quæ habeat eam capacitatem; ex altera verò parte etiam non videtur repugnare vna, quæ exigat ne ponatur Chriſtus alibi. Addit autem, hanc præſentiam Chriſti repugnare cum alia circumſcriptiua, quia hæc eſt inextenſa, ergo repugnat cum circumſcriptiua, ſeu cum extenſa: hoc tamen vltimum optimè reiicit Cardinalis Lugo, quia extenſio & inextenſio repugnant quidem quoad eumdem locum, non quoad diuerſa, vnde ſi ſemel huius hoſtiæ præſentia permittit Chriſtum alibi eſſe, quid quæſo ad illam quòd alibi ſit Chriſtus circumſcriptiuè, aut quòd ſit definitiuè? Lugo putat eam præſentiam omnino pugnare cum aliis, quia eo ipſo quòd vnitur ſubiecto, perit illud apud ſe tenere, & non permittit aliò abire: ea enim eſt natura vnionis phyſicæ, vt petat in omnibus locis, in quibus eſt ſubiectum, eſſe formam, & è contrario, ergo. 12 *Quæſtio prima, An Chriſti præſentia ſit immultiplicabilis. Vtramque ſententiam defendi poſſe putat Suarez. Cardinalis Lugo negat:*

Iudico Primò quæſtionem hanc aliter decidendam, non enim videtur benè hi recurrere ad ipſas præſentias, vt ex illis explicent repugnantiam poſitionis Chriſti in duobus locis: etenim ea repugnantia non oritur ex vi vbicationis, ſed quia ſubiectum non habet vires ad ſuſtentandas duas vbicationes, nam vbicationes ipſæ in ſe contrariæ non ſunt, cùm ergo per vbicationem in hoc loco nullæ omnino addantur vires huic ſubiecto ad habendam aliam vbicationem, conſequenter videtur dicendum non poſſe per talem vbicationem reddi Chriſtum capacem habendi aliam, ſed potiùs per eam impediri alteram: vnde quoad ſententiæ ſubſtantiam acquieſco Cardinali Lugo, licet eius rationem non approbem, vt iam dicam. *Cuius ſententia approbatur, non tamẽ ratio.*

13 *Reijcitur fundamentum* Secundò ergo cenſeo illud eiuſdem fundamentum non eſſe bonum, quia videretur etiam probare, Angelum aut animam rationalem non poſſe

ſuperioris ſententia per inſtantiam de Angeli præſētia & anima rationalis.

poſſe per præſentiam diuiſibilem eſſe præſentem ſpatio diuiſibili, ſic enim argumentarer ego: Angeli præſentia in media hac ſchola petit, ne ipſius ſubiectum, cui vnitur, abſit ab ipſa; ergo non permittet Angelum poni in altera media parte ſcholæ etiam per aliam partialem præſentiam, quia iam eſſet Angelus in loco, vbi illa prior pars præſentiæ non eſt.

Dices fortè: Hæc præſentia eſt vnita ei alteri mediæ; fateor; at quid inde? nunquid, propterea quòd ſit illi vnita, eſt in loco illius, aut deſinit propterea Angelus eſſe in loco, vbi illa media præſentia non eſt? Da Angelum eſſe in tota ſchola; tunc partialis vbicatio illius, quæ reſpondet vni angulo ſcholæ, eſt benè contenta, quòd Angelus ſit in altero angulo eiuſdem ſcholæ, deſinat Angelus eſſe in medio; iam dicis, Incipit murmurare ea Angeli in angulo præſentia, quòd non ſit in loco alterius anguli, vbi eſt eius ſubiectum, rogo, ſi res benè ponderetur, quid vtilitatis in ordine ad hoc, vt illa fuerit antea benè contenta, iam verò malè, proueniebat illi per eam Angeli continuationem per ſcholam? Certè non ideò præſentia anguli A magis aut minùs ponebatur in angulo B; ergo argumentum eius Auctoris multum probat. Idem poſſumus dicere in vnione animæ rationalis cum capite, quæ tamen non petit, ne anima, cui ipſa vnio vnitur, ſit alibi, nempe in pede, vbi ea vnio capitis non eſt; nec item materia capitis, etſi vniatur animæ rationali, petit ne ea anima rationalis ſit alibi, & ne alibi vniatur alteri materiæ; ergo ex hoc capite non poſſumus dicere, ab ipſa præſentia Chriſti in hoc loco exigi neceſſariò, ne Chriſtus ſit in alio: neque enim debemus pro libitu concedere has aut illas exigentias rebus ipſis, niſi pro eis exigentiis ponendis habeamus aliquod

14 fundamentum; quale hîc nullum eſt. Adde, licet, quando forma, aut quaſi forma, talis eſt naturæ, vt ipſi non repugnet etiam eſſe in duobus locis, concedere ei poſſimus exigentiam, vt vbicumque ipſius ſubiectum ponitur, ipſa etiam ponatur, vt in albedine, dulcedine, &c. quod tamen vniuerſaliter verum non eſſe dixi ſuprà; at quando ipſa forma huiuſmodi naturæ eſt, vt ei omnino repugnet alibi eſſe, ſiue ſubiectum illius alibi ponatur, ſiue non; profectò ego non video cur debeat ea vbicatio eſſe tam inuidæ naturæ, vt dicat, *Non volo vt meum ſubiectum alibi ponatur, quandoquidem ego non poſſum eſſe ibi*: aut quid interſit ei vbicationi, quòd ſubiectum habeat aliam vbicationem, quandoquidem non propterea deſinet ipſa eſſe in ſuo loco, nec deſinit habere ſuum ſubiectum ſecum, & ab illo ſufficienter, ſic dicam, amari, ſuſtentari, perinde ac ſi hoc non eſſet alibi.

Quæſtio ſecunda, An Chriſti præſentia ſit definitiua?

Secundò quæri poſſet, Vtrùm ea præſentia Chriſti ſit definitiua? Quæſtio eſt de modo loquendi, ſi per definitiuam præſentiam intelligamus eam, qua res ponitur in certo & definito loco, ita vt per eam præſentiam non ſit vltra illum locum, haud dubiè ea eſt definitiua; quia per præſentiam, quam habet Chriſtus in hac hoſtia, non ponitur extra illam: & hæc videtur eſſe propria ſignificatio eius vocis *præſentia definitiua*: quòd ſi per eam vocem intelligas talem præſentiam, quæ ſimul dicat carentiam omnis alterius in loco diſtanti, tunc nullo modo ea erit definitiua, quia Chriſtus & in cœlo & ſub aliis hoſtiis eſt: denique, ſi per definitiuam præſentiam intelligas præſentiam, quæ in modo naturaliter debito ſubiecto illi conformetur, certum eſt hanc non eſſe definitiuam. Et de voce ſatis.

Quæſtio tertia, An præſentia Chriſti pendeat à præſentia eiuſdem in cælo.

Tertia difficultas, Quomodo ea præſentia pendeat à naturali? Non loquimur de dependentia præſentiæ Euchariſticæ ab ipſa ſubſtantia corporis & ſanguinis; nam quoad hoc eodem modo diſcurrendum ac in præſentia quacumque à ſuo ſubiecto: qui enim dixerit vbicationem eſſe modum, dicet dependere eſſentialiter; qui verò eſſe rem, dicet tantùm naturaliter, ſicut cætera accidentia realia. Eſt ergo difficultas, an præſentia in Sacramento pendeat à præſentia Chriſti in cœlo, aut in alio loco naturaliter exiſtentis. Fusè hac de re Pater Suarez ſuprà ſectione 2. nos breuiùs.

Poteſt eſſe ſine præſentia alibi.

DICO PRIMÒ; In ordine ad potentiam abſolutam non eſſe vllam repugnantiam in eo, quòd præſentia Sacramentalis maneat ſine naturali Chriſti alibi, quia non repugnat corpus exiſtere in vnico tantùm loco, & ibi penetratum: quòd enim ſimul alibi ſit non penetratum, nec auget nec minuit repugnantiam penetrationis; ergo exiſtentia Chriſti penetrati in Euchariſtia poteſt eſſe ſola ſine exiſtentia in alio loco cum connaturali dimenſione, &c. ita de facto contigit dum Chriſtus natus eſt, & intrauit ad diſcipulos clauſis ianuis, tunc enim temporis licet partes corporis ipſius inter ſe non fuerint penetratæ, fuerunt tamen cum clauſtro virginali & ianuis: eadem autem eſt difficultas in penetratione duorum corporum, quæ eſt in penetratione duarum partium eiuſdem corporis inter ſe: tunc autem Chriſtus non fuit alibi non penetratus, ergo. 15

Non pendet de facto à præſentia Chriſti naturali alibi.

DICO SECVNDÒ; Nec quidem naturaliter loquendo præſentiam Sacramentalem pendere à naturali in alio loco: & ratio eſt manifeſta, quia præſentia ſub ſpeciebus non cauſatur à præſentia Chriſti in cœlo ex natura rei, nec illam reſpicit, ergo non pendet ab illa naturaliter: poteſtque id confirmari ratione paulò antè facta, quia penetratio partium corporis in hoc loco non iuuatur vllo modo per extenſionem earumdem partium in alio, imò maius eſt miraculum, ſi ſimul ſit in alio loco etiam cum præſentia naturali, quàm ſi non eſſet, quia in primo caſu præter miraculum penetrationis reperitur aliud poſitionis eiuſdem corporis in duobus locis, in vno penetrati, in altero non, in ſecundo autem caſu tantùm reperitur vnicum miraculum penetrationis, vnde,

Potiùs que impeditur per naturalem præſentiam.

DICO TERTIÒ: Naturaliter loquendo potiùs impeditur ea præſentia Euchariſtica per naturalem, quàm iuuetur. Probatur id ratione immediatè antè facta, quia quando eſt præſentia naturalis alibi, eſt duplex repugnantia pro Euchariſtia, quando autem non eſt, tunc tantùm reperitur vnica. Nota, me hîc loqui de independentia earum partium quantum eſt in ſignum de facto, eò quòd Chriſtus ſit cauſa moralis poſitionis ſui in Euchariſtia, pendere quodam modo videtur præſentia Euchariſtica à naturali in cœlo aut alibi.

Dixi *quodam modo videri dependentem*; nam reuerà neque ſub ea ratione pendet: ſufficere enim ad hanc cauſalitatem poſſet, quòd Chriſtus Dominus priùs natura ad conſecrationem ſupponeretur exiſtere abſtrahens ab omni præſentia, ſæpè enim diximus, ad vbicationis productionem non eſſe neceſſum vt illius ſubiectum ſupponatur cum vbicatione. Secundò, ea cauſalitas moralis poſſet fortè ſaluari ob exiſtentiam

exiſtentiam Chriſti olim,eſto de facto non exiſteret: demus enim illum petiiſſe per ſua merita infiniti valoris poni ſuum corpus; deinde in Euchariſtia, quando Sacerdotes conſecrarent, illa merita potuerunt obtinere tunc id quod petierunt,ita vt etiamſi Chriſtus iam annihilaretur, adhuc illa mouerent nunc Deum; quia cauſa moralis etiamſi non exiſtat quando eſt effectus, poteſt tamen in illum influere.Tandem,quia ea ratio ſolùm probat primam præſentiam Sacramentalem ſupponere præſentiam naturalem; at ſuppoſito quòd iam Chriſtus eſſet ſub vna hoſtia,poſſet Deum mouere,vt ſe poneret ſub aliis, eſto alibi non eſſet cum præſentia naturali.

16

Alia quæſtio, An Sacramentum Euchariſtiæ ex vi inſtitutionis pendeat à Chriſto vt viuo. Probabiliùs non pendet.

Illud poſſet pro maiori declaratione huius dubij quæri,An ſaltem ex vi præſentis inſtitutionis hoc Sacramentum pendeat à Chriſto vt viuo.Ex dictis videtur inferri,omnino pendere;nã de facto Chriſtus per Sacerdotem, vt per delegatum ſuum,conſecrat, ergo debet præſupponi exiſtens:& ita ſentiunt nonnulli.Probabiliùs tamen videtur non pendere: quod probatur Primò, quia iuxta communem Theologorum ſententiam,etiam ex vi præſentis inſtitutionis potuit confici hoc Sacramentum in triduo mortis Chriſti; atqui non eſt fundamentum ad dicendum eam inſtitutionem mutatam & nouam ſucceſſiuè, ratione cuius iam pendeat per ſe conſecratio à Chriſto viuo. Secundò idem quis probaret, quia Tridentinum,dum docet animam & ſanguinem non poni ex vi verborum ſub ſpeciebus panis,& contrà, corpus non poni ſub ſpeciebus vini, innuit apertè, per ſe eam præſentiam non ſupponere Chriſtum viuum; alioquin ex vi inſtitutionis deberet poni per ſe corpus viuum. Hæc tamen ratio non probat intentum; aliud enim eſt ſupponi Chriſtum alibi viuum, aliud autem, verba ſignificare corpus viuum: poteſt enim Chriſtus exiſtens in cœlo ponere alibi corpus ſuum ſolum: vt enim in Phyſica oſtendi contra Patrem Vaſquez,& infrà aliquid dicam,non eſt neceſſum diuinitus, vt ſi corpus ponitur in duobus locis, in vtroque ponatur anima; ſiue tunc in vno dicendum ſit corpus illud mortuum,ſiue non: quod (vt ibi oſtendi) pertinet ad quæſtionem de nomine; ergo non ſequitur benè,Corpus Chriſti per ſe ſupponitur ad conſecrationem viuum in cœlo,ergo verba,*Hoc eſt corpus*,denotant etiam in Euchariſtia poni animam & ſanguinem. Sufficiat ergo prima ratio,ad oppoſitam verò reſpondetur Primò, Chriſtum poſſe eſſe cauſam principalem,ſaltem ratione animæ, quæ etiam non vnita eſt capax meriti & cauſalitatis moralis. Secundò, poſſet dici non pendere nequidem ab exiſtentia animæ; nam cauſalitas moralis non requirit phyſicam actualem exiſtentiam animæ. Vnde paulò antè dixi,Licet diuinitus annihilaretur humanitas Chriſti, tamen merita illius præcedentia ſufficere, vt in poſterum intuitu illorum daret nobis Deus gratiam, diceretúrque Chriſtus ipſe cauſa moralis illius. Inde etiam dixi, præſentiam Sacramentalem ſolummodò dependere à naturali quoad aliquam exiſtentiam temporis, non autem quandocumque fit conſecratio, niſi fortè dicamus, de facto tale fuiſſe in Deo decretum circa hoc myſterium, vt noluerit, niſi humanitate exiſtente ſaltem quoad materiam & animam, licet non eſſent vnitæ, illud confici: id quod probabile valdè eſt,non tamen certum.

Argumentum ex Concilio Tridentino pro hac ſententia non probat.

Rationi pro contraria opinione reſpondetur.

Hac occaſione quæri etiam poteſt, Quid fieret, ſi corpus Chriſti Domini redactum eſſet in cineres,poneretúrne forma cineris eo caſu vi verborum? Reſpondet Cardinalis Lugo negatiuè, ſolumque ait ponendum corpus organicum,alioquin propoſitio illa vera non eſſet,quia cineres non ſunt corpus: id quod etiam mihi placet. 17

Quæritur, Si corpus Chriſti in cineres redigeretur,an in eo caſu poneretur forma cineris. Negat Cardinalis Lugo; ſolumque ait ponendum corpus organizatum.

Dices, Loquendo de cineribus Martyrum affirmare verè poſſumus, *Hic iacet corpus ſancti Petri*, &c. ergo vt corpus Chriſti ponatur,ſufficit poni eos cineres. Reſpondeo, Illam locutionem eſſe metaphoricam, ſicut etiam dicimus, *Sanctus Petrus eſt in cœlo*, cùm reuerà non ſit, ſed ſola illius anima, quæ non eſt Sanctus Petrus,ſed pars illius.

Replicabis; Vnde ergo tibi conſtat Chriſtum in eo ſenſu rigoroſo,& non in vulgari locutum? Reſpondeo,Quia niſi aliunde de contrario conſtet, debemus ſemper verba in ſenſu proprio vſurpare. Fateor, ob hanc replicam non eſſe certum, omnino ponendam eſſe eam organizationem.

Dices,Si admittimus vt probabile, Τὸ *corpus* non ſignificare in tanto rigore organizationem, ergo etiam nunc,quando re ipſa Chriſtus habet corpus perfectè organizatum, non ponetur vi verborum conſecrationis ea organizatio: hoc autem eſt abſurdum, & contra ea quæ fuſiùs infrà dicturi ſumus. Sequela autem facilè probatur, quia ſi corpus non ſignificat eam organizationem,ergo omnino eſt per accidens reſpectu illorum verborum, quòd ea re ipſa detur, ac proinde non requirent verba eius poſitionem, ſolùm ergo ponetur per concomitantiam. Reſpondeo negando ſequelam, quia eſto poſſit ea ſignificatio impropria aliquando ſuſtineri,quando propria admitti non poteſt, non tamen proptereà negandum eſt,quando propria habet locum, eam non eſſe retinendam, ergo cùm eo tempore, quo Chriſti corpus eſt re ipſa organizatum,poſſit habere locum ſignificatio propria, non eſt cur dicemus,nunc etiam vi ſignificationis non poni organizationem.

Illud difficilius, An in eodem caſu, quo corpus eſſet reductum ad cineres, ponenda eſſet ſaltem per concomitantiam forma cinerum. Putat Cardinalis Lugo poſſe problematicè dici poni,aut non poni:primum quidem, quia dummodò ponatur verum corpus, non repugnat veritati verborum poni formam cineris; ſecundum verò, quia hæc forma obſtat veritati verborum, ea autem ſolùm debent poni per concomitantiam, quæ ſunt vnita,& non ſunt contraria veritati. Verùm nullam ibi adducit rationem, nec quidem probabilem, cur forma cineris poſſit dici contraria veritati,ſi ſemel ſupponamus poni verum corpus:quòd enim ſimul ibi ſit forma cineris, nullo modo contrariatur exiſtentiæ corporis.Vnde probabilius omnino cenſeo debere illam formam poni. Vbi aduerte, hanc ſolutionem poſſe intelligi iuxta duas alias ſolutiones ſuprà traditas, vel quòd ſcilicet ponantur ſoli cineres ſine organizatione, quia etiam illi dici poſſunt corpus Chriſti, vel quòd ponatur etiam organizatio: ſi iuxta hanc ſecundam ſolutionem loquamur,tunc deberent etiam ibi poni aliæ diſpoſitiones contrariæ cineribus, ac proinde deberet eſſe miraculum nouum in conſeruatione earum diſpoſitionum oppoſitarum ſimul, quia forma cineris indiget ſuis diſpoſitio- 18

Problematicè defendit Cardinalis Lugo,per concomitantiam ponendam formam cineris.

Probabilius videtur illam formam cineris per concomitantiam ponendam.

poſitionibus, eaſque haberet extra hoſtiam, ergo & ibi; iuxta primam vero ſolutionem ſolæ eſſent diſpoſitiones cinerum.

Chriſtum in Sacramento dicendus eſt eſſe in loco.

Petes Tertio, An Chriſtus in hoc Sacramento dicendus ſit eſſe in loco? Reſpondeo affirmatiuè, quia habet præſentiam localem; cuius effectus formalis eſt ponere in loco; vtrum autem definitiuè, an circumſcriptiuè, quæſtio eſt de voce; de quo ſupra in fine ſectionis præcedentis; quia idem eſt quærere, vtrùm præſentia Chriſti in hoſtia ſit definitiua, an quærere, vtrum Chriſtus ſit definitiuè in hoſtia.

Explicatur, an definitiuè, an vero non; & quomodo.

Dixi ergo, ſi eſſe definitiuè ſignificet ita eſſe hîc Chriſtum, vt non ſit alibi, tunc nec in cœlo nec in Sacramento dicendum eſſe definitiuè; quia non eſt ita in cœlo, vt non ſit alibi: ſi verò eſſe definitiuè ſolum ſignificet ita eſſe hîc, vt ex vi huius præſentiæ non poſſit conſtitui alibi nec diuinitus, in vno ſenſu poteſt dici eſſe definitiuè, quatenus per hanc ipſam præſentiam non poteſt eſſe alibi; in altero verò non eſſe definitiue, quatenus licet ſit hîc per hanc numero præſentiam, non ideò redditur incapax, vt poſſit eſſe alibi ſaltem per aliam. Denique, ſi intelligatur τὸ *eſſe definitiuè*, ita vt ratione huius præſentiæ non poſſit naturaliter aliam habere, dici poteſt Chriſtus in Sacramento exiſtere definitiuè; quia cum corpus non ſit capax habendi ſimul niſi vnicam præſentiam, neceſſum eſt, vt quælibet det illi repugnantiam ad habendam ſimul alteram, niſi fortè in ſententia Suarez, aientis eam præſentiam Euchariſticam eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem; tunc enim poſſet dici per præſentiam Euchariſticam non communicari repugnantiam ad habendam aliam naturalem; nam ſupernaturalis, cum ſuſtentetur viribus ſupernaturalibus, probabiliter dici poteſt non impedire potentiam, ſeu vires naturales ad præſentiam naturalem.

SVBSECTIO III.

An Chriſtus ſit totus in qualibet hoſtiæ parte?

19

Affirmatiua ſententia communis Theologorum, & contraria errori affinis, ſi non hæretica.

CHRISTVM eſſe non ſolum in tota hoſtia, ſed totum etiam in qualibet eius parte, abſtrahendo iam, vtrùm ſit in indiuiſibilibus, aut vtrum ſit aliqua pars adeò parua, in qua ſubſtantia panis conſecrari non poſſit (de quo ſtatim) communis eſt Theologorum omnium ſententia; adeò vt non defuerint qui iudicauerint contrarium eſſe hæreſim, aut errorem; quia Concilium Tridentinum Seſſione 13. cap. 3. dixit Chriſtum totum contineri ſub qualibet ſpecie, & ſub qualibet parte ſpecierum. Pater tamen Suarez diſp. 54 ſect. 2. putat non eſſe rem adeò certam, vt contraria ſit hæreſis; quia non videntur ſine cauſa vtrumque Concilium, & Tridentinum & Florentinum, in propria & expreſſa definitione Fidei addidiſſe illam particulam *ſeparatione facta*; ego tamen hanc excuſationem non cenſeo admodum ſufficientem: non ſolum enim quæ traduntur à Tridentino in canonibus, ſed etiam in capitibus videntur eſſe de Fide; ac proinde ſatis probabile mihi videtur hanc doctrinam eſſe omnino certam de Fide:

Aliquot argumenta pro communi ſententia reijciuntur

fundari autem ſolet in eo, quod poſſibilis ſit hic modus exiſtendi. Verùm hinc non infertur, Ergo de facto datur; quia multa ſunt poſſibilia quæ non exiſtunt. Secundo probatur, quia ſi hoſtia diuidatur, Chriſtus manet totus in qualibet parte. Verum huic argumento facilè quis reſponderet, Chriſtum Dominum, quandiu ſpecies non ſunt diuiſæ, noluiſſe manere niſi in totis illis ſemel; quia id erat ſufficientiſſimum & neceſſarium ad ipſius finem intentum, vt ſcilicet quilibet ipſum ſumens acciperet totum Chriſtum, ideoque ob eamdem rationem, quando iam ſpecies ſunt ſeparatæ, & quaſi proximè aptæ, vt à diuerſis ſumantur, voluiſſe etiam eſſe totum ſub qualibet parte, vt totus etiam ſumeretur à quolibet. Sit ergo tertia ratio: Poteſt Sacerdos accipiendo integram hoſtiam deſignare medietatem, illamque ſolam conſecrare, poteſt deinde alteram mediam partem conſecrare, ergo iam tunc Chriſtus eſſet totus ſub qualibet ex illis medietatibus: quòd autem eo caſu fieret per duas conſecrationes diſtinctas, ſit ſemper per vnicam æquiualentem illi vtrique, ergo. Verùm neque hoc argumentum multum vrget, quia dici etiam poteſt Primò, eo caſu manere Deum bis ſub ea hoſtia, quia ratione huius duplicis conſecrationis perinde ſe habet ac ſi eſſent duæ hoſtiæ diſtinctæ. Secundo poteſt reſponderi, facta ea conſecratione iam Chriſtum totum eſſe ſemel ſub ea hoſtia, quia antea tantum erat ſub media illius parte, id autem fieri ob rationem à nobis paulò antè datam, quod ſcilicet ad intentum Chriſti Domini ea vnica præſentia ſufficiat.

Aliud argumentum cæteris efficacius. 20

Quartum argumentum eſt, nam cum materia illa ſit homogenea, & per τὸ *Hoc* æquè deſignetur vna pars ac altera, æqualiter etiam debet ſub qualibet eſſe Chriſtus: nec enim magis deſigno vnam partem pertinentem ad caput, vel ad manus, quam deſignem aliam pertinentem ad pedes, aut è contrario, ergo non eſt maior ratio, cur pedes in hac parte quàm in illa, aut è contrario ponantur; ergo debet totus ſub qualibet parte poni. Hæc ratio eſt paulo efficacior, non tamen omnino perſuadens;

Non tamen omnino perſuadet.

dici enim facilè poteſt, Eſto ex mea determinatione non determineтur potius hæc pars quam illa, Deum tamen id determinare: quando enim ego dico *Hoc eſt corpus*, determino τὸ *Hoc* per modum vnius totius ac proinde etiam ſolum denoto ibi Chriſtum eſſe ſemel; eſto non poſſim ego dicere vbi ſit caput, vbi pedes, vbi manus, &c. vti ſi eſſet corpus humanum incluſum in ciſta, illudque non videam, ac proinde non poſſim dicere vbi ſit caput, vbi pedes, poſſum tamen dicere *Hoc eſt homo*.

Ratio Diui Thomæ maiores difficultates continet, & impugnatur à variis.

Quarta ratio, & qua Diuus Thomas vtitur quæſt. 76. art. 2. eſt, quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento vi verborum, quantitas vero illius ſolum per concomitantiam, ergo Chriſtus eſt eo modo quo ſubſtantia ſub dimenſionibus: manifeſtum eſt autem, quod ſubſtantia eſt tota ſub qualibet parte, ſicut aër eſt ſub qualibet parte aëris. Hæc tamen ratio multò difficilior eſt, & variè impugnatur ab Auctoribus, tum quia, quod ponatur corpus vi verborum, iudicari debet omnino per accidens ad rem præſentem; tum quia ſubſtantia non eſt ſub qualibet parte tota, eo ſenſu quo loquitur Diuus Thomas: ſi enim dicat conceptum ſpecificum aëris, exempli gratia, abſtractum ab hoc & illo indiuiduo (qui conceptus ſaluatur in qualibet parte) dicit eſſe totam ſubſtantiam indiuidualem in hoc ſenſu, etiamſi non omnes partes Chriſti eſſent ſub qualibet parte hoſtiæ, eſſet tamen tota ratio ſpecifica vt ſic ſub qualibet parte hoſtiæ; ſi autem

loquatur

Digitized by Google

loquatur de tota indiuiduali ſubſtantia, certiſſimum eſt non contineri in qualibet parte huius chartæ v. g. totam indiuidualem ſubſtantiam integræ huius chartæ. Denique ego ſic argumentor, quia eo primo ſenſu etiam quantitas tota eſt ſub qualibet parte: Non enim minus quælibet pars quantitatis eſt quantitatis, quam qualibet pars aëris eſt aër; nulla ergo aſſignatur differentia inter quantitatẽ & ſubſtantiã quoad hoc.

21 *Optima ratio ſententiæ communis petenda eſt à voluntate Chriſti: Congruentiis illuſtratur.*

His ergo rationibus omiſſis non puto poſſe aliter eam ſententiam probari quàm ex Chriſti Domini voluntate, qui ſe eo modo voluit ſub ſpeciebus collocare; de qua voluntate nobis conſtat ex communi traditione Eccleſiæ, & ex definitione Conciliorum. Accedunt autem ſatis bonæ congruentiæ pro hac veritate; nam cùm diuiſiones ſpecierum frequentiſſimè eſſent futuræ, & ſaltem tunc deberet Chriſtus eſſe totus ſub qualibet parte, ne in ea diuiſione medium corpus in vno loco, & medium in altero poneretur (quod eſſet valdè abſurdum) connaturalius etiam fuit, vt ab initio ita eſſet conſtitutus ſub qualibet parte ſpecierum, vt in diuiſione non eſſet neceſſarium nouum modum producere penetrationis, & antiquum deſtruere. Denique ea ratio, quæ ſupra eſt tacta, quod ſcilicet non ſit maior ratio, cur caput in hac parte hoſtiæ quàm pedes ponantur, cum ſpecies ſint omnino homogeneæ, etſi omnino non conuincat, eſt tamen optima pro congruentia. Accedit, quod etiam noua ſit difficultas: ſi enim aliquam habiturus eſſet extenſionem, ſaltem iuxta hoſtiæ magnitudinem, ruſus dubium nouum orietur, quæ partes ipſius futuræ eſſent ſine penetratione. Tertio, in maiori hoſtia deberet eſſe diuerſiſſima penetratio ad ea quæ eſt in minori. Quæ omnia facillimè vitantur, ſi totus ponatur ſub qualibet parte; & totus in toto.

Obiectio de ſpeculo integro & fracto.

Obiiciunt aliqui in contrarium apud Diuum Thomam ſupra: In ſpeculo figura ſemel tantum apparet quamdiu eſt integrum; ſi verò diuidatur, apparet toties quot ſunt partes diuiſæ; ergo.

Solutio D. Thomæ reiicitur.

Reſpondet Sanctus Doctor. Diſparitatem in eo conſiſtere, quod multiplicitas illa imaginum in ſpeculo fracto oritur ex diuerſis reflexionibus, quæ non habent locum in præſenti. Hæc tamen ſolutio mihi non probatur, quia etiamſi maneret illæ partes ſpeculi in eadem linea in qua antea, dummodo in ſe eſſent diſtantes, formarent eas diuerſas imagines. Pone vnum ſpeculum maximum integrum, vnam tibi tantum faciem repræſentabit: pone in eodem loco illius duo aut tria minora, eo ipſo repræſentabunt tibi duas vel tres facies; ergo non debet ex diuerſo ſitu aut reflexione eius experientiæ ratio deſumi.

22 *Reſponſio ex Philoſophia accipienda eſt à natura ſpecierum.*

Aliter reſpondeo ex dictis in Philoſophia; Species viſus id habere, vt quamdiu ſunt per ſe vnitæ, non repreſentent obiectum niſi ſemel; pro quo non eſt neceſſum recurrere ad ſpeculum, &c. ita enim quodlibet obiectum mittit per aëtem ſpecies ſui, vt in qualibet parte totius medij ſint ſpecies totius obiecti: vnde ex qualibet parte videri totum illud poteſt, non tamen videtur pluries, ſed ſemel; quando vero ſpecies illæ ita diſcontinuantur, vt non amplius faciant vnum quid, tunc repræſentant pluries obiectum, quælibet ex illis ſemel, perinde planè ac ſi aliæ non eſſent: hinc fit, vt quamdiu ſpeculum eſt integrum, omnes ſpecies reflexæ ex illo ſint per modum vnius, quia cum vnione perfecta reflectuntur; ideo vnicum tantum obiectum repræſentant: cum primum autem frangitur ſpeculum, iam quælibet pars mittit ex ſe integram ſpeciem; ac proinde repræſentant toties obiectum, quot ſunt partes fractæ. Hæc autem ratio penitus eſt inutilis ad Euchariſticum myſterium, in quo non agimus de repræſentatione, ſed modo, quo in illo re ipſa Chriſtus exiſtit: vnde potius poſſet argumentum in fauorem noſtrum deduci; nam ſicut ſpecies intentionales totius obiecti ita ſunt in toto medio vt in qualibet parte illius, ſit etiam intentionaliter totum obiectum; ita debebit Chriſtus eſſe ita in tota hoſtia, vt in qualibet etiam illius parte ſit totus.

Ex qua formari poteſt argumentum pro ſententia communi.

Verum licet hæc ſimilitudo apta ſit ad rem noſtram explicandam, non tamen ea vtor pro argumento, quia cum poſitio Chriſti ſolum pendeat, vt diximus, ex voluntate ipſius Chriſti, non poſſumus quidquam inferre circa illam ex his, quæ conueniunt naturaliter rebus creatis. Vnde etiam. Secundo principaliter reſpõdetur ei inſtantiæ, nihil inferri ex illa, quia, quæcumque ſit ratio eius reflexionis ſpecierum, Chriſtus: voluit eſſe totus in toto, & totus in qualibet parte: hic enim modus exiſtendi poſſibilis eſt, quidquid ſit de altero, & maluit hunc eligere, quia ita ipſi placuit.

Quomodo intelligi debeat, Chriſtus totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ.

Fortaſſe aliquis quæret, An quando dicimus Chriſtum eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte, id ita intelligamus, vt quaſi ſemel ſit Chriſtus in tota hoſtia, & deinde totus in qualibet parte. Reſpondeo, Nullo modo id ita eſſe intelligendum: ad hoc enim neceſſarium eſſe, vt per vnam præſentiam caput eſſet in vna parte hoſtiæ, & pedes in alia: dum ergo dicitur totus in toto, & totus in qualibet parte, non ſunt intelligendi duo modi diuerſi exiſtendi, ſed quod ideo dicatur totus in toto, quia totus eſt in qualibet parte, vti anima rationalis, & Deus, & Angeli, non enim aliter ſunt toti in toto ſpatio, quam quia ſunt toti in qualibet illius parte.

SECTIO IV.

Quid aliud præter præſentiam ſit neceſſarium, vt Chriſtus poſſit in Euchariſtia demonſtrari?

Ratio dubitandi ea eſt, quod eſſe præſentem præcisè ſpeciebus non videatur ſufficere, vt denotando ſpecies dicatur, *Hoc eſt corpus meum*, ſufficiet id quidem, vt dicatur aduerbialiter, *Hic eſt corpus*, non autem ſubſtantiuè: ſicut dum Angelus eſt in cubiculo, poteſt dici, *Angelus hic eſt*, aduerbialiter, non tamen ſubſtantiuè oſtendendo cubiculum dici poteſt, *Hoc eſt Angelus*. 23

Aliquorum opinio, dari vnionem receptiuam ſpecierum in corpore Chriſti, reiicitur.

Aliqui ob hanc rationem dixerunt dari vnionem receptiuam ſpecierum in corpore Chriſti, ita vt albedo hoſtiæ, &c. non minus cauſetur à Chriſto, quam cauſabatur à ſubſtantia panis. Hoc tamen videtur eſſe contra Concilium docens accidentia manere ſine ſubiecto in hoc Sacramento. Et ſanè Chriſtus non redditur albus aut calidus ab accidentibus Euchariſticis; ergo non eſt ſubiectum illorum: aliam autem vnionem aſſignare vix eſt intelligibile, niſi dicas cum aliquibus illam eſſe inexplicabilem: id quod eſſet confundere Fidei myſteria, eſt cauſam præbere hæreticis illa negandi.

Scotus præcisè poſuit inſeparabilitatem Chriſti

Scotus ponit inſeparabilitatem Chriſti à ſpeciebus ex decreto Dei extrinſeco.

ſti à ſpeciebus ex decreto extrinſeco Dei; hoc tamen non videtur ſufficiens, vt dicatur oſtendendo ſpecies, *Hoc eſt Chriſtus*, quia Angelus eſt præſens cœlo, & inſeparabiliter ex decreto Dei; & tamen non ideo dici poteſt oſtendendo cœlum, *Hoc eſt Angelus*, loquendo de motore cœli. Ideò addunt alij cauſalitatem corporis Chriſti in accidentia. Sed contra Primò, quia (vt oſtendam paulò poſt) non poteſt habere Chriſtus talem cauſalitatem. Deinde, quia ſi Deus deſtruendo ſubſtantiam panis ſuccederet in conſeruationem effectiuam accidentium illius, non ideò panis eſſet conuerſus in Deum aut denotando accidentia illa poſſet dici, *Hoc eſt Deus*; & tamen ibi ſunt & intima præſentia Dei in accidentibus, & cauſalitas ipſius in illo loco panis, & inſeparabilitas; ergo hæc omnia non ſufficiunt, vt poſſit demonſtrari Chriſtus in accidentibus.

Addunt aliqui cauſalitatem Chriſti Corporis in accidentia.

Impugnantur.

Poſſes reſpondere, in caſu argumenti non habere accidentia virtutem trahendi ſecum Deum, quam habent accidentia panis reſpectu corporis Chriſti. Sed contra; ergo non requiritur cauſalitas; ſed poſſet aſſignari differentia inter Angelum in cœlo, & Chriſtum in Euchariſtia; quia cœlum non trahit ſecum Angelum; ſpecies autem trahunt ſecum Chriſtum: pro hac autem vi tractiua non eſt neceſſarium recurrere ad cauſalitatem.

Opinio aliorum, ſufficere vt corpus Chriſti ſit intra accidentia, reijcitur.

24 Poſſent alij dicere ad hoc; vt demonſtretur aliquod ſubiectum per accidentia, nec requiri vnionem cum illis, nec cauſalitatem, ſed præciſè vt intra illa ſit: vt patet quando Angeli aſſumunt corpora, cum quibus non vniuntur, & quæ non ſuſtentant efficienter. Sed contra, quia hinc probaretur etiam ſine deſitione ſubſtantiæ panis poſſe dici, *Hoc eſt Chriſtus*; quod tamen falſum eſt. Sequela autem patet, quia ſine deſitione vlla ſubſtantiali corporis aſſumpti oſtendendo illud poteſt dici, *Hoc eſt Angelus*. Deinde in illo caſu adhuc corpus non habet virtutem ſecum trahendi Angelum, ſed è contrario. Reſpondeo ergo, In illo caſu, quando dicimus, *Hoc eſt Angelus*, non æquiualere illam propoſitionem huic, *Contentum ſub his accidentibus, vel ſub hoc corpore, eſt Angelus*; quia in hoc ſenſu eſſet falſa; nec enim illa ſunt accidentia Angeli, nec ille eſt forma illius corporis; ſolùm ergo tunc volumus dicere, *Loquens in hoc corpore, mouens hoc corpus, ſeu oſtendens ſe per hoc corpus, eſt Angelus*: ad hoc autem ſolum requiritur intima præſentia cum illo corpore, & quod per illud loquatur, illudque moueat. In Euchariſtia nil eiuſmodi de corpore Chriſti prædicamus, ſed præciſè eſſe contentum ſub illis accidentibus; ergo aliquid aliud debemus requirere, per quod ſaluetur illa propoſitio.

Statuuntur tria requiri; Carentiam ſubſtantiæ panis intimā præſentiam ſub ſpeciebus, Virtutem in ſpeciebus trahendi ſecum Chriſtum:

Nihilominus dicendum cenſeo tria tantum ad hoc requiri, Primò, carentiam ſubſtantiæ panis, vt illa propoſitio abſolutè pro ſolo Chriſto ſupponi poſſit; alias non poſſet dici niſi cum hoc addito, *Pars contenti ſub his ſpeciebus eſt Chriſtus*: Secundo, intimam præſentiam Chriſti ſub eis ſpeciebus; niſi enim ibi eſſet, non poſſet ibi demonſtrari: Tertio, virtutem in ſpeciebus trahendi ſecum Chriſtum Dominum; alias & Angelus penetratus cum eadem hoſtia conſecrata poſſet ibi demonſtrari ſicut Chriſtus: vel certè (vti inferiùs dicam) requiretur è contrario in ipſo Chriſto virtus ad trahenda ſecum accidentia. Porrò hæc tria ſufficere probo; quia ſicut dum oſtendo ciſtam, verè dico abſolutè, *Hoc eſt aurum*, ea præciſè ratione, quod aurum ſit intra ipſam ciſtam, & non alia ſubſtantia; & quod ciſta habeat virtutem trahendi aurum ſecum, quocumque feratur: ratione cuius ab hominibus dicitur ibi contineri aurum; ſimiliter etiam, imò à fortiori oſtendendo accidentia panis poterit dici, *Hoc eſt Chriſtus*, cum & ibi intrinſecè ſit præſens, & ille habeat virtutem trahendi ſecum accidentia; & præterea nulla ſit ibi alia ſubſtantia; ex quo capite magis propria locutio eſt in Euchariſtia, quam in ciſta oſtendendo aurum; quia in hac eſt etiam ſubſtantia ipſius ciſtæ, quæ poſſet demonſtrari per τὸ *Hoc*: in Euchariſtia autem nulla eſt alia ſubſtantia demonſtrabilis præter Chriſtum. Dico *demonſtrabilis*; nam etiamſi ibi ſit Deus, & eſto ibi ſe Angelus poneret, non tamen eſſet ſubſtantia demonſtrabilis ex defectu tertiæ conditionis à nobis poſitæ.

Difficultas contra neceſſitatem abſentiæ panis proponitur.

Antequam ad obiectiones ſupra poſitas reſpondeamus, oportet ſatisfacere difficultati, quæ contra rationem à nobis factam de neceſſitate abſentiæ panis fieri poteſt, & à pauciſſimis exactè ponderatur; nam ſi propoſitio illa, *Hoc eſt corpus meum*, nequit eſſe vera, eo ipſo quod ibi maneat ſubſtantia panis, quia ſenſus illius eſt, *Adæquatum contentum ſub his ſpeciebus eſt corpus Chriſti*, ac proinde ſi panis etiam contineretur, falsò id diceretur: ſi inquam id ſit verum, profectò nec poterit totus Chriſtus contineri in hoſtia quoad animam & corpus; nam eodem modo non benè dicitur de toto homine, *Hoc eſt corpus*, quia non prædicatur benè pars de toto niſi per tropum. Quòd ſi reſpondeas, illam propoſitionem ſolum denotare id quod eſt ſub ſpeciebus vi verborum, hoc autem verum eſſe; nam anima Chriſti & vnio vtriuſque non eſt ex vi verborum, tunc facilè reiicieris, quia eo ſenſu etiamſi maneret ibi panis, adhuc propoſitio eſſet vera; nam tunc τὸ *Hoc* non denotaret panem: hic enim non ponitur ex vi verborum, ſed ex ſe antea ibi erat. Si Secundo reſpondeas, animam non poſſe denotari ſub illis accidentibus, quia illis non ſubſtat, eſto ibi ſit Contra Primo, ergo ſi maneret ibi ſubſtantia panis, dummodo non eſſet vnita, quia eo ipſo non ſubſtaret accidentibus, eſſet vera ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum* hoc autem videtur durum. Contra Secundo, & melius, quia corpus Chriſti non aliter ſubſtat, quam quia eſt in eo loco cum alligatione ad ea accidentia: atqui id ipſum habet anima Chriſti.

Reſponſiones aliquorum examinantur & reijciuntur.

Dices: Saltem hæc replica non habebit locum in ſententia eorum qui ponunt cauſalitatem corporis Chriſti in accidentia: hi enim facilè reſpondere poſſunt, ſolum corpus illa cauſare, & fortaſſe ex hoc ipſo capite poterit perſuaderi ea cauſalitas, quia ſcilicet alioquin non eſſet vera ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum.* Sed contra, quia nec quidem in hac ſententia vitari omnino poteſt difficultas, nam cum veritas illius propoſitionis deſumatur in ordine ad communem modum loquendi etiam non Philoſophorum, profectò non debet ea veritas (ſi volumus prudenter diſcurrere) fieri dependens ab vna quæſtione valdè inter Philoſophos dubia, qualis eſt, Vtrum accidentia verè cauſentur materialiter aut efficienter à materia prima: quis enim (eſto aliunde reiiciatur ſententia Patris Leſſij

Etiam in ſententia Leſſij negantes cauſalitatem materialem. Leſſij negantis eam cauſalitatem materialem) dicet, non poſſe ea data fieri verè eas propoſitiones oſtenſo cadauere huius aut illius hominis, *Hoc eſt corpus Ioannis; Hoc eſt corpus Petri*: Pono autem exemplum in corpore mortuo, quia in eo nihil eſt, quod efficienter conſeruet ea accidentia humana; vnde ſi non ſit cauſalitas propria materialis, nihil eſt ſub accidentibus, quod illa conſeruet: poteſt etiam poni inſtantia in charta, muro, &c. quæ demonſtrari poſſent per accidentia, eſto ea non cauſarentur efficienter à muro. Ratio autem à priori, cur ab ea ſententia Leſſij non ſit pendens hæc quæſtio, ea eſt, quia in eo modo loquendi apud non Philoſophos nihil aliud communiter apprehenditur quam connexio & inſeparabilitas inter ea accidentia exteriora quæ videntur, & inter ſubſtantiam interiorem, quæ etiam ibi creditur eſſe: de cauſalitate autem diſtincta materiæ in accidentia nemo pro veritate earum propoſitionum fuit vnquam ſolicitus, quidquid deinde Philoſophi ex aliis rationibus occultioribus, & quæſo non deſumuntur ex eo modo loquendi, intulerint circa cauſalitatem propriam materialem aut efficientē in ea accidentia. Eſt autem hominis prudenter diſcurrentis res omnino certas non facere dependentes à rebus omnino incertis, etſi ipſe eam rem incertam aliunde iudicet eſſe veram; multò autem magis debet attendere, ne faciat dependentes à Philoſophica veritate omnino occultè modos ordinarios loquendi, qui vt tales vnicè pendent à communi ſenſu hominum nihil de ea incerta quæſtione cogitantium: ergo dicendum eſt, Chriſtum Dominum veritatem eius propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, non aliter ſine dubio intellexiſſe, quam vulgus intelligat veritatem aliarum, *Hoc eſt corpus Petri, Ioannis*, &c. Certum autem eſt, vt dixi vulgus eam cauſalitatem nullo modo conſiderare: ergo eſto ea concedenda ſit ob alias rationes, non tamen veritas verborum conſecrationis debet ab illa fieri dependens; ergo cum remota ea cauſalitate alligatio & præſentia animæ ſub illis accidentibus eadem ſit quæ corporis, manebit adhuc tota difficultas ſuprà poſita, quomodo pars prædicetur abſolutè de toto.

Quæ ſit veritas huius propoſitionis. Hoc eſt corpus meum.

27 Ideò Tertio quis reſponderet, animam Chriſti, quia vnitur cum corpore, & cum eo facit vnum quid, poſſe optimè demonſtrari per τὸ *Hoc*. Sed contrà, quia ſi demonſtratur per τὸ *Hoc*; ergo malè dicitur poſteà *corpus*, quia de corpore & anima ſimul vnitis non benè dicetur *Eſt corpus*; ergo adhuc ea propoſitio eſt falſa.

Reſponſio vera ſtabilitur. Reſpondeo, Præſentiam animæ non derogare veritati eius propoſitionis: quia licet non poſſit dici verè, *Petrus eſt corpus*, aut, *Homo eſt corpus*, quia homo plus dicit etiam in recto quam corpus; rectè tamen dicitur, *Hoc quod video eſt corpus Petri*, quia accidentia illa exteriora tantum videntur in rigore oſtendere corpus: vnde τὸ *Hoc* non eſt idem tunc ac *totus homo*.

Replica: Replicabis tamen, Semper τὸ *Hoc*, oſtendendo Petrum, ſignificabat idem ac Petrus; vnde fit, vt illa propoſitio ſit vera, *Hoc eſt Petrus*: ergo non poteſt τὸ *Hoc* prædicari verè de ſolo corpore. *Soluitur.* Reſpondeo, τὸ *Hoc* poſſe accipi duobus modis, vel pro toto compoſito, vel pro ſolo corpore; certum enim eſt me poſſe oſtendendo meum corpus dicere, *Hoc eſt corpus meum*; tunc autem τὸ *Hoc* non ſupponitur niſi pro corpore: quod verò etiam poſſit vſurpari pro toto compoſito, eſt certo certius; quia poſſum dicere etiam, *Hoc eſt corpus* Dico ergo τὸ *Hoc* eſſe quaſi æquiuocum, & ex circumſtantiis determinari ad ſignificandum aut partem aut totum.

Altera replica: Expeditur. Replicabis Secundò; Ergo eodem modo poterit accipi pro ſolo Chriſti corpore, etiamſi ibi ſit ſimul ſubſtantia panis; ſicut eſto ibi ſit anima, vſurpatur pro ſolo corpore. Reſpondeo negando conſequentiam, quia inter vnius totius v. g. vnius hominis partes, poteſt facilè vna ſupponi pro toto compoſito, vt oſtendi in illis duabus propoſitionibus, quæ iuxta communem modum dicendi veriſſimè proferuntur: vna, qua ego ipſe poſſum de meipſo dicere, *Hoc eſt corpus meum*: altera, qua poſſum etiam dicere, *Hoc eſt Rodericus*: ecce τὸ *Hoc* in vno caſu denotat ſolum corpus, in alio vtrumque: at ſi panis ſubſtantia eſſet ſub illis accidentibus, neceſſariò deberet ſemper denotari, quia cùm ea accidentia eſſent propria illius, maximè ipſam deſignarent; & quia cum Chriſto non faceret vnum quid, non poſſet per vllum vſitatum modum loquendi iam pro parte iam pro toto accipi; vnde ſemper & primariò pro panis ſubſtantia vſurparentur.

Quod ſi tamen hæc ſolutio, quia aliquo modo rem ſaluat per figuratum modum loquendi, non omnino placet, poſſum Secundò reſpondere: 28 Eſto, quando accidentia ſunt natura ſua propria eius rei in qua ſunt, & eam naturaliter ſignificant, non poſſit demonſtrando illa prædicari pars de toto; ac proinde dici nequeat oſtendendo Petrum, *Hoc eſt Petri corpus*; quia non poteſt dici, *Petrus eſt corpus*; ſed oporteat addere, *Hoc eſt corpus & anima Petri*, iuxta eam regulam Logicam, quod pars non prædicetur de toto; in eo autem caſu illa accidentia haud dubiè totum oſtendunt hominem; quando tamen accidentia non ſunt propria rei, ſed eam demonſtrant, quia miraculosè ex vna in alteram ſubſtantiam ſunt tranſlata, tunc τὸ *Hoc* non ſignificare niſi purè putè id in quod fuere directè & per ſe tranſlata, non verò id quod ex connexione naturali; deinde ibi ponitur, & hinc ſumitur differentia clara inter panis ſubſtantiam & animam Chriſti; nam cùm ea accidentia natura ſua ſint ſignificatiua panis, neceſſariò ſi hæc ibi manerent, debuiſſent per illud pronomen *Hoc* ea demonſtrari, & verò primò loco; vnde propoſitio illa, *Hoc eſt corpus meum*, fuiſſet falſa; quia de pane affirmaret eſſe Chriſti corpus: id quod haud dubiè falſum eſt: at anima Chriſti non eſt ſub accidentibus ſibi connaturalibus, vti neque ipſum corpus: in quo quidem pares ſunt. Præterea in animam non eſt conuerſus panis, quia noluit Chriſtus directè eam ibi ponere; & verba quæ faciunt eam tranſmutationem non ſignificant quidquam de anima; ergo ea accidentia non denotant vllo modo animam; ac proinde in τὸ *Hoc* nullo modo ea ſignificatur, ne quidem vagè. Adhuc tamen fortè non acquieſces, quia τὸ *Hoc* denotat contentum ſub his ſpeciebus; ſed ſub his continetur anima, ergo etiam illa denotabitur: & tamen in prædicato ea non ponitur; ergo prædicatio illa non eſt vera. Reſpondeo, τὸ *Hoc* non ſignificare quidquid contentum eſt abſolutè & omni modo, ſed quidquid eſt per ſe contentum; per ſe verò contineri dicitur, quidquid vel naturaliter ibi continetur (vnde, iuxta paulò

Altera reſponſio difficultatem eludit.

Replica occurritur.

Digitized by Google

paulò antè dicta, ſi panis ibi eſſet, deberet primariò demonſtrari, quia in eis ſpeciebus maximè per ſe contineretur), vel quod continetur ex intentione primaria & directa facientis eam tranſlationem; cùm ergo præcisè Chriſtus directè voluerit ſuum corpus ibi eſſe, fit vt illud ſolùm ſit per ſe, ac proinde per τὸ *Hoc* nec in confuſo ſignificetur anima, ſed ſolum corpus; ac denique ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, ſit veriſſima, etiamſi adſit anima; quæ alioquin eſſet falſa, ſi ſubſtantia panis adeſſet. Et ſatis de hac difficultate, quæ vix ab Auctoribus diſcutitur; & tamen, vt vidimus, ſatis eſt grauis.

SECTIO V.

Reſpondetur his quæ contra dicta obiiciuntur: vbi oſtenditur Chriſtum non poſſe influere in accidentia Euchariſtica.

29 *Obiectio de Angelo mouente cœlum ſoluitur.*

IAM ad obiectiones ſuprà poſitas contra ſubſtantiam doctrinæ deſumptas ex Angelo mouente cœlum, & ex Deo ſuccedente in locum ſubſtantiæ quoad cauſalitatem materialem, dicimus ideò non poſſe oſtendendo cœlum dici, *Hoc eſt Angelus*; quia ibi manet tota ſubſtantia cœli, quæ per τὸ *Hoc* demonſtratur: nec habet ſe cœlum per modum ciſtæ trahentis Angelum; neque Angelus ſecum mouet cœlum perinde ac ſi eſſe ſubſtantia accidentium illorum; nec Angelus eſt in toto loco cœli quaſi aliquid in ipſo cœlo incluſum: id quod facilius ad Deum applicatur, quia nec Deus mouetur ad motum accidentium aut ſubſtantiæ; neque ſub eis accidentibus exercet aliquid, quod magis ſit proprium Dei, quam quod exercet ſub cæteris creaturis, vt propterea magis ibi oſtendi poſſit quam in aliis; nam cauſalitas non ſufficit vt res cauſata dicatur eſſe ipſa cauſa. Vnde obiter obſeruo ad hoc vt demonſtrando ſpecies dicatur, *Hoc eſt corpus Chriſti*, non requiri vt corpus Chriſti exerceat circa ſpecies munus proprium ſubſtantiæ, quia hoc præcisè conſiſtit in cauſalitate materiali, quam non habet corpus Chriſti reſpectu ſpecierum: ratio autem cur id non requiratur conſtat ex prædictis. Hinc etiam intelliges, quo pacto Sacerdos conſecrans faciat Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus, non quidem phyſicè, ſed moraliter id cauſando; quatenus ſcilicet moraliter obtinet à Deo, vt deſtruatur ſubſtantia panis, ponatur ibi Chriſtus Dominus, & detur ſpeciebus virtus trahendi ſecum ipſum Chriſtum; ex qua virtute prouenit, & dum ipſe Sacerdos vel alij mouent ſpecies, ad motum illarum moueant etiam Chriſtum, ſicut qui mouet ciſtam mouet aurum in illa incluſum.

Sacerdos conſecrans facit vt Chriſtus ſit ſub ſpeciebus cauſando moraliter.

30 *Obiectio.*

Dices: Præſentia Sacramentalis Chriſti non mutatur, licet moueatur corpus Chriſti & eius ſpecies, & tamen tunc mutantur præſentiæ locales; ergo præſentia Sacramentalis non conſiſtit in intima præſentia corporis Chriſti cum ſpeciebus, quia hæc prouenit formaliter ab ipſis vbicationibus; debet ergo poni aliqua vnio quæ ſemper duret. Propter hoc argumentum Suarez diſp. 47. ſect. 2. ponit præſentiam Sacramentalem in habitudine aliqua ſpecierum ad corpus, fundata in præſentia reali: id quod mihi omnino diſplicet, quia illa habitudo nihil eſt aliud realiter quam denominatio extrinſeca deſumpta ex præſentiis realibus; ergo quotieſcumque præſentiæ mutantur, mutatur etiam ea denominatio & conſequenter habitudo. Dicendum ergo eſt, præſentiam Sacramentalem non conſiſtere iuxta dicta in ſola præſentia reali, ſed in illa & carentia panis & virtute trahendi corpus; carentia autem panis & virtus attractiua non mutantur, licet moueantur & ſpecies & Chriſtus. Vnde argumentum ſolum probat præſentiam Sacramentalem inadæquatè mutari: id quod libenter fatemur phyſicè loquendo, quia phyſicè non diſtinguitur ab iſtis præſentiis; in ordine autem ad prudentem exiſtimationem nec inadæquatè mutatur, quia ſuccedunt aliæ duæ præſentiæ omnino inter ſe indiſtantes ſicut præcedentes: vnde ſemper iudicatur eadem indiſtantia Chriſti à ſpeciebus. Sicut ſi homo moueatur, vel feratur in ſella, etiamſi phyſicè mutet ſeſſionem, quia mutat vbicationes, in quibus conſiſtit ſeſſio; tamen homines ſemper putant, quamdiu à ſella non ſurgit, eamdem manere ſeſſionem: & idem eſt in figura & in multis aliis rebus.

Sententia Suarez, ponentis præſentiam Sacramentalem in habitudine ſpecierum ad corpus, reiicitur.

Reſpondetur obiectioni.

31 *Oſtenditur contra Suarez & Cardinalem Lugo nullam eſſe cauſalitatem Chriſti in ſpecies.*

Iam reſtat oſtendere, nullam eſſe cauſalitatem Chriſti Domini in ſpecies, contra Cardinalem Lugo, Suarez & paucos alios. Et in primis mihi non placet, quòd putent nonnulli præcipuum munus ſubſtantiæ reſpectu accidentium in hac cauſalitate conſiſtere: etenim dixi ſuo loco vix eſſe vllum argumentum, quo huiuſmodi cauſalitas effectiua in accidentia probetur; vnde opinio Patris Leſſij eam negantis eſt probabilis: quidquid autem de ea ſit, fateri ſaltem debemus, eam cauſalitatem eſſe in materia reſpectu formæ ſubſtantialis materialis, v. g. formæ equinæ; vbi tamen nihil eſt prorſus de exercitio ſubſtantiæ reſpectu accidentis: ergo præcipua ratio ſubſtantiæ non conſiſtit in ea cauſalitate; ac proinde vt probemus Chriſtum eſſe per modum ſubſtantiæ reſpectu eorum accidentium, non eſt neceſſum defatigare nos in probanda ea cauſalitate. Secundò fateri debemus, eam cauſalitatem nequaquam eſſe vulgariter notam etiam apud eos qui ſciunt calorem v. g. eſſe accidens: homines enim maximè ex ſeparabilitate eam rationem accidentium probant, eò quòd homo idem oſtenditur, ſiue calidus ſiue frigidus ſit, ſiue ridens ſiue flens, &c. ergo putandum etiam eſt Chriſtum Dominum ad hoc, vt oſtenderet ſe ſub illis accidentibus contineri, non fuiſſe ſolicitum vllo prorſus modo de ſuſcipienda hac cauſalitate, vt fuſiùs ſupra dixi.

Argumentũ validum contra cauſalitatem Chriſti in accidentia.

Verùm efficacius eam reiiciamus, & quidem probando hic & nunc eam eſſe omnino impoſſibilem, quod ſic oſtendo: Priùs natura quàm ſub accidentibus ponatur Chriſtus intelliguntur accidentia exiſtere; ergo ea non cauſantur à Chriſto efficienter. Conſequentia eſt bona, quia quoad primam cauſalitatem (de qua nunc agimus) nihil poteſt influere in id quod ſupponitur priùs natura ante ipſum; imò in ſententia Cardinalis Lugo, qui hanc cauſalitatem ponit, nec quoad ſecundum eſſe ſeu quoad ſecundam actionem poteſt quidquam eſſe cauſa eius quod ſupponitur in eodem inſtanti priùs natura ad ipſam cauſam; hinc enim probat nec diuinitus poſſe, etiam per ſecundam actionem, aliquid eſſe cauſam ſui nec mediatam nec immediatam. Probo ergo eam prioritatem; nam vt Chriſtus ponatur ſub accidentibus, ſupponuntur accidentia exiſtere: ea enim omnino ſunt independentia

Digitized by Google

dentia in ſua exiſtentia à poſitione Chriſti; è contrario verò Chriſtus pendet ab exiſtentia illorum accidentium, non ponendus alioquin, ſi ea ibi non eſſent: hoc autem formaliſſimè conſtituit dependentiam vnius ab altero à priori hinc etiam fit, quod dicere poſſimus, *Ideò Chriſtus ponitur, quia accidentia exiſtunt*; & verba ſupra illa proferuntur;non è contrario, *Exiſtunt accidentia, quia Chriſtus ponitur*.

32 Huic argumento reſpondet, nullo modo accidentia eſſe priùs natura in inſtanti conſecrationis,ſed ſolum intelligi in eo priori, quod accidentia extiterint in præcedenti inſtanti reali, & non ſint poſitæ diſpoſitiones contrariæ: eo enim ipſo Chriſtus ponitur,& producit efficienter ea accidentia; imò addit, fortè non eſſe neceſſum illa omnia concipere, ſed quod non ſit adhuc applicatum agens contrarium, quod ea accidentia deſtruat. Hæc ſolutio facillimè reiicitur; nam ſpecies, eo ipſo inſtanti quo completur conſecratio, ac proinde quo ponitur Chriſtus, debent priùs natura intelligi exiſtentes,quia vt tales demonſtrantur à Sacerdote: illa autem demonſtratio, vt pote partialis cauſa eius conſecrationis, haud dubiè debet eſſe prior natura, præcedere autem eam demonſtrationem patet: nam licet priùs tempore præceſſerit τὸ *Hoc* & *Hic*, per quæ ſpecies oſtenduntur, ea tamen oſtenſio debet neceſſariò toto tempore permanere vſque ad poſitionem Chriſti, perinde ac ſi quis conſtanter repeteret, dum alia verba proferunt, *Hoc hoc* vſque ad finem; τὸ autem *Hoc* ſupponit priùs natura exiſtentem rem quam demonſtrat. Vrgeo,Idem omnino eſſet valor conſecrationis, ſi inuerterem formam conſecrationis, & vltimo loco ponerem ſpecies,aut τὸ *hoc* vel *hic*, tali modo, *Corpus meum eſt hoc*, vel *Corpus meum eſt contentum ſub ſpeciebus panis his*, vel *Sanguis meus eſt contentus ſub ſpeciebus his*: eo autem caſu quis poſſit negare, priùs natura debere eſſe eas ſpecies. Vrgeo Secundo,vt demonſtrare eas poſſit Sacerdos, debet vel videre, vel alio ſenſu percipere;vt autem eas videat, debent priùs natura illæ exiſtere. Confirmo Secundo in ipſa intentione ſeu voluntate Sacerdotis conſecrantis; nam licet de facto illa verba proferat ſucceſſiuè, priùs *Hoc*, deinde *eſt*, haud dubiè tamen omnino per accidens id contingit nam ſi Chriſtus non requiſiſſet verba exteriora, ſed dixiſſet, *Cum primum poſtquam ſpeciem ſeu hoſtiam Sacerdos tenet manu,eo ipſo quod habeat interiorem voluntatem, qua dicat,Chriſtus ponatur ſub his ſpeciebus, eo ipſo volo Chriſtum ibi poni*; profectò quoad punctum conſecrationis & ſucceſſionis Chriſti in locum ſubſtantiæ, & quod poſteà poſſet Chriſtus demonſtrari,idem omnino eſſet ac ſi per prolationem ſucceſſiuam verborum fuiſſet poſitus: atqui eo caſu neceſſariò priùs natura debuiſſet ſupponi Chriſtus,quia illa intentio tota exiſtit in inſtanti, & tota illa dirigitur ex viſione accidentium eodem inſtanti; ergo de primo ad vltimum illa accidentia fuere priùs natura quam Chriſtus ſub ſpeciebus. Et verò, ſi rem prudenter conſideremus, idem argumentum nunc fit in eadem intentione Sacerdotis, eſto debeant verba ſucceſſiua interuenire; nam poteſt quis in ea intentione manere toto tempore prolationis vſque ad finem.

Reſponſio Cardinalis Lugo ad argumentum præcedens refutatur.

Valida eſt forma inuerſa, Corpus meum eſt hoc.

Priùs natura ſunt accidentia quam Chriſtus ſub ſpeciebus.

33 Habet autem hoc maiorem difficultatem in ſententia Cardinalis Lugo, qui ſemper requirit intentionem aliquam expreſſam, licet remiſſam, quæ exiſtat toto tempore quo forma profertur; ergo intentio, quæ etiam ipſo vltimo inſtanti prolationis verborum durat, nititur exiſtentiæ accidentium: quia enim agnoſcit ea exiſtere, vult ſub illis Chriſtum ponere; ergo non ſolùm pro tempore præcedenti debent ſupponi exiſtere accidentia, ſed maximè pro eo ipſo inſtanti, quo vltimò conſecratio perficitur, ac proinde pro eo pro quo Chriſtus ponitur: vnde clare conſtat priùs natura conſeruari accidentia antequam Chriſtus ſub eis ponatur; ac proinde Chriſtum non poſſe eſſe cauſam à qua illa habeant ibi ſuum eſſe. Præterà non poteſt negari,quin homo in ipſa vltima prolatione verborum poſſit dirigi ad volendam eam vltimam prolationem, ex eo quod tunc videat accidentia ante ſe,ſeu ex eo quod noſcat ea durare, non prolaturus ea vltima verba niſi accidentia illa videret, nemo ſanè negabit poſſe hoc contingere; vti neque poteſt negari futurum validum Sacramentum eo caſu, quia cum reflexione maxima intentionis fieret tunc conſecratio: atqui eo tempore ipſo inſtanti vltimo prolationis, quando Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus, omnino præcedunt natura accidentia, quia ex iudicio, ſeu viſione, quod exiſtant, Sacerdos mouetur ad proferenda ea vltima verba; ergo ſaltem tunc non poſſet Chriſtus eſſe cauſa accidentium: quod ſi id concedimus vel in vno caſu, ſemper debebit concedi. Denique, eſto admitteremus accidentia non eſſe priùs natura quam ſit Chriſtus,non tamen poſſum capere è contrario, quomodo poſſit Chriſtus priùs eſſe ſub Sacramento quam accidentia concipiantur, ſub quibus ſit: atqui Chriſtus non poteſt eſſe cauſa accidentium, ſi non exiſtat priùs natura quam illa; ergo nullo modo poteſt explicari cauſalitas Chriſti in ea accidentia.

Proinde Chriſtus non poteſt eſſe cauſa illorum.

SECTIO VI.

Explicatur dubium incidens; & reiicitur euaſio quædam pro argumento à nobis facto contra cauſalitatem Chriſti in accidentia.

EX dictis inſurgit grauis difficultas; nam ſi 34
accidentia debent præſupponi in priori naturæ eo vltimo inſtanti, quærimus à quo in eo priori cauſentur; non à ſubſtantia panis, quia ea non exiſtit eo inſtanti; non à Chriſto, vt diximus; ergo debent ſupponi conſeruata à Deo ſolo: hoc autem videtur nequaquam poſſe admitti; nam verba conſecrationis nihil efficiunt niſi cùm perficiuntur; ergo antequam perficiantur non poſſunt Deum mouere ad hoc, vt miraculosè conſeruet ibi ea accidentia. Confirmo, ſi in eo priori ante prolationem verborum iam accidentia conſeruantur independenter à ſubſtantia panis:ergo ſi Sacerdos tunc pro ſua libertate omitteret ea verba, aut intentionem reuocaret,ac proinde ſub illis accidentibus non poneretur Chriſtus, manerent nihilominus accidentia ſine ſubiecto, ſeu non conſeruata à ſuo ſubiecto; hoc autem videtur abſurdum, quia quando non profertur tota forma eſſentialis Sacramenti, perinde eſt in ordine ad actus omnes Sacramentales ac ſi nihil penitus eſſet dictum.

Mouetur grauis difficultas, à quo cauſentur accidentia.

Proponitur caſus.

Aliquis fortè reſponderet, Deum per ſcientiam mediam præuidiſſe, ſi talis & talis incipiat proferre

Examinatur, An illa accidentia

conſeruentur à Deo miraculosè ſine ſubiecto; & quo caſu non.

proferre formam, non eam abſoluet, vel non habebit intenſionem requiſitam ad conficiendum Sacramentum, & pro tali caſu non conſeruaſſe Deum illa accidentia miraculosè ſine concurſu ſubiecti; in reliquis verò caſibus, in quibus iam ſciebat nullum fore periculum, ea conſeruaſſe. Sed contrà, quia ſi id ita ſit, cogemur vnum è duobus admittere, vel illum Sacerdotem (qui præuiſus fuerat non abſoluturus verba) non habuiſſe poteſtatem conſecrandi, quia vt eam haberet, debuit poſſe ponere Chriſtum ibi excluſo pane; ad hoc autem non habuit vires, quia priùs natura quam vellet loqui, iam ſupponebatur ſubſtantia panis ibi durans; ergo non potuit illam reiicere, & Chriſtum ibi ponere; hoc autem eſt abſurdum, quia ſine dubio ille vti liberè ceſſauit ab vltimis verbis, ita liberè potuit ea proferre, & conſecrationem perficere ac proinde Chriſtum ibi ponere; vel ſequitur, ſi Chriſtum potuit ibi ponere, potuiſſe tunc illum ita conſecrare, vt ſimul maneret Chriſtus cum ſubſtantia panis, quia (vt oſtendimus) panis iam ſupponitur ibi priùs natura; ergo ſi adhuc Chriſtus poteſt poni, ſine dubio poteſt coniungi cum pane: hoc autem durius multò eſt, & prætereà euidenter falſum: quia eſſet contra veritatem verborum, quæ non admittunt permanentiam panis, vt ſæpè diximus: ſi autem verba non eſſent vera, ergo etiam vi illorum non potuiſſet Chriſtus ibi poni; ac proinde eſſent vera, & non vera: vera, quia ponunt Chriſtum; non vera, quia non expellunt panem.

35 *Aliquorum ſententia & reſponſiones reiiciuntur.*

Fortaſſe ad hoc vltimum abſurdum reſponderet quis; Licet in eo priori ſupponantur accidentia panis conſeruata materialiter à pane, fieri tamen poſſe, vt non ſupponantur illi vnita; quia (vt in Tomo Philoſophico oſtendi) cauſalitas materialis non eſt idem cum vnione eiuſdem formæ; benè ergo potuit præintelligi cauſalitas ante vnionem: vnde ſi prædicto caſu dixiſſet ille Sacerdos vltima verba, poſitus quidem fuiſſet Chriſtus ſub eis accidentibus, non tamen cum pane; quia panis eſto manſiſſet in rerum natura pro eo inſtanti, non tamen vnitus accidentibus: veritas autem verborum non exigit deſtructionem panis (vt infrà dicemus) dummodò non maneat ſub eis accidentibus. Quod ſi vrseris, Ergo ſaltem in eo caſu non eſſet conuerſio panis in corpus Chriſti, quia ad conuerſionem requiritur deſtructio panis; id autem videtur eſſe contra Tridentinum; reſponderi adhuc poſſet, eam fore conuerſionem; quia licet eo primo inſtanti non eſſet corruptus panis, corrumpendus tamen erat in inſtanti ſequenti: id quod ſufficeret ad abſolutè vocandam illam conuerſionem: neque enim Concilium de eo vnico inſtanti fuit ſolicitum, maximè cùm ille caſus nunquam ſit ponendus in rerum natura; quia per ſcientiam mediam vidit Deus talem Sacerdotem nihil poſiturum. Hæc autem ſolùm dicta ſint, vt ſaluemus illam potentiam Sacerdotis ad ponendum Chriſtum cum præcedentia cauſalitatis materialis panis in ea accidentia. Nihilominus hæc ſolutio non poteſt ſuſtineri, quia ea cauſalitas materialis eſto non ſit ipſa vnio cum re cauſata, debet tamen neceſſariò habere annexam vnionem ſaltem pro poſteriori naturæ iam autem ſequeretur panem ſimul cum Chriſto pro poſteriori naturæ eſſe ſimul, ac proinde non verificari verba, vt paulò ante dicebam. Hac ergo ſolutione reiecta.

Abſolutè reſpondeo Primò, Etiam Cardinalem Lugo teneri ob hoc argumentum concedere priùs natura ad conſecrationem decretum aliquod miraculoſum circa conſeruationem eorum accidentium & panis; nam accidentia decernit omnino conſeruare, ſiue ſequatur conſecratio, ſiue non; ſubſtantiam verò panis ſolùm caſu quo conſecratio non fit. Prætereà cùm natura ſua panis & accidentia illa ſint omnino independentia à conſecratione, Deus tamen ea facit tunc poſteriora; fieri autem poteſt vt eo inſtanti nolit Sacerdos conſecrare, & quodammodò illa mutatio decretorum maneat ſine eo fine ad quẽ ordinabatur. Hoc ipſum ferè nos dicimus, niſi quod conſecrationem facimus poſteriorem ad conſeruationem accidentium; quia, vt fusè oſtendimus, accidentia vt demonſtrabilia priùs natura debent ſupponi vt materia ſupra quam cadat conſecratio, & vt id quod poteſt etiam eo inſtanti mouere Sacerdotem ad vltimò complendam conſecrationem. De ſubſtantia autem panis nihil tunc Deus decernit, quouſque videat, an Sacerdos ille re ipſa compleat conſecrationem; cũ ergo tunc pro eo inſtanti conſeruatio accidentium ſit independens à conſeruatione panis; (quã independentiam iam oſtendi debere admitti ab hoc Auctore, quia ſiue panis ſit, ſiue non, manebunt tamen accidentia;) profectò connaturalius eſt dicere, Deum tunc ſe ſolo illa accidentia conſeruare, vti facturus eſt toto tempore quo durat conſecratio. Quod ſi Sacerdos ille tunc liberè deſiſtat ab ea conſecratione, admittimus eo inſtanti accidentia non conſeruanda materialiter à pane, eſto hic ibi maneat. Per quod tamen non aſſerimus vllo modo manſura ea accidentia etiã eo vnico inſtanti ſine ſubiecto; nam eo ipſo quod ibi permaneat ſubſtantia panis ob defectum conſecrationis, iuxta dicta, Deus poſterius natura dat illis accidentibus naturalem vnionem cum ſua ſubſtantia; in ſequentibus verò inſtantibus realibus ſequitur cauſalitas panis in eodem more antiquo & naturali. Et hæc circa obiectionem contra noſtrum argumentum.

37 *Reſponſio ad noſtrum argumentum diſcutitur.*

Iam verò videamus, quomodo poſſit argumento noſtro reſponderi, ita vt & accidentia ſint priora poſitione Chriſti ſub eis; & tamen Chriſtus in ea influat materialiter. Dicere ergo poterunt, hoc argumento euinci quidem, Chriſtum ſi alioquin independenter ab hoc Sacramento non exiſteret, non poſſe eſſe cauſam accidentium; quia tamen ſupponitur iam in cœlo exiſtens, nullam eſſe difficultatem in eo, quod pro priori naturæ ante accidentia concipiatur vt cauſa illorum, & poſteriùs natura accipiat vbicationem, qua fiat illis præſens expulſa ſubſtantia panis: ſæpè enim diximus, approximationem non eſſe conditionem prærequiſitam eſſentialiter, imò nec naturaliter ad operandum; ſed ſufficere, ſi ea ſequatur in poſteriori naturæ. Hæc tamen ſolutio facilè reiicitur. Primò, quia ſpecies Sacramentales vti non pendent à Chriſto Sacramentato, ita neque à Chriſto in cœlis exiſtente. Huic replicæ reſponderi poterit, id quidem ita eſſe ordinariè loquendo; at in eo inſtanti, vt locus fiat conſecrationi, Chriſtum efficienter illa conſeruare, vti immediatè ante diximus conſeruari à Deo ſine concurſu ipſius ſubſtantiæ panis: hæc enim conſeruatio etiam eſt miraculoſa. Ideò Secundò reiicitur illa ſolutio; nam actio eſto non requirat præuiam approximationem cum paſſo, ſaltem eam requirit in

Et refutatur.

eodem

Digitized by Google

eodem inſtanti poſteriùs natura. At ea accidentia ita eo inſtanti priùs natura conſeruantur, vt licet Chriſtus non poneretur, quia Sacerdos ſe determinaret liberè ad non conſecrandum, nihilominùs manerent accidentia in rerum natura; in eo autem caſu non maneret Chriſtus eis approximatus; quia ſi non conſecraretur re ipſa hoſtia, Chriſtus non acciperet vbicationem illam ſub hoſtia, ſed maneret in cœlo.

Fortè & huic replicæ reſpondebitur iuxta ſententiam probabiliorem, poſſe diuinitus cauſam operari in diſtanti, ac proinde etiamſi eo caſu Chriſtus non poneretur ſub accidentibus, quia re ipſa non fieret conſecratio, ea accidentia tamen conſeruanda à Chriſto diſtante & exiſtente in cœlo. Sit ergo tertia & efficax impugnatio, quia Chriſtus nullam cauſalitatem Sacramentalem exercet niſi poſteriùs natura ad conſecrationem, ſeu, vt clariùs dicam, niſi dependenter à conſecratione integra & perfecta; ergo etiamſi Chriſtus in cœlo ſit prior accidentibus, cauſalitas tamen eius, per quam ponitur in Sacramento, debet eſſe poſterior conſecratione, ergo poſterior accidentibus, quia hæc (vt oſtenſum eſt ſuprà fusè) ſunt priora ipſa conſecratione, ergo iam accidentia ſupponuntur producta per aliam cauſalitatem priorem: duas autem cauſalitates non poſſumus hîc ponere, & verò ſi vna ſit poſterior altera, omnino repugnant ſimul tempore iuxta hunc Auctorem.

Aliud argumentum, quo impugnatur cauſalitas Chriſti in accidentia.

SECTIO VII.

An ſit in accidentibus ponenda aliqua qualitas qua trahant Chriſtum?

38 DIFFICILIVS eſt, Vtrùm ponenda ſit aliqua qualitas in accidentibus, per quam moueatur Chriſtus ad motum ſpecierum. Cardinalis Lugo diſput. 6. ſect. 2. ponit quamdam qualitatem ſupernaturalem habentem ex natura ſua vim trahendi ſecum corpus Chriſti; cuius duplex eſt fundamentum: vnum, quòd per eam qualitatem clariùs explicetur, quomodo qui mouet ſpecies moueat Chriſtum Dominum, quatenus dum immediatè trahit ſpecies, trahit Chriſtum, qui phyſicè trahitur per illam qualitatem; alioquin ſi ſolus Deus moueret Chriſtum ad motum ſpecierum, non poſſet homo mouens ſpecies dici mouere corpus. Secunda ratio, quia quando cauſa aliqua naturalis eleuatur ad aliquem effectum ſupernaturalem, connaturalius eſt, vt eleuetur per potentiam aliquam illi intrinſecam; vti intellectus eleuatur per lumen gloriæ ad videndum Deum, & voluntas ad actus virtutum ſupernaturalium eleuatur per habitus ſupernaturales.

Cardinalis Lugo admittit qualitatem ſupernaturalem trahentem ſecum corpus Chriſti.

Indico primùm, non repugnare talem qualitatem: ſunt enim qualitates multæ quæ habent vim naturalem cauſandi motum in corporibus vicinis; cur ergo non poterit vna talis eſſe ſupernaturalis? Secundò cenſeo, non poſſe facilè intelligi, quomodo talis non vniatur corpori Chriſti, iuxta huius Auctoris doctrinam, qui (vt vidimus Tomo 6. agentes de vnione hypoſtatica) vnionem ipſe non aliter explicat, quàm in ordine ad vim illam trahendi ſecum ad eumdem locum rem quæ dicitur vnita; hoc autem totum habet ea qualitas non ſolùm reſpectu ſpecierum, ſed reſpectu Chriſti, ergo. Tacitè huic obiectioni videtur reſpondiſſe in præſenti addendo, ad rationem veræ vnionis requiri, vt exigat ſe poni vbicumque eſt ſubiectum; hoc autem ea qualitas reſpectu Chriſti non habet, quia Chriſtus adhuc manet in cœlo & in aliis hoſtiis, vbi non eſt hæc qualitas. Mihi hæc ſolutio nequaquam ſatisfacit, quia ſuprà oſtendi, eam exigentiam difficillimè poſſe in omni vnione ſaluari; nam vnio humanitatis Chriſti ad Verbum eſt vera vnio, & tamen non petit poni humanitatem in omnibus locis vbi eſt Verbum: item, materia capitis verè vnitur animæ rationali, & tamen non exigit ea materia eſſe vbicumque eſt anima. Quòd autem reſponderi poſſit de adæquata & inadæquata poſitione, ſatis efficaciter eſt à me ſuprà reiectum. Secundò fortiùs nunc argumentor; Nam vbicatio Chriſti in cœlo verè vnitur Chriſto, & tamen ipſa non exigit poni etiam in aliis locis adæquatis vbicumque eſt Chriſtus; ergo ea exigentia non eſt de conceptu vnionis.

Non repugnat talis qualitas.

Sed non reddit rationem ſufficientem, cur illa qualitas nō vniatur corpori Chriſti.

Vt patet conſideranti naturam vnionis.

Dices: Ea vbicatio eſt immobilis ex ſe; quid ergo mirum ſi non ponatur alibi? Sed contrà clarè, quia ſi de ratione vnionis propriæ eſt ea exigentia eſſendi in omnibus locis, vbi eſt, extremum alterum vnitum; profectò cùm vbicatio illa non habeat eam exigentiam, vndecumque id illi proueniat, carebit etiam proprio & eſſentiali prædicato vnionis, ac proinde non erit vera & propria vnio: vti, quia de ratione quantitatis eſt exigere naturaliter impenetrationem cum ſimili quantitate, eo ipſo non poterit eſſe quantitas ea res, quæ tali exigentia ex ſe caruerit, vndecumque ei veniat ea carentia. 39

Fortè adhuc dices: Exigentia illa poſitionis in duobus locis debet eſſe cum hac limitatione, *Quantum ſalua eius rei ſubſtantia poteſt eſſe*; ſalua autem natura ſeu ſubſtantia vbicationis non poteſt eſſe in duobus locis; quid ergo mirum, ſi, eſto id non exigat, ſit tamen vera vnio. Sed contrà Primò, quia reuerà vbicatio hæc nullam talem habet exigentiam nec conditionatam: cùm enim per ſubſtantiam ipſius repugnet illi ea poſitio in duobus locis, nullam profectò habet exigentiam illius. Vti homo non habet exigentiam nec conditionatam irrationalitatis; & tamen ea vbicatio verè vnitur Chriſto per ſolam eam exigentiam intimæ præſentiæ cum illo: ergo illa alia exigentia exiſtendi vbicumque eſt ſubiectum, nullo modo eſt de conceptu vnionis vt ſic.

Secundò argumentor: Nam eo ſenſu ego dicam, etiam illam qualitatem habere eiuſmodi naturalem exigentiam (quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia concipi;) quia verò ipſius ſubſtantia non petit eſſe niſi in vno loco, hoc vel illo, ideò non poni in omnibus; profectò ſi per has conditionales, *Quantum non repugnat ſubſtantiæ*, velimus res declarare, aliquis poſſet dicere, brutum habere exigentiam ratiocinationis quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia, & hominem habere exigentiam volandi quantum poteſt ſalua eius ſubſtantia, & ſic cuilibet rei daremus eo modo exigentias omnium aliarum, & omnia planè hoc modo miſceremus. Conſtet ergo hunc Auctorem, qui nequaquam vult admittere vnionem Chriſti ad ſpecies, vix poſſe admitere eam qualitatem intrinſecam exigentem intimam præſentiam Chriſti ſecum, & cum ſpeciebus.

Aliter impugnatur ratio Cardinalis Lugo.

Tertiò circa eam qualitatem cenſeo, non eſſe 40

Digitized by Google

Iam tamen ſpecialem contra doctrinam noſtram.

eſſe ſpecialem contra hanc ſententiam meam (quam defendo ſine vlla prorſus inconſequentiæ nota;) eſt ergo tota hæc difficultas ob inexplicabilem compoſitionem continui in Ariſtotelis ſententia, vnde obiectio illa debet æquè ab omnibus ſolui. Pro quo aduerte, data ea ſententia Ariſtotelis non poſſe vlla ratione dici Chriſtum totum eſſe in ſolis punctis hoſtiæ, alioquin iam eo ipſo poneremus totam hoſtiam compoſitam ex ſolis punctis: quæ eſt ſententia Zenonis, quam nunc fugimus: debet ergo ita eſſe Chriſtus, vt ſi ſimul in punctis & partibus ſi dentur puncta & partes, vel certè in ſolis partibus indeterminatis. Hoc poſito ſic clariſſimè argumēto reſpōdeo, Præſentiam proportionalem,

8 *Reſpondetur argumento Cardinalis Lugo,*

quam pars proportionalis Chriſti habebat naturaliter ad partem proportionalē ſpatij, penetrari cū reliquis omnibus, quæ in ſimili parte proportionali poterant eſſe ſucceſſiuè. In quo puncto non eſt nunc maior difficultas, quàm quod ſucceſſiuè potuerit manus Chriſti v.g. tranſire per ſpatium hoſtiæ. Et pro maiori intelligentia concipe manum Chriſti ita venire naturaliter in longum ad extremitatem hoſtiæ cōſecrandæ, vt in eodem puncto terminetur cum hoſtia; da illam manum velle ſucceſſiuè ab initio hoſtiæ ad finem vſque pergere; profectò ſi illæ præſentiæ omnes; quas reliquæ partes manus ad longum ſucceſſiuè eſſent habituræ, dum vellent tranſire per hoſtiam, arreſtarentur (vt ſi dicam) à Deo, & detinerentur ſimul, ne manus iret vltra hoſtiam, per ſolas illas præſentias eſſet tota manus in extrema parte hoſtiæ: quod autem dico de tranſitu ad longum vltra hoſtiam, dici poteſt eodem modo de omni alia dimenſione hoſtiæ; ergo ratione naturalitatis non poteſt difficultas vlla eſſe ſpecialis in noſtro caſu.

Confirmatur & explicatur reſponſio:

Explico & confirmo id euidenter Primò; nam per hoc, quod illæ præſentiæ ſint ſupernaturales non augetur nec minuitur vllo prorſus modo numerus magis quam ſi ſint naturales, ſiue eas velis numerare per partes proportionales, ſiue per determinatas (vt videtur ex terminis notum) cùm ſupernaturalitas ſe habeat per accidens ad huiuſmodi multiplicationem, & ſupponamus non vbicari totum Chriſtum per vnam indiuiſibilem præſentiam. Hoc ergo poſito clarè infero, non eſſe vllam ſpecialem difficultatem apud me in explicando modo, quo afficiunt quoad diuiſibilitatem ſubiectum præſentiæ naturales præ ſupernaturalibus. Iam veniamus ad alteram partem de partibus ſpatij, cui Chriſtus ſit præſens, & in illis rogo, vtrùm qualibet pars proportionalis ipſius præſentiæ reſpiciat ſpatium indiuiſibile, an verò è contrario proportionale ſicut ex parte ſubiecti reſpicit etiam partem proportionalem, iuxta paulò antè dicta: ſi dicatur primum, tunc in hoſtia non erunt niſi pura puncta ſpatij, ſiue infinita illa ſint, ſiue finita; & tandem relabemur in ſententiam Zenonis, quam (vt dixi) nunc ſupponimus falſam: ſi dicatur ſecundum, ſcilicet eam partem proportionalem præſentiæ ſupernaturalis reſpicere partem proportionalem ſpatij; idem ego dicam de parte proportionali naturali, quia (vt hoc iterum repetam) ad rem præſentem ſupernaturalitas nihil facit ad partes proportionales aut diuiſibiles ſpatij; ſi autem de vnione earum partium ſit ſermo, iam oſtendi etiam eas naturales poſſe vniri.

9 Secundò principaliter vrgeo ad hominem, nam hic Auctor ſaltem quad præſentias animæ Chriſti Domini admittit naturalitatem; vnde efficaciter argumentor: Illæ præſentiæ naturales *Vrg ur ad hom um.* animæ conglobatæ in vnum reſpiciunt ſimul ſpatium imaginarium bis, ter, quater, &c. ſicut reſpexiſſent ſucceſſiuè, ſi naturaliter anima in partibus diuerſis corporis ſucceſſiuè tranſiuiſſet illud ſpatium hoſtiæ: ergo quoad partes ſaltem ipſas ſpatij dicere idem ego potero de præſentiis naturalibus, quas corpus ſucceſſiuè habuiſſet, ſi ſucceſſiuè pertranſiiſſet idem hoſtiæ ſpatium. Dixi *ſaltem quoad partes ſpatij*, quia licet ex parte ſubiecti ſit diuiſibilitas in præſentiis corporis; quæ diuiſibilitas non eſt in anima; & ex hoc capite videatur eſſe aliqua differentia; cùm tamen hic Auctor ex duplici capite dicat eſſe in meis principiis ſpecialem difficultatem, tum ob diuiſibilitatem ſubiecti, tum ob ſpatij; ſufficit mihi quod vnam ſaltem oſtenderim eſſe in eius ſententia, vt inde ex ſolutione, quam ipſe adhibuerit pro illa, conſtet quid ſit ad alteram dicendum: nulla enim eſt ſpecialis difficultas in vna magis quàm in altera, ſi res benè conſideretur; vnde conſtat me nullam penitus inconſequentiam admiſiſſe, & fortaſſe hunc Auctorem, qui ob ea argumenta reiicit naturalitatem in vbicationibus corporis, & admittit in animæ præſentia, minus poſſe ſaluare conſequentiam.

Con uditur cont Cardina m Lugo, n. lam eſſe nostra doct na ſpecial n difficult em nequo nconſequen iam.

Denique, quod initio ferè numeri 170. ait me ponere ſimul in Chriſto præſentias partiales, quæ ſeorſim poſſent naturaliter exiſtere, hoc inquam non traditur à me, quia ſolùm dicimus præſentias illas partiales naturales, quæ vnitæ quidem cum aliis ad loca vicina, potuiſſent ſucceſſiuè eſſe in ea parte ſpatij (ſiue proportionata, ſiue determinata, vt volueris) caſu quo per illam tranſiuiſſet ſucceſſiuè manus Chriſti: quo etiam caſu haud dubiè in eo ſpatio hoſtiæ pertranſiens manus nullam omnino habuiſſet præſentiam, quæ non fuiſſet vnita anterioribus præcedentibus & poſterioribus, illas inquam omnes præſentias, quæ naturaliter fuiſſent vnitæ iuxta ſupra dicta, dicimus nunc potuiſſe ſimul à Deo conſeruari in extrema parte hoſtiæ, & conſequenter ibi poni totam manum: id quod eodem modo dicendum eſt de reliquis partibus ſpatij illius hoſtiæ: quomodo autem Deus eas præſentias actu coniungat, non habet maiorem difficultatem quam communis ſententia Ariſtotelica, quomodo ſcilicet Deus actu producat partes has indeterminatas chartæ v.g. eiſque det vbicationes nouas dum mouetur charta recta ſucceſſiuè; neque habet maiorem difficultatem in naturalibus quam in ſupernaturalibus: eadem enim eſt in vtriſque confuſio, indeterminatio, &c. reſpectu partium illius vbicationis.

Cardinalis Lugo impingit nobis quod non aſſerimus.

SVBSECTIO III.

Dubium quoddam incidens diſſoluitur; & reſpondetur quæſtioni.

PRIVSQVAM quæſtioni directè reſpondeam oportet breuiter diſcutere quamdam doctrinam, quam circa eam præſentiam ſupernaturalem tradidit ſuprà idem Cardinalis; ait ergo illam eſſe talem, vt corpus Chriſti vi illius ſit penetrabile cum aliis corporibus, & partes ipſius corporis inter ſe; quia cum talis præſentia ſit poſſibilis, non debemus dicere nouum eſſe miraculum in ea penetratione. Hæc doctrina non 10

Doctrina Cardinalis Lugo.

caret

Grauem patitur difficultatem: non caret graui difficultate, nam cùm quantitas maneat in eo corpore, hæc autem petat ex ſua eſſentia, ne ponatur ibi alterum corpus, repugnat in terminis retenta quantitate penetrationem eſſe Chriſti corpori naturalem.

Dices: Illa præſentia habet fortiorem exigentiam penetrationis, & fortius in illam ius quàm quantitas in contrarium. Sed contrà, nam ſi ambæ ſunt exigentiæ naturales, vnde conſtat vnam eſſe maiorem altera? Secundò, quia ea præſentia non exigit penetrationem, ſed ſummùm non reſiſtit; quantitas verò poſitiuè exigit impenetrationem, ergo fortior videtur eſſe hæc quàm illa. *Impugnatur* Sed quidquid de hoc ſit, ſic argumentor: Illa præſentia eſt ipſamet penetratio partium, ergo ante illam nihil eſt quo ipſius aduentus reddatur naturalis, ſed neceſſariò debebit eſſe ſupernaturalis, quia eſt contra exigentiam quantitatis, quæ exigentia non eſt correcta, aut frænata per aliquid aliud ante aduentum ipſius penetrationis, ſeu ipſius præſentiæ. Fortè in ordine ad quantitatem accidentium poſſet ea præſentia reddere corpus Chriſti naturaliter penetrabile. Verùm, ſi negemus ibi quantitatem diſtinctam, id non eſt neceſſum. Secundò, quia, vt oſtendam infrà, præſentia Chriſti ibi ſupponit iam acidentia, & eorum quantitatem; ac proinde ea præſentia Chriſti debebit eſſe penetratio actualis cum quantitate, non verò eam antecedens; ergo non valet auferre miraculum, quod in ea penetratione eſſe poteſt.

Reſponſio ad impugnationem: Reſpondebis toti huic argumento, Sæpè res aliquas naturaliter eſſe incapaces alicuius effectus; vti anima rationalis eſt natura ſua incapax viſionis beatæ, certum tamen eſt per lumen gloriæ reddi ita capacem illius, vt non ſit iam miraculum viſionem fieri ab anima. *Refutatur.* Sed contrà, quia dupliciter poteſt alicui res alia eſſe ſupernaturalis, vel quia non habet vires ad eam producendam, aut recipiendam; vel quia poſitiuè eam auerſatur. Primo modo viſio & dona gratiæ ſunt ſupernaturalia homini; & in eo caſu facillimè intelligitur, quomodo ſi homini detur complementum illud, quod ei deerat, iam non ſit illi ſupernaturalis illa forma: & hoc ſolum probat inſtantia allata. Altero modo eſt ſupernaturalis penetratio ipſi quantitati, quia ſcilicet habet oppoſitionem naturalem cum illa: exigit enim poſitiuè ne detur ea penetratio; ſicut exigit gratia poſitiuè ne ſit in eodem ſubiecto peccatum. Et in his caſibus vix aut ne vix quidem concipi poteſt, quomodo ea exigentia manente fiat tamen illi rei naturalis forma illa contraria: & hoc eſt quod mihi in præſenti difficultatem facit in ea doctrina, ob quam abſolutè eam iudico minùs probabilem.

11 *Statuitur noſtra ſententia præſentiã Chriſti non eſſe ſupernaturalem niſi quoad modũ:* Dicendum ergo ad quæſtionem præcipuam, probabiliùs videri eam præſentiam non eſſe ſupernaturalem niſi quoad modum: fundamentum eſt, quia non debemus ponere maiora miracula quàm auctoritas aut ratio poſtulat; atqui auctoritas nulla eſt, quæ perſuadeat eam ſupernaturalitatem in ſubſtantia: ratio verò ex myſterio deſumpta etiam illlam non perſuadet; ergo dicendum eſt non eſſe ibi miraculum quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. *Quod animæ rationali euidentiùs quadrat.* Addo, licet in præſentia corporis admitteremus propter argumenta ſuprà facta ſupernaturalitatem in ſubſtantia, non eſſe tamen rationem vllam eam admittendi in ipſa anima rationali; nam ex ſuo connaturali modo exiſtendi poteſt eſſe tota in indiuiſibili, aut ſaltem in parte ſufficienti ad ſaluandas diſpoſitiones humanas; ergo propter indiuiſibilitatem eius præſentiæ non eſt neceſſum ponere in anima vbicationem in ſubſtantia ſupernaturalem.

Petes, An, quandoquidem anima rationalis informat tota omnes partes corporis, & in quauis parte hoſtiæ ſunt omnes partes corporis, habeat etiam anima multas præſentias in eodem puncto, per quas ſit præſens multis partibus, corporis. Reſpondeo, Non habere, quia cùm præſentiæ non reſpiciant partes corporis, ſed punctum imaginarium ſpatij, inde ſit, vt per vnicam ſolam præſentiam reſpicientem illud punctum imaginarium ſufficienter reddatur anima præſens omnibus partibus corporis, licet eſſent infinitæ, omnibus inquam exiſtentibus in eodem puncto imaginario.

SECTIO II.

Aliqua dubia circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia?

Primò quæri poteſt, Vtrùm ea ſit talis, quæ natura ſua ſit immultiplicabilis; hoc eſt, Vtrùm ea præſentia, quam habet ſub vna hoſtia, exigat, ne ponatur Chriſtus alibi; an verò id natura ſua permittat, ita vt miraculum nouum non ſit, ſi Chriſtus etiam alibi acquirat aliam. Hanc autem quæſtionem mouit Pater Suarez diſput. 48. ſect. 3. cenſetque vtramque partem probabiliter poſſe defendi, quia non repugnat aliqua præſentia naturalis, quæ habeat eam capacitatem; ex altera verò parte etiam non videtur repugnare vna, quæ exigat ne ponatur Chriſtus alibi. Addit autem, hanc præſentiam Chriſti repugnare cum alia circumſcriptiua, quia hæc eſt inextenſa, ergo repugnat cum circumſcriptiua, ſeu cum extenſa: hoc tamen vltimum optimè reiicit Cardinalis Lugo, quia extenſio & inextenſio repugnant quidem quoad eumdem locum, non quoad diuerſa, vnde ſi ſemel huius hoſtiæ præſentia permittit Chriſtum alibi eſſe, quid quæſo ad illam quòd alibi ſit Chriſtus circumſcriptiuè, aut quòd ſit definitiuè? Lugo putat eam præſentiam omnino pugnare cum aliis, quia eo ipſo quòd vnitur ſubiecto, petit illud apud ſe tenere, & non permittit aliò abire: ea enim eſt natura vnionis phyſicæ, vt petat in omnibus locis, in quibus eſt ſubiectum, eſſe formam, & è contrario, ergo. 12 *Quæſtio prima, An Chriſti præſentia ſit immultiplicabilis. Vtramque ſententiam defendi poſſe putat Suarez. Cardinalis Lugo negat:*

Iudico Primò quæſtionem hanc aliter decidendam, non enim videtur benè hi recurrere ad ipſas præſentias, vt ex illis explicent repugnantiam poſitionis Chriſti in duobus locis: etenim ea repugnantia non oritur ex vi vbicationis, ſed quia ſubiectum non habet vires ad ſuſtentandas duas vbicationes, nam vbicationes ipſæ in ſe contrariæ non ſunt, cùm ergo per vbicationem in hoc loco nullæ omnino addantur vires huic ſubiecto ad habendam aliam vbicationem, conſequenter videtur dicendum non poſſe per talem vbicationem reddi Chriſtum capacem habendi aliam, ſed potiùs per eam impediri alteram: vnde quoad ſententiæ ſubſtantiam acquieſco Cardinali Lugo, licet eius rationem non approbem, vt iam dicam. *Cuius ſententia approbatur, non tamẽ ratio.*

13 *Reijcitur fundamentum* Secundò ergo cenſeo illud eiuſdem fundamentum non eſſe bonum, quia videretur etiam probare, Angelum aut animam rationalem non poſſe

Digitized by Google

ſuperioris ſententia per inſtantiam de Angeli præſētia & anima rationalis.

poſſe per præſentiam diuiſibilem eſſe præſentem ſpatio diuiſibili, ſic enim argumentarer ego: Angeli præſentia in media hac ſchola petit, ne ipſius ſubiectum, cui vnitur, abſit ab ipſa; ergo non permittet Angelum poni in altera media parte ſcholæ etiam per aliam partialem præſentiam, quia iam eſſet Angelus in loco, vbi illa prior pars præſentiæ non eſt.

Dices fortè: Hæc præſentia eſt vnita ei alteri mediæ; fateor; at quid inde? nunquid, propterea quòd ſit illi vnita, eſt in loco illius, aut deſinit propterea Angelus eſſe in loco, vbi illa media præſentia non eſt? Da Angelum eſſe in tota ſchola; tunc partialis vbicatio illius, quæ reſpondet vni angulo ſcholæ, eſt benè contenta, quòd Angelus ſit in altero angulo eiuſdem ſcholæ, deſinat Angelus eſſe in medio; iam dicis, Incipit murmurare ea Angeli in angulo præſentia, quòd non ſit in loco alterius anguli, vbi eſt eius ſubiectum, rogo, ſi res benè ponderetur, quid vtilitatis in ordine ad hoc, vt illa fuerit anteà benè contenta, iam verò malè, proueniebat illi per eam Angeli continuationem per ſcholam? Certè non ideò præſentia anguli A magis aut minùs ponebatur in angulo B; ergo argumentum eius Auctoris multum probat. Idem poſſumus dicere in vnione animæ rationalis cum capite, quæ tamen non petit, ne anima, cui ipſa vnio vnitur, ſit alibi, nempe in pede, vbi ea vnio capitis non eſt; nec item materia capitis, etſi vniatur animæ rationali, petit ne ea anima rationalis ſit alibi, & ne alibi vniatur alteri materiæ; ergo ex hoc capite non poſſumus dicere, ab ipſa præſentia Chriſti in hoc loco exigi neceſſariò, ne Chriſtus ſit in alio: neque enim debemus pro libitu concedere has aut illas exigentias rebus ipſis, niſi pro eis exigentiis ponendis habeamus aliquod
14 fundamentum; quale hîc nullum eſt. Adde, licet, quando forma, aut quaſi forma, talis eſt naturæ, vt ipſi non repugnet etiam eſſe in duobus locis, concedere ei poſſimus exigentiam, vt vbicumque ipſius ſubiectum ponitur, ipſa etiam ponatur, vt in albedine, dulcedine, &c. quod tamen vniuerſaliter verum non eſſe dixi ſuprà; at quando ipſa forma huiuſmodi naturæ eſt, vt ei omnino repugnet alibi eſſe, ſiue ſubiectum illius alibi ponatur, ſiue non; profectò ego non video cur debeat ea vbicatio eſſe tam inuidæ naturæ, vt dicat, *Non volo vt meum ſubiectum alibi ponatur, quandoquidem ego non poſſum eſſe ibi*: aut quid interſit ei vbicationi, quòd ſubiectum habeat aliam vbicationem, quandoquidem non propterea deſinet ipſa eſſe in ſuo loco, nec deſinit habere ſuum ſubiectum ſecum, & ab illo ſufficienter, ſic dicam, amari, ſuſtentari, perinde ac ſi hoc non eſſet alibi.

Quæſtio ſecunda, An Chriſti præſentia ſit definitiua?

Secundò quæri poſſet, Vtrùm ea præſentia Chriſti ſit definitiua? Quæſtio eſt de modo loquendi, ſi per definitiuam præſentiam intelligamus eam, qua res ponitur in certo & definito loco, ita vt per eam præſentiam non ſit vltra illum locum, haud dubiè ea eſt definitiua; quia per præſentiam, quam habet Chriſtus in hac hoſtia, non ponitur extra illam: & hæc videtur eſſe propria ſignificatio eius vocis *præſentia definitiua*: quòd ſi per eam vocem intelligas talem præſentiam, quæ ſimul dicat carentiam omnis alterius in loco diſtanti, tunc nullo modo ea erit definitiua, quia Chriſtus & in cœlo & ſub aliis hoſtiis eſt: denique, ſi per definitiuam præſentiam intelligas præſentiam, quæ in modo naturaliter debito ſubiecto illi conformetur, certum eſt hanc non eſſe definitiuam. Et de voce ſatis.

Quæſtio tertia, An præſentia Chriſti pendeat à præſentia eiuſdem in cœlo?

Tertia difficultas, Quomodo ea præſentia pendeat à naturali? Non loquimur de dependentia præſentiæ Euchariſticæ ab ipſa ſubſtantia corporis & ſanguinis, nam quoad hoc eodem modo diſcutiendum ac in præſentia quacumque à ſuo ſubiecto: qui enim dixerit vbicationem eſſe modum, dicet dependere eſſentialiter; qui verò eſſe rem, dicet tantùm naturaliter, ſicut cætera accidentia realia. Eſt ergo difficultas, an præſentia in Sacramento pendeat à præſentia Chriſti in cœlo, aut in alio loco naturaliter exiſtentis. Fusè hac de re Pater Suarez ſuprà ſectione 2. nos breuiùs.

Poteſt eſſe ſine præſentia alibi:

DICO PRIMÒ; In ordine ad potentiam abſolutam non eſſe vllam repugnantiam in eo, quòd 15
præſentia Sacramentalis maneat ſine naturali Chriſti alibi, quia non repugnat corpus exiſtere in vnico tantùm loco, & ibi penetratum: quòd enim ſimul alibi ſit non penetratum, nec auget nec minuit repugnantiam penetrationis; ergo exiſtentia Chriſti penetrati in Euchariſtia poteſt eſſe ſola ſine exiſtentia in alio loco cum connaturali dimenſione, &c. ita de facto contigit dum Chriſtus natus eſt, & intrauit ad diſcipulos clauſis ianuis, tunc enim temporis licet partes corporis ipſius inter ſe non fuerint penetratæ, fuerunt tamen cum clauſtro virginali & ianuis: eadem autem eſt difficultas in penetratione duorum corporum, quæ eſt in penetratione duarum partium eiuſdem corporis inter ſe: tunc autem Chriſtus non fuit alibi non penetratus, ergo.

Non pendet de facto à præſentia Chriſti naturali alibi:

DICO SECVNDÒ; Nec quidem naturaliter loquendo præſentiam Sacramentalem pendere à naturali in alio loco: & ratio eſt manifeſta, quia præſentia ſub ſpeciebus non cauſatur à præſentia Chriſti in cœlo ex natura rei, nec illam reſpicit, ergo non pendet ab illa naturaliter: poteſtque id confirmari ratione paulò antè facta, quia penetratio partium corporis in hoc loco non iuuatur vllo modo per extenſionem earumdem partium in alio, imò maius eſt miraculum, ſi ſimul ſit in alio loco etiam cum præſentia naturali, quàm ſi non eſſet, quia in primo caſu præter miraculum penetrationis reperitur aliud poſitionis eiuſdem corporis in duobus locis, in vno penetrati, in altero non, in ſecundo autem caſu tantùm reperitur vnicum miraculum penetrationis, vnde,

Potiùs que impeditur per naturalem præſentiam.

DICO TERTIÒ: Naturaliter loquendo potiùs impeditur ea præſentia Euchariſtica per naturalem, quàm iuuetur. Probatur id ratione immediatè antè facta, quia quando eſt præſentia naturalis alibi, eſt duplex repugnantia pro Euchariſtia, quando autem non eſt, tunc tantùm reperitur vnica. Nota, me hîc loqui de independentia earum partium quantum eſt in ſe; nam de facto, eò quòd Chriſtus ſit cauſa moralis poſitionis ſui in Euchariſtia, pendere quodam modo videtur præſentia Euchariſtica à naturali in cœlo aut alibi.

Dixi *quodam modo videri dependentem*; nam reuerà neque ſub ea ratione pendet: ſufficere enim ad hanc cauſalitatem poſſet, quòd Chriſtus Dominus priùs natura ad conſecrationem ſupponeretur exiſtere abſtrahens ab omni præſentia, ſæpè enim diximus, ad vbicationis productionem non eſſe neceſſum vt illius ſubiectum ſupponatur cum vbicatione. Secundò, ea cauſalitas moralis poſſet fortè ſaluari ob

exiſtentiam

Digitized by Google

exiſtentiam Chriſti olim,eſto de facto non exiſteret: demus enim illum petiiſſe per ſua merita infiniti valoris poni ſuum corpus; deinde in Euchariſtia, quando Sacerdotes conſecrarent, illa merita potuerunt obtinere tunc id quod petierunt,ita vt etiamſi Chriſtus iam annihilaretur, adhuc illa mouerent nunc Deum; quia cauſa moralis etiamſi non exiſtat quando eſt effectus, poteſt tamen in illum influere.Tandem,quia ea ratio ſolùm probat primam præſentiam Sacramentalem ſupponere præſentiam naturalem; at ſuppoſito quòd iam Chriſtus eſſet ſub vna hoſtia,poſſet Deum mouere,vt ſe poneret ſub aliis, eſto alibi non eſſet cum præſentia naturali.

16 *Alia quæſtio, An Sacramẽtum Euchariſtia ex vi inſtitutionis pendeat à Chriſto vt viuo. Probabiliùs non pendet.*

Illud poſſet pro maiori declaratione huius dubij quæri,An ſaltem ex vi præſentis inſtitutionis hoc Sacramentum pendeat à Chriſto vt viuo.Ex dictis videtur inferri,omnino pendere;nã de facto Chriſtus per Sacerdotem, vt per delegatum ſuum,conſecrat; ergo debet præſupponi exiſtens:& ita ſentiunt nonnulli.Probabiliùs tamen videtur non pendere: quod probatur Primò, quia iuxta communem Theologorum ſententiam,etiam ex vi præſentis inſtitutionis potuit confici hoc Sacramentum in triduo mortis Chriſti; atqui non eſt fundamentum ad dicendum eam inſtitutionem mutatam & nouam ſucceſſiuè, ratione cuius iam pendeat per ſe conſecratio à Chriſto viuo. Secundò idem quis probaret, quia Tridentinum,dum docet animam & ſanguinem non poni ex vi verborum ſub ſpeciebus panis,& contrà, corpus non poni ſub ſpeciebus vini, innuit apertè, per ſe eam præſentiam non ſupponere Chriſtum viuum; alioquin ex vi inſtitutionis deberet poni per ſe corpus viuum. Hæc tamen ratio non probat intentum; aliud enim eſt ſupponi Chriſtum alibi viuum, aliud autem, verba ſignificare corpus viuum: poteſt enim Chriſtus exiſtens in cœlo ponere alibi corpus ſuum ſolum: vt enim in Phyſica oſtendi contra Patrem Vaſquez,& infrà aliquid dicam,non eſt neceſſum diuinitus, vt ſi corpus ponitur in duobus locis, in vtroque ponatur anima; ſiue tunc in vno dicendum ſit corpus illud mortuum,ſiue non: quod (vt ibi oſtendi) pertinet ad quæſtionem de nomine; ergo non ſequitur benè,Corpus Chriſti per ſe ſupponitur ad conſecrationem viuum in cœlo,ergo verba,*Hoc eſt corpus*,denotant etiam in Euchariſtia poni animam & ſanguinem. Sufficiat ergo prima ratio,ad oppoſitam verò reſpondetur Primò, Chriſtum poſſe eſſe cauſam principalem,ſaltem ratione animæ, quæ etiam non vnita eſt capax meriti & cauſalitatis moralis. Secundò, poſſet dici non pendere nequidem ab exiſtentia animæ; nam cauſalitas moralis non requirit phyſicam actualem exiſtentiam animæ. Vnde paulò antè dixi,Licet diuinitus annihilaretur humanitas Chriſti, tamen merita illius præcedentia ſufficere, vt in poſterum intuitu illorum daret nobis Deus gratiam, diceretutque Chriſtus ipſe cauſa moralis illius. Inde etiam dixi, præſentiam Sacramentalem ſolummodò dependere à naturali quoad aliquam exiſtentiam temporis, non autem quandocumque fit conſecratio, niſi fortè dicamus, de facto tale fuiſſe in Deo decretum circa hoc myſterium, vt noluerit, niſi humanitate exiſtente ſaltem quoad materiam & animam, licet non eſſent vnitæ, illud confici: id quod probabile valdè eſt,non tamen certum.

Argumentum ex Concilio Tridentino pro hac ſententia non probat.

Rationi pro contraria opinione reſpondetur.

Hac occaſione quæri etiam poteſt, Quid fieret, ſi corpus Chriſti Domini redactum eſſet in cineres,poneretutne forma cineris eo caſu vi verborum? Reſpondet Cardinalis Lugo negatiuè, ſolumque ait ponendum corpus organicum,alioquin propoſitio illa vera non eſſet,quia cineres non ſunt corpus: id quod etiam mihi placet. 17

Quæritur, ſi corpus Chriſti in cineres redigeretur, an in eo caſu poneretur forma cineris. Negat Cardinalis Lugo; ſolumque ait ponendum corpus organizatum.

Dices, Loquendo de cineribus Martyrum affirmare verè poſſumus, *Hic iacet corpus ſancti Petri*, &c. ergo vt corpus Chriſti ponatur,ſufficit poni eos cineres. Reſpondeo, Illam locutionem eſſe metaphoricam, ſicut etiam dicimus, *Sanctus Petrus eſt in cœlo*, cùm reuerà non ſit, ſed ſola illius anima, quæ non eſt Sanctus Petrus,ſed pars illius.

Replicabis; Vnde ergo tibi conſtat Chriſtum in eo ſenſu rigoroſo,& non in vulgari locutum? Reſpondeo,Quia niſi aliunde de contrario conſtet, debemus ſemper verba in ſenſu proprio vſurpare. Fateor, ob hanc replicam non eſſe certum, omnino ponendam eſſe eam organizationem.

Dices,Si admittimus vt probabile, *τὸ corpus* non ſignificare in tanto rigore organizationem, ergo etiam nunc,quando re ipſa Chriſtus habet corpus perfectè organizatum, non ponetur vi verborum conſecrationis ea organizatio: hoc autem eſt abſurdum, & contra ea quæ fuſiùs infrà dicturi ſumus. Sequela autem facilè probatur, quia ſi corpus non ſignificat eam organizationem,ergo omnino eſt per accidens reſpectu illorum verborum, quòd ea re ipſa detur, ac proinde non requirent verba eius poſitionem, ſolùm ergo ponetur per concomitantiam. Reſpondeo negando ſequelam, quia eſto poſſit ea ſignificatio impropria aliquando ſuſtineri,quando propria admitti non poteſt, non tamen proptereà negandum eſt,quando propria habet locum, eam non eſſe retinendam, ergo cùm eo tempore, quo Chriſti corpus eſt re ipſa organizatum,poſſit habere locum ſignificatio propria, non eſt cur dicemus,nunc etiam vi ſignificationis non poni organizationem.

Illud difficilius, An in eodem caſu, quo corpus eſſet reductum ad cineres, ponenda eſſet ſaltem per concomitantiam forma cinerum. Putat Cardinalis Lugo poſſe problematicè dici poni,aut non poni:primum quidem, quia dummodò ponatur verum corpus, non repugnat veritati verborum poni formam cineris; ſecundum verò, quia hæc forma obſtat veritati verborum, ea autem ſolùm debent poni per concomitantiam, quæ ſunt vnita,& non ſunt contraria veritati. Verùm nullam ibi adducit rationem, nec quidem probabilem, cur forma cineris poſſit dici contraria veritati,ſi ſemel ſupponamus poni verum corpus:quòd enim ſimul ibi ſit forma cineris, nullo modo contrariatur exiſtentiæ corporis.Vnde probabilius omnino cenſeo debere illam formam poni. Vbi aduerte, hanc ſolutionem poſſe intelligi iuxta duas alias ſolutiones ſuprà traditas, vel quòd ſcilicet ponantur ſoli cineres ſine organizatione, quia etiam illi dici poſſunt corpus Chriſti, vel quòd ponatur etiam organizatio: ſi iuxta hanc ſecundam ſolutionem loquamur,tunc deberent etiam ibi poni aliæ diſpoſitiones contrariæ cineribus, ac proinde deberet eſſe miraculum nouum in conſeruatione earum diſpoſitionum oppoſitarum ſimul, quia forma cineris indiget ſuis diſpoſitio 18

Problematicè defendit Cardinalis Lugo per concomitantiam ponendam formam cineris.

Probabilius videtur illam formam cineris per concomitantiam ponendam.

Digitized by Google

poſitionibus, eaſque haberet extra hoſtiam, ergo & ibi; iuxta primam vero ſolutionem ſolæ eſſent diſpoſitiones cinerum.

Chriſtum in Sacramento dicendus eſt eſſe in loco.

Petes Tertio, An Chriſtus in hoc Sacramento dicendus ſit eſſe in loco? Reſpondeo affirmatiuè, quia habet præſentiam localem; cuius effectus formalis eſt ponere in loco; vtrum autem definitiuè, an circumſcriptiuè, quæſtio eſt de voce; de quo ſupra in fine ſectionis præcedentis; quia idem eſt quærere, vtrùm præſentia Chriſti in hoſtia ſit definitiua, an quærere, vtrum Chriſtus ſit definitiuè in hoſtia. Dixi ergo, ſi eſſe definitiuè ſignificet ita eſſe hîc Chriſtum, vt non ſit alibi, tunc nec in cœlo nec in Sacramento dicendum eſſe definitiuè; quia non eſt ita in cœlo, vt non ſit alibi: ſi verò eſſe definitiuè ſolum ſignificet ita eſſe hîc, vt ex vi huius præſentiæ non poſſit conſtitui alibi nec diuinitus, in vno ſenſu poteſt dici eſſe definitiuè, quatenus per hanc ipſam præſentiam non poteſt eſſe alibi; in altero verò non eſſe definitiuè, quatenus licet ſit hîc per hanc numero præſentiam, non ideò redditur incapax, vt poſſit eſſe alibi ſaltem per aliam. Denique, ſi intelligatur τὸ *eſſe definitiuè*, ita vt ratione huius præſentiæ non poſſit naturaliter aliam habere, dici poteſt Chriſtus in Sacramento exiſtere definitiuè; quia cum corpus non ſit capax habendi ſimul niſi vnicam præſentiam, neceſſum eſt, vt quælibet det illi repugnantiam ad habendam ſimul alteram, niſi fortè in ſententia Suarez, aientis eam præſentiam Euchariſticam eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem; tunc enim poſſet dici per præſentiam Euchariſticam non communicari repugnantiam ad habendam aliam naturalem; nam ſupernaturalis, cum ſuſtentetur viribus ſupernaturalibus, probabiliter dici poteſt non impedire potentiam, ſeu vires naturales ad præſentiam naturalem.

Explicatur, an definitiuè, an vero non; & quomodo.

SVBSECTIO III.

An Chriſtus ſit totus in qualibet hoſtiæ parte?

19 *Affirmatiua ſententia communis Theologorum, & contraria errori affinis, ſi non hæretica.*

CHRISTVM eſſe non ſolum in tota hoſtia, ſed totum etiam in qualibet eius parte, abſtrahendo iam, vtrùm ſit in indiuiſibilibus, aut vtrum ſit aliqua pars adeò parua, in qua ſubſtantia panis conſecrari non poſſit (de quo ſtatim) communis eſt Theologorum omnium ſententia; adeò vt non defuerint qui iudicauerint contrarium eſſe hæreſim, aut errorem; quia Concilium Tridentinum Seſſione 13. cap. 3. dixit Chriſtum totum contineri ſub qualibet ſpecie, & ſub qualibet parte ſpecierum. Pater tamen Suarez diſp. 54 ſect. 2. putat non eſſe rem adeò certam, vt contraria ſit hæreſis; quia non videntur ſine cauſa vtrumque Concilium, & Tridentinum & Florentinum, in propria & expreſſa definitione Fidei addidiſſe illam particulam *ſeparatione facta*; ego tamen hanc excuſationem non cenſeo admodum ſufficientem: non ſolum enim quæ traduntur à Tridentino in canonibus, ſed etiam in capitibus videntur eſſe de Fide; ac proinde ſatis probabile mihi videtur hanc doctrinam eſſe omnino certam de Fide: fundari autem ſolet in eo, quod poſſibilis ſit hic modus exiſtendi. Verùm hinc non infertur, Ergo de facto datur; quia multa ſunt poſſibilia quæ non exiſtunt. Secundo probatur, quia ſi hoſtia diuidatur, Chriſtus manet totus in qualibet parte. Verum huic argumento facilè quis reſponderet, Chriſtum Dominum, quandiu ſpecies non ſunt diuiſæ, noluiſſe manere niſi in totis illis ſemel; quia id erat ſufficientiſſimum & neceſſarium ad ipſius finem intentum, vt ſcilicet quilibet ipſum ſumens acciperet totum Chriſtum, ideoque ob eamdem rationem, quando iam ſpecies ſunt ſeparatæ, & quaſi proximè aptæ, vt à diuerſis ſumantur, voluiſſe etiam eſſe totum ſub qualibet parte, vt totus etiam ſumeretur à quolibet. Sit ergo tertia ratio: Poteſt Sacerdos accipiendo integram hoſtiam deſignare medietatem, illamque ſolam conſecrare, poteſt deinde alteram mediam partem conſecrare, ergo iam tunc Chriſtus eſſet totus ſub qualibet ex illis medietatibus: quòd autem eo caſu fieret per duas conſecrationes diſtinctas, fit ſemper per vnicam æquiualentem illi vtrique, ergo. Verùm neque hoc argumentum multum vrget, quia dici etiam poteſt Primò, eo caſu manere Deum bis ſub ea hoſtia, quia ratione huius duplicis conſecrationis perinde ſe habet ac ſi eſſent duæ hoſtiæ diſtinctæ. Secundo poteſt reſponderi, facta ea conſecratione iam Chriſtum totum eſſe ſemel ſub ea hoſtia, quia antea tantum erat ſub media illius parte, id autem fieri ob rationem à nobis paulò ante datam, quod ſcilicet ad intentum Chriſti Domini ea vnica præſentia ſufficiat.

Aliquot argumenta pro communi ſententia reijciuntur

Quartum argumentum eſt, nam cum materia illa ſit homogenea, & per τὸ *Hoc* æquè deſignetur vna pars ac altera, æqualiter etiam debet ſub qualibet eſſe Chriſtus: nec enim magis deſigno vnam partem pertinentem ad caput, vel ad manus, quam deſignem aliam pertinentem ad pedes, aut è contrario, ergo non eſt maior ratio, cur pedes in hac parte quàm in illa, aut è contrario ponantur; ergo debet totus ſub qualibet parte poni. Hæc ratio eſt paulo efficacior, non tamen omnino perſuadens; dici enim facilè poteſt, Eſto ex mea determinatione non determinetur potius hæc pars quam illa, Deum tamen id determinare: quando enim ego dico *Hoc eſt corpus*, determino τὸ *Hoc* per modum vnius totius ac proinde etiam ſolum denoto ibi Chriſtum eſſe ſemel; eſto non poſſim ego dicere vbi ſit caput, vbi pedes, vbi manus, &c. vti ſi eſſet corpus humanum incluſum in ciſta, illudque non videam, ac proinde non poſſim dicere vbi ſit caput, vbi pedes, poſſum tamen dicere *Hoc eſt homo*. 20

Aliud argumentum cæteris efficacius.

Non tamen omnino perſuadet.

Quarta ratio, & qua Diuus Thomas vtitur quæſt. 76. art. 2. eſt, quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento vi verborum, quantitas vero illius ſolum per concomitantiam, ergo Chriſtus eſt eo modo quo ſubſtantia ſub dimenſionibus: manifeſtum eſt autem, quod ſubſtantia eſt tota ſub qualibet parte, ſicut aër eſt ſub qualibet parte aëris. Hæc tamen ratio multò difficilior eſt, & variè impugnatur ab Auctoribus, tum quia, quod ponatur corpus vi verborum, iudicari debet omnino per accidens ad rem præſentem; tum quia ſubſtantia non eſt ſub qualibet parte tota, eo ſenſu quo loquitur Diuus Thomas: ſi enim dicat conceptum ſpecificum aëris, exempli gratia, abſtractum ab hoc & illo indiuiduo (qui conceptus ſaluatur in qualibet parte) dicit eſſe totam ſubſtantiam indiuidualem in hoc ſenſu, etiamſi non omnes partes Chriſti eſſent ſub qualibet parte hoſtiæ, eſſet tamen tota ratio ſpecifica vt ſic ſub qualibet parte hoſtiæ; ſi autem loquatur

Ratio Diui Thomæ grauiores difficultates continet, & impugnatur à variis.

Digitized by Google

loquatur de tota indiuiduali ſubſtantia, certiſſimum eſt non contineri in qualibet parte huius chartæ v.g. totam indiuidualem ſubſtantiam integræ huius chartæ. Denique ego ſic argumentor, quia eo primo ſenſu etiam quantitas tota eſt ſub qualibet parte: Non enim minus quælibet pars quantitatis eſt quantitatis, quam quælibet pars aëris eſt aër; nulla ergo aſſignatur differentia inter quantitatẽ & ſubſtantiã quoad hoc.

21 *Optima ratio ſententiæ communis petenda eſt à voluntate Chriſti: Congruentiis illuſtratur.* His ergo rationibus omiſſis non puto poſſe aliter eam ſententiam probari quàm ex Chriſti Domini voluntate, qui ſe eo modo voluit ſub ſpeciebus collocare; de qua voluntate nobis conſtat ex communi traditione Eccleſiæ, & ex definitione Conciliorum. Accedunt autem ſatis bonæ congruentiæ pro hac veritate; nam cùm diuiſiones ſpecierum frequentiſſimè eſſent futuræ, & ſaltem tunc deberet Chriſtus eſſe totus ſub qualibet parte, ne in ea diuiſione medium corpus in vno loco, & medium in altero poneretur (quod eſſet valdè abſurdum) connaturalius etiam fuit, vt ab initio ita eſſet conſtitutus ſub qualibet parte ſpecierum, vt in diuiſione non eſſet neceſſarium nouum modum producere penetrationis, & antiquum deſtruere. Denique ea ratio, quæ ſupra eſt tacta, quod ſcilicet non ſit maior ratio, cur caput in hac parte hoſtiæ quàm pedes ponantur, cum ſpecies ſint omnino homogeneæ, etſi omnino non conuincat, eſt tamen optima pro congruentia. Accedit, quod etiam noua ſit difficultas: ſi enim aliquam habiturus eſſet extenſionem, ſaltem iuxta hoſtiæ magnitudinem, rurſus dubium nouum orietur, quæ partes ipſius futuræ eſſent ſine penetratione. Tertio, in maiori hoſtia deberet eſſe diuerſiſſima penetratio ad ea quæ eſt in minori. Quæ omnia facillimè vitantur, ſi totus ponatur ſub qualibet parte, & totus in toto.

Obiectio de ſpeculo integro & fracto. Obiiciunt aliqui in contrarium apud Diuum Thomam ſupra: In ſpeculo figura ſemel tantum apparet quamdiu eſt integrum; ſi verò diuidatur, apparet toties quot ſunt partes diuiſæ; ergo.

Solutio D. Thomæ reiicitur. Reſpondet Sanctus Doctor. Diſparitatem in eo conſiſtere, quod multiplicitas illa imaginum in ſpeculo fracto oritur ex diuerſis reflexionibus, quæ non habent locum in præſenti. Hæc tamen ſolutio mihi non probatur, quia etiamſi manerẽt illæ partes ſpeculi in eadem linea in qua antea, dummodo in ſe eſſent diſtantes, formarent eas diuerſas imagines. Pone vnum ſpeculum maximum integrum, vnam tibi tantum faciem repræſentabit: pone in eodem loco illius duo aut tria minora, eo ipſo repræſentabunt tibi duas vel tres facies; ergo non debet ex diuerſo ſitu aut reflexione eius experientiæ ratio deſumi. Aliter

22 *Reſponſio ex Philoſophia accipienda eſt à natura ſpecierum.* reſpondeo ex dictis in Philoſophia; Species viſus id habere, vt quamdiu ſunt per ſe vnitæ, non repreſentent obiectum niſi ſemel; pro quo non eſt neceſſum recurrere ad ſpeculum, &c. ita enim quodlibet obiectum mittit per aërem ſpecies ſui, vt in qualibet parte totius medij ſint ſpecies totius obiecti: vnde ex qualibet parte videri totum illud poteſt, non tamen videtur pluries, ſed ſemel; quando vero ſpecies illæ ita diſcontinuantur, vt non amplius faciant vnum quid, tunc repræſentant pluries obiectum, quælibet ex illis ſemel, perinde planè ac ſi aliæ non eſſent: hinc fit, vt quamdiu ſpeculum eſt integrum, omnes ſpecies reflexæ ex illo ſint per modum vnius, quia cum vnione perfecta reflectuntur; ideo vnicum tantum obiectum repræſentant: cum primum autem frangitur ſpeculum, iam quælibet pars mittit ex ſe integram ſpeciem; ac proinde repræſentant toties obiectum, quot ſunt partes fractæ. Hæc autem ratio penitus eſt inutilis ad Euchariſticum myſterium, in quo non agimus de repræſentatione, ſed modo, quo in illo re ipſa Chriſtus exiſtit: vnde potius poſſet argumentum in fauorem noſtrum deduci; nam ſicut ſpecies intentionales totius obiecti ita ſunt in toto medio vt in qualibet parte illius, ſit etiam intentionaliter totum obiectum; ita debebit Chriſtus eſſe ita in tota hoſtia, vt in qualibet etiam illius parte ſit totus. *Ex qua formari poteſt argumentum pro ſententia communi.* Verum licet hæc ſimilitudo apta ſit ad rem noſtram explicandam, non tamen ea vtor pro argumento, quia cum poſitio Chriſti ſolum pendeat, vt diximus, ex voluntate ipſius Chriſti, non poſſumus quidquam inferre circa illam ex his, quæ conueniunt naturaliter rebus creatis. Vnde etiam. Secundo principaliter reſpõdetur ei inſtantiæ, nihil inferri ex illa, quia, quæcumque ſit ratio eius reflexionis ſpecierum, Chriſtus voluit eſſe totus in toto, & totus in qualibet parte; hic enim modus exiſtendi poſſibilis eſt, quidquid ſit de altero, & maluit hunc eligere, quia ita ipſi placuit.

Quomodo intelligi debeat, Chriſtus totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ. Fortaſſe aliquis quæret, An quando dicimus Chriſtum eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte, id ita intelligamus, vt quaſi ſemel ſit Chriſtus in tota hoſtia, & deinde totus in qualibet parte. Reſpondeo, Nullo modo id ita eſſe intelligendum: ad hoc enim neceſſarium eſſe, vt per vnam præſentiam caput eſſet in vna parte hoſtiæ, & pedes in alia: dum ergo dicitur totus in toto, & totus in qualibet parte, non ſunt intelligendi duo modi diuerſi exiſtendi, ſed quod ideo dicatur totus in toto, quia totus eſt in qualibet parte, vti anima rationalis, & Deus, & Angeli, non enim aliter ſunt toti in toto ſpatio, quam quia ſunt toti in qualibet illius parte.

SECTIO IV.

Quid aliud præter præſentiam ſit neceſſarium, vt Chriſtus poſſit in Euchariſtia demonſtrari?

Ratio dubitandi ea eſt, quod eſſe præſentem præcisè ſpeciebus non videatur ſufficere, vt denotando ſpecies dicatur, *Hoc eſt corpus meum*, ſufficiet id quidem, vt dicatur aduerbialiter, *Hic eſt corpus*, non autem ſubſtantiuè: ſicut dum Angelus eſt in cubiculo, poteſt dici, *Angelus hic eſt*, aduerbialiter, non tamen ſubſtantiuè oſtendendo cubiculum dici poteſt, *Hoc eſt Angelus*. 23 Aliqui ob hanc rationem dixerunt dari vnionem receptiuam ſpecierum in corpore Chriſti, ita vt albedo hoſtiæ, &c. non minus cauſetur à Chriſto, quam cauſabatur à ſubſtantia panis. *Aliquorum opinio, dari vnionem receptiuam ſpecierum in corpore Chriſti, reiicitur.* Hoc tamen videtur eſſe contra Concilium docens accidentia manere ſine ſubiecto in hoc Sacramento. Et ſanè Chriſtus non redditur albus aut calidus ab accidentibus Euchariſticis; ergo non eſt ſubiectum illorum: aliam autem vnionem aſſignare vix eſt intelligibile, niſi dicas cum aliquibus illam eſſe inexplicabilem: id quod eſſet confundere Fidei myſteria, eſt cauſam præbere hæreticis illa negandi.

Scotus præcisè poſuit inſeparabilitatem Chriſti

Scotus ponit inſeparabilitatem Chriſti à ſpeciebus ex decreto Dei extrinſeco.

Addunt aliqui cauſalitatem Chriſti Corporis in accidentia.

ſti à ſpeciebus ex decreto extrinſeco Dei; hoc tamen non videtur ſufficiens, vt dicatur oſtendendo ſpecies, *Hoc eſt Chriſtus*, quia Angelus eſt præſens cœlo, & inſeparabiliter ex decreto Dei; & tamen non ideo dici poteſt oſtendendo cœlum, *Hoc eſt Angelus*, loquendo de motore cœli. Ideò addunt alij cauſalitatem corporis Chriſti in accidentia. Sed contra Primò, quia (vt oſtendam paulò poſt) non poteſt habere Chriſtus talem cauſalitatem. Deinde, quia ſi Deus deſtruendo ſubſtantiam panis ſuccederet in conſeruationem effectiuam accidentium illius, non ideò panis eſſet conuerſus in Deum aut denotando accidentia illa poſſet dici, *Hoc eſt Deus*; & tamen ibi ſunt & intima præſentia Dei in accidentibus, & cauſalitas ipſius in illa loco panis, & inſeparabilitas; ergo hæc omnia non ſufficiunt, vt poſſit demonſtrari Chriſtus in accidentibus.

Impugnantur.

Poſſes reſpondere, in caſu argumenti non habere accidentia virtutem trahendi ſecum Deum, quam habent accidentia panis reſpectu corporis Chriſti. Sed contra; ergo non requiritur cauſalitas; ſed poſſet aſſignari differentia inter Angelum in cœlo, & Chriſtum in Euchariſtia; quia cœlum non trahit ſecum Angelum; ſpecies autem trahunt ſecum Chriſtum: pro hac autem vi tractiua non eſt neceſſarium recurrere ad cauſalitatem.

24

Opinio aliorum, ſufficere vt corpus Chriſti ſit intra accidentia, reijcitur.

Poſſent alij dicere ad hoc; vt demonſtretur aliquod ſubiectum per accidentia, nec requiri vnionem cum illis, nec cauſalitatem, ſed præciſè vt intra illa ſit: vt patet quando Angeli aſſumunt corpora, cum quibus non vniuntur, & quæ non ſuſtentant efficienter. Sed contra, quia hinc probaretur etiam ſine deſitione ſubſtantiæ panis poſſe dici, *Hoc eſt Chriſtus*; quod tamen falſum eſt. Sequela autem patet, quia ſine deſitione vlla ſubſtantiali corporis aſſumpti oſtendendo illud poteſt dici, *Hoc eſt Angelus*. Deinde in illo caſu adhuc corpus non habet virtutem ſecum trahendi Angelum, ſed è contrario. Reſpondeo ergo, In illo caſu, quando dicimus, *Hoc eſt Angelus*, non æquiualere illam propoſitionem huic, *Contentum ſub his accidentibus, vel ſub hoc corpore, eſt Angelus*; quia in hoc ſenſu eſſet falſa; nec enim illa ſunt accidentia Angeli, nec ille eſt forma illius corporis; ſolùm ergo tunc volumus dicere, *Loquens in hoc corpore, mouens hoc corpus, ſeu oſtendens ſe per hoc corpus, eſt Angelus*: ad hoc autem ſolum requiritur intima præſentia cum illo corpore, & quod per illud loquatur, illudque moueat. In Euchariſtia nil eiuſmodi de corpore Chriſti prædicamus, ſed præciſè eſſe contentum ſub illis accidentibus; ergo aliquid aliud debemus requirere, per quod ſaluetur illa propoſitio.

Statuuntur tria requiri; Carentiam ſubſtantiæ panis. Intimā præſentiam ſub ſpeciebus. Virtutem in ſpeciebus trahendi ſecum Chriſtum.

Nihilominus dicendum cenſeo tria tantum ad hoc requiri, Primò, carentiam ſubſtantiæ panis, vt illa propoſitio abſolutè pro ſolo Chriſto ſupponi poſſit; alias non poſſet dici niſi cum hoc addito, *Pars contenti ſub his ſpeciebus eſt Chriſtus*: Secundo, intimam præſentiam Chriſti ſub eis ſpeciebus; niſi enim ibi eſſet, non poſſet ibi demonſtrari: Tertio, virtutem in ſpeciebus trahendi ſecum Chriſtum Dominum; alias & Angelus penetratus cum eadem hoſtia conſecrata poſſet ibi demonſtrari ſicut Chriſtus: vel certè (vti inferiùs dicam) requiretur è contrario in ipſo Chriſto virtus ad trahenda ſecum accidentia. Porrò hæc tria ſufficere probo; quia ſicut dum oſtendo ciſtam, verè dico abſolutè, *Hoc eſt aurum*, ea præciſè ratione, quod aurum ſit intra ipſam ciſtam, & non alia ſubſtantia; & quod ciſta habeat virtutem trahendi aurum ſecum, quocumque feratur: ratione cuius ab hominibus dicitur ibi contineri aurum; ſimiliter etiam, imò à fortiori oſtendendo accidentia panis poterit dici, *Hoc eſt Chriſtus*, cum & ibi intrinſecè ſit præſens, & ille habeat virtutem trahendi ſecum accidentia; & præterea nulla ſit ibi alia ſubſtantia; ex quo capite magis propria locutio eſt in Euchariſtia, quam in ciſta oſtendendo aurum; quia in hac eſt etiam ſubſtantia ipſius ciſtæ, quæ poſſet demonſtrari per τὸ *Hoc*; in Euchariſtia autem nulla eſt alia ſubſtantia demonſtrabilis præter Chriſtum. Dico *demonſtrabilis*; nam etiamſi ibi ſit Deus, & eſto ibi ſe Angelus poneret, non tamen eſſet ſubſtantia demonſtrabilis ex defectu tertiæ conditionis à nobis poſitæ.

25

Difficultas contra neceſſitatem abſentiæ panis proponitur.

Antequam ad obiectiones ſupra poſitas reſpondeamus, oportet ſatisfacere difficultati, quæ contra rationem à nobis factam de neceſſitate abſentiæ panis fieri poteſt, & à pauciſſimis exactè ponderatur; nam ſi propoſitio illa, *Hoc eſt corpus meum*, nequit eſſe vera, eo ipſo quod ibi maneat ſubſtantia panis, quia ſenſus illius eſt, *Adæquatum contentum ſub his ſpeciebus eſt corpus Chriſti*, ac proinde ſi panis etiam contineretur, falsò id diceretur: ſi inquam id ſit verum, profectò nec poterit totus Chriſtus contineri in hoſtia quoad animam & corpus; nam eodem modo non benè dicitur de toto homine, *Hoc eſt corpus*, quia non prædicatur benè pars de toto niſi per tropum.

Reſponſiones aliquorum examinantur & reijciuntur.

Quòd ſi reſpondeas, illam propoſitionem ſolum denotare id quod eſt ſub ſpeciebus vi verborum, hoc autem verum eſſe; nam anima Chriſti & vnio vtriuſque non eſt ex vi verborum; tunc facilè reiicieris, quia eo ſenſu etiamſi maneret ibi panis, adhuc propoſitio eſſet vera; nam tunc τὸ *Hoc* non denotaret panem: hic enim non ponitur ex vi verborum, ſed ex ſe antea ibi erat. Si Secundo reſpondeas, animam non poſſe denotari ſub illis accidentibus, quia illis non ſubſtat, eſto ibi ſit Contra Primo, ergo ſi maneret ibi ſubſtantia panis, dummodo non eſſet vnita, quia eo ipſo non ſubſtaret accidentibus, eſſet vera ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum* hoc autem videtur durum. Contra Secundo, & melius, quia corpus Chriſti non aliter ſubſtat, quam quia eſt in eo loco cum alligatione ad ea accidentia: atqui id ipſum habet anima Chriſti.

Dices: Saltem hæc replica non habebit locum in ſententia eorum qui ponunt cauſalitatem corporis Chriſti in accidentia: hi enim facilè reſpondere poſſunt, ſolum corpus illa cauſare, & fortaſſe ex hoc ipſo capite poterit perſuaderi ea cauſalitas, quia ſcilicet alioquin non eſſet vera ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum.* Sed contra, quia nec quidem in hac ſententia vitari omnino poteſt difficultas, nam cum veritas illius propoſitionis deſumatur in ordine ad communem modum loquendi etiam non Philoſophorum, profectò non debet ea veritas (ſi volumus prudenter diſcurrere) fieri dependens ab vna quæſtione valdè inter Philoſophos dubia, qualis eſt, Vtrum accidentia verè cauſentur materialiter aut efficienter à materia prima: quis enim (eſto aliunde reiiciatur ſententia Patris

Leſſij

Digitized by Google

Etiam in ſententia Leſſij negantes cauſalitatem materialem.

Leſſij negantis eam cauſalitatem materialem) dicet, non poſſe ea data fieri verè eas propoſitiones oſtenſo cadauere huius aut illius hominis, *Hoc eſt corpus Ioannis*; *Hoc eſt corpus Petri*: Pono autem exemplum in corpore mortuo, quia in eo nihil eſt, quod efficienter conſeruet ea accidentia humana; vnde ſi non ſit cauſalitas propria materialis, nihil eſt ſub accidentibus, quod illa conſeruet: poteſt etiam poni inſtantia in charta, muro, &c. quæ demonſtrari poſſent per accidentia, eſto ea non cauſarentur efficienter à muro. Ratio autem à priori, cur ab ea ſententia Leſſij non ſit pendens hæc quæſtio, ea eſt, quia in eo modo loquendi apud non Philoſophos nihil aliud communiter apprehenditur quam connexio & inſeparabilitas inter ea accidentia exteriora quæ videntur, & inter ſubſtantiam interiorem, quæ etiam ibi creditur eſſe: de cauſalitate autem diſtincta materiæ in accidentia nemo pro veritate earum propoſitionum fuit vnquam ſolicitus, quidquid deinde Philoſophi ex aliis rationibus occultioribus, & quæſo non deſumuntur ex eo modo loquendi, intulerint circa cauſalitatem propriam materialem aut efficientē in ea accidentia. Eſt autem hominis prudenter diſcurrentis res omnino certas non facere dependentes à rebus omnino incertis, etſi ipſe eam rem incertam aliunde iudicet eſſe veram; multò autem magis debet attendere, ne faciat dependentes à Philoſophica veritate omnino occultè modos ordinarios loquendi, qui vt tales vnicè pendent à communi ſenſu hominum nihil de ea incerta quæſtione cogitantium: ergo dicendum eſt, Chriſtum Dominum veritatem eius propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, non aliter ſine dubio intellexiſſe, quam vulgus intelligat veritatem aliarum, *Hoc eſt corpus Petri, Ioannis*, &c. Certum autem eſt, vt dixi vulgus eam cauſalitatem nullo modo conſiderare: ergo eſto ea concedenda ſit ob alias rationes, non tamen veritas verborum conſecrationis debet ab illa fieri dependens; ergo cum remota ea cauſalitate alligatio & præſentia animæ ſub illis accidentibus eadem ſit quæ corporis, manebit adhuc tota difficultas ſuprà poſita, quomodo pars prædicetur abſolutè de toto.

Quæ ſit veritas huius propoſitionis. Hoc eſt corpus meum.

27 Ideò Tertio quis reſponderet, animam Chriſti, quia vnitur cum corpore, & cum eo facit vnum quid, poſſe optimè demonſtrari per τὸ *Hoc*. Sed contrà, quia ſi demonſtratur per τὸ *Hoc*; ergo malè dicitur poſteà *corpus*, quia de corpore & anima ſimul vnitis non benè dicetur *Eſt corpus*; ergo adhuc ea propoſitio eſt falſa. Reſpondeo, Præſentiam animæ non derogare veritati eius propoſitionis: quia licet non poſſit dici verè, *Petrus eſt corpus*, aut, *Homo eſt corpus*, quia homo plus dicit etiam in recto quam corpus; rectè tamen dicitur, *Hoc quod video eſt corpus Petri*, quia accidentia illa exteriora tantum videntur in rigore oſtendere corpus: vnde τὸ *Hoc* non eſt idem tunc ac *totus homo*.

Reſponſio vera ſtabilitur.

Replica:

Replicabis tamen, Semper τὸ *Hoc*, oſtendendo Petrum, ſignificabat idem ac Petrus; vnde fit, vt illa propoſitio ſit vera, *Hoc eſt Petrus*: ergo non poteſt τὸ *Hoc* prædicari verè de ſolo corpore. Reſpondeo, τὸ *Hoc* poſſe accipi duobus modis, vel pro toto compoſito, vel pro ſolo corpore; certum enim eſt me poſſe oſtendendo meum corpus dicere, *Hoc eſt corpus meum*; tunc autem τὸ *Hoc* non ſupponitur niſi pro corpore: quod verò etiam poſſit vſurpari pro toto compoſito, eſt certo certius; quia poſſum dicere etiam, *Hoc eſt corpus* Dico ergo τὸ *Hoc* eſſe quaſi æquiuocum, & ex circumſtantiis determinari ad ſignificandum aut partem aut totum.

Soluitur.

Altera replica: Expeditur.

Replicabis Secundò; Ergo eodem modo poterit accipi pro ſolo Chriſti corpore, etiamſi ibi ſit ſimul ſubſtantia panis; ſicut eſto ibi ſit anima, vſurpatur pro ſolo corpore. Reſpondeo negando conſequentiam, quia inter vnius totius v.g. vnius hominis partes, poteſt facilè vna ſupponi pro toto compoſito, vt oſtendi in illis duabus propoſitionibus, quæ iuxta communem modum dicendi veriſſimè proferuntur: vna, qua ego ipſe poſſum de meipſo dicere, *Hoc eſt corpus meum*: altera, qua poſſum etiam dicere, *Hoc eſt Rodericus*: ecce τὸ *Hoc* in vno caſu denotat ſolum corpus, in alio vtrumque: at ſi panis ſubſtantia eſſet ſub illis accidentibus, neceſſariò deberet ſemper denotari, quia cùm ea accidentia eſſent propria illius, maximè ipſam deſignarent; & quia cum Chriſto non faceret vnum quid, non poſſet per vllum vſitatum modum loquendi iam pro parte iam pro toto accipi; vnde ſemper & primariò pro panis ſubſtantia vſurparentur.

Quod ſi tamen hæc ſolutio, quia aliquo modo rem ſaluat per figuratum modum loquendi, non omnino placet, poſſum Secundò reſpondere: Eſto, quando accidentia ſunt natura ſua propria eius rei in qua ſunt, & eam naturaliter ſignificant, non poſſit demonſtrando illa prædicari pars de toto; ac proinde dici nequeat oſtendendo Petrum, *Hoc eſt Petri corpus*; quia non poteſt dici, *Petrus eſt corpus*; ſed oporteat addere, *Hoc eſt corpus & anima Petri*, iuxta eam regulam Logicam, quod pars non prædicetur de toto; in eo autem caſu illa accidentia haud dubiè totum oſtendunt hominem; quando tamen accidentia non ſunt propria rei, ſed eam demonſtrant, quia miraculosè ex vna in alteram ſubſtantiam ſunt tranſlata, tunc τὸ *Hoc* non ſignificare niſi purè purè id in quod fuere directè & per ſe tranſlata, non verò id quod ex connexione naturali: deinde ibi ponitur, & hinc ſumitur differentia clara inter panis ſubſtantiam & animam Chriſti; nam cùm ea accidentia natura ſua ſint ſignificatiua panis, neceſſariò ſi hæc ibi manerent, debuiſſent per illud pronomen *Hoc* ea demonſtrari, & verò primò loco; vnde propoſitio illa, *Hoc eſt corpus meum*, fuiſſet falſa; quia de pane affirmaret eſſe Chriſti corpus: id quod haud dubiè falſum eſt: at anima Chriſti non eſt ſub accidentibus ſibi connaturalibus, vti neque ipſum corpus: in quo quidem pares ſunt. Præterea in animam non eſt conuerſus panis, quia noluit Chriſtus directè eam ibi ponere; & verba quæ faciunt eam tranſmutationem non ſignificant quidquam de anima; ergo ea accidentia non denotant vllo modo animam; ac proinde in τὸ *Hoc* nullo modo ea ſignificatur, ne quidem vagè. Adhuc tamen fortè non acquieſces, quia τὸ *Hoc* denotat contentum ſub his ſpeciebus; ſed ſub his continetur anima, ergo etiam illa denotabitur: & tamen in prædicato ea non ponitur; ergo prædicatio illa non eſt vera. Reſpondeo, τὸ *Hoc* non ſignificare quidquid contentum eſt abſolutè & omni modo, ſed quidquid eſt per ſe contentum; per ſe verò contineri dicitur, quidquid vel naturaliter ibi continetur (vnde, iuxta

28

Altera reſponſio difficultatem eludit.

Replica occurritur.

paulò antè dicta, ſi panis ibi eſſet, deberet primariò demonſtrari, quia in eis ſpeciebus maximè per ſe contineretur) vel quod continetur ex intentione primaria & directa facientis eam tranſlationem; cùm ergo præciſè Chriſtus directè voluerit ſuum corpus ibi eſſe, fit vt illud ſolùm ſit per ſe, ac proinde per τὸ *Hoc* nec in confuſo ſignificetur anima, ſed ſolum corpus; ac denique ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, ſit veriſſima, etiamſi adſit anima; quæ alioquin eſſet falſa, ſi ſubſtantia panis adeſſet. Et ſatis de hac difficultate, quæ vix ab Auctoribus diſcutitur; & tamen, vt vidimus, ſatis eſt grauis.

SECTIO V.

Reſpondetur his quæ contra dicta obiiciuntur: vbi oſtenditur Chriſtum non poſſe influere in accidentia Euchariſtica.

29 *Obiectio de Angelo mouente cœlum ſoluitur.*

IAM ad obiectiones ſuprà poſitas contra ſubſtantiam doctrinæ deſumptas ex Angelo mouente cœlum, & ex Deo ſuccedente in locum ſubſtantiæ quoad cauſalitatem materialem, dicimus ideò non poſſe oſtendendo cœlum dici, *Hoc eſt Angelus*; quia ibi manet tota ſubſtantia cœli, quæ per τὸ *Hoc* demonſtratur: nec habet ſe cœlum per modum ciſtæ trahentis Angelum; neque Angelus ſecum mouet cœlum perinde ac ſi eſſe ſubſtantia accidentium illorum; nec Angelus eſt in toto loco cœli quaſi aliquid in ipſo cœlo incluſum: id quod facilius ad Deum applicatur, quia nec Deus mouetur ad motum accidentium aut ſubſtantiæ; neque ſub eis accidentibus exercet aliquid, quod magis ſit proprium Dei, quam quod exercet ſub cæteris creaturis, vt propterea magis ibi oſtendi poſſit quam in aliis; nam cauſalitas non ſufficit vt res cauſata dicatur eſſe ipſa cauſa. Vnde obiter obſeruo ad hoc vt demonſtrando ſpecies dicatur, *Hoc eſt corpus Chriſti*, non requiri vt corpus Chriſti exerceat circa ſpecies munus proprium ſubſtantiæ, quia hoc præciſè conſiſtit in cauſalitate materiali, quam non habet corpus Chriſti reſpectu ſpecierum: ratio autem cur id non requiratur conſtat ex prædictis. Hinc etiam intelliges, quo pacto Sacerdos conſecrans faciat Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus, non quidem phyſicè, ſed moraliter id cauſando; quatenus ſcilicet moraliter obtinet à Deo, vt deſtruatur ſubſtantia panis, ponatur ibi Chriſtus Dominus, & detur ſpeciebus virtus trahendi ſecum ipſum Chriſtum; ex qua virtute prouenit, & dum ipſe Sacerdos vel alij mouent ſpecies, ad motum illarum moueant etiam Chriſtum, ſicut qui mouet ciſtam mouet aurum in illa incluſum.

Sacerdos conſecrans facit vt Chriſtus ſit ſub ſpeciebus cauſando moraliter.

30 *Obiectio.*

Dices: Præſentia Sacramentalis Chriſti non mutatur, licet moueatur corpus Chriſti & eius ſpecies, & tamen tunc mutantur præſentiæ locales; ergo præſentia Sacramentalis non conſiſtit in intima præſentia corporis Chriſti cum ſpeciebus, quia hæc prouenit formaliter ab ipſis vbicationibus; debet ergo poni aliqua vnio quæ ſemper duret. Propter hoc argumentum Suarez diſp. 47. ſect. 2. ponit præſentiam Sacramentalem in habitudine aliqua ſpecierum ad corpus, fundata in præſentia reali: id quod mihi omnino diſplicet, quia illa habitudo nihil eſt aliud realiter quam denominatio extrinſeca deſumpta ex præſentiis realibus; ergo quotieſcumque præſentiæ mutantur, mutatur etiam ea denominatio & conſequenter habitudo. Dicendum ergo eſt, præſentiam Sacramentalem non conſiſtere iuxta dicta in ſola præſentia reali, ſed in illa & carentia panis & virtute trahendi corpus; carentia autem panis & virtus attractiua non mutantur, licet moueantur & ſpecies & Chriſtus. Vnde argumentum ſolum probat præſentiam Sacramentalem inadæquatè mutari: id quod libenter fatemur phyſicè loquendo, quia phyſicè non diſtinguitur ab iſtis præſentiis; in ordine autem ad prudentem exiſtimationem nec inadæquatè mutatur, quia ſuccedunt aliæ duæ præſentiæ omnino inter ſe indiſtantes ſicut præcedentes: vnde ſemper iudicatur eadem indiſtantia Chriſti à ſpeciebus. Sicut ſi homo moueatur, vel feratur in ſella, etiamſi phyſicè mutet ſeſſionem, quia mutat vbicationes, in quibus conſiſtit ſeſſio; tamen homines ſemper putant, quamdiu à ſella non ſurgit, eamdem manere ſeſſionem: & idem eſt in figura & in multis aliis rebus.

Sententia Suarez, ponentis præſentiam Sacramentalem in habitudine ſpecierum ad corpus, reiicitur.

Reſpondetur obiectioni.

Iam reſtat oſtendere, nullam eſſe cauſalitatem Chriſti Domini in ſpecies, contra Cardinalem Lugo, Suarez & paucos alios. Et in primis mihi non placet, quòd putent nonnulli præcipuum munus ſubſtantiæ reſpectu accidentium in hac cauſalitate conſiſtere: etenim dixi ſuo loco vix eſſe vllum argumentum, quo huiuſmodi cauſalitas effectiua in accidentia probetur; vnde opinio Patris Leſſij eam negantis eſt probabilis: quidquid autem de ea ſit, fateri ſaltem debemus, eam cauſalitatem eſſe in materia reſpectu formæ ſubſtantialis materialis, v. g. formæ equinæ; vbi tamen nihil eſt prorſus de exercitio ſubſtantiæ reſpectu accidentis: ergo præcipua ratio ſubſtantiæ non conſiſtit in ea cauſalitate; ac proinde vt probemus Chriſtum eſſe per modum ſubſtantiæ reſpectu eorum accidentium, non eſt neceſſum defatigare nos in probanda ea cauſalitate. Secundò fateri debemus, eam cauſalitatem nequaquam eſſe vulgariter notam etiam apud eos qui ſciunt calorem v. g. eſſe accidens: homines enim maximè ex ſeparabilitate eam rationem accidentium probant, eò quòd homo idem oſtenditur, ſiue calidus ſiue frigidus ſit, ſiue ridens ſiue flens, &c. ergo putandum etiam eſt Chriſtum Dominum ad hoc, vt oſtenderet ſe ſub illis accidentibus contineri, non fuiſſe ſolicitum vllo prorſus modo de ſuſcipienda hac cauſalitate, vt fuſiùs ſupra dixi.

31 *Oſtenditur contra Suarez & Cardinalem Lugo nullam eſſe cauſalitatem Chriſti in ſpecies.*

Verùm efficacius eam reiiciamus, & quidem probando hic & nunc eam eſſe omnino impoſſibilem, quod ſic oſtendo: Priùs natura quàm ſub accidentibus ponatur Chriſtus intelliguntur accidentia exiſtere; ergo ea non cauſantur à Chriſto efficienter. Conſequentia eſt bona, quia quoad primam cauſalitatem (de qua nunc agimus) nihil poteſt influere in id quod ſupponitur priùs natura ante ipſum; imò in ſententia Cardinalis Lugo, qui hanc cauſalitatem ponit, nec quoad ſecundum eſſe ſeu quoad ſecundam actionem poteſt quidquam eſſe cauſa eius quod ſupponitur in eodem inſtanti priùs natura ad ipſam cauſam; hinc enim probat nec diuinitus poſſe, etiam per ſecundam actionem, aliquid eſſe cauſam ſui nec mediatam nec immediatam. Probo ergo eam prioritatem; nam vt Chriſtus ponatur ſub accidentibus, ſupponuntur accidentia exiſtere: ea enim omnino ſunt indepen-

Argumentū validius contra cauſalitatem Chriſti in accidentia.

dentia

Digitized by Google

dentia in ſua exiſtentia à poſitione Chriſti; è contrario verò Chriſtus pendet ab exiſtentia illorum accidentium, non ponendus alioquin, ſi ea ibi non eſſent: hoc autem formaliſſimè conſtituit dependentiam vnius ab altero à priori hinc etiam fit, quod dicere poſſimus, *Ideò Chriſtus ponitur, quia accidentia exiſtunt*; & verba ſupra illa proferuntur;non è contrario, *Exiſtunt accidentia, quia Chriſtus ponitur.*

32 Huic argumento reſpondet, nullo modo accidentia eſſe prius natura in inſtanti conſecrationis,ſed ſolum intelligi in eo priori, quod accidentia extiterint in præcedenti inſtanti reali, & non ſint poſitæ diſpoſitiones contrariæ: eo enim ipſo Chriſtus ponitur,& producit efficienter ea accidentia; imò addit, fortè non eſſe neceſſum illa omnia concipere, ſed quod non ſit adhuc applicatum agens contrarium, quod ea accidentia deſtruat. Hæc ſolutio facillime reiicitur; nam ſpecies, eo ipſo inſtanti quo completur conſecratio, ac proinde quo ponitur Chriſtus, debent priùs natura intelligi exiſtentes,quia vt tales demonſtrantur à Sacerdote: illa autem demonſtratio, vt pote partialis cauſa eius conſecrationis, haud dubiè debet eſſe prior natura, præcedere autem eam demonſtrationem patet: nam licet priùs tempore præceſſerit τὸ *Hoc* & *Hic*, per quæ ſpecies oſtenduntur; ea tamen oſtenſio debet neceſſariò toto tempore permanere vſque ad poſitionem Chriſti, perinde ac ſi quis conſtanter repeteret, dum alia verba proferunt, *Hoc hoc* vſque ad finem; τὸ autem *Hoc* ſupponit priùs natura exiſtentem rem quam demonſtrat. Vrgeo,Idem omnino eſſet valor conſecrationis, ſi inuerterem formam conſecrationis, & vltimo loco ponerem ſpecies,aut τὸ *hoc* vel *hic*, tali modo, *Corpus meum eſt hoc*, vel *Corpus meum eſt contentum ſub ſpeciebus panis his*, vel *Sanguis meus eſt contentus ſub ſpeciebus his*: eo autem caſu quis poſſit negare, priùs natura debere eſſe eas ſpecies. Vrgeo Secundo,vt demonſtrare eas poſſit Sacerdos, debet vel videre, vel alio ſenſu percipere;vt autem eas videat, debent priùs natura illæ exiſtere. Confirmo Secundo in ipſa intentione ſeu voluntate Sacerdotis conſecrantis; nam licet de facto illa verba proferat ſucceſſiuè, priùs *Hoc*, deinde *eſt*, haud dubiè tamen omnino per accidens id contingit nam ſi Chriſtus non requiſiſſet verba exteriora, ſed dixiſſet; *Cum primum poſtquam ſpeciem ſeu hoſtiam Sacerdos tenet manu,eo ipſo quod habeat interiorem voluntatem, qua dicat,Chriſtus ponatur ſub his ſpeciebus, eo ipſo volo Chriſtum ibi poni*; profectò quoad punctum conſecrationis & ſucceſſionis Chriſti in locum ſubſtantiæ, & quod poſteà poſſet Chriſtus demonſtrari,idem omnino eſſet ac ſi per prolationem ſucceſſiuam verborum fuiſſet poſitus: atqui eo caſu neceſſariò priùs natura debuiſſet ſupponi Chriſtus,quia illa intentio tota exiſtit in inſtanti, & tota illa dirigitur ex viſione accidentium eodem inſtanti; ergo de primo ad vltimum illa accidentia fuere priùs natura quam Chriſtus ſub ſpeciebus. Et verò, ſi rem prudenter conſideremus, idem argumentum nunc fit in eadem intentione Sacerdotis, eſto debeant verba ſucceſſiua interuenire; nam poteſt quis in ea intentione manere toto

33 tempore prolationis vſque ad finem. Habet autem hoc maiorem difficultatem in ſententia Cardinalis Lugo, qui ſemper requirit intentionem aliquam expreſſam, licet remiſſam, quæ exiſtat toto tempore quo forma profertur; ergo intentio, quæ etiam ipſo vltimo inſtanti prolationis verborum durat, nititur exiſtentiæ accidentium: quia enim agnoſcit ea exiſtere, vult ſub illis Chriſtum ponere; ergo non ſolùm pro tempore præcedenti debent ſupponi exiſtere accidentia, ſed maximè pro eo ipſo inſtanti, quo vltimò conſecratio perficitur, ac proinde pro eo pro quo Chriſtus ponitur: vnde clare conſtat priùs natura conſeruari accidentia antequam Chriſtus ſub eis ponatur; ac proinde Chriſtum non poſſe eſſe cauſam à qua illa habeant ibi ſuum eſſe. Præterea non poteſt negari,quin homo in ipſa vltima prolatione verborum poſſit dirigi ad volendam eam vltimam prolationem, ex eo quod tunc videat accidentia ante ſe,ſeu ex eo quod noſcat ea durare, non prolaturus ea vltima verba niſi accidentia illa videret, nemo ſane negabit poſſe hoc contingere; vti neque poteſt negari futurum validum Sacramentum eo caſu, quia cum reflexione maxima intentionis fieret tunc conſecratio: atqui eo tempore ipſo inſtanti vltimo prolationis, quando Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus, omnino præcedunt natura accidentia, quia ex iudicio, ſeu viſione, quod exiſtant, Sacerdos mouetur ad proferenda ea vltima verba; ergo ſaltem tunc non poſſet Chriſtus eſſe cauſa accidentium: quod ſi id concedimus vel in vnò caſu, ſemper debebit concedi. Denique, eſto admitteremus accidentia non eſſe priùs natura quam ſit Chriſtus,non tamen poſſum capere è contrario, quomodo poſſit Chriſtus priùs eſſe ſub Sacramento quam accidentia concipiantur, ſub quibus ſit: atqui Chriſtus non poteſt eſſe cauſa accidentium, ſi non exiſtat priùs natura quam illa; ergo nullo modo poteſt explicari cauſalitas Chriſti in ea accidentia.

Reſponſio Cardinalis Lugo ad argumentum præcedens refutatur.

Valida eſt forma inuerſa, Corpus meum eſt hoc.

Prius natura ſunt accidentia quam Chriſtus ſub ſpeciebus.

Proinde Chriſtus non poteſt eſſe cauſa illorum.

SECTIO VI.

Explicatur dubium incidens; & reiicitur euaſio quædam pro argumento à nobis facto contra cauſalitatem Chriſti in accidentia.

EX dictis inſurgit grauis difficultas; nam ſi accidentia debent præſupponi in priori naturæ eo vltimo inſtanti, quærimus à quo in eo priori cauſentur; non à ſubſtantia panis, quia ea non exiſtit eo inſtanti; non à Chriſto, vt diximus; ergo debent ſupponi conſeruata à Deo ſolo: hoc autem videtur nequaquam poſſe admitti; nam verba conſecrationis nihil efficiunt niſi cùm perficiuntur; ergo antequam perficiantur non poſſunt Deum mouere ad hoc, vt miraculosè conſeruet ibi ea accidentia. Confirmo, ſi in eo priori ante prolationem verborum iam accidentia conſeruantur independenter à ſubſtantia panis:ergo ſi Sacerdos tunc pro ſua libertate omitteret ea verba, aut intentionem reuocaret,ac proinde ſub illis accidentibus non poneretur Chriſtus, manerent nihilominus accidentia ſine ſubiecto, ſeu non conſeruata à ſuo ſubiecto; hoc autem videtur abſurdum, quia quando non profertur tota forma eſſentialis Sacramenti, perinde eſt in ordine ad actus omnes Sacramentales ac ſi nihil penitus eſſet dictum. 34

Mouetur grauis difficultas, à quo cauſentur accidentia.

Proponitur caſus.

Aliquis fortè reſponderet, Deum per ſcientiam mediam præuidiſſe, ſi talis & talis incipiat proferre

Examinatur, An illa accidentia

conſeruentur à Deo miraculosè ſine ſubiecto; & quo caſu non.

proferre formam, non eam abſoluet, vel non habebit intenſionem requiſitam ad conficiendum Sacramentum, & pro tali caſu non conſeruaſſe Deum illa accidentia miraculosè ſine concurſu ſubiecti; in reliquis verò caſibus, in quibus iam ſciebat nullum fore periculum, ea conſeruaſſe. Sed contrà, quia ſi id ita ſit, cogemur vnum è duobus admittere, vel illum Sacerdotem (qui præuiſus fuerat non abſoluturus verba) non habuiſſe poteſtatem conſecrandi, quia vt eam haberet, debuit poſſe ponere Chriſtum ibi excluſo pane; ad hoc autem non habuit vires, quia priùs natura quam vellet loqui, iam ſupponebatur ſubſtantia panis ibi durans; ergo non potuit illam reiicere, & Chriſtum ibi ponere; hoc autem eſt abſurdum, quia ſine dubio ille vti liberè ceſſauit ab vltimis verbis, ita liberè potuit ea proferre, & conſecrationem perficere ac proinde Chriſtum ibi ponere; vel ſequitur, ſi Chriſtum potuit ibi ponere, potuiſſe tunc illum ita conſecrare, vt ſimul maneret Chriſtus cum ſubſtantia panis, quia (vt oſtendimus) panis iam ſupponitur ibi priùs natura; ergo ſi adhuc Chriſtus poteſt poni, ſine dubio poteſt coniungi cum pane: hoc autem durius multò eſt, & prætereà euidenter falſum: quia eſſet contra veritatem verborum, quæ non admittunt permanentiam panis, vt ſæpè diximus: ſi autem verba non eſſent vera, ergo etiam vi illorum non potuiſſet Chriſtus ibi poni; ac proinde eſſent vera, & non vera: vera, quia ponunt Chriſtum; non vera, quia non expellunt panem.

35 *Aliquorum ſententia & reſponſiones reiiciuntur.*

Fortaſſe ad hoc vltimum abſurdum reſponderet quis; Licet in eo priori ſupponantur accidentia panis conſeruata materialiter à pane, fieri tamen poſſe, vt non ſupponantur illi vnita; quia (vt in Tomo Philoſophico oſtendi) cauſalitas materialis non eſt idem cum vnione eiuſdem formæ; benè ergo potuit præintelligi cauſalitas ante vnionem: vnde ſi prædicto caſu dixiſſet ille Sacerdos vltima verba, poſitus quidem fuiſſet Chriſtus ſub eis accidentibus, non tamen cum pane; quia panis eſto manſiſſet in rerum natura pro eo inſtanti, non tamen vnitus accidentibus: veritas autem verborum non exigit deſtructionem panis (vt infrà dicemus) dummodò non maneat ſub eis accidentibus. Quod ſi vrſeris, Ergo ſaltem in eo caſu non eſſet conuerſio panis in corpus Chriſti, quia ad conuerſionem requiritur deſtructio panis; id autem videtur eſſe contra Tridentinum; reſponderi adhuc poſſet, eam fore conuerſionem; quia licet eo primo inſtanti non eſſet corruptus panis, corrumpendus tamen erat in inſtanti ſequenti: id quod ſufficeret ad abſolutè vocandam illam conuerſionem: neque enim Concilium de eo vnico inſtanti fuit ſolicitum, maximè cùm ille caſus nunquam ſit ponendus in rerum natura; quia per ſcientiam mediam vidit Deus talem Sacerdotem nihil poſiturum. Hæc autem ſolùm dicta ſint, vt ſaluemus illam potentiam Sacerdotis ad ponendum Chriſtum cum præcedentia cauſalitatis materialis panis in ea accidentia. Nihilominus hæc ſolutio non poteſt ſuſtineri, quia ea cauſalitas materialis eſto non ſit ipſa vnio cum re cauſata, debet tamen neceſſariò habere annexam vnionem ſaltem pro poſteriori naturæ: iam autem ſequeretur panem ſimul cum Chriſto pro poſteriori naturæ eſſe ſimul, ac proinde non verificari verba, vt paulò ante dicebam. Hac ergo ſolutione reiecta,

36 *Ad caſum propoſitum reſpondetur.*

Abſolutè reſpondeo Primò, Etiam Cardinalem Lugo teneri ob hoc argumentum concedere priùs natura ad conſecrationem decretum aliquod miraculoſum circa conſeruationem eorum accidentium & panis; nam accidentia decernit omnino conſeruare, ſiue ſequatur conſecratio, ſiue non; ſubſtantiam verò panis ſolùm caſu quo conſecratio non fit. Prætereà cùm natura ſua panis & accidentia illa ſint omnino independentia à conſecratione, Deus tamen ea facit tunc poſteriora; fieri autem poteſt vt eo inſtanti nolit Sacerdos conſecrare, & quodammodò illa mutatio decretorum maneat ſine eo fine ad quē ordinabatur. Hoc ipſum ferè nos dicimus, niſi quod conſecrationem facimus poſteriorem ad conſeruationem accidentium; quia, vt fusè oſtendimus, accidentia vt demonſtrabilia priùs natura debent ſupponi vt materia ſupra quam cadat conſecratio, & vt id quod poteſt etiam eo inſtanti mouere Sacerdotem ad vltimò complendam conſecrationem. De ſubſtantia autem panis nihil tunc Deus decernit, quovſque videat, an Sacerdos ille re ipſa compleat conſecrationem; cū ergo tunc pro eo inſtanti conſeruatio accidentium ſit independens à conſeruatione panis; (quā independentiam iam oſtendi debere admitti ab hoc Auctore, quia ſiue panis ſit, ſiue non, manebunt tamen accidentia;) profectò connaturalius eſt dicere, Deum tunc ſe ſolo illa accidentia conſeruare, vti facturus eſt toto tempore quo durat conſecratio. Quod ſi Sacerdos ille tunc liberè deſiſtat ab ea conſecratione, admittimus eo inſtanti accidentia non conſeruanda materialiter à pane, eſto hic ibi maneat. Per quod tamen non aſſerimus vllo modo manſura ea accidentia etiā eo vnico inſtanti ſine ſubiecto; nam eo ipſo quod ibi permaneat ſubſtantia panis ob defectum conſecrationis, iuxta dicta, Deus poſterius natura dat illis accidentibus naturalem vnionem cum ſua ſubſtantia; in ſequentibus verò inſtantibus realibus ſequitur cauſalitas panis in eodem more antiquo & naturali. Et hæc circa obiectionem contra noſtrum argumentum.

37 *Reſponſio ad noſtrum argumentum diſcutitur:*

Iam verò videamus, quomodo poſſit argumento noſtro reſponderi, ita vt & accidentia ſint priora poſitione Chriſti ſub eis; & tamen Chriſtus in ea influat materialiter. Dicere ergo poterunt, hoc argumento euinci quidem, Chriſtum ſi alioquin independenter ab hoc Sacramento non exiſteret, non poſſe eſſe cauſam accidentium; quia tamen ſupponitur iam in cœlo exiſtens, nullam eſſe difficultatem in eo, quod pro priori naturæ ante accidentia concipiatur vt cauſa illorum, & poſteriùs natura accipiat vbicationem, qua fiat illis præſens expulſa ſubſtantia panis: ſæpè enim diximus, approximationem non eſſe conditionem prærequiſitam eſſentialiter, imò nec naturaliter ad operandum; ſed ſufficere, ſi ea ſequatur in poſteriori naturæ. Hæc tamen ſolutio facilè reiicitur. Primò, quia ſpecies Sacramentales vti non pendent à Chriſto Sacramentato, ita neque à Chriſto in cœlis exiſtente. Huic replicæ reſponderi poterit, id quidem ita eſſe ordinariè loquendo; at in eo inſtanti, vt locus fiat conſecrationi, Chriſtum efficienter illa conſeruare, vti immediatè ante diximus conſeruari à Deo ſine concurſu ipſius ſubſtantiæ panis: hæc enim conſeruatio etiam eſt miraculoſa. Ideò Secundò reiicitur illa ſolutio; nam actio eſto non requirat præuiam approximationem cum paſſo, ſaltem eam requirit in

Et refutatur

eodem

Digitized by Google

eodem inſtanti poſteriùs natura, At ea accidentia ita eo inſtanti priùs natura conſeruantur, vt licet Chriſtus non poneretur, quia Sacerdos ſe determinaret liberè ad non conſecrandum, nihilominùs manerent accidentia in rerum natura; in eo autem caſu non maneret Chriſtus eis approximatus; quia ſi non conſecracretur re ipſa hoſtia, Chriſtus non acciperet vbicationem illam ſub hoſtia, ſed maneret in cœlo.

Fortè & huic replicæ reſpondebitur iuxta ſententiam probabiliorem, poſſe diuinitus cauſam operari in diſtanti, ac proinde etiamſi eo caſu Chriſtus non poneretur ſub accidentibus, quia re ipſa non fieret conſecratio, ea accidentia tamen conſeruanda à Chriſto diſtante & exiſtente in cœlo. Sit ergo tertia & efficax impugnatio, quia Chriſtus nullam cauſalitatem Sacramentalem exercet niſi poſteriùs natura ad conſecrationem, ſeu, vt clariùs dicam, niſi dependenter à conſecratione integra & perfecta; ergo etiamſi Chriſtus in cœlo ſit prior accidentibus, cauſalitas tamen eius, per quam ponitur in Sacramento, debet eſſe poſterior conſecratione, ergo poſterior accidentibus, quia hæc (vt oſtenſum eſt ſuprà fusè) ſunt priora ipſa conſecratione, ergo iam accidentia ſupponuntur producta per aliam cauſalitatem priorem: duas autem cauſalitates non poſſumus hîc ponere, & verò ſi vna ſit poſterior altera, omnino repugnant ſimul tempore iuxta hunc Auctorem.

Aliud argumentum, quo impugnatur cauſalitas Chriſti in accidentia.

SECTIO VII.

An ſit in accidentibus ponenda aliqua qualitas qua trahant Chriſtum?

38 DIFFICILIVS eſt, Vtrùm ponenda ſit aliqua qualitas in accidentibus, per quam moueatur Chriſtus ad motum ſpecierum. Cardinalis Lugo diſput. 6. ſect. 2. ponit quamdam qualitatem ſupernaturalem habentem ex natura ſua vim trahendi ſecum corpus Chriſti; cuius duplex eſt fundamentum: vnum, quòd per eam qualitatem clariùs explicetur, quomodo qui mouet ſpecies moueat Chriſtum Dominum, quatenus dum immediatè trahit ſpecies, trahit Chriſtum, qui phyſicè trahitur per illam qualitatem; alioquin ſi ſolus Deus moueret Chriſtum ad motum ſpecierum, non poſſet homo mouens ſpecies dici mouere corpus. Secunda ratio, quia quando cauſa aliqua naturalis eleuatur ad aliquem effectum ſupernaturalem, connaturalius eſt, vt eleuetur per potentiam aliquam illi intrinſecam; vti intellectus eleuatur per lumen gloriæ ad videndum Deum, & voluntas ad actus virtutum ſupernaturalium eleuatur per habitus ſupernaturales.

Cardinalis Lugo admittit qualitatem ſupernaturalem trahentem ſecum corpus Chriſti.

Iudico primùm, non repugnare talem qualitatem: ſunt enim qualitates multæ quæ habent vim naturalem cauſandi motum in corporibus vicinis; cur ergo non poterit vna talis eſſe ſupernaturalis? Secundò cenſeo, non poſſe facilè intelligi, quomodo talis non vniatur corpori Chriſti, iuxta huius Auctoris doctrinam, qui (vt vidimus Tomo 6. agentes de vnione hypoſtatica) vnionem ipſe non aliter explicat, quàm in ordine ad vim illam trahendi ſecum ad eumdem locum rem quæ dicitur vnita; hoc autem totum habet ea qualitas non ſolùm reſpectu ſpecierum, ſed reſpectu Chriſti, ergo. Tacitè huic obiectioni videtur reſpondiſſe in præſenti addendo, ad rationem veræ vnionis requiri, vt exigat ſe poni vbicumque eſt ſubiectum; hoc autem ea qualitas reſpectu Chriſti non habet, quia Chriſtus adhuc manet in cœlo & in aliis hoſtiis, vbi non eſt hæc qualitas. Mihi hæc ſolutio nequaquam ſatisfacit, quia ſuprà oſtendi, eam exigentiam difficillimè poſſe in omni vnione ſaluari; nam vnio humanitatis Chriſti ad Verbum eſt vera vnio, & tamen non petit pon humanitatem in omnibus locis vbi eſt Verbum: item, materia capitis verè vnitur animæ rationali, & tamen non exigit ea materia eſſe vbicumque eſt anima. Quòd autem reſponderi poſſit de adæquata & inadæquata poſitione, ſatis efficaciter eſt à me ſuprà reiectum. Secundò fortiùs nunc argumentor; Nam vbicatio Chriſti in cœlo verè vnitur Chriſto, & tamen ipſa non exigit poni etiam in aliis locis adæquatis vbicumque eſt Chriſtus; ergo ea exigentia non eſt de conceptu vnionis.

Non repugnat talis qualitas.

Sed non reddit rationem ſufficientem, cur illa qualitas nō vniatur corpori Chriſti.

Vt patet conſideranti naturam vnionis.

Dices: Ea vbicatio eſt immobilis ex ſe; quid ergo mirum ſi non ponatur alibi? Sed contrà 39
clarè, quia ſi de ratione vnionis propriæ eſt ea exigentia eſſendi in omnibus locis, vbi eſt, extremum alterum vnitum; profectò cùm vbicatio illa non habeat eam exigentiam, vndecumque id illi proueniat, carebit etiam proprio & eſſentiali prædicato vnionis, ac proinde non erit vera & propria vnio: vti, quia de ratione quantitatis eſt exigere naturaliter impenetrationem cum ſimili quantitate, eo ipſo non poterit eſſe quantitas ea res, quæ tali exigentia ex ſe caruerit, vndecumque ei veniat ea carentia.

Fortè adhuc dices: Exigentia illa poſitionis in duobus locis debet eſſe cum hac limitatione, *Quantum ſalua eius rei ſubſtantia poteſt eſſe*; ſalua autem natura ſeu ſubſtantia vbicationis non poteſt eſſe in duobus locis; quid ergo mirum, ſi, eſto id non exigat, ſit tamen vera vnio. Sed contrà Primò, quia reuerà vbicatio hæc nullam talem habet exigentiam nec conditionatam: cùm enim per ſubſtantiam ipſius repugnet illi ea poſitio in duobus locis, nullam profectò habet exigentiam illius. Vti homo non habet exigentiam nec conditionatam irrationalitatis; & tamen ea vbicatio verè vnitur Chriſto per ſolam eam exigentiam intimæ præſentiæ cum illo: ergo illa alia exigentia exiſtendi vbicumque eſt ſubiectum, nullo modo eſt de conceptu vnionis vt ſic.

Secundò argumentor: Nam eo ſenſu ego dicam, etiam illam qualitatem habere eiuſmodi naturalem exigentiam (quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia concipi;) quia verò ipſius ſubſtantia non petit eſſe niſi in vno loco, hoc vel illo, ideò non poni in omnibus; profectò ſi per has conditionales, *Quantum non repugnat ſubſtantiæ*, velimus res declarare, aliquis poſſet dicere, brutum habere exigentiam ratiocinationis quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia, & hominem habere exigentiam volandi quantum poteſt ſalua eius ſubſtantia, & ſic cuilibet rei daremus eo modo exigentias omnium aliarum, & omnia planè hoc modo miſceremus. Conſtet ergo hunc Auctorem, qui nequaquam vult admittere vnionem Chriſti ad ſpecies, vix poſſe admittere eam qualitatem intrinſecam exigentem intimam præſentiam Chriſti ſecum, & cum ſpeciebus.

Aliter impugnatur ratio Cardinalis Lugo.

Tertiò circa eam qualitatem cenſeo, non eſſe 40

Digitized by Google

Qualitas, quam aſſignat Cardinalis Lugo, non eſt neceſſaria.

vllo modo neceſſariam ad explicandum hoc myſterium; Primò, quia non eſt neceſſum dicere, Chriſtum moueri phyſicè ab ipſis ſpeciebus: ſufficit enim, ſi Deus ad motum ſpecierum illum moueat; quòd verò dicebatur, fore hinc vt Sacerdos mouens ſpecies non poſſit dici mouere Chriſtum, non vrget: facilè enim negatur ſequela. Vti enim vt Sacerdos dicatur ponere Chriſtum ſub ſpeciebus, non eſt neceſſum ipſum concurrere efficienter phyſicè ad eam exiſtentiam Chriſti, ne quidem mediatè; ſed ſufficit, quòd homo ponat phyſicè verba, ad quæ Deus ponit ibi Chriſtum; ita vt dicatur idem Sacerdos mouere localiter Chriſtum, ſufficit, quòd ipſe moueat phyſicè ſpecies; ad quarum motum Deus producat motum Chriſti vi ſui decreti generalis. Neque adducetur vllus locus Patrum, nullave ratio ad probandum, cum maiori rigore phyſico hominem mouentem ſpecies mouere Chriſtum, quam Sacerdos conſecrans ponat Chriſtum ſub ſpeciebus; ergo non eſt neceſſum dicere, ſpecies mouere phyſicè Chriſtum. Habet autem hæc ratio maximè locum in ſententia negante quantitatem diſtinctam, quam ego vt probabiliorem defendi: in ea enim nec quidem naturaliter mouetur ſubſtantia ad motum accidentium, ſed è contrario, quia nos mouemus corpora ratione impenetrabilitatis: ea autem impenetrabilitas in mea ſententia eſt ipſa materia: neque enim ego ſapori, colori, calori imprimo impulſum, ſed corpori; quòd ſi naturaliter ſpecies non mouent ſubſtantiam, cur debeo ſpeciebus Sacramentalibus tribuere virtutem phyſicam qua moueant immediatè Chriſtum? ergo ex hoc capite non eſt neceſſum vllam ponere qualitatem ſupernaturalem.

Vt dicatur Sacerdos mouere Chriſtū, ſufficit, ſi moueat phyſicè ſpecies.

41 Quartò tamen adhuc dico; Etiamſi ſpecies haberent omnem vim mouendi Chriſtum, eam tamen qualitatem non fore ponendam, quia connaturalius eſt ſine vlla qualitate immediatè concurrere ſpecies ad illum motum in corpore Chriſti, quàm per qualitatem eam ſuperadditam: licet enim ad operationes, intelligendi & amandi dicamus compleri intellectum per habitum ſupernaturalem, non ideò admittere debemus ſimile complementum in ordine ad omnes alias actiones ſupernaturales: diſparitas verò aſſignari poteſt ratione operationum vitalium & immanentium; quales ſunt actus intellectus & voluntatis, qui requirunt connaturale intrinſecum complementum influens in illas, in ordine autem ad operationem extrinſecam, qualis eſſet reſpectu ſpecierum motus Chriſti, non eſt cur complementum intrinſecum ponamus: vti etiamſi concedamus cum Thomiſtis Sacramenta cauſare phyſicè gratiam, non tamen proptereà ponimus in aqua v. g. vllam qualitatem intrinſecam, qua concurrat ad eam gratiam in Baptiſmo; & ſic de cæteris Sacramentis. Idem ergo erit in noſtro caſu, maximè cùm per naturales vbicationes quoad ſubſtantiam id poſſimus ſaluare vt dixi ſupra. Vrgeo id adhuc clariùs, ſi dicamus ipſum hominem mouentem ſpecies influere immediatè in vbicationes ipſas Chriſti, quo caſu multò adhuc meliùs oſtenderemus quomodo Sacerdos moueat Chriſtum; homo ergo habet naturalem vim producendi vbicationes naturales in corpus Chriſti; vti mouere illud potuit quando in via extitit: illa ergo virtute naturali vtitur Deus de facto, vt moueat tum ſpecies tum ipſum Chriſtum, cùm ibi non ſit miraculum niſi quoad modum; neque obſtat, quòd Chriſtus non grauitet, quia Deus poteſt impedire eam grauitatem, aut ita concurrere cum homine mouente illas ſpecies, vt hic non aduertat eam grauitatem; & verò ſi aliquod miraculum in eo motu locali Chriſti ſub ſpeciebus admittendum eſt (vti reuerà debet admitti) mihi maximè facilè videtur hoc quod dixi, quia illud ſolum eſt quoad modū ipſum, non quoad rē.

Connaturalius mouetur Chriſtus ſine vlla qualitate ſuperaddita ſpeciebus.

42 Dices: Ergo homo poteſt immediatè agere in Chriſtum Dominum. Reſpondeo, Poteſt aliud agere à motu, nego; motum localem, concedo: in hoc autem nullum eſt abſurdum, quia non eſt maius abſurdum in eo quòd agat immediatè illum motum, quàm ſi mediatè. Aliunde autem ſi dicamus Chriſtum trahere ſecum in motu ſpecies, multò magis conformiter diſcurremus ad ea quæ in aliis ſubſtantiis dicimus: neque enim odor pomi aut color trahit ſubſtantiam pomi localiter, ſed è contrario ſubſtantia trahit ſecum accidentia: cum enim accidentia dependeant à ſubſtantia vt à cauſa conſeruante, ſine qua exiſtere non poſſunt, neceſſum omnino eſt vt ſubſtantia mota ſecum trahat illa accidentia: id quod meo iudicio clarè poteſt inde oſtendi, nam ſi Deus molem corpoream pomi v. g. (diximus enim paulò antè quantitatem non diſtingui à materia) conſeruaret ſine colore, odore, ſapore, ſine dubio eodem modo poſſem pomum illud manu apprehendere, & per impulſum pellere è loco, &c. ac poſſum quando habet ea accidentia, imò eſto quantitas ſit diſtincta, & eſto ea ſit requiſita ad hoc, vt quando ego impello Petrum mea manus non penetret ipſum Petrum, & ne tranſeat vlteriùs, relicto Petro in ſuo loco, iudico tamen multò magis philoſophicè nos diſcurſuros dicendo eum impulſum imprimi immediatè in corpus quam in quantitatem, quia connaturalius eſt quantitatem moueri ad motū ſubſtantiæ quàm è contrario: vti enim motus naturalis hominis v. g. incipit à corpore, hoc autem trahit quantitatem, quis enim dicat, quando ſe homo mouet, priùs natura moueri quãtitatem, & ab hac tam corpus quàm animam moueri, & nõ dicet priùs moueri vel animam, vel certè corpus (de quo iam non diſputo) accidentia verò illa omnia trahi cum corpore? Vti dum mouetur equus, non priùs mouentur res quas vehit, ſed ipſe priùs, & deinde omnia alia quæ ſupra ſe vehit.

Poteſt homo immediatè agere in Chriſtum motum localem, aliud nõ.

Impulſus immediatè fit in corpus, non in quantitatem.

Priùs natura mouetur ſubſtantia quam accidētia.

43 Obiectionem quamdam, deſumptam ex eo quòd per tactum non percipiamus ſubſtantiam, ſed ſola accidentia, calorem, frigus, &c. qua maximè vtitur hic Auctor, ſoluam infrà, oſtendens illam totam fundari in æquiuoca huius vocis *tactus* acceptione. Primo enim modo vſurpatur pro ſenſatione materiali, quæ propria eſt animalis, hanc autem libenter admittimus ſolùm eſſe circa accidentia: hæc verò inutilis eſt ad motum localem de quo nunc agimus. Secundo ergo modo accipitur tactus pro impulſu locali, vti cùm tangit me lapis, vel ventus, & ſuo impulſu me mouet è loco. In hoc ſenſu dicimus tactum fieri immediatè in ſubſtantiam, non in albedinem, aut frigus, quia ſubſtantia trahit ſecum omnia ea accidentia; non è contrario albedo manus trahit manum; ergo accidentia ſequuntur motum ſubſtantiæ, non è contrario.

Quòd ſi ſemel dicamus in hoc motu naturali

priùs

Digitized by Google

priùs moueri ſubſtantiam, certè connaturalius eſt idem dicere in motu violento, ſeu in illo qui fit ab agente extrinſeco, cùm æquè facilè poſſit hic explicari quàm ille: ex quibus concludo, minùs benè defatigari in præſenti aliquos vt oſtendant, quo pacto accidentia trahunt ſubſtantiam.

Gratis volunt oſtendere alio ſubſtantiam ab accidentibus trahi.

Dices: Eſto hæc omnia concedantur, cùm tamen Chriſtus non ſit vnitus accidentibus, non poteſt explicari, quo pacto ex motu eius moueantur accidentia. Reſpondeo, Deum ſua voluntate ea alligaſſe Chriſto, vti ex contrario alij dicunt Chriſtum alligatum eſſe accidentibus, mihi ſanè videtur honorificientius, quòd Chriſtus trahat ſecum accidentia, quàm è contrario hæc trahant Chriſtum. Aliqua etiam alia fortè poſſent obiici in præſenti contra eam qualitatem ſupernaturalem, quæ omitto, nam ſufficienter oſtendimus hucuſque illam difficulter hìc & nunc concipi, & neceſſariam non eſſe pro explicanda continentia Chriſti ſub ſpeciebus.

Decentius eſt vt Chriſtus trahat accidentia, quàm vt ab illis trahatur.

SECTIO VIII.

Quæ denominationes Chriſto conueniant in hoc Sacramento?

44 QVÆSTIO hæc ſolùm eſt de modo loquendi: videatur Suarez diſput. 48. & Vaſquez diſp. 193. cap. 2. Nos breuiter dicimus Primò, omnes denominationes denotantes ordinem ad locum, v.g. moueri, quieſcere, propriiſſimè dici de Chriſto, non ſolùm quia ſpecies mouentur, ſed quia ipſe in ſe accipit motum & vbicationes, nec tamen ideò dici poteſt ſtare aut ſedere, quia ad hoc deberet habere partes extra partes, nec etiam poteſt dici frangi propriè, quia hoc denotat vnam partem Chriſti ab altera ſeparari: id quod ei nullo modo conuenit: per denominationem tamen ſolet aliquando, rariſſimè tamen, hoc prædicatum ei tribui. Solet etiam illi tribui commixtio, vt in Canone Miſſæ dicitur, *Hæc commixtio corporis & ſanguinis*, &c. quod prædicatum, ſi tantùm denotet ſanguinem ſimul cum corpore in calice poni ſine vlla corruptione, propriè conuenit Chriſto, quia reducitur hoc prædicatum ad præſentiam localem: ſi autem denotet corruptionem aliquam vel reſultantiam alicuius tertij mixti diſtincti, tunc nec ratione ſui nec ratione ſpecierum illi conuenit, quia nec ſpecies nec Chriſtus corrumpuntur, aut conſtituunt nouum tertium aliquod quamdiu Chriſtus eſt in ipſis. Comedi autem poteſt dici in aliquo ſenſu propriè, quatenus ſolum denotat, quòd per os in ſtomachum traiiciatur: id quod reducitur ad motum localem: ſi autem comedi vſurpetur pro compreſſione partium facta inter dentes, & pro diuiſione illarum inter ſe, non conuenit Chriſto propriè, quia dentes nullam ipſius partem aut comprimunt, aut diuidunt.

Chriſtus in Euchariſtia propriè mouetur & quieſcit; non verò ſedere, ſtare, frangi, dici poteſt:

Quomodo poſſit dici, commiſceri,

Comedi,

Dicimus Secundò, ea prædicata quæ ſunt propria ſpecierum, v.g. videri, tangi, illuminari, eſſe rotundum, quadratum, &c. propriè non tribui Chriſto Domino: cùm enim non habeat vnionem cum illis accidentibus, non poteſt ab illis ſimiles denominationes accipere; aliquæ tamen ſolent illi attribui per metaphoram, ſcilicet videri, tangi, ſentiri, aliæ verò etiamſi eodem modo poſſent tribui de facto, tamen non tribuuntur v. g. frigeſieri, calefieri. Diſparitas alia quærenda non eſt, quàm quòd cùm omnes hæc locutiones ſint impropriæ & metaphoricæ, aliquæ ſunt in vſu ex puro puto hominum placito, aliæ verò non, illas ergo, quæ à Patribus aliquando vſurpatæ ſunt, poſſumus vſurpare, non autem illas in quibus videtur erroris periculum; quale eſſet, ſi diceretur Chriſtum ibi calefieri, denotaret enim hoc illum eſſe paſſibilem: quod benè obſeruauit Pater Suarius ſuprà.

Videri, tangi, ſentiri non verò frigeſieri, aut calefieri.

Vaſquez verò diſput. 193. cap. 2. voluit regulam generalem aſſignare, qua id dignoſceremus, non contentus ad modum loquendi Patrum id reuocare, ait ergo omnia prædicata, quæ ſunt in ordine ad ſenſus externos, tribui Chriſto Domino per figuram, alia verò, quæ non ſunt in ordine ad eos ſenſus, non tribui. Ratio ipſiùs eſt, quia etiam dicimus videre parietem, licet non videamus albedinem, ergo & poterit Chriſtus dici videri, licet non videatur niſi albedo. Hæc regula omnino falſa eſt; Primò, quia iuxta illam poſſet dici quòd olfaciamus Chriſtum, quia olfacimus ſpecies vini, item, quòd audiamus: Chriſtum, quia ſpecierum fractionem audimus: quæ tamen locutiones fortè magis impropriæ ſunt, quàm Chriſtum frigeſieri, &c. & non magis receptæ; ergo non eſt vniuerſim verum, omnia prædicata in ordine ad ſenſus poſſe Chriſto tribui propter ſpecies. Quòd autem ibi Vaſquez & alij cum ipſo docent, Si videamus currum, in quo Rex vehitur, dici nos vidiſſe Regem, puto omnino eſſe contra omnium hominum ordinarium modum loquendi. Deinde, ſi ratio ipſius deſumpta ex pariete viſo aliquid valet, etiam poſſet dici Chriſtus frigeſieri, quia etiam in ſententia docente calorem v.g. non recipi niſi in quantitate, dicitur tamen homo ipſe calefactus à calore, cùm tamen immediatè calefactus non ſit. Et eiuſmodi exempla afferri poſſent multa, fruſtrà ergo hìc regula aliqua quæritur: cùm enim res pendeat, vt dixi ex modo loquendi, determinanda ſolùm eſt ex vſu & acceptione, iuxta paulò antè dicta. 45

Regula, quam aſſignat Vaſquez in denominationibus Chriſto tribuendis, falſa eſt:

Neque ſimilitudines eam confirmant.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVARTA.

Præuia ad conuerſionem. De natura conuerſionis vt ſic.

1 DE hoc puncto egi ex propoſito Tomo Philoſophico diſput. 1. de Generatione. Verùm quia aliqua ex his, quæ ibi dicta à me fuerunt, video ab aliis impugnari, & quia pro explicatione conuerſionis Euchariſticæ neceſſaria omnino eſt quæſtio hæc, breuiſſimè hìc inſinuabo quæ ibi fuſiùs deduxi, addam autem quæ ratione obiectionum nouarum neceſſaria ſunt, vt in hac materia nihil amplius deſideretur. Aduerto autem duas quæſtiones in præſenti diſcuti, vnam, quid ſit conuerſio, alteram,

Duplex quæſtio, quid conuerſio, quid

Digitized by Google

Iam tamen ſpecialem contra doctrinam noſtram. eſſe ſpecialem contra hanc ſententiam meam (quam defendo ſine vlla prorſus inconſequentiæ nota;) eſt ergo tota hæc difficultas ob inexplicabilem compoſitionem continui in Ariſtotelis ſententia, vnde obiectio illa debet æquè ab omnibus ſolui. Pro quo aduerte, data ea ſententia Ariſtotelis non poſſe vlla ratione dici Chriſtum totum eſſe in ſolis punctis hoſtiæ, alioquin iam eo ipſo poneremus totam hoſtiam compoſitam ex ſolis punctis: quæ eſt ſententia Zenonis, quam nunc fugimus: debet ergo ita eſſe Chriſtus, vt ſi ſimul in punctis & partibus ſi dentur puncta & partes, vel certè in ſolis partibus indeterminatis. Hoc poſito ſic clariſſimè argumẽto reſpõdeo, Præſentiam proportionalem,

8 *Reſpondetur argumento Cardinalis Lugo,* quam pars proportionalis Chriſti habebat naturaliter ad partem proportionalẽ ſpatij, penetrari cũ reliquis omnibus, quæ in ſimili parte proportionali poterant eſſe ſucceſſiuè. In quo puncto non eſt nunc maior difficultas, quàm quod ſucceſſiuè potuerit manus Chriſti v.g. tranſire per ſpatium hoſtiæ. Et pro maiori intelligentia concipe manum Chriſti ita venire naturaliter in longum ad extremitatem hoſtiæ cõſecrandæ, vt in eodem puncto terminetur cum hoſtia; da illam manum velle ſucceſſiuè ab initio hoſtiæ ad finem vſque pergere; profectò ſi illæ præſentiæ omnes; quas reliquæ partes manus ad longum ſucceſſiuè eſſent habituræ, dum vellent tranſire per hoſtiam, arreſtarentur (vt ſi dicam) à Deo, & detinerentur ſimul, ne manus iret vltra hoſtiam, per ſolas illas præſentias eſſet tota manus in extrema parte hoſtiæ: quod autem dico de tranſitu ad longum vltra hoſtiam, dici poteſt eodem modo de omni alia dimenſione hoſtiæ; ergo ratione naturalitatis non poteſt difficultas vlla eſſe ſpecialis in noſtro caſu.

Confirmatur & explicatur reſponſio: Explico & confirmo id euidenter Primò; nam per hoc, quod illæ præſentiæ ſint ſupernaturales non augetur nec minuitur vllo prorſus modo numerus magis quam ſi ſint naturales, ſiue eas velis numerare per partes proportionales, ſiue per determinatas (vt videtur ex terminis notum) cùm ſupernaturalitas ſe habeat per accidens ad huiuſmodi multiplicationem, & ſupponamus non vbicari totum Chriſtum per vnam indiuiſibilem præſentiam. Hoc ergo poſito clare infero, non eſſe vllam ſpecialem difficultatem apud me in explicando modo, quo afficiunt quoad diuiſibilitatem ſubiectum præſentiæ naturales præ ſupernaturalibus. Iam veniamus ad alteram partem de partibus ſpatij, cui Chriſtus ſit præſens, & in illis rogo, vtrùm qualibet pars proportionalis ipſius præſentiæ reſpiciat ſpatium indiuiſibile, an verò è contrario proportionale ſicut ex parte ſubiecti reſpicit etiam partem proportionalem, iuxta paulò antè dicta: ſi dicatur primum, tunc in hoſtia non erunt niſi puta puncta ſpatij, ſiue infinita illa ſint, ſiue finita; & tandem relabemur in ſententiam Zenonis, quam (vt dixi) nunc ſupponimus falſam: ſi dicatur ſecundum, ſcilicet eam partem proportionalem præſentiæ ſupernaturalis reſpicere partem proportionalem ſpatij; idem ego dicam de parte proportionali naturali, quia (vt hoc iterum repetam) ad rem præſentem ſupernaturalitas nihil facit ad partes proportionales aut diuiſibiles ſpatij; ſi autem de vnione earum partium ſit ſermo, iam oſtendi etiam eas naturales poſſe vniri.

9 Secundò principaliter vrgeo ad hominem, nam hic Auctor ſaltem quoad præſentias animæ Chriſti Domini admittit naturalitatem; vnde efficaciter argumentor: Illæ præſentiæ naturales animæ conglobatæ in vnum reſpiciunt ſimul ſpatium imaginarium bis, ter, quater, &c. ſicut reſpexiſſent ſucceſſiuè, ſi naturaliter anima in partibus diuerſis corporis ſucceſſiuè tranſiuiſſet illud ſpatium hoſtiæ: ergo quoad partes ſaltem ipſas ſpatij dicere idem ego potero de præſentiis naturalibus, quas corpus ſucceſſiuè habuiſſet, ſi ſucceſſiuè pertranſiiſſet idem hoſtiæ ſpatium. *Vrgetur ad hominem.* Dixi *ſaltem quoad partes ſpatij*, quia licet ex parte ſubiecti ſit diuiſibilitas in præſentiis corporis; quæ diuiſibilitas non eſt in anima; & ex hoc capite videatur eſſe aliqua differentia; cùm tamen hic Auctor ex duplici capite dicat eſſe in meis principiis ſpecialem difficultatem, tum ob diuiſibilitatem ſubiecti, tum ob ſpatij; ſufficit mihi quod vnam ſaltem oſtenderim eſſe in eius ſententia, vt inde ex ſolutione, quam ipſe adhibuerit pro illa, conſtet quid ſit ad alteram dicendum: nulla enim eſt ſpecialis difficultas in vna magis quàm in altera, ſi res benè conſideretur; vnde conſtat me nullam penitus inconſequentiam admiſiſſe, & fortaſſe hunc Auctorem, qui ob ea argumenta reiicit naturalitatem in vbicationibus corporis, & admittit in animæ præſentia, minus poſſe ſaluare conſequentiam. *Concluditur contra Cardinalem Lugo, nullam eſſe in noſtra doctrina ſpecialem difficultatem neque inconſequentiam.*

Denique, quod initio ferè numeri 170. ait me ponere ſimul in Chriſto præſentias partiales, quæ ſeorſim poſſent naturaliter exiſtere, hoc inquam non traditur à me, quia ſolùm dicimus præſentias illas partiales naturales, quæ vnitæ quidem cum aliis ad loca vicina, potuiſſent ſucceſſiuè eſſe in ea parte ſpatij (ſiue proportionata, ſiue determinata, vt volueris) caſu quo per illam tranſiuiſſet ſucceſſiuè manus Chriſti: quo etiam caſu haud dubiè in eo ſpatio hoſtiæ pertranſiens manus nullam omnino habuiſſet præſentiam, quæ non fuiſſet vnita anterioribus præcedentibus & poſterioribus, illas inquam omnes præſentias, quæ naturaliter fuiſſent vnitæ iuxta ſupra dicta, dicimus nunc potuiſſe ſimul à Deo conſeruari in extrema parte hoſtiæ, & conſequenter ibi poni totam manum: id quod eodem modo dicendum eſt de reliquis partibus ſpatij illius hoſtiæ: quomodo autem Deus eas præſentias actu coniungat, non habet maiorem difficultatem quam communis ſententia Ariſtotelica, quomodo ſcilicet Deus actu producat partes has indeterminatas chartæ v.g. eiſque det vbicationes nouas dum mouetur charta recta ſucceſſiuè; neque habet maiorem difficultatem in naturalibus quam in ſupernaturalibus: eadem enim eſt in vtriſque confuſio, indeterminatio, &c. reſpectu partium illius vbicationis. *Cardinalis Lugo impingit nobis quod non aſſerimus.*

SVBSECTIO III.

Dubium quoddam incidens diſſoluitur; & reſpondetur quæſtioni.

PRIVSQVAM quæſtioni directè reſpondeam oportet breuiter diſcutere quamdam doctrinam, quam circa eam præſentiam ſupernaturalem tradidit ſuprà idem Cardinalis; ait ergo illam eſſe talem, vt corpus Chriſti vi illius ſit penetrabile cum aliis corporibus, & partes ipſius corporis inter ſe; quia cum talis præſentia ſit poſſibilis, non debemus dicere nouum eſſe miraculum in ea penetratione. Hæc doctrina non 10 *Doctrina Cardinalis Lugo.*

caret

Digitized by Google

Grauem pati- tur difficultatem: non caret graui difficultate, nam cùm quantitas maneat in eo corpore, hæc autem petat ex ſua eſſentia, ne ponatur ibi alterum corpus, repugnat in terminis retenta quantitate penetrationem eſſe Chriſti corpori naturalem.

Dices: Illa præſentia habet fortiorem exigentiam penetrationis, & fortius in illam ius quàm quantitas in contrarium. Sed contrà, nam ſi ambæ ſunt exigentiæ naturales, vnde conſtat vnam eſſe maiorem altera? Secundò, quia ea præſentia non exigit penetrationem, ſed ſummùm non reſiſtit; quantitas verò poſitiuè exigit impenetrationem, ergo fortior videtur eſſe hæc *Impugnatur* quàm illa. Sed quidquid de hoc ſit, ſic argumentor: Illa præſentia eſt ipſamet penetratio partium, ergo ante illam nihil eſt quo ipſius aduentus reddatur naturalis, ſed neceſſariò debebit eſſe ſupernaturalis, quia eſt contra exigentiam quantitatis, quæ exigentia non eſt correcta, aut frænata per aliquid aliud ante aduentum ipſius penetrationis, ſeu ipſius præſentiæ. Fortè in ordine ad quantitatem accidentium poſſet ea præſentia reddere corpus Chriſti naturaliter penetrabile. Verùm, ſi negemus ibi quantitatem diſtinctam, id non eſt neceſſum. Secundò, quia, vt oſtendam infrà, præſentia Chriſti ibi ſupponit iam acidentia, & eorum quantitatem; ac proinde ea præſentia Chriſti debebit eſſe penetratio actualis cum quantitate, non verò eam antecedens; ergo non valet auferre miraculum, quod in ea penetratione eſſe poteſt.

Reſponſio ad impugnationem: Reſpondebis toti huic argumento, Sæpè res aliquas naturaliter eſſe incapaces alicuius effectus; vti anima rationalis eſt natura ſua incapax viſionis beatæ, certum tamen eſt per lumen gloriæ reddi ita capacem illius, vt non ſit iam miraculum viſionem fieri ab anima. *Inſtatur.* Sed contrà, quia dupliciter poteſt alicui res alia eſſe ſupernaturalis, vel quia non habet vires ad eam producendam, aut recipiendam; vel quia poſitiuè eam auerſatur. Primo modo viſio & dona gratiæ ſunt ſupernaturalia homini; & in eo caſu facillimè intelligitur, quomodo ſi homini detur complementum illud, quod ei deerat, iam non ſit illi ſupernaturalis illa forma: & hoc ſolum probat inſtantia allata. Altero modo eſt ſupernaturalis penetratio ipſi quantitati, quia ſcilicet habet oppoſitionem naturalem cum illa: exigit enim poſitiuè ne detur ea penetratio; ſicut exigit gratia poſitiuè ne ſit in eodem ſubiecto peccatum. Et in his caſibus vix aut ne vix quidem concipi poteſt, quomodo ea exigentia manente fiat tamen illi rei naturalis forma illa contraria: & hoc eſt quod mihi in præſenti difficultatem facit in ea doctrina, ob quam abſolutè eam iudico minùs probabilem.

11 *Statuitur noſtra ſententia præſentiã Chriſti non eſſe ſupernaturalem niſi quoad modũ:* Dicendum ergo ad quæſtionem præcipuam, probabiliùs videri eam præſentiam non eſſe ſupernaturalem niſi quoad modum: fundamentum eſt, quia non debemus ponere maiora miracula quàm auctoritas aut ratio poſtulat; atqui auctoritas nulla eſt, quæ perſuadeat eam ſupernaturalitatem in ſubſtantia: ratio verò ex myſterio deſumpta etiam illam non perſuadet; ergo dicendum eſt non eſſe ibi miraculum quoad *Quod animæ rationali euidentiùs quadrat.* ſubſtantiam, ſed quoad modum. Addo, licet in præſentia corporis admitteremus propter argumenta ſuprà facta ſupernaturalitatem in ſubſtantia, non eſſe tamen rationem vllam eam admittendi in ipſa anima rationali; nam ex ſuo connaturali modo exiſtendi poteſt eſſe tota in indiuiſibili, aut ſaltem in parte ſufficienti ad ſaluandas diſpoſitiones humanas; ergo propter indiuiſibilitatem eius præſentiæ non eſt neceſſum ponere in anima vbicationem in ſubſtantia ſupernaturalem.

Petes, An, quandoquidem anima rationalis informat tota omnes partes corporis, & in quauis parte hoſtiæ ſunt omnes partes corporis, habeat etiam anima multas præſentias in eodem puncto, per quas ſit præſens multis partibus corporis. Reſpondeo, Non habere, quia cùm præſentiæ non reſpiciant partes corporis, ſed punctum imaginarium ſpatij, inde fit, vt per vnicam ſolam præſentiam reſpicientem illud punctum imaginarium ſufficienter reddatur anima præſens omnibus partibus corporis, licet eſſent infinitæ, omnibus inquam exiſtentibus in eodem puncto imaginario.

SECTIO II.

Aliqua dubia circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia?

Primò quæri poteſt, Vtrùm ea ſit talis, quæ natura ſua ſit immultiplicabilis; hoc eſt, Vtrùm ea præſentia, quam habet ſub vna hoſtia, exigat, ne ponatur Chriſtus alibi; an verò id natura ſua permittat, ita vt miraculum nouum non ſit, ſi Chriſtus etiam alibi acquirat aliam. Hanc autem quæſtionem mouit Pater Suarez diſput. 48. ſect. 3. cenſetque vtramque partem probabiliter poſſe defendi, quia non repugnat aliqua præſentia naturalis, quæ habeat eam capacitatem; ex altera verò parte etiam non videtur repugnare vna, quæ exigat ne ponatur Chriſtus alibi. Addit autem, hanc præſentiam Chriſti repugnare cum alia circumſcriptiua, quia hæc eſt inextenſa, ergo repugnat cum circumſcriptiua, ſeu cum extenſa: hoc tamen vltimum optimè reiicit Cardinalis Lugo, quia extenſio & inextenſio repugnant quidem quoad eumdem locum, non quoad diuerſa, vnde ſi ſemel huius hoſtiæ præſentia permittit Chriſtum alibi eſſe, quid quæſo ad illam quòd alibi ſit Chriſtus circumſcriptiuè, aut quòd ſit definitiuè? Lugo putat eam præſentiam omnino pugnare cum aliis, quia eo ipſo quòd vnitur ſubiecto, petit illud apud ſe tenere, & non permittit aliò abire: ea enim eſt natura vnionis phyſicæ, vt petat in omnibus locis, in quibus eſt ſubiectum, eſſe formam, & è contrario, ergo. 12 *Quæſtio prima, An Chriſti præſentia ſit immultiplicabilis. Vtramque ſententiam defendi poſſe putat Suarez. Cardinalis Lugo negat:*

Iudico Primò quæſtionem hanc aliter decidendam, non enim videtur benè hi recurrere ad ipſas præſentias, vt ex illis explicent repugnantiam poſitionis Chriſti in duobus locis: etenim ea repugnantia non oritur ex vi vbicationis, ſed quia ſubiectum non habet vires ad ſuſtentandas duas vbicationes, nam vbicationes ipſæ in ſe contrariæ non ſunt, cùm ergo per vbicationem in hoc loco nullæ omnino addantur vires huic ſubiecto ad habendam aliam vbicationem, conſequenter videtur dicendum non poſſe per talem vbicationem reddi Chriſtum capacem habendi aliam, ſed potiùs per eam impediri alteram: vnde quoad ſententiæ ſubſtantiam acquieſco Cardinali Lugo, licet eius rationem non approbem, vt iam dicam. *Cuius ſententia approbatur, non tamẽ ratio.*

13 *Reijcitur fundamentum* Secundò ergo cenſeo illud eiuſdem fundamentum non eſſe bonum, quia videretur etiam probare, Angelum aut animam rationalem non poſſe

ſuperioris ſententia per inſtantiam de Angeli præſētia & anima rationalis.

poſſe per præſentiam diuiſibilem eſſe præſentem ſpatio diuiſibili, ſic enim argumentarer ego: Angeli præſentia in media hac ſchola petit, ne ipſius ſubiectum, cui vnitur, abſit ab ipſa; ergo non permittet Angelum poni in altera media parte ſcholæ etiam per aliam partialem præſentiam, quia iam eſſet Angelus in loco, vbi illa prior pars præſentiæ non eſt.

Dices fortè: Hæc præſentia eſt vnita ei alteri mediæ; fateor; at quid inde? nunquid, propterea quòd ſit illi vnita, eſt in loco illius, aut deſinit propterea Angelus eſſe in loco, vbi illa media præſentia non eſt? Da Angelum eſſe in tota ſchola; tunc partialis vbicatio illius, quæ reſpondet vni angulo ſcholæ, eſt benè contenta, quòd Angelus ſit in altero angulo eiuſdem ſcholæ, deſinat Angelus eſſe in medio; iam dicis, Incipit murmurare ea Angeli in angulo præſentia, quòd non ſit in loco alterius anguli, vbi eſt eius ſubiectum, rogo, ſi res benè ponderetur, quid vtilitatis in ordine ad hoc, vt illa fuerit anteà benè contenta, iam verò malè, proueniebat illi per eam Angeli continuationem per ſcholam? Certè non ideò præſentia anguli A magis aut minùs ponebatur in angulo B; ergo argumentum eius Auctoris multum probat. Idem poſſumus dicere in vnione animæ rationalis cum capite, quæ tamen non petit, ne anima, cui ipſa vnio vnitur, ſit alibi, nempe in pede, vbi ea vnio capitis non eſt; nec item materia capitis, etſi vniatur animæ rationali, petit ne ea anima rationalis ſit alibi, & ne alibi vniatur alteri materiæ; ergo ex hoc capite non poſſumus dicere, ab ipſa præſentia Chriſti in hoc loco exigi neceſſariò, ne Chriſtus ſit in alio: neque enim debemus pro libitu concedere has aut illas exigentias rebus ipſis, niſi pro eis exigentiis ponendis habeamus aliquod

14 fundamentum; quale hîc nullum eſt. Adde, licet, quando forma, aut quaſi forma, talis eſt naturæ, vt ipſi non repugnet etiam eſſe in duobus locis, concedere ei poſſimus exigentiam, vt vbicumque ipſius ſubiectum ponitur, ipſa etiam ponatur, vt in albedine, dulcedine, &c. quod tamen vniuerſaliter verum non eſſe dixi ſuprà; at quando ipſa forma huiuſmodi naturæ eſt, vt ei omnino repugnet alibi eſſe, ſiue ſubiectum illius alibi ponatur, ſiue non; profectò ego non video cur debeat ea vbicatio eſſe tam inuidæ naturæ, vt dicat, *Non volo vt meum ſubiectum alibi ponatur, quandoquidem ego non poſſum eſſe ibi*: aut quid interſit ei vbicationi, quòd ſubiectum habeat aliam vbicationem, quandoquidem non propterea deſinet ipſa eſſe in ſuo loco, nec deſinit habere ſuum ſubiectum ſecum, & ab illo ſufficienter, ſic dicam, amari, ſuſtentari, perinde ac ſi hoc non eſſet alibi.

Quæſtio ſecūda, An Chriſti præſentia ſit definitiua?

Secundò quæri poſſet, Vtrùm ea præſentia Chriſti ſit definitiua? Quæſtio eſt de modo loquendi, ſi per definitiuam præſentiam intelligamus eam, qua res ponitur in certo & definito loco, ita vt per eam præſentiam non ſit vltra illum locum, haud dubiè ea eſt definitiua; quia per præſentiam, quam habet Chriſtus in hac hoſtia, non ponitur extra illam: & hæc videtur eſſe propria ſignificatio eius vocis *præſentia definitiua*: quòd ſi per eam vocem intelligas talem præſentiam, quæ ſimul dicat carentiam omnis alterius in loco diſtanti, tunc nullo modo ea erit definitiua, quia Chriſtus & in cœlo & ſub aliis hoſtiis eſt: denique, ſi per definitiuam præſentiam intelligas præſentiam, quæ in modo naturaliter debito ſubiecto illi conformetur, certum eſt hanc non eſſe definitiuam. Et de voce ſatis.

Quæſtio tertia, An præſentia Chriſti pendeat à præſētia eiuſdem in cœlo?

Tertia difficultas, Quomodo ea præſentia pendeat à naturali? Non loquimur de dependentia præſentiæ Euchariſticæ ab ipſa ſubſtantia corporis & ſanguinis, nam quoad hoc eodem modo diſcurrendum ac in præſentia quacumque à ſuo ſubiecto: qui enim dixerit vbicationem eſſe modum, dicet dependere eſſentialiter; qui verò eſſe rem, dicet tantùm naturaliter, ſicut cætera accidentia realia. Eſt ergo difficultas, an præſentia in Sacramento pendeat à præſentia Chriſti in cœlo, aut in alio loco naturaliter exiſtentis. Fusè hac de re Pater Suarez ſuprà ſectione 2. nos breuiùs.

15

Poteſt eſſe ſine præſentia alibi:

DICO PRIMÒ; In ordine ad potentiam abſolutam non eſſe vllam repugnantiam in eo, quòd præſentia Sacramentalis maneat ſine naturali Chriſti alibi, quia non repugnat corpus exiſtere in vnico tantùm loco, & ibi penetratum: quòd enim ſimul alibi ſit non penetratum, nec auget nec minuit repugnantiam penetrationis; ergo exiſtentia Chriſti penetrati in Euchariſtia poteſt eſſe ſola ſine exiſtentia in alio loco cum connaturali dimenſione, &c. ita de facto contigit dum Chriſtus natus eſt, & intrauit ad diſcipulos clauſis ianuis, tunc enim temporis licet partes corporis ipſius inter ſe non fuerint penetratæ, fuerunt tamen cum clauſtro virginali & ianuis: eadem autem eſt difficultas in penetratione duorum corporum, quæ eſt in penetratione duarum partium eiuſdem corporis inter ſe: tunc autem Chriſtus non fuit alibi non penetratus, ergo.

Non pendet de facto à præſentia Chriſti naturali alibi:

DICO SECVNDÒ; Nec quidem naturaliter loquendo præſentiam Sacramentalem pendere à naturali in alio loco: & ratio eſt manifeſta, quia præſentia ſub ſpeciebus non cauſatur à præſentia Chriſti in cœlo ex natura rei, nec illam reſpicit, ergo non pendet ab illa naturaliter: poteſtque id confirmari ratione paulò antè facta, quia penetratio partium corporis in hoc loco non iuuatur vllo modo per extenſionem earumdem partium in alio, imò maius eſt miraculum, ſi ſimul ſit in alio loco etiam cum præſentia naturali, quàm ſi non eſſet, quia in primo caſu præter miraculum penetrationis reperitur aliud poſitionis eiuſdem corporis in duobus locis, in vno penetrati, in altero non, in ſecundo autem caſu tantùm reperitur vnicum miraculum penetrationis, vnde,

Potiùſque impeditur per naturalem præſentiam.

DICO TERTIÒ: Naturaliter loquendo potiùs impeditur ea præſentia Euchariſtica per naturalem, quàm iuuetur. Probatur id ratione immediatè antè facta, quia quando eſt præſentia naturalis alibi, eſt duplex repugnantia pro Euchariſtia, quando autem non eſt, tunc tantùm reperitur vnica. Nota, me hîc loqui de independentia earum partium quantum eſt in ſe, nam de facto, eò quòd Chriſtus ſit cauſa moralis poſitionis ſui in Euchariſtia, pendere quodam modo videtur præſentia Euchariſtica à naturali in cœlo aut alibi.

Dixi *quodam modo videri dependentem*; nam reuerà neque ſub ea ratione pendet: ſufficere enim ad hanc cauſalitatem poſſet, quòd Chriſtus Dominus priùs natura ad conſecrationem ſupponeretur exiſtere abſtrahens ab omni præſentia, ſæpè enim diximus, ad vbicationis productionem non eſſe neceſſum vt illius ſubiectum ſupponatur cum vbicatione. Secundò, ea cauſalitas moralis poſſet fortè ſaluari ob exiſtentiam

Digitized by Google

exiſtentiam Chriſti olim,eſto de facto non exiſteret: demus enim illum petiiſſe per ſua merita infiniti valoris poni ſuum corpus; deinde in Euchariſtia, quando Sacerdotes conſecrarent, illa merita potuerunt obtinere tunc id quod petierunt,ita vt etiamſi Chriſtus iam annihilaretur, adhuc illa mouerent nunc Deum; quia cauſa moralis etiamſi non exiſtat quando eſt effectus, poteſt tamen in illum influere.Tandem,quia ea ratio ſolùm probat primam præſentiam Sacramentalem ſupponere præſentiam naturalem; at ſuppoſito quòd iam Chriſtus eſſet ſub vna hoſtia,poſſet Deum mouere,vt ſe poneret ſub aliis, eſto alibi non eſſet cum præſentia naturali.

16 *Alia quæſtio, An Sacramentum Euchariſtiæ ex vi inſtitutionis pendeat à Chriſto vt viuo. Probabiliùs non pendet.*

Illud poſſet pro maiori declaratione huius dubij quæri,An ſaltem ex vi præſentis inſtitutionis hoc Sacramentum pendeat à Chriſto vt viuo.Ex dictis videtur inferri,omnino pendere;nã de facto Chriſtus per Sacerdotem, vt per delegatum ſuum,conſecrat, ergo debet præſupponi exiſtens:& ita ſentiunt nonnulli.Probabiliùs tamen videtur non pendere: quod probatur Primò, quia iuxta communem Theologorum ſententiam,etiam ex vi præſentis inſtitutionis potuit confici hoc Sacramentum in triduo mortis Chriſti; atqui non eſt fundamentum ad dicendum eam inſtitutionem mutatam & nouam ſucceſſiuè, ratione cuius iam pendeat per ſe conſecratio à Chriſto viuo. Secundò idem quis probaret, quia Tridentinum,dum docet animam & ſanguinem non poni ex vi verborum ſub ſpeciebus panis,& contrà, corpus non poni ſub ſpeciebus vini, innuit apertè, per ſe eam præſentiam non ſupponere Chriſtum viuum; alioquin ex vi inſtitutionis deberet poni per ſe corpus viuum. Hæc tamen ratio non probat intentum; aliud enim eſt ſupponi Chriſtum alibi viuum, aliud autem, verba ſignificare corpus viuum: poteſt enim Chriſtus exiſtens in cœlo ponere alibi corpus ſuum ſolum: vt enim in Phyſica oſtendi contra Patrem Vaſquez,& infrà aliquid dicam,non eſt neceſſum diuinitus, vt ſi corpus ponitur in duobus locis, in vtroque ponatur anima; ſiue tunc in vno dicendum ſit corpus illud mortuum,ſiue non: quod (vt ibi oſtendi) pertinet ad quæſtionem de nomine; ergo non ſequitur benè,Corpus Chriſti per ſe ſupponitur ad conſecrationem viuum in cœlo,ergo verba,*Hoc eſt corpus*,denotant etiam in Euchariſtia poni animam & ſanguinem. Sufficiat ergo prima ratio,ad oppoſitam verò reſpondetur Primò, Chriſtum poſſe eſſe cauſam principalem,ſaltem ratione animæ, quæ etiam non vnita eſt capax meriti & cauſalitatis moralis. Secundò, poſſet dici non pendere ne quidem ab exiſtentia animæ; nam cauſalitas moralis non requirit phyſicam actualem exiſtentiam animæ. Vnde paulò antè dixi,Licet diuinitus annihilaretur humanitas Chriſti, tamen merita illius præcedentia ſufficere, vt in poſterum intuitu illorum daret nobis Deus gratiam, diceretúrque Chriſtus ipſe cauſa moralis illius. Inde etiam dixi, præſentiam Sacramentalem ſolummodò dependere à naturali quoad aliquam exiſtentiam temporis, non autem quandocumque fit conſecratio, niſi fortè dicamus, de facto tale fuiſſe in Deo decretum circa hoc myſterium, vt noluerit, niſi humanitate exiſtente ſaltem quoad materiam & animam, licet non eſſent vnitæ, illud confici: id quod probabile valdè eſt,non tamen certum.

Argumentum ex Concilio Tridentino pro hac ſententia non probat.

Rationi pro contraria opinione reſpondetur.

17 *Quæritur, ſi corpus Chriſti in cineres redigeretur, an in eo caſu poneretur forma cineris. Negat Cardinalis Lugo, ſolumque ait ponendum corpus organizatum.*

Hac occaſione quæri etiam poteſt, Quid fieret, ſi corpus Chriſti Domini redactum eſſet in cineres,poneretúrne forma cineris eo caſu vi verborum? Reſpondet Cardinalis Lugo negatiuè, ſolumque ait ponendum corpus organicum,alioquin propoſitio illa vera non eſſet,quia cineres non ſunt corpus: id quod etiam mihi placet.

Dices, Loquendo de cineribus Martyrum affirmare verè poſſumus, *Hic iacet corpus ſancti Petri*, &c. ergo vt corpus Chriſti ponatur,ſufficit poni eos cineres. Reſpondeo, Illam locutionem eſſe metaphoricam, ſicut etiam dicimus, *Sanctus Petrus eſt in cœlo*, cùm reuerà non ſit, ſed ſola illius anima, quæ non eſt Sanctus Petrus,ſed pars illius.

Replicabis; Vnde ergo tibi conſtat Chriſtum in eo ſenſu rigoroſo,& non in vulgari locutum? Reſpondeo,Quia niſi aliunde de contrario conſtet, debemus ſemper verba in ſenſu proprio vſurpare. Fateor, ob hanc replicam non eſſe certum, omnino ponendam eſſe eam organizationem.

Dices,Si admittimus vt probabile, *τὸ corpus* non ſignificare in tanto rigore organizationem, ergo etiam nunc,quando re ipſa Chriſtus habet corpus perfectè organizatum, non ponetur vi verborum conſecrationis ea organizatio: hoc autem eſt abſurdum, & contra ea quæ fuſiùs infrà dicturi ſumus. Sequela autem facilè probatur, quia ſi corpus non ſignificat eam organizationem,ergo omnino eſt per accidens reſpectu illorum verborum, quòd ea re ipſa detur, ac proinde non requirent verba eius poſitionem, ſolùm ergo ponetur per concomitantiam. Reſpondeo negando ſequelam, quia eſto poſſit ea ſignificatio impropria aliquando ſuſtineri,quando propria admitti non poteſt, non tamen proptereà negandum eſt,quando propria habet locum, eam non eſſe retinendam, ergo cùm eo tempore, quo Chriſti corpus eſt re ipſa organizatum,poſſit habere locum ſignificatio propria, non eſt cur dicemus,nunc etiam vi ſignificationis non poni organizationem.

18 *Problematicè defendit Cardinalis Lugo,per concomitantiam ponendam formam cineris.*

Illud difficilius, An in eodem caſu, quo corpus eſſet reductum ad cineres, ponenda eſſet ſaltem per concomitantiam forma cinerum. Putat Cardinalis Lugo poſſe problematicè dici poni,aut non poni:primum quidem, quia dummodò ponatur verum corpus, non repugnat veritati verborum poni formam cineris; ſecundum verò, quia hæc forma obſtat veritati verborum, ea autem ſolùm debent poni per concomitantiam, quæ ſunt vnita,& non ſunt contraria veritati. Verùm nullam ibi adducit rationem, nec quidem probabilem, cur forma cineris poſſit dici contraria veritati,ſi ſemel ſupponamus poni verum corpus:quòd enim ſimul ibi ſit forma cineris, nullo modo contrariatur exiſtentiæ corporis.Vnde probabilius omnino cenſeo debere illam formam poni. Vbi aduerte, hanc ſolutionem poſſe intelligi iuxta duas alias ſolutiones ſuprà traditas, vel quòd ſcilicet ponantur ſoli cineres ſine organizatione, quia etiam illi dici poſſunt corpus Chriſti, vel quòd ponatur etiam organizatio: ſi iuxta hanc ſecundam ſolutionem loquamur,tunc deberent etiam ibi poni aliæ diſpoſitiones contrariæ cineribus, ac proinde deberet eſſe miraculum nouum in conſeruatione earum diſpoſitionum oppoſitarum ſimul, quia forma cineris indiget ſuis diſpoſitio

Probabilius videtur illam formam cineris per concomitantiam ponendam.

Digitized by Google

poſitionibus, eaſque haberet extra hoſtiam, ergo & ibi; iuxta primam vero ſolutionem ſolæ eſſent diſpoſitiones cinerum.

Chriſtum in Sacramento dicendus eſt eſſe in loco.

Petes Tertio, An Chriſtus in hoc Sacramento dicendus ſit eſſe in loco? Reſpondeo affirmatiuè, quia habet præſentiam localem; cuius effectus formalis eſt ponere in loco; vtrum autem definitiuè, an circumſcriptiuè, quæſtio eſt de voce; de quo ſupra in fine ſectionis præcedentis; quia idem eſt quærere, vtrùm præſentia Chriſti in hoſtia ſit definitiua, an quærere, vtrum Chriſtus ſit definitiuè in hoſtia. Dixi ergo, ſi eſſe definitiuè ſignificet ita eſſe hîc Chriſtum, vt non ſit alibi, tunc nec in cœlo nec in Sacramento dicendum eſſe definitiuè; quia non eſt ita in cœlo, vt non ſit alibi: ſi verò eſſe definitiuè ſolum ſignificet ita eſſe hîc, vt ex vi huius præſentiæ non poſſit conſtitui alibi nec diuinitus, in vno ſenſu poteſt dici eſſe definitiuè, quatenus per hanc ipſam præſentiam non poteſt eſſe alibi; in altero verò non eſſe definitiuè, quatenus licet ſit hîc per hanc numero præſentiam, non ideò redditur incapax, vt poſſit eſſe alibi ſaltem per aliam. Denique, ſi intelligatur τὸ *eſſe definitiuè*, ita vt ratione huius præſentiæ non poſſit naturaliter aliam habere, dici poteſt Chriſtus in Sacramento exiſtere definitiuè; quia cum corpus non ſit capax habendi ſimul niſi vnicam præſentiam, neceſſum eſt, vt quælibet det illi repugnantiam ad habendam ſimul alteram, niſi fortè in ſententia Suarez, aientis eam præſentiam Euchariſticam eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem; tunc enim poſſet dici per præſentiam Euchariſticam non communicari repugnantiam ad habendam aliam naturalem; nam ſupernaturalis, cum ſuſtentetur viribus ſupernaturalibus, probabiliter dici poteſt non impedire potentiam, ſeu vires naturales ad præſentiam naturalem.

Explicatur, an definitiuè, an vero non; & quomodo.

SVBSECTIO III.

An Chriſtus ſit totus in qualibet hoſtiæ parte?

Affirmatiua ſententia communis Theologorum, & contraria errori affinis, ſi non hæretica.

19 CHRISTVM eſſe non ſolum in tota hoſtia, ſed totum etiam in qualibet eius parte, abſtrahendo iam, vtrùm ſit in indiuiſibilibus, aut vtrum ſit aliqua pars adeò parua, in qua ſubſtantia panis conſecrari non poſſit (de quo ſtatim) communis eſt Theologorum omnium ſententia; adeò vt non defuerint qui iudicauerint contrarium eſſe hæreſim, aut errorem; quia Concilium Tridentinum Seſſione 13. cap. 3. dixit Chriſtum totum contineri ſub qualibet ſpecie, & ſub qualibet parte ſpecierum. Pater tamen Suarez diſp. 54 ſect. 2. putat non eſſe rem adeò certam, vt contraria ſit hæreſis; quia non videntur ſine cauſa vtrumque Concilium, & Tridentinum & Florentinum, in propria & expreſſa definitione Fidei addidiſſe illam particulam *ſeparatione facta*; ego tamen hanc excuſationem non cenſeo admodum ſufficientem: non ſolum enim quæ traduntur à Tridentino in canonibus, ſed etiam in capitibus videntur eſſe de Fide; ac proinde ſatis probabile mihi videtur hanc doctrinam eſſe omnino certam de Fide: fundari autem ſolet in eo, quod poſſibilis ſit hic modus exiſtendi. Verùm hinc non infertur, Ergo de facto datur; quia multa ſunt poſſibilia quæ non exiſtunt. Secundo probatur, quia ſi hoſtia diuidatur, Chriſtus manet totus in qualibet parte. Verum huic argumento facilè quis reſponderet, Chriſtum Dominum, quandiu ſpecies non ſunt diuiſæ, noluiſſe manere niſi in totis illis ſemel; quia id erat ſufficientiſſimum & neceſſarium ad ipſius finem intentum, vt ſcilicet quilibet ipſum ſumens acciperet totum Chriſtum, ideoque ob eamdem rationem, quando iam ſpecies ſunt ſeparatæ, & quaſi proximè aptæ, vt à diuerſis ſumantur, voluiſſe etiam eſſe totum ſub qualibet parte, vt totus etiam ſumeretur à quolibet. Sit ergo tertia ratio: Poteſt Sacerdos accipiendo integram hoſtiam deſignare medietatem, illamque ſolam conſecrare, poteſt deinde alteram mediam partem conſecrare, ergo iam tunc Chriſtus eſſet totus ſub qualibet ex illis medietatibus: quòd autem eo caſu fieret per duas conſecrationes diſtinctas, fit ſemper per vnicam æquiualentem illi vtrique, ergo. Verùm neque hoc argumentum multum vrget, quia dici etiam poteſt Primò, eo caſu manere Deum bis ſub ea hoſtia, quia ratione huius duplicis conſecrationis perinde ſe habet ac ſi eſſent duæ hoſtiæ diſtinctæ. Secundo poteſt reſponderi, facta ea conſecratione iam Chriſtum totum eſſe ſemel ſub ea hoſtia, quia antea tantum erat ſub media illius parte, id autem fieri ob rationem à nobis paulò ante datam, quod ſcilicet ad intentum Chriſti Domini ea vnica præſentia ſufficiat.

Aliquot argumenta pro communi ſententia reijciuntur

Quartum argumentum eſt, nam cum materia 20
illa ſit homogenea, & per τὸ *Hoc* æquè deſignetur vna pars ac altera, æqualiter etiam debet ſub qualibet eſſe Chriſtus: nec enim magis deſigno vnam partem pertinentem ad caput, vel ad manus, quam deſignem aliam pertinentem ad pedes, aut è contrario, ergo non eſt maior ratio, cur pedes in hac parte quàm in illa, aut è contrario ponantur; ergo debet totus ſub qualibet parte poni. Hæc ratio eſt paulo efficacior, non tamen omnino perſuadens; dici enim facilè poteſt, Eſto ex mea determinatione non determinetur potius hæc pars quam illa, Deum tamen id determinare: quando enim ego dico *Hoc eſt corpus*, determino τὸ *Hoc* per modum vnius totius ac proinde etiam ſolum denoto ibi Chriſtum eſſe ſemel; eſto non poſſim ego dicere vbi ſit caput, vbi pedes, vbi manus, &c. vti ſi eſſet corpus humanum incluſum in ciſta, illudque non videam, ac proinde non poſſim dicere vbi ſit caput, vbi pedes, poſſum tamen dicere *Hoc eſt homo*.

Aliud argumentum cæteris efficacius.

Non tamen omnino perſuadet.

Quarta ratio, & qua Diuus Thomas vtitur quæſt. 76. art. 2. eſt, quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento vi verborum, quantitas vero illius ſolum per concomitantiam, ergo Chriſtus eſt eo modo quo ſubſtantia ſub dimenſionibus: manifeſtum eſt autem, quod ſubſtantia eſt tota ſub qualibet parte, ſicut aër eſt ſub qualibet parte aëris. Hæc tamen ratio multò difficilior eſt, & variè impugnatur ab Auctoribus, tum quia, quod ponatur corpus vi verborum, iudicari debet omnino per accidens ad rem præſentem; tum quia ſubſtantia non eſt ſub qualibet parte tota, eo ſenſu quo loquitur Diuus Thomas: ſi enim dicat conceptum ſpecificum aëris, exempli gratia, abſtractum ab hoc & illo indiuiduo (qui conceptus ſaluatur in qualibet parte) dicit eſſe totam ſubſtantiam indiuidualem in hoc ſenſu, etiamſi non omnes partes Chriſti eſſent ſub qualibet parte hoſtiæ, eſſet tamen tota ratio ſpecifica vt ſic ſub qualibet parte hoſtiæ; ſi autem loquatur

Ratio Diui Thomæ grauiores difficultates continet, & impugnatur à variis.

Digitized by Google

loquatur de tota indiuiduali ſubſtantia, certiſſimum eſt non contineri in qualibet parte huius chartæ v. g. totam indiuidualem ſubſtantiam integræ huius chartæ. Denique ego ſic argumentor, quia eo primo ſenſu etiam quantitas tota eſt ſub qualibet parte: Non enim minus quælibet pars quantitatis eſt quantitatis, quam qualibet pars aëris eſt aër; nulla ergo aſſignatur differentia inter quantitatẽ & ſubſtantiã quoad hoc.

Optima ratio ſententiæ communis petenda eſt à voluntate Chriſti: Congruentiis illuſtratur.

21 His ergo rationibus omiſſis non puto poſſe aliter eam ſententiam probari quàm ex Chriſti Domini voluntate, qui ſe eo modo voluit ſub ſpeciebus collocare; de qua voluntate nobis conſtat ex communi traditione Eccleſiæ, & ex definitione Conciliorum. Accedunt autem ſatis bonæ congruentiæ pro hac veritate; nam cùm diuiſiones ſpecierum frequentiſſimè eſſent futuræ, & ſaltem tunc deberet Chriſtus eſſe totus ſub qualibet parte, ne in ea diuiſione medium corpus in vno loco, & medium in altero poneretur (quod eſſet valdè abſurdum) connaturalius etiam fuit, vt ab initio ita eſſet conſtitutus ſub qualibet parte ſpecierum, vt in diuiſione non eſſet neceſſarium nouum modum producere penetrationis, & antiquum deſtruere. Denique ea ratio, quæ ſupra eſt tacta, quod ſcilicet non ſit maior ratio, cur caput in hac parte hoſtiæ quàm pedes ponantur, cum ſpecies ſint omnino homogeneæ, etſi omnino non conuincat, eſt tamen optima pro congruentia. Accedit, quod etiam noua ſit difficultas: ſi enim aliquam habiturus eſſet extenſionem, ſaltem iuxta hoſtiæ magnitudinem, rurſus dubium nouum orietur, quæ partes ipſius futuræ eſſent ſine penetratione. Tertio, in maiori hoſtia deberet eſſe diuerſiſſima penetratio ad ea quæ eſt in minori. Quæ omnia facillimè vitantur, ſi totus ponatur ſub qualibet parte; & totus in toto.

Obiectio de ſpeculo integro & fracto.

Obiiciunt aliqui in contrarium apud Diuum Thomam ſupra: In ſpeculo figura ſemel tantum apparet quamdiu eſt integrum; ſi verò diuidatur, apparet toties quot ſunt partes diuiſæ; ergo.

Solutio D. Thomæ reiicitur.

Reſpondet Sanctus Doctor. Diſparitatem in eo conſiſtere, quod multiplicitas illa imaginum in ſpeculo fracto oritur ex diuerſis reflexionibus, quæ non habent locum in præſenti. Hæc tamen ſolutio mihi non probatur, quia etiamſi manerẽt illæ partes ſpeculi in eadem linea in qua antea, dummodo in ſe eſſent diſtantes, formarent eas diuerſas imagines. Pone vnum ſpeculum maximum integrum, vnam tibi tantum faciem repræſentabit: pone in eodem loco illius duo aut tria minora, eo ipſo repræſentabunt tibi duas vel tres facies; ergo non debet ex diuerſo ſitu aut reflexione eius experientiæ ratio deſumi.

Reſponſio ex Philoſophia accipienda eſt à natura ſpecierum:

22 Aliter reſpondeo ex dictis in Philoſophia; Species viſus id habere, vt quamdiu ſunt per ſe vnitæ, non repreſentent obiectum niſi ſemel; pro quo non eſt neceſſium recurrere ad ſpeculum, &c. ita enim quodlibet obiectum mittit per aërem ſpecies ſui, vt in qualibet parte totius medij ſint ſpecies totius obiecti: vnde ex qualibet parte videri totum illud poteſt, non tamen videtur pluries, ſed ſemel; quando vero ſpecies illæ ita diſcontinuantur, vt non amplius faciant vnum quid, tunc repræſentant pluries obiectum, quælibet ex illis ſemel, perinde planè ac ſi aliæ non eſſent: hinc fit, vt quamdiu ſpeculum eſt integrum, omnes ſpecies reflexæ ex illo ſint per modum vnius, quia cum vnione perfecta reflectuntur; ideo vnicum tantum obiectum repræſentant: cum primum autem frangitur ſpeculum, iam quælibet pars mittit ex ſe integram ſpeciem; ac proinde repræſentant toties obiectum, quot ſunt partes fractæ. Hæc autem ratio penitus eſt inutilis ad Euchariſticum myſterium, in quo non agimus de repræſentatione, ſed modo, quo in illo re ipſa Chriſtus exiſtit:

Ex qua formari poteſt argumentum pro ſententia communi.

vnde potius poſſet argumentum in fauorem noſtrum deduci; nam ſicut ſpecies intentionales totius obiecti ita ſunt in toto medio vt in qualibet parte illius, ſit etiam intentionaliter totum obiectum; ita debebit Chriſtus eſſe ita in tota hoſtia, vt in qualibet etiam illius parte ſit totus. Verum licet hæc ſimilitudo apta ſit ad rem noſtram explicandam, non tamen ea vtor pro argumento, quia cum poſitio Chriſti ſolum pendeat, vt diximus, ex voluntate ipſius Chriſti, non poſſumus quidquam inferre circa illam ex his, quæ conueniunt naturaliter rebus creatis. Vnde etiam. Secundo principaliter reſpõdetur ei inſtantiæ, nihil inferri ex illa, quia, quæcumque ſit ratio eius reflexionis ſpecierum, Chriſtus: voluit eſſe totus in toto, & totus in qualibet parte: hic enim modus exiſtendi poſſibilis eſt, quidquid ſit de altero, & maluit hunc eligere, quia ita ipſi placuit.

Quomodo intelligi debeat, Chriſtus totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ.

Fortaſſe aliquis quæret, An quando dicimus Chriſtum eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte, id ita intelligamus, vt quaſi ſemel ſit Chriſtus in tota hoſtia, & deinde totus in qualibet parte. Reſpondeo, Nullo modo id ita eſſe intelligendum: ad hoc enim neceſſarium eſſe, vt per vnam præſentiam caput eſſet in vna parte hoſtiæ, & pedes in alia: dum ergo dicitur totus in toto, & totus in qualibet parte, non ſunt intelligendi duo modi diuerſi exiſtendi, ſed quod ideo dicatur totus in toto, quia totus eſt in qualibet parte, vti anima rationalis, & Deus, & Angeli, non enim aliter ſunt toti in toto ſpatio, quam quia ſunt toti in qualibet illius parte.

SECTIO IV.

Quid aliud præter præſentiam ſit neceſſarium, vt Chriſtus poſſit in Euchariſtia demonſtrari?

RATIO dubitandi ea eſt, quod eſſe præſentem præcisè ſpeciebus non videatur ſufficere, vt denotando ſpecies dicatur, *Hoc eſt corpus meum*, ſufficiet id quidem, vt dicatur aduerbialiter, *Hic eſt corpus*, non autem ſubſtantiuè: ſicut dum Angelus eſt in cubiculo, poteſt dici, *Angelus hic eſt*, aduerbialiter, non tamen ſubſtantiuè oſtendendo cubiculum dici poteſt, *Hoc eſt Angelus.* 23

Aliquorum opinio, dari vnionem receptiuam ſpecierum in corpore Chriſti, reiicitur.

Aliqui ob hanc rationem dixerunt dari vnionem receptiuam ſpecierum in corpore Chriſti, ita vt albedo hoſtiæ; &c. non minus cauſetur à Chriſto, quam cauſabatur à ſubſtantia panis. Hoc tamen videtur eſſe contra Concilium docens accidentia manere ſine ſubiecto in hoc Sacramento. Et ſanè Chriſtus non redditur albus aut calidus ab accidentibus Euchariſticis; ergo non eſt ſubiectum illorum: aliam autem vnionem aſſignare vix eſt intelligibile, niſi dicas cum aliquibus illam eſſe inexplicabilem: id quod eſſet confundere Fidei myſteria, eſt cauſam præbere hæreticis illa negandi.

Scotus præcisè poſuit inſeparabilitatem Chri-

Digitized by Google

Scotus ponit inſeparabilitatem Chriſti à ſpeciebus ex decreto Dei extrinſeco.

ſti à ſpeciebus ex decreto extrinſeco Dei; hoc tamen non videtur ſufficiens, vt dicatur oſtendendo ſpecies, *Hoc eſt Chriſtus*, quia Angelus eſt præſens cœlo, & inſeparabiliter ex decreto Dei; & tamen non ideo dici poteſt oſtendendo cœlum, *Hoc eſt Angelus*, loquendo de motore cœli. Ideò addunt alij cauſalitatem corporis Chriſti in accidentia. Sed contra Primò, quia (vt oſtendam paulò poſt) non poteſt habere Chriſtus talem cauſalitatem. Deinde, quia ſi Deus deſtruendo ſubſtantiam panis ſuccederet in conſeruationem effectiuam accidentium illius, non ideò panis eſſet conuerſus in Deum aut denotando accidentia illa poſſet dici, *Hoc eſt Deus*; & tamen ibi ſunt & intima præſentia Dei in accidentibus, & cauſalitas ipſius in illa loco panis, & inſeparabilitas; ergo hæc omnia non ſufficiunt, vt poſſit demonſtrari Chriſtus in accidentibus.

Addunt aliqui cauſalitatem Chriſti Corporis in accidentia.

Impugnantur.

Poſſes reſpondere, in caſu argumenti non habere accidentia virtutem trahendi ſecum Deum, quam habent accidentia panis reſpectu corporis Chriſti. Sed contra; ergo non requiritur cauſalitas; ſed poſſet aſſignari differentia inter Angelum in cœlo, & Chriſtum in Euchariſtia; quia cœlum non trahit ſecum Angelum; ſpecies autem trahunt ſecum Chriſtum: pro hac autem vi tractiua non eſt neceſſarium recurrere ad cauſalitatem.

24

Opinio aliorum, ſufficere vt corpus Chriſti ſit intra accidentia, reijcitur.

Poſſent alij dicere ad hoc; vt demonſtretur aliquod ſubiectum per accidentia, nec requiri vnionem cum illis, nec cauſalitatem, ſed præciſè vt intra illa ſit: vt patet quando Angeli aſſumunt corpora, cum quibus non vniuntur, & quæ non ſuſtentant efficienter. Sed contra, quia hinc probaretur etiam ſine deſitione ſubſtantiæ panis poſſe dici, *Hoc eſt Chriſtus*; quod tamen falſum eſt. Sequela autem patet, quia ſine deſitione vlla ſubſtantiali corporis aſſumpti oſtendendo illud poteſt dici, *Hoc eſt Angelus*. Deinde in illo caſu adhuc corpus non habet virtutem ſecum trahendi Angelum, ſed è contrario. Reſpondeo ergo, In illo caſu, quando dicimus, *Hoc eſt Angelus*, non æquiualere illam propoſitionem huic, *Contentum ſub his accidentibus, vel ſub hoc corpore, eſt Angelus*; quia in hoc ſenſu eſſet falſa; nec enim illa ſunt accidentia Angeli, nec ille eſt forma illius corporis; ſolùm ergo tunc volumus dicere, *Loquens in hoc corpore, mouens hoc corpus, ſeu oſtendens ſe per hoc corpus, eſt Angelus*: ad hoc autem ſolum requiritur intima præſentia cum illo corpore, & quod per illud loquatur, illudque moueat. In Euchariſtia nil eiuſmodi de corpore Chriſti prædicamus, ſed præciſè eſſe contentum ſub illis accidentibus; ergo aliquid aliud debemus requirere, per quod ſaluetur illa propoſitio.

Statuuntur tria requiri; Carentiam ſubſtantiæ panis intimã præſentiam ſub ſpeciebus. Virtutem in ſpeciebus trahendi ſecum Chriſtum:

Nihilominus dicendum cenſeo tria tantum ad hoc requiri, Primò, carentiam ſubſtantiæ panis, vt illa propoſitio abſolutè pro ſolo Chriſto ſupponi poſſit; alias non poſſet dici niſi cum hoc addito, *Pars contenti ſub his ſpeciebus eſt Chriſtus*: Secundo, intimam præſentiam Chriſti ſub eis ſpeciebus; niſi enim ibi eſſet, non poſſet ibi demonſtrari: Tertio, virtutem in ſpeciebus trahendi ſecum Chriſtum Dominum; alias & Angelus penetratus cum eadem hoſtia conſecrata poſſet ibi demonſtrari ſicut Chriſtus: vel certè (vti inferiùs dicam) requiretur è contrario in ipſo Chriſto virtus ad trahenda ſecum accidentia. Porrò hæc tria ſufficere probo; quia ſicut dum oſtendo ciſtam, verè dico abſolutè, *Hoc eſt aurum*, ea præciſè ratione, quod aurum ſit intra ipſam ciſtam, & non alia ſubſtantia; & quod ciſta habeat virtutem trahendi aurum ſecum, quocumque feratur: ratione cuius ab hominibus dicitur ibi contineri aurum; ſimiliter etiam, imò à fortiori oſtendendo accidentia panis poterit dici, *Hoc eſt Chriſtus*, cum & ibi intrinſecè ſit præſens, & ille habeat virtutem trahendi ſecum accidentia; & præterea nulla ſit ibi alia ſubſtantia; ex quo capite magis propria locutio eſt in Euchariſtia, quam in ciſta oſtendendo aurum; quia in hac eſt etiam ſubſtantia ipſius ciſtæ, quæ poſſet demonſtrari per τὸ *Hoc*: in Euchariſtia autem nulla eſt alia ſubſtantia demonſtrabilis præter Chriſtum. Dico *demonſtrabilis*; nam etiamſi ibi ſit Deus, & eſto ibi ſe Angelus poneret, non tamen eſſet ſubſtantia demonſtrabilis ex defectu tertiæ conditionis à nobis poſitæ.

Difficultas contra neceſſitatem abſentiæ panis proponitur.

Antequam ad obiectiones ſupra poſitas reſpondeamus, oportet ſatisfacere difficultati, quæ contra rationem à nobis factam de neceſſitate abſentiæ panis fieri poteſt, & à pauciſſimis exactè ponderatur; nam ſi propoſitio illa, *Hoc eſt corpus meum*, nequit eſſe vera, eo ipſo quod ibi maneat ſubſtantia panis, quia ſenſus illius eſt, *Adæquatum contentum ſub his ſpeciebus eſt corpus Chriſti*, ac proinde ſi panis etiam contineretur, falsò id diceretur: ſi inquam id ſit verum, profectò nec poterit totus Chriſtus contineri in hoſtia quoad animam & corpus; nam eodem modo non benè dicitur de toto homine, *Hæc eſt corpus*, quia non prædicatur benè pars de toto niſi per tropum. Quòd ſi reſpondeas, illam propoſitionem ſolum denotare id quod eſt ſub ſpeciebus vi verborum, hoc autem verum eſſe; nam anima Chriſti & vnio vtriuſque non eſt ex vi verborum, tunc facilè reiicieris, quia eo ſenſu etiamſi maneret ibi panis, adhuc propoſitio eſſet vera; nam tunc τὸ *Hoc* non denotaret panem: hic enim non ponitur ex vi verborum, ſed ex ſe antea ibi erat. Si Secundo reſpondeas, animam non poſſe denotari ſub illis accidentibus, quia illis non ſubſtat, eſto ibi ſit Contra Primo, ergo ſi maneret ibi ſubſtantia panis, dummodo non eſſet vnita, quia eo ipſo non ſubſtaret accidentibus, eſſet vera ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum* hoc autem videtur durum. Contra Secundo, & melius, quia corpus Chriſti non aliter ſubſtat, quam quia eſt in eo loco cum alligatione ad ea accidentia: atqui id ipſum habet anima Chriſti.

25

Reſponſiones aliquorum examinantur & reijciuntur.

Dices: Saltem hæc replica non habebit locum in ſententia eorum qui ponunt cauſalitatem corporis Chriſti in accidentia: hi enim facilè reſpondere poſſunt, ſolum corpus illa cauſare, & fortaſſe ex hoc ipſo capite poterit perſuaderi ea cauſalitas, quia ſcilicet alioquin non eſſet vera ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*. Sed contra, quia nec quidem in hac ſententia vitari omnino poteſt difficultas, nam cum veritas illius propoſitionis deſumatur in ordine ad communem modum loquendi etiam non Philoſophorum, profectò non debet ea veritas (ſi volumus prudenter diſcurrere) fieri dependens ab vna quæſtione valdè inter Philoſophos dubia, qualis eſt, Vtrum accidentia verè cauſentur materialiter aut efficienter à materia prima: quis enim (eſto aliunde reiiciatur ſententia Patris

Leſſij

Etiam in ſententia Leſſij negantes cauſalitatem materialem.

Leſſij negantis eam cauſalitatem materialem) dicet, non poſſe ea data fieri verè eas propoſitiones oſtenſo cadauere huius aut illius hominis, *Hoc eſt corpus Ioannis*; *Hoc eſt corpus Petri*: Pono autem exemplum in corpore mortuo, quia in eo nihil eſt, quod efficienter conſeruet ea accidentia humana; vnde ſi non ſit cauſalitas propria materialis, nihil eſt ſub accidentibus, quod illa conſeruet: poteſt etiam poni inſtantia in charta, muro, &c. quæ demonſtrari poſſent per accidentia, eſto ea non cauſarentur efficienter à muro. Ratio autem à priori, cur ab ea ſententia Leſſij non ſit pendens hæc quæſtio, ea eſt, quia in eo modo loquendi apud non Philoſophos nihil aliud communiter apprehenditur quam connexio & inſeparabilitas inter ea accidentia exteriora quæ videntur, & inter ſubſtantiam interiorem, quæ etiam ibi creditur eſſe: de cauſalitate autem diſtincta materiæ in accidentia nemo pro veritate earum propoſitionum fuit vnquam ſolicitus, quidquid deinde Philoſophi ex aliis rationibus occultioribus, & quæ non deſumuntur ex eo modo loquendi, intulerint circa cauſalitatem propriam materialem aut efficientē in ea accidentia. Eſt autem hominis prudenter diſcurrentis res omnino certas non facere dependentes à rebus omnino incertis, etſi ipſe eam rem incertam aliunde iudicet eſſe veram; multò autem magis debet attendere, ne faciat dependentes à Philoſophica veritate omnino occultè modos ordinarios loquendi, qui vt tales vnicè pendent à communi ſenſu hominum nihil de ea incerta quæſtione cogitantium: ergo dicendum eſt, Chriſtum Dominum veritatem eius propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, non aliter ſine dubio intellexiſſe, quam vulgus intelligat veritatem aliarum, *Hoc eſt corpus Petri, Ioannis*, &c. Certum autem eſt, vt dixi vulgus eam cauſalitatem nullo modo conſiderare: ergo eſto ea concedenda ſit ob alias rationes, non tamen veritas verborum conſecrationis debet ab illa fieri dependens; ergo cum remota ea cauſalitate alligatio & præſentia animæ ſub illis accidentibus eadem ſit quæ corporis, manebit adhuc tota difficultas ſuprà poſita, quomodo pars prædicetur abſolutè de toto.

Quæ ſit veritas huius propoſitionis. Hoc eſt corpus meum.

27 Ideò Tertio quis reſponderet, animam Chriſti, quia vnitur cum corpore, & cum eo facit vnum quid, poſſe optimè demonſtrari per τò *Hoc*. Sed contrà, quia ſi demonſtratur per τò *Hoc*; ergo malè dicitur poſteà *corpus*, quia de corpore & anima ſimul vnitis non benè dicetur *Eſt corpus*; ergo adhuc ea propoſitio eſt falſa. Reſpondeo, Præſentiam animæ non derogare veritati eius propoſitionis: quia licet non poſſit dici verè, *Petrus eſt corpus*, aut, *Homo eſt corpus*, quia homo plus dicit etiam in recto quam corpus; rectè tamen dicitur, *Hoc quod video eſt corpus Petri*, quia accidentia illa exteriora tantum videntur in rigore oſtendere corpus: vnde τò *Hoc* non eſt idem tunc ac *totus homo*.

Reſponſio vera ſtabilitur.

Replica: Replicabis tamen, Semper τò *Hoc*, oſtendendo Petrum, ſignificabat idem ac Petrus; vnde fit, vt illa propoſitio ſit vera, *Hoc eſt Petrus*: ergo non poteſt τò *Hoc* prædicari verè de ſolo corpore. *Soluitur.* Reſpondeo, τò *Hoc* poſſe accipi duobus modis, vel pro toto compoſito, vel pro ſolo corpore; certum enim eſt me poſſe oſtendendo meum corpus dicere, *Hoc eſt corpus meum*; tunc autem τò *Hoc* non ſupponitur niſi pro corpore: quod verò etiam poſſit vſurpari pro toto compoſito, eſt certo certius; quia poſſum dicere etiam, *Hoc eſt corpus* Dico ergo τò *Hoc* eſſe quaſi æquiuocum, & ex circumſtantiis determinari ad ſignificandum aut partem aut totum.

Replicabis Secundò; Ergo eodem modo poterit accipi pro ſolo Chriſti corpore, etiamſi ibi ſit ſimul ſubſtantia panis; ſicut eſto ibi ſit anima, vſurpatur pro ſolo corpore. Reſpondeo negando conſequentiam, quia inter vnius totius v. g. vnius hominis partes, poteſt facilè vna ſupponi pro toto compoſito, vt oſtendi in illis duabus propoſitionibus, quæ iuxta communem modum dicendi veriſſimè proferuntur: vna, qua ego ipſe poſſum de meipſo dicere, *Hoc eſt corpus meum*: altera, qua poſſum etiam dicere, *Hoc eſt Rodericus*: ecce τò *Hoc* in vno caſu denotat ſolum corpus, in alio vtrumque: at ſi panis ſubſtantia eſſet ſub illis accidentibus, neceſſariò deberet ſemper denotari, quia cùm ea accidentia eſſent propria illius, maximè ipſam deſignarent; & quia cum Chriſto non faceret vnum quid, non poſſet per vllum vſitatum modum loquendi iam pro parte iam pro toto accipi; vnde ſemper & primariò pro panis ſubſtantia vſurparentur. *Altera replica: Expeditur.*

Quod ſi tamen hæc ſolutio, quia aliquo modo rem ſaluat per figuratum modum loquendi, non omnino placet, poſſum Secundò reſpondere: Eſto, quando accidentia ſunt natura ſua propria eius rei in qua ſunt, & eam naturaliter ſignificant, non poſſit demonſtrando illa prædicari pars de toto; ac proinde dici nequeat oſtendendo Petrum, *Hoc eſt Petri corpus*; quia non poteſt dici, *Petrus eſt corpus*; ſed oporteat addere, *Hoc eſt corpus & anima Petri*, iuxta eam regulam Logicam, quod pars non prædicetur de toto; in eo autem caſu illa accidentia haud dubiè totum oſtendunt hominem; quando tamen accidentia non ſunt propria rei, ſed eam demonſtrant, quia miraculosè ex vna in alteram ſubſtantiam ſunt tranſlata, tunc τò *Hoc* non ſignificare niſi purè purè id in quod fuere directè & per ſe tranſlata, non verò id quod ex connexione naturali: deinde ibi ponitur, & hinc ſumitur differentia clara inter panis ſubſtantiam & animam Chriſti; nam cùm ea accidentia natura ſua ſint ſignificatiua panis, neceſſariò ſi hæc ibi manerent, debuiſſent per illud pronomen *Hoc* ea demonſtrari, & verò primò loco; vnde propoſitio illa, *Hoc eſt corpus meum*, fuiſſet falſa; quia de pane affirmaret eſſe Chriſti corpus: id quod haud dubiè falſum eſt: at anima Chriſti non eſt ſub accidentibus ſibi connaturalibus, vti neque ipſum corpus: in quo quidem pares ſunt. Præterea in animam non eſt conuerſus panis, quia noluit Chriſtus directè eam ibi ponere; & verba quæ faciunt eam tranſmutationem non ſignificant quidquam de anima; ergo ea accidentia non denotant vllo modo animam; ac proinde in τò *Hoc* nullo modo ea ſignificatur, ne quidem vagè. Adhuc tamen fortè non acquieſces, quia τò *Hoc* denotat contentum ſub his ſpeciebus; ſed ſub his continetur anima, ergo etiam illa denotabitur: & tamen in prædicato ea non ponitur; ergo prædicatio illa non eſt vera. Reſpondeo, τò *Hoc* non ſignificare quidquid contentum eſt abſolutè & omni modo, ſed quidquid eſt per ſe contentum; per ſe verò contineri dicitur, quidquid vel naturaliter ibi continetur (vnde, iuxta

28 *Altera reſponſio difficultatem eludit.*

Replicæ occurritur.

paulò antè dicta, ſi panis ibi eſſet, deberet primariò demonſtrari, quia in eis ſpeciebus maximè per ſe contineretur) vel quod continetur ex intentione primaria & directa facientis eam translationem; cùm ergo præcisè Chriſtus directè voluerit ſuum corpus ibi eſſe, fit vt illud ſolùm ſit per ſe, ac proinde per τὸ *Hoc* nec in confuſo ſignificetur anima, ſed ſolum corpus; ac denique ea propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, ſit veriſſima, etiamſi adſit anima; quæ alioquin eſſet falſa, ſi ſubſtantia panis adeſſet. Et ſatis de hac difficultate, quæ vix ab Auctoribus diſcutitur; & tamen, vt vidimus, ſatis eſt grauis.

SECTIO V.

Reſpondetur his quæ contra dicta obiiciuntur: vbi oſtenditur Chriſtum non poſſe influere in accidentia Euchariſtica.

29 *Obiectio de Angelo mouente cœlum ſoluitur.*

IAM ad obiectiones ſuprà poſitas contra ſubſtantiam doctrinæ deſumptas ex Angelo mouente cœlum, & ex Deo ſuccedente in locum ſubſtantiæ quoad cauſalitatem materialem, dicimus ideò non poſſe oſtendendo cœlum dici, *Hoc eſt Angelus*; quia ibi manet tota ſubſtantia cœli, quæ per τὸ *Hoc* demonſtratur: nec habet ſe cœlum per modum ciſtæ trahentis Angelum; neque Angelus ſecum mouet cœlum perinde ac ſi eſſet ſubſtantia accidentium illorum; nec Angelus eſt in toto loco cœli quaſi aliquid in ipſo cœlo incluſum: id quod facilius ad Deum applicatur, quia nec Deus mouetur ad motum accidentium aut ſubſtantiæ; neque ſub eis accidentibus exercet aliquid, quod magis ſit proprium Dei, quam quod exercet ſub cæteris creaturis, vt propterea magis ibi oſtendi poſſit quam in aliis; nam cauſalitas non ſufficit vt res cauſata dicatur eſſe ipſa cauſa. Vnde obiter obſeruo ad hoc vt demonſtrando ſpecies dicatur, *Hoc eſt corpus Chriſti*, non requiri vt corpus Chriſti exerceat circa ſpecies munus proprium ſubſtantiæ, quia hoc præcisè conſiſtit in cauſalitate materiali, quam non habet corpus Chriſti reſpectu ſpecierum: ratio autem cur id non requiratur conſtat ex prædictis. Hinc etiam intelliges, quo pacto Sacerdos conſecrans faciat Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus, non quidem phyſicè, ſed moraliter id cauſando; quatenus ſcilicet moraliter obtinet à Deo, vt deſtruatur ſubſtantia panis, ponatur ibi Chriſtus Dominus, & detur ſpeciebus virtus trahendi ſecum ipſum Chriſtum; ex qua virtute prouenit, & dum ipſe Sacerdos vel alij mouent ſpecies, ad motum illarum moueant etiam Chriſtum, ſicut qui mouet ciſtam mouet aurum in illa incluſum.

Sacerdos conſecrans facit vt Chriſtus ſit ſub ſpeciebus cauſando moraliter.

30 *Obiectio.*

Dices: Præſentia Sacramentalis Chriſti non mutatur, licet moueatur corpus Chriſti & eius ſpecies, & tamen tunc mutantur præſentiæ locales; ergo præſentia Sacramentalis non conſiſtit in intima præſentia corporis Chriſti cum ſpeciebus, quia hæc prouenit formaliter ab ipſis vbicationibus; debet ergo poni aliqua vnio quæ ſemper duret. Propter hoc argumentum Suarez diſp. 47. ſect. 2. ponit præſentiam Sacramentalem in habitudine aliqua ſpecierum ad corpus, fundata in præſentia reali: id quod mihi omnino diſplicet, quia illa habitudo nihil eſt aliud realiter quam denominatio extrinſeca deſumpta ex præſentiis realibus; ergo quotieſcumque præſentiæ mutantur, mutatur etiam ea denominatio & conſequenter habitudo. Dicendum ergo eſt, præſentiam Sacramentalem non conſiſtere iuxta dicta in ſola præſentia reali, ſed in illa & carentia panis & virtute trahendi corpus; carentia autem panis & virtus attractiua non mutantur, licet moueantur & ſpecies & Chriſtus. Vnde argumentum ſolum probat præſentiam Sacramentalem inadæquatè mutari; id quod libenter fatemur phyſicè loquendo, quia phyſicè non diſtinguitur ab iſtis præſentiis; in ordine autem ad prudentem exiſtimationem nec inadæquatè mutatur, quia ſuccedunt aliæ duæ præſentiæ omnino inter ſe indiſtantes ſicut præcedentes: vnde ſemper iudicatur eadem indiſtantia Chriſti à ſpeciebus. Sicut ſi homo moueatur, vel feratur in ſella, etiamſi phyſicè mutet ſeſſionem, quia mutat vbicationes, in quibus conſiſtit ſeſſio; tamen homines ſemper putant, quamdiu à ſella non ſurgit, eamdem manere ſeſſionem: & idem eſt in figura & in multis aliis rebus.

Sententia Suarez, ponentis præſentiam Sacramentalem in habitudine ſpecierum ad corpus, reiicitur.

Reſpondetur obiectioni.

31 *Oſtenditur contra Suarez & Cardinalem Lugo nullam eſſe cauſalitatem Chriſti in ſpecies.*

Iam reſtat oſtendere, nullam eſſe cauſalitatem Chriſti Domini in ſpecies, contra Cardinalem Lugo, Suarez & paucos alios. Et in primis mihi non placet, quòd putent nonnulli præcipuum munus ſubſtantiæ reſpectu accidentium in hac cauſalitate conſiſtere: etenim dixi ſuo loco vix eſſe vllum argumentum, quo huiuſmodi cauſalitas effectiua in accidentia probetur; vnde opinio Patris Leſſij eam negantis eſt probabilis: quidquid autem de ea ſit, fateri ſaltem debemus, eam cauſalitatem eſſe in materia reſpectu formæ ſubſtantialis materialis, v. g. formæ equinæ; vbi tamen nihil eſt prorſus de exercitio ſubſtantiæ reſpectu accidentis: ergo præcipua ratio ſubſtantiæ non conſiſtit in ea cauſalitate; ac proinde vt probemus Chriſtum eſſe per modum ſubſtantiæ reſpectu eorum accidentium, non eſt neceſſum defatigare nos in probanda ea cauſalitate. Secundò fateri debemus, eam cauſalitatem nequaquam eſſe vulgariter notam etiam apud eos qui ſciunt calorem v. g. eſſe accidens: homines enim maximè ex ſeparabilitate eam rationem accidentium probant, eò quòd homo idem oſtenditur, ſiue calidus ſiue frigidus ſit, ſiue ridens ſiue flens, &c. ergo putandum etiam eſt Chriſtum Dominum ad hoc, vt oſtenderet ſe ſub illis accidentibus contineri, non fuiſſe ſolicitum vllo prorſus modo de ſuſcipienda hac cauſalitate, vt fuſiùs ſupra dixi.

Argumentũ validius contra cauſalitatem Chriſti in accidentia.

Verùm efficacius eam reiiciamus, & quidem probando hic & nunc eam eſſe omnino impoſſibilem, quod ſic oſtendo: Priùs natura quàm ſub accidentibus ponatur Chriſtus intelliguntur accidentia exiſtere; ergo ea non cauſantur à Chriſto efficienter. Conſequentia eſt bona, quia quoad primam cauſalitatem (de qua nunc agimus) nihil poteſt influere in id quod ſupponitur priùs natura ante ipſum; imò in ſententia Cardinalis Lugo, qui hanc cauſalitatem ponit, nec quoad ſecundum eſſe ſeu quoad ſecundam actionem poteſt quidquam eſſe cauſa eius quod ſupponitur in eodem inſtanti priùs natura ad ipſam cauſam; hinc enim probat nec diuinitus poſſe, etiam per ſecundam actionem, aliquid eſſe cauſam ſui nec mediatam nec immediatam. Probo ergo eam prioritatem; nam vt Chriſtus ponatur ſub accidentibus, ſupponuntur accidentia exiſtere: ea enim omnino ſunt independentia

Digitized by Google

dentia in ſua exiſtentia à poſitione Chriſti; è contrario verò Chriſtus pendet ab exiſtentia illorum accidentium, non ponendus alioquin, ſi ea ibi non eſſent: hoc autem formaliſſimè conſtituit dependentiam vnius ab altero à priori hinc etiam fit, quod dicere poſſimus, *Ideò Chriſtus ponitur, quia accidentia exiſtunt*; & verba ſupra illa proferuntur; non è contrario, *Exiſtunt accidentia, quia Chriſtus ponitur.*

32 Huic argumento reſpondet, nullo modo accidentia eſſe priùs natura in inſtanti conſecrationis, ſed ſolum intelligi in eo priori, quod accidentia extiterint in præcedenti inſtanti reali, & non ſint poſitæ diſpoſitiones contrariæ: eo enim ipſo Chriſtus ponitur, & producit efficienter ea accidentia; imò addit, fortè non eſſe neceſſum illa omnia concipere, ſed quod non ſit adhuc applicatum agens contrarium, quod ea accidentia deſtruat. Hæc ſolutio facillimè reiicitur; nam ſpecies, eo ipſo inſtanti quo completur conſecratio, ac proinde quo ponitur Chriſtus, debent priùs natura intelligi exiſtentes, quia vt tales demonſtrantur à Sacerdote: illa autem demonſtratio, vt pote partialis cauſa eius conſecrationis, haud dubiè debet eſſe prior natura, præcedere autem eam demonſtrationem patet: nam licet priùs tempore præceſſerit τὸ *Hoc* & *Hic*, per quæ ſpecies oſtenduntur; ea tamen oſtenſio debet neceſſariò toto tempore permanere vſque ad poſitionem Chriſti, perinde ac ſi quis conſtanter repeteret, dum alia verba proferunt, *Hoc hoc* vſque ad finem; τὸ autem *Hoc* ſupponit priùs natura exiſtentem rem quam demonſtrat. Vrgeo, Idem omnino eſſet valor conſecrationis, ſi inuerterem formam conſecrationis, & vltimo loco ponerem ſpecies, aut τὸ *hoc* vel *hic*, tali modo, *Corpus meum eſt hoc*, vel *Corpus meum eſt contentum ſub ſpeciebus panis his*, vel *Sanguis meus eſt contentus ſub ſpeciebus his*: eo autem caſu quis poſſit negare, priùs natura debere eſſe eas ſpecies. Vrgeo Secundo, vt demonſtrare eas poſſit Sacerdos, debet vel videre, vel alio ſenſu percipere; vt autem eas videat, debent priùs natura illæ exiſtere. Confirmo Secundo in ipſa intentione ſeu voluntate Sacerdotis conſecrantis; nam licet de facto illa verba proferat ſucceſſiuè, priùs *Hoc*, deinde *eſt*, haud dubiè tamen omnino per accidens id contingit nam ſi Chriſtus non requiſiiſſet verba exteriora, ſed dixiſſet, *Cum primum poſtquam ſpeciem ſeu hoſtiam Sacerdos tenet manu, eo ipſo quod habeat interiorem voluntatem, qua dicat, Chriſtus ponatur ſub his ſpeciebus, eo ipſo volo Chriſtum ibi poni*; profectò quoad punctum conſecrationis & ſucceſſionis Chriſti in locum ſubſtantiæ, & quod poſteà poſſet Chriſtus demonſtrari, idem omnino eſſet ac ſi per prolationem ſucceſſiuam verborum fuiſſet poſitus: atqui eo caſu neceſſariò priùs natura debuiſſet ſupponi Chriſtus, quia illa intentio tota exiſtit in inſtanti, & tota illa dirigitur ex viſione accidentium eodem inſtanti; ergo de primo ad vltimum illa accidentia fuere priùs natura quam Chriſtus ſub ſpeciebus. Et verò, ſi rem prudenter conſideremus, idem argumentum nunc fit in eadem intentione Sacerdotis, eſto debeant verba ſucceſſiua interuenire; nam poteſt quis in ea intentione manere toto tempore prolationis vſque ad finem.

Reſponſio Cardinalis Lugo ad argumentum præcedens refutatur.

Valida eſt forma inuerſa, Corpus meum eſt hoc.

Priùs natura ſunt accidentia quam Chriſtus ſub ſpeciebus.

33 Habet autem hoc maiorem difficultatem in ſententia Cardinalis Lugo, qui ſemper requirit intentionem aliquam expreſſam, licet remiſſam, quæ exiſtat toto tempore quo forma profertur; ergo intentio, quæ etiam ipſo vltimo inſtanti prolationis verborum durat, nititur exiſtentiæ accidentium: quia enim agnoſcit ea exiſtere, vult ſub illis Chriſtum ponere; ergo non ſolùm pro tempore præcedenti debent ſupponi exiſtere accidentia, ſed maximè pro eo ipſo inſtanti, quo vltimò conſecratio perficitur, ac proinde pro eo pro quo Chriſtus ponitur: vnde clarè conſtat priùs natura conſeruari accidentia antequam Chriſtus ſub eis ponatur; ac proinde Chriſtum non poſſe eſſe cauſam à qua illa habeant ibi ſuum eſſe. Præterea non poteſt negari, quin homo in ipſa vltima prolatione verborum poſſit dirigi ad volendam eam vltimam prolationem, ex eo quod tunc videat accidentia ante ſe, ſeu ex eo quod noſcat ea durare, non prolaturus ea vltima verba niſi accidentia illa videret, nemo ſanè negabit poſſe hoc contingere; vti neque poteſt negari futurum validum Sacramentum eo caſu, quia cum reflexione maxima intentionis fieret tunc conſecratio: atqui eo tempore ipſo inſtanti vltimo prolationis, quando Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus, omnino præcedunt natura accidentia, quia ex iudicio, ſeu viſione, quod exiſtant, Sacerdos mouetur ad proferenda ea vltima verba; ergo ſaltem tunc non poſſet Chriſtus eſſe cauſa accidentium: quod ſi id concedimus vel in vnó caſu, ſemper debebit concedi. Denique, eſto admitteremus accidentia non eſſe priùs natura quam ſit Chriſtus, non tamen poſſum capere è contrario, quomodo poſſit Chriſtus priùs eſſe ſub Sacramento quam accidentia concipiantur, ſub quibus ſit: atqui Chriſtus non poteſt eſſe cauſa accidentium, ſi non exiſtat priùs natura quam illa; ergo nullo modo poteſt explicari cauſalitas Chriſti in ea accidentia.

Proinde Chriſtus non poteſt eſſe cauſa illorum.

SECTIO VI.

Explicatur dubium incidens; & reiicitur euaſio quædam pro argumento à nobis facto contra cauſalitatem Chriſti in accidentia.

EX dictis inſurgit grauis difficultas; nam ſi accidentia debent præſupponi in priori naturæ eo vltimo inſtanti, quærimus à quo in eo priori cauſentur; non à ſubſtantia panis, quia ea non exiſtit eo inſtanti; non à Chriſto, vt diximus; ergo debent ſupponi conſeruata à Deo ſolo: hoc autem videtur nequaquam poſſe admitti; nam verba conſecrationis nihil efficiunt niſi cùm perficiuntur; ergo antequam perficiantur non poſſunt Deum mouere ad hoc, vt miraculosè conſeruet ibi ea accidentia. Confirmo, ſi in eo priori ante prolationem verborum iam accidentia conſeruantur independenter à ſubſtantia panis: ergo ſi Sacerdos tunc pro ſua libertate omitteret ea verba, aut intentionem reuocaret, ac proinde ſub illis accidentibus non poneretur Chriſtus, manerent nihilominus accidentia ſine ſubiecto, ſeu non conſeruata à ſuo ſubiecto; hoc autem videtur abſurdum, quia quando non profertur tota forma eſſentialis Sacramenti, perinde eſt in ordine ad actus omnes Sacramentales ac ſi nihil penitus eſſet dictum. 34

Mouetur grauis difficultas, à quo cauſentur accidentia.

Proponitur caſus.

Aliquis fortè reſponderet, Deum per ſcientiam mediam præuidiſſe, ſi talis & talis incipiat proferre

Examinatur, An illa accidentia

conſeruentur à Deo miraculoſè ſine ſubiecto; & quo caſu non.

proferre formam, non eam abſoluet, vel non habebit intenſionem requiſitam ad conficiendum Sacramentum, & pro tali caſu non conſeruaſſe Deum illa accidentia miraculoſe ſine concurſu ſubiecti; in reliquis verò caſibus, in quibus iam ſciebat nullum fore periculum, ea conſeruaſſe. Sed contrà, quia ſi id ita ſit, cogemur vnum è duobus admittere, vel illum Sacerdotem (qui præuiſus fuerat non abſoluturus verba) non habuiſſe poteſtatem conſecrandi, quia vt eam haberet, debuit poſſe ponere Chriſtum ibi excluſo pane; ad hoc autem non habuit vires, quia priùs natura quam vellet loqui, iam ſupponebatur ſubſtantia panis ibi durans; ergo non potuit illam reiicere, & Chriſtum ibi ponere; hoc autem eſt abſurdum, quia ſine dubio ille vti liberè ceſſauit ab vltimis verbis, ita liberè potuit ea proferre, & conſecrationem perficere ac proinde Chriſtum ibi ponere; vel ſequitur, ſi Chriſtum potuit ibi ponere, potuiſſe tunc illum ita conſecrare, vt ſimul maneret Chriſtus cum ſubſtantia panis, quia (vt oſtendimus) panis iam ſupponitur ibi priùs natura; ergo ſi adhuc Chriſtus poteſt poni, ſine dubio poteſt coniungi cum pane: hoc autem durius multò eſt, & præterea euidenter falſum: quia eſſet contra veritatem verborum, quæ non admittunt permanentiam panis, vt ſæpè diximus: ſi autem verba non eſſent vera, ergo etiam vi illorum non potuiſſet Chriſtus ibi poni; ac proinde eſſent vera, & non vera: vera, quia ponunt Chriſtum; non vera, quia non expellunt panem.

35 *Aliquorum ſententia & reſponſiones reiiciuntur.*

Fortaſſe ad hoc vltimum abſurdum reſponderet quis; Licet in eo priori ſupponantur accidentia panis conſeruata materialiter à pane, fieri tamen poſſe, vt non ſupponantur illi vnita; quia (vt in Tomo Philoſophico oſtendi) cauſalitas materialis non eſt idem cum vnione eiuſdem formæ; benè ergo potuit præintelligi cauſalitas ante vnionem: vnde ſi prædicto caſu dixiſſet ille Sacerdos vltima verba, poſitus quidem fuiſſet Chriſtus ſub eis accidentibus, non tamen cum pane; quia panis eſto manſiſſet in rerum natura pro eo inſtanti, non tamen vnitus accidentibus: veritas autem verborum non exigit deſtructionem panis (vt infra dicemus) dummodò non maneat ſub eis accidentibus. Quod ſi vrseris, Ergo ſaltem in eo caſu non eſſet conuerſio panis in corpus Chriſti, quia ad conuerſionem requiritur deſtructio panis; id autem videtur eſſe contra Tridentinum; reſponderi adhuc poſſet, eam fore conuerſionem; quia licet eo primo inſtanti non eſſet corruptus panis, corrumpendus tamen erat in inſtanti ſequenti: id quod ſufficeret ad abſolutè vocandam illam conuerſionem: neque enim Concilium de eo vnico inſtanti fuit ſolicitum, maximè cùm ille caſus nunquam ſit ponendus in rerum natura; quia per ſcientiam mediam vidit Deus talem Sacerdotem nihil poſiturum. Hæc autem ſolùm dicta ſint, vt ſaluemus illam potentiam Sacerdotis ad ponendum Chriſtum cum præcedentia cauſalitatis materialis panis in ea accidentia. Nihilominus hæc ſolutio non poteſt ſuſtineri, quia ea cauſalitas materialis eſto non ſit ipſa vnio cum re cauſata, debet tamen neceſſariò habere annexam vnionem ſaltem pro poſteriori naturæ iam autem ſequeretur panem ſimul cum Chriſto pro poſteriori naturæ eſſe ſimul, ac proinde non verificari verba, vt paulò ante dicebam. Hac ergo ſolutione reiecta.

Ad caſum propoſitum reſpondetur.

Abſolutè reſpondeo Primò, Etiam Cardinalem Lugo teneri ob hoc argumentum concede- 36
re priùs natura ad conſecrationem decretum aliquod miraculoſum circa conſeruationem eorum accidentium & panis; nam accidentia decernit omnino conſeruare, ſiue ſequatur conſecratio, ſiue non; ſubſtantiam verò panis ſolùm caſu quo conſecratio non fit. Præterea cùm natura ſua panis & accidentia illa ſint omnino independentia à conſecratione, Deus tamen ea facit tunc poſteriora; fieri autem poteſt vt eo inſtanti nolit Sacerdos conſecrare, & quodammodò illa mutatio decretorum maneat ſine eo fine ad quē ordinabatur. Hoc ipſum ferè nos dicimus, niſi quod conſecrationem facimus poſteriorem ad conſeruationem accidentium; quia, vt fusè oſtendimus, accidentia vt demonſtrabilia priùs natura debent ſupponi vt materia ſupra quam cadat conſecratio, & vt id quod poteſt etiam eo inſtanti mouere Sacerdotem ad vltimò complendam conſecrationem. De ſubſtantia autem panis nihil tunc Deus decernit, quouſque videat, an Sacerdos ille re ipſa compleat conſecrationem; cū ergo tunc pro eo inſtanti conſeruatio accidentium ſit independens à conſeruatione panis; (quā independentiam iam oſtendi debere admitti ab hoc Auctore, quia ſiue panis ſit, ſiue non, manebunt tamen accidentia;) profectò connaturalius eſt dicere, Deum tunc ſe ſolo illa accidentia conſeruare, vti facturus eſt toto tempore quo durat conſecratio. Quod ſi Sacerdos ille tunc liberè deſiſtat ab ea conſecratione, admittimus eo inſtanti accidentia non conſeruanda materialiter à pane, eſto hic ibi maneat. Per quod tamen non aſſerimus vllo modo manſura ea accidentia etiā eo vnico inſtanti ſine ſubiecto; nam eo ipſo quod ibi permaneat ſubſtantia panis ob defectum conſecrationis, iuxta dicta, Deus poſterius natura dat illis accidentibus naturalem vnionem cum ſua ſubſtantia; in ſequentibus verò inſtantibus realibus ſequitur cauſalitas panis in eodem more antiquo & naturali. Et hæc circa obiectionem contra noſtrum argumentum.

Reſpondeo ad noſtrum argumentum diſcutitur:

Iam verò videamus, quomodo poſſit argu- 37
mento noſtro reſponderi, ita vt & accidentia ſint priora poſitione Chriſti ſub eis; & tamen Chriſtus in ea influat materialiter. Dicere ergo poterunt, hoc argumento euinci quidem, Chriſtum ſi alioquin independenter ab hoc Sacramento non exiſteret, non poſſe eſſe cauſam accidentium; quia tamen ſupponitur iam in cœlo exiſtens, nullam eſſe difficultatem in eo, quod pro priori naturæ ante accidentia concipiatur vt cauſa illorum, & poſteriùs natura accipiat vbicationem, qua fiat illis præſens expulſa ſubſtantia panis: ſæpè enim diximus, approximationem non eſſe conditionem prærequiſitam eſſentialiter, imò nec naturaliter ad operandum; ſed ſufficere, ſi ea ſequatur in poſteriori naturæ. Hæc tamen ſolutio facilè reiicitur; Primò, quia ſpecies Sacramentales vti non pendent à Chriſto Sacramentato, ita neque à Chriſto in cœlis exiſtente. Huic replicæ reſponderi poterit, id quidem ita eſſe ordinariè loquendo; at in eo inſtanti, vt locus fiat conſecrationi, Chriſtum efficienter illa conſeruare, vti immediatè ante diximus conſeruari à Deo ſine concurſu ipſius ſubſtantiæ panis: hæc enim conſeruatio etiam eſt miraculoſa. Ideò Secundò reiicitur illa ſolutio; nam actio eſto non requirat præuiam approximationem cum paſſo, ſaltem eam requirit in

Et refutatur.

eodem

Digitized by Google

eodem inſtanti poſteriùs natura. At ea accidentia ita eo inſtanti priùs natura conſeruantur, vt licet Chriſtus non poneretur, quia Sacerdos ſe determinaret liberè ad non conſecrandum, nihilominùs manerent accidentia in rerum natura; in eo autem caſu non maneret Chriſtus eis approximatus; quia ſi non conſecraretur re ipſa hoſtia, Chriſtus non acciperet vbicationem illam ſub hoſtia, ſed maneret in cœlo.

Fortè & huic replicæ reſpondebitur iuxta ſententiam probabiliorem, poſſe diuinitus cauſam operari in diſtanti, ac proinde etiamſi eo caſu Chriſtus non poneretur ſub accidentibus, quia re ipſa non fieret conſecratio, ea accidentia tamen conſeruanda à Chriſto diſtante & exiſtente in cœlo. Sit ergo tertia & efficax impugnatio, quia Chriſtus nullam cauſalitatem Sacramentalem exercet niſi poſteriùs natura ad conſecrationem, ſeu, vt clariùs dicam, niſi dependenter à conſecratione integra & perfecta; ergo etiamſi Chriſtus in cœlo ſit prior accidentibus, cauſalitas tamen eius, per quam ponitur in Sacramento, debet eſſe poſterior conſecratione, ergo poſterior accidentibus, quia hæc (vt oſtenſum eſt ſuprà fusè) ſunt priora ipſa conſecratione, ergo iam accidentia ſupponuntur producta per aliam cauſalitatem priorem: duas autem cauſalitates non poſſumus hîc ponere, & verò ſi vna ſit poſterior altera, omnino repugnant ſimul tempore iuxta hunc Auctorem.

Aliud argumentum, quo impugnatur cauſalitas Chriſti in accidentia.

SECTIO VII.

An ſit in accidentibus ponenda aliqua qualitas quæ trahant Chriſtum?

38 DIFFICILIVS eſt, Vtrùm ponenda ſit aliqua qualitas in accidentibus, per quam moueatur Chriſtus ad motum ſpecierum. Cardinalis Lugo diſput. 6. sect. 2. ponit quamdam qualitatem ſupernaturalem habentem ex natura ſua vim trahendi ſecum corpus Chriſti; cuius duplex eſt fundamentum: vnum, quòd per eam qualitatem clariùs explicetur, quomodo qui mouet ſpecies moueat Chriſtum Dominum, quatenus dum immediatè trahit ſpecies, trahit Chriſtum, qui phyſicè trahitur per illam qualitatem; alioquin ſi ſolus Deus moueret Chriſtum ad motum ſpecierum, non poſſet homo mouens ſpecies dici mouere corpus. Secunda ratio, quia quando cauſa aliqua naturalis eleuatur ad aliquem effectum ſupernaturalem, connaturalius eſt, vt eleuetur per potentiam aliquam illi intrinſecam; vti intellectus eleuatur per lumen gloriæ ad videndum Deum, & voluntas ad actus virtutum ſupernaturalium eleuatur per habitus ſupernaturales.

Cardinalis Lugo admittit qualitatem ſupernaturalem trahentem ſecum corpus Chriſti.

Iudico primùm, non repugnare talem qualitatem: ſunt enim qualitates multæ quæ habent vim naturalem cauſandi motum in corporibus vicinis; cur ergo non poterit vna talis eſſe ſupernaturalis? Secundò cenſeo, non poſſe facilè intelligi, quomodo talis non vniatur corpori Chriſti, iuxta huius Auctoris doctrinam, qui (vt vidimus Tomo 6. agentes de vnione hypoſtatica) vnionem ipſe non aliter explicat, quàm in ordine ad vim illam trahendi ſecum ad eumdem locum rem quæ dicitur vnita; hoc autem totum habet ea qualitas non ſolùm reſpectu ſpecierum, ſed reſpectu Chriſti, ergo. Tacitè huic obiectioni videtur reſpondiſſe in præſenti addendo, ad rationem veræ vnionis requiri, vt exigat ſe poni vbicumque eſt ſubiectum; hoc autem ea qualitas reſpectu Chriſti non habet, quia Chriſtus adhuc manet in cœlo & in aliis hoſtiis, vbi non eſt hæc qualitas. Mihi hæc ſolutio nequaquam ſatisfacit, quia ſuprà oſtendi, eam exigentiam difficillimè poſſe in omni vnione ſaluari; nam vnio humanitatis Chriſti ad Verbum eſt vera vnio, & tamen non petit poni humanitatem in omnibus locis vbi eſt Verbum: item, materia capitis verè vnitur animæ rationali, & tamen non exigit ea materia eſſe vbicumque eſt anima. Quòd autem reſponderi poſſit de adæquata & inadæquata poſitione, ſatis efficaciter eſt à me ſuprà reiectum. Secundò fortiùs nunc argumentor; Nam vbicatio Chriſti in cœlo verè vnitur Chriſto, & tamen ipſa non exigit poni etiam in aliis locis adæquatis vbicumque eſt Chriſtus; ergo ea exigentia non eſt de conceptu vnionis.

Non repugnat talis qualitas.

Sed non reddit rationem ſufficientem, cur illa qualitas non vniatur corpori Chriſti.

Vt patet conſideranti naturam vnionis.

Dices: Ea vbicatio eſt immobilis ex ſe; quid ergo mirum ſi non ponatur alibi? Sed contrà 39
clarè, quia ſi de ratione vnionis propriæ eſt ea exigentia eſſendi in omnibus locis, vbi eſt, extremum alterum vnitum; profectò cùm vbicatio illa non habeat eam exigentiam, vndecumque id illi proueniat, carebit etiam proprio & eſſentiali prædicato vnionis, ac proinde non erit vera & propria vnio: vti, quia de ratione quantitatis eſt exigere naturaliter impenetrationem cum ſimili quantitate, eo ipſo non poterit eſſe quantitas ea res, quæ tali exigentia ex ſe caruerit, vndecumque ei veniat ea carentia.

Fortè adhuc dices: Exigentia illa poſitionis in duobus locis debet eſſe cum hac limitatione, *Quantum ſalua eius rei ſubſtantia poteſt eſſe*; ſalua autem natura ſeu ſubſtantia vbicationis non poteſt eſſe in duobus locis; quid ergo mirum, ſi, eſto id non exigat, ſit tamen vera vnio. Sed contrà Primò, quia reuerà vbicatio hæc nullam talem habet exigentiam nec conditionatam: cùm enim per ſubſtantiam ipſius repugnet illi ea poſitio in duobus locis, nullam profectò habet exigentiam illius. Vti homo non habet exigentiam nec conditionatam irrationalitatis; & tamen ea vbicatio verè vnitur Chriſto per ſolam eam exigentiam intimæ præſentiæ cum illo: ergo illa alia exigentia exiſtendi vbicumque eſt ſubiectum, nullo modo eſt de conceptu vnionis vt ſic.

Secundò argumentor: Nam eo ſenſu ego dicam, etiam illam qualitatem habere eiuſmodi naturalem exigentiam (quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia concipi;) quia verò ipſius ſubſtantia non petit eſſe niſi in vno loco, hoc vel illo, ideò non poni in omnibus; profectò ſi per has conditionales, *Quantum non repugnat ſubſtantiæ*, velimus res declarare, aliquis poſſet dicere, brutum habere exigentiam ratiocinationis quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia, & hominem habere exigentiam volandi quantum poteſt ſalua eius ſubſtantia, & ſic cuilibet rei dater
mus eo modo exigentias omnium aliarum, & omnia planè hoc modo miſceremus. Conſtet ergo hunc Auctorem, qui nequaquam vult admittere vnionem Chriſti ad ſpecies, vix poſſe admittere eam qualitatem intrinſecam exigentem intimam præſentiam Chriſti ſecum, & cum ſpeciebus.

Aliter impugnatur ratio Cardinalis Lugo.

Tertiò circa eam qualitatem cenſeo, non eſſe 40
vllo

Digitized by Google

Qualitas, quam aſſignat Cardinalis Lugo, non eſt neceſſaria.

vllo modo neceſſariam ad explicandum hoc myſterium; Primò, quia non eſt neceſſum dicere, Chriſtum moueri phyſicè ab ipſis ſpeciebus: ſufficit enim, ſi Deus ad motum ſpecierum illum moueat; quòd verò dicebatur, fore hinc vt Sacerdos mouens ſpecies non poſſit dici mouere Chriſtum, non vrget: facilè enim negatur ſequela. Vti enim vt Sacerdos dicatur ponere Chriſtum ſub ſpeciebus, non eſt neceſſum ipſum concurrere efficienter phyſicè ad eam exiſtentiam Chriſti, ne quidem mediatè; ſed ſufficit, quòd homo ponat phyſicè verba, ad quæ Deus ponit ibi Chriſtum; ita vt dicatur idem Sacerdos mouere localiter Chriſtum, ſufficit, quòd ipſe moueat phyſicè ſpecies; ad quarum motum Deus producat motum Chriſti vi ſui decreti generalis. Neque adducetur vllus locus Patrum, nullave ratio ad probandum, cum maiori rigore phyſico hominem mouentem ſpecies mouere Chriſtum, quàm Sacerdos conſecrans ponat Chriſtum ſub ſpeciebus; ergo non eſt neceſſum dicere, ſpecies mouere phyſicè Chriſtum. Habet autem hæc ratio maximè locum in ſententia negante quantitatem diſtinctam, quam ego vt probabiliorem defendi: in ea enim nec quidem naturaliter mouetur ſubſtantia ad motum accidentium, ſed è contrario, quia nos mouemus corpora ratione impenetrabilitatis: ea autem impenetrabilitas in mea ſententia eſt ipſa materia: neque enim ego ſapori, colori, calori imprimo impulſum, ſed corpori; quòd ſi naturaliter ſpecies non mouent ſubſtantiam, cur debeo ſpeciebus Sacramentalibus tribuere virtutem phyſicam qua moueant immediatè Chriſtum? ergo ex hoc capite non eſt neceſſum vllam ponere qualitatem ſupernaturalem.

Vt dicatur Sacerdos mouere Chriſtũ, ſufficit, ſi moueat phyſicè ſpecies.

41 Quartò tamen adhuc dico; Etiamſi ſpecies haberent omnem vim mouendi Chriſtum, eam tamen qualitatem non fore ponendam, quia connaturalius eſt ſine vlla qualitate immediatè concurrere ſpecies ad illum motum in corpore Chriſti, quàm per qualitatem eam ſuperadditam: licet enim ad operationes, intelligendi & amandi dicamus compleri intellectum per habitum ſupernaturalem, non ideò admittere debemus ſimile complementum in ordine ad omnes alias actiones ſupernaturales: diſparitas verò aſſignari poteſt ratione operationum vitalium & immanentium; quales ſunt actus intellectus & voluntatis, qui requirunt connaturale intrinſecum complementum influens in illas, in ordine autem ad operationem extrinſecam, qualis eſſet reſpectu ſpecierum motus Chriſti, non eſt cur complementum intrinſecum ponamus: vti etiamſi concedamus cum Thomiſtis Sacramenta cauſare phyſicè gratiam, non tamen proptereà ponimus in aqua v. g. vllam qualitatem intrinſecam, qua concurrat ad eam gratiam in Baptiſmo; & ſic de cæteris Sacramentis. Idem ergo erit in noſtro caſu, maximè cùm per naturales vbicationes quoad ſubſtantiam id poſſimus ſaluare vt dixi ſuprà. Vrgeo id adhuc clariùs, ſi dicamus ipſum hominem mouentem ſpecies influere immediatè in vbicationes ipſas Chriſti, quo caſu multò adhuc meliùs oſtenderemus quomodo Sacerdos moueat Chriſtum; homo ergo habet naturalem vim producendi vbicationes naturales in corpus Chriſti; vti mouere illud potuit quando in via extitit: illa ergo virtute naturali vtitur Deus de facto, vt moueat tum ſpecies tum ipſum Chriſtum, cùm ibi non ſit miraculum niſi quoad modum; neque obſtat, quòd Chriſtus non grauitet, quia Deus poteſt impedire eam grauitatem, aut ita concurrere cum homine mouente illas ſpecies, vt hic non aduertat eam grauitatem; & verò ſi aliquod miraculum in eo motu locali Chriſti ſub ſpeciebus admittendum eſt (vti reuerà debet admitti) mihi maximè facilè videtur hoc quod dixi, quia illud ſolum eſt quoad modũ ipſum, non quoad rẽ.

Connaturalius mouetur Chriſtus ſine vlla qualitate ſuperaddita ſpeciebus.

Dices: Ergo homo poteſt immediatè agere in Chriſtum Dominum. Reſpondeo, Poteſt aliud agere à motu, nego; motum localem, concedo: in hoc autem nullum eſt abſurdum; quia non eſt maius abſurdum in eo quòd agat immediatè illum motum, quàm ſi mediatè. Aliunde autem ſi dicamus Chriſtum trahere ſecum in motu ſpecies, multò magis conformiter diſcurremus ad ea quæ in aliis ſubſtantiis dicimus: neque enim odor pomi aut color trahit ſubſtantiam pomi localiter, ſed è contrario ſubſtantia trahit ſecum accidentia: cum enim accidentia dependeant à ſubſtantia vt à cauſa conſeruante, ſine qua exiſtere non poſſunt, neceſſum omnino eſt vt ſubſtantia mota ſecum trahat illa accidentia: id quod meo iudicio clarè poteſt inde oſtendi, nam ſi Deus molem corpoream pomi v. g. (diximus enim paulò antè quantitatem non diſtingui à materia) conſeruaret ſine colore, odore, ſapore, ſine dubio eodem modo poſſem pomum illud manu apprehendere, & per impulſum pellere è loco, &c. ac poſſum quando habet ea accidentia, imò eſto quantitas ſit diſtincta, & eſto ea ſit requiſita ad hoc, vt quando ego impello Petrum mea manus non penetret ipſum Petrum, & ne tranſeat vlteriùs, relicto Petro in ſuo loco, iudico tamen multò magis philoſophicè nos diſcurſuros dicendo eum impulſum imprimi immediatè in corpus quam in quantitatem, quia connaturalius eſt quantitatem moueri ad motũ ſubſtantiæ quàm è contrario: vti enim motus naturalis hominis v. g. incipit à corpore, hoc autem trahit quantitatem, quis enim dicat, quando ſe homo mouet, priùs natura moueri quãtitatem, & ab hac tam corpus quàm animam moueri, & nõ dicet priùs moueri vel animam, vel certè corpus (de quo iam non diſputo) accidentia verò illa omnia trahi cum corpore? Vti dum mouetur equus, non priùs mouentur res quas vehit, ſed ipſe priùs, & deinde omnia alia quæ ſupra ſe vehit. 42

Poteſt homo immediatè agere in Chriſtum motum localem, aliud nõ.

Impulſus immediatè fit in corpus, non in quantitatem.

Priùs natura mouetur ſubſtantia quam accidẽtia.

Obiectionem quamdam, deſumptam ex eo quòd per tactum non percipiamus ſubſtantiam, ſed ſola accidentia, calorem, frigus, &c. qua maximè vtitur hic Auctor, ſoluam infrà, oſtendens illam totam fundari in æquiuoca huius vocis *tactus* acceptione. Primo enim modo vſurpatur pro ſenſatione materiali, quæ propria eſt animalis, hanc autem libenter admittimus ſolùm eſſe circa accidentia: hæc verò inutilis eſt ad motum localem de quo nunc agimus. Secundo ergo modo accipitur tactus pro impulſu locali, vti cùm tangit me lapis, vel ventus, & ſuo impulſu me mouet è loco. In hoc ſenſu dicimus tactum fieri immediatè in ſubſtantiam, non in albedinem, aut frigus, quia ſubſtantia trahit ſecum omnia ea accidentia; non è contrario albedo manus trahit manum; ergo accidentia ſequuntur motum ſubſtantiæ, non è contrario. 43

Quòd ſi ſemel dicamus in hoc motu naturali

priùs

prius moueri ſubſtantiam, certè connaturalius eſt idem dicere in motu violento, ſeu in illo qui fit ab agente extrinſeco, cùm æquè facilè poſſit hic explicari quàm ille: ex quibus concludo, minùs benè defatigari in præſenti aliquos vt oſtendant, quo pacto accidentia trahunt ſubſtantiam.

Gratis volunt oſtendere alio ſubſtantiam ab accidentibus trahi.

Dices: Eſto hæc omnia concedantur, cùm tamen Chriſtus non ſit vnitus accidentibus, non poteſt explicari, quo pacto ex motu eius moueantur accidentia. Reſpondeo, Deum ſua voluntate ea alligaſſe Chriſto, vti ex contrario alij dicunt Chriſtum alligatum eſſe accidentibus, mihi ſanè videtur honorificientius, quòd Chriſtus trahat ſecum accidentia, quàm è contrario hæc trahant Chriſtum. Aliqua etiam alia fortè poſſent obiici in præſenti contra eam qualitatem ſupernaturalem, quæ omitto, nam ſufficienter oſtendimus hucuſque illam difficulter hîc & nunc concipi, & neceſſariam non eſſe pro explicanda continentia Chriſti ſub ſpeciebus.

Decentius eſt vt Chriſtus trahat accidentia, quàm vt ab illis trahatur.

SECTIO VIII.

Quæ denominationes Chriſto conueniant in hoc Sacramento?

44 QVÆSTIO hæc ſolùm eſt de modo loquendi: videatur Suarez diſput. 48. & Vaſquez diſp. 193. cap. 2. Nos breuiter dicimus Primò, omnes denominationes denotantes ordinem ad locum, v.g. moueri, quieſcere, propriiſſimè dici de Chriſto, non ſolùm quia ſpecies mouentur, ſed quia ipſe in ſe accipit motum & vbicationes, nec tamen ideò dici poteſt ſtare aut ſedere, quia ad hoc deberet habere partes extra partes, nec etiam poteſt dici frangi propriè, quia hoc denotat vnam partem Chriſti ab altera ſeparari: id quod ei nullo modo conuenit: per denominationem tamen ſolet aliquando, rariſſimè tamen, hoc prædicatum ei tribui. Solet etiam illi tribui commixtio, vt in Canone Miſſæ dicitur, *Hæc commixtio corporis & ſanguinis,* &c. quod prædicatum, ſi tantùm denotet ſanguinem ſimul cum corpore in calice poni ſine vlla corruptione, propriè conuenit Chriſto, quia reducitur hoc prædicatum ad præſentiam localem: ſi autem denotet corruptionem aliquam vel reſultantiam alicuius tertij mixti diſtincti, tunc nec ratione ſui nec ratione ſpecierum illi conuenit, quia nec ſpecies nec Chriſtus corrumpuntur, aut conſtituunt nouum tertium aliquod quamdiu Chriſtus eſt in ipſis. Comedi autem poteſt dici in aliquo ſenſu propriè, quatenus ſolum denotat, quòd per os in ſtomachum traiiciatur: id quod reducitur ad motum localem: ſi autem comedi vſurpetur pro compreſſione partium facta inter dentes, & pro diuiſione illarum inter ſe, non conuenit Chriſto propriè, quia dentes nullam ipſius partem aut comprimunt, aut diuidunt.

Chriſtus in Euchariſtia propriè mouetur & quieſcit; non verò ſedere, ſtare, frangi, dici poteſt:

Quomodo poſſit dici, commiſceri,

Comedi,

Dicimus Secundò, ea prædicata quæ ſunt propria ſpecierum, v.g. videri, tangi, illuminari, eſſe rotundum, quadratum, &c. propriè non tribui Chriſto Domino: cùm enim non habeat vnionem cum illis accidentibus, non poteſt ab illis ſimiles denominationes accipere; aliquæ tamen ſolent illi attribui per metaphoram, ſcilicet videri, tangi, ſentiri, aliæ verò etiamſi eodem modo poſſent tribui de facto, tamen non tribuuntur v. g. frigeſieri, calefieri. Diſparitas alia quærenda non eſt, quàm quòd cùm omnes hæc locutiones ſint impropriæ & metaphoricæ, aliquæ ſunt in vſu ex puro puto hominum placito, aliæ verò non, illas ergo, quæ à Patribus aliquando vſurpatæ ſunt, poſſumus vſurpare, non autem illas in quibus videtur erroris periculum; quale eſſet, ſi diceretur Chriſtum ibi calefieri, denotaret enim hoc illum eſſe paſſibilem: quod benè obſeruauit Pater Suarius ſuprà.

Videri, tangi, ſentiri non verò frigeſieri, aut calefieri.

Vaſquez verò diſput. 193. cap. 2. voluit regulam generalem aſſignare, qua id dignoſceremus, non contentus ad modum loquendi Patrum id reuocare, ait ergo omnia prædicata, quæ ſunt in ordine ad ſenſus externos, tribui Chriſto Domino per figuram, alia verò, quæ non ſunt in ordine ad eos ſenſus, non tribui. Ratio ipſius eſt, quia etiam dicimur videre parietem, licet non videamus albedinem, ergo & poterit Chriſtus dici videri, licet non videatur niſi albedo. Hæc regula omnino falſa eſt; Primò, quia iuxta illam poſſet dici quòd olfaciamus Chriſtum, quia olfacimus ſpecies vini, item, quòd audiamus: Chriſtum, quia ſpecierum fractionem audimus: quæ tamen locutiones fortè magis impropriæ ſunt, quàm Chriſtum frigeſieri, &c. & non magis receptæ; ergo non eſt vniuerſim verum, omnia prædicata in ordine ad ſenſus poſſe Chriſto tribui propter ſpecies. Quòd autem ibi Vaſquez & alij cum ipſo docent, Si videamus currum, in quo Rex vehitur, dici nos vidiſſe Regem, puto omnino eſſe contra omnium hominum ordinarium modum loquendi. Deinde, ſi ratio ipſius deſumpta ex pariete viſo aliquid valet, etiam poſſet dici Chriſtus frigeſieri, quia etiam in ſententia docente calorem v.g. non recipi niſi in quantitate, dicitur tamen homo ipſe calefactus à calore, cùm tamen immediatè calefactus non ſit. Et eiuſmodi exempla afferri poſſent multa, fruſtrà ergo hîc regula aliqua quæritur: cùm enim res pendeat, vt dixi ex modo loquendi, determinanda ſolùm eſt ex vſu & acceptione, iuxta paulò antè dicta. 45

Regula, quam aſſignat Vaſquez in denominationibus Chriſto tribuendis falſa eſt:

Neque ſimilitudines eam confirmant.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVARTA.

Præuia ad conuerſionem. De natura conuerſionis vt ſic.

1 DE hoc puncto egi ex propoſito Tomo Philoſophico diſput. 1. de Generatione. Verùm quia aliqua ex his, quæ ibi dicta à me fuerunt, video ab aliis impugnata, & quia pro explicatione conuerſionis Euchariſticæ neceſſaria omnino eſt quæſtio hæc, breuiſſimè hîc inſinuabo quæ ibi fuſius deduxi, addam autem quæ ratione obiectionum nouarum neceſſaria ſunt, vt in hac materia nihil amplius deſideretur. Aduerto autem duas quæſtiones in præſenti diſcuti, vnam, quid ſit conuerſio, alteram,

Duplex quæſtio, quid conuerſio, quid

illa in Sacramento Euchariſtia. tam, quid re ipſa in Sacramento altaris fiat circa corpus & ſanguinem Chriſti, & circa ſubſtantiam panis eiuſque accidentia. Prima quæſtio eſt de ſola voce, ſecunda de re; quæ tamen magna ex parte ex illa de voce decidenda eſt; ideò de illa priori diligenter agendum in hac diſputatione.

SECTIO I.

Præmittitur, quid ſit conuerſio vt ſic.

2 *Non omnis generatio eſt conuerſio.* CONVERSIO *dicitur tranſitus vnius rei in aliam.* E quo Primò infertur, non omnem generationem eſſe conuerſionem, quia non omnis eſt tranſitus vnius in aliud: quando enim aër recipit lucem, quia nihil amittit vt eam recipiat, & conſequenter non eſt tranſitus vnius in aliud, nulla eſt conuerſio. Dici quidem poteſt tenebroſum tranſire in lucidum; quia tamen tenebroſum vt tale nihil eſt, non dicitur propriè vnum in aliud. Requiruntur ergo ad conuerſionem duæ mutationes: vna priuatiua, qua corrumpatur aliquid præexiſtens; alia poſitiua, qua aliquid de nouo ponatur; vt quando album conuertitur in nigrum datur deſtructio albedinis, & poſitio nigredinis. *Ad conuerſionem neceſſaria duplex mutatio priuatiua & poſitiua.*

Requiritur prætereà aliquid tertium commune permanens ſub vtroque termino, tam ſub deſtructo quàm ſub producto, ratione cuius detur illa denominatio conuerſi: ſi enim nihil manet commune, nil eſt quod dicatur conuerſum: & hoc patet in omnibus conuerſionibus quæ in rerum natura dantur, vbi manet ſubiectum commune formæ productæ & corruptæ. Hinc fit vlteriùs debere dari repugnantiam aliquam inter terminum deſtructum & productum, ratione cuius vnus expellat alterum; nam ſi productio vnius ſe habeat accidentaliter cum deſtructione alterius, non erit conuerſio; v.g. ſi quando deſtruitur lapis, produceretur Angelus, non ideò lapis diceretur in Angelum conuerſus. *Aliquid commune ſub termino deſtructo & producto permanens.*

3 *Nouum concretum ex termino ſuccedente & ex permanente.* Ex his vlteriùs requiritur concretum illud, quod conſtituebatur ex termino conuerſo, & ex tertio quod perſeuerat, deſtrui, & è contrario nouum aliquod concretum produci ex termino ſuccedente, & ex permanente: hi autem duo vocantur termini totales, à quo & ad quem. Vt lignum conuertatur in ignem neceſſarium eſt, vt eſſet vnio formæ ligni cum materia, vt iam ampliùs non ſit lignum; è contrario etiam neceſſum eſt, vt producatur de nouo minimùm vnio formæ ignis cum materia, vt de nouo ſit ignis. Hæc certa ſunt apud omnes. Hoc verò dubium, Vtrùm non ſolùm requiratur deſtructio illius compoſiti, ſeu concreti, quod dicitur terminus totalis; ſed etiam requiratur, vt deſtruatur ipſa forma ligni, vt ipſa poſſit dici conuerſa in formam ignis. Reſpondeo, Requiri: & in hoc ferè omnes conueniunt. Probatur autem communi modo loquendi: neque enim anima rationalis dicitur conuerſa in cadauericam formam; licet hæc ſuccedat loco illius in eadem materia. Cuius locutionis non poteſt eſſe alia ratio, niſi quia anima rationalis abſolutè non corrumpitur; dicitur tamen homo conuerſus in cadauer, quia homo verè deſtruitur. Pari ratione quando ſub eadem anima rationali vna pars materiæ primæ ſuccedita loco alterius (vt contingit in nutritione & diminutione hominis) non dicitur vna materia conuerſa in alteram, v.g. materia excrementi conuerſa in materiam hominis: cuius ratio eſt, quia non corrumpitur illa materia, requiritur ergo deſitio illius termini, qui propriè & formaliter dicitur conuerſus. *Requiritur etiam deſtructio formæ prioris, & productio nouæ.*

Dixi prætereà eo loco requiri è contrario productionem termini formalis ad quem: id quod videtur eſſe iuxta cõmuniorem modum loquendi: nam ob eam rationem omnes ferè Thomiſtæ iudicant in Euchariſtia reproduci Chriſtum Dominum, quia cenſent non poſſe aliter ſaluari rationem conuerſionis Euchariſticæ ob eamdem rationem, eſto de ipſis formis ſæpè dicamus, eas conuerti in alias ſibi ſuccedentes, ideoque dicamus, Forma alimenti conuertitur in formam equi, (quidquid hoc vnus aut alter neget,) nunquam tamen dicimus, in homine cibum conuerti in animam rationalem: cuius non eſt alia ratio, niſi quia anima rationalis, quæ tunc ſuccedit in ea materia, non producitur. Id ipſum inde etiam probatur, quia (vt dicemus ſtatim reſpondendo obiectionibus contrariis) terminus à quo confunditur cum termino cedente, & terminus ad quem, ſeu in quem conuerſio fit, vocatur ſuccedens: atqui nulla penitus ratio poteſt excogitari, ob quam aliquid non poſſit dici cedens, niſi corrumpatur, & tamen poſſit dici ſuccedens, eſto non producatur: ergo debemus eodem modo de vtroque diſcurrere. Denique ratione quaſi à priori, nam vox hæc *conuerſio* inuenta eſt à Philoſophis ante vllam notitiam myſterij Euchariſtici: (de quo nunc diſputamus.) In omnibus autem eis conuerſionibus, nulla penitus excepta, non minùs datur productio termini formalis ad quem, quàm detur deſitio termini à quo: quo ergo fundamento, quæſo, dicere poſſumus requiri deſitionem termini à quo, non tamen requiri productionem termini ad quem? aut cur, quæſo, mihi eodem iure non licebit è contrario dicere, requiri productionem termini ad quem, non tamen deſitionem termini à quo? ergo melius longè loquemur, ſi dixerimus vtrumque requiri, vel certè neutrum: quando enim in omnibus rebus per vocem aliquam ſignificatis reperiuntur duo aliqua prædicata, non licet mihi dicere, vnum ex ex illis præcisè ſignificari per illam vocem, non alterum; ſed debebo æqualiter de vtroque diſcurrere. 4 *Sententia Thomiſtarum Chriſtum in Euchariſtia reproduci. Vox conuerſio vſurpata à Philoſophis ante myſterium Euchariſticum.*

SECTIO II.

Dum reſpondetur aliquibus obiectionibus, roboratur magis doctrina præcedentis ſectionis.

CARDINALIS Lugo diſput. 7. de Sacramentis ſect. 9. poſt impugnatum Patrem Hurtadum à numero 147. vſque ad 171. fusè impugnat ea quæ paulò antè eo Tomo Philoſophico ego ſuppoſui; & Primò quidem, quia dixi communiorem eſſe modum noſtrum loquendi, idque ab ipſomet Lugo agnoſci, dum ait eum eſſe ſatis plauſibilem: miratur, vbi ego inuenerim eam maiorem communitatem; deinde ait, ideò ſe dixiſſe noſtram ſententiam eſſe ſatis plauſibilem, quia noua eſt, iuxta illud: 5 *Cardinalis Lugo miratur & impugnat noſtram doctrinam Philoſophicam.*

Eſt quoque cunctarum nouitas grauiſſima rerum.

Diuum Thomam, quem adduxi ex quæſt. 2. art. 1. vbi ait, *In Deum nihil poſſe conuerti,* *quia* *D. Thomam aſſerentem nil*

in Deum conuerti, quia eſt incorruptibilis, aliter explicat.

quia eſt incorruptibilis & ingenerabilis, explicat de conuerſione in Deum per mixtionem; ſicut vnum elementum conuertitur in aliud; & hoc ait benè probari ex eo quòd Deus ſit ingenerabilis, quia oporteret ad talem conuerſionem introduci in materiam naturæ humanæ materiam Diuinæ: quod argumentum nihil probat de tranſſubſtantiatione, vt ibi explicat Caietanus. Ait autem noſtram ſententiam adeò eſſe nouam, vt Vaſquez probet diſput. 181. ſolum Gabrielem eſſe pro illa; & Valentia eam dicat eſſe ineptam quorumdam Recentiorum opinionem, & contra communem ſenſum omnium Theologorum & Auctorum qui contra hæreticos ſcripſerunt.

6

Eius explicatio refutatur.

Circa quæ Dico breuiſſimè Primò, explicationem pro Diuo Thoma nullam omnino eſſe; nam Sanctus Doctor agit ibi de conuerſione, qualis eſt elementi in mixtum, hæc autem conuerſio fit per ſucceſſionem formæ mixti in locum formæ elementi (etiam ipſo Caietano teſte ad eum locum;) quia elementa non manent formaliter in mixto; ergo ſi ad hoc, vt forma aliqua ſit id, in quod aliud conuertitur, non debet ipſa generari aut produci, ſed ſufficit, ſi ſuccedat in munus præcedentis, profectò etiamſi forma mixti non eſſet generabilis, nec producibilis, poſſet in eam conuerti elementi forma; ac proinde ineptè dixiſſet D. Thomas, in Deum nihil poſſe conuerti, quia non eſt generabilis nec producibilis: quod verò Caietanus aliter Diuum Thomam explicet, non multum curo, quia ille non habuit clauem mentis Diui Thomæ. Loca autem duo, quæ hi Auctores poſt aliquot alios aſſerunt ad probandum, Sanctum Doctorem negaſſe productionem corporis Chriſti, diſcutio infrà, oſtendens, nec quidem apparenter Sanctum Doctorem eſſe pro eorum intento, imo potius pro noſtro. Iam nunc addo hanc nouam efficacem confirmationem circa mentem Diui Thomæ, quia non ſolum ille negauit quidquam poſſe conuerti in naturam Diuinam, ſed abſolutè in Deum: vbi etiam haud dubiè incluſit perſonalitatem Diuinam. Ratio enim generalis *Quod Deus non ſit generabilis, vel corruptibilis, vel etiam producibilis*, includit omnino ipſas etiam perſonalitates Diuinas: & quidem quoad incorruptibilitatem res eſt certa; quoad productionem verò etſi duæ producantur, ea tamen productio eſt æterna, non quæ poſſit incipere in conuerſione creaturæ ad illam; tum quia ſaltem prima perſonalitas, nempe Paternitas, eſt improducibilis: & difficultas quam iam tangam eodem modo habet in illa locum. Hoc ergo ſuppoſito argumentor ſic iuxta hos Auctores;

Caietanus explicans D. Thomam ſimiliter reijcitur.

7

Argumentum contra prædictas explicationes, & earum Auctores.

Certiſſimum eſt non minus poſſe perſonam humanam, ſeu hominem, in Deum, ſeu perſonalitatem humanam conuerti in Diuinam, quam de facto in Chriſtum conuertatur panis; nam ſi prius tempore fuiſſet natura humana ſub perſonalitate propria, & in ſequenti inſtanti loco propriæ ſucceſſiſſet perſonalitas Patris, aut Filij, fuiſſet illa creata perſonalitas conuerſa phyſicè in Diuinam cum omni omnino rigore quo hi loquuntur in Euchariſtia, imo cum longè maiori; quia Chriſtus non exercet reſpectu accidentium proprium & rigoroſum munus ſubſtantiæ: hoc enim dicit & materialiter illa ſuſtentare, & eis vniri: id quod Chriſtus non facit. At perſonalitas Diuina exerceret in omni rigore circa humanitatem officium perſonalitatis creatæ, quia & illi vniretur ſubſtantialiter; & eam perficeret ſeu compleret in genere perſonæ. Quis autem vſus eſt eo modo loquendi, vt dicat poſſe conuerti aliquam creaturam in Diuinam perſonalitatem? Et licet fortè hi Auctores preſſi hac clara inſtantia debeant id admittere, ſaltem hoc manifeſtè obtineo, à Diuo Thoma id eſſe negatum, ac proinde eum eſſe pro noſtra ſententia; non enim credendus eſt ſibi contradixiſſe.

Potius fauet noſtra doctrina D. Thomas.

Fortaſſe quis diceret Diuum Thomam negare, poſſe humanitatem prius exiſtentem aſſumi à Verbo, ac proinde negare caſum noſtri argumenti. Reſpondeo Primò, Diuum Thomam abſolutè non negare id eſſe poſſibile diuinitus: de quo egi fusè Tomo 5. diſputans de ſubſiſtentia: ſolum enim dicit, quod non eſſet conueniens Deum, dum aſſumeret naturam, deſtruere aliquid ſubſtantiale in illa præexiſtens. Secundo reſpondeo, Eſto id neget Diuus Thomas ea ratione, quod Deus non debet deſtruere perſonalitatem præcedentem, nequaquam tamen id negare ex eo quod non poſſet conuerti in Deum, aut ex eo quod Deus eſſet ingenerabilis, & improducibilis, &c. de quo ſolo puncto nunc agimus. Et circa Diuum Thomam ſatis.

Dico Secundò, Me merito dixiſſe, noſtram ſententiam eſſe valdè communem, quia reuera nunquam auditur in Scholis, formam cibi in homine conuerti in animam rationalem; ſed potius ſemper iudicatur ea propoſitio falſa; cuius rei alia ratio reddi non poteſt, quam quod anima rationalis non ſit producibilis per nutritionem; in alijs verò viuentibus, vbi pars animæ producitur, admitti ſolet ſimilis locutio. Quod vero hi dicant, ſe ſolum à nouitate vocaſſe plauſibilem ſententiam Suarez, communiſſimam inter Auctores modernos, non diſcutio, quia quæſtio eſt de interiori motiuo, quod habuere dum dictarunt hanc materiam. Vix tamen inducor, vt de eorum prudentia præſumam, nouitates qua tales vocari ab ipſis plauſibiles: ea enim ratione etiam hæreſes dicere plauſibiles debuiſſent: in hoc tamen nihil eſt poſitum: vſurpaui verba ipſorum in ſenſu communi; reſtrictionem vero hanc mentalem illorum præuidere ego non potui, quia neque ex ſcriptis vllo modo colligebatur. 8

Inſuper ſententia noſtra eſt communis in Scholis contra Lugo.

De cenſura Patris Valentiæ non ſum valdè ſolicitus, quia multa in hoc puncto dicit ibi Valentia, quæ indigent lima, & (vt ſupra oſtendimus) clariſſimè huic noſtræ ſententiæ Diuus Thomas ſuffragatur: vnde ſine vlla probabilitate dixit Valentia hanc ſententiam eſſe inuentum Recentiorum, ſaltem in Gabriele debuiſſet agnouiſſe eam doctrinam. Non item eam cenſuram curo, quia vti Cardinalis Lugo ſententiam de immediato tranſitu aquæ in ſanguinem dixit maximè eſſe iuxta antiquos Patres, cum tamen Pater Vaſquez, quem iam contra Suarez & me adducit, alioquin in Patribus benè verſatus, dicat diſput. 78. cap. 2. illam eſſe à Recentioribus excogitatam de nouo, & Pater Tannerus de eadem opinione dixerit diſput. 5. quæſt. 2. dub. 4. *Mirum & miriſſimum eſſe, eam dici communem Patrum, cum tamen nullus eam expreſſe tradiderit, & clariſſimam omnia teſtimonia quæ adducuntur habeant explicationem*: vti inquam potuit Cardinalis, non obſtantibus his tam grauibus in contrarium cenſuris, dicere communiſſimam eſſe illam ſententiam de tranſitu immediato aquæ in ſanguinem, à fortiori longè

Cenſura Valentia contra noſtram doctrinam non habet pondus.

Digitized by Google

longè id potui ego dicere de hac noſtra ſententia,quia (vt paulò antè oſtendi) eam defendunt omnes Thomiſtæ iam communiter ; & reuerà nemo dixit formam alimenti conuerti in animam rationalem:ſed quidquid de hoc ſit,veniamus ad rem.

9 *Impugnatio noſtri argumenti.*

Secundò ait non eſſe hoc bonum meum argumentum à termino totali,qui iuxta omnium ſententiam debet incipere ad terminum formalem,vt dicimus etiam hunc debere incipere:differentiam dicit eſſe claram ; nam ad conuerſionem debet eſſe ſucceſſio ; non poteſt autem eſſe ſucceſſio , niſi terminus formalis exercere incipiat munus,quod terminus conuerſus exercebat; hoc autem eſt produci terminum ad quem totalem. Confirmat id;nam vt terminus totalis ſuccedat, non ſufficit, quòd terminet nouam actionem, ſed requiritur, quòd incipiat formaliter; nam ſi ſubiectum antea eſſet frigidum ſimul & calidum , licet poſteà deſtrueretur frigus, non diceretur conuerti in calidum, quantumuis calor inciperet conſeruari noua actione. Item ſi aliquis eſſet ſimul Canonicus & Abbas,& deſineret eſſet Canonicus , non diceretur mutatus in Abbatem, etiamſi nouo titulo Abbatiam inciperet poſſidere. Verùm neque hoc argumentum me vllo modo vrget ; & quidem inſtantiæ non ſunt ad rem, quia eis caſibus ea deſitio Canonicatus non eſſet facta ex vi Abbatiæ , prout ad conuerſionem requiritur:& idem dico de frigore in eo caſu;quòd ſi tamen ponas eum caſum , in quo ob repugnantiam facta ſit ea corruptio frigoris,& depoſitio Canonicatus , tunc ſi noua eſſet actio productiua caloris, quæ quodammodò eſſet connexa cum ea deſitione frigoris (& idem dico ſuo modo de Abbatia) admitto omnino futuram ibi conuerſionem. Imò hunc ego retorqueo eam inſtantiam ad probandum , ſuccedere in munus præcedentis eſſe productionem termini totalis ad quem: nam ille,quia iam erat Abbas,eſto non exercuiſſet illud officium, non propterea dici poteſt factus Abbas,nec mutatus in Abbatem,etiamſi incipiat iam exercere munus Abbatis,quod anteà non exercebat;ergo produci terminum ad quem totalem plus eſt quàm terminum formalem ſuccedere in munus præcedentis. Vrgeo id efficaciter ; Si Canonicus tranſeat in Abbatem relicto Canonicatu, veriſſimè dicitur conuerſus Canonicus in Abbatem non ex illa ſucceſſione Abbatiæ in munia præcedentis(vt ex terminis conſtat,) nam munia Abbatis non ſunt munia Canonici,ergo nō ob ſucceſſionem muniorum,ſed ob productionem Abbatiæ, quæ eſt terminus formalis , ratione cuius etiam totus ille homo habet denominationem mutati;quo oſtenditur eam diſparitatem inter terminum formalem & totalem non eſſe bonam. Vrgeo id clariſſimè,iuxta probabiliorem enim ſententiam vnio diſtinguitur à cauſalitate materiali: & licet fortè ea ſententia negetur ab his Auctoribus,ſaltem pro præſenti quæſtione omnino eſt permittenda ; demus ergo diuinitus quantitatem cum accidentibus panis eſſe vnitam pani , non tamen ab ea materialiter cauſatam, ſed ſolùm per vnionem informatiuam eſſe receptam , vti anima rationalis eſt vnita materiæ:demus eadem accidentia mediante quantitate diuinitus eſſe etiam vnita ligno , profectò etiamſi forma ligni periret,non poſſet tunc dici conuerſa in formam panis,quæ iam anteà erat, eſto illi pani adderetur tunc cauſalitas in ea accidentia , ac proinde etiamſi ſuccederet in munere ſubſtantiæ. Denique clarius id ipſum oſtendo,nam in rigore cùm hic Auctor dicat accidentia materialia recipi in quantitate , & hæc ſolùm cauſetur materialiter à materia , non à forma , profectò dum forma ignis ſuccedit formæ ligni , non ſuccedit in vllo officio ſubſtantiæ, quia non ſuccedit in ea cauſalitate,ergo ea ſucceſſio termini totalis non debet explicari per ſucceſſionem in munere præcedentis , ſed quòd reuerà ſuccedat ſubſtantia ſubſtantiæ ſecundùm ſuum eſſe phyſicum, Vnde tandem concluditur , Sicut requiritur productio termini totalis,vt totum dicatur conuerti in totum , ita etiam requiri productionem termini formalis , vt alter terminus formalis dicatur in eum conuerſus.

Retorquetur in Auctorem.

Maximè in ſententia diſtinguente vnionem à cauſalitate materiali.

10 *Idem Cardinalis Lugo noſtram argumentandi rationem impugnat.*

Tertiò dicit malè me argumentari dum dico; *Vt aliquis dicatur ſuccedere , non requiritur, quòd incipiat ſecundùm ſuum eſſe , ſed ſufficit ſi in munere ſuccedat; ergo vt aliter dicatur cedere , non eſt neceſſum , quòd deſinat ſecundùm ſuum eſſe,ſed ſufficit ſi in munere ; quia illa duo ſunt correlatiua cedere & ſuccedere :* hoc argumentum dicit eſſe nullum , quia conuerti eſt deſinere in aliud , deſinere autem eſt perdere ſuum eſſe ſimpliciter;quòd verò in hoc aliud cōuertatur,non eſt hoc incipere eſſe,ſed ſuccedere illi in eo munere quod gerebat, neque id iuuari, eò quòd ſint relatiua , nam Pater & Filius ſunt relatiua,& tamen Filius debet incipere eſſe vt ſit Filius, & Pater non debet , additque,eos terminos non eſſe correlatiuos , quia non omnis cedens eſt conuerſus, ſed ad id debet etiam deſinere ſimpliciter. Ab hac impugnatione facillimè liberabimur,& in primis non peto ego eaſdem conditiones in correlatiuis,ſed vtto ego ipſiſſima huius Auctoris ſimilitudine,& argumentor euidenter meo iudicio: Vt Prorex dicatur ſuccedere Proregi,non eſt neceſſarium incipere ſecundùm ſuum eſſe,ſed in officio Proregis : hæc eſt propoſitio maior illius Auctoris, inde infert , non eſſe neceſſum Chriſtum ſubſtantialiter in Euchariſtia produci. Iam ego ſubſumo aliam euidentiſſimam : *Vt antiquus Prorex dicatur cedere , non eſt neceſſum eum mori , ſed ſufficit,ſi officium deponat :* nunquid hæc propoſitio non eſt euidentiſſima ? Ergo ſi cedens & ſuccedens reſpondent termino conuerſo & termino in quem fit conuerſio(vt hi Auctores loquuntur.) profectò euidentiſſimè ego argumentor, dum ex duabus his præmiſſis,vna Aduerſariorum, altera mea,& communi omnium omnino euidenti infero , Ergo etiam ex parte termini conuerſi non eſt neceſſum , vt ſecundùm ſuum eſſe deſinat, ſed ſolùm in munere,ſicut aliter incipit in munere. Nunquid hoc non eſt eam ſimilitudinem, quam vt Achillem pro ſe adducunt , applicare optimè pro meo intento ? Quòd autem dicant, Deſinere in aliud eſſe deſinere ſecundùm ſe, gratis omnino aſſumitur , quia ego ſemper vrgeo ſufficere , ſi deſinat in munere , in quo dicitur ea conuerſio. Quòd verò addunt,Non omne id quod alteri cedit dici conuerſum , etiam diſplicet:apertè enim conſtat,ſi ſuccedere eſt eſſe terminum in quem,cedere debere eſſe terminum à quo,ac proinde debere dici conuerſum. Conſtet ergo me optimè ex illa phraſi horum Auctorum ſic argumentatum,Succedere eſt eſſe terminum in quem conuerſionis;ergo etiam cedere erit eſſe terminum conuerſum,& vel in vtroque non erit requirenda niſi deſitio & productio

Eius impugnatio refellitur accepta ab ipſomet ſimilitudine.

Vt quid deſinat in aliud , non eſt neceſſe vt deſinat ſecundùm ſe,ſed in munere.

in

Digitized by Google

in ſolo munere; vel requirenda è contrario in vtroque deſitio & productio in ſubſtantia.

SECTIO III.

Aliis nouis argumentis reſpondetur.

An plus requiratur deſitionis in termino à quo, quam productionis in termino ad quem.

11 QVARTò tamen vrgent, quia velimus nolimus, debemus fateri, plus requiri deſitionis in termino à quo, quam productionis in termino ad quem; nam terminus à quo debet omnino perire, terminus ad quem non neceſſario debet omnino incipere, ſed ſufficit, ſi terminet nouam actionem: quod enim reſpondetur, produci eſſe terminum affirmatiuum, corrumpi negatiuum, hoc inquam eſto ſit verum, pro præſenti tamen dicunt nihil facere; quia tota quæſtio eſt, cur res conuerſa debeat omnino perire, res verò in quam conuertitur non debeat omnino incipere. Reſpondeo tamen, Sine vlla petitione principij deſumi differentiam: cum enim ſimus nunc in pura quæſtione de modo loquendi, & dixerimus, Sicut terminus à quo dicitur corrumpi, ita terminum ad quem debere dici productum; rectè vlteriùs ſic ſubſumimus, Vt res dicatur corrupta, requirit ceſſationem omnis actionis, quia τὸ *corrumpi* eſt malignantis naturæ, vtpote terminus negatiuus, ac proinde requirit omnem deſitionem: at quia produci non tam multum requirit; eo enim ipſo quod terminet actionem nouam productiuam, dicitur res verè produci, colligitur optimè, Ergo poterit dici terminus in quem fit conuerſio, eſto ſimpliciter tunc non producatur primò, ſed ſolum quoad nouam actionem.

Corruptis ſpeciebus poteſt dici Chriſtus conuerſus in vermes.

Quia verò ego etiam addidi aliam ſolutionem ſcilicet poſſe dici, ad conuerſionem non requiri abſolutè quod deſinat ſubſtantia, ſed ſufficere ceſſationem actionis ſubſtantialis productiuæ illius; ad obiectionem verò, quæ inde poterat fieri, Ergo quando ſpecies conſecratæ corrumpuntur poteſt dici, *Chriſtus conuertitur in vermes*, quia inquam reſpondi, poſſe hanc ſequelam concedi ſine magno abſurdo, totus eſt hic Auctor vt oſtendat, neutram ex his ſolutionibus poſſe ſubſiſtere: & quidem quod non poſſit dici Chriſtus conuerſus in vermes probat, quia ſi hæc locutio plebem offenderet (vt ego fateor,) ergo in quæſtione de nomine, dum loquor contra plebem, minùs benè loquor: deinde addit, non ſolum plebem, verùm etiam Theologos ſcandalizandos cum D. Thoma quæſt. 77. art. 5. vbi ait indubitatum eſſe apud omnes, ex corpore Chriſti nihil generari, quia eſt in-

12 corruptibilis. Reſpondeo Primò, Non referri in hoc puncto fideliter meam ſententiam, ego enim nequaquam dixi abſolutè *Chriſtum conuerti in vermes*, &c. ſed hæc ſunt mea formalia verba; *Non defuerunt aliqui apud Patrem Suarez qui id admiſerunt* (hoc eſt conuerti Chriſtum in hominem, quando homo nutritur ſpeciebus;) *in quo ego non magnum video abſurdum.* Ecce nec eam ſententiam defendo, nec dico non eſſe abſurdam, ſed non magnum in ea eſſe abſurdum; quomodo ergo tam acris poſteà contra me refutatio, ac ſi abſolutiſſimè eam doctrinam defendiſſem? Et verò, ni velimus ex præconcepta apprehenſione loqui euidentiſſimum eſt non eſſe in ea ſententia magnum abſurdum; fortè nullum: etenim ea opinio purè putè pertinet ad quæſtionem de modo loquendi; ac proinde ex hoc capite non poteſt habere magnum abſurdum. Deinde licet aliquando verbis inordinatè prolatis incurri ſoleat hæreſis, in præſenti tamen nec minimum eſt huius rei periculum explicatis terminis neque ea propoſitio aut ille modus loquendi eſt in vllo Concilio reiectus, aut ab vllo Patre reprobatus, fateor non eſſe vſurpatum; at non ideò eſt reiectus; neque enim Patres tradunt omnes omnino modos loquendi, quibus Scholaſtici ſolent ſe declarare.

Neque ex hoc loquendi modo periculum vllum eſt erroris.

Neque ex eo modo dicendi vllum poteſt oriri periculum vlterioris erroris, quia ſolùm videtur inde ſequi, Chriſtum in cælo perire: at hoc nullo modo ſequitur, quia ille modus loquendi nititur contrario prorſus principio; quod ſcilicet eſto maneat Chriſtus in cœlo, poſſit dici conuerſus, eò quòd ceſſauerit actio vna ſubſtantialis. Et ſanè Caietanus quæſt. 75. artic. 4. ad tertium, Durandi nulla facta mentione, quod Chriſtus in cœlo periret, dicit; Si idem panis, qui fuerat diuinitus, rediret, poſſe id fieri etiam per reconuerſionē Chriſti in panem; & (quod grauius eſt) hoc ipſum videtur docuiſſe D. Thomas quæſt. 77. art. 5. Capreolus autem & Paludanus apud Suarium diſput. 54. ſect. 3. eamdem conuerſionem admittunt, licet non dicant abſolutè, Chriſtus conuertitur, ſed Chriſtus ſecundum eſſe Sacramentale. Denique D. Thomas non dixit contrarium eſſe omnium, ſed *manifeſtum eſt*, &c. Sæpè autem aliqua defenduntur valdè probabiliter contra Diuum Thomam, etiam dicentem *manifeſtum eſt*; multò autem melius poteſt dici, quod in contrario non ſit magnum abſurdum.

Cum Doctores multi ſimiliter loquantur.

Suarez non abhorret ab iſto modo loquendi.

Adde, Patrem Suarium expreſsè eo loco citato docere, Si in conuerſione Euchariſtica eſſet producta aliqua relatio ſubſtantialis, vel modus aliquis ſubſtantialis (qualem dicemus infra poni à Valentia & aliis) eo ipſo quando corruptis ſpeciebus corrumperetur ille modus, rectiſſimè poſſe dici conuerſum eſſe Chriſtum in eam ſubſtantiam tunc ſubintrantem. 13 Vides etiam Suarium eſſe pro eo modo loquendi independenter omnino ab eo, quod in ſeipſo Chriſtus deſinat eſſe? Ex qua doctrina Suarij adiuncta ceſſatione actionis eius ſubſtantialis, quam nos cum illo conceſſimus, dixi me non videre vllum magnum abſurdum in eo modo loquendi. Quis rogo exceſſus fuit in ea mea cenſura.

Neque in ſimilibus loquendi modis timendum eſt ſcandalum, niſi idiotarum.

Quia verò ad probandum non eſſe abſurdam eam propoſitionem inter doctos, eſto plebs ſcandalizari poſſet, attuli eam propoſitionem, *Deus eſt cholera*, *Deus eſt pituita*, addunt, hoc non eſſe ſolidè dictum, quia denominatio partis non tribuitur Verbo; vnde non dicitur, *Deus eſt dens*, &c. Reſpondeo, Me optimè ſcire eas propoſitiones abſolutè non admitti: at ratio, quare non admittantur, non eſt abſurditas illatum, & indignitas ſenſus illarum, ſed aliud principium, ex quo etiam non dicitur, *Verbum eſt anima*: pro meo autem intento ſufficit, & pluſquam ſufficit, quod eſto vſurparetur inter Philoſophos & Theologos modus loquendi, quo pars pro toto poneretur, & tunc ſine vllo timore liceret etiam inter vetulas dicere, *Deus eſt corpus*, *Deus eſt anima*; at etiam tunc ſcandalizarentur illæ, ſi quis diceret, *Deus eſt phlegma*, *Deus eſt pituita*: ergo optimè à me allatæ ſunt illæ propoſitiones ad intentum præſens de ſcandalo idiotarum. Potuiſſem etiam adferre alias, quibus

Digitized by Google

quibus Deo ſicut tribuuntur reliquæ actiones humanæ, ſine dubio in rigore Scholaſtico verè & veriſſimè tribuuntur quæ ad naturæ excrementa pertinent; per quas adhuc multò magis ſcandalizarentur homines: ſufficientiſſimè ergo probatum eſt meum intentum, hoc eſt, multas propoſitiones veriſſimas poſſe proferri inter doctos, quæ vehementer offenderent aures idiotarum.

14 *Alia noſtra ſolutio, Chriſtum non cõuerti, quia nõ manent eadẽ accidentia, impugnatur à Lugo.*

Verùm, quoniam ſecundam addidi ſolutionem, quam abſolutè defendo, ſcilicet non poſſe Chriſtum dici conuerſum, eò quòd non maneant eadem accidentia quæ antè fuerant, nec ea deſitio fiat ex ſpeciali repugnantia panis cum Chriſto, inſurgit; nam licet non maneant omnia, manent tamen aliqua; vt quando vinum conuertitur in acetum, manent omnia accidentia quæ ſunt communia vino & aceto: non enim fit reſolutio vſque ad materiam primam. Item eodem modo ſub forma vel hominis, in quem ſpecies illæ conuertuntur, vel excrementi, manent multa accidentia, quæ fuerant cum Chriſto, excepta vltima diſpoſitione ad formam contrariam: quæ vltima diſpoſitio eſt quid indiuiſibile, vel ferè indiuiſibile; quoad repugnantiam verò ait illam eamdem ſiue generalem ſiue ſpecialem, quæ ſufficit vt eſſet conuerſio panis in Chriſtum, manere & ſufficere vt ſit conuerſiò contraria Chriſti in eam ſubſtantiam: tota enim illa erat ex ſola voluntate Dei volentis ad poſitionem Chriſti deſtruere ſubſtantiam panis; hæc autem eſt deinde ad ſucceſſionem muneris in locum Chriſti Domini.

Ab Ouiedo

His impugnationibus etiam eſt vſus contra me Pater Ouiedo controuerſia de generatione; licet abſolutè alio ex capite (quod ſtatim ego diſcutiam) conetur explicare, cur non dicatur Chriſtus conuerſus in hominem, etiam independenter ab eo quòd ad conuerſionem requiratur corruptio ſeu deſtructio termini ad quem: eis autem reſpondeo Primò, Eam meam ſolutionem fuiſſe etiam Patris Suarez, licet aliquantulò fuſiùs illam ego deduxerim; ac proinde non tam in me quàm in Suario debuiſſet diſplicere.

Impugnationibus reſpondetur ex mẽte Suarez.

Reſpondeo Secundò abſolutè; ad primam de accidentibus remanentibus ſub vino v. g. & aceto, Ea quæ fuerint immediatè antè in vino ei fuiſſe violenta. Vti aquæ bullienti eſt violentus calor, & ligno etiam eſt violentus calor vt ſeptem, ſub quo conſeruatur immediatè antequam tranſeat in ignem; ac proinde non cenſentur duæ illæ formæ fuiſſe ſub iiſdem accidentibus; quia vna fuit violenter ſub illis, & in via corruptionis, & quaſi nomine ſequentis; altera quæ ſequitur eſt connaturaliter: vnde ratione illorum accidentium non dicitur vna forma tranſire in alteram; hoc enim ſolùm dicitur in conuerſionibus naturalibus ratione ſubiecti, quod per ſe eſt commune & connaturale vtrique. Quã doctrinam Pater Suarius ſuprà etiam quantitati ipſi applicuit, dum dixit eam permanentiam quantitatis eſſe accidentariam ibi ad rationem conuerſionis, licet autem in quantitate fortè difficulter id non ſaluet Suarez, quia quantitas per ſe eſt eadem ſub vtraque forma; negata tamen quãtitate in aliis accidentibus res eſt clarior, quia illud aggregatum vt tale, quodque alio communi ſubiecto caret, non eſt idem; quòd autem nouæ diſpoſitiones ſint ſucceſſiuè, & non in inſtanti productæ, omnino eſt per accidens ad conſtituendam propterea conuerſionem.

Ad ſecundum de repugnantia, dico non eſſe eamdem in deſitione ſpecierum panis, quæ fuit in poſitione Chriſti; nam in conſecratione directè Deus voluit vt deſineret panis, quia volebat ibi ſubſtantiam Chriſti ponere: vnde ex directa intentione ea duo fuêre connexa; at in corruptione ſpecierum nequaquam Deus intendit extrudere Chriſtum, vt intret alia forma, ſed Chriſtus exiit, quia Deus non voluit vt ampliùs maneret; ipſo autem exeunte intrat forma noua naturaliter: & hoc eſt quod ait Pater Suarez ea ſectione 5. circa finem, ibi illas duas mutationes non fieri ex aliqua connexione & ſubordinatione, ſed ex voluntate Diuina coniugi partim ad occultandum myſterium Fidei, partim ad ſupplendum naturæ defectum. Id quod poteſt Secundò ſic declarari, vt in conſecratione priùs natura ſit introductio Chriſti quàm expulſio formæ panis; at in deſitione priùs ſit deſitio Chriſti non ex vi formæ nouæ introductæ, ſed vi accidentium nouorum, cum quibus quidem non magis repugnat Chriſtus Dominus quàm cum prioribus: vndè eſto per impoſſibile accidentia illa noua poſſent manere ſine ſubiecto, Chriſtus tamen deſineret ibi eſſe, eò quòd non eſſent accidentia panis, non tamen ſuccederet vlla alia forma; ea autem deſitio tunc ſine dubio non eſſet ex repugnantia vlla Chriſti cum eis accidentibus maiori quàm cum præcedentibus; quia ſubſtantia Chriſti etſi repugnet cum altera ſubſtantia, non tamen habet vllam repugnãtiam maiorem aut ſpecialem cum accidentibus aceti quàm vini; ergo illa receſſio Chriſti oritur ex ſola voluntate ipſius, non ex naturali repugnantia. Aliter in conſecratione contingit; nam ibi corpus Chriſti repugnat cum panis ſubſtantia, quam etiam expellit; ea autem repugnantia in mea ſententia negante quantitatem diſtinctam habet facillimam explicationem; nam corpus Chriſti repugnat localiter cum panis materia, ac proinde rectè explico, quomodo expellat naturaliter inde panem ſub accidentibus illis; ideoque rectiſſimè declaratur, cur panis dicatur conuerti in Chriſtum; ſemel autem eo loco occupato à Chriſto, cùm non magis pendeat Chriſtus ab accidentibus panis, vt dixi, quàm ab accidentibus aliis, tam naturaliter continuaretur eius præſentia ſub illis nouis quàm ſub antiquis, ac proinde tam impediret ne produceretur forma noua quàm anteà. Ceſſat ergo ibi Chriſtus, non quia expellitur, ſed quia vult; & deinde ſequitur per accidens quaſi ad exitum Chriſti noua forma. Profectò hæc ſolutio oſtendit ſufficientem differentiam in re ipſa ad variandum illum modum loquendi in vino præ altero caſu: quam ſolutionem inuenio etiam traditam à Patre Ouiedo ſuprà.

15 *Differentia inter deſitionẽ Chriſti & eius poſitionem.*

Deſitio Chriſti non eſt ex repugnantia Chriſti cum nouis accidẽtibus.

Sed ex volũtate, quia vult deſinere.

16 *Obiectio ab incompoſſibilitate Chriſti cum noua forma.*

Replicabis tamen; Productio nouorum accidentium eſt prior natura expulſione antiquorum; ergo introductio nouæ formæ eſt prior natura quàm Chriſtus ibi ceſſet; ergo Chriſtus expellitur inde à noua forma; quia ſunt localiter incompoſſibiles, non minùs quam in initio fuit è contrario incompoſſibilis Chriſtus cum ſubſtantia panis. Prima conſequentia probatur; nam ſecunda videtur certa: in ſigno enim immediato poſt accidentium nouorum productionem producitur noua forma; Chriſtus autem non deſinit niſi in tertio ſigno, quia in ſecundo corrumpuntur antiqua accidentia, deinde in tertio ceſſat eſſe ibi Chriſtus; ergo Chriſti expulſio eſt

poſt

Digitized by Google

poſt nouæ formæ productionem; ac proinde eſt ex repugnantia formæ cum Chriſto, prout ad conuerſionem requiritur.

Vrgeri autem poteſt obiectio fortiter; nam noua accidentia eo inſtanti educuntur ex ſubiecto; ergo debet ſubiectum eſſe prius natura: atqui iam eo ipſo deſinet ibi eſſe Chriſtus ex repugnantia cum ea ſubſtantia noua ſub eiſdem accidentibus. Reſpondeo Primo, Hanc confirmationem obiectionis, etſi nobis ſit contraria, non tamen cohærere cum replica; quia in hac dicitur nouorum accidentium productionem eſſe priorem natura, & deinde productionem formæ nouæ. In confirmatione autem dicitur nouam formam eſſe priorem natura quam ſint ipſa noua accidentia; ſunt ergo contraria ea duo. Reſpondeo Secundo abſolutè; Si iuxta doctrinam confirmationis vellemus diſcurrere, & priùs natura ponere materiam & formam, ac poſterius noua accidentia, faciliùs longè nos euaſuros; quia iuxta hanc ſuppoſitionem debemus tali modo diſcurrere, vt Deus in ſigno ſecundo naturæ eius inſtantis videns agentia in eo priori naturæ potentia ad inducenda noua accidentia, & nullum agens quod antiqua retineat, ceſſet a conſeruatione præcedentium accidentium contrariorum; & poſteriùs natura à conſeruatione Chriſti; ac deinde producat nouam materiam & formam, in quibus tandem noua accidentia producantur; quo caſu clariſſimè conſtat Chriſtum ceſſare non ob nouam formam, ſed quia antiqua accidentia non poterant ibi ſubſiſtere, & tunc poſterius natura factum locum pro ſubiecto nouorum, & pro ipſis nouis: id
17 quod ad conuerſionem non ſufficit. Porrò rem debere eo modo componi eſt clarum; Primò, quia abſolutè loquendo non poteſt dici, quòd noua materia & noua forma ſint omnino priores nouis accidentibus: non enim ideò producuntur noua accidentia, quia eſt noua materia ac forma, ſed potius è contrario ideò producitur noua materia & forma, quia venerunt noua accidentia, ſub quibus Chriſtus non vult manere. Vt ergo ſaluentur duo hæc, vnum quod obiectio ſupponit, nempe noua accidentia cauſari eo inſtanti à materia & forma ſubſtantiali, ac proinde hæc eſſe priora accidentibus; alterum verò, quod certum videtur in hoc myſterio, nempe ideò nouam materiam & formam produci, quia veniunt noua accidentia; debemus neceſſariò recurrere ad eam ſolutionem, quod videns Deus in priori naturæ cauſas proximè ad productionem nouorum accidentium applicatas, ac proinde quodammodò iam producta ea accidentia, ceſſet ab antiquorum conſeruatione, & producat pro eis nouis nouam materiam, &c.

Reſpondetur obiectioni.

Quoad priorem verò obiectionem dicimus, antiqua accidentia panis non corrumpi ex repugnantia cum nouis, quia cum ſubiectum nullum adhuc ibi ſit, in quod noua queant introduci, & ratione cuius ſit inter illa duo oppoſitio, non poſſunt propriè per noua expelli antiqua, deſtruuntur ergo illa, quia Deus ampliùs non vult illa conſeruare, niſi ad illud præcisè punctum, in quo ſi res naturaliter fuiſſent geſtæ, illa durarent; non ergo dè facto corrumpuntur ob oppoſitionem quæ iam ſit, ſed ſolùm quæ fuiſſet; ac proinde de facto non eſt ibi actu ea repugnantia, quæ ad conuerſionem actualem requiritur: è contrario verò iam oſtendi in poſitione Chriſti eſſe veriſſimam actualem repugnantiam phyſicam panis cum corpore Chriſti, quia ea duo corpora non poſſunt naturaliter eſſe in eodem loco: id quod in mea ſententia non admittente quantitatem diſtinctam clariſſimè oſtenditur. Et ſatis de hac replica in fauorem eius meæ ſolutionis.

Antiqua accidentia panis non corrumpuntur ex repugnantia cum nouis, ſed quia Deus ampliùs ea non vult conſeruare.

In poſitione verò corpus Chriſti habet repugnantiā phyſicam cum ſubſtantia panis.

Poſt has impugnationes ait hic Auctor debere ab omnibus concedi, in termino à quo conuerſionis requiri deſtructionem, quia ille dicit deſinere, neque vnquam dicitur anima rationalis deſinere in cadauericam; at in termino ad quem non requiri eam productionem. Verùm hoc efficaciter reieci ſupra, quia ſicut τὸ *incipere* poteſt accipi pro incipere in officio, non verò in ſe, ita τὸ *deſinere* poteſt vſurpari pro deſinere in officio, & non in ſe; nunquam tamen hic Auctor oſtendit, cur deſinere debeat accipi ſecundùm vtramque ſignificationem, incipere verò ſecundum vnam ſolum; vnde ſemper ſupponit id de quo eſt tota quæſtio. Inſtantia de anima eſt quidem bona, at ex eadem anima argumentor ego non minus efficaciter pro me, nam ſicut non dicitur, Ex anima rationali fit cadauer, ita neque dicitur, Ex forma panis fit anima rationalis: vnde optimè colligo, eodem modo eſſe diſcurrendum de inceptione ac de deſitione. In quo puncto denique miror, quod hic auctor ita miretur in me hanc doctrinam, quam priùs Suarez & alij tot tradiderunt: dixi enim omnes ferè Thomiſtas admittere productionem Chriſti in Euchariſtia, quia eam cenſent ad rationem conuerſionis neceſſariam.

Aduerſarij argumentum cum ſua inſtantia fauet noſtra doctrina.

Quòd addit ex S. Auguſtino lib. 3. Confeſſ. c. 10. Chriſtum in hoc Sacramento non mutari in nos, ſed nos in ipſum; quæ verba ad moralem ſenſum trahens ita explicat, vt noſtra vitia in nobis deſinere debeant, Chriſti verò virtutes non debeant quidem de nouo abſolutè incipere, ſed ſolum incipere eſſe in nobis; vnde infert, Ad terminum in quem conuerſionis non eſſe neceſſariam productionem, ſed ſucceſſionem in munere, ad terminum verò conuerſum neceſſariò requiri deſtructionem: hoc inquam magis eſt concionatoriè quam ſolidè & ſcholaſticè dictum; nam in nobis non incipiunt eſſe virtutes ipſæ Chriſti eædem omnino numero, ſed aliæ diſtinctæ forte ſpecie, quæ ſine dubio in nobis omnino producuntur. Vnde ex hoc capite potius ego argumentor contra hunc Auctorem valdè efficaciter: Nam ſi ego mea vitia à me omnino proieciſſem, eſto ea adhuc eſſent in ſterquilinio, non tamen minùs dicerentur mea vitia conuerſa in virtutes Chriſti, quàm nunc dicantur. Et verò (ne recurramus ad caſus ſolum de potentia abſoluta poſſibiles) id ipſum oſtenditur euidentiſſimè in diuitiis: quando enim quis eas amiſit, dicitur optimè, *Meæ diuitiæ conuerſæ ſunt in paupertatem*, & tamen tunc diuitiæ non perierunt, ſed fuerunt in alium tranſlatæ: ergo ex his modis loquendi potiùs ex integro iugulatur ſententia huius Auctoris quàm iuuetur.

Inſtantia moralis deducta ex S. Auguſtino contra noſtram doctrinam.

Retorquetur in Auctorem.

SECTIO IV.

Satisfit aliis obiectionibus.

VLTERIVS verò obiicit, me non probaſſe illud antecedens, quòd ſcilicet accidentia priùs natura exiſtant pro exiſtentia Chriſti in Sacramento. Huic tamen vno verbo reſpondeo, Me ibi non egiſſe Theologum, breuiter tamen dixiſſe

dixiſſe id probari ex eo, quod ſpecies præſupponuntur prius natura pro conſecratione: fuſiorem autem huius veritatis deductionem & meo iudicio clariſſimam iam ſupra tradidi. Quod item vlterius dixi, cauſalitatem effectiuam, quæ non eſt materialis, non eſſe propriam ſubſtantiæ, etiam probaui ſupra. Nunc addo pro me teſtimonium Patris Vaſquez, qui cum productionem Chriſti neget cum hoc Auctore adhuc tamen diſp. 181 num. 31. & 32. ait. *Eam cauſalitatem Chriſti in accidentia ſine vnione neque intelligi, nedum explicari poſſe*; & cum admiratione interrogat, *Quis eam dicat eſſe modum ſubſtantialem?* intelligit autem, non quod ille modus in ſe ſit ſubſtantia; quia neque hoc habet ipſa productio hominis; ſed quod ſufficiat ad rationem conuerſionis ſubſtantialis; vbi vehementer in eam cauſalitatem inuehitur. Ecce Patrem Vaſquez habet hic Auctor magis adhuc exclamantem contra ipſum quam contra nos.

Vaſquez negat cauſalitatem Chriſti in accidentia ſine vnione intelligi non poſſe.

Motus localis immediatè exercetur circa ſubſtantiam.

Addit quinto, Me minus benè docere, motum localem exerceri immediatè circa ſubſtantiam; ego autem adhuc dico, mihi id ex terminis videri notum, ſi ſemel negetur quantitas diſtincta; nam licet tactus, qua parte eſt ſenſus, percipiat calorem, &c. at quis dicet, ventum tangentem, ſeu mouentum roſam, immediatè impellere odorem & rubedinem roſæ, & non potius molem illam ſeu corpus illud impenetrabile? Dixi, *Licet tactus, qua eſt ſenſus, percipiat accidentia*; nam hic Auctor minus bene ſic dicit: *Alij ſenſus percipiunt accidentia, ergo & tactus*: etenim illa perceptio ſenſus tactus non eſt tactus mouentis, ſed cognoſcentis, ventus enim, lapis, globus tangit hominem mouendo, non verò per ſenſationem: ille ergo tactus, qui eſt cauſa motus, fundatur in mole corporea, quæ non conſtituitur per odorem roſæ, &c. Vide, an non potiori iure dici hic poſſet, non benè conſideratam ab his eam: quæ ſit in voce *tactus*, æquiuocationem, & inde me ſine cauſa refutatum adeò acriter?

20 Sexto ait, Non poſſe demonſtrari corpus Chriſti intra accidentia, niſi verè Chriſtus exerceat circa illa munus ſubſtantiæ, etiamſi aurum demonſtretur in ciſta aut vaſe ſine eo munere; nam ſi ponatur vas vitreum, & deſtructa eius ſubſtantia maneant accidentia, ac inuiſibiliter ponatur intus aurum, non poſſet dici, *Hoc iam non eſt vitrum, ſed aurum*: iudicarent enim omnes tunc vitrum eſſe verſum in aurum. Reſpondeo, Hanc inſtantiam non officere nobis in minimo, quia eo caſu cum vas propter vacuitatem interiorem, vbi naturaliter poteſt eſſe aliud corpus, & propter aliud ipſum ſpatium, quod accidentia ea occupant, & prius occupabat ſubſtantia vitri, cauſet ambiguitatem in eis propoſitionibus, an ſcilicet qui dicit *Hoc*, intelligat id quod eſt in interiori vacuitate, an illud quod ſub accidentibus, ac proinde ibi ſit neceſſaria diſtinctio; in noſtro tamen caſu nulla remanet æquiuocationis occaſio, cum ſub accidentibus panis nihil ſit aliud quod demonſtrari poſſit, niſi vnicus, vt ſic dicam, locus, nempe ſub illis ſpeciebus; ac proinde eſto Chriſtus nullum munus ſubſtantiæ circa ea accidentia exerceat, nihilominus, eo ipſo quòd ſolus ſit in illis ſine pane, demonſtrari optime poteſt ſub accidentibus illis: noſtrum ergo argumentum & inſtantia optimè ſubſiſtunt; ea verò de vitro ex defectu diſtinctionis circa duplicem illam vacuitatem, ſeu capacitatē illius, omnino eſt extra intentum noſtrū.

Inſtantia pro cauſalitate Chriſti in accidentia refellitur.

Circa argumentum verò, quo Vaſquez probare intendit, non eſſe neceſſariam productionem, quia Tridentinum eam collegit ex ſola veritate verborum; verba autem eſſent vera, eſto Chriſtus non produceretur; quod argumentum hic Auctor deinde repetit; dixi ego etiam è contrario, Licet non deſtruetur ſubſtantia panis, ſed alibi poneretur, verba tamen fore vera; & nihilominus ponunt eam deſtructionem; ergo etiam Aduerſarij ponunt aliquid, quod non colligatur vi verborum. Contra hanc ſolutionem replicat cum Vaſquez hic Auctor, nam eam deſtructionem collegit Concilium tum ex veritate verborum, tum quia non ſunt multiplicanda miracula, quale eſſet, conſeruare panem alibi ſine accidentibus. Quia verò ego vlteriùs addidit interrogando, Vnde Patres Concilij intulerint in hoc myſterio, vbi ſunt tot miracula, non eſſe etiam hoc? reſpondet, Patres Concilij alias regulas Philoſophicas fuiſſe ſecutos, ſentiebant enim iuxta aliorum hominum mentem, nullam ſubſtantiam conſeruari ſine ſuis diſpoſitionibus, ſentiebant materiam primam ſine forma ſubſtantiali non poſſe naturaliter conſeruari, nec Patres Concilij dubitaſſe de omnibus principiis receptis, accedente præcipuè communi ſenſu fidelium, qui ex Chriſti verbis ſincerè intellectis idem perpetuò collegerant. Hæc ille. 21

Argumentũ Vaſquez & pro eo replica iuxta mentē Concilij Tridentini ſoluuntur.

Ego verò multa habeo maxima conſideratione digna circa hanc replicam Et Primò obſeruo, non debuiſſe ab hoc Auctore contra me hanc replicam fieri circa explicationem Concilij à me datam, cum omnino ſimilis explicatio data ab ipſo fuerit pro Conciliis definientibus, in Chriſto non eſſe ſubſiſtentiam humanam ſimul cum Diuina: agens enim Cardinalis Lugo contra ſententiam ferè dicam communem, quæ admittit diuinitus poſſe vtramque ſubſiſtentiam cohærere, argumentatur ſic: *Sic diuinitus poſſent cohærere, non habuiſſent fundamentum vllum Concilia ad dicendum re ipſa non manſiſſe ſimul, nam licet miraculoſa fuiſſet ea permanentia, quod quæſo habuit Concilium fundamentum ad dicendum non interueniſſe ibi miraculum illud nouum? maximè cùm fortè maius ſit miraculum deſtrui ſubſiſtentiam incorruptibilem quam ſimul conſeruari cum Diuina? denique vtrumque eſt miraculum; vnde ergo collegit Concilium, hoc potius miraculum quam illud eſſe factum?* Hæc ille verbo ad verbum: quæ ſunt mea etiam formaliſſima verba quæ ego hîc obieci contra reſponſionem eorum docentium, Concilium licet non collegerit ex veritate verborum eam deſtructionem panis, illam tamen collegiſſe ex eo quòd eſſet miraculum conſeruare panem ſine accidentibus; dixi enim, Vnde Concilio conſtitit Deum non feciſſe hoc miraculum, vbi tam multa alia interueniunt? dixi etiam, Fortaſſe eſſe maius miraculum deſtruere materiam primam natura ſua incorruptibilem, quàm eam conſeruare ſine forma, &c. Ergo ſi illa replica huius Auctoris eo loco bona fuit, debet & mea hîc apud illum bona eſſe, niſi alia regula ſe, alia cæteros metiri velit. 22

Replica ex Concilio Tridentino retorquetur in Auctorem ex eius doctrina.

Secundò miror ſupponi ab hoc Auctore in hac obiectione, quòd Concilium Tridentinum aut vllum aliud definierit, ſubſtantiam panis non manere abſolutè in rerum natura; taceo, quod id collegerit Concilium ex veritate verborum, taceo, quod id aliqui fideles collegerint ex ſincera 23

An Concilia definierint, ſubſtantiam panis non manere abſolutè.

ſincera veritate verborum Chriſti, in nullo Concilio aut Pontificis definitione, aut vllius Sancti Patris teſtimonio (Diuum Thomam excipio, quia illum inter Scholaſticos pono) inuenietur vel minimum verbum inſinuans panem deſtrui abſolutè, ſed præciſè, quòd non maneat ſub ſpeciebus; vnde qui diceret ad conuerſionem (vt hi Auctores non requirunt productionem termini ad quem, ſed ſucceſſionem illius in eo munere in quo fit conuerſio) ex parte termini à quo non requiri deſtructionem illius, ſed quòd ceſſet à munere, etiamſi alibi conſeruetur, ac proinde eſto alibi maneat ſubſtantia panis, nihilominùs veram, propriam propriiſſimamque eſſe conuerſionem panis in corpus Chriſti; qui ita inquam doceret, nec in minimo vlli definitioni Conciliorum aut Patrum opponeretur, ergo iam tota ea machina de principiis Philoſophicis, quæ Concilium dicitur attendiſſe, penitus ruit.

24 Declaratur noſtra doctrina ex verbis Concilij Tridentini.

Vt verò id intelligatur melius, aduertendus eſt diſcurſus Concilij ea ſeſſione 13. cap. 4. can. 2. ex quo clarè intelligitur, illud nihil de ea deſtructione panis dixiſſe: capite enim 4. ſolùm ait; *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit; ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, per conſecrationem panis & vini conuerſionem fieri*, &c. Ecce Concilium non aſſumpſit aliud principium ad eam conuerſionem, quàm id, quod ſub ſpeciebus panis offerebatur, dictum eſſe à Chriſto eſſe ſuum corpus: hæc autem propoſitio etſi includat excluſionem panis ſub illis ſpeciebus, nec virtualiter tamen, nec explicitè, nec vllo penitus modo excludit nem alibi: nec Concilium dixit, *Eò quòd panis nullibi ſit*, &c. Id clariùs adhuc ex eo canone ſecundo colligitur, vbi cùm anathematizaſſet eos, qui ſimul cum corpore Chriſti ponunt panem, addit hæc, *Negaueritque illam mirabilem conuerſionem*, &c. Vides ex ſola non permanentia panis ſub ſpeciebus, nulla omnino facta mentione deſtructionis illius in aliis locis (quod tamen addi omnino debuiſſet à Concilio, ſi iudicatum fuiſſet ab eo pendere veram conuerſionem) inferri, eſſe anathemate dignos eos qui conuerſionem illam negant: vnde concludo ex diſcurſu toto Concilij, ad conuerſionem panis in vinum non requiri, panem alibi non manere, ſed ſufficere, ſi ſemel concedatur non manere ſub ſpeciebus conſecratis: quòd ergo alibi non maneat, eſt quidem iuxta Scholaſticorum ſenſum, quia illi putant ad veram conuerſionem eas deſitiones requiri; vnde non ex Concilio, ſed aliunde debebant hi Auctores probare deſtrui panem, Chriſtum verò non produci.

Concluditur, ad veram conuerſionem ſufficere ſi panis non maneat ſub ſpeciebus, etiamſi alibi maneat.

25 Tertiò circa eam doctrinam dico, me adhuc magis mirari, quòd hi Auctores velint nobis perſuadere, Concilium definiiſſe eo loco omnia hæc: Primò, quòd ibi nullum aliud miraculum intercedat: Secundò, quòd ſit miraculum, ſubſtantiam conſeruari ſine ſuis accidentibus: Tertiò, quòd materia prima non poſſit naturaliter eſſe ſine forma ſubſtantiali: Quartò (quod grauius eſt, & ad quod hic Auctor nihil reſpondit) maius eſſe miraculum conſeruari materiam primam ſine forma, quàm eam deſtrui, eſto naturaliter ſit indefectibilis; profectò nulla eſt ratio probans ſufficienter materiam non poſſe ſine forma conſeruari; vnde probabiliſſima eſt multorum ſententia id affirmantium. Certè etiam poſtquam dixit hic Auctor, Concilium ſuppo-

Apologia pro ſententiis

nere alia longè principia quàm ego ſupponam; poſtquam dixit, Concilium non voluiſſe inuertere omnia principia Philoſophica (prout hic Auctor putat me ea velle inuertere eo ſolùm ex capite, quòd dixerim dubium eſſe, vtrùm naturaliter materia poſſit eſſe ſine forma) poſtquam hæc ille inculcauit, adhuc tamen Pater Franciſcus Ouiedo adeò ea cenſura non eſt territus, vt docuerit nullum ibi fore miraculum. Nunquid etiam eſt damnatus in Tridentino hic Auctor? nunquid illi, qui exceptis animantibus & viuentibus nullam aliam formam ſubſtantialem concedunt in mixtis niſi formas elementorum, damnati ſunt, ſi dicant eam formam panis cum ſua materia poſt ſeparata accidentia rediiſſe ad alia elementa? id quod ſatis plauſibiliter docere poſſunt iuxta ſua principia: admittunt enim partialem penetrationem, ac proinde etiam inuenire poſſunt facilè locum pro ea materia. Rogo etiam, an & damnati illi, qui dixerunt maiorem violentiam fieri materiæ natura ſua incorruptibili, ſi annihilaretur, quàm ſi conſeruetur ſine accidentibus? eſtne credibile de his punctis purè purè Philoſophicis, & valdè incertis, Concilium egiſſe, aut quidquam definiiſſe? debuiſſet autem omnia hæc ſimul definire; quia ſi vel vnicum ex illis non ſit verum, conſequentia Concilij iuxta hos Auctores eſt nulla; cùm vt conſequentia ſit de fide, debeant præmiſſæ eſſe de fide: fusè enim oſtendi Tomo primo (& infrà aliquid dicam ea de re) ſi vel vna præmiſſa non ſit de fide, non poſſe conſequentiam eſſe de fide; nec poſſe eſſe de fide, Ciceronem eſſe conceptum in Originali, cùm non ſit de fide, illum abſolutè fuiſſe in rerum natura: quomodò ergo erit de fide, panem alibi non manere prout requiritur ad conuerſionem, ſi non eſt de fide Deum non feciſſe alia miracula; neque eſt de fide miraculum eſſe, conſeruari panem ſine accidentibus, &c. & idem de aliis punctis Philoſophicis, à quibus dixi pendere hanc rem. Vides quàm parum ea cenſura ſubſiſtat.

Philoſophicis;

Quas Concilium Tridentinum nullibi reprobat.

Vt conſequentia ſit de fide, præmiſſa debent eſſe de fide.

Fortè tamen hinc contra me obiicies; Ergo etiam non requiretur ad ſaluandum Concilium vt producatur corpus Chriſti. Reſpondeo Primò, Nequaquam me contendere, Concilium definiiſſe, dari ibi eam productionem ſubſtantialem Chriſti (de qua agimus) alioquin iam contenderem eſſe de fide hanc noſtram ſententiam; quod tamen ego nec quidem ſomniaui. Dico ergo, Eſto ex Concilio ſolo ea nequaquam probetur, neque ex veritate verborum, colligi tamen ex adiuncta alia propoſitione, de qua eſto ſit dubium inter Auctores, ideoque concluſio non ſit de fide; qui tamen iudicant illam probabiliorem, vti cum multis aliis ego iudico, ſcilicet debere produci terminum formalem ad quem ad rationem veræ conuerſionis, conſequenter etiam vt probabiliorem defendimus illam productionem. Reſpondeo Secundò, Cùm Concilium eam conuerſionem vocet ſubſtantialem, & omnes ferè Scholaſtici dicant, etiam illam eſſe conuerſionem non ſolùm ſubſtantiarum, ſed ſubſtantialem; profectò ſi aliunde probamus, excluſa productione ſubſtantiali non poſſe concedi conuerſionem quæ ſit ſubſtantialis, rectè inferemus, in Euchariſtia debere Chriſtum produci. Non poſſe autem aliter illam ſubſtātialitatem conuerſionis probari vel ex Aduerſariis ipſis ſatis oſtenditur, quia maiori ex parte illi ſe inuicem in hoc puncto acriter impugnant. Iam vidimus ſuprà quæ 26

Probabilius eſt ad veram conuerſionem produci debere terminum formalem ad quem.

conſeruentur à Deo miraculoſè ſine ſubiecto ; & quo caſu non.

proferre formam, non eam abſoluet, vel non habebit intenſionem requiſitam ad conficiendum Sacramentum, & pro tali caſu non conſeruaſſe Deum illa accidentia miraculoſe ſine concurſu ſubiecti ; in reliquis verò caſibus, in quibus iam ſciebat nullum fore periculum, ea conſeruaſſe. Sed contrà, quia ſi id ita ſit, cogemur vnum è duobus admittere, vel illum Sacerdotem (qui præuiſus fuerat non abſoluturus verba) non habuiſſe poteſtatem conſecrandi, quia vt eam haberet, debuit poſſe ponere Chriſtum ibi excluſo pane; ad hoc autem non habuit vires, quia priùs natura quam vellet loqui, iam ſupponebatur ſubſtantia panis ibi durans; ergo non potuit illam reiicere, & Chriſtum ibi ponere; hoc autem eſt abſurdum, quia ſine dubio ille vti liberè ceſſauit ab vltimis verbis, ita liberè potuit ea proferre, & conſecrationem perficere ac proinde Chriſtum ibi ponere; vel ſequitur, ſi Chriſtum potuit ibi ponere, potuiſſe tunc illum ita conſecrare, vt ſimul maneret Chriſtus cum ſubſtantia panis, quia (vt oſtendimus) panis iam ſupponitur ibi priùs natura; ergo ſi adhuc Chriſtus poteſt poni, ſine dubio poteſt coniungi cum pane: hoc autem durius multò eſt, & præterea euidenter falſum: quia eſſet contra veritatem verborum, quæ non admittunt permanentiam panis, vt ſæpè diximus: ſi autem verba non eſſent vera, ergo etiam vi illorum non potuiſſet Chriſtus ibi poni; ac proinde eſſent vera, & non vera: vera, quia ponunt Chriſtum; non vera, quia non expellunt panem.

35 *Aliquorum ſententia & reſponſiones reiiciuntur.*

Fortaſſe ad hoc vltimum abſurdum reſponderet quis; Licet in eo priori ſupponantur accidentia panis conſeruata materialiter à pane, fieri tamen poſſe, vt non ſupponantur illi vnita; quia (vt in Tomo Philoſophico oſtendi) cauſalitas materialis non eſt idem cum vnione eiuſdem formæ; benè ergo potuit præintelligi cauſalitas ante vnionem: vnde ſi prædicto caſu dixiſſet ille Sacerdos vltima verba, poſitus quidem fuiſſet Chriſtus ſub eis accidentibus, non tamen cum pane; quia panis eſto manſiſſet in rerum natura pro eo inſtanti, non tamen vnitus accidentibus: veritas autem verborum non exigit deſtructionem panis (vt infrà dicemus) dummodò non maneat ſub eis accidentibus. Quod ſi vrſeris, Ergo ſaltem in eo caſu non eſſet conuerſio panis in corpus Chriſti, quia ad conuerſionem requiritur deſtructio panis; id autem videtur eſſe contra Tridentinum; reſponderi adhuc poſſet, eam fore conuerſionem; quia licet eo primo inſtanti non eſſet corruptus panis, corrumpendus tamen erat in inſtanti ſequenti: id quod ſufficeret ad abſolutè vocandam illam conuerſionem: neque enim Concilium de eo vnico inſtanti fuit ſolicitum, maximè cùm ille caſus nunquam ſit ponendus in rerum natura; quia per ſcientiam mediam vidit Deus talem Sacerdotem nihil poſiturum. Hæc autem ſolùm dicta ſint, vt ſaluemus illam potentiam Sacerdotis ad ponendum Chriſtum cum præcedentia cauſalitatis materialis panis in ea accidentia. Nihilominus hæc ſolutio non poteſt ſuſtineri, quia ea cauſalitas materialis eſto non ſit ipſa vnio tum re cauſata, debet tamen neceſſariò habere annexam vnionem ſaltem pro poſteriori naturæ iam autem ſequeretur panem ſimul cum Chriſto pro poſteriori naturæ eſſe ſimul, ac proinde non verificari verba, vt paulò ante dicebam. Hac ergo ſolutione reiecta.

36 *Ad caſum propoſitum reſpondetur.*

Abſolutè reſpondeo Primò, Etiam Cardinalem Lugo teneri ob hoc argumentum concedere priùs natura ad conſecrationem decretum aliquod miraculoſum circa conſeruationem eorum accidentium & panis; nam accidentia decernit omnino conſeruare, ſiue ſequatur conſecratio, ſiue non; ſubſtantiam verò panis ſolùm caſu quo conſecratio non fit. Prætereà cùm natura ſua panis & accidentia illa ſint omnino independentia à conſecratione, Deus tamen ea facit tunc poſteriora; fieri autem poteſt vt eo inſtanti nolit Sacerdos conſecrare, & quodammodò illa mutatio decretorum maneat ſine eo fine ad quẽ ordinabatur. Hoc ipſum ferè nos dicimus, niſi quod conſecrationem facimus poſteriorem ad conſeruationem accidentium; quia, vt fusè oſtendimus, accidentia vt demonſtrabilia priùs natura debent ſupponi vt materia ſupra quam cadat conſecratio, & vt id quod poteſt etiam eo inſtanti mouere Sacerdotem ad vltimò complendam conſecrationem. De ſubſtantia autem panis nihil tunc Deus decernit, quovſque videat, an Sacerdos ille re ipſa compleat conſecrationem; cũ ergo tunc pro eo inſtanti conſeruatio accidentium ſit independens à conſeruatione panis; (quã independentiam iam oſtendi debere admitti ab hoc Auctore, quia ſiue panis ſit, ſiue non, manebunt tamen accidentia;) profectò connaturalius eſt dicere, Deum tunc ſe ſolo illa accidentia conſeruare, vti facturus eſt toto tempore quo durat conſecratio. Quod ſi Sacerdos ille tunc liberè deſiſtat ab ea conſecratione, admittimus eo inſtanti accidentia non conſeruanda materialiter à pane, eſto hic ibi maneat. Per quod tamen non aſſerimus vllo modo manſura ea accidentia etiã eo vnico inſtanti ſine ſubiecto; nam eo ipſo quod ibi permaneat ſubſtantia panis ob defectum conſecrationis, iuxta dicta, Deus poſterius natura dat illis accidentibus naturalem vnionem cum ſua ſubſtantia; in ſequentibus verò inſtantibus realibus ſequitur cauſalitas panis in eodem more antiquo & naturali. Et hæc circa obiectionem contra noſtrum argumentum.

37 *Reſponſio ad noſtrum argumentum diſcutitur:*

Iam verò videamus, quomodo poſſit argumento noſtro reſponderi, ita vt & accidentia ſint priora poſitione Chriſti ſub eis; & tamen Chriſtus in ea influat materialiter. Dicere ergo poterunt, hoc argumento euinci quidem, Chriſtum ſi alioquin independenter ab hoc Sacramento non exiſteret, non poſſe eſſe cauſam accidentium; quia tamen ſupponitur iam in cœlo exiſtens, nullam eſſe difficultatem in eo, quod pro priori naturæ ante accidentia concipiatur vt cauſa illorum, & poſteriùs natura accipiat vbicationem, qua fiat illis præſens expulſa ſubſtantia panis: ſæpè enim diximus, approximationem non eſſe conditionem prærequiſitam eſſentialiter, imò nec naturaliter ad operandum; ſed ſufficere, ſi ea ſequatur in poſteriori naturæ. Hæc tamen ſolutio facilè reiicitur; Primò, quia ſpecies Sacramentales vti non pendent à Chriſto Sacramentato, ita neque à Chriſto in cœlis exiſtente. Huic replicæ reſponderi poterit, id quidem ita eſſe ordinariè loquendo; at in eo inſtanti, vt locus fiat conſecrationi, Chriſtum efficienter illa conſeruare, vti immediatè ante diximus conſeruari à Deo ſine concurſu ipſius ſubſtantiæ panis: hæc enim conſeruatio etiam eſt miraculoſa. Ideò Secundò reiicitur illa ſolutio; nam actio eſto non requirat præuiam approximationem cum paſſo, ſaltem eam requirit in eodem

Et refutatur.

eodem inſtanti poſteriùs natura. At ea accidentia ita eo inſtanti priùs natura conſeruantur, vt licet Chriſtus non poneretur, quia Sacerdos ſe determinaret liberè ad non conſecrandum, nihilominùs manerent accidentia in rerum natura; in eo autem caſu non maneret Chriſtus eis approximatus, quia ſi non conſecraretur re ipſa hoſtia, Chriſtus non acciperet vbicationem illam ſub hoſtia, ſed maneret in cœlo.

Fortè & huic replicæ reſpondebitur iuxta ſententiam probabiliorem, poſſe diuinitus cauſam operari in diſtanti, ac proinde etiamſi eo caſu Chriſtus non poneretur ſub accidentibus, quia re ipſa non fieret conſecratio, ea accidentia tamen conſeruanda à Chriſto diſtante & exiſtente in cœlo. Sit ergo tertia & efficax impugnatio, quia Chriſtus nullam cauſalitatem Sacramentalem exercet niſi poſteriùs natura ad conſecrationem, ſeu, vt clariùs dicam, niſi dependenter à conſecratione integra & perfecta; ergo etiamſi Chriſtus in cœlo ſit prior accidentibus, cauſalitas tamen eius, per quam ponitur in Sacramento, debet eſſe poſterior conſecratione, ergo poſterior accidentibus, quia hæc (vt oſtenſum eſt ſuprà fusè) ſunt priora ipſa conſecratione, ergo iam accidentia ſupponuntur producta per aliam cauſalitatem priorem: duas autem cauſalitates non poſſumus hìc ponere, & verò ſi vna ſit poſterior altera, omnino repugnant ſimul tempore iuxta hunc Auctorem.

Aliud argumentum, quo impugnatur cauſalitas Chriſti in accidentia.

SECTIO VII.

An ſit in accidentibus ponenda aliqua qualitas quæ trahant Chriſtum?

38 DIFFICILIVS eſt, Vtrùm ponenda ſit aliqua qualitas in accidentibus, per quam moueatur Chriſtus ad motum ſpecierum. Cardinalis Lugo diſput. 6. ſect. 2. ponit quamdam qualitatem ſupernaturalem habentem ex natura ſua vim trahendi ſecum corpus Chriſti; cuius duplex eſt fundamentum: vnum, quòd per eam qualitatem clariùs explicetur, quomodo qui mouet ſpecies moueat Chriſtum Dominum, quatenus dum immediatè trahit ſpecies, trahit Chriſtum, qui phyſicè trahitur per illam qualitatem; alioquin ſi ſolus Deus moueret Chriſtum ad motum ſpecierum, non poſſet homo mouens ſpecies dici mouere corpus. Secunda ratio, quia quando cauſa aliqua naturalis eleuatur ad aliquem effectum ſupernaturalem, connaturalius eſt, vt eleuetur per potentiam aliquam illi intrinſecam; vti intellectus eleuatur per lumen gloriæ ad videndum Deum, & voluntas ad actus virtutum ſupernaturalium eleuatur per habitus ſupernaturales.

Cardinalis Lugo admittit qualitatem ſupernaturalem trahentem ſecum corpus Chriſti.

Iudico primùm, non repugnare talem qualitatem: ſunt enim qualitates multæ quæ habent vim naturalem cauſandi motum in corporibus vicinis; cur ergo non poterit vna talis eſſe ſupernaturalis? Secundò cenſeo, non poſſe facilè intelligi, quomodo talis non vniatur corpori Chriſti, iuxta huius Auctoris doctrinam, qui (vt vidimus Tomo 6. agentes de vnione hypoſtatica) vnionem ipſe non aliter explicat, quàm in ordine ad vim illam trahendi ſecum ad eumdem locum rem quæ dicitur vnita; hoc autem totum habet ea qualitas non ſolùm reſpectu ſpecierum, ſed reſpectu Chriſti, ergo. Tacitè huic obiectioni videtur reſpondiſſe in præſenti addendo, ad rationem veræ vnionis requiri, vt exigat ſe poni vbicumque eſt ſubiectum; hoc autem ea qualitas reſpectu Chriſti non habet, quia Chriſtus adhuc manet in cœlo & in aliis hoſtiis, vbi non eſt hæc qualitas. Mihi hæc ſolutio nequaquam ſatisfacit, quia ſuprà oſtendi, eam exigentiam difficillimè poſſe in omni vnione ſaluari; nam vnio humanitatis Chriſti ad Verbum eſt vera vnio, & tamen non petit poni humanitatem in omnibus locis vbi eſt Verbum: item, materia capitis verè vnitur animæ rationali, & tamen non exigit ea materia eſſe vbicumque eſt anima. Quòd autem reſponderi poſſit de adæquata & inadæquata poſitione, ſatis efficaciter eſt à me ſuprà reiectum. Secundò fortiùs nunc argumentor; Nam vbicatio Chriſti in cœlo verè vnitur Chriſto, & tamen ipſa non exigit poni etiam in aliis locis adæquatis vbicumque eſt Chriſtus; ergo ea exigentia non eſt de conceptu vnionis.

Non repugnat talis qualitas.

Sed non reddit rationem ſufficientem, cur illa qualitas non vniatur corpori Chriſti.

Vt patet conſideranti naturam vnionis.

Dices: Ea vbicatio eſt immobilis ex ſe; quid ergo mirum ſi non ponatur alibi? Sed contrà clarè, quia ſi de ratione vnionis propriæ eſt ea exigentia eſſendi in omnibus locis, vbi eſt, extremum alterum vnitum; profectò cùm vbicatio illa non habeat eam exigentiam, vndecumque id illi proueniat, carebit etiam proprio & eſſentiali prædicato vnionis, ac proinde non erit vera & propria vnio: vti, quia de ratione quantitatis eſt exigere naturaliter impenetrationem cum ſimili quantitate, eo ipſo non poterit eſſe quantitas ea res, quæ tali exigentia ex ſe caruerit, vndecumque ei veniat ea carentia. 39

Fortè adhuc dices: Exigentia illa poſitionis in duobus locis debet eſſe cum hac limitatione, *Quantum ſalua eius rei ſubſtantia poteſt eſſe*; ſalua autem natura ſeu ſubſtantia vbicationis non poteſt eſſe in duobus locis; quid ergo mirum, ſi, eſto id non exigat, ſit tamen vera vnio. Sed contrà Primò, quia reuerà vbicatio hæc nullam talem habet exigentiam nec conditionatam: cùm enim per ſubſtantiam ipſius repugnet illi ea poſitio in duobus locis, nullam profectò habet exigentiam illius. Vti homo non habet exigentiam nec conditionatam irrationalitatis; & tamen ea vbicatio verè vnitur Chriſto per ſolam eam exigentiam intimæ præſentiæ cum illo: ergo illa alia exigentia exiſtendi vbicumque eſt ſubiectum, nullo modo eſt de conceptu vnionis vt ſic.

Secundò argumentor: Nam eo ſenſu ego dicam, etiam illam qualitatem habere eiuſmodi naturalem exigentiam (quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia concipi;) quia verò ipſius ſubſtantia non petit eſſe niſi in vno loco, hoc vel illo, ideò non poni in omnibus; profectò ſi per has conditionales, *Quantum non repugnat ſubſtantiæ*, velimus res declarare, aliquis poſſet dicere, brutum habere exigentiam ratiocinationis quantum poteſt ſalua ipſius ſubſtantia, & hominem habere exigentiam volandi quantum poteſt ſalua eius ſubſtantia, & ſic cuilibet rei daremus eo modo exigentias omnium aliarum, & omnia planè hoc modo miſceremus. Conſtet ergo hunc Auctorem, qui nequaquam vult admittere vnionem Chriſti ad ſpecies, vix poſſe admitere eam qualitatem intrinſecam exigentem intimam præſentiam Chriſti ſecum, & cum ſpeciebus.

Aliter impugnatur ratio Cardinalis Lugo.

Tertiò circa eam qualitatem cenſeo, non eſſe 40

 vllo

Qualitas, quam aſſignat Cardinalis Lugo, non eſt neceſſaria.

vllo modo neceſſariam ad explicandum hoc myſterium; Primò, quia non eſt neceſſum dicere, Chriſtum moueri phyſicè ab ipſis ſpeciebus: ſufficit enim, ſi Deus ad motum ſpecierum illum moueat; quòd verò dicebatur, fore hinc vt Sacerdos mouens ſpecies non poſſit dici mouere Chriſtum, non vrget: facilè enim negatur ſequela. Vti enim vt Sacerdos dicatur ponere Chriſtum ſub ſpeciebus, non eſt neceſſum ipſum concurrere efficienter phyſicè ad eam exiſtentiam Chriſti, ne quidem mediatè; ſed ſufficit, quòd homo ponat phyſicè verba, ad quæ Deus ponit ibi Chriſtum; ita vt dicatur idem Sacerdos mouere localiter Chriſtum, ſufficit, quòd ipſe moueat phyſice ſpecies; ad quarum motum Deus producat motum Chriſti vi ſui decreti generalis. Neque adducetur vllus locus Patrum, nullave ratio ad probandum, cum maiori rigore phyſico hominem mouentem ſpecies mouere Chriſtum, quàm Sacerdos conſecrans ponat Chriſtum ſub ſpeciebus; ergo non eſt neceſſum dicere, ſpecies mouere phyſicè Chriſtum. Habet autem hæc ratio maximè locum in ſententia negante quantitatem diſtinctam, quam ego vt probabiliorem defendi: in ea enim nec quidem naturaliter mouetur ſubſtantia ad motum accidentium, ſed è contrario, quia nos mouemus corpora ratione impenetrabilitatis: ea autem impenetrabilitas in mea ſententia eſt ipſa materia: neque enim ego ſapori, colori, calori imprimo impulſum, ſed corpori; quòd ſi naturaliter ſpecies non mouent ſubſtantiam, cur debeo ſpeciebus Sacramentalibus tribuere virtutem phyſicam qua moueant immediatè Chriſtum? ergo ex hoc capite non eſt neceſſum vllam ponere qualitatem ſupernaturalem.

Vt dicatur Sacerdos mouere Chriſtũ, ſufficit, ſi moueat phyſicè ſpecies.

41 *Connaturalius mouetur Chriſtus ſine vlla qualitate ſuperaddita ſpeciebus.*

Quartò tamen adhuc dico; Etiamſi ſpecies haberent omnem vim mouendi Chriſtum, eam tamen qualitatem non fore ponendam, quia connaturalius eſt ſine vlla qualitate immediatè concurrere ſpecies ad illum motum in corpore Chriſti, quàm per qualitatem eam ſuperadditam: licet enim ad operationes, intelligendi & amandi dicamus compleri intellectum per habitum ſupernaturalem, non ideò admittere debemus ſimile complementum in ordine ad omnes alias actiones ſupernaturales: diſparitas verò aſſignari poteſt ratione operationum vitalium & immanentium; quales ſunt actus intellectus & voluntatis, qui requirunt connaturale intrinſecum complementum influens in illas, in ordine autem ad operationem extrinſecam, qualis eſſet reſpectu ſpecierum motus Chriſti, non eſt cur complementum intrinſecum ponamus: vti etiamſi concedamus cum Thomiſtis Sacramenta cauſare phyſicè gratiam, non tamen propterea ponimus in aqua v. g. vllam qualitatem intrinſecam, qua concurrat ad eam gratiam in Baptiſmo; & ſic de cæteris Sacramentis. Idem ergo erit in noſtro caſu, maximè cùm per naturales vbicationes quoad ſubſtantiam id poſſimus ſaluare vt dixi ſuprà. Vrgeo id adhuc clariùs, ſi dicamus ipſum hominem mouentem ſpecies influere immediatè in vbicationes ipſas Chriſti, quo caſu multò adhuc meliùs oſtenderemus quomodo Sacerdos moueat Chriſtum; homo ergo habet naturalem vim producendi vbicationes naturales in corpus Chriſti; vti mouere illud potuit quando in via extitit: illa ergo virtute naturali vtitur Deus de facto, vt moueat tum ſpecies tum ipſum Chriſtum, cùm ibi non ſit miraculum niſi quoad modum; neque obſtat, quòd Chriſtus non grauitet, quia Deus poteſt impedire eam grauitatem, aut ita concurrere cum homine mouente illas ſpecies, vt hic non aduertat eam grauitatem; & verò ſi aliquod miraculum in eo motu locali Chriſti ſub ſpeciebus admittendum eſt (vti reuerà debet admitti) mihi maximè facilè videtur hoc quod dixi, quia illud ſolum eſt quoad modũ ipſum, non quoad rẽ.

Dices: Ergo homo poteſt immediatè agere in Chriſtum Dominum. Reſpondeo, Poteſt aliud agere à motu, nego; motum localem, concedo: in hoc autem nullum eſt abſurdum, quia non eſt maius abſurdum in eo quòd agat immediatè illum motum, quàm ſi mediatè. Aliunde autem ſi dicamus Chriſtum trahere ſecum in motu ſpecies, multò magis conformiter diſcurremus ad ea quæ in aliis ſubſtantiis dicimus: neque enim odor pomi aut color trahit ſubſtantiam pomi localiter, ſed è contrario ſubſtantia trahit ſecum accidentia: cum enim accidentia dependeant à ſubſtantia vt à cauſa conſeruante, ſine qua exiſtere non poſſunt, neceſſum omnino eſt vt ſubſtantia mota ſecum trahat illa accidentia: id quod meo iudicio claré poteſt inde oſtendi, nam ſi Deus molem corpoream pomi v. g. (diximus enim paulò antè quantitatem non diſtingui à materia) conſeruaret ſine colore, odore, ſapore, ſine dubio eodem modo poſſem pomum illud manu apprehendere, & per impulſum pellere è loco, &c. ac poſſum quando habet ea accidentia, imò eſto quantitas ſit diſtincta, & eſto ea ſit requiſita ad hoc, vt quando ego impello Petrum mea manus non penetret ipſum Petrum, & ne tranſeat vlteriùs, relicto Petro in ſuo loco, iudico tamen multò magis philoſophicè nos diſcurſuros dicendo eum impulſum imprimi immediatè in corpus quam in quantitatem, quia connaturalius eſt quantitatem moueri ad motũ ſubſtantiæ quàm è contrario: vti enim motus naturalis hominis v. g. incipit à corpore, hoc autem trahit quantitatem, quis enim dicat, quando ſe homo mouet, priùs natura moueri quãtitatem, & ab hac tam corpus quàm animam moueri, & nõ dicet priùs moueri vel animam, vel certè corpus (de quo iam non diſputo) accidentia verò illa omnia trahi cum corpore? Vti dum mouetur equus, non priùs mouentur res quas vehit, ſed ipſe priùs, & deinde omnia alia quæ ſupra ſe vehit. 42

Poteſt homo immediatè agere in Chriſtum motum localem, aliud nõ.

Impulſus imprimitur immediatè ſi. in corpus, non in quantitatem.

Priùs natura mouetur ſubſtantia quam accidẽtia.

Obiectionem quamdam, deſumptam ex eo quòd per tactum non percipiamus ſubſtantiam, ſed ſola accidentia, calorem, frigus, &c. qua maximè vtitur hic Auctor, ſoluam infrà, oſtendens illam totam fundari in æquiuoca huius vocis *tactus* acceptione. Primo enim modo vſurpatur pro ſenſatione materiali, quæ propria eſt animalis, hanc autem libenter admittimus ſolùm eſſe circa accidentia: hæc verò inutilis eſt ad motum localem de quo nunc agimus. Secundo ergo modo accipitur tactus pro impulſu locali, vti cùm tangit me lapis, vel ventus, & ſuo impulſu me mouet è loco. In hoc ſenſu dicimus tactum fieri immediatè in ſubſtantiam, non in albedinem, aut frigus, quia ſubſtantia trahit ſecum omnia ea accidentia; non è contrario albedo manus trahit manum; ergo accidentia ſequuntur motum ſubſtantiæ, non è contrario. 43

Quòd ſi ſemel dicamus in hoc motu naturali priùs

Digitized by Google

priùs moueri ſubſtantiam, certè connaturalius eſt idem dicere in motu violento, ſeu in illo qui fit ab agente extrinſeco, cùm æquè facilè poſſit hic explicari quàm ille: ex quibus concludo, minùs benè defatigari in præſenti aliquos vt oſtendant, quo pacto accidentia trahunt ſubſtantiam.

Gratis volunt oſtendere alio ſubſtantiam ab accidentibus trahi.

Dices: Eſto hæc omnia concedantur, cùm tamen Chriſtus non ſit vnitus accidentibus, non poteſt explicari, quo pacto ex motu eius moueantur accidentia. Reſpondeo, Deum ſua voluntate ea alligaſſe Chriſto, vti ex contrario alij dicunt Chriſtum alligatum eſſe accidentibus, mihi ſanè videtur honorificientius, quòd Chriſtus trahat ſecum accidentia, quàm è contrario hæc trahant Chriſtum. Aliqua etiam alia fortè poſſent obiici in præſenti contra eam qualitatem ſupernaturalem, quæ omitto, nam ſufficienter oſtendimus hucuſque illam difficulter hîc & nunc concipi, & neceſſariam non eſſe pro explicanda continentia Chriſti ſub ſpeciebus.

Decentius eſt vt Chriſtus trahat accidentia, quàm vt ab illis trahatur.

SECTIO VIII.

Quæ denominationes Chriſto conueniant in hoc Sacramento?

44 QVÆSTIO hæc ſolùm eſt de modo loquendi: videatur Suarez diſput. 48. & Vaſquez diſp. 193. cap. 2. Nos breuiter dicimus Primò, omnes denominationes denotantes ordinem ad locum, v.g. moueri, quieſcere, propriiſſimè dici de Chriſto, non ſolùm quia ſpecies mouentur, ſed quia ipſe in ſe accipit motum & vbicationes, nec tamen ideò dici poteſt ſtare aut ſedere, quia ad hoc deberet habere partes extra partes, nec etiam poteſt dici frangi propriè, quia hoc denotat vnam partem Chriſti ab altera ſeparari: id quod ei nullo modo conuenit: per denominationem tamen ſolet aliquando, rariſſimè tamen, hoc prædicatum ei tribui. Solet etiam illi tribui commixtio, vt in Canone Miſſæ dicitur, *Hac commixtio corporis & ſanguinis*, &c. quod prædicatum, ſi tantùm denotet ſanguinem ſimul cum corpore in calice poni ſine vlla corruptione, propriè conuenit Chriſto, quia reducitur hoc prædicatum ad præſentiam localem: ſi autem denotet corruptionem aliquam vel reſultantiam alicuius tertij mixti diſtincti, tunc nec ratione ſui nec ratione ſpecierum illi conuenit, quia nec ſpecies nec Chriſtus corrumpuntur, aut conſtituunt nouum tertium aliquod quamdiu Chriſtus eſt in ipſis. Comedi autem poteſt dici in aliquo ſenſu propriè, quatenus ſolum denotat, quòd per os in ſtomachum traiiciatur: id quod reducitur ad motum localem: ſi autem comedi vſurpetur pro compreſſione partium facta inter dentes, & pro diuiſione illarum inter ſe, non conuenit Chriſto propriè, quia dentes nullam ipſius partem aut comprimunt, aut diuidunt.

Chriſtus in Euchariſtia propriè mouetur & quieſcit; non verò ſedere, ſtare, frangi, dici poteſt:

Quomodo poſſit dici, commiſceri,

Comedi,

Dicimus Secundò, ea prædicata quæ ſunt propria ſpecierum, v.g. videri, tangi, illuminari, eſſe rotundum, quadratum, &c. propriè non tribui Chriſto Domino: cùm enim non habeat vnionem cum illis accidentibus, non poteſt ab illis ſimiles denominationes accipere; aliquæ tamen ſolent illi attribui per metaphoram, ſcilicet videri, tangi, ſentiri, aliæ verò etiamſi eodem modo poſſent tribui de facto, tamen non tribuuntur v. g. frigeſieri, calefieri. Diſparitas alia quærenda non eſt, quàm quòd cùm omnes hæc locutiones ſint impropriæ & metaphoricæ, aliquæ ſunt in vſu ex puro puto hominum placito, aliæ verò non, illas ergo, quæ à Patribus aliquando vſurpatæ ſunt, poſſumus vſurpare, non autem illas in quibus videtur erroris periculum; quale eſſet, ſi diceretur Chriſtum ibi calefieri, denotaret enim hoc illum eſſe paſſibilem: quod benè obſeruauit Pater Suarius ſuprà.

Videri, tangi, ſentiri non verò frigeſieri, aut calefieri.

Vaſquez verò diſput. 193. cap. 2. voluit regulam generalem aſſignare, qua id dignoſceremus, non contentus ad modum loquendi Patrum id reuocare, ait ergo omnia prædicata, quæ ſunt in ordine ad ſenſus externos, tribui Chriſto Domino per figuram, alia verò, quæ non ſunt in ordine ad eos ſenſus, non tribui. Ratio ipſius eſt, quia etiam dicimur videre parietem, licet non videamus albedinem, ergo & poterit Chriſtus dici videri, licet non videatur niſi albedo. Hæc regula omnino falſa eſt; Primò, quia iuxta illam poſſet dici quòd olfaciamus Chriſtum, quia olfacimus ſpecies vini, item, quòd audiamus: Chriſtum, quia ſpecierum fractionem audimus: quæ tamen locutiones fortè magis impropriæ ſunt, quàm Chriſtum frigeſieri, &c. & non magis receptæ; ergo non eſt vniuerſim verum, omnia prædicata in ordine ad ſenſus poſſe Chriſto tribui propter ſpecies. Quòd autem ibi Vaſquez & alij cum ipſo docent, Si videamus currum, in quo Rex vehitur, dici nos vidiſſe Regem, puto omnino eſſe contra omnium hominum ordinarium modum loquendi. Deinde, ſi ratio ipſius deſumpta ex pariete viſo aliquid valet, etiam poſſet dici Chriſtus frigeſieri, quia etiam in ſententia docente calorem v.g. non recipi niſi in quantitate, dicitur tamen homo ipſe calefactus à calore, cùm tamen immediatè calefactus non ſit. Et eiuſmodi exempla afferri poſſent multa, fruſtrà ergo hîc regula aliqua quæritur: cùm enim res pendeat, vt dixi ex modo loquendi, determinanda ſolùm eſt ex vſu & acceptione, iuxta paulò antè dicta. 45

Regula, quam aſſignat Vaſquez in denominationibus Chriſto tribuendis, falſa eſt:

Neque ſimilitudines eam confirmant.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVARTA.

Præuia ad conuerſionem. De natura conuerſionis vt ſic.

1 DE hoc puncto egi ex propoſito Tomo Philoſophico diſput. 1. de Generatione. Verùm quia aliqua ex his, quæ ibi dicta à me fuerunt, video ab aliis impugnari, & quia pro explicatione conuerſionis Euchariſticæ neceſſaria omnino eſt quæſtio hæc, breuiſſimè hîc inſinuabo quæ ibi fuſiùs deduxi, addam autem quæ ratione obiectionum nouarum neceſſaria ſunt, vt in hac materia nihil amplius deſideretur. Aduerto autem duas quæſtiones in præſenti diſcuti, vnam, quid ſit conuerſio, alteram,

Duplex quæſtio, quid conuerſio, quid

Digitized by Google

illa in Sacramento Euchariſtia.

ram,quid re ipſa in Sacramento altaris fiat circa corpus & ſanguinem Chriſti, & circa ſubſtantiam panis eiuſque accidentia. Prima quæſtio eſt de ſola voce,ſecunda de re; quæ tamen magna ex parte ex illa de voce decidenda eſt; ideò de illa priori diligenter agendum in hac diſputatione.

SECTIO I.

Præmittitur,quid ſit conuerſio vt ſic.

2 *Non omnis generatio eſt conuerſio.*

CONVERSIO *dicitur tranſitus vnius rei in aliam.* E quo Primò infertur, non omnem generationem eſſe conuerſionem,quia non omnis eſt tranſitus vnius in aliud: quando enim aër recipit lucem, quia nihil amittit vt eam recipiat,& conſequenter non eſt tranſitus vnius in aliud, nulla eſt conuerſio. Dici quidem poteſt tenebroſum tranſire in lucidum;quia tamen tenebroſum vt tale nihil eſt, non dicitur propriè vnum in aliud. Requiruntur ergo ad conuerſionem duæ mutationes: vna priuatiua, qua corrumpatur aliquid præexiſtens; alia poſitiua, qua aliquid de nouo ponatur;vt quando album conuertitur in nigrum datur deſtructio albedinis, & poſitio nigredinis.

Ad conuerſionem neceſſaria duplex mutatio priuatiua & poſitiua.

Requiritur prætereà aliquid tertium commune permanens ſub vtroque termino, tam ſub deſtructo quàm ſub producto,ratione cuius detur illa denominatio conuerſi: ſi enim nihil manet commune, nil eſt quod dicatur conuerſum: & hoc patet in omnibus conuerſionibus quæ in rerum natura dantur, vbi manet ſubiectum commune formæ productæ & corruptæ. Hinc fit vlteriùs debere dari repugnantiam aliquam inter terminum deſtructum & productum,ratione cuius vnus expellat alterum;nam ſi productio vnius ſe habeat accidentaliter cum deſtructione alterius,non erit conuerſio;v.g. ſi quando deſtruitur lapis,produceretur Angelus,non ideò lapis diceretur in Angelum conuerſus.

Aliquid commune ſub termino deſtructo & producto permanens.

3 *Nouum concretum ex termino ſuccedente & ex permanente.*

Ex his vlteriùs requiritur concretum illud, quod conſtituebatur ex termino conuerſo, & ex tertio quod perſeuerat, deſtrui, & è contrario nouum aliquod concretum produci ex termino ſuccedente, & ex permanente: hi autem duo vocantur termini totales, à quo & ad quem. Vt lignum conuertatur in ignem neceſſarium eſt, vt eſſet vnio formæ ligni cum materia, vt iam ampliùs non ſit lignum; è contrario etiam neceſſum eſt, vt producatur de nouo minimùm vnio formæ ignis cum materia, vt de nouo ſit ignis. Hæc certa ſunt apud omnes. Hoc verò dubium, Vtrùm non ſolùm requiratur deſtructio illius compoſiti, ſeu concreti, quod dicitur terminus totalis; ſed etiam requiratur, vt deſtruatur ipſa forma ligni,vt ipſa poſſit dici conuerſa in formam ignis.Reſpondeo,Requiri:& in hoc ferè omnes conueniunt. Probatur autem communi modo loquendi: neque enim anima rationalis dicitur conuerſa in cadauericam formam; licet hæc ſuccedat loco illius in eadem materia. Cuius locutionis non poteſt eſſe alia ratio, niſi quia anima rationalis abſolutè non corrumpitur;dicitur tamen homo conuerſus in cadauer,quia homo verè deſtruitur. Pari ratione quando ſub eadem anima rationali vna pars materiæ primæ ſuccedita loco alterius(vt contingit in nutritione & diminutione hominis) non dicitur vna materia conuerſa in alteram,v.g.materia excrementi conuerſa in materiam hominis: cuius ratio eſt, quia non corrumpitur illa materia,requiritur ergo deſitio illius termini,qui propriè & formaliter dicitur conuerſus.

Requiritur etiam deſtructio formæ prioris, & productio nouæ.

Dixi prætereà eo loco requiri è contrario productionem termini formalis ad quem: id quod videtur eſſe iuxta cõmuniorem modum loquendi:nam ob eam rationem omnes ferè Thomiſtæ iudicant in Euchariſtia reproduci Chriſtum Dominum, quia cenſent non poſſe aliter ſaluari rationem conuerſionis Euchariſticæ ob eamdem rationem, eſto de ipſis formis ſæpè dicamus,eas conuerti in alias ſibi ſuccedentes, ideoque dicamus, Forma alimenti conuertitur in formam equi,(quidquid hoc vnus aut alter neget,) nunquam tamen dicimus,in homine cibum conuerti in animam rationalem: cuius non eſt alia ratio, niſi quia anima rationalis, quæ tunc ſuccedit in ea materia, non producitur. Id ipſum inde etiam probatur, quia (vt dicemus ſtatim reſpondendo obiectionibus contrariis) terminus à quo confunditur cum termino cedente,& terminus ad quem, ſeu in quem conuerſio fit, vocatur ſuccedens: atqui nulla penitus ratio poteſt excogitari,ob quam aliquid non poſſit dici cedens, niſi corrumpatur, & tamen poſſit dici ſuccedens, eſto non producatur: ergo debemus eodem modo de vtroque diſcurrere. Denique ratione quaſi à priori, nam vox hæc *conuerſio* inuenta eſt à Philoſophis ante vllam notitiam myſterij Euchariſtici: (de quo nunc diſputamus.) In omnibus autem eis conuerſionibus, nulla penitus excepta, non minùs datur productio termini formalis ad quem, quàm detur deſitio termini à quo:quo ergo fundamento, quæſo,dicere poſſumus requiri deſitionem termini à quo, non tamen requiri productionem termini ad quem?aut cur, quæſo, mihi eodem iure non licebit è contrario dicere, requiri productionem termini ad quem,non tamen deſitionem termini à quo?ergo melius longè loquemur,ſi dixerimus vtrumque requiri, vel certè neutrum: quando enim in omnibus rebus per vocem aliquam ſignificatis reperiuntur duo aliqua prædicata, non licet mihi dicere, vnum ex ex illis præciſè ſignificari per illam vocem,non alterum; ſed debebo æqualiter de vtroque diſcurrere. 4

Sententia Thomiſtarum Chriſtum in Euchariſtia reproduci.

Vox conuerſio vſurpata à Philoſophis ante myſterium Euchariſticum.

SECTIO II.

Dum reſpondetur aliquibus obiectionibus, roboratur magis doctrina præcedentis ſectionis.

CARDINALIS Lugo diſput. 7. de Sacramentis ſect. 9. poſt impugnatum Patrem Hurtadum à numero 147. vſque ad 171. fusè impugnat ea quæ paulò antè eo Tomo Philoſophico ego ſuppoſui; & Primò quidem, quia dixi communiorem eſſe modum noſtrum loquendi,idque ab ipſomet Lugo agnoſci, dum ait eum eſſe ſatis plauſibilem: miratur, vbi ego inuenerim eam maiorem communitatem; deinde ait, ideò ſe dixiſſe noſtram ſententiam eſſe ſatis plauſibilem, quia noua eſt, iuxta illud: 5

Eſt quoque cunctarum nouitas grauiſſima rerum.

Diuum Thomam, quem adduxi ex quæſt.2. art. 1. vbi ait, *In Deum nihil poſſe conuerti, quia*

Cardinalis Lugo miratur & impugnat noſtram doctrinam Philoſophicam:

D. Thomam aſſerentem nil

Digitized by Google

in Deum conuerti, quia eſt incorruptibilis, aliter explicat.

quia eſt incorruptibilis & ingenerabilis, explicat de conuerſione in Deum per mixtionem; ſicut vnum elementum conuertitur in aliud; & hoc ait benè probari ex eo quòd Deus ſit ingenerabilis, quia oporteret ad talem conuerſionem introduci in materiam naturæ humanæ materiam Diuinæ: quod argumentum nihil probat de tranſſubſtantiatione, vt ibi explicat Caietanus. Ait autem noſtram ſententiam adeò eſſe nouam, vt Vaſquez probet diſput. 181. ſolum Gabrielem eſſe pro illa; & Valentia eam dicat eſſe ineptam quorumdam Recentiorum opinionem, & contra communem ſenſum omnium Theologorum & Auctorum qui contra hæreticos ſcripſerunt.

6

Eius explicatio refutatur.

Circa quæ Dico breuiſſimè Primò, explitionem pro Diuo Thoma nullam omnino eſſe; nam Sanctus Doctor agit ibi de conuerſione, qualis eſt elementi in mixtum, hæc autem conuerſio fit per ſucceſſionem formæ mixti in locum formæ elementi (etiam ipſo Caietano teſte ad eum locum;) quia elementa non manent formaliter in mixto; ergo ſi ad hoc, vt forma aliqua ſit id, in quod aliud conuertitur, non debet ipſa generari aut produci, ſed ſufficit, ſi ſuccedat in munus præcedentis, profectò etiamſi forma mixti non eſſet generabilis, nec producibilis, poſſet in eam conuerti elementi forma; ac proinde ineptè dixiſſet D. Thomas, in Deum nihil poſſe conuerti, quia non eſt generabilis nec producibilis: quod verò Caietanus aliter Diuum Thomam explicet, non multum curo, quia ille non habuit clauem mentis Diui Thomæ. Loca autem duo, quæ hi Auctores poſt aliquot alios aſſerunt ad probandum, Sanctum Doctorem negaſſe productionem corporis Chriſti, diſcutio infrà, oſtendens, nec quidem apparenter Sanctum Doctorem eſſe pro eorum intento, imo potius pro noſtro. Iam nunc addo hanc nouam efficacem confirmationem circa mentem Diui Thomæ, quia non ſolum ille negauit quidquam poſſe conuerti in naturam Diuinam, ſed abſolutè in Deum: vbi etiam haud dubiè incluſit perſonalitatem Diuinam. Ratio enim generalis *Quod Deus non ſit generabilis, vel corruptibilis, vel etiam producibilis*, includit omnino ipſas etiam perſonalitates Diuinas: & quidem quoad incorruptibilitatem res eſt certa; quoad productionem verò etſi duæ producantur, ea tamen productio eſt æterna, non quæ poſſit incipere in conuerſione creaturæ ad illam; tum quia ſaltem prima perſonalitas, nempe Paternitas, eſt improducibilis: & difficultas quam iam tangam eodem modo habet in illa locum. Hoc ergo ſuppoſito argumentor ſic iuxta hos Auctores; Certiſſimum eſt non minus poſſe perſonam humanam, ſeu hominem, in Deum, ſeu perſonalitatem humanam conuerti in Diuinam, quam de facto in Chriſtum conuertatur panis; nam ſi prius tempore fuiſſet natura humana ſub perſonalitate propria, & in ſequenti inſtanti loco propriæ ſucceſſiſſet perſonalitas Patris, aut Filij, fuiſſet illa creata perſonalitas conuerſa phyſicè in Diuinam cum omni omnino rigore quo hi loquuntur in Euchariſtia, imo cum longè maiori; quia Chriſtus non exercet reſpectu accidentium proprium & rigoroſum munus ſubſtantiæ: hoc enim dicit & materialiter illa ſuſtentare, & eis vniri: id quod Chriſtus non facit. At perſonalitas Diuina exerceret in omni rigore circa humanitatem officium perſonalitatis creatæ,

Caietanus explicans D. Thomam ſimiliter reijcitur.

7

Argumentum contra prædictas explicationes, & earum Auctores.

quia & illi vniretur ſubſtantialiter; & eam perficeret ſeu compleret in genere perſonæ. Quis autem vſus eſt eo modo loquendi, vt dicat poſſe conuerti aliquam creaturam in Diuinam perſonalitatem? Et licet fortè hi Auctores preſſi hac clara inſtantia debeant id admittere, ſaltem hoc manifeſtè obtineo, à Diuo Thoma id eſſe negatum, ac proinde eum eſſe pro noſtra ſententia; non enim credendus eſt ſibi contradixiſſe. Fortaſſe quis diceret Diuum Thomam negare, poſſe humanitatem prius exiſtentem aſſumi à Verbo, ac proinde negare caſum noſtri argumenti. Reſpondeo Primò, Diuum Thomam abſolutè non negare id eſſe poſſibile diuinitus: de quo egi fusè Tomo 5. diſputans de ſubſiſtentia: ſolum enim dicit, quod non eſſet conueniens Deum, dum aſſumeret naturam, deſtruere aliquid ſubſtantiale in illa præexiſtens. Secundo reſpondeo, Eſto id neget Diuus Thomas ea ratione, quod Deus non debet deſtruere perſonalitatem præcedentem, nequaquam tamen id negare ex eo quod non poſſet conuerti in Deum, aut ex eo quod Deus eſſet ingenerabilis, & improducibilis, &c. de quo ſolo puncto nunc agimus. Et circa Diuum Thomam ſatis.

Potius fauet noſtræ doctrina D. Thomas.

Dico Secundò, Me merito dixiſſe, noſtram ſententiam eſſe valdè communem, quia reuera nunquam auditur in Scholis, formam cibi in homine conuerti in animam rationalem; ſed potius ſemper iudicatur ea propoſitio falſa; cuius rei alia ratio reddi non poteſt, quam quod anima rationalis non ſit producibilis per nutritionem; in alijs verò viuentibus, vbi pars animæ producitur, admitti ſolet ſimilis locutio. Quod vero hi dicant, ſe ſolum à nouitate vocaſſe plauſibilem ſententiam Suarez, communiſſimam inter Auctores modernos, non diſcutio, quia quæſtio eſt de interiori motiuo, quod habuere dum dictarunt hanc materiam. Vix tamen inducor, vt de eorum prudentia præſumam, nouitates qua tales vocari ab ipſis plauſibiles: ea enim ratione etiam hæreſes dicere plauſibiles debuiſſent: in hoc tamen nihil eſt poſitum: vſurpaui verba ipſorum in ſenſu communi; reſtrictionem vero hanc mentalem illorum præuidere ego non potui, quia neque ex ſcriptis vllo modo colligebatur. 8

Inſuper ſententia noſtra eſt communis in Scholis contra Lugo.

De cenſura Patris Valentiæ non ſum valdè ſollicitus, quia multa in hoc puncto dicit ibi Valentia, quæ indigent lima, & (vt ſupra oſtendimus) clariſſimè huic noſtræ ſententiæ Diuus Thomas ſuffragatur: vnde ſine vlla probabilitate dixit Valentia hanc ſententiam eſſe inuentum Recentiorum, ſaltem in Gabriele debuiſſet agnouiſſe eam doctrinam. Non item eam cenſuram curo, quia vti Cardinalis Lugo ſententiam de immediato tranſitu aquæ in ſanguinem dixit maximè eſſe iuxta antiquos Patres, cum tamen Pater Vaſquez, quem iam contra Suarez & me adducit, alioquin in Patribus benè verſatus, dicat diſput. 78. cap. 2. illam eſſe à Recentioribus excogitatam de nouo, & Pater Tannerus de eadem opinione dixerit diſput. 5. quæſt. 2. dub. 4. *Mirum & miriſſimum eſſe, eam dici communem Patrum, cum tamen nullus eam expreſſe tradiderit, & clariſſimam omnia teſtimonia quæ adducuntur habeant explicationem*: vti inquam potuit Cardinalis, non obſtantibus his tam grauibus in contrarium cenſuris, dicere communiſſimam eſſe illam ſententiam de tranſitu immediato aquæ in ſanguinem, à fortiori longè

Cenſura Valentiæ contra noſtram doctrinam non habet pondus

Digitized by Google

longè id potui ego dicere de hac noſtra ſententia,quia (vt paulò antè oſtendi) eam defendunt omnes Thomiſtæ iam communiter , & reuerà nemo dixit formam alimenti conuerti in animam rationalem:ſed quidquid de hoc ſit,veniamus ad rem.

9 *Impugnatio noſtri argumenti:*

Secundò ait non eſſe hoc bonum meum argumentum à termino totali,qui iuxta omnium ſententiam debet incipere ad terminum formalem,vt dicimus etiam hunc debere incipere:differentiam dicit eſſe claram; nam ad conuerſionem debet eſſe ſucceſſio; non poteſt autem eſſe ſucceſſio , niſi terminus formalis exercere incipiat munus,quod terminus conuerſus exercebat; hoc autem eſt produci terminum ad quem totalem. Confirmat id;nam vt terminus totalis ſuccedat, non ſufficit, quòd terminet nouam actionem, ſed requiritur, quòd incipiat formaliter; nam ſi ſubiectum antea eſſet frigidum ſimul & calidum , licet poſteà deſtrueretur frigus, non diceretur conuerti in calidum, quantumuis calor inciperet conſeruari noua actione. Item ſi aliquis eſſet ſimul Canonicus & Abbas, & deſineret eſſe Canonicus , non diceretur mutatus in Abbatem, etiamſi nouo titulo Abbatiam inciperet poſſidere. Verùm neque hoc argumentum me vllo modo vrget; & quidem inſtantiæ non ſunt ad rem, quia eis caſibus ea deſitio Canonicatus non eſſet facta ex vi Abbatiæ , prout ad conuerſionem requiritur:& idem dico de frigore in eo caſu;quòd ſi tamen ponas eum caſum , in quo ob repugnantiam facta ſit ea corruptio frigoris,& depoſitio Canonicatus , tunc ſi noua eſſet actio productiua caloris, quæ quodammodò eſſet connexa cum ea deſitione frigoris (& idem dico ſuo modo de Abbatia) admitto omnino futuram ibi conuerſionem.

Retorquetur in Auctorem,

Imò hinc ego retorqueo eam inſtantiam ad probandum , ſuccedere in munus præcedentis eſſe productionem termini totalis ad quem: nam ille,quia iam erat Abbas,eſto non exercuiſſet illud officium, non proptereà dici poteſt factus Abbas,nec mutatus in Abbatem,etiamſi incipiat iam exercere munus Abbatis,quod anteà non exercebat;ergo produci terminum ad quem totalem plus eſt quàm terminum formalem ſuccedere in munus præcedentis. Vrgeo id efficaciter ; Si Canonicus tranſeat in Abbatem relicto Canonicatu, veriſſimè dicitur conuerſus Canonicus in Abbatem non ex illa ſucceſſione Abbatiæ in munia præcedentis(vt ex terminis conſtat,) nam munia Abbatis non ſunt munia Canonici,ergo nō ob ſucceſſionem muniorum,ſed ob productionem Abbatiæ, quæ eſt terminus formalis , ratione cuius etiam totus ille homo habet denominationem mutati;quo oſtenditur eam diſparitatem inter terminum formalem & totalem non eſſe bonam.

Maximè in ſententia diſtinguente vnionem à cauſalitate materiali.

Vrgeo id clariſſimè,iuxta probabiliorem enim ſententiam vnio diſtinguitur à cauſalitate materiali: & licet fortè ea ſententia negetur ab his Auctoribus,ſaltem pro præſenti quæſtione omnino eſt permittenda; demus ergo diuinitus quantitatem cum accidentibus panis eſſe vnitam pani , non tamen ab ea materialiter cauſatam, ſed ſolùm per vnionem informatiuam eſſe receptam , vti anima rationalis eſt vnita materiæ:demus eadem accidentia mediante quantitate diuinitus eſſe etiam vnita ligno , profectò etiamſi forma ligni periret,non poſſet tunc dici conuerſa in formam panis,quæ iam anteà erat, eſto illi pani adderetur tunc cauſalitas in ea accidentia , ac proinde etiamſi ſuccederet in munere ſubſtantiæ. Denique clarius id ipſum oſtendo,nam in rigore cùm hic Auctor dicat accidentia materialia recipi in quantitate , & hæc ſolùm cauſetur materialiter à materia , non à forma , profectò dum forma ignis ſuccedit formæ ligni , non ſuccedit in vllo officio ſubſtantiæ, quia non ſuccedit in ea cauſalitate,ergo ea ſucceſſio termini totalis non debet explicari per ſucceſſionem in munere præcedentis , ſed quòd reuerà ſuccedat ſubſtantia ſubſtantiæ ſecundùm ſuum eſſe phyſicum. Vnde tandem concluditur , Sicut requiritur productio termini totalis,vt totum dicatur conuerti in totum , ita etiam requiri productionem termini formalis , vt alter terminus formalis dicatur in eum conuerſus.

Tertiò dicit malè me argumentari dum dico; 10

Idem Cardinalis Lugo noſtram argumentandi rationem impugnat:

Vt aliquis dicatur ſuccedere , non requiritur, quòd incipiat ſecundùm ſuum eſſe , ſed ſufficit ſi in munere ſuccedat; ergo vt aliter dicatur cedere , non eſt neceſſum , quòd deſinat ſecundùm ſuum eſſe,ſed ſufficit ſi in munere ; quia illa duo ſunt correlatiua cedere & ſuccedere : hoc argumentum dicit eſſe nullum , quia conuerti eſt deſinere in aliud , deſinere autem eſt perdere ſuum eſſe ſimpliciter;quòd verò in hoc aliud cōuertatur,non eſt hoc incipere eſſe,ſed ſuccedere illi in eo munere quod gerebat, neque id iuuari, eò quòd ſint relatiua , nam Pater & Filius ſunt relatiua,& tamen Filius debet incipere eſſe vt ſit Filius, & Pater non debet , additque,eos terminos non eſſe correlatiuos , quia non omnis cedens eſt conuerſus, ſed ad id debet etiam deſinere ſimpliciter.

Eius impugnatio refellitur accepta ab ipſamet ſimilitudine.

Ab hac impugnatione facillimè liberabimur,& in primis non peto ego eaſdem conditiones in correlatiuis,ſed vero ego ipſiſſima huius Auctoris ſimilitudine,& argumentor euidenter meo iudicio: Vt Prorex dicatur ſuccedere Proregi,non eſt neceſſarium incipere ſecundùm ſuum eſſe,ſed in officio Proregis : hæc eſt propoſitio maior illius Auctoris, inde infert , non eſſe neceſſum Chriſtum ſubſtantialiter in Euchariſtia produci. Iam ego ſubſumo aliam euidentiſſimam : *Vt antiquus Prorex dicatur cedere , non eſt neceſſum eum mori , ſed ſufficit,ſi officium deponat :* nunquid hæc propoſitio non eſt euidentiſſima ? Ergo ſi cedens & ſuccedens reſpondent termino conuerſo & termino in quem fit conuerſio(vt hi Auctores loquuntur.) profectò euidentiſſimè ego argumentor, dum ex duabus his præmiſſis,vna Aduerſariorum, altera mea,& communi omnium omnino euidenti infero , Ergo etiam ex parte termini conuerſi non eſt neceſſum , vt ſecundùm ſuum eſſe deſinat, ſed ſolùm in munere,ſicut aliter incipit in munere. Nunquid hoc non eſt eam ſimilitudinem, quam vt Achillem pro ſe adducunt , applicare optimè pro meo intento ?

Vt quid deſinat in aliud, non eſt neceſſe vt deſinat ſecundùm ſe,ſed in munere.

Quòd autem dicant, Deſinere in aliud eſſe deſinere ſecundùm ſe, gratis omnino aſſumitur , quia ego ſemper vrgeo ſufficere , ſi deſinat in munere , in quo dicitur ea conuerſio. Quòd verò addunt,Non omne id quod alteri cedit dici conuerſum , etiam diſplicet:apertè enim conſtat,ſi ſuccedere eſt eſſe terminum in quem,cedere debere eſſe terminum à quo,ac proinde debere dici conuerſum. Conſtet ergo me optimè ex illa phraſi horum Auctorum ſic argumentatum,Succedere eſt eſſe terminum in quem conuerſionis;ergo etiam cedere erit eſſe terminum conuerſum,& vel in vtroque non erit requirenda niſi deſitio & productio

in

Digitized by Google

in ſolo munere; vel requirenda è contrario in vtroque deſitio & productio in ſubſtantia.

SECTIO III.

Aliis nouis argumentis reſpondetur.

11 *An plus requiratur deſitionis in termino à quo, quam productionis in termino ad quem.*

QVARTÒ tamen vrgent, quia velimus nolimus, debemus fateri, plus requiri deſitionis in termino à quo, quam productionis in termino ad quem; nam terminus à quo debet omnino perire, terminus ad quem non neceſſario debet omnino incipere, ſed ſufficit, ſi terminet nouam actionem: quod enim reſpondetur, produci eſſe terminum affirmatiuum, corrumpi negatiuum, hoc inquam eſto ſit verum, pro præſenti tamen dicunt nihil facere; quia tota quæſtio eſt, cur res conuerſa debeat omnino perire, res verò in quam conuertitur non debeat omnino incipere. Reſpondeo tamen, Sine vlla petitione principij deſumi differentiam: cum enim ſimus nunc in pura quæſtione de modo loquendi, & dixerimus, Sicut terminus à quo dicitur corrumpi, ita terminum ad quem debere dici productum; rectè vlteriùs ſic ſubſumimus, Vt res dicatur corrupta, requirit ceſſationem omnis actionis, quia τὸ *corrumpi* eſt malignantis naturæ, vtpote terminus negatiuus, ac proinde requirit omnem deſitionem: at quia produci non tam multum requirit; eo enim ipſo quod terminet actionem nouam productiuam, dicitur res verè produci, colligitur optimè, Ergo poterit dici terminus in quem fit conuerſio, eſto ſimpliciter tunc non producatur primò, ſed ſolum quoad nouam actionem.

Corruptis ſpeciebus poteſt dici Chriſtus conuerſus in vermes.

Quia verò ego etiam addidi aliam ſolutionem ſcilicet poſſe dici, ad conuerſionem non requiri abſolutè quod deſinat ſubſtantia, ſed ſufficere ceſſationem actionis ſubſtantialis productiuæ illius; ad obiectionem verò, quæ inde poterat fieri, Ergo quando ſpecies conſecratæ corrumpuntur poteſt dici, *Chriſtus conuertitur in vermes*, quia inquam reſpondi, poſſe hanc ſequelam concedi ſine magno abſurdo, totus eſt hic Auctor vt oſtendat, neutram ex his ſolutionibus poſſe ſubſiſtere: & quidem quod non poſſit dici Chriſtus conuerſus in vermes probat, quia ſi hæc locutio plebem offenderet (vt ego fateor,) ergo in quæſtione de nomine, dum loquor contra plebem, minùs benè loquor: deinde addit, non ſolum plebem, verùm etiam Theologos ſcandalizandos cum D. Thoma quæſt. 77. art. 5. vbi ait indubitatum eſſe apud omnes, ex corpore Chriſti nihil generari, quia eſt incorruptibilis. 12 Reſpondeo Primò, Non referri in hoc puncto fideliter meam ſententiam, ego enim nequaquam dixi abſolutè *Chriſtum conuerti in vermes*, &c. ſed hæc ſunt mea formalia verba; *Non defuerunt aliqui apud Patrem Suarez qui id admiſerunt* (hoc eſt conuerti Chriſtum in hominem, quando homo nutritur ſpeciebus;) *in quo ego non magnum video abſurdum.* Ecce nec eam ſententiam defendo, nec dico non eſſe abſurdam, ſed non magnum in ea eſſe abſurdum; quomodo ergo tam acris poſteà contra me refutatio, ac ſi abſolutiſſimè eam doctrinam defendiſſem. Et verò, ni velimus ex præconcepta apprehenſione loqui euidentiſſimum eſt non eſſe in ea ſententia magnum abſurdum; fortè nullum: etenim ea opinio purè putè pertinet ad quæſtionem de modo loquendi; ac proinde ex hoc capite non poteſt habere magnum abſurdum. Deinde licet aliquando verbis inordinatè prolatis incurri ſoleat hæreſis, in præſenti tamen nec minimum eſt huius rei periculum explicatis terminis neque ea propoſitio aut ille modus loquendi eſt in vllo Concilio reiectus, aut ab vllo Patre reprobatus, fateor non eſſe vſurpatum; at non ideò eſt reiectus; neque enim Patres tradunt omnes omnino modos loquendi, quibus Scholaſtici ſolent ſe declarare. Neque ex eo modo dicendi vllum poteſt oriri periculum vlterioris erroris, quia ſolùm videtur inde ſequi, Chriſtum in cælo perire: at hoc nullo modo ſequitur, quia ille modus loquendi nititur contrario prorſus principio; quod ſcilicet eſto maneat Chriſtus in cœlo, poſſit dici conuerſus, eò quòd ceſſauerit actio vna ſubſtantialis. Et ſanè Caietanus quæſt. 75. artic. 4. ad tertium, Durandi nulla facta mentione, quod Chriſtus in cœlo periret, dicit; Si idem panis, qui fuerat diuinitus, rediret, poſſe id fieri etiam per reconuerſionẽ Chriſti in panem; & (quod grauius eſt) hoc ipſum videtur docuiſſe D. Thomas quæſt. 77. art. 5. Capreolus autem & Paludanus apud Suarium diſput. 54. ſect. 5. eamdem conuerſionem admittunt, licet non dicant abſolutè, Chriſtus conuertitur, ſed Chriſtus ſecundum eſſe Sacramentale. Denique D. Thomas non dixit contrarium eſſe omnium, ſed *manifeſtum eſt*, &c. Sæpè autem aliqua defenduntur valdè probabiliter contra Diuum Thomam, etiam dicentem *manifeſtum eſt*; multò autem melius poteſt dici, quod in contrario non ſit magnum abſurdum. Adde, Patrem Suarium expreſsè eo loco citato docere, Si in conuerſione Euchariſtica eſſet producta aliqua relatio ſubſtantialis, vel modus aliquis ſubſtantialis (qualem dicemus infra poni à Valentia & aliis) eo ipſo quando corruptis ſpeciebus corrumperetur ille modus, rectiſſimè poſſe dici conuerſum eſſe Chriſtum in eam ſubſtantiam tunc ſubintrantem. Vides etiam Suarium eſſe pro eo modo loquendi independenter omnino ab eo, quod in ſeipſo Chriſtus deſinat eſſe? Ex qua doctrina Suarij adiuncta ceſſatione actionis eius ſubſtantialis, quam nos cum illo conceſſimus, dixi me non videre vllum magnum abſurdùm in eo modo loquendi. Quis rogo exceſſus fuit in ea mea cenſura.

Neque ex hoc loquendi modo periculum vllum eſt erroris.

Cum Doctores multi ſimiliter loquantur.

13 *Suarez non abhorret ab iſto modo loquendi.*

Neque in ſimilibus loquendi modis timendum eſt ſcandalum, niſi idiotarum.

Quia verò ad probandum non eſſe abſurdam eam propoſitionem inter doctos, eſto plebs ſcandalizari poſſet, attuli eam propoſitionem, *Deus eſt cholera*, *Deus eſt pituita*, addunt, hoc non eſſe ſolidè dictum, quia denominatio partis non tribuitur Verbo; vnde non dicitur, *Deus eſt dens*, &c. Reſpondeo, Me optimè ſcire eas propoſitiones abſolutè non admitti: at ratio, quare non admittantur, non eſt abſurditas illatum, & indignitas ſenſus illatum, ſed alind principium, ex quo etiam non dicitur, *Verbum eſt anima*; pro meo autem intento ſufficit, & pluſquam ſufficit, quod eſto vſurparetur inter Philoſophos & Theologos modus loquendi, quo pars pro toto poneretur, & tunc ſine vllo timore liceret etiam inter vetulas dicere, *Deus eſt corpus*, *Deus eſt anima*; at etiam tunc ſcandalizarentur illæ, ſi quis diceret, *Deus eſt phlegma, Deus eſt pituita*: ergo optimè à me allatæ ſunt illæ propoſitiones ad intentum præſens de ſcandalo idiotarum. Potuiſſem etiam adferre alias, quibus

Digitized by Google

quibus Deo ſicut tribuuntur reliquæ actiones humanæ, ſine dubio in rigore Scholaſtico verè & veriſſimè tribuuntur quæ ad naturæ excrementa pertinent; per quas adhuc multò magis ſcandalizarentur homines: ſufficientiſſimè ergo probatum eſt meum intentum, hoc eſt, multas propoſitiones veriſſimas poſſe proferri inter doctos, quæ vehementer offenderent aures idiotarum.

14 *Alia noſtra ſolutio, Chriſtum non conuerti, quia nõ manent eadem accidentia, impugnatur à Lugo.*

Verùm, quoniam ſecundam addidi ſolutionem, quam abſolutè defendo, ſcilicet non poſſe Chriſtum dici conuerſum, eò quòd non maneant eadem accidentia quæ antè fuerant, nec ea deſitio fiat ex ſpeciali repugnantia panis cum Chriſto, inſurgit, nam licet non maneant omnia, manent tamen aliqua; vt quando vinum conuertitur in acetum, manent omnia accidentia quæ ſunt communia vino & aceto: non enim fit reſolutio vſque ad materiam primam. Item eodem modo ſub forma vel hominis, in quem ſpecies illæ conuertuntur, vel excrementi, manent multa accidentia, quæ fuerant cum Chriſto, exceptà vltima diſpoſitione ad formam contrariam: quæ vltima diſpoſitio eſt quid indiuiſibile, vel ferè indiuiſibile; quoad repugnantiam verò ad illam eamdem ſiue generalem ſiue ſpecialem, quæ ſufficiat vt eſſet conuerſio panis in Chriſtum, manere & ſufficere vt ſit conuerſiò contraria Chriſti in eam ſubſtantiam: tota enim illa erat ex ſola voluntate Dei volentis ad poſitionem Chriſti deſtruere ſubſtantiam panis; hæc autem eſt deinde ad ſucceſſionem muneris in locum Chriſti Domini.

Ab Ouiedo

His impugnationibus etiam eſt vſus contra me Pater Ouiedo controuerſia de generatione, licet abſoluté alio ex capite (quod ſtatim ego diſcutiam) conetur explicare, cur non dicatur Chriſtus conuerſus in hominem, etiam independenter ab eo quòd ad conuerſionem requiratur corruptio ſeu deſtructio termini ad quem: eis autem reſpondeo Primò, Eam meam ſolutionem fuiſſe etiam Patris Suarez, licet aliquantulò fuſius illam ego deduxerim; ac proinde non tam in me quàm in Suario debuiſſet diſplicere. Reſpondeo Secundò abſolute; ad primam de accidentibus remanentibus ſub vino v. g. & aceto. Ea quæ fuerint immediate ante in vino ei fuiſſe violenta. Vti aquæ bullienti eſt violentus calor, & ligno etiam eſt violentus calor vt ſeptem, ſub quo conſeruatur immediatè antequam tranſeat in ignem; ac proinde non cenſentur duæ illæ formæ fuiſſe ſub iiſdem accidentibus; quia vna fuit violenter ſub illis, & in via corruptionis, & quaſi nomine ſequentis; altera quæ ſequitur eſt connaturaliter: vnde ratione illorum accidentium non dicitur vna forma tranſire in alteram; hoc enim ſolùm dicitur in conuerſionibus naturalibus ratione ſubiecti, quod per ſe eſt commune & connaturale vtrique. Quã doctrinam Pater Suarius ſuprà etiam quantitati ipſi applicuit, dum dixit eam permanentiam quantitatis eſſe accidentariam ibi ad rationem conuerſionis, licet autem in quantitate fortè difficulter id non ſaluet Suarez, quia quantitas per ſe eſt eadem ſub vtraque forma, negata tamen quãtitate in aliis accidentibus res eſt clarior, quia illud aggregatum vt tale, quodque alio communi ſubiecto caret, non eſt idem: quòd autem nouæ diſpoſitiones ſint ſucceſſiuè, & non in inſtanti productæ, omnino eſt per accidens ad conſtituendam propterea conuerſionem.

Impugnationibus reſpondetur ex mente Suarez.

15 *Differentia inter deſitionem Chriſti & eius poſitionem.*

Ad ſecundum de repugnantia, dico non eſſe eamdem in deſitione ſpecierum panis, quæ fuit in poſitione Chriſti; nam in conſecratione directè Deus voluit vt deſineret panis, quia volebat ibi ſubſtantiam Chriſti ponere: vnde ex directa intentione ea duo fuere connexa; at in corruptione ſpecierum nequaquam Deus intendit extrudere Chriſtum, vt intret alia forma, ſed Chriſtus exiit, quia Deus non voluit vt ampliùs maneret; ipſo autem exeunte intrat forma noua naturaliter: & hoc eſt quod ait Pater Suarez ea ſectione 5. circa finem, ibi illas duas mutationes non fieri ex aliqua connexione & ſubordinatione, ſed ex voluntate Diuina coniungi partim ad occultandum myſterium Fidei, partim ad ſupplendum naturæ defectum. Id quod poteſt Secundò ſic declarari, vt in conſecratione priùs natura ſit introductio Chriſti quàm expulſio formæ panis; at in deſitione priùs ſit deſitio Chriſti non ex vi formæ nouæ introductæ, ſed vi accidentium nouorum, cum quibus quidem non magis repugnat Chriſtus Dominus quàm cum prioribus: vnde eſto per impoſſibile accidentia illa noua poſſent manere ſine ſubiecto, Chriſtus tamen deſineret ibi eſſe, eò quòd non eſſent accidentia panis, non tamen ſuccederet vlla alia forma; ea autem deſitio tunc ſine dubio non eſſet ex repugnantia vlla Chriſti cum eis accidentibus maiori quàm cum præcedentibus; quia ſubſtantia Chriſti etſi repugnet cum altera ſubſtantia, non tamen habet vllam repugnãtiam maiorem aut ſpecialem cum accidentibus aceti quàm vini; ergo illa receſſio Chriſti oritur ex ſola voluntate ipſius, non ex naturali repugnantia. Aliter in conſecratione contingit; nam ibi corpus Chriſti repugnat cum panis ſubſtantia, quam etiam expellit, ea autem repugnantia in mea ſententia negante quantitatem diſtinctam habet facillimam explicationem; nam corpus Chriſti repugnat localiter cum panis materia, ac proinde rectè explico, quomodo expellat naturaliter inde panem ſub accidentibus illis; ideoque rectiſſimè declaratur, cur panis dicatur conuerti in Chriſtum; ſemel autem eo loco occupato à Chriſto, cùm non magis pendeat Chriſtus ab accidentibus panis, vt dixi, quàm ab accidentibus aliis, tam naturaliter continuaretur eius præſentia ſub illis nouis quàm ſub antiquis, ac proinde tam impediret ne produceretur forma noua quàm anteà. Ceſſat ergo ibi Chriſtus, non quia expellitur, ſed quia vult; & deinde ſequitur per accidens quaſi ad exitum Chriſti noua forma. Profectò hæc ſolutio oſtendit ſufficientem differentiam in re ipſa ad variandum illum modum loquendi in vino præ altero caſu: quam ſolutionem inuenio etiam traditam à Patre Ouiedo ſuprà.

Deſitio Chriſti non eſt ex repugnantia Chriſti cum nouis accidentibus;

Sed ex voluntate quia vult deſinere.

16 *Obiectio ab incompoſſibilitate Chriſti cum noua forma.*

Replicabis tamen; Productio nouorum accidentium eſt prior natura expulſione antiquorum; ergo introductio nouæ formæ eſt prior natura quàm Chriſtus ibi ceſſet: ergo Chriſtus expellitur inde à noua forma; quia ſunt localiter incompoſſibiles, non minùs quàm in initio fuit e contrario incompoſſibilis Chriſtus cum ſubſtantia panis. Prima conſequentia probatur; nam ſecunda videtur certa: in ſigno enim immediato poſt accidentium nouorum productionem producitur noua forma; Chriſtus autem non deſinit niſi in tertio ſigno, quia in ſecundo corrumpuntur antiqua accidentia, deinde in tertio ceſſat eſſe ibi Chriſtus; ergo Chriſti expulſio eſt

poſt

Digitized by Google

poſt nouæ formæ productionem; ac proinde eſt ex repugnantia formæ cum Chriſto, prout ad conuerſionem requiritur.

Vrgeri autem poteſt obiectio fortiter; nam noua accidentia eo inſtanti educuntur ex ſubiecto; ergo debet ſubiectum eſſe prius natura: atqui iam eo ipſo deſinet ibi eſſe Chriſtus ex repugnantia cum ea ſubſtantia noua ſub eiſdem accidentibus. Reſpondeo Primo, Hanc confirmationem obiectionis, etſi nobis ſit contraria, non tamen cohærere cum replica; quia in hac dicitur nouorum accidentium productionem eſſe priorem natura, & deinde productionem formæ nouæ. In confirmatione autem dicitur nouam formam eſſe priorem natura quam ſint ipſa noua accidentia; ſunt ergo contraria ea duo. Reſpondeo Secundo abſolutè; Si iuxta doctrinam confirmationis vellemus diſcurrere, & priùs natura ponere materiam & formam, ac poſterius noua accidentia, facilius longè nos euaſuros; quia iuxta hanc ſuppoſitionem debemus tali modo diſcurrere, vt Deus in ſigno ſecundo naturæ eius inſtantis videns agentia in eo priori naturæ potentia ad inducenda noua accidentia, & nullum agens quod antiqua retineat, ceſſet a conſeruatione procedentium accidentium contrariorum; & poſteriùs natura a conſeruatione Chriſti; ac deinde producat nouam materiam & formam, in quibus tandem noua accidentia producantur; quo caſu clariſſimè conſtat Chriſtum ceſſare non ob nouam formam, ſed quia antiqua accidentia non poterant ibi ſubſiſtere, & tunc poſterius natura factum locum pro ſubiecto nouorum, & pro ipſis nouis: id quòd ad conuerſionem non ſufficit. Porrò rem

Reſpondetur obiectioni.

17 debere eo modo componi eſt clarum; Primò, quia abſolutè loquendo non poteſt dici, quòd noua materia & noua forma ſint omnino priores nouis accidentibus: non enim ideò producuntur noua accidentia, quia eſt noua materia ac forma, ſed potius è contrario ideò producitur noua materia & forma, quia venerunt noua accidentia, ſub quibus Chriſtus non vult manere. Vt ergo ſaluentur duo hæc, vnum quod obiectio ſupponit, nempe noua accidentia cauſari eo inſtanti à materia & forma ſubſtantiali, ac proinde hæc eſſe priora accidentibus; alterum verò, quod certum videtur in hoc myſterio, nempe ideò nouam materiam & formam produci, quia veniunt noua accidentia; debemus neceſſariò recurrere ad eam ſolutionem, quod videns Deus in priori naturæ cauſas proximè ad productionem nouorum accidentium applicatas, ac proinde quodammodò iam producta ea accidentia, ceſſet ab antiquorum conſeruatione, & producat pro eis nouis nouam materiam, &c.

Quoad priorem verò obiectionem dicimus, antiqua accidentia panis non corrumpi ex repugnantia cum nouis, quia cum ſubiectum nullum adhuc ibi ſit, in quod noua queant introduci, & ratione cuius ſit inter illa duo oppoſitio, non poſſunt propriè per noua expelli antiqua, deſtruuntur ergo illa, quia Deus ampliùs non vult illa conſeruare, niſi ad illud præcisè punctum, in quo ſi res naturaliter fuiſſent geſtæ, illa durarent; non ergo dè facto corrumpuntur ob oppoſitionem quæ iam ſit, ſed ſolùm quæ fuiſſet; ac proinde de facto non eſt ibi actu ea repugnantia, quæ ad conuerſionem actualem requiritur: è contrario verò iam oſtendi in poſitione Chriſti eſſe veriſſimam actualem repugnantiam phyſicam panis cum corpore Chriſti, quia ea duo corpora non poſſint naturaliter eſſe in eodem loco: id quod in mea ſententia non admittente quantitatem diſtinctam clariſſimè oſtenditur. Et ſatis de hac replica in fauorem eius meæ ſolutionis.

Antiqua accidentia panis non corrumpuntur ex repugnantia cum nouis, ſed quia Deus ampliùs ea non vult conſeruare.

In poſitione verò corpus Chriſti habet repugnantiã phyſicam cum ſubſtantia panis.

Poſt has impugnationes ait hic Auctor debere ab omnibus concedi, in termino à quo conuerſionis requiri deſtructionem, quia ille dicit deſinere, neque vnquam dicitur anima rationalis deſinere in cadauericam; at in termino ad quem non requiri eam productionem. Verùm hoc efficaciter reieci ſupra, quia ſicut τὸ *incipere* poteſt accipi pro incipere in officio, non verò in ſe, ita τὸ *deſinere* poteſt vſurpari pro deſinere in officio, & non in ſe; nunquam tamen hic Auctor oſtendit, cur deſinere debeat accipi ſecundùm vtramque ſignificationem, incipere verò ſecundum vnam ſolum; vnde ſemper ſupponit id de quo eſt tota quæſtio. Inſtantia de anima eſt quidem bona, at ex eadem anima argumentor ego non minus efficaciter pro me, nam ſicut non dicitur, Ex anima rationali fit cadauer, ita neque dicitur, Ex forma panis fit anima rationalis: vnde optimè colligo, eodem modo eſſe diſcurrendum de inceptione ac de deſitione. In quo puncto denique miror, quod hic auctor ita miretur in me hanc doctrinam, quam priùs Suarez & alij tot tradiderunt: dixi enim omnes ferè Thomiſtas admittere productionem Chriſti in Eucharistia, quia eam cenſent ad rationem conuerſionis neceſſariam.

Aduerſarij argumentum cum ſua inſtantia fauet noſtræ doctrinæ.

Quòd addit ex S. Auguſtino lib. 3. Confeſſ. c. 10. Chriſtum in hoc Sacramento non mutari in nos, ſed nos in ipſum; quæ verba ad moralem ſenſum trahens ita explicat, vt noſtra vitia in nobis deſinere debeant, Chriſti verò virtutes non debeant quidem denouo abſolutè incipere, ſed ſolum incipere eſſe in nobis; vnde infert, Ad terminum in quem conuerſionis non eſſe neceſſariam productionem, ſed ſucceſſionem in munere, ad terminum verò conuerſum neceſſariò requiri deſtructionem: hoc inquam magis eſt concionatoriè quam ſolidè & ſcholaſticè dictum; nam in nobis non incipiunt eſſe virtutes ipſæ Chriſti eædem omnino numero, ſed aliæ diſtinctæ forte ſpecie, quæ ſine dubio in nobis omnino producuntur. Vnde ex hoc capite potius ego argumentor contra hunc Auctorem valdè efficaciter: Nam ſi ego mea vitia à me omnino proieciſſem, eſto ea adhuc eſſent in ſterquilinio, non tamen minùs dicerentur mea vitia conuerſa in virtutes Chriſti, quàm nunc dicantur. Et verò (ne recurramus ad caſus ſolum de potentia abſoluta poſſibiles) id ipſum oſtenditur euidentiſſimè in diuitiis: quando enim quis eas amiſit, dicitur optimè, *Mea diuitiæ conuerſa ſunt in paupertatem*, & tamen tunc diuitiæ non perierunt, ſed fuerunt in alium tranſlatæ: ergo ex his modis loquendi potiùs ex integro iugulatur ſententia huius Auctoris quàm iuuetur.

Inſtantia moralis deducta ex S. Auguſtino contra noſtram doctrinam.

Retorquetur in Auctorem.

SECTIO IV.

Satisfit aliis obiectionibus.

VLTERIVS verò obiicit, me non probaſſe illud antecedens, quòd ſcilicet accidentia priùs natura exiſtant pro exiſtentia Chriſti in Sacramento. Huic tamen vno verbo reſpondeo, Me ibi non egiſſe Theologum, breuiter tamen dixiſſe

Digitized by Google

dixiſſe id probari ex eo, quod ſpecies præſupponuntur prius natura pro conſecratione: fuſiorem autem huius veritatis deductionem & meo iudicio clariſſimam iam ſupra tradidi. Quod item vlterius dixi, cauſalitatem effectiuam, quæ non eſt materialis, non eſſe propriam ſubſtantiæ, etiam probaui ſupra. Nunc addo pro me teſtimonium Patris Vaſquez, qui cum productionem Chriſti neget cum hoc Auctore adhuc tamen diſp. 181 num. 31. & 32. ait. *Eam cauſalitatem Chriſti in accidentia ſine vnione neque intelligi, nedum explicari poſſe*; & cum admiratione interrogat, *Quis eam dicat eſſe modum ſubſtantialem?* intelligit autem, non quod ille modus in ſe ſit ſubſtantia; quia neque hoc habet ipſa productio hominis; ſed quod ſufficiat ad rationem conuerſionis ſubſtantialis; vbi vehementer in eam cauſalitatem inuehitur. Ecce Patrem Vaſquez habet hic Auctor magis adhuc exclamantem contra ipſum quam contra nos.

Vaſquez negat cauſalitatem Chriſti in accidentia ſine vnione intelligi non poſſe.

Motus localis immediatè exercetur circa ſubſtantiam.

Addit quinto, Me minus benè docere, motum localem exerceri immediatè circa ſubſtantiam; ego autem adhuc dico, mihi id ex terminis videri notum, ſi ſemel negetur quantitas diſtincta; nam licet tactus, qua parte eſt ſenſus, percipiat calorem, &c. at quis dicet, ventum tangentem, ſeu mouentum roſam, immediatè impellere odorem & rubedinem roſæ, & non potius molem illam ſeu corpus illud impenetrabile? Dixi, *Licet tactus, qua eſt ſenſus, percipiat accidentia*; nam hic Auctor minus bene ſic dicit: *Alij ſenſus percipiunt accidentia, ergo & tactus*: etenim illa perceptio ſenſus tactus non eſt tactus mouentis, ſed cognoſcentis, ventus enim, lapis, globus tangit hominem mouendo, non verò per ſenſationem: ille ergo tactus, qui eſt cauſa motus, fundatur in mole corporea, quæ non conſtituitur per odorem roſæ, &c. Vide, an non potiori iure dici hic poſſet, non benè conſideratam ab his eam: quæ ſit in voce *tactus*, æquiuocationem, & inde me ſine cauſa refutatum adeò acriter?

20 *Inſtantia pro cauſalitate Chriſti in accidentia refellitur.*

Sexto ait, Non poſſe demonſtrari corpus Chriſti intra accidentia, niſi verè Chriſtus exerceat circa illa munus ſubſtantiæ, etiamſi aurum demonſtretur in ciſta aut vaſe ſine eo munere; nam ſi ponatur vas vitreum, & deſtructa eius ſubſtantia maneant accidentia, ac inuiſibiliter ponatur intus aurum, non poſſet dici, *Hoc iam non eſt vitrum, ſed aurum*: iudicarent enim omnes tunc vitrum eſſe verſum in aurum. Reſpondeo, Hanc inſtantiam non officere nobis in minimo, quia eo caſu cum vas propter vacuitatem interiorem, vbi naturaliter poteſt eſſe aliud corpus, & propter aliud ipſum ſpatium, quod accidentia ea occupant, & prius occupabat ſubſtantia vitri, cauſet ambiguitatem in eis propoſitionibus, an ſcilicet qui dicit *Hoc*, intelligat id quod eſt in interiori vacuitate, an illud quod ſub accidentibus, ac proinde ibi ſit neceſſaria diſtinctio; in noſtro tamen caſu nulla remanet æquiuocationis occaſio, cum ſub accidentibus panis nihil ſit aliud quod demonſtrari poſſit, niſi vnicus, vt ſic dicam, locus, nempe ſub illis ſpeciebus; ac proinde eſto Chriſtus nullum munus ſubſtantiæ circa ea accidentia exerceat, nihilominus, eo ipſo quòd ſolus ſit in illis ſine pane, demonſtrari optime poteſt ſub accidentibus illis: noſtrum ergo argumentum & inſtantia optimè ſubſiſtunt; ea verò de vitro ex defectu diſtinctionis circa duplicem illam vacuitatem, ſeu capacitatē illius, omnino eſt extra intentum noſtrū.

21 *Argumentū Vaſquez & pro eo replica iuxta mentē Concilij Tridentini ſoluuntur.*

Circa argumentum verò, quo Vaſquez probare intendit, non eſſe neceſſariam productionem, quia Tridentinum eam collegit ex ſola veritate verborum; verba autem eſſent vera, eſto Chriſtus non produceretur; quod argumentum hic Auctor deinde repetit; dixi ego etiam è contrario, Licet non deſtruetur ſubſtantia panis, ſed alibi poneretur, verba tamen fore vera; & nihilominus ponunt eam deſtructionem; ergo etiam Aduerſarij ponunt aliquid, quod non colligatur vi verborum. Contra hanc ſolutionem replicat cum Vaſquez hic Auctor, nam eam deſtructionem collegit Concilium tum ex veritate verborum, tum quia non ſunt multiplicanda miracula, quale eſſet, conſeruare panem alibi ſine accidentibus. Quia verò ego vlteriùs addidit interrogando, Vnde Patres Concilij intulerint in hoc myſterio, vbi ſunt tot miracula, non eſſe etiam hoc? reſpondet, Patres Concilij alias regulas Philoſophicas fuiſſe ſecutos, ſentiebant enim iuxta aliorum hominum mentem, nullam ſubſtantiam conſeruari ſine ſuis diſpoſitionibus, ſentiebant materiam primam ſine forma ſubſtantiali non poſſe naturaliter conſeruari, nec Patres Concilij dubitaſſe de omnibus principiis receptis, accedente præcipuè communi ſenſu fidelium, qui ex Chriſti verbis ſincerè intellectis idem perpetuò collegerant. Hæc ille.

22 *Replica ex Concilio Tridentino retorquetur in Auctorem ex eius doctrina.*

Ego verò multa habeo maxima conſideratione digna circa hanc replicam Et Primò obſeruo, non debuiſſe ab hoc Auctore contra me hanc replicam fieri circa explicationem Concilij à me datam, cum omnino ſimilis explicatio data ab ipſo fuerit pro Conciliis definientibus, in Chriſto non eſſe ſubſiſtentiam humanam ſimul cum Diuina: agens enim Cardinalis Lugo contra ſententiam ferè dicam communem, quæ admittit diuinitus poſſe vtramque ſubſiſtentiam cohærere, argumentatur ſic: *Sic diuinitus poſſent cohærere, non habuiſſent fundamentum vllum Concilia ad dicendum re ipſa non manſiſſe ſimul, nam licet miraculoſa fuiſſet ea permanentia, quod quæſo habuit Concilium fundamentum ad dicendum non interueniſſe ibi miraculum illud nouum? maximè cùm fortè maius ſit miraculum deſtrui ſubſiſtentiam incorruptibilem quam ſimul conſeruari cum Diuina? denique vtrumque eſt miraculum; vnde ergo collegit Concilium, hoc potius miraculum quam illud eſſe factum?* Hæc ille verbo ad verbum: quæ ſunt mea etiam formaliſſima verba quæ ego hîc obieci contra reſponſionem eorum docentium, Concilium licet non collegerit ex veritate verborum eam deſtructionem panis, illam tamen collegiſſe ex eo quòd eſſet miraculum conſeruare panem ſine accidentibus; dixi enim, Vnde Concilio conſtitit Deum non feciſſe hoc miraculum, vbi tam multa alia interueniunt? dixi etiam, Fortaſſe eſſe maius miraculum deſtruere materiam primam natura ſuâ incorruptibilem, quàm eam conſeruare ſine forma, &c. Ergo ſi illa replica huius Auctoris eo loco bona fuit, debet & mea hîc apud illum bona eſſe, niſi alia regula ſe, alia cæteros metiri velit.

23 *An Concilia definierint, ſubſtantiam panis non manere abſolutè.*

Secundò miror ſupponi ab hoc Auctore in hac obiectione, quòd Concilium Tridentinum aut vllum aliud definierit, ſubſtantiam panis non manere abſolutè in rerum natura; taceo, quod id collegerit Concilium ex veritate verborum, taceo, quod id aliqui fideles collegerint ex ſincera

ſincera veritate verborum Chriſti, in nullo Concilio aut Pontificis definitione, aut vllius Sancti Patris teſtimonio (Diuum Thomam excipio, quia illum inter Scholaſticos pono) inuenietur vel minimum verbum inſinuans panem deſtrui abſolutè , ſed præcisè, quòd non maneat ſub ſpeciebus ; vnde qui diceret ad conuerſionem (vt hi Auctores non requirunt productionem termini ad quem, ſed ſucceſſionem illius in eo munere in quo fit conuerſio) ex parte termini à quo non requiri deſtructionem illius , ſed quòd ceſſet à munere , etiamſi alibi conſeruetur , ac proinde eſto alibi maneat ſubſtantia panis, nihilominùs veram, propriam propriiſſimamque eſſe conuerſionem panis in corpus Chriſti ; qui ita inquam doceret, nec in minimo vlli definitioni Conciliorum aut Patrum opponeretur; ergo iam tota ea machina de principiis Philoſophicis, quæ Concilium dicitur attendiſſe, penitus ruit.

24 *Declaratur noſtra doctrina ex verbis Concilij Tridentini.* Vt verò id intelligatur melius, aduertendus eſt diſcurſus Concilij ea ſeſſione 13. cap. 4. can. 2. ex quo clarè intelligitur, illud nihil de ea deſtructione panis dixiſſe : capite enim 4. ſolùm ait; *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id , quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit ; ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit , per conſecrationem panis & vini conuerſionem fieri* , &c. Ecce Concilium non aſſumpſit aliud principium ad eam conuerſionem, quàm id, quod ſub ſpeciebus panis offerebatur , dictum eſſe à Chriſto eſſe ſuum corpus: hæc autem propoſitio etſi includat excluſionem panis ſub illis ſpeciebus , nec virtualiter tamen, nec explicitè , nec vllo penitus modo excludit nem alibi: nec Concilium dixit , *Eò quòd panis nullibi ſit*, &c. Id clariùs adhuc ex eo canone ſecundo colligitur , vbi cùm anathematizaſſet eos, qui ſimul cum corpore Chriſti ponunt panem, addit hæc , *Negaueritque illam mirabilem conuerſionem* , &c. Vides ex ſola non permanentia panis ſub ſpeciebus, nulla omnino facta mentione deſtructionis illius in aliis locis (quod tamen addi omnino debuiſſet à Concilio, ſi iudicatum fuiſſet ab eo pendere veram conuerſionem) inferri, eſſe anathemate dignos eos qui conuerſionem illam negant: vnde concludo *Concluditur, ad veram conuerſionem ſufficere ſi panis non maneat ſub ſpeciebus, etiamſi alibi maneat.* ex diſcurſu toto Concilij, ad conuerſionem panis in vinum non requiri, panem alibi non manere, ſed ſufficere , ſi ſemel concedatur non manere ſub ſpeciebus conſecratis: quòd ergo alibi non maneat , eſt quidem iuxta Scholaſticorum ſenſum, quia illi putant ad veram conuerſionem eas deſitiones requiri ; vnde non ex Concilio , ſed aliunde debebant hi Auctores probare deſtrui panem, Chriſtum verò non produci.

25 Tertiò circa eam doctrinam dico , me adhuc magis mirari , quòd hi Auctores velint nobis perſuadere , Concilium definiiſſe eo loco omnia hæc : Primò, quòd ibi nullum aliud miraculum intercedat : Secundò, quòd ſit miraculum , ſubſtantiam conſeruari ſine ſuis accidentibus : Tertiò , quòd materia prima non poſſit naturaliter eſſe ſine forma ſubſtantiali : Quartò (quod grauius eſt, & ad quod hic Auctor nihil reſpondit) maius eſſe miraculum conſeruari materiam primam ſine forma , quàm eam deſtrui , eſto naturaliter ſit indefectibilis; profectò nulla eſt ratio probans ſufficienter materiam non poſſe ſine forma conſeruari; vnde probabiliſſima eſt multorum ſententia id affirmantium. Certè etiam *Apologia pro ſententiis Philoſophicis;* poſtquam dixit hic Auctor, Concilium ſupponere alia longè principia quàm ego ſupponam; poſtquam dixit, Concilium non voluiſſe inuertere omnia principia Philoſophica (prout hic Auctor putat me ea velle inuertere eo ſolùm ex capite, quòd dixerim dubium eſſe , vtrùm naturaliter materia poſſit eſſe ſine forma) poſtquam hæc ille inculcauit , adhuc tamen Pater Franciſcus Ouiedo adeò ea cenſura non eſt territus, vt docuerit nullum ibi fore miraculum. Nunquid etiam eſt damnatus in Tridentino hic Auctor? nunquid illi , qui exceptis animantibus & viuentibus nullam aliam formam ſubſtantialem concedunt in mixtis niſi formas elementorum, damnati ſunt , ſi dicant eam formam panis cum ſua materia poſt ſeparata accidentia rediiſſe ad alia elementa? id quod ſatis plauſibiliter docere poſſunt iuxta ſua principia: admittunt enim partialem penetrationem, ac proinde etiam inuenire poſſunt facilè locum pro ea materia. *Quas Concilium Tridentinum nullibi reprobat.* Rogo etiam, an & damnati illi, qui dixerunt maiorem violentiam fieri materiæ natura ſua incorruptibili , ſi annihilaretur , quàm ſi conſeruetur ſine accidentibus? eſtne credibile de his punctis purè putè Philoſophicis, & valdè incertis , Concilium egiſſe , aut quidquam definiiſſe ? debuiſſet autem omnia hæc ſimul definire; quia ſi vel vnicum ex illis non ſit verum, conſequentia Concilij iuxta hos Auctores eſt nulla ; cùm vt conſequentia ſit de fide , debeant præmiſſæ eſſe de fide: fusè enim oſtendi Tomo primo (& infrà aliquid dicam ea de re) ſi vel vna præmiſſa non ſit de fide, non poſſe conſequentiam eſſe de fide; *Vt conſequentia ſit de fide, præmiſſa debent eſſe de fide.* nec poſſe eſſe de fide, Ciceronem eſſe conceptum in Originali, cùm non ſit de fide, illum abſolutè fuiſſe in rerum natura : quomodò ergo erit de fide , panem alibi non manere prout requiritur ad conuerſionem, ſi non eſt de fide Deum non feciſſe alia miracula; neque eſt de fide miraculum eſſe, conſeruari panem ſine accidentibus, &c. & idem de aliis punctis Philoſophicis, à quibus dixi pendere hanc rem. Vides quàm parum ea cenſura ſubſiſtat.

26 Fortè tamen hinc contra me obiicies ; Ergo etiam non requiretur ad ſaluandum Concilium vt producatur corpus Chriſti. Reſpondeo Primò, Nequaquam me contendere, Concilium definiiſſe, dari ibi eam productionem ſubſtantialem Chriſti (de qua agimus) alioquin iam contenderem eſſe de fide hanc noſtram ſententiam; quod tamen ego nec quidem ſomniaui. Dico ergo, Eſto ex Concilio ſolo ea nequaquam probetur, neque ex veritate verborum, colligi tamen ex adiuncta alia propoſitione, de qua eſto ſit dubium inter Auctores , ideoque concluſio non ſit de fide ; qui tamen iudicant illam probabiliorem, vti cùm multis aliis ego iudico , ſcilicet debere produci terminum formalem ad quem ad rationem veræ conuerſionis , conſequenter etiam vt probabiliorem defendimus illam productionem. *Probabilius eſt ad veram conuerſionem produci debere terminum formalem ad quem.* Reſpondeo Secundò, Cùm Concilium eam conuerſionem vocet ſubſtantialem , & omnes ferè Scholaſtici dicant , etiam illam eſſe conuerſionem non ſolùm ſubſtantiarum , ſed ſubſtantialem; profectò ſi aliunde probamus, excluſa productione ſubſtantiali non poſſe concedi conuerſionem quæ ſit ſubſtantialis , rectè inferemus, in Euchariſtia debere Chriſtum produci. Non poſſe autem aliter illam ſubſtãtialitatem conuerſionis probari vel ex Aduerſariis ipſis ſatis oſtenditur, quia maiori ex parte illi ſe inuicem in hoc puncto acriter impugnant. Iam vidimus ſuprà

Digitized by Google

quæ Vaſquez dicit ad probandum per cauſalitatem horum (cum quibus nunc diſputo) nihil explicari ; hi è contrario fortiter agunt contra Vaſquez , Valentiam , & alios , qui vel ſolùm ponunt pro termino præſentiam localem; cuius productio non vocatur ſubſtantialis; vel ponunt neſcio quos reſpectus in intelligibiles ſine entitate noua. Nos verò poſita actione ſubſtantiali ſimul cum præſentia & aliis quæ ſuprà diximus, clariſſimè explicamus eam transſubſtantiationē etiam annuentibus ferè omnibus Aduerſariis: licet enim aliunde eam productionem dicant non neceſſariam, fatentur tamen per illam rem benè declarari adiuncta ſimul præſentia Chriſti , vt dixi, & alligatione ad accidentia. Tertiò reſpondeo; Etiamſi verba Chriſti expreſsè non dicant eam productionem , Patres tamen videri ſæpè eam inſinuaſſe dum dicunt , *Corpus Chriſti fieri, ex pane fieri corpus Chriſti* , &c. Eccleſiam autem iuxta doctrinam Patrum eam productionem intellexiſſe: nec enim neceſſum eſt vt omnia, quæ Patres ex aliquibus locis Scripturæ intulerunt, contineantur adæquatè in eis locis: ſæpè enim Deus accepta occaſione ex verbis aliquid aliud reuelat Doctoribus & Patribus.

Hanc productionem inſinuant Sancti Patres.

27 Contra hoc vltimum inquiunt, Velle ſe ſcire vbi ſit hæc reuelatio, & cui facta fuerit. Reſpondeo Primò, Potiori iure me poſſe ab eis quærere vbi ſit facta reuelatio , & cui, quòd panis alibi non maneat: & inſuper, cui ſint illa omnia principia Philoſophica , quæ ſuprà examinauimus, reuelata. Secundò reſpondeo, Me non locutum de reuelatione aliqua in ſomnis aut iuxta fluuium Chobar vel in inſula Pathmos facta, ſed de implicita reuelatione , qua Deus permittit vt Patres ſuo diſcurſu tangant eam veritatem, illáque deinde tradant : vnde ſæpè in Eccleſia non ſolùm iudicantur certa ea, quæ in Scripturis aut Conciliis definiuntur, ſed quæ vnanimi conſenſu Patrum traduntur: & verò rogo , an in particulari alicui in Concilio Tridentino , an verò omnibus ſimul ſumptis apparuerit Deus ad reuelandas eas veritates, quas ibi definierunt Patres? & id adhuc clariùs cernitur in Canonizatione Sanctorum. Quòd ſi hi cupiant videre teſtimonia Patrum, qui hanc productionem Chriſti tradunt , multa apud Patrem Suarez inuenient; adeò vt Pater Ioannes Præpoſitus ſuo Tomo in 3. p. q. 75. art. 6. dub. 2. cùm aliqua ponderaſſet in hæc concludat verba : *Certe ſi quis nulla ſententia ſit præoccupatus , aduertatque id Diuinæ potentiæ non eſſe impoſſibile , ex his & ſimilibus Patrum locutionibus colliget corpus Chriſti per conſecrationem produci.* Vides me plumbeo, vt ſolet dici, pede in toto eo diſcurſu proceſſiſſe? nec debent in nobis hanc ſolutionem mirari Pater Vaſquez aut Cardinalis Lugo; nam etiam Pater Valentia, cum ipſis alioquin conſentiens in neganda ea ſubſtantiali actione, dum tamen reſponderet ad obiectionem , quæ contra ipſum ponentem habitudinem ſubſtantialem in corpore Chriſti fieri poſſet, quòd ſcilicet ea habitudo non colligatur ex vi verborum , ita ea diſput. 6. quæſt. 3. Tom. 3. ait : *Reſpondeo, Non ſatis eſſe aſſerere modum conuerſionis, qui vtcumque ſufficiat, vt illa verba conſecrationis verè proferantur , ſed oportere aſſerere talem modum, qui ſufficiat, vt veritas illorum verborum conſiſtat eo modo , quo intelligitur ab orthodoxis Patribus* & paulò poſt: *Alioquin poſſet eo argumento probari , nec eſſe quidem neceſſe talem modum conuerſionis aſſerere , quo ſubſtantia panis ſimpliciter eſſe deſinat , ſed ſufficere , ſi tantummodò eſſe deſinat ſub illis ſpeciebus.* Hæc Valentia. Quæ eodem modo debet dicere qui ponit cauſalitatem ; quia neque hæc cauſalitas requiritur ad veritatem verborum; & apparet nos non gratis etiam recurrere ad modum quo Patres ea verba intellexerunt. Et ſatis nunc occaſione eorum quæ contra tradita à me in Philoſophia dicta ſunt: quæ ideò hîc ponere placuit, quia ex his colligitur claré, quid ſit de eſſentia conuerſionis vt ſic , & quid circa Chriſti Domini productionem in hoc Sacramento ſentiendum. Denique, cùm oſtenderimus efficaciſſimè Chriſti verba non petere vllo modo panis deſitionem , & tamen eam deſitionem vix non dicant hi eſſe de Fide, non eſt cur objiciant nobis magis quidquam de probatione productionis quàm nos poſſimus de probatione deſtructionis.

Meritoque poteſt dici Deus per eos implicitè reuelaſſe.

Vt tandem hanc noſtram doctrinam deſinant mirari Cardinalis Lugo.

Verba Chriſti non petūt vllomodo panis deſitionē.

Illud pro complemento huius puncti obſeruo , Patrem Coninck nobiſcum ſentientem, ad hanc conuerſionem eſſe neceſſariam productionem nouam corporis Chriſti, eam inde probare, quòd nulla omnino res poſſit poni in duobus locis, niſi reproducatur, & verò ita, vt noua virtualitas rei ſit ea quæ ponitur in ſecundo loco, diſtincta ab ea quæ eſt in priori; vnde vlteriùs infert, rem ſic replicatam æquiualere duabus diſtinctis in ordine ad accidentia contraria ſuſcipienda , ad amandum & odio habendum idem obiectum, ad aſſentiendum obiecto , & diſſentiendum eidem obiecto, & ſimilia. Variis in locis egi fusè contra hanc doctrinam maximè quoad punctum de virtualitate diſtincta; probaui enim per eam dari occaſionem ad negandam omnem omnino diſtinctionem realem in creaturis, & ad dicendum, equum & leonem eſſe idem realiter inter ſe, nec aliam habere diſtinctionem quàm virtualem. Deinde rogo , Ea virtualitas Chriſti , quæ de nouo ponitur in Euchariſtia, eratne anteà cum Chriſto in cœlo , an non? ſi non erat, ergo realiter extitit Chriſtus ſine illa: hoc autem eſt euidens ſignum realis diſtinctionis, vnum ſcilicet poſſe realiter ab altero ſeparari, ſi erat cum Chriſto in cœlo; ergo noui nihil ponitur, quod non fuerat anteà ; ac proinde iam illæ virtualitates erunt omnino impertinentes. Deinde in anima rationali & Angelo, qui naturaliter habent præſentias extenſas, idem reijcitur. Rogo , Quæ eſt illa virtualitas, quam habet anima dum corpus augetur, ac proinde dum ipſa occupat maiorem locum retento priori ? & vbi quæſo illa virtualitas anteà fuit? quò verò ſe recipit, quando homo aliquantulum maceſcit? 28

Ratio Coninck productionē nouam corporis Chriſti per virtualē diſtinctionem reiicitur:

Quia datur occaſio negandi diſtinctionem realem.

Quod item ait , ad recipiendam nouam præſentiam alibi eſſe neceſſariam nouam productionem ſubſtantialem, fusè etiam reieci ſæpè ; quia vti quando naturaliter mouetur ex vno loco in alterum, id fit ſine noua actione ſubſtantiali: quo caſu homo habet ſub eadem actione diuerſas præſentia ſucceſſiuè; ita diuinitus poteſt omnes illas ſimul retinere ſub vna actione ſubſtantiali. Pro quo puncto non eſt neceſſum iam oſtendere , vbicationem eſſe modum aut accidens intrinſecum : ſiue enim hoc ſit , ſiue denominatio extrinſeca aliunde deſumpta , certum eſt illam aliquid eſſe, & illud variari in nobis non variata actione ſubſtantiali, nec producta noua virtualitate in nobis. Vrget: Vbicationes debent produci in ipſo nouo loco, vel in antiquo: ſi in nouo, iam debet 29

Contra Coninck, ad recipiēdam nouā præſentiam alibi non eſt neceſſaria noua productio ſubſtantialis.

Obiectio retorquetur.

tur & ſoluitur.

debet ſubiectum ſupponi ibi exiſtens; ergo non eſt iam neceſſaria noua vbicatio: ſi verò hæc producatur in loco antiquo, ergo ea non erit noua, ſed antiqua. Hoc argumentum diſſolui ſuo loco, probauique non minùs eſſe contra eius Auctores quam contra nos; quia in motu locali ordinario habet eodem modo locum. Rogo enim, Quando moueor; vbi produco vbicationem meam, an in me iam exiſtente in nouo loco? & tunc gratis illa producitur; an in me vt exiſtente in antiquo loco; & tunc manebo in eodem loco, & nouum acquiram. Quod argumentum non pendet (vt paulò antè dixi) à ſententia de vbicatione modali, quia in fundamento eius vbicationis (quidquid illud ſit) eadem facilitate formatur. Abſolutè ei reſpondendum eſt, in priori naturæ ante vbicationem non intelligi niſi ſolam ſubſtantiam ex ſe indifferentem ad hunc vel illum locum; ſicut in priori antequam ego me determinem hoc inſtanti ad manendum hic, vel occupandum nouum locum, nec intelligor in antiquo, alioquin non poſſem illum deſerere; neque intelligor in nouo, alioquin non poſſem me determinare ad retinendum antiquum. Verùm contra eam ſententiam fuſius egi in Phyſicis, & Cardinalis Lugo fuſiſſimè deinde hac 3. p. Sufficiat hæc breuiter inſinuaſſe.

SECTIO V.

Explicatur ex dictis, Vtrùm qualibet res poſſit in quamlibet conuerti?

30 PRIVSQVAM magis diſtinctè explicemus quæ in conuerſione Euchariſtica reperiuntur oportet hanc difficultatem annexam planè his quæ de conuerſione vt ſic diximus expedire. Ei vno verbo reſpondeo, Eam rem, quæ poteſt deſtrui, poſſe in aliam conuerti, ſi hæc poteſt produci ſub aliquo communi tertio. Probatur ex dictis ſuprà, quia ad conuerſionem requiritur & productio termini ad quem, & deſitio termini à quo ſub eodem tertio; vnde nec Deus in creaturam, nec è contrario creatura in Deum conuerti poteſt: quia Deus nec produci nec deſtrui poteſt.

Res quæ poteſt deſtrui, poteſt in aliã conuerti.

Dices: Si Diuina perſonalitas aſſumeret naturam humanam, expellendo inde perſonalitatem creatam quæ priùs extitiſſet, perſonalitas creata conuerteretur in Diuinam; ergo poteſt creatura in Deum conuerti. Reſpondeo negando antecedens, quia perſonalitas Diuina non produceretur ex vi illius aſſumptionis, quam requiri ad conuerſionem ſuprà oſtendimus; & ob eamdem rationem dicimus formam alimenti in homine non conuerti in animam rationalem: diceretur quidem perſona creata in concreto conuerſa in diuinam etiam in concreto, quatenus dicit compoſitũ ex perſonalitate diuina & humana: quod compoſitũ tunc vere produceretur, quia produceretur vnio hypoſtatica, ratione cuius reſultaret homo Deus & perſona Diuina in natura humana: ſicut etiam in homine diximus alimentum conuerti in hominem, quia licet anima rationalis non producatur, producitur tamen vnio, & ratione illius homo dicitur produci. Hæc dicta ſunt iuxta principia noſtra, quod ad conuerſionem requiratur productio termini formalis ad quem. In ſententia verò Patris Vaſquez & Lugo maior eſt difficultas; & quidem Angelum ait Lugo poſſe conuerti in lapidem, & lapidem è contrario in Angelum, ſi Angelus habeat potentias diſtinctas, quæ ſint vera accidentia; nam ſi potentiis caret, cum actus vitales ſint modi, qui conſequenter non poſſint eſſe in alio ſubiecto, non facilè inuenientur alia accidentia in Angelo, ſub quibus poſſit fieri illa conuerſio.

Cur creatura non poſſit conuerti in Deum. Et de facto alimentum non conuertatur in animam rationalem.

Maior eſt difficultas in ſententia Vaſquez & Lugo. Qua ratione fieri poſſit conuerſio Angeli in lapidem, & lapidis in Angelum.

Ego miror hunc Auctorem iudicaſſe eam reſolutionem eſſe dependentem à diſtinctione potentiarum; miror item eum non facilè inueniſſe alia accidentia realia in Angelo: numquid in Angelo non eſt gratia habitualis? numquid non habitus ſupernaturales, ſub quibus poſſet fieri ea conuerſio? Quod ſi adhuc dicatur, ſermonem eſſe de Angelo in ſtatu naturali; Contrà Primò quia cùm hic ſit ſermo in ordine ad potentiam abſolutam, non debuiſſet abſolutè eis negari conuerſio, etiamſi illa non niſi ratione gratiæ & habituum ſupernaturalium fieret. Contra Secundo, quia adhuc eſt modus facilis inueniendi accidentia abſoluta naturalia, hoc eſt naturales ſpecies pro cognoſcendis obiectis, quas hic Auctor cum communi ſententia agnoſcit. Vlterius, ſunt habitus voluntatis, quos etſi hi non diſtinguant à ſpeciebus, debebant tamen poni ſub ea conditione, ſub qua potentiæ ſunt poſitæ; admitti ergo debet, ſine omni dubitatione ex eo capite conuerſio illa.

Difficilior fortè ex alio capite erit reſolutio, quia licet lapis conuerti queat quatenus deſinere debet, eo ipſo quod priuetur ſuis accidentibus, in Angelo tamen è contrario non habet id locum; nam eſto habeat ſpecies illas (quas diximus eſſe vera accidentia) ab illis tamen non pendet naturaliter; vnde non poſſet deſinere ex eo, quod illi hæ auferrentur, & lapis ſub illis poneretur; ergo cum ad conuerſionem requiratur ea deſitio termini à quo, non poterit Angelus conuerti in lapidem, licet lapis poſſit in Angelum. Reſpondeo tamen, Si res benè conſideretur, idem eſſe fundamentum de ſpeciebus ac de potentiis diſtinctis, in quibus hi Auctores admittunt conuerſionem: etenim propterea ablatis potentiis Angelus eſſet deſtruendus naturaliter, quia Deus vt Auctor naturæ præciſè conſeruat Angelum in ordine ad operationes; ergo ſi auferret illi omnes potentias, eo ipſo eum debebit deſtruere. Hoc fundamentum, ſi benè (vt dixi) res conſideretur, habet locum in ipſis ſpeciebus impreſſis; nam eis omnibus ablatis nullum omnino actum poterunt Angeli habere: intellectus enim (vt ſuppono) non poteſt quidquam niſi per ſpecies cognoſcere (vt multi cenſent;) ergo ratione defectus ſpecierum impedientur ab omni operatione intellectus, intellectu autẽ impedito etiam impedietur voluntas, & conſequenter omnis actus; Angeli ergo debebunt etiam corrumpi. Quidquid verò de hoc ſit, Secundò reſpondeo, Poſſe dici ad conuerſionem ſufficere repugnantiam moralem inter illa duo extrema (vt docet Cardinalis Lugo & alij multi;) ea autem repugnantia poſſet inde venire, ſi Deus decreuiſſet non conſeruare Angelum niſi cum illis ſpeciebus, & poſteà ſub eis poneret lapidem: eo enim ipſo vi illius prioris decreti ea poſitio lapidis eſſet cauſa deſtruens Angelum. Vtraque tamen hæc ſolutio habet in meis principiis difficultatem, quia puto ad conuerſionem

31 *An par ſit ratio vtriuſque conuerſionis, ſicut lapidis in Angelum, ſit a Angeli in lapidem.*

Pro eiuſdem ſolutione reſponſa varias patiuntur difficultates.

uerſionem propriè phyſicam vti termini debent eſſe phyſici, ita & repugnantiam debere eſſe phyſicam;qualē ratione impenetrabilitatis oſtendimus ſuprà inter panem & Chriſtum.

32 Prima etiam ſolutio habet difficultatem, quia licet in pane pendente à priori à diſpoſitionibus dicamus illum naturaliter ſaltem quoad formam perire debere eis diſpoſitionibus ablatis, & in materia prima,quia completur ſubſtantialiter per formam, ac proinde ſine illo complemento non videatur naturaliter debere conſeruari. In Angelo tamen, quia etiam ſine omnibus potentiis eſſet ſubſtantialiter completus, non video cur miraculum maius eſſet eum ſic imperfectum accidentaliter conſeruari, quam contra exigentiam naturalem, qua petit in æternum durare, ſi ſemel productus ſit, eum annihilari aut deſtrui,ſi maius autem miraculum eſſet annihilatio, profectò non periret naturaliter vi eius ſucceſſionis quia ſi naturaliter loquamur, data occaſione admittendi vnum è duobus miraculis, minus eſt admittendum maiori omiſſo: vnde concludo; Etiamſi ad conuerſionem non requiratur productio termini formalis ad quem, non poſſe tamen Angelum in lapidem conuerti, niſi fortè ratione ſubſiſtentiæ; caſu quo illam dicamus eſſe entitatem abſolutam, ideóque lapidem eſſe per ſubſiſtentiam Angeli diuinitus ſubſiſtere: eo enim caſu ablata ab Angelo omni ſubſiſtentia, quia ea pertinet ad complementum ſubſtantiale, faciliùs poteſt admitti ipſum naturaliter deſtruendum: id quod tamen ſuam habet difficultatem. Vtrùm autem in Deum aliquid poſſit conuerti, diximus ſuprà conſequenter ad noſtra principia nullo modo poſſe: vnde eadem via oſtendimus Diuum Thomam,cum abſolutè neget vllam creaturam poſſe in Deum conuerti, quia Deus non eſt producibilis, manifeſtè ſentire, ad conuerſionem requiri productionem termini ad quem, alioquin neceſſario eſſet admittendum, ſi loco perſonalitatis humanæ præexiſtentis ſuccederet in natura humana Verbi, aut alterius Diuinæ perſonæ ſubſiſtentia, fore conuerſionem omnino rigoroſam, vti iam hic eam admittit Cardinalis Lugo.

Sententia D Tomæ, cur creatura in Deum conuerti non poſſit.

33 Vltimò circa has conuerſiones quæri poteſt, Vtrùm, quando Deus ſuccedit loco cauſæ ſecundæ in officio cauſandi aliquem effectum, poſſit dici cauſa ſecunda conuerſa in Deum. Quæ difficultas non habet etiam locum in noſtris principiis. In oppoſitis adhuc negant nonnulli, quia terminus formalis illius conuerſionis non eſt Deus,ſed cauſalitas; vnde dicetur benè, Cauſalitas cauſæ ſecundæ eſt conuerſa in cauſalitatem Diuinam. Ego tamen in hac ratione difficultatem aliquam inuenio, nam ſi loquamur de re, quæ tunc producitur de nouo, ſine dubio ſola eſt cauſalitas Diuina; at in hoc ſenſu etiam in Euchariſtia, iuxta hos Auctores, non producitur de nouo niſi cauſalitas Chriſti in accidentia & continentia illius: vti ergo cauſalitas ea, quia denominat de nouo Chriſtum, ſufficit vt panis dicatur in Chriſtum conuerſus, cum eodem modo denominet illa alia cauſalitas Deum de nouo cauſantem, non video, cur non poſſit etiam Deus dici eſſe id,in quod prior cauſa conuerſa eſt.

Dici poteſt cauſalitas cauſæ ſecundæ conuerſa in cauſalitatem Diuinam.

Dices, Id ſummum ſufficere, vt dicatur cum addito, *Conuerſa eſt cauſa ſecunda in Deum vt cauſantem*: non tamen ſufficere vt dicatur abſolutè conuerſa in Deum ſine addito. Sed contrà quia illa ſola cauſalitas Chriſti in accidentia ſufficit, vt non ſolum cum addito dicatur, *Panis eſt conuerſus in Chriſtum vt ſuſtentantem accidentia*, ſed etiam vt abſolutè dicatur, *Eſt conuerſus in Chriſtum*; ergo illa alia cauſalitas Dei in effectum illum creatum, quæ ſuccedit loco cauſalitatis creatæ, ſufficiet ad hoc, vt abſolutè creatura dicatur eſſe conuerſa in Deum; quandoquidem in vtroque caſu nihil omnino quoad exiſtentiam ſuam accepit aut Chriſtus aut Deus.

Non verò cauſa ſecunda conuerſa in Deum.

34 Secundò dices, Ideò ibi nullam eſſe conuerſionem, quia nullus manet terminus communis ſub quo cenſeatur fieri ea conuerſio; nam effectus qui manet non eſt quid commune termino formali à quo & in quem: effectus enim non intrat compoſitionem illius concreti; diximus enim alibi cauſam non conſtitui cauſantem per effectum, ſed per ſolam actionem. Quod ſi vrgeas poſſe excogitari aliquod concretum,in quo & cauſa & effectus includantur; ergo tunc erit vera conuerſio creaturæ in Deum, quia perſeuerabit ipſe effectus ſub vtraque voce; Reſpondebitur negando conſequentiam, quia exigitur ad conuerſionem; vt termini formales habeant connexionem cum illo tertio durante ſub vtroque; cauſa autem efficiens nullam habet coniunctionem intrinſecam aut intimam cum effectu: per hanc enim vocem *conuerti* intelligitur communiter, quod ibi, ſeu in eo ſubiecto, aut termino, vbi cernebatur vnum, poſteà inueniatur aliud;vt conſtat ex omnibus conuerſionibus tam fabuloſis quam veris; vnde inferunt, non poſſe creaturam in Diuinam naturam transſubſtantiari,quia licet natura Diuina poſſit ſuccedere lapidi in munere ſuſtentandi accidentia lapidis in genere cauſæ efficientis, non tamen diceretur Deus ſubſtare illis accidentibus: ſubſtare enim non ſolùm dicit ſuſtentationem,ſed alligationem, ratione cuius dicatur contineri ſub illis accidentibus: natura autem Diuina vt talis non poteſt contineri & alligari ad aliqua accidentia; quia talis continentia ſignificat rem contentam ex vi illius præſentiæ non eſſe extra illud ſpatium accidentium: hoc autem non poteſt Deo conuenire, vti nec quòd moueatur cum eis accidentibus. Ita Cardinalis Lugo ea diſputatio. 7. ſectio. 10. Quæ probabiliter valdè pro quæſtione de nomine dicta ſunt; eſt tamen in eis hæc difficultas, quod planè videatur deſtruere id quod docuerat eadem ſectione de conuerſione perſonalitatis creatæ in Diuinam: etenim etiam perſonalitati Diuinæ non poteſt conuenire id quod vltimo loco ipſe requirit ad conuerſionem, ſeu ad hoc vt dicatur ſubſtare ſcilicet eam perſonalitatem ex vi præſentiæ, quam haberet cum humanitate verbi gratia noſtra, non eſſe extra ſpatium illius humanitatis, & quod debeat moueri cum illa quocumque feratur.

Quod tamen aliqui admittere coguntur.

Licet ſe acriter tueantur inter quos Cardinalis Lugo.

35 Dices: Perſonalitas Diuina ſi per impoſſibile non exiſteret vbique, deberet, eo ipſo quòd eſſet vnita humanitati, ferri quocumque ea humanitas moueretur. Sed contra Primò, quia non propterea de facto ea perſonalitas ſubſtat ſub ea humanitate, prout requirebatur ad rationem

nem conuerſionis; nec de facto mouetur cum humanitate, ſed dato eo impoſſibili moueretur cum humanitate, ſed dato eo impoſſibili eſſet conuerſio, non tamen de facto. Contrà Secundò, quia eo ſenſu etiam dicere poſſumus, ratione eius cauſalitatis Deum ita eſſe alligatum effectui: vt ſi per impoſſibile non eſſet vbique, deberet moueri quocumque mouetur ille effectus. Quæ doctrina maximè locum habet in ſententia eorum qui dicunt cauſam non poſſe operari in diſtans. Quæ opinio etſi fortè ex alio capite non ſit vera, non tamen ideò in præſenti admittenda non eſt; nemo autem dicet, in ea ſententia poſſe creaturam conuerti in Deum.

Dices adhuc: Etiam in ea ſententia non eſſet neceſſaria penetratio effectus cum cauſa, ſed ſufficeret, ſi eſſet contigua effectui; ad rationem autem conuerſionis requiritur intima penetratio ſub communi illo termino. Contrà tamen, quia in ordine ad homines, qui ea voce *conuerſio* (ſumus enim iam in quæſtione de nomine) etſi ſunt, nullius momenti eſt ea intima penetratio, dummodo ſit intima contiguitas: hæc enim perinde reputatur ac ſi eſſet rigoroſa penetratio. Adde, nec quidem in rigore requiri eam intimam contiguitatem; nam rectè dicimus, Effectus cauſatus à cauſa ſecunda conuertitur in effectum cauſatum à cauſa prima: id quod docet expreſsè hic Auctor eadem ſectione num. 181. & tamen ipſo etiam teſte nullus ibi habetur communis terminus intrinſecus cauſæ ſecundæ & primæ: nam actiones cauſæ primæ & ſecundæ, quæ ſolæ tunc mutantur, non ſunt intrinſecæ neque intimæ ipſis cauſis.

Dices; Saltem ſunt intrinſecæ ipſi effectui; nam in illo recipiuntur. Sed contra, quia etiamſi illa actio reciperetur in agente, adhuc locum haberet ea conuerſio. Fatendum ergo eſt, ſi ad conuerſionem non requiratur productio termini ad quem (vti hi dicunt non requiri) poſſe dici in caſu quæſtionis cauſam creatam conuerti in Diuinam. Et ſatis de hac quæſtione de nomine, ac de conuerſione vt ſic, vt iam ad Euchariſticam deſcendamus.

Et quicumque ad veram conuerſionem non requirunt productionem termini ad quem.

DISPVTATIO TRIGESIMA QVINTA

De conuerſione Euchariſtica.

Ex dictis diſputatione præcedenti ferè colligitur; quid ſit in hoc puncto dicendum; id tamen oportet diſtinctiùs in hac diſputatione proponere.

SECTIO I.

Præfertur ſententia admittens productionem ſubſtantialem Chriſti.

1 Etſi duæ tantum videantur in hoc puncto eſſe ſententiæ; vna, quæ productionem ſubſtantialem corporis Chriſti admittit, altera, quæ illam negat; ſub hac tamen ſecunda multæ continentur valdè inter ſe diuerſæ: eius autem varietatis ea ratio eſt, quod negata productione ſubſtantiali Chriſti non facilè explicetur, in quo conſiſtat illam conuerſionem eſſe ſubſtantialem: vnde (vt ſuprà etiam notaui) inuicem ſe valdè refutant qui eam productionem negant. Igitur vniuerſalis in hoc puncto ſententia eſt, nihil aliud circa corpus Chriſti in hac conuerſione produci quàm præſentiam corporis Chriſti; vnde hanc actionem dicunt adductiuam, non quia Chriſtus ex cœlo per motum localem deſcendat, ſed quia æquiualenter adducitur; quatenus ita ponitur in hoſtia, ac ſi per medium veniſſet, & deſeruiſſet cœlum, Deo dante illi vbicationem illam in Euchariſtia, nec mouendo illum per medium, nec auferendo illi vbicationem quam in cœlo habuit. Hanc ſententiam tenent Scotus in 4. diſtinct. quæſt. 1. §. *Quantum ergo ad iſtum articulum*. eum ſequuntur Scotiſtæ omnes: tenent prætereà illam quidam alij, quos refert Pater Suarez diſput. 50. ſect. 4. licet Vaſquez diſput. 181. cap. 2. fusè conetur probare, minus benè eos Auctores, vno aut alio excepto, à Suario citari; quia hi Auctores ſolum dicunt in Euchariſtia eſſe nouam præſentiam Chriſti; non autem docent conuerſionem eſſe actionem productiuam vbicationis, & ab illa denominari conuerſionem. Verùm nimis ſcrupuloſè Vaſquez intellexit citationem Patris Suarez, vt eum reiiceret: hic enim ſolum citauit eos Auctores pro illa ſententia, quæ docet in Euchariſtia nihil aliud produci quam præſentiam Chriſti, ſiue interim conuerſio explicetur ab his per ſolam præſentiam, ſiue per ſubſtantiam corruptam & per aduenientem, ſiue per ordinem aliquem improductum, qualem ab ipſo Patre Vaſquez poni dicemus infrà, ſiue alio quocumque modo; certum autem eſt ex ipſis verbis eorum Auctorum, quæ ipſemet Vaſquez adducit, eos non niſi huiuſmodi præſentiam ponere: vnde obiter Pater Tannerus iure merito dixit (quidquid Vaſquez reclamet) eos Auctores ſtare pro illa ſententia, vbi aliquos alios refert pro eadem diſput. 5. quæſt. 4. num. 7.

Sententia eorum qui dicunt Chriſtum poni in Euchariſtia per actionem adductiuam.

Eſt Scoti & Scotiſtarum, & aliorum quos citat Suarez.

Quidquid reclamet Vaſquez, malè quoſdam citari pro ea ſententia.

Fundamentum quoad præcipuum punctum eſt, quia ſine productione vlla ſubſtantiali corporis Chriſti intelligi poteſt ille reddi præſens ſpeciebus: & verò ſi addatur deſtructio panis, etiam intelligitur conuerſio panis in Chriſtum; ergo ea productio non eſt admittenda. Confirmant id, quia Eccleſia intulit eam conuerſionem ex ſola veritate verborum: atqui verborum veritas nequaquam exigit Chriſtum ibi produci; ergo. Secundò principaliter probant, quia huiuſmodi productio Chriſti omnino repugnat, tum quia repugnat, eumdem effectum à diuerſis cauſis totalibus, ſeu per duas actiones totales ſimul produci: quod principium eſt valdè familiare Patri Vaſquez, tum quia eſto hæ duæ actiones totales poſſibiles ſint, implicat tamen idem ſeipſum producere ſiue phyſicè, ſiue moraliter, cum cauſa ſit prior natura ſuo effectu; nihil autem poſſit eſſe prius ſeipſo; tum quia ſi conceditur ſemel aliquid poſſe ſeipſum diuinitus producere, debilitarentur nonnullæ veritates Fidei; vt quod Deus ſit improductus: poſſemus enim dicere, Eſto ab alio omnino ſit improductus, eſſe tamen productum à ſe: item, quod creaturæ debeant 2

Fundamentum huius opinionis proponitur.

Digitized by Google

beant habere vnum principium ab ipſis diſtinctum, à quo procedant, dici enim poſſet eas ſe mutuo producere. Hæc fusè proſecutus eſt Valentia, & poſt ipſum Lugo, Ouiedus, & alij. Tertiò, quia non benè dicitur, illam actionem, qua Chriſtus producitur in Euchariſtia, eſſe totalem: cùm enim à Chriſto ipſo oriatur, & eo ipſo eſſentialiter ſupponat Chriſtum exiſtentem, non poteſt talis eſſe, vt ſine conſortio alterius poſſit Chriſtum producere. Quartò principaliter, quia eſto detur illa actio, non tamen poteſt eſſe ſufficiens ad conuerſionem ſubſtantialem; ad hanc enim requiritur, vt ſubſtantia aduenienſ ſuccedat alteri in munere ſubſtantiæ. Conantur prætereà hi Auctores pro hac ſententia Diuum Thomam inducere, eò quòd quæſt. 78. art. 5. dixerit, per conſecrationem non fieri vt corpus Chriſti ſit corpus Chriſti, ſed vt contentum ſub his ſpeciebus ſit corpus Chriſti.

Denique id maximè vrgent nonnulli, quia eſto admittatur ibi productio Chriſti; per illam tamen non poteſt ſaluari ratio conuerſionis, ſed debet recurri ad vbicationem, ad expulſionem panis, ad alligationem Chriſti, ad ſpecies, in quibus formaliter conſiſtit conuerſio: ergo gratis ea productio fingitur, quia iam aliunde ſufficienter intelligitur Chriſtus exiſtens in cœlis, vt poſſit terminare eas actiones, quibus, vt iam dictum eſt, completur ratio conuerſionis.

Soluuntur argumenta propoſita,

Licet hæc ſententia probabilis ſit, multò tamen probabilior mihi videtur contraria; cuius Auctores infrà adducam; nunc ad argumentorum pro ea primi ſolutionem (qua etiam via illam reijciam) veniendum eſt: & quidem concedimus libenter Primò, ſine actione productiua Chriſti potuiſſe illum poni ſub ſpeciebus, etiam deſtructa ſubſtantia panis: concedimus præterea, tunc temporis futura verba illa vera, *Hoc eſt corpus meum*; negamus tamen eo caſu futuram conuerſionem ſubſtantialem panis in corpus Chriſti, quia ad illam requiritur non minùs productio termini formalis ad quem, quàm deſitio termini formalis à quo. Vide quæ in defenſione noſtræ doctrinæ in Philoſophia traditæ dicta ſunt ſuprà: ex qua doctrina clariſſimè ſatisfactum eſt primo & vltimo argumento.

4 *Et replica Cardinalis Lugo.*

Replicabis cum Cardinale Lugo, Concilium nunquam dixiſſe, hanc conuerſionem eſſe ſubſtantialem; ergo dummodò demus panem conuerti in corpus, etiamſi non ponatur vlla actio ſubſtantialis, habebimus intentum Concilij. Secundò, vt conuerſio dicatur ſubſtantialis, ſufficit, ſi ſit inter duas ſubſtantias ſuccedentes ſibi in munere ſubſtantiæ, eſto ipſæ non producantur; nam ſi ſub eadem ſubſtantia ſuccederent diuerſa accidentia, eſſet conuerſio accidentalis, quia eſſet inter accidentia ſub vna ſubſtantia; ergo ſi è contrario ſit inter duas ſubſtantias, iiſdem accidentibus manentibus erit conuerſio ſubſtantiarum, ſeu ſubſtantialis. Reſpondeo; Sicut, iuxta hos Auctores, licet hoc totum poſſet fieri non corrupto termino à quo, ſed alibi conſeruato; quia tamen huiuſmodi deſtructio requiritur in ipſorum principiis ad rationem conuerſionis, ideò colligunt panem deſtrui, etiamſi ea de re Concilium nihil definierit: vt enim notaui ſuprà, non aliud definiit quàm panem non manere ſub ſpeciebus; ita nos eodem modo, quia ad

Oſtenditurque, conuerſionem in Euchariſtia eſſe ſubſtantialē etiamſi Concilium Tridentinum id non definiuerit,

rationem conuerſionis requirimus non minùs productionem illam termini ad quem, quàm deſtructionem termini à quo, rectè inferimus eam hic interuenire, etiamſi & verba conſecrationis ſine ea productione potuiſſent eſſe vera, & etiamſi nihil definierit Tridentinum de ea productione. Replicas verò quaſdam, quòd Concilium ſuppoſuerit concedenda non eſſe noua miracula, efficaciter ſuprà reieci. Adde, quòd & ſuprà dixi, ex locutionibus multis Patrum nos colligere eam productionem; ac proinde obiectiones hæ non ſunt contrà nos, quia ſupponunt vnicè nos ex veritate verborum eam productionem collegiſſe: quod verum non eſt.

Non repugnat reproductio Chriſti in Euchariſtia.

De ſecundo argumento, quo probatur repugnare huiuſmodi ſecundam productionem, fusè egi in Philoſophia, oſtendens è contrario eam eſſe poſſibilem; quidquid ſit, vtrùm detur nécne de facto: & verò abſolutè eamdem rem poſſe produci per duas actiones totales ſolus Vaſquez ex Aduerſariis negat; contra quem alij meritò inſurgunt, quia fundamentum ipſius ſolùm deſumitur ex quadam æquiuoca acceptione vocis, quòd ſcilicet actio ſit indigentia effectus à cauſa, & nihil poſſit indigere aliquo, ſi habet aliunde ſuum eſſe; reſpondetur enim, actionem non aliam dependentiam dicere quàm influxum cauſæ in effectus: qui influxus ſi ſit ſolus, dicet dependentiam, ſi cum alio, non dicet dependentiam, ſeu indigentiam determinatam à quolibet, ſed ab hoc vel ab illo.

Addidi autem eo loco, ſi res diligenter conſideretur, argumentum Vaſquez non ſolùm probare; non poſſe ſimul duas cauſas totales producere effectum, ſed nec poſſe dari in actu primo duas cauſas, quæ ex ſe ſint potentes eumdem effectum producere; hoc autem nemo probabiliter negare poteſt: cur enim diuinitus non poterunt eſſe applicati duo ignes eidem ſtupæ, & ſufficientes ad eam comburendam, ita vt eo caſu ab vno tantùm comburatur? in hoc autem caſu patitur inſtantiam argumentum Vaſquez: id quod manifeſtiſſimè oſtenditur; nam non ſolùm ego non indigeo Petro pro cibo, quando Paulus illum mihi actu dat, ſed etiam quando non dat; ſi tamen ſit paratus dare, caſu quo Petrus non det: ea enim occaſione iure merito dicere Petro poſſum, *Non indigeo tua liberalitate, quia poſſum id habere à Paulo.* Vides ergo debile valdè eſſe hoc argumentum, ac proinde de poſſibilitate duarum actionum totalium ſimul non eſſe dubitandum. 5

Neque eſt repugnantia, vt quis ſeipſum reproducat.

Circa ſecundum verò punctum, Vtrùm aliquis poſſit ſeipſum producere quoad ſecundam actionem, maius eſt dubium; oſtendi tamen in Phyſicis nullam adduci repugnantiam: ea enim de prioritate nulla eſt, quia nullo modo repugnat ſecundùm diuerſas actiones aliquem eſſe ſeipſo priorem; vti non repugnat ſecundùm diuerſas vbicationes idem eſſe ſeipſo altius: ſi enim ſupra cubiculum hoc ponerer ego ſimul diuinitus, dici poſſem ego in cubiculo ſuperiori eſſe in altiori loco meipſo, vt in cubiculo inferiori, quòd verò Cardinalis Lugo videtur replicare, hoc non eſſe, me eſſe altiorem me, nec me eſſe priorem me, ſed vnam meam vbicationem eſſe altiorem altera, & vnam meam actionem eſſe poſteriorem altera; hoc inquam deducit rem totam ad quæſtionem de pura voce, an ſit ea prioritas vocanda abſoluta: in quo puncto ego nolo hærere,

Replica Cardinalis Lugo incidit in quæſtionem de voce.

Digitized by Google

hærere; hoc tamen addo, quidquid ſit de modo quo debet vocari, nullam penitus rationem eſſe, nec quidem apparentem ad hoc, vt dicatur requiri ad cauſandum maiorem prioritatem quàm ea ſit, quomodocumque vocetur; quia eius prioritatis fundamentum vnicum vniciſſimum eſt, quòd nemo det id quod non habet; ergo vt cauſa operetur, debet concipi exiſtens: hoc libenter admittimus; at hinc nihil amplius ſequitur, quàm quòd ego v. g. concipi debeam ſufficienter exiſtens per vnam actionem: eo enim ipſo iam ſum in ſtatu operandi; ergo ſi tunc poſſum aliquid aliud à me diſtinctum producere, potero etiam me, ſi ſola conſideretur neceſſitas meæ præexiſtentiæ; ergo ſi illam eamdem exiſtentiam poſſum ego bis in eodem inſtanti accipere (vti iuxta hos poſſum) profectò potero ego mihi illam ſecundò dare, ſiue dicar natura prior meipſo abſolutè, ſiue ſolùm ſecundùm quid. Quæ ſolutio videtur mihi quæ-

Replica eadem ſoluitur.

6 ſtionem penitus declarare: eam etiam in Philoſophia tradidi, nec video vllam replicam contra illam dein poſitam quæ ſolutionem petat. Quòd item dicebatur de deſtructione aliquorum principiorum Fidei, vt, quòd Deus ſe poſſet ſecundò producere, &c. eſt etiam euidentiſſimè à me ibi ſolutum; non enim concedimus eam ſecundam actionem, niſi vbi actio eſt diſtincta realiter à termino producto, & vbi poteſt ea ſecunda actio ſeparari à prima, & ab ipſa ſubſtantia producta, vtpote quæ non eſt de eſſentia rei, alioquin repugnabit prioritas inter eas actiones, repugnabit etiam cauſam illam concipi exiſtentem, ſi nondum habet eam actionem, quæ eſt idem realiter cum ipſa: atqui in Deo non eſt actio diſtincta, non eſt actio ſuperflua, aut otioſa, quæque ſolùm miraculoſè producatur, quomodo ergo Deus poterit ſe ibi ſecundò producere? Hæc ſolutio, quæ etiam eſt manifeſta, & à me eo loco tradita, omiſſa eſt ab his Auctoribus, poſitum ergo eſt ab eis argumentum ſine antidoto.

Explicari poteſt quæſtio per Chriſti influxum moralem in ſe productionem,

Secundò circa hoc dico, Poſſe nos rem totam clariſſimè explicare, ſi dicamus Chriſtum ſolùm moraliter influere in eam actionem, & ne quidem quatenus exiſtit in eodem inſtanti conſecrationis, ſed quatenus extitit in vita, dum inſtituit Sacramenta: eo enim ipſo ceſſant ea omnia argumenta; nam quòd ego poſſim hodie meis precibus moraliter à Deo obtinere, vt me craſtina die conſeruet, ſeu producat, eſt extra omnem omnino controuerſiam. Imò hac via oſtendit Cardinalis, quo pacto Chriſtus meruerit Beatiſſimæ Virgini maternitatem; neque hinc quidquam ſequitur de myſterio Trinitatis, de mutua prioritate. Vides quàm facilem habeant ſolutionem ea argumenta adeò ab his Auctoribus deprædicata?

Excepto caſu quo ipſe Chriſtus conſecrauit.

Hæc tamen vltima ſolutio non habet locum in ipſo Chriſto conſecrante in nocte cœnæ, quia ibi ipſe neceſſariò debuit ſupponi exiſtens. Ex hac ſolutione conſtat minùs benè dici, eam actionem non fore totalem: etenim illa talis eſt, quæ phyſicè potuit exiſtere, eſto Chriſtus non eſſet in cœlo. Adde, etiamſi dicamus illum phyſicè oriri ab ipſo Chriſto, nihilominùs poſſe eo ſenſu vocari totalem, quatenus illa ſola ex ſe ſufficit pro dando eſſe effectui: vnde ſi per impoſſibile actiones poſſent mutare cauſas, illa procedens ab altera cauſa produceret primò Chriſtum. Verùm hoc ad modum loquendi pertinet.

Ad quartum argumentum, quòd hæc actio ſola non ſufficiat ad conuerſionem, fatemur id libenter; at negamus propterea non eſſe neceſſariam: certè anima ſola non facit hominem, & tamen hæc neceſſariiſſima eſt ad hominis conſtitutionem; quæ autem præter illam requirantur dixi ſuprà. 7

D. Thomas citatus pro aduerſa ſententia:

Circa Diuum Thomam mirari ſatis non poſſum, ab aliquibus eum citari pro contraria ſententia ea quæſt. 75. videntur enim hi vix conſideraſſe, quod fuerit ibi D. Thomæ intentum: agebat Sanctus Doctor de ſignificatione illius vocis *Hoc* in verbis conſecrationis, cumque retuliſſet aliquorum ſententiam dicentium τὸ *Hoc* ſignificare corpus Chriſti, ſubiungit Sanctus Doctor id eſſe omnino impoſſibile, quia tunc ſenſus illius propoſitionis eſſet, *Corpus Chriſti eſt corpus Chriſti*; hoc autem (inquit) verba non faciunt, quia corpus Chriſti ante omnia verba eſt corporis Chriſti; vti ego ante omnem conſecrationem ſum ego ſcilicet homo, & lapis ante omnem conſecrationem eſt lapis; eodem omnino modo reijcit illam propoſitionem, *De corpore Chriſti fit corpus Chriſti*; quia vti ego non fio de me, nec lapis de lapide, ita nec corpus Chriſti de corpore Chriſti. Vlterius impugnat Diuus Thomas alios docentes τὸ *Hoc* ſignificare panem. Senſus enim propoſitionis eſſet: *Panis eſt Chriſtus*: quòd haud dubiè eſt falſum. Poſt has explicationes infert, τὸ *Hoc* ſignificare vagè id quod continetur ſub ſpeciebus nihil determinando. Vides quàm alienus ſit eo loci Diuus Thomas à reiicienda cauſalitate in corpus Chriſti? Porrò è contrario illum ſtare pro nobis deducitur ſatis probabiliter ex iis quæ ſuprà diximus, vbi Caietani ſolutionem, quam Cardinalis Lugo amplectitur, reiecimus. Et hoc circa hanc primam ſententiam ſit in genere explicatum; quia verò, vt dixi, non videtur ſufficienter per illam declarari conuerſio ſubſtantialis, ideò ſit,

Potiùs noſtra doctrina fauet.

SECTIO II.

Examinantur aliquæ aliæ ſententiæ circa eam conuerſionem.

SECVNDA ſit ſententia eorum, qui præter actionem productiuam & præſentiam Chriſti ponunt vnionem eiuſdem per modum ſubiecti cum accidentibus, quam tamen alij limitant, vt Chriſtus non ſit propriè ſubiectum, ſed imperfectionibus ablatis: pro qua Suarez & Tannerus ſuprà referunt Scotum & alios: hæc tamen pro ſe nullum habet argumentum, niſi quòd ex vna parte non ſaluetur conuerſio ſine hac vnione; quam ideò ex his multi dicunt ſubſtantialem; ex alia verò nolint admittere ſubſtantialem actionem. Ideò ea communiter reijcitur; Primò, quia non videtur poſſibilis vnio ſubſtantiæ cum accidentibus, niſi accidentia informent ſubiectum: nam ſi ſemel v. g. calor eſt vnitus meæ manui, haud dubiè illam reddet calidam, & albedo vnita eidem manui illam reddet albam: atqui Chriſtus Dominus non redditur calidus aut albus per calorem & albedinem ſpecierum; ergo. Secundò, omnes ſupponunt vt omnino certum, accidentia illa eſſe ſine ſubiecto; ergo non vniuntur Chriſto Domino. Tertiò, magis diſplicet quod addunt aliqui, eam vnionem eſſe ſubſtantialem: cùm enim 8

Sententia, præter productionem & præſentiam Chriſti, admittentium vnionem eiuſdem cum accidentibus, tribuitur Scoto.

Reijcitur illa vnio.

enim ſubiectum, quodcumque illud ſit, non faciat cum accidentibus vnum quid ſubſtantiale, ſed purè putè accidentale, repugnat vtriuſque nexum ſeu vnionem eſſe ſubſtantialem. Denique, per eam vnionem non explicant, cur debeat terminus à quo, id eſt panis, deſtrui, & terminus ad quem non neceſſariò debeat produci: cuius oppoſitum videmur ſufficienter oſtendiſſe ſuprà probando eamdem eſſe rationem de vtroque termino.

In hanc ſententiam relabitur Cardinalis Lugo

In hanc ſententiam relabitur Cardinalis Lugo; licet enim expreſsè neget vnionem omnem Chriſti cum accidentibus, quia tamen ponit qualitatem quamdam, quæ exigit intimam præſentiam accidentium cum Chriſto, &(vt ſuprà obſeruaui) ipſe vnionem non aliter explicet quàm per eam exigentiam intimæ præſentiæ, profectò iam eo ipſo relabitur in eam vnionem, vt & ſuprà notaui.

9 *Sententia Valentia præter præſentiã requirentis habitudinem ſubſtantialem Chriſti ad accidentia.*

Tertia ſententia eſt Patris Valentiæ ſuprà, qui præter eam præſentiam requirit habitudinem quamdam ſubſtantialem Chriſti ad accidentia, ad hoc vt conuerſio ſit ſubſtantialis; pro quo dicit, in qualibet ſubſtantia reſpectu accidentium eſſe duos reſpectus ſeu habitudines, vnam per modum actualis ſubiecti, & hanc negat Chriſto reſpectu accidentium, alteram primariam, ſeu radicalem, & hanc concedit Chriſto. Verùm facilè ea ſententia reijcitur; & verò meritò dixit hic Auctor, ſe ſequi Caietanum, qui videtur obſcuriſſimè in hoc puncto locutus; nam reuerà hæc Valentinæ opinio eſt obſcuriſſima: rogo enim, Vtrùm illa habitudo, quam ponit in Chriſto, ſit identificata cum illo, an diſtincta? ſi identificata facilè illi concedam eam eſſe ſubſtantialem; at eo ipſo quòd identificetur, non poteſt Chriſto aduenire ratione conſecrationis, quia ſemper illam habet, & quidem indifferenter ad omnia accidentia; ergo per illam nihil ſpeciale poteſt in Chriſto aſſignari reſpectu harum ſpecierum, ob quod habeat rationem ſubſtantiæ actu; quod ſi propterea dicatur ille reſpectus diſtinctus, manet adhuc difficultas ſuprà tacta contra ſecundam ſententiam; nam ſubſtantia non vnitur accidenti niſi per vnionem accidentalem; neque Chriſtus habet aliam ſubſtantiam ſibi additam, per quam reſpiciat accidentia, aut per quam illis vniatur. Denique hæc ſententia non ſatisfacit difficultati præcipuæ, quam nos tetigimus, quòd ad conuerſionem requiratur productio termini formalis ad quem.

Quæ eſt Caietani meritò reijcitur.

Ideò fortè poſſet eſſe quarta ſententia ponens in accidentibus ſeparatis aliquem modum per ſe exiſtendi ad ſimilitudinem ſubſiſtentiæ, quæ eſt in ſubſtantia; quandoquidem dum ſeparata exiſtunt, exiſtunt per modum ſubſtantiæ. Verùm & hæc ſententia facilè reijcitur triplici ex capite; Primò, quia talis modus ſuperadditus accidentibus gratis omnino fingitur: etenim ſubſiſtentiam in ſubſtãtiis non ponimus ob modum exiſtendi independenter à ſubiecto, ſed per modum complementi ſubſtantialis totius ſubſtantiæ; eius autem diſtinctionem à ſubſtantia colligimus maximè ex myſterio Incarnationis, vt dixi Tomo 6. effectum verò formalem illius vix poſſumus explicare: vt autem aliquid ſimile ponamus in accidentibus aut ſeparatis, aut vnitis, nullam penitus habemus rationem. De quo puncto aliquid ſuprà diximus. Secundò reijcitur ea ſententia, quia eſto concedatur talis modus ſubſiſtendi, non poteſt non ille eſſe accidentalis; debet enim neceſſariò eſſe eiuſdem rationis cum ſubiecto quod terminat. Tertiò reiicitur, quia per talem reſpectum non declaratur, quomodo Chriſtus, qui eſt terminus formalis eius conuerſionis, producatur. Addi adhuc poteſt quartum argumentum; nam per illum terminum *quaſi ſubſiſtentia* non conſtituitur Chriſtus ſub eis accidentibus.

10 *Alia ſententia, ponens in accidentibus ſeparatis modum exiſtendi per ſe, pariter refutatur.*

Sententia Vaſquez ponentis ordinem ſubſtantiæ ad ſubſtantiam.

Quinta ſententia eſt Patris Vaſquez ea diſput. 181. à cap. 15. vbi ſolo ferè modo loquendi differre videtur à Valentia: quòd enim ille dicit habitudinem, hic dicit ordinem ſubſtantiæ ad ſubſtantiam, differt tamen in eo, quòd non videatur admittere eum ordinem produci, ſed ſine vlla productione, ex eo quòd Chriſtus, qui eſt ſubſtantia, ſuccedat pani, qui eſt ſubſtantia, putat totam rationem conuerſionis declarari: hunc autem ordinem deſumit per denominationem extrinſecam ab efficacia verborum conſecrationis, quæ indiuiſibiliter ſignificant & panis deſitionem & Chriſti poſitionem: vnde addit, Si conſecratio fieret verbis non ſignificantibus vtrumque indiuiſibiliter, ſed hoc modo, *Hic non eſt panis, & eſt corpus Chriſti*, non fore conuerſionem, quia duæ illæ actiones, deſtructiua panis & ponens Chriſtum, ſe haberent tunc planè concomitanter.

Duo in illa ſententia tanquam falſa impugnantur. Primum, quòd dicat conuerſionem non eſſe actionem.

Duo in hac ſententia ſunt: vnum, quòd conuerſio non ſit actio, alterum, quòd ſit ille ordo ſubſtantiarum. Vtrumque autem videtur falſum, vnde meritò reijciunt hanc ſententiam ceteri Auctores: nos ergo per partes vtrumque reijciamus, & in primis in hac conuerſione debere includi actionem facilè probatur, quia neceſſaria eſt, ipſo etiam Vaſquez annuente, ceſſatio panis, ergo neceſſaria eſt circa corpus Chriſti aliqua actio, ſiue qua producatur, ſiue qua præſens fiat ſpeciebus, quia quamdiu præciſè concipio ſpecie corrumpi, nihil magis concipio de Chriſto ſub illis, quàm de me ſub illis, niſi concipiam eum fieri præſentem ibi; ergo productio illius præſentiæ erit ex parte Chriſti actio, quam exigit hæc conuerſio.

Dices Primò, Eo ipſo quòd verba proferantur nomine Chriſti, & illud contentum dicatur eſſe Chriſti corpus, iam intelligitur eſſe conuerſio. 11
Sed contrà, quia repugnat in terminis concipere ibi eſſe realiter Chriſtum, qui antè non erat ibi, niſi habeat iam in ſe aliquam vel præſentiam vel vnionem cum ſpeciebus, per quam conſtituatur ibi; quia denominatio noua realis non poteſt concipi niſi forma noua reali.

Dices Secundò: Ipſa verba ſunt forma vnde oritur ea denominatio: Sed contrà euidenter, quia illa non ſunt ipſa formalis poſitio Chriſti, ſed ſummùm ſunt cauſa habens vim illum ibi ponendi, debet ergo præter verba intelligi ipſa poſitio in actu ſecundo, alioquin non intelligetur poſitus Chriſtus, ſed ſola vis eum ponendi: vti quantumuis ignis ſit potens ad calefaciẽdum in actu primo, in actu tamen ſecundo non poteſt intelligi calefaciens, niſi intelligatur calor productus, ſeu actio productiua caloris, à qua denominatur calefaciens, ergo licet verba habeant vim ponendi Chriſtum; non poſſumus nos illum concipere poſitum, donec concipiamus ipſam vel præſentiam, vel vnionem, &c. à quibus ea denominatio prouenit.

Dices fortè Tertiò, Eam præſentiam debere quidem interuenire, in ea tamen non conſiſte-

re

Digitized by Google

re conuerſionem, ſed in ordine qui ſequitur, deinde Chriſti ad panem vt ad terminum, cuius loco ſuccedet Chriſtus. Sed contrà euidenter, quia vel poſita ea præſentia producitur aliquid aliud, ſeu reſultat aliqua alia vera entitas in eo Chriſti corpore, vel non ſi non reſultat, profectò tota illa ſucceſſio non præſuppoſitiuè, ſed formaliter & formaliſſimè conſiſtet in ea præſentia; quia illa ſucceſſio, eſt aliquid reale, & nihil omnino ſuperadditum præſentiæ & corpori; ergo in illis conſiſtet. Quòd ſi eſt aliud formaliter productum, aut reſultans, primum rogo, quid illud ſit? Certè Vaſquez nihil aliud admittit. Secundò ergo, ſaltem in illius modi aut rei reſultantis productione conſiſtet conuerſio; ergo explicari non poteſt ea ratio noua conuerſionis, ſiue ſucceſſionis, ſine productione alicuius entitatis; eſto in ea ſola productione non conſiſtat conuerſio: id quod nunc permitto huic Auctori; & hoc ſummum probant argumenta ab ipſo allata.

12

Secundò impugnatur ordo ſubſtantiarum, quem ponit conuerſionem.

Iam vlteriùs oſtendo eam conuerſionem non poſſe in illo ordine ſubſtantiarum conſiſtere, nec quidem partialiter, quia reuera nullus eſt ibi ordo; non intrinſecus, non extrinſecus, ergo: non eſſe intrinſecum probatur, quia corpus Chriſti nihil intrinſecum de nouo accipit, per quod reſpiciat ſubſtantiam panis præcedentem; multò autem minus ipſa ſubſtantia panis aliquid accipit, per quod intrinſecè reſpiciat corpus Chriſti, cùm potiùs tota quanta è contrario pereat: vnde omnes reſpectus intrinſecos, ſi quos habebat antea, amiſit potius, quàm vllum de nouo receperit. Non item eſſe ibi vllum ordinem extrinſecum, ſeu à denominatione extrinſeca ortum, patet, quia rogo, quod ſit fundamentum eius ordinis? dices, eſſe productionem ipſam ſucceſſionis Chriſti in locum panis. Sed contra, quia rurſus rogo, quid ſit illa ſucceſſio? non enim eſt productio Chriſti, quia eam negas; non ipſa Chriſti præſentia, quia non poteſt fieri iuxta Vaſquez, vt per præſentiam localem explicetur hæc conuerſio; non eſt corruptio ipſius panis, quia corruptio non eſt ordo ſubſtantialis; non eſt item vtrumque, & corruptio panis, & Chriſtus, quia hæc duo ſe nullo modo ſubſtantialiter reſpiciunt, ergo. Dices, ſe reſpiciunt, quatenus vi eorumdem verborum panis deſiit, & Chriſtus eſt ibi. Sed contra, quia ex eo quod duæ res ab vna indiuiſibili cauſa producantur, non habent inter ſe reſpectum, niſi ſummum, ſic liceat dicere, fratrum. V. g. lux Romana & lux Pragenſis oriuntur omnino ab eodem Sole, hinc ſolum, vt dixi, ſequitur eas luces eſſe ſorores; at non ideò habet vna reſpectum ſpecialem ad alteram: & idem patet in ſubſtantiis ad rem noſtram, quia, eo quòd idem Sol producat duas ſubſtantias, duas partes auri & argenti, v. g. vnam hic alteram duobus paſſibus inde, nequaquam habent reſpectum ſubſtantialem inter ſe; ergo, eo quòd Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus per ipſiſſima verba, per quæ deſtruitur panis, non habet Chriſtus alium reſpectum eſſentialem, quàm quòd vna & eadem cauſa vtrumque illud effecerit: quam denominationem eodem modo haberet, ſi poneremus alia verba quæ ſignificarent indiuiſibiliter panem hic corrumpi, & Chriſtum poni in Indiis, quo caſu nemo diceret intercedere veram conuerſionem, ergo neque in noſtro caſu. Dices: In eo caſu illa productio & deſitio non eſſet ſub iiſdem accidentibus. Sed contra, quia id omnino ſe habet per accidens ad intentum noſtrum, Primò, quia ille ordo non fundatur niſi in eo, quòd ab eiſdem verbis deſitio & productio oriatur, ad hoc autem quid quæſo iuuant accidentia? Deinde, cum in ſententia Vaſquez nullam vnionem, nullam cauſalitatem habeat Chriſtus in ea accidentia, quæ ad munus ſubſtantiæ pertineat, non video quid iuuet vtrumque fieri ſub eis accidentibus. Denique, quia cùm verba illa ſint cauſa conuerſionis, rogo, quid ea in corpore Chriſti efficiant, vt dicatur ſucceſſio Chriſti eſſe vi eorum verborum? non enim efficiunt Chriſtum, non præſentiam Chriſti (iuxta hunc Auctorem;) nihil ergo reſtat quod poſſit dici effectus verborum, & (vt ſic dicam) quod vocetur frater eius deſitionis panis magis quàm ego. Vides ergo quàm difficulter intelligi poſſit ea ſucceſſio & ille ordo.

Oſtenditurque illum ordinem non eſſe intrinſecum neque extrinſecum:

Quidquid contra repugnat & reſiliet Vaſquez.

13

Doctrina altera Vaſquez refutatur à Cardinale Lugo,

Denique, quòd hic Auctor ait, Si fieret conſecratio per hæc verba, *Non ſit hic panis, & ſit corpus Chriſti*, non fore conuerſionem, eſt ſupra modum difficile creditu; Primò, quia (vt benè argumentatur Cardinalis Lugo) etiam illa verba tunc cauſarent indiuiſibiliter vtrumque: etenim omnia eſſent neceſſaria ad negationem, & omnia eſſent neceſſaria ad poſitionem Chriſti; ac proinde indiuiſibiliter vtrumque fiet ab iiſdem verbis. Secundò id ipſum ego vrgeo, quia ablato inde pane, & poſito ibi Chriſtò ſiue per indiuiſibilia verba, ſiue per diuiſibilia, eſſet veriſſimum dicere, oſtendendo hoſtiam conſecratam, *Hoc eſt corpus Chriſti*, & tamen non eſſet ibi conuerſio iuxta hunc Auctorem, vnde ego vlterius aſſumo argumentum ipſius contra productionem ſubſtantialem Chriſti: Eccleſia ſolum collegit conuerſionem ex veritate verborum; ergo iam Vaſquez addit aliquid ſupra deductionem Eccleſiæ, vt argumentatur contra nos. Reſpondebis, Tranſacta quidem conſecratione futura vera ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, etiamſi poſitum ibi fuiſſet corpus Chriſti, & panis deſtructus per verba diſparata, in fieri tamen dici non potuiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, tali caſu. Sed contra manifeſtiſſimè Primò, quia ſi ea verba prolata in facto eſſe, *Hoc eſt corpus meum*, ſolum ſignificant carentiam panis & præſentiam Chriſti, eſto inter ſe ea non habeant connexionem vllam, profectò id ipſum ſignificabunt in fieri, quia cum in vtroque caſu ſint eadem, non poſſunt non idem ſignificare: non enim ſunt verba æquiuoca, aut analoga, ſed planè determinata; ac proinde idem ſignificant in fieri, quod in facto eſſe, niſi quòd in facto eſſe ſunt (vt ſic dicam) ſpeculatiua, quia nihil omnino operantur, in fieri verò operantur: at ex eo quod operentur, non mutatur illorum ſignificatio, ergo veritas illorum verborum non requirit eam denominationem, ſeu ordinem illum, quem Vaſquez ponit, ſed eſto per verba diſparata fieret & deſitio panis & poſitio Chriſti, poſſet quis practicè in ipſo fieri dicere, *Hoc eſt corpus meum.* Confirmo id valdè efficaciter: verba illa non habent ſe pro obiecto, ac proinde non poſſunt ſignificare denominationem illam, quæ oritur ex ipſis verbis, vnde vlteriùs ſequitur, veritatem illorum verborum non pendere ab eo, quod deſtructio panis & poſitio Chriſti habeant denominationem ortam ex indiuiſibilitate ipſorum verborum; nam ſi obie-

Et eiuſdem reſponſiones reiiciuntur.

Digitized by Google

ctum ſignificatum per diuiſibilia verba eſt ipſiſſimum quod per indiuiſibilia, non poteſt negari cum vlla apparentia idem requiri ad veritatem horum quod ad illorum; ſed diuiſibilia verba eſſent vera ſine conuerſione, ergo & indiuiſibilia (eſto faciant in actu exercito conuerſionem; quod iam concedo Patri Vaſquez;) ex veritate tamen, ſeu ex eo quòd vera ſint, nullo modo inferunt eam conuerſionem: id quod eſt contra Concilium.

14 *Argumentũ contra Vaſquez ex Concilio Tridentino.*

Secundò argumentor: Concilium Tridentinum ex eo præcisè, quòd ex verbis duo hæc probauerit, ibi non eſſe panem & eſſe Chriſtum, intulit conuerſionem, non recurrendo ad hoc, quòd illa duo ex ſignificatione indiuiſibili aut diuiſibili inferantur. Denique rogo, quando verba illa dicunt *Hoc eſt corpus Chriſti*, quid ſignificant, & quid efficiunt circa corpus Chriſti, ſeu quid τὸ *eſt* ibi denotet? an ſolùm præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus? & tunc relabitur Vaſquez in id quod maximè fugit: vel ſignificant corpus Chriſti indiuiſibiliter vi verborum ſuccedere pani; ſi hoc vltimum, ergo facit verba reflexa ſupra ſe: id quod euidenter eſt falſum, quia verba nihil plus ſignificant quàm dicant; nihil autem reflexè dicunt de ſe; ergo. Secundò, adhuc admiſſa ea reflexione verborum ſupra ſe, oportet explicare quid ſit τὸ *ſuccedit ex vi verborum*: duo enim ibi ſunt, vnum *ſuccedit*, alterum *indiuiſibiliter ex vi verborum*; nunc, vt dixi, admitto eam verborum reflexionem; rogo verò quid τὸ *ſuccedit* ſignificet? Certè cum nihil reale producatur, nullum fundamentum ſit ibi nouum, quia nec corpus, nec præſentiam, nec vnionem Chriſti cum ſpeciebus vult admittere Vaſquez ſignificari per ea verba. Certè, vt verum fatear, non video quid poſſit ibi ſignificare τὸ *ſuccedit ex vi verborum.* Conſtet ergo nequaquam à Vaſquez explicari ſufficienter eam conuerſionem.

Concluditur, non ſatis à Vaſquez explicari conuerſionem.

Sententia Cardinalis Lugo negantis productionem ſubſtantialem corporis Chriſti anteà refutata.

Iam debuiſſet examinari ſententia Cardinalis Lugo, qui negata ea ſubſtantiali productione corporis Chriſti addidit cauſalitatem eiuſdem in accidentia, & vim phyſicam in his ad trahendum corpus Chriſti: id quod confirmat ex Catechiſmo Romano Pij Quinti, vbi hæc habentur: *Sicut generatio naturalis dicitur tranſformatio rectè & propriè, quia in ea forma mutatur; ita etiam in Euchariſtia*, &c. ponderat autem, quòd non dixerat Catechiſmus, *quia forma producitur*, ſed *quia mutatur*; ergo ſentit non requiri productionem formæ: verùm quia contra hanc ſententiam fusè à nobis actum eſt, oſtendendo debere ad conuerſionem interuenire productionem termini formalis, & quia etiam probaui Chriſtum non poſſe ibi conſeruare efficienter accidentia; & quia accidentia trahere Chriſtum non eſt proprium aliorum accidentium, quæ potius trahuntur à ſubſtantia; ideò in præſenti non eſt ampliùs circa illam hærendum.

Breuiter iterum reijcitur.

15 *Explicatur Catechiſmus Romanus, quem pro ſe citat Cardinalis Lugo.*

Quod ex Catechiſmo affertur non vrget, tum quia (vt ipſe ait, dum idem Catechiſmus obiicitur contra ipſum in puncto immediati tranſitus aquæ in vinum) ſolùm inde ſequitur Theologos eius Catechiſmi Auctores fuiſſe in contraria ſententia; ita idem ego poſſem iam reſpondere. Secundò, quia potiùs videntur ſtare pro nobis; nam licet non vſus ſit verbo *producitur*; videtur tamen illud ſupponere dum loquitur de prima generatione, in qua ſine dubio producitur forma dum mutatur; alioquin recurriſſet Catechiſmus ad nutritionem in homine citius quàm ad primam generationem. Secundò, quia mutationem ſaltem ſubſtantialem admittit ibi Catechiſmus in forma, quandoquidem producitur eius vnio cum materia; vnde ſaltem vnionem aliquam ſubſtantialem in Chriſto debuiſſet hic Auctor ponere; hæc autem cum accidentibus repugnat, ergo. Contra illam etiam ſententiam poteſt argumentũ fieri ex eo, quòd non ponat ſufficientem oppoſitionem inter Chriſtum & panem; qualem alioquin eius ſententiæ Auctor requirit ad conuerſionem: etenim in ordine ad locum expreſsè ait non repugnare Chriſtum ex modo illo exiſtendi cum vllo alio corpore; ergo potuit manere ſimul cum pane.

Aliud argumentum contra eamdem ſententiam.

Dices, Eo ipſo quòd Chriſtus ſuſtentet accidentia, iam hæc manebunt extra panem, ac proinde panis, vtpote ſuis accidentibus exutus, debebit neceſſariò perire. Sed contrà, quia iuxta ſententiam probabiliorem, quæ diſtinguit vnionem à cauſalitate materiali, poterunt ea accidentia eſſe vnita pani, etiamſi ab eo non cauſentur; ergo nihil ponitur in Chriſto quod habeat oppoſitionem cum pane: quòd ſi tamen de facto dicamus cauſalitatem & vnionem identificari, non tamen ideò dicendum eſt omnem vnionem perere eam cauſalitatem, licet ergo Chriſtus efficienter cauſet ea accidentia, cum tamen ſibi illa non vniat, relinquet locum, vt illa vniantur pani ſine cauſalitate, ac proinde ex poſitione Chriſti nulla erit cauſa extrudendi panem, ideóque tandem non erit ibi vera conuerſio. Quòd habeant item ea accidentia vim trahendi ſecum Chriſtum, non probat ideò expellendum panem, quia poterunt trahere ſecum & panem & Chriſtum. Hoc argumentum non caret difficultate: verùm quia eamdem haberet adhuc vim, etiamſi concederet hic Auctor Chriſtum produci in hac conuerſione, non eſt huius loci ſpeciale, ſed magis ſpectat ad modum quo Chriſtus eſt præſens ſub ſpeciebus, aut certè pertinet ad aliam difficultatem à præſenti diuerſam; quam tamen ſtatim diſcutiemus.

SECTIO III.

Concluditur, quid ſit in hoc puncto ſentiendum.

EX hucuſque dictis adeò clarè conſtat, quid ſit in hoc puncto dicendum, vt ſuperuacaneum videatur quidquam ſpecialius addere, niſi breuiſſimè colligere in vnum omnes partes noſtræ ſententiæ. Dicimus ergo Primò, panem deſinere eſſe ſub ſpeciebus ex vi poſitionis corporis Chriſti, eo quod corpus Chriſti repugnat phyſicè in eodem loco cum alio corpore quanto, quale eſſet panis: id quod in noſtra ſententia negante quantitatem diſtinctam facillimè explicatur, nam impenetrabilitas, data ea ſententia, non diſtinguitur ab ipſo corpore Chriſti, & ab ipſa ſubſtantia panis; ergo ſe inuicem expellunt, ergo ex hac parte ſufficiens eſt repugnantia etiam phyſica ad rationem conuerſionis. 16

Explicatur per partes noſtra ſententia.

Primò, panis deſinit eſſe ſub ſpeciebus ex vi poſitionis corporis Chriſti.

Dices Primò cum Patre Suario, Corpus Chriſti eſt quaſi indiuiſibiliter & penetrabiliter, ergo poteſt admittere ex hoc capite in eodem loco panem. Reſpondeo, Eſt penetrabiliter in Euchariſtia, id eſt, partes omnes corporis ſunt ibi inter ſe actu penetratæ diuinitus, concedo, eſt ibi penetra

Quod facilè explicatur in noſtra ſen-

Digitized by Google

Prima negante quantitatē diſtinctam.

penetrabiliter,id eſt, illi eſt ablata forma, quæ exigit naturaliter impenetrationē, nego antecedens: vnde dico, Si de nouo debeat penetrare aliud corpus,debere etiam eſſe nouum miraculum. Pone me diuinitus penetrare parietem,& ita ibi me dici manere, rogo, an propterea poſſem naturaliter penetrare quodlibet aliud corpus? Sæpè ad alia propoſita dixi, ex eo quòd Deus faciat vnum miraculum in vno indiuiduo ſubiecto,non ideò ſequi,omnia alia in eo ſubiecto poſſe iam naturaliter fieri.

Dices Secundò: Corpus Chriſti eſt ibi glorioſum,ergo cum dono ſubtilitatis;ergo poterit naturaliter penetrare alia corpora. Reſpondeo (quod & ſuprà notaui) eam ſubtilitatem non conſiſtere in eo quòd Deus abſtulerit ab eis corporibus glorioſis exigentiam,ne naturaliter penetrentur: hæc enim exigentia eſt identificata realiter vel cum ipſa materia prima, ſeu cum ipſo corpore,vel certè cum quantitate diſtincta, ſi detur: hæc autem duo manent in eis corporibus beatis,ergo manet illa exigentia,ne naturaliter penetrentur. Quòd autem nonnulli dicunt de qualitate ſuperaddita, quæ reſiſtat exigentiæ illi,mihi nullo modo placet;quia illa exigentia ſi manet,ſemper hoc petet,ſolùm ergo dicendum eſt, additam eſſe virtutem quamdam ad faciendum illud miraculum: vnde ſemper eſt miraculoſa penetratio illa, ſicut etiamſi in Chriſto poneremus qualitatem phyſicam productiuam miraculorum,non tamen continuò deſinerent eſſe miracula ſuſcitatio mortuorum, reſtitutio viſus,&c.

17

Secundò, per actionem ſubſtantialem ſecundò producitur corpus Chriſti.

Secundò dicimus interuenire in hoc myſterio actionem ſubſtantialem, qua ſecundò producitur corpus Chriſti. Ita expreſsè docuit Gabriël & aliqui alij apud Suarez diſput.50. ſect. 5 quos ipſe ſequitur; & ſatis probabiliter pro ea inducit Paludanum, Capreolum, Ferraram, & alios. Eamdem ſequuntur ex noſtris ConincK, Petrus Hurtadus,Ioannes Præpoſitus,Tannerus,qui pro ea num.78. refert Albertinum,Nunnium & Peſantium;eſtque inter Recentiores noſtræ Societatis in manuſcriptis planè communis. Pro ea etiam ſtare Diuum Thomam ſuprà oſtendi: & fauent adeò Patres à Suario citati, vt Pater Ioannes Præpoſitus ſuprà citatus dixerit, Si quis eos legat non præoccupatus contraria opinione, viſurum eos ſtare pro nobis; dicunt enim corpus Chriſti in hoc Sacramento fieri, confici, creari, &c. Cyprianus Serm.de Cœna Domini hæc ait: *Vſque hodie veriſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat.* Eodem verbo vtitur Adelmanus Epiſtola ad Berengarium Auguſt.vt refertur 2.de conſecrat.c.72. Damaſcenus lib.4. c.4.Gaudentius Tractatu 2.in Exodum,& alij: licet autem non adeò clarè loquantur, vt nullam omnino explicationem patiantur, negari tamen non poteſt,quin vehementer faueant noſtræ ſententiæ; cumque ad negandam è contrario eam productionem nullus è Sanctis Patribus poſſit citari,cur non hæc ſententia vt illis valde conformis defenderetur?

Fauēt doctrinæ noſtræ Sācti Patres.

18

Neque dicendi ſunt Sancti Patres locuti impropriè, dum dicunt corpus Chriſti creari,

Reſpondent nonnulli Primò, eas locutiones eſſe improprias, quandoquidem dicunt creari corpus; cùm licet producatur ſubſtantialiter, non tamen creetur.Hæc tamen leuis eſt reſponſio.Primò, quia Patres,Scriptura, Concilia paſſim vſurpant verbum *creare* pro producere; & dicitur Deus Creator mundi & cœli;cùm tamen cœlum & mundus propriè non creetur,ſed producatur,quia includunt formam ſubſtantialem quæ non creatur, ſed educitur. Secundò, non video quomodo negent hi Recentiores corpus Chriſti verè creari: quod idem de anima dico: de vnione autem animæ & corporis, quæ ſola generatur, non egerunt ibi Patres, ac proinde meritiſſimè vſi ſunt verbo *creare*.

De pane fieri corpus Chriſti.

Secundò reſponderi poſſet, eas locutiones, quibus Patres dicunt, *De pane fit corpus Chriſti*, & ſimiles eſſe improprias; vt & D. Thomas hîc art.8.notauit: nil ergo ex illis poteſt deduci. Verùm hi Auctores non videntur attendiſſe mentem D. Thomæ,vel fortè noluerunt; vt vel ſic aliquo modo viderentur reſpondere teſtimoniis Patrum. Pro quo aduerte Diuum Thomam eo loco non dixiſſe eam propoſitionem, *De pane fit corpus Chriſti*, & ſimiles, eſſe impropriam eo ex capite, quo dicitur *Fit corpus Chriſti*; expreſsè enim in eodem ipſo loco docet hanc eſſe rigoroſiſſime veram, *Ex pane fit corpus Chriſti*, non minùs quàm hanc in creatione, *Ex non ente fit ens*: ergo Diuus Thomas non negauit fieri corpus Chriſti, imò potiùs id admittit: quare ergo illam propoſitionem dicit impropriam? propter particulam *de*, qua videtur denotari manere ibi ſubſtantiam panis: id quod non denotat particula *ex*, quæ præciſè dicit terminum à quo eſſe panem;ſicut in creatione non poteſt dici, *De non ente fit ens*,quia non ens non manet in ente, poteſt autem etiam verè dici, *Ex non ente fit ens*; ergo & D.Thomas & Patres à nobis ſtant.

Neque D. Thomas contrariū docet.

19

Cuius teſtimonii potiùs noſtra doctrina adhæret.

Vrgeo teſtimonium D. Thomæ;fatetur enim tam propriam eſſe iſtam propoſitionem,*Ex pane fit corpus Chriſti*, quàm iſtam, *Ex non ente fit ens*: ſed ad hanc neceſſariò requiritur productio entis; ergo ad illam requiritur productio Chriſti Domini. Confirmatur: Diuus Thomas comparat creationem Euchariſticam cum creatione abſolutè,& ſolùm reperit inter vtramque hoc diſcrimen, quòd in creatione nil prorſus ſupponitur, in Euchariſtica verò ſupponuntur accidentia, ergo ſentit Diuus Thomas ibi verè produci corpus Chriſti, & non præciſè vbicationem illius,ſicut docent Aduerſarij: patet euidenter, quia ſi ſola vbicatio produceretur, hæc actio eſſet purè generatio,& quidem accidentalis, quia per illam præciſè educeretur vbicatio ex potentia ſubiecti; vnde non ſolùm accidentia, vt D. Thomas docet,ſed etiam ſubiectum proprium & rigoroſum huius actionis ſupponeretur,non ſecùs ac in calefactione manus; ſentit ergo apertè D. Thomas ibi veram productionem Chriſti intercedere, quæ non ſupponit aliud ſubiectum, & ex hac parte eſt creatio, quia tamen fit ſub iiſdem accidentibus,differt à creatione, ſicut ibi docet Diuus Thomas: hanc cōfirmationē benè tetigit Pater ConincK ſuprà.

Sicut & Sanctorum Patrum,qui dicunt communiter fieri Chriſti corpus.

Secundò vrgeo, & oſtendo Diui Thomæ & Patrum auctoritates ſtare pro nobis, quia non ſolùm dicunt fieri aggregatum ex Chriſto & ſpeciebus,ſeu Chriſtum vt Sacramentatum; quod ſolùm fit in contraria ſententia, ſed etiam dicunt fieri ipſum corpus Chriſti, ergo ſupponunt actionem terminatam ad ipſum Chriſtum, aliàs omnino falſæ eſſent eæ locutiones, ſicut ſi quis diceret in nutritione hominis, *Ex pane fit anima rationalis*, eſſet falſiſſima propoſitio; nam licet hæc eſſet vera, *Ex pane fit homo* quoad augmentum ſcilicet, quatenus producitur vnio ſubſtantialis animæ cum materia panis, non tamen

men ſit anima rationalis; ergo D. Thomas & Patres, dum dicunt ex pane fieri Chriſtum, denotant productionem ſubſtantialem ipſius Chriſti. Probant hanc concluſionem nonnulli ex eo quod actio ſubſtantialis, qua conſeruatur Chriſtus in cœlo, non ſufficit ad conſeruandum illum in Euchariſtia, ideoque noua actio videatur neceſſaria; cuius vlteriorem rationem reddunt, quia Chriſtus in cœlo vi actionis ſubſtantialis habet extenſionem; ergo non poteſt vi eiuſdem actionis eſſe penetratus in Euchariſtia. Hanc rationem tetigit Suarez ea ſectione 4. §. *Secundo poteſt*, & licet ducat ei poſſe abſolutò reſponderi, putat tamen eſſe probabilem; quia non ſatis percipitur actio merè accidentalis & localis, per quam ſubſtantia materialis præexiſtens ſub quantitate præciſè ac ſecundùm ſe adducatur ad alium locum, vt in eo exiſtat modo ſubſtantiali & omnino indiuiſibili.

Pro quo ratio quorumdam apud Suarez non eſt efficax.

20 Placet mihi quod Suarez iudicet hanc rationem non eſſe efficacem omnino; addo tamen mihi nec probabilem videri. Ratio, qua moueor eſt, quia illa actio ſubſtantialis Chriſti in cœlo, vti omnis alia alterius ſubſtantiæ, eſt prior natura ad hanc vel illam vbicationem, ſiue in hoc, ſiue in illo loco, ſiue cum extenſione, ſiue ſine illa: quod principium habet locum, eſto priùs natura vbicetur actio quam vbicetur ſubſtantia per illam producta; nam etiam tunc in ipſa ſaltem actione eſt poſteriùs natura vbicatio quam actio illa; in eo autem priori petit quidem actio illa extenſionem ſui & ſuæ ſubſtãtiæ, quia ipſa ſubſtantia eam petit extenſionem: hæc tamen exigentia extenſionis debet concedi etiam à Patre Suario in ea noua actione ſubſtantiali, quam ponit circa Chriſtum in Euchariſtia: vti enim ibi corpus miraculoſè penetratur, ita eo ipſo penetratur contra exigentiam ſecundæ illius actionis, per quam ibi producitur: vnde vlterius clarè infero, eam penetrationem Chriſti non minùs eſſe contra nouam actionem ſubſtantialem corporis Chriſti, quàm ſit contra actionem primam, qua Chriſtus eſt in cœlo: ac tandem concludo, per eam nouam actionem, nec hilum reddi faciliorem eam penetrationem Chriſti, ſeu eum modum indiuiſibilem exiſtendi; ergo argumentum inde deſumptum nec probabiliter perſuadet noſtram ſententiam.

Redditur ratio cur ne quidem probabilis reputetur allata ratio.

Vnica ergo pro illa ratio eſt, quia per hanc cauſalitatem ſubſtantialem optimè explicatur, quo pacto illa conuerſio ſit ſubſtantialis, adiuncta etiam Chriſti præſentia ſub ſpeciebus & alligatione ad illas iuxta ſupra dicta: neque contra hanc ſententiam adferri poteſt vllum argumentum vllius momẽti, vt ſuprà fuſiùs vidimus; cur ergo ea admittenda non eſt? Confirmari poteſt ratione Patris Suarez, quod ſcilicet modus hic ponendi Chriſtum per productionem ſubſtantialem ſit nobilior quam per productionem ſolam præſentiæ, quia & hanc dicit, & aliquid amplius; debemus autem, ſi commodè poſſumus, dicere miracula fieri à Deo modo maximè decenti; ergo. Confirmatur: nam ideò omnes cõmuniter ſupponunt in nuptiis Galilææ vinum verè ibi productum à Chriſto, & non aliunde allatum; cum tamen hoc etiam ſecundo modo potuerit res fieri, & quidem ſine tanto miraculo, ergo eodem modo in præſenti.

Aſſignatur ſolidior ratio pro noſtra ſententia:

Confirmatur ex Suarez. Nobilior eſt modus ponendi Chriſtum per productionem ſubſtantialem quàm per productionem ſolam præſentia.

21 Dices tamen Primò, Si modus ille nobilior faciendi miraculum eſt diſtinctum miraculum, nequaquam tunc illum concedendum, ſed potiùs negandum, quia non ſunt multiplicanda miracula ſine neceſſitate; ergo cùm ea actio ſubſtantialis ſit nouum omnino & diſtinctum miraculum à præſentia Chriſti ſub accidentibus, non erit concedenda. Hæc tamen obiectio iam videtur reiecta per inſtantiam allatam de vino in nuptiis; nam haud dubiè illa etiam productio vini fuit miraculum nouum & diuerſum ab adductione, & tamen illam omnes agnoſcunt, ergo. Impugno Secundò eamdem obiectionem alia inſtantia; nam quando Chriſtus in deſerto pauit tot millia hominum ex quatuor panibus, &c. omnes concedunt veram productionem noui panis & nouorum piſcium; cùm tamen per ſolam adductionem aliunde res tota tranſigi potuiſſet.

Dices Secundò, Miracula à Chriſto facta debere eſſe talia, quæ non potuerunt arte dæmonis fieri, alioquin non oſtendiſſent ſatis maieſtatem illius; deinde, vt quid Chriſtus mandaſſet impleri hydrias aqua, ſi aliunde volebat vinum adducere; profectò labor ille fuiſſet inutilis, & ſolùm ordinatus ad decipiendos homines, vt ſcilicet putarent factum ibi vinum, quod tamen aliunde allatum erat. Vnde Auguſtinus lib. 1. de Ciuitat. Dei cap. 18. ait: *Debent præſumi facta prout decebat Chriſti maieſtatem.* Sed contrà, & quidem vt ab hoc vltimo incipiamus, nullam penitus talem regulam inuenio in eo capite Auguſtini; agit quidem ibi ille de conuerſionibus fabuloſis in lupos, &c. at nihil dicit de Chriſto, ſed explicat, quomodo illa omnia poſſint contingere arte dæmonum in ſomnis, &c. atque Deum omnia poſſe facere pro ſua voluntate; regulam verò illam non tradit: ſed parum hoc eſt, in ſe illa eſt vera, ſiue ab Auguſtino tradatur, ſiue non. Secundò reſpondeo, Minùs benè hos Auctores confundere miracula vera, etiam per ſolam adductionem facta cum præſtigiis dæmonum: etenim ſi per ſolam adductionem Deus Religioſo cœnobio, nihil penitus quod comodat habenti, tempore prandij menſas cibis impleat, cenſetur ab omnibus verum miraculum, & tamen totum hoc potuit fieri arte dæmonis.

An Dei miracula fiant per veram productionem, cùm ſaluari poſſint per adductionem.

Vlteriùs, quod ad verbum Chriſti ceciderint retrorſum ſatellites, iudicatur, & eſt verum miraculum Chriſti; quis autem neget potuiſſe dæmonem eos tunc truſiſſe? Tertiò, quod ambulauerit ſupra mare, & ſimilia, quæ fuerunt vera miracula; à demone enim non ſolent nec quidem ea ipſa, quæ alioquin ille poſſet verè facere, fieri niſi ſolùm apparenter; ſic licet ille dare veras diuitias poſſet, eas ex mari, ex terra, ex locis abſconditis accipiendo, nunquam tamen veras dat, ſed fictas, ideóque dicitur per præſtigias facere; ergo ex hoc capite non cogimur fateri in nuptiis fuiſſe veram productionem vini; quòd ſi tamen eam fatemur, quia nobilior eſt ille modus patrandi miracula, idem in noſtro caſu dicere poſſemus. Adde, ſi vinum fuiſſet illuc allatum non per medium, ſed data illi vbicatione immediatè ex loco diſtanti, fuiſſet veriſſimum miraculum, quodque arte dæmonum non potuiſſet fieri; fuiſſetque adhuc longè minus quàm productio illa noua vini, ergo. Quòd autem dicebatur fuiſſe inutile implere hydrias aqua, ſolumque ad decipiendum, habet aliquam probabilitatem, non tamen poteſt applicari ad multiplicationem panum in deſerto. Fortaſſe dici adhuc poteſt, Chriſtum potuiſſe aliqua accidentia vini ſaporem & odorem ſine productione ſubſtantiæ cauſare 22

Poſita productione vera in miraculis, eam ad Euchariſtia Sacramentum meritò trahere poſſumus.

Digitized by Google

cauſare in ea aqua, ideóque mandaſſe impleri hydrias, non tamen maius illud miraculum conuerſionis ſubſtantialis. Conſtet ergo ſiue ex hoc ſiue ex aliis exemplis rectè oſtendi, fideles in miraculis Chriſti ſæpè aliquid amplius conceſſiſſe quam ſimpliciter requiſierit textus illa narrans, ac proinde etiam nos id ipſum in hoc Sacramento poſſe concedere valdè probabiliter, maximè accedentibus Patrum teſtimoniis, quæ vt diximus, eam vehementer confirmant. Et ſatis de hac quæſtione.

SECTIO IV.

Quomodo deſinat ſubſtantia panis & vini in hoc Sacramento?

23 IN ſuperioribus ſæpè diximus, pro conuerſione requiri deſitionem termini à quo, ac proinde in Euchariſtia deſinere panem & vinum; quomodo autem id fiat, an ſit deſtructio totalis an annihilatio, non declarauimus: id quod pro complemento huius materiæ in hac ſectione expediendum erit.

SVBSECTIO I.

Nihil manet de panis ſubſtantia.

Nihil manet ſubſtantia panis ſub accidentibus;

ET Primò quidem de ea ſubſtantia nihil manere ſub accidentibus probatum eſt à nobis ſuprà ex verbis conſecrationis, quæ non poſſent eſſe vera, ſi vel materia, vel forma panis ibi maneret; nam τὸ *Hoc* ſupponeret pro illa re ſubſtantiali panis ibi manente, quod verè non eſt corpus Chriſti: eadem veritas colligitur ex Conciliis definientibus ſolùm manere ibi accidentia panis: particula autem *ſolùm* omnia excludit, & materiam & exiſtentiam ſubſtantialem panis, ſi hæc diſtingueretur à pane, & poſſet ſola manere; nam in mea ſententia nullo modo illam diſtinguent; non manente ibi pane exiſtentiam illius non poſſe manere eſt certo certius. Addendum, non ſolùm non manere ibi materiam aut formam determinatam panis, ſed nec gradum vllum genericum ſubſtantiæ, qui cum Chriſto identificetur (vt videntur aliqui docuiſſe:) talis enim gradus à parte rei eſt chimæricus; neque, ſi realiter daretur, poſſet Chriſto identificari de nouo, quia id eſſet Chriſtum eſſentialiter mutari.

Neque quid genericum ſubſtantiæ.

Dices Primò contra concluſionem: Ad veritatem verborum ſufficit, ſi panis vniatur Chriſti corpori; eo enim ipſo poſſet dici oſtendendo panem, *Hoc eſt corpus Chriſti.* Sed contra quia panem vniri corpori non ſufficit, vt panis dicatur corpus; ſicut materia non poteſt dici anima, aut è contrario, quantũuis vniantur inter ſe.

24 Dices Secundò; Patres aliqui docent Deum non deſtruxiſſe materiam panis in hoc Sacramento, ſed feciſſe, vt qui erat panis, ſit Chriſtus; quæ locutiones non eſſent veræ, ſi non maneret ſaltem aliquid ſubſtantiæ panis. Reſpõdeo, Patres ibi loqui de pane non quoad ſubſtantiam, ſed quoad accidentia; quaſi dicerent: Deus non mutauit ibi accidentia panis, eorum virtutem, & efficacitatem: ſimiliter quando dicunt, *Id quod erat panis iam eſt Chriſtus*, non loquuntur de ſubſtantia panis, quia hæc non poteſt eſſe Chriſtus; ſolùm ergo docent, accidentia, quæ anteà continebant panem, iam con-

Sancti Patres dicunt Deum non deſtruxiſſe panem quoad accidentia.

tinere Chriſtum: ad quod non requiritur vllo prorſus modo ibi manere aliquid de ſubſtantia panis. Iuxta hanc explicationem reſpondendum eſt aliis ſimilibus Patrum locis, qui aliquando ſolent accidentia (quia hæc ſunt quaſi panis viſibilis) pro ipſa ſubſtantia panis vſurpare.

Secundo, etiam oſtendimus ſupra abſolutè deſtrui panem: id quod ferè omnes Scholaſtici vt certum ſupponunt, pauculis exceptis, quos ſuppreſſo nomine D. Thomas reiicit. Fundamentum commune eſſe ſolet, quod panis non poſſit naturaliter conſeruari ſine accidentibus; nec poſſit dici, à Deo ei dari alia accidentia, tum quia hoc ipſum eſt miraculoſum; tum quia ad auferendam hæreticis omnem occaſionem panem cum Chriſto coniungendi, opportunius videbatur eum omnino deſtruere.

Panis abſolutè deſtruitur.

Prima ratio habet inde aliquam difficultatem quòd (vt ſuprà diximus) fortaſſe maius eſt miraculum deſtruere materiam primam natura ſua incorruptibilem, quàm eam conſeruare ſine vlla forma ſubſtantiali, aut quàm conſeruare panem ſine accidentibus; ergo. Reſpondeo tamen Primò, Me ea ſolùm ratione ſuprà ea de re dubitaſſe, vt oſtenderem, non adeò certò potuiſſe colligi ab Eccleſia eam deſtructionem, vti nonnulli indicant; quia dixi dubium eſſe quod ex his ſit maius miraculum; per hoc tamen non nego poſſe nos vt probabiliorem defendere eam corruptionem, ex eo quod naturaliter illa ſequatur ablatis accidentibus panis.

Ratio quæ id probat, difficultatem patitur.

Dices: Conſeruatio panis eſt prior ipſis accidentibus; ergo non poteſt petere naturaliter deſtructionem ſui ob defectum illorum. Ob hoc argumentum putat Ouiedo panem naturaliter tunc conſeruandum. Reſpondeo tamen, Si de forma ipſa panis loquamur, non eſſe vllam difficultatem, nam hæc pendet naturaliter, & quidem præuiè, à diſpoſitionibus ſuis: vnde illis ablatis clarè conſtat, quomodo naturaliter non poſſit conſeruari. Difficilius eſt, ſi de materia loquamur, quia hæc priùs natura exiſtit: nihilominùs adhuc eſt defendenda ea ratio communis; dico igitur. Si concipiamus priùs natura exiſtentem materiam, & in poſteriori auferri ei paſſiones, certum eſſe, non poſſe illam petere eo inſtanti deſtructionem ſui; quia ſi iam ſupponitur exiſtere pro eo inſtanti, non poteſt pro eo petere deſtrui: peteret enim repugnantia. Si tamen ante productionem ipſius materiæ concipiamus Deum iam decreuiſſe eo inſtanti non conſeruare accidentia, ſeu paſſiones, ſeu formam vllam ſubſtantialem, optimè intelligi poteſt, eo ipſo Deum vt auctorem naturæ debere non producere illam materiam, quia illa habet exigentiam, vt non producatur, ſi debet carere ſuo complemento ſibi naturaliter debito. Cùm ergo Deus, eo ipſo quòd decreuit ponere Chriſtum ſub ſpeciebus panis, decreuerit etiam non dare accidentia, neque vllam formam ſubſtantialem illi materiæ, eo ipſo naturaliter debuit nolle eam materiam producere. Secundò reſpondeo, Me propterea immediatè antè non ex eo ſolo capite probaſſe concluſionem illam communem, ſed ex ipſa communi auctoritate, quæ in quæſtionibus de facto maximum habet robur. Deinde, quia, vt dixi, ad defendendam veritatem Catholicam, quod ſubſtantia panis non ſit cum Chriſto, conuenientius fuit eam nullibi conſeruare: deſtructa autem eſt formaliter per ceſſationem actionis conſeruatiuæ; quæ ceſſatio, quantum

25 *Obiectio.*

Soluitur.

In quæſtionibus de facto auctoritas maximum robur addit.

Deſtruitur ſubſtantia panis per

ceſſationem actionis conſeruatiua.

quantum ad vnionem cum accidentibus panis, petita eſt ab actione poſitiua exiſtentiæ Chriſti: & hoc ſolum volunt Doctores, dum dicunt panem deſinere ex vi actionis poſitiuæ, id eſt, deſinere eſſe ſub eis accidentibus ad exigentiam actionis; nam quod abſolutè panis deſinat in rerum natura, mediatè ſolùm oritur ab exiſtentia Chriſti, immediatè autem à carentia vnionis cum eis accidentibus ob dicta.

SVBSECTIO II.

An annihiletur panis.

26 SOLEMNIS apud multos quæſtio eſt, Vtrùm ea deſitio fiat per annihilationem; & licet tota hîc diſſenſio ſit de voce, mirum tamen eſt quàm fuerint inter ſe diuiſi Auctores in ea explicanda; & quidem Dominicus Soto apud Patrem Suarez diſput. 50. ſect. 7. dixit, citra errorem non poſſe doceri panem annihilari, quem tamen meritò idem Suarez reiicit, quia eſt opinio grauium & Catholicorum Doctorum (quos ipſe Suarez initio ſectionis adduxerat) & ſaluat probabiliter omnia quæ docet Fides de hoc myſterio, & habet probabilia fundamenta philoſophica; mihi adhuc videtur parum in hoc puncto dixiſſe Suarium: etenim ea ſententia non ſolùm probabiliter; ſed euidenter ſaluat omnia quæ Fides docet; nam Fides de voce annihilationis nihil docet, imò neque quod panis alibi non maneat, aut deſtruatur, de reliquo & accidentia panis manere, & ſub eis Chriſtum contineri, & Chriſtum ſucceſſiſſe ſubſtantiæ panis, ac denique, ſubſtantiam panis abſolutè perire, qui ſunt articuli Fidei (excepto tamen hoc vltimo, quem adhuc aliqui negant;) omnes inquam hos articulos illi omnino fatentur, ſolumque dicunt panem ideò annihilari, quia non manet quidquam de ſubſtantia illius: id quod putant ſufficere ad rationem annihilationis. Non videtur Pater Suarez voluiſſe agnoſcere, totam hanc eſſe quæſtionem de nomine; ſolùm enim dixit, *Fortaſſe eſt de nomine*; ideoque putat ſolum probabiliter ſaluari ab eis Auctoribus Fidei myſteria. Alij verò dicunt ideò eam eſſe periculoſam, quia hæretici nobis obiiciunt nos ponere annihilationem panis; nam ſine annihilatione, inquiunt, conuerti non poteſt in Chriſtum. Verùm hæc obiectio nullius momenti eſt, quia cùm per annihilationem nihil aliud intelligant Auctores hi, quàm quòd nihil de ſubſtantia panis maneat, ſed ſola accidentia, & ſub eis Chriſtus, & hæretici nec apparenter aliunde oſtendant concedi abſurdè eam annihilationem; non video cur non eis eſſet annuendum, & cur non omnino concedenda annihilatio panis? quod autem hæretici deinde illam vocem & rem per illam ſignificatam rideant, non eſt curandum; quia & ipſam vocem *tranſſubſtantiatio*, & alias, quibus Eccleſia vtitur, illi paſſim irrident. Iam addo, eam ſententiam de annihilatione reuerà magis philoſophicè loqui, & magis conſequenter, quia annihilatio opponitur creationi; vnde deſtructio eius rei quæ creatur videtur dicenda annihilatio: & vt ſtatim oſtendemus, haud ſine difficultate poteſt aſſignari bona diſparitas. Fateor, aliquando in rebus Fidei per voces inconſideratè prolatas poſſe incurri hæreſim; id tamen non habet locum in præſenti, quia nec vox illa eſt, vt dixi, ab Eccleſia reiecta; neque vllum planè eſt periculum, quod ex admiſſione illius aliqua hæreſis oriri poſſit; ex quibus à fortiori apparet eam ſententiam nulla nota dignam, imò probabilem eſſe.

Citra errorem doceri poteſt panem annihilari, contra Sotũ.

Neque hac ſententia eſt periculoſa, prout explicatur à ſuis Auctoribus.

Imò philoſophico loquendi modo videtur conformior.

Quidquid tamen de eo puncto ſit, contraria, quæ eſt communis apud maiorem partem Theologorum, debet omnino defendi: eius Auctores vide apud Suarez ſuprà §. *Nihilominus*. Ratio eſt, quia in modo loquendi maximè circa myſteria Fidei ſemper eſt adhærendum pluribus: inueniri item facilè poteſt via ad annihilationẽ excludendam; imò multiplicitas ſententiarum (quas dixi eſſe in hac quæſtione) oritur ex diuerſis capitibus, ex quibus poteſt deſitio panis non dici annihilatio. Pro quo aduerte, hæc ibi interuenire de re; Primò, quod maneant accidentia ipſa panis, quæ poſſunt moraliter reputari aliquid panis: debet autem annihilatio tendere in purum nihil; ergo panis non annihilatur, eſto de toto conceptu ſubſtantiali illius nihil maneat. Hæc differentia de re eam difficultatem patitur, quòd ſi diuinitus anima rationalis deſtrueretur, adhuc diceretur annihilari; & tamen etiam tunc manerent multa accidentia illius, & ipſa materia prima, cui illa fuerat vnita; ergo poteſt etiam panis dici annihilatus, eſto maneant accidentia illius; ergo ea diuerſitas non eſt ſufficiens. Vrgeri hoc ipſum poteſt, quia accidentia ſunt valdè extrinſeca ſubſtantiæ; ergo quòd aliquod illorum maneat, non ſufficit ad impediendam annihilationem. Ita obiicit Pater Suarez ſuprà; qui tamen opinatur, eſto corpus Chriſti non ſuccederet loco panis, adhuc panem non dicendum annihilari, dummodò deſineret ex vi actionis, quà eius accidentia conſeruarentur extra ſubiectum. Quæ vltima doctrina non videtur poſſe cohærere cum priori; nam ſi permanentia accidentium cenſetur extrinſeca ſubſtantiæ, vt propterea hæc dicatur non annihilari, profectò & actio illa conſeruatiua ipſorum accidentium erit extrinſeca eidem ſubſtantiæ; quia non poteſt magis eſſe intrinſeca actio, quàm ſit intrinſeca res, quæ per eam producitur; non ergo duæ hæ opiniones huius Auctoris ſibi cohærent. Quidquid verò de hoc ſit, adhuc illa diſparitas poſſet ſuſtineri, & obiectioni reſponderi, etiam in eo caſu, quo anima rationalis immediatè antè vnita materiæ deſtrueretur, non dicendam annihilatam; & ſanè nullo contrario modo loquendi id poterit impugnari, cùm pro eo caſu, qui numquam contingit, nullus ſit ſtatutus modus loquendi: è contrario autem valdè probabiliter ex hac materia colligitur, etiam tunc non dicendam eam deſitionem annihilationem. 27

Contraria tamen ſententia eſt tenenda propter Doctorum auctoritatem.

Et quia accidentia ſaltem remanent.

Suarez duæ opiniones non cohærent.

Anima, quæ immediatè ante erat vnita, ſi deſtrueretur, non ideò diceretur annihilata.

Replicabis: Licet anima præſupponat ſubiectum & accidentia, quæ petant illius productionem, nihilominùs eius productio dicitur creatio; ergo è contrario eius deſtructio diceretur annihilatio. Reſpondeo negata conſequentia, quia creatio nihil aliud petit ex certa & communi omnium acceptione, quàm vt res illa non educatur, ſeu non producatur ex ſubiecto, ſeu non producatur dependenter ab illo quoad conſeruari; (hoc addo propter ſententiam negantem cauſalitatem materialem etiam in formas omnes materiales;) cùm ergo anima, ſiue præſupponat ſubiectum & diſpoſitiones, ſiue non, ſemper producatur independenter à ſubiecto, debet eo ipſo dici creata. At annihilatio videtur denotare, quod res deſtructa omnino deſinat in nihil; 28

non

Digitized by Google

non deſinit autem in nihil, eo ipſo quòd maneat vel ſubiectum illius, vel accidentia, &c. Dixi ſuprà, *Si anima immediatè antè vnita eſſet*; nam ſi iam anima Diui Petri in cœlo deſtrueretur, diceretur ſine dubio annihilata, quia corpus & accidentia omnia quæ olim habuit, iam pridem amiſit: vnde de facto in omnino nihil videretur abire, ac proinde dicenda eſſet annihilari. Quod ſecundo loco dicebatur à Suario, accidentia eſſe nimis extrinſeca ſubſtantiæ, facilè negatur: ſunt enim ei vnita, ſunt aliquid illius; ac proinde iure merito dum ea manent, dicetur ſubſtantia non abire in nihilum: id quod confirmo ex probabili ſententia negante cauſalitatem materialem veram: (licet enim ex aliis capitibus ea ſententia reiiciatur, poteſt tamen admitti haud dubiè pro præſenti quæſtione:) in hac ergo ſententia, dum lux corrumpitur, etiamſi nullum aliud accidens eius loco producatur, & non maneat ſubiectum, ex cuius potentia ea lux educebatur; quia ſupponimus non eductam ex aëre; nihilominùs non dicitur annihilari, quia manet ſubiectum, in quo fuit anteà; nec tamen ideò, dum producitur, dicetur creari, cùm pendeat ſaltem à poſteriori à ſubiecto, in quo differt ab anima rationali. Conſtet ergo eam primam differentiam de re eſſe ſufficientem ad oſtendendum, cur non dicatur panis annihilari.

Si autem iam diu fuiſſet ſeparata à corpore, ſi deſtrueretur, diceretur annihilari.

29 Secunda differentia eſt, quòd deſtructio panis ordinatur à Deo ad poſitionem Chriſti ſub iiſdem accidentibus: ergo panis non deſinit in purum nihil, cùm tendat ad productionem Chriſti.

Panis non annihilatur, quia tendit ad poſitionē Chriſti.

Dices: Ea intentio Dei eſt extrinſeca deſitioni; ergo ratione illius non debet amittere conceptum proprium annihilationis, quem ex ſe habebat. Reſpondeo; Eſto ea intentio ſit extrinſeca ipſi actioni, non tamen id obeſſe quidquam, quia denominatio annihilationis aut ſimplicis deſitionis deſumitur ex aliquo extrinſeco ipſi negationi. Ex hac ſecunda differentia, adiuncta etiam priori, confici poteſt optima diſparitas, etiamſi diceremus quamlibet ex his ſeorſim ſumptis non eſſe bonam. Adhuc tamen vrgebis, Si Deus nollet duos Angelos aut duos mundos ſimul conſeruare, & deſtrueret vnum vt alterum produceret, ea deſtructio eſſet vera & propria annihilatio, ergo hæc ſecunda ratio nullius eſt momenti. Reſpondeo, Proptereà me dixiſſe, ſi ſola hæc non ſufficit, ſufficere tamen ſimul cum priori, nam in eo caſu de Angelo non eſſet vllum tertium phyſicè commune termino à quo & termino ad quem, ratione cuius poſſet ea deſitio excludi à ratione annihilationis. Secundò, fortaſſe aliquis contenderet, etiam eam Angeli deſtructionem non vocandam annihilationem tunc, ſed deſitionem ſimplicem: iam enim dixi, pro his caſibus extraordinariis in ordine ad modum loquendi nihil, eſſe certum, quomodo ſcilicet tunc eſſet ea deſitio vocanda, & vix non eſt liberum cuilibet nunc dicere, Tali & tali modo tunc vocaretur.

Tertia differentia, quam aſſignat Pater Suarez ea ſectione 7. §. *Quinta ratio maximè probat*, deſumitur ex eo, quòd panis non deſinat per meram ſuſpenſionem concurſus Dei, ſed ex vi actionis poſitiuæ: id quod iuxta Diuum Thomam 3. Par. q. 104. art. 3. & Scotum in 4. diſt. 11. quæſt. 4. in vltimis verbis eſt contra rationem annihilationis: hæc enim non debet fieri per actionem poſitiuam: cuius vlteriorem rationem eam addit, nam actio poſitiua neceſſariò reſpicit terminum poſitiuum; ergo ſi ex illa ſequitur deſtructio, neceſſum eſt vt non deſtruatur totum id, quod per ſe ſupponitur ad talem actionem: quòd verò in præſenti myſterio res ita contingat, oſtendit inde, quia ſubſtantia panis deſinit per actionem, qua ab illa ſeparantur accidentia: hæc autem actio eo ipſo fertur ad poſitiuum terminum, id eſt ad conſeruationem eorum accidentium extra ſubiectum; vnde vlteriùs fit, vt vi eius actionis non deſtruatur ſubſtantia panis, vt eſt in ſe quoddam totum; ſed præcisè deſtruitur compoſitum ex illa & ex accidentibus. Ad hanc verò rationem putat hic Auctor poſſe redduci eam quam nos primo loco tradidimus de permanentia accidentium panis: quam rationem, niſi coniungatur cum hac de actione poſitiua, putat eſſe inſufficientem, quia accidentia ſunt nimis extrinſeca ſubſtantiæ. Verùm hoc vltimum iam eſt à me ſuperiùs reiectum, vbi oſtendi non ſatis conſequenter in hoc puncto eum Auctorem diſcurrere.

Differentia, quam Suarez aſſignat inter deſtructionem & annihilationem:

Nunc ſpecialiter addo contra hanc doctrinam, videri potiùs in ea contrarium ipſius intento ſuaderi: ſi enim panis vi eius actionis poſitiuæ ſolùm deſtruitur, vt eſt quædam pars illius complexi ex pane & accidentibus; ergo quòd panis non ſolùm deſinat eſſe ibi, ſed abſolutè in ſe, ſeu quòd nullo modo maneat in rerum natura, non fiet vi illius actionis poſitiuæ, ſed purè putè ex alia voluntate Dei nolentis panem alibi conſeruare, ac proinde licet deſitio eius compoſiti ex pane & accidentibus non ſit annihilatio; deſitio tamen altera panis ſecundùm ſuam ſubſtantiam erit annihilatio: quod vt meliùs intelligas aduerte duo interuenire circa ea accidentia Euchariſtica; vnum poſitiuum, quòd ſcilicet conſeruentur ſine ſubiecto; alterum negatiuum, quòd deſtructa ſit illorum vnio ad ſubiectum. Hoc poſito dico ſubſtantiam panis ideò præcisè perire, non quia accidentia conſeruentur ſine ſubiecto, ſe quia pani non dantur alia: da ea accidentia retenta vnione alibi conſeruari ſine ſubiecto: profectò non ideò ſubſtantia panis periret; da item è contrario vnionem illorum cum pane perire, iam panis eodem modo omnino peribit, ſiue accidentia ipſa in ſe pereant, ſiue maneant alibi, quia hoc ad panem eſt per accidens, ſi ipſe careat eis accidentibus; ergo potiùs erit dicendum iuxta diſcurſum Patris Suarez eam eſſe annihilationem panis, quia reuerà oritur ex pura ceſſatione. 30

Videtur pugnare contra ipſumſmet intentum.

Et conuincere, verè dari annihilationem panis.

Reſpondebis fortaſſe, verum quidem eſſe, immediatam cauſam eius corruptionis eſſe eam ceſſationem vnionis, hanc tamen ipſam vnionem perire, quia ea accidentia conſeruantur alibi per actionem poſitiuam. Sed contrà Primò quia neque hoc ipſum eſt verum: etenim miraculosè fieri optimè poteſt, vt accidentia in vno loco vnita pani ponantur in altero ſine ſubiecto, & ibi conſeruentur ſine ſubiecti concurſu: quòd autem Deus nolit hoc miraculum facere, ſed potiùs alterum de deſtructione panis, non debet reduci in ipſam conſeruationem accidentium ſine ſubiecto, ſed in puram Dei voluntatem nolentis panem manere in rerum natura; ac proinde ratione actionis non poteſt explicari, cur illa

Digitized by Google

Quod adhuc acriùs vrgetur contra eumdem Suarez.

31 deſtructio non ſit annihilatio. Vrgetur ampliùs hæc ratio; nam etiamſi dicamus conſeruationem vnionis ceſſare ob actionem alteram poſitiuam, quia tamen tota ea connexio non eſt ex natura rei, ſed ex ſola voluntate Dei, non videtur in ſententia Suarez obeſſe annihilationi; nam ſi Deus, diceret, *Deſtruo vnum Angelum vt alterum producam*, ea deſtructio eſſet annihilatio. Et hîc habet maiorem vim, quòd ipſe Suarez inſinuat, ſcilicet permanentiam accidentium eſſe valdè extrinſecam ſubſtantiæ, vt propterea hæc non dicatur annihilari; ſi enim accidentia (quæ tamen ſunt ſuo modo aliquid ſubſtantiæ, quatenus ei vniuntur) per ſe non ſufficiunt, vt aliquid ſubſtantiæ dicatur permanere; profectò multò minùs ad id ſufficiet alicuius alterius ſubſtantiæ cum hac omnino diſparatæ permanentia, vt ratione illius dicatur aliquid de hac ſubſtantia manere. Vrgeo id ampliùs, ſi vera eſſet ſententia Patris Leſſij, docentis materiam non habere vllam actionem veram cauſatiuam accidentium, ſed hæc tantùm pendere à materia ad ſui conſeruationem vt à conditione; profectò eo caſu Chriſtus poneretur ſub eis accidentibus nulla data noua actione poſitiua circa accidentia, ſed purè putè ablata vnione; & deinde ceſſaret actio conſeruatiua panis; & tamen etiam tunc non diceretur panis annihilari; ergo ea actionis connexio eſt impertinens ad rem præſentem. Ex his ergo tribus differentiis de re ipſa prima & ſecunda, maximè ſi ſimul ſumantur, ſunt ſufficientes pro defenſione communis ſententiæ.

Maximè in ſententia Leſſij, negantis cauſalitatem materiæ in accidentia.

32 Duo tamen obiter notanda cenſeo, aliquos putaſſe eo ipſo quòd forma aliqua pereat, & loco illius nulla alia ſuccedat, etiamſi educta ea fuerit de potentia ſubiecti, nihilominùs tamen debere eam annihilari: quòd ſi obiicias cum Cardinali Lugo, dum voluntas per puram omiſſionem ceſſat, nullus dicit dari annihilationem; reſpondebunt propterea negando caſum; putant enim non dari puram omiſſionem. Hos tamen benè ea diſput. 7. ſect. 12. idem Lugo reijcit; quia ſaltem per ſomnum poteſt homo purè ceſſare ab eis actibus. Adde duas alias impugnationes: prima eſt, quia licet negetur ob alias rationes pura omiſſio; nemo tamen docuit ea admiſſa debere dici actus voluntatis annihilari: ſecunda impugnatio facilior eſt, & ſine neceſſitate recurrendi ad eas opiniones, in luce, quæ perijt in aëre ſine noua forma, & in ſpeciebus ſoni, viſus, &c. vbi tamen nemo dixit lucem annihilari; ergo ad annihilationem non ſufficit, quòd nihil producatur loco rei corruptæ. Idem poteſt vrgeri in ſententia, quæ formas partiales admittit, & negat formam cadaueris: tunc enim nec homo annihilatur, etiamſi nihil noui in cadauere producatur: & idem eſt in animabus brutorum, quæ non annihilantur etiam in ea ſententia.

Ad annihilationem non ſufficit, quòd nihil producatur loco rei deſtructæ.

Secundò aduerte, alios etiam putare ad excludendam annihilationem eſſe neceſſarium, vt ea forma, aut quaſi forma, quæ ſuccedit, ſuccedat in munere præcedentis: vnde ſi ſub accidentibus non ſuccederet Chriſtus in munere panis, opinantur panem annihilandum: ita Cardinalis Lugo ſuprà. Verùm hanc ſucceſſionem Chriſti Domini in munere ſubſtantiæ ſæpè ſuprà reiecimus vt non neceſſariam; nunc addo, etiamſi fortaſſe ad conuerſionem ſubſtantialem ea ſucceſſio neceſſaria dicatur, in præſenti tamen caſu nullatenus requiri: ad hoc enim, vt ea res deſtructa non dicatur omnino in nihilum abire, videtur eſſe impertinens illa ſucceſſio in munere, quia non propter munus, ſed propter rem quæ ſuccedit, dicitur altera deſinere in aliquid. Et ſanè vt panis non dicatur annihilatus, non attendimus niſi purè ad hoc, quòd Chriſtus ibi ponatur vbi fuit panis, ſiue exerceat circa ea accidentia cauſalitatem, ſiue non.

Neque eſt neceſſe vt ſuccedat in munus ſubſtãtia corruptæ, contra Cardinalem Lugo.

DISPVTATIO TRIGESIMASEXTA.

Quomodo totus Chriſtus ſit ſub qualibet ſpecie?

Duobus modis ponitur Chriſtus ſub ſpeciebus, vi verborum & per concomitantiam.

1 DVos modos ponendi Chriſtum ſub ſpeciebus agnoſcit Tridentinum: vnus eſt vi verborum; id eſt, qui ad rigoroſam verborum veritatem requiritur: alter eſt per concomitantiam ratione vnionis, quam pars poſita vi verborum habet cum reliquis. De primo modo agemus ſectione tertia, de ſecundo in prima.

SECTIO I.

Totus Chriſtus eſt per concomitantiam ſub qualibet ſpecie.

CONCLVSIO hæc eſt definita à Tridentino Seſſione 13. cap. 5. vbi reddit pro ratione vnionem de facto inter hæc omnia intercedentem: quare autem id inferatur ex vnione animæ: corporis & ſanguinis diximus ſuprà, oſtendentes, ſi res ponatur in duplici loco, debere in eo poni omnia illa, quibus ita completur, vt naturaliter ſine illis eſſe non poſſit; quando autem dico poni diuinitatem, non intelligas eam anteà ibi non eſſe, aut nouam acquirere vbicationem; vtrumque enim illi repugat; ſed quòd ſpecialiori modo ſit ibi propter vnionem, ſicut eſt in humanitate Chriſti.

Diuinitas ſpeciali modo eſt in Sacramento Euchariſtiæ.

Dices: Sanguis non informatur anima rationali, ergo non pendet ab illa; ergo non ponitur anima in calice propter vnionem. Reſpondeo Primò Negari à me antecedens, imò ex hoc loco Concilij non parum confirmari ſententiam aſſerentem ſanguinem animari: expreſsè enim docet animam poni cum ſanguine propter vnionem. Aduerſarij autem qui negant informari anima rationali, dicunt Concilium impropriè intelligendum de vnione metaphorica. Qui modus explicandi Concilia non eſt valdè tutus: poteſt enim eſſe occaſio multorum errorum. Addo tamen Secundò, licet non informetur ſanguis anima rationali, & ita non ponatur propter vnionem, adhuc debere poni animam & corpus cum ſanguine; quia hic eſt incompletus, & non poteſt conſeruari naturaliter niſi cum corpore & anima.

Concilio Tridentino conformior ſententia eſt, ſanguinem animari anima rationali.

Aduerte,

Digitized by Google

Aduerte, ſi fortè tempore cœnæ Chriſtus, Dominus habuit ſibi vnitas aliquas partes materiæ, quas modò non habet in cœlo, & modò aliquas quas tunc non habebat, poſitas eo tempore illas præcisè, quas tunc habebat, & modò pone quas modò habet, quia concomitantia & connexio partium debet attendi pro tempore, quo proferuntur verba, ſeu quo fit conſecratio; tunc autem non ſunt partes illæ, quæ olim præcisè fuêre, aut poſteà ſunt futuræ.

2 *Ponuntur capilli, vngues, dentes, &c.*

Rogabis, An capilli, vngues, dentes, &c. ponantur. Reſpondeo, Poni, quia vngues & dentes animantur; & licet non animarentur, ſunt de complemento & perfectione hominis: quæ ratio ad capillos etiam extenditur. Saliua verò & excrementa, ſi quæ habuit Chriſtus tempore cœnæ, non fuere poſita; quia nec vniuntur aliis partibus, nec pertinent ad perfectionem corporis.

De ſanguine eſt incertum quis ponatur.

Rogabis Secundò; Vtrùm omnis ſanguis, qui effuſus eſt, ponatur in calice aut omnis fuerit effuſus? Reſpondeo, Neutrum poſſe eſſe certum, quia non conſtat, vtrùm aliqua gutta ſanguinis manſerit in Chriſto, quæ non fuerit effuſa; neque etiam, vtrùm omnes guttas effuſas iterùm aſſumpſerit. Quòd enim dicatur in ipſa conſecratione, *Qui pro nobis effundetur*, non probat omnes omnino guttas ſanguinis eſſe effuſas; ſed de maiori parte id poteſt intelligi: vt enim quis dicatur effudiſſe ſuum ſanguinem, non eſt neceſſum vt nec guttam in corpore retineat.

Sententia Durandi, corpus Chriſti poni ſine ſua quantitate.

Gabriel Maior & Ockamus negant omnē quantitatem Chriſti.

Circa quantitatem corporis Chriſti oportet tantillum hærere tum propter Patrem Suarium, tum propter Durandum: igitur ille diſput. 51. ſect. 2. refert duas diuerſas ſententias, vnam Durandi docentis quantitatem eſſe diſtinctam, addentis tamen eam non poni cum Chriſto; quia primarius effectus quantitatis, ſine quo nec diuinitus ea poteſt eſſe, eſt extenſio actualis, ergo cùm corpus Chriſti ponatur ſine actuali extenſione, neceſſum eſt vt ponatur ſine ſua quantitate. Secunda ſententia, quam ibi refert, eſt Gabrielis, Maioris & Ockami, qui cùm negent quantitatem diſtinctam, per conſequens eam negant in Chriſto; cùm autem nomine quantitatis intelligant corpus vt affectum extenſione locali, quæ extenſio non eſt in Euchariſtia, conſequenter etiam omnem negant quantitatem Chriſti. Hanc ſententiam ait Suarez ſuppoſito eo principio diſcurrere conſequenter; Durandum verò impugnat, quia cùm quantitas ea diſtincta ſit vnita Chriſto in cœlo, debet etiam poni per concomitantiam in Euchariſtia.

3 *Durandi ſententia à ſententia Gabrielis & aliorum non niſi nomine differt.*

Ego tamen puto Durandum ſolo nomine differre à Gabriele & Ockamo; nam licet admittat nomine tenus quantitatem diſtinctam, per eam tamen non videtur aliud intelligere quàm vbicationes ipſas quæ faciunt formaliter extenſionem, & quæ diuinitus non poſſunt inter ſe penetrari; quia (vt ſæpè diximus) vbicationes illæ ſunt eſſentialiter affixæ cuilibet ſuo loco; ergo meritò etiam negat Durandus illas poni in Euchariſtia: quidquid verò de illius mente ſit, dicendum eſt, ſi præter vbicationes ipſas admittatur aliqua alia quantitas, quæ tantùm habet ex ſe exigere eam extenſionem localem (prout defenditur communiter) eam debere poni in Euchariſtia per concomitantiam, iuxta ea quæ omnes fatemur de anima, ſanguine, &c.

Dices, Quantitatem eſſe quidem qualitatem ab vbicationibus diſtinctam, ita tamen eſſentialiter exigentem actualem impenetrationem, vt nequeat etiam diuinitus admittere penetrationem, ac proinde eam non poſſe poni in Euchariſtia, vbi Chriſtus eſt penetratus. Sed contrà, quia gratis datur ei quantitati adeò magna exigentia impenetrationis, cùm ad ſaluanda omnia quæ de quantitate vi rationis naturalis aut experientiæ ſcimus, neceſſaria non ſit tanta connexio; deinde non videtur proinde Chriſtum, dum in tota ſua magnitudine intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis penetrando portas ipſas, amiſiſſe tunc ſuam quantitatem, imò & ipſas etiam portas eam amiſiſſe; ergo gratis ponitur ea eſſentialis connexio. Denique, ſi tantam connexionem voluit tribuere Durandus quantitati, diſcurriſſet ſanè probabiliùs dicendo eam quantitatem eſſe ipſam extenſionem actualem, ſiue ipſas vbicationes; nec neceſſum fuiſſet addere deinde aliquid aliud, quo actu res illa eſſet in loco; ac proinde meliùs diſcurriſſet Gabrielis & OcKami ſententiam ſequendo. Et de Durando ſatis.

Circa Patrem Suarium occurrit notandum, ab eo doceri etiam, eos modos quantitatis, qui ſunt abſoluti & independentes à loco, poni per concomitantiam. Quæ doctrina omnino eſt vera; illud tamen mihi minùs placet, quòd inter huiuſmodi accidentia nominet denſitatem: hæc enim nihil eſt aliud, quàm quòd ſub eodem ſpatio plus ſit aut minùs de ſubſtantia, id verò fit vel per vbicationes ipſas formaliter, quatenus (vt multi putant) ſit inadæquata penetratio aut elatebratio partium, ac proinde in Euchariſtia, vbi omnes partes corporis Chriſti ſunt in eodem loco, non poteſt habere locum ea denſitas & raritas, ſed in rigore neutra eſt, vel certè ſumma denſitas, non quidem nec partialiter ea quæ eſt in cœlo, quia non habet ibi eas vbicationes, ſed alias omnino nouas. Quòd ſi verò raritatem & denſitatem per corpuſcula explicemus eodem modo non poteſt dici eam eſſe in Euchariſtia, quia vel ea corpuſcula, aër, &c. non ſunt ibi, vbi non ponitur in Euchariſtia ea vacuitas quæ eſt in ore humano, ac proinde quæ eſt etiam in Chriſto: vel ſi adhuc dicas poni ea corpuſcula, non poſſunt poni eodem modo, quo faciunt in vero corpore raritatem, quia id præſtant occupando diſtinctum locum, in Euchariſtia autem debent eſſe penetrata, aliam autem qualitatem fingere, quæ ſit actualis raritas, vel denſitas, eſt improbabile, quia nihil illa efficere poteſt niſi per vbicationes partium, quas non habet Chriſtus in Euchariſtia. 4

Sententia Suarez ponentis modos quantitatis abſolutos per concomitantiam approbatur: de denſitate verò qua addit reijciuntur.

Caro in Chriſti corpore actu non eſt rarior quàm oſſa, ſed tantùm radicaliter.

Dices: Ergo in Euchariſtia non eſt rarior caro Chriſti quàm eius oſſa, hoc autem videtur abſurdum. Reſpondeo, Actu non eſſe nec rariorem nec denſiorem, eſſe tamen radicaliter, quatenus diſpoſitiones caloris, frigoris, & ſimiles, quæ ſunt in eis partibus, habent exigentiam naturalem maioris vel minoris dilatationis partium.

Non ponitur in Euchariſtia vlla Chriſti figura:

Circa figuram res eſt adhuc clarior, quia præter phyſicas partes v. g. ſtatuæ, præter vniones illarum, præter vbicationes, ac denique præter carentiam ſuperfluarum partium, nullum omnino accidens eſt quod poſſit conſtituere rationem figuræ (vt fuſiùs in Philoſophia oſtendit;) ac proinde non poteſt poni vlla Chriſti figura in Euchariſtia, cùm in ea non ſit extenſio vlla localis partium.

Quidquid verò de quantitate ſit, ponuntur etiam per concomitantiam omnes aliæ qualitates & accidentia, quæ neceſſariò exiguntur à 5

corpore & anima propter dicta ſuprà; vtrùm autem aliqua ex his etiam ponantur ex vi verborum, dicemus ſtatim; alia verò accidentia ſupernaturalia, viſio ſcilicet beata, gratia, & habitus, &c. ponuntur etiam, quia vnio hypoſtatica illa exigit; vtrùm autem aliæ viſiones, & actus Chriſti Domini, quos habet in cœlo quaſi caſualiter, id eſt, qui nullo modo petuntur nec ab anima, nec ab vnione, ponantur etiam in Euchariſtia, dubium eſt. Ex dictis ſuprà diſput. 32. mihi certum eſt, nullo modo nos cogi ad dicendum eos poni, quia ad illos non extenditur vnio & connexio naturalis; ideóque prudenter Concilium concomitantiam & connexionem ſolùm poſuit inter illa quæ inter ſe habent dependentiam, quam non habet Chriſtus ab his actibus: & in hoc acquieſco Suario vbi ſuprà. An verò ſine exigentia, propter maiorem tamen ipſius Chriſti ornatum, eos actus habeat in Euchariſtia, dubium eſt: probabile eſt eos habere, non tamen certum.

Ponuntur viſio beata, gratia habitus, &c.

Rogabis, An totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum; & vnde id probetur. Reſpondeo, Me ſuprà de hoc puncto egiſſe, vbi dixi, Etiamſi ex Fide id probetur, quia ita expreſsè id definiuit Tridentinum Seſſione 13. cap. 3. *Totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte exiſtit*, quod idem docet de calice; ratione tamen id vix poſſe perſuaderi, idcóque gratis multos in ea quærenda defatigari.

Nulla ratio probat Chriſtum eſſe ſub qualibet parte ſpecierum.

SECTIO II.

Vtrum Chriſtus ſit ſub punctis ſpecierum?

6 *Chriſtus eſt in punctis ſpecierum, contra Vaſquez.*

DE hac quæſtione, ſuppoſita Ariſtotelis ſententia, fusè à nonnullis diſputatur; immeritò tamen in hac quæſtione deſudant, cùm in ea ſententia puncta non occupent diſtinctum locum à partibus; ergo ſi Chriſtus eſt in partibus, debet eſſe & in punctis: nec video rationem vllam dubitandi in hoc puncto, licet id neget Vaſquez, qui ſic obiicit; In diuiſione ſpecierum reſultant noua puncta terminatiua, in quibus non poteſt exiſtere Chriſtus, quia non incipit de nouo exiſtere in re, in qua antea non erat; ergo. Reſpondetur, illa puncta reſultantia non eſſe in nouo loco, ſed in eodem, in quo erant partes: cùm ergo Chriſtus fuerit in eis partibus, neceſſario debet, poſito nouo puncto in illis, illi puncto de nouo reddi præſens per denominationem extrinſecam; in ſententia quidem ponente vnionem ſpecierum cum Chriſto, aut cauſalitatem Chriſti in ſpecies, & in ſpeciebus qualitatem intrinſecam ſupernaturalem attrahentem Chriſtum, ſatis magnam videtur habere hoc argumentum Vaſquez difficultatem, quia iam debebit de nouo in Chriſto poni noua intrinſeca vnio cum eis punctis nouis, aut noua cauſalitas in illa, in accidentibus verò è contrario noua vis attractiua Chriſti; ac proinde fiet noua quaſi conſecratio accidentis: id quod videtur abſurdum; nihilominùs reſponderi adhuc poteſt, Primò, eamdem eſſe difficultatem in omni ſententia, quia ſicut ea ſeparatione facta debent produci noua puncta accidentium ſine ſubiecto, mirum non eſt, quòd illa Chriſtus cauſet efficienter, & quòd illa habeant vim trahendi Chriſtum, Secundò, ea puncta nec acquirere vllam vnionem cum Chriſto, nec vllam vim eum ad ſe trahendi, quia partibus tantum ipſis, non punctis, quæ ſunt præcisè per modum vnionis, conuenire ea poſſunt. Fateor hæc omnia eſſe difficilia, non tamen ſpecialiter ob materiam præſentem, ſed ob ſententiæ Ariſtotelicæ obſcuritatem.

Cuius argumentum licet habeat aliquam difficultatem, tamen ſoluitur.

Vt verò id perfectè intelligas aduerte, quoſdam ideò impugnare hanc doctrinam de exiſtentia Chriſti ſub punctis, quia in eis punctis non eſt panis; alioquin cum diuiditur panis adderentur de nouo duo puncta terminatiua panis; at proinde iam plus materiæ & formæ panis eſſe in pane diuiſo quàm in integro, quod videtur abſurdum; vti etiam videtur abſurdum, quòd facta ea diuiſione ponatur ibi Chriſtus ſine conſecratione, & ſine conuerſione vllius ſubſtantiæ in corpus Chriſti. Ob quod argumentum Cardinalis Lugo ſect. 3. putat debere negari ea puncta terminatiua tam in continuo ſucceſſiuo quā in permanenti, ad vitandas omnes difficultates, quæ ex eo principio paſſim in Philoſophia & Theologia occurrunt. Ego in hoc puncto Primùm dico, quæſtionem hanc (vt immediatè antè inſinuaui) eſſe difficillimam; Secundò, me mirari ab his Auctoribus ſpecialem hic inuentam difficultatem circa myſterium Euchariſtiæ præ aliis materiis: rogo enim illos, An cenſeant in aqua v. g. dum ſeparatur, reſultare vera puncta terminatiua aquæ, an non? ſi non, eo ipſo non habet locum quæſtio hæc, quæ ſolùm procedit data ea ſuppoſitione: quòd ſi ij Auctores eam ſuppoſitionem admittunt, debebunt profectò in hac materia Euchariſtica admittere quidquid admittunt in aliis: vnde non deberent hìc tanquam abſurdum inferre, quòd in pane diuiſo eſſent aliqua puncta, quæ in eodem integro non erant; quia hoc idem in aliis omnibus diuiſionibus independenter ab hoc myſterio concedunt. Rurſus rogo, An ea puncta terminatiua quæ admittūt, ſint per modum formæ ſolius, an verò per modum compoſiti ſubſtantialis ex puncto materiæ & puncto formæ; ſi hoc ſecundum negetur, tunc conſequenter debebunt dicere, ſub eis punctis non eſſe Chriſtum, quia Chriſtus ſolum eſt in loco, vbi compoſitum ſubſtantiale ex materia & forma panis erat, aut debebat eſſe; ea ergo noua puncta tunc habebunt ſe omnino per accidens ad illud myſterium: ſi verò dicant illa puncta in aliis etiam rebus eſſe veras partes eorum compoſitorum, & in ſe conſtare puncto, materia, & puncto formæ, eo inquam puncto quod erat in eo toto ante diuiſionem, tunc non deberent inferre vt abſurdum, eſſe plus panis in diuiſo quam in integro, ſed eadem nunc ſub denominatione terminatiuorū quæ antea ſub denominatione continuantium erant in integro. Vbi rurſus alia interrogatio facienda neceſſario eſt, Vtrùm hi putent in aliis etiam materiis ea puncta terminatiua occupare nouum locum indiuiſibilem diſtinctum ab ipſis partibus quas terminant, an verò dicant eſſe intra ipſas partes? ſi ſecundum hoc, tunc non eſt neceſſum Chriſtum de nouo poni poſt diuiſionem, vbi anteà non erat, quia in partibus ipſis iam erat. Quòd autem in eodem loco ponatur tunc aliquod punctum panis, non eſt inconueniens vllum.

7 *Aliud argumentum difficilius.*

Coegit Cardinalem Lugo negare puncta terminatiua in omni continuo.

Non patitur tamen maiorem difficultatem in Euchariſtia quàm in alijs materijs:

Dices: Ergo exiſteret ſimul Chriſtus cum pane: quod eſt contra Concilium. Reſpondeo, Exiſteret cum pane ſimul in ſpeciebus conſecratis, nego, quia illud punctum non eſt conſecratum, 8

Neque Concilio Tridentino magis aduerſatur.

Digitized by Google

tum,& haberet ſe perinde ac ſi poſt ſpecies conſecratas adderetur vnicum aliunde indiuiſibile vini v.g. quod conſecratum non eſſet, & quod deberet intrare partes ipſas;quia indiuiſibile additum partibus non facit maius iuxta hanc ſuppoſitionem: Concilium autem dum definiuit non manere panem cum Chriſto,locutum eſt de conſecratis ſpeciebus, non de his ſpeciebus indiuiſibilibus, quæ poſteà adduntur, & quæ ad conſecrationem præcedentem ſe habent omnino per accidens; & ſub quibus in rigore etiam de facto non continetur Chriſtus; quia licet localiter ſit in eodem loco cum illis,non tamen oſtenditur per illas,ſed per alias, quæ ſunt in partibus. Quòd ſi dicatur, ea puncta terminatiua eſſe extra ipſas partes,& facere vt ſit vno indiuiſibili maius illud totum;profectò,eſto concedatur Chriſtum ibi de nouo poni ſine noua conſecratione,nullum eſſet abſurdum,vti in ſententia, quam nonnulli defendunt, de rarefactione per elatebrationem partium; eſto Chriſtus in conſecratione calicis non fuerit poſitus niſi ſub ſpatio reſpondenti capacitati nucis v. g. ſi tamen elatebrentur illæ partes, quæ erant ibi occultæ, poteſt manens in eodem, in quo anteà erat, nouum occupare primo æquale ſine noua conſecratione, quia ea maior aut minor extenſio eſt naturaliter debita illis ſpeciebus, ſub quibus eſt poſitus Chriſtus: ita ſimpliciter,quia illa puncta terminatiua naturaliter ſunt debita eis partibus conſecratis,& faciunt vnum quid cum illis,probabiliſſime dici poteſt,Chriſtum, qui voluit eſſe in ſpeciebus etiam poſt diuiſionem, voluiſſe etiam eſſe in illis eo modo, quo ipſæ naturaliter petunt eſſe poſt ſeparationem.

9 *Etiamſi admiſceantur puncta terminatiua,*

Dices: Ergo ſi vino conſecrato admiſceatur aliud non conſecratum, & reſultent ibi puncta noua continuatiua vtriuſque vini,ponetur adhuc Chriſtus ſub eis continuatiuis; hoc autem videtur omnino abſurdum, quia non eſt vlla ratio, cur ea puncta pertineant ad vinum conſecratum potiùs quàm ad non conſecratum, maximè ſi hoc ſit potentius quàm illud, ac proinde ſi habeat maiores vires ad illud in ſe vertendum. Quòd ſi dixerimus,eo caſu non poni Chriſtum ſub eis punctis,videtur etiam dicendum, neque ponendum, quando ipſæ ſpecies conſecratæ ſeparantur; nam ratio, cur eo caſu non ponatur, eſt, quòd ea puncta continuatiua vtriuſque vini non ſunt conſecrata:quæ ratio eodem modo vrget in ſeparatione, quia etiam illa terminatiua non ſunt conſecrata;ergo.

Caſus quo vino conſecrato admiſceatur vinum non conſecratum.

Adhuc tamen reſponderi poteſt,in caſu continuationis cum vino non conſecrato nequaquam incipere Chriſtum eſſe ſub illis punctis continuatiuis, ſiue vinum illud ſit fortius, ſiue debilius,ſiue æqualis virtutis; quia hæc omnia mihi videntur omnino per accidens ad punctum præſens: ratio autem diſparitatis ea eſt; nam quando fit ſeparatio, illa puncta terminatiua non poſſunt vllo modo aliò ſpectare quàm ad ſpecies ipſas conſecratas(vt per ſe patet;)ac proinde quid mirum, ſi in punctis propriis illarum incipiat eſſe Chriſtus, qui ſub eis ſpeciebus priùs erat? at quando accedit noua ſubſtantia vini,puncta continuatiua non magis ex vno capite pertinent ad conſecratas quàm ad non conſecratas, quia vtraſque contingunt; ideoque ex hoc capite non eſt ratio, cur debeat eſſe ſub illis Chriſtus potius quam abeſſe;aliunde autem ,eo quod non ſint conſecratæ, videtur eſſe aliqua ratio ſpecialis ne ſit; ac denique non manebit tunc indiuiſibile aliquod formæ & materiæ ſolitarium,ſicut maneret, ſi in punctis terminatiuis ſpecierum conſecratarum non poneretur Chriſtus; quia ſpecies illæ ſupponuntur non habere ſubſtantiam panis, cui ea terminatiua puncta vniantur;ergo non eſt eadem ratio pro Chriſti præſentia in eis punctis continuatiuis,quæ pro præſentia in terminatiuis,ac proinde negari conſequentia ex vno caſu ad alterum optimè poteſt.

10 *Argumenta Suarez, probantia Chriſtum debere eſſe ſub punctis continuatiuis non sũt magni ponderis.*

Tertiò circa eam quæſtionem obſeruo, argumenta,quæ è contrario Pater Suarez diſp.52. ſect. 3. facit ad probandum Chriſtum debere eſſe etiam in punctis continuatiuis, non eſſe magni momenti, ſi vnum excipiatur. Primum enim eò maximè collimare videtur, vt oſtendat poſſe diuinitus rem aliquam corpoream eſſe in indiuiſibili: id quod libenter fatebuntur Aduerſatij; negabunt tamen, ideò de facto in eis eſſe Chriſtum ob rationes contrarias ſuprà poſitas. Secundum deſumitur ex eo, quòd Chriſtus in hoc Sacramento ſit ſicut Angelus in loco; ſed Angelus eſt etiam in punctis ſpatij, ergo & Chriſtus. Reſpondere tamen Aduerſarij poſſunt negando antecedens, quia non eſt neceſſum in omnibus conformari præſentiam Chriſti Euchariſticam præſentiæ Angeli. Tertium; nam ſi Chriſtus non eſt in punctis,ſed in partibus, ergo ſi diuidatur hoſtia per medium illud ſpatium diuiſibile,vel diuidetur Chriſtus, vel incipiet totus eſſe de nouo,vbi anteà non erat.Reſpondeo, Chriſtum ita eſſe in loco diuiſibili,vt nulla poſſit fieri diuiſio, in cuius partibus anteà non fuerit totus; quia vti illæ duæ partes in ſe diuiſibiles,ita ex eo quòd dicamur Chriſtum totum non eſſe in punctis nequaquam infertur, eum non fuiſſe totum ſub qualibet parte eius diuiſionis; & vti in ea ſententia Ariſtotelica non poteſt fieri diuiſio, in qua veniatur ad duo puncta, ſed ſemper vtraque pars eſt diuiſibilis; ita non poterit fieri diuiſio Chriſti,ſeu, quòd ipſe incipiat eſſe vbi anteà non erat. Quartum & difficilius, ea puncta, ſi ſemel admittantur, ſunt aliquid panis habentis materiam & formam:atqui Chriſtus eſt ſub omni parte accidens; quod ad panem pertinebat,ſeu,nihil de pane manet in ſpeciebus conſecratis; ergo. Confirmatur, quia ſi illa puncta occupant diſtinctum ſpatium à partibus, & Chriſtus in eis non eſſet, ſequeretur Chriſti præſentiam in hoſtia non eſſe continuam, imò neque contiguam, ſed per vacuitatem indiuiſibilem interruptam, ac proinde eſſe multas totales præſentias: & tunc clariſſimè haberet locum alterum argumentum, quod ſolet fieri ad probandum actu eſſe infinitas categorematicè præſentias in Chriſto, quia habet tot, quot ſunt partes proportionales; & illas habet ſine vnione, ſeu non contiguas, ergo actu diuiſas, ergo categorematicè infinitas; hoc autem planè eſt contra omnes, ergo. Hoc argumentum ſatis plauſibiliter probat Chriſtum eſſe ſaltem ſub indiuiſibilibus continuatiuis, quæ erant inter partes conſecratas. Et verò ſi dicamus ea puncta eſſe extra ipſas partes, etiam videtur cogere vt aſſeramus eum eſſe in punctis terminatiuis, quia reuerà illa ſunt aliquid panis; vnde ſuprà dixi, vnum ex argumentis Suarez eſſe valdè efficax; cui ego non video, admiſſa ſuppoſitione, quomodo poſſit reſponderi. Dicendum ergo videtur, vel non dari talia puncta, iuxta ea quæ Tomo Philoſophico tradidi, vel ea

Quartum argumentum eiuſdem Suarez habet maiorē vim

Et ſatis plauſibiliter probat Chriſtum eſſe ſub indiuiſibilibus continuatiuis

Digitized by Google

ea eſſe inter ipſas partes, vel denique illa eſſe ſolùm per modum vnionum.

11 *Non propterea præſentia Chriſti componitur ex infinitis categorematicè.* Ad eam verò difficultatem, quòd præſentia Chriſti videatur componi ex infinitis categorematicè, cùm totus ſit in qualibet parte, & hæ ſint infinitæ, neganda eſt conſequentia: cùm enim illæ præſentiæ Chriſti ſint inter ſe vnitæ ſicut partes ipſæ ſpecierum conſecratarum, non magis poſſunt facere infinitas categorematicè præſentias, quàm faciant ipſæ partes ſpecierum categorematicè infinitas ſpecies, ſiue in qualibet parte dicatur eſſe totus Chriſtus, ſiue non. *Coninck & Leſſii modus explicādi reijcitur.* In quo puncto fruſtrà nodum quæſiuit Pater Coninck hac q. 56. art. 3. à num. 49. & Pater Leſſius lib. 12. de Perfectionibus Diuinis num. 126. qui docent præſentiam Chriſti non habere in ſe partes tot, quot ſunt partes ipſarum ſpecierum, ſed numero finitas & limitatas; quarum quælibet ponit Chriſtum in vna particula adeò exigua, vt humana induſtria diuidi ampliùs non valeat: licet enim ea ipſa pars ſpeciei à Deo diuidi adhuc poſſet in infinitum, præſentia tamen non eſt diuiſibilis, ſed habet vim ponendi totum Chriſtum in tota ea particula ſpecierum, & totum in partibus proportionalibus illius. *Vtpote ſine fundamento.* Dixi gratis quæſitum nodum in hac doctrina, quia licet modus hic conſtituendi Chriſtum præſentem ſit ſatis probabilis, fundamentum tamen ad eum aſtruendum non eſt, vt dixi, vllius momenti; quia eſto præſentiæ partes ſint tot quot partes ipſarum ſpecierum, dummodò illæ inter ſe ſint partialiter vnitæ, non facient aliter infinitas præſentias quàm ipſæ ſpecies faciant infinitas partes ſpecierum: & quoad hoc habemus inſtantiam in anima rationali, quæ eſt tota præſens toti corpori, & tota cuilibet illius parti, etiam proportionali, per partiales præſentias, & proportionales reſpondentes partialibus & proportionalibus partibus corporis & idem eſt in Angelo, dum præſens eſt ſpatio diuiſibili, vt benè notauit Cardinalis Lugo eâ diſp. 8. ſect. 3 Fortaſſe iuxta ea quæ diximus ſuprà, ſcilicet Chriſtum eſſe ibi per præſentias naturales, quæ quidem probabiliter non ſunt inter ſe vnitæ, haberet poſſet hæc obiectio difficultatem; videtur enim inde ſequi, eas eſſe actu præſentias totales, ac proinde infinitas. Verùm neque in hac ſententia eſt maior difficultas, quàm quæ annexa eſt ſentētiæ Ariſtotelis in omni materia, nam etiam eo caſu debemus illas præſentias naturales ponere vnitas eodem planè modo, quo ſi partes proportionales Chriſti eſſent in ſua naturali extenſione, & haberent partes proportionales præſentiæ.

SECTIO III.

De his quæ ponuntur vi verborum.

12 *Quid ſit poni vi verborum.* PONI ex vi verborum nihil aliud eſt, quàm poni vi ſignificationis, ſeu poni ita, vt verba non poſſint aliter vera eſſe, niſi illæ res ponantur: vno verbo quærimus, quid *τὸ corpus* & *τὸ ſanguis* ſignificent: qua de re fusè valdè nonnulli, quia valdè variæ ſunt in hac quæſtione ſententiæ, & dubia multa moueri ſolent, quæ nos breuiùs expediemus.

SVBSECTIO I.

Tres ſententiæ circa vocem corpus.

PRIMA ſententia docet ſignificari ſolam materiam primam, facilè tamen reiicitur, quia licet ea ſola dicatur corpus, vt pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, non tamen prout corpus vſurpatur in viuentibus quod vel inde patet: nam cetera entia non dicuntur propriè conſtare corpore & forma, ſed materia prima & forma ſubſtantiali. *Reijcitur ſententia eorum qui dicunt per vocem corpus ſignificari materiā primam:* Idem benè vrget Vaſquez, nam ſi corpus non aliud ſignificaret quàm materiam primam, poſſet validè fieri conſecratio per hæc verba, *Hæc eſt materia prima mea:* quod falſum eſt, & contra ipſos, qui hanc ſignificationem tribuunt corpori.

Dices: Vbi ſeruantur cineres alicuius Sancti, dicitur eſſe corpus illius, atqui ibi non ſeruatur niſi materia prima, ergo hæc & corpus, etiam vt eſt pars animalis, idem ſunt. Reſpondeo, illam locutionem eſſe impropriam. Sicut ſolet dici, *Hic eſt ſepultus talis & talis*; id quod tamen in rigore eſt falſum, quia ſolum corpus ibi eſt ſepultum: dico ergo, Cineres denominatiuè dici corpus a materia prima: & ita ſolemus dicere, *Hic eſt corpus ſancti Petri*: id quod propriè & in rigore falſum eſt: debemus autem verba conſecrationis in propria ſignificatione vſurpare.

13 *Similiter refutantur qui aſſerunt in recto ſignificare materiam primam, in obliquo animam:* Secunda ſententia docet corpus in recto ſignificare materiam primam, in obliquo verò animam, hæc tamen etiam manifeſtè reijcitur, Primò, quia in eo ſenſu corpus diceret totum quod homo, & non eſſet pars hominis; quod communi omnium acceptioni repugnat: nec enim poſſemus tunc dicere, *Homo conſtat anima & corpore*, quia eſſet idem ac dicere, *Homo conſtat anima & corpore & anima.* Secundò, quia propriè & in omni rigore vocamus corpus etiam illud, quod eſt mortuum. Tertiò, quia Concilium Tridentinum ſuprà innuit animam poni per concomitantiam, non vi verborum, ergo corpus non ſignificat animam, alioquin etiam illa poneretur ex vi verborum.

Sententia Coninck ſignificare materiam primam cum formis partialibus. Tertia ſententia eſt Patris Coninck qu. 76. art. 2. & aliquorum Recentiorum, qui formas partiales admittunt, per quas putant materiam primam compleri in ratione corporis, qui conſequenter docent illas ſimul cum materia poni vi verborum. Non eſt animus in præſenti diſputare, Vtrùm dentur néc ne tales formæ, id præſtiti fusè in Philoſophia, vbi negatiuam partem dixi eſſe longè probabiliorem, Primò, quia ſine illa neceſſitate formæ ponuntur, cùm tota organizatio materialis poſſit ab anima prouenire: id quod ibi fuſiùs oſtendi. Secundò, quia vix poteſt explicari quo pacto illæ formæ ſint ſubſtantiales: vel enim in illis radicatur anima, vel è contrario illæ in anima: ſi hoc ſecundum, tunc illæ non erunt ſubſtantia magis quàm aliæ diſpoſitiones accidentales: ſi primum, ergo anima non erit ſubſtantia, ſed illæ ſolæ formæ, nam conceptus ſubſtantiæ conſiſtit in hoc, quòd ſit prima radix eorum quæ in compoſito reperiuntur. *Formæ partiales impugnantur.*

14 *Cardinalis Lugo argu-* Hoc argumentum non placuit Cardinali Lugo, quia illæ formæ non ſupponunt, ſed potiùs præcedunt

mentum noſtrum fruſtrà impugnat.

præcedunt animam. Verùm hæc ſolutio nec in minimo infringit vim mei argumenti; nam certum eſt organizationem humani corporis præcedere ipſam animam, etiam in ſententia huius Auctoris & omnium; (non loquor iam de calore aut ſiccitate, quæ poſſunt produci ab ipſa anima, ſed de diſpoſitione & organizatione membrorum, quæ nullo modo procedunt ab anima, nec ab illa directè conſeruantur) & tamen non ideo ea organizatio, quia præcedat animam, eſt ſubſtantia, neque formæ illæ, eſto præcedant natura aut etiam tempore, erunt ſubſtantia. Vbi aduerto rurſus, hunc Auctorem, dum reiicit hoc argumentum, videri planè illud approbare; ait enim primam radicem, quæ debet eſſe ſubſtantia, debere eſſe radicem determinatam; vnde infert, animam rationalem eſſe ſubſtantiam, quia eſt determinata radix, paulò verò inferiùs ait has formas partiales, non eſſe radices determinatas, quia ex ſe non magis petunt animam quam alias formas mortuas. Vnde ego vlteriùs colligo; Ergo etiam iuxta hunc Auctorem illæ formæ non erunt ſubſtantiales, quia non erunt prima radix determinata, ergo iam meum argumentum ſubſiſtit.

Secundò aduerto ad replicam, quam aliunde ipſimet faciunt, *Ergo hæ formæ non erunt ſubſtantiales, quia præſupponunt diſpoſitiones*, eos non reſpondere aliter quàm aliorum ſolutionem impugnando, quòd ſcilicet conceptus ſubſtantiæ ſit prima radix in genere efficientis aut finalis, dicunt enim per hanc explicationem ſubſtantiæ peti principium, quia ideò nos dicimus diſpoſitiones non eſſe ſubſtantiam, quia ſunt propter formam, ſi aliunde interrogemur, Vnde ſciamus eſſe illas propter formas reſpondemus, Quia accidentia ſunt propter ſubſtantiam, neque oſtendere poſſumus, cur forma ſequens ſit ſubſtantia, niſi quia iuxta communem Philoſophorum explicationem datur aliud, quod reſtaurat ipſas diſpoſitiones accidentales, quando amittuntur ex parte, &c. Hæc tamen

15 omnia nos nullo modo vrgent, neque debilitant vim argumenti à me facti. Et quidem quod ad circulum illum vitioſum attinet, reſpondeo facilè, Me nequaquam illo vti; nam organizatio corporis humani ordinatur ad animam in genere cauſæ finalis: id quod, velint nolint, etiam hi Auctores & omnes omnino debent fateri, ſiue dentur formæ partiales, ſiue non, quia illæ diſpoſitiones & ipſæ formæ partiales ordinantur ad vitam hominis; ad eam vitam diſponit materiam ſemen humanum mediis aliis concauſis; vnde ablata anima, etiam iuxta ponentes formas partiales, paulatim euaneſcunt illæ diſpoſitiones, quia ceſſauit finis, ad quem à natura ordinabantur, vnde ſiue nouo contrario ipſæmet formæ partiales maiori ex parte pereunt. Confirmo id clarè in omni ſententia, nam in priori natura, quando materia eſt vltimò diſpoſita ad formam ſubſtantialem, quæcumque illa ſit, profectò illæ diſpoſitiones ordinantur ad illam formam, non autem oriuntur ab illa in genere cauſæ efficientis, maximè in ſententia huius Auctoris: in quo omnis mutua prioritas inter duas res adeò etiam diuinitus repugnat, vt nec quidem quoad ſecundam actionem habeat locum, ergo illæ diſpoſitiones ſunt propter formam quaſi in genere cauſæ finalis: id eſt, ordinantur ad hoc, vt veniat forma: hanc autem ordinationem non probamus rurſum per circulum, ex eo quòd

Non vtimur circulo vitioſo, vti conantur oſtendere Aduerſarij.

accidentia ſint propter ſubſtantiam; ſed quia quaſi ipſis oculis videmus eas coniunctas ad animam, vel ad formam ignis, qua producta obtinetur iam finis naturæ: vnde non capio, quomodo hi poſſint à ratione formæ ſubſtantialis excludere illum conceptum primæ radicis in genere cauſæ finalis, etiamſi ſimul in ea forma ſubſtantiali ponant eam vim quam omnes Philoſophi admittunt, & nos cum illis, ſcilicet reſtituendi ſe poſteà ad priſtinas diſpoſitiones: etenim, vt in anima patet, aliquæ ſunt diſpoſitiones, quæ ita præcedunt, vt efficienter ab anima poſteà cauſari nequeant; nam ſi ſine oculis, ſine pedibus naſcatur homo, nunquam anima tales recuperat; & tamen tales diſpoſitiones exiguntur ab anima, & ad illam ordinantur, ergo in genere cauſæ finalis. Vnde concludo, optimum 16
eſſe argumentum illud, quòd hæ formæ, cùm in genere cauſæ finalis per ſe ad animam ordinentur, & ab ea exigantur determinatè, iuxta hos Auctores qui illas ponunt, non videantur poſſe reduci ad conceptum formæ ſubſtantialis; licet ſine illis nequeat, cum illis autem ſolis poſſit materia exiſtere: hoc enim non ſufficit ad conſtituendum ſubſtantiæ conceptum, quia ſi quantitas & potentiæ (vt multorum fert ſententia, quæ pro præſenti admittenda eſt) diſtinguantur, nullo modo poteſt anima exiſtere ſine quantitate, non minùs quàm ſine eis formis: & idem eſt de qualibet eſſentia reſpectu ſuarum paſſionum; & tamen non ideò vel quantitas vel paſſiones ſunt ſubſtantia. Deinde anima poteſt ſeparata exiſtere cum ſuis potentiis, quæ non proptereà ſunt ſubſtantia: item, multi dicũt materiam primam cum ſola quantitate ſine forma vlla ſubſtantiali poſſe naturaliter conſeruari; nec tamen ideò quantitas illa dicitur ſubſtantia. Vide quæ ea diſp. 3. ſect. 3. contra illos dixi, qui per hanc conſeruationem materiæ cum ſolis formis partialibus conantur earum ſubſtantialitatem explicare. Et ſatis de hoc argumento, quod etiam fuit Suarij & Hurtadi, eſto illud non ita confirmaretur.

Concluditur, formas partiales nõ poſſe reduci ad conceptum formæ ſubſtantialis.

Obſeruo præterea ab eodem Cardinali impugnari eam Coninck ſententiam, quia naturaliter omnis corruptio ſubſtantialis eſt propter generationem ſubſtantialem; ergo non poteſt dici, in morte hominis aut equi corrumpi compoſitum ſubſtantiale, & nullum aliud eius loco ſuccedere. Verùm hoc argumentum aſſumit principium, quod difficulter admodum poteſt probari: & ſanè, quando homo ex ſuffocatione aut decollatione moritur, vix poſſumus ſaluare, quomodo illa decollatio directè tendat ad productionem cadaueris, & non potiùs directè ad hominem corrumpendum; & quòd ea productio formæ cadaueris ibi ſolùm ſequatur per accidens ad eam ſeparationem, ex eò quòd maneant diſpoſitiones pro illa, & ceſſarint pro anima rationali repugnante. 17

Argumẽtum Cardinalis Lugo contra Coninck impugnatur.

Sed quidquid de hoc ſit, illud addo ad rem præſentem contra Auctores harum formarum, illas multò minùs probari rationibus Theologicis, quas illi coaceruant, ex eo quòd corpus in hoc myſterio debeat includere eas formas; dico enim nec Philoſophos antiquos, &c. neque Latinæ linguæ Auctores per hanc vocem *corpus humanum* vllo modo voluiſſe ſignificare tales formas partiales: quis enim dicat Latinæ linguæ inuentores (& idem dico de inuentoribus vocum in quocumque alio idiomate) fuiſſe de his

Vox corpus humanum ex ſignificatione à Latinæ linguæ Auctoribus impoſita non

Digitized by Google

ſignificat formas partiales.

formis ſolicitos, quando alteram partem hominis, quam in viuo & poſt mortem intuebantur, vocarunt corpus? Certè ex terminis patet id fuiſſe planè extra mentem illorum: ergo ſiue poſteà aliis rationibus occultioribus philoſophicis probentur illæ formæ, ſiue non, ſignificatio tamen vocis *corpus* debet independenter ab eis explicari: vnde addo, etſi illæ dentur, non tamen poni ex vi verborum, quia verba eas nullo modo ſignificant.

SVBSECTIO II.

Sententia Suarez & Vaſquez.

Suarez docet, τὸ corpus ſignificare materiam primam & formam ſecundùm rationem genericam Impugnatur à Coninck, ſed eius impugnatio reijcitur.

18 QVARTA ſententia docet, τὸ *corpus* ſignificare materiam primam & formam ſubſtantialem; hanc tamen non ſecundùm rationem particularem, ſed ſecundùm genericam formæ ſubſtantialis: ita Suarez ſuprà, qui inde infert, ex vi verborum poni quidem aliquam formam, non tamen potiùs hanc quàm illam. Hanc ſententiam reiiciunt aliqui, inter quos eſt Pater ConincK, quia ſequeretur, etiamſi corpus Chriſti eſſet redactum ad cineres, adhuc fore verum corpus, quia retineret materiam primam & aliquam formam ſpectantem ad rationem corporis vt ſic. Hæc tamen impugnatio non vrget, quia Pater Suarez expreſsè docet ſe eam ſolam communem rationem formæ in præſenti intelligere, quæ abſtrahit à cadauerica & ab anima rationali; quia hæ ſolæ formæ iuxta Suarium poſſunt conſtituere rationem corporis, de quo hîc loquimur: ergo forma cineris, lapidis, ligni, &c. nequaquam intrant in conſiderationem eam, ac proinde nec forma vt ſic, prout ab illis omnibus abſtrahitur. Fortaſſè in hoc ipſo non explicuit ſufficienter Suarez eas formas omnes; nam etiam antequam anima rationalis informet corpus illud, eſt iam per formam emptionis conſtituta materia in ratione veri corporis humani: verùm hoc parui momenti eſt ad rem præſentem; aliunde ergo reiicienda eſt ea ſententia, vel omnino defendenda. P. Vaſquez illam reiicit, eò quòd caro viua & mortua ſunt tantùm æquiuocè caro, ergo non conueniunt in aliqua ratione generica formæ ſubſtantialis. Hoc argumentum videtur nimiùm probare, ſcilicet verba conſecrationis, *Hoc eſt corpus*, ſeu *caro mea*, eſſe æquiuoca, cùm ex ſe ſint indifferentia ad ſignificandam carnem viuam & mortuam, quæ iuxta Vaſquez ſolùm æquiuocè conueniunt; hoc autem eſt abſurdum, quia quoad vim verborum eadem fuêre in triduo mortis Chriſti quæ iam, licet per concomitantiam tunc non fuiſſent poſita ea quæ nunc ponuntur. Vrgeo hoc idem ex Tridentino, quod ſupponit aliquid poni ex vi verborum, aliquid verò per concomitantiam; inter quæ annumerat animam rationalem; ergo τὸ *corpus* non ſignificat animam rationalem; nec item ſignificat eius carentiam aut formam cadauericam, quia hæc non ponuntur ex vi verborum; neque item formas partiales, quia has non admittit Vaſquez; ergo præſcindit hæc ſignificatio ab his omnibus, & ſignificat aliquid vnum, quod & in mortuo & in viuo reperitur; ergo eſt vox non æquiuoca, ſed potiùs particularis, vt vox *Petrus*, *Ioannes*, &c. eamdem numero rem, in diuerſis tamen ſtatibus, apta ſigificare; vt Petrus, qui abſtrahit ab eo quòd ſit albus, calidus, aut frigidus.

Impugnatur à Vaſquez, cuius impugnatio ſimiliter reijcitur.

Aliud argumentum Vaſquez contra Suarez non vrget.

Secundò argumentatur Vaſquez, quia ſi corpus includeret gradum ſuperiorem formæ, non poſſet Chriſtus dicere, *Hoc eſt corpus meum*; nam gradus ſuperior non diſtinguitur ab inferiori realiter: vt autem dicatur aliquid meum, debet diſtingui ſaltem inadæquatè realiter ab ipſo loquente. Neque hoc vrget, quia etiam denotando meam animalitatem & rationalitatem poſſum dicere, *Hæc eſt mea animalitas, mea eſſentia*; ergo non requiritur diſtinctio realis. Adde, ſaltem ſuppoſitum Diuinum, quod includitur in Chriſto, diſtingui realiter à forma & materia, ideoque meritò poſſe Chriſtum dicere, *Hoc eſt corpus meum*, licet τὸ *meum* requirat diſtinctionem aliquam realem à loquente. 19

Impugnatur idem Suarez à Cardinale Lugo,

Alij Tertiò, inter quos eſt Cardinalis Lugo, argumentantur contra Suarium, quia ex vi verborum ponitur hoc numero corpus, ergo & hæc numero forma vel cadauerica, vel anima rationalis; nam ſi de eſſentia corporis eſt aliqua forma, ergo de eſſentia huius corporis omnino erit hæc numero forma. Vrgent idem argumentum, quia ad veritatem verborum non ſolùm debent ea poni, ſine quibus in nulla occaſione verba eſſent vera, ſed illa etiam, ſine quibus hîc & nunc ea non eſſent vera; nam ſi Chriſti corpus eſſet magis maceratum ieiuniis quàm nunc de facto eſt, verba eſſent vera, etiamſi ponerentur pauciores partes quàm de facto ponuntur; at quia de facto habet eas partes, etiam illæ ponuntur vi verborum de facto: vt enim verba de facto ſint vera, debet poni illud corpus, quod de facto habet Chriſtus, non quod haberet in alia occaſione.

Sed eius impugnatio refellitur,

Hæc tamen impugnatio non videtur eſſe contra Patrem Suarez & (vt verum fatear) non capio, quomodo horum Auctorum ſententia differat ab hac ſententia Patris Suarez, quàm hoc argumento impugnant: etenim Suarez nunquam dixit hanc numero formam rationalem etiam nunc de facto ſignificari nomine corporis, ſed ſolam rationem communem animæ & cadaueris, ac proinde vi verborum præcisè poni rationem genericam, differentialem autem per concomitantiam, eò quòd de facto illa ſpecifica forma eſt quaſi coniuncta cum ratione generica; hoc autem formaliſſimè eſt quod hi docent, licet non ſub ratione generica animæ & cadaueris, ſaltem ſub ratione communi ſubſtantialis organizationis: vt enim ſtatim videbimus, hi dicunt per vocem *corpus* ſignificari vnam è duabus organizationibus, vel ſubſtantialem, vel accidentalem: vnde argumentor clarè; Significare præcisè hanc vel illam organizationem, idem eſt ac ſignificare rationem communem organizationis, in qua vtraque illa pars conuenit; hoc autem eſt quod Suarez vocat ſignificare præcisè rationem communem formæ ſubſtantialis hanc vel illam: id quod maximè habet locum in probabiliori ſententia, quòd ratio communis nihil aliud ſit quàm omnes particulares rationes confusè cognitæ; vnde dicere, *Animal veniat*, nihil eſt aliud quam dicere, *Hoc vel illud animal veniat.*

Oſtenditurque conuenire cum ſententia Suarez:

20 Dices fortè; Ego poſſum ſignificare aliquod diſiunctum non ſignifiando rationem communem vtrique; vt ſic dicerem, *Ego noſco vel Petrum vel chimaram*, aut, *Ego occidi vel Petrum vel Ioannem:* non enim propterea dico me occidiſſe rationem genericam hominis; ergo non eſt idem dicere, quòd per τὸ *corpus* vagè ſignificetur

ſignificetur hæc vel illa organizatio, ac dicere, quòd ſignificatur aliqua ratio generica organizationis vt ſic; ergo etiam non erit idem ſignificari in recto genericam rationem formæ, & ſignificari hanc vel illam formam diſiunctiuè. Reſpondeo; Licet in ordine ad verba, quæ ſignificant actionem quæ à parte rei exercetur, non ſit idem dicere, Occidi hunc vel illum, ac dicere, Occidi rationem communem hominis; quia ratio communis non occiditur: vnde in rigore non habent ibi locum tales propoſitiones: at quando loquimur de ſignificatione verborum, quæ non ſunt æquiuoca, vti non ſunt hæc, *organizatio* & *forma ſubſtantialis* reſpectu huius aut illius organizationis aut formæ; nihil aliud eſt dicere abſtractè *organizatio*, ac explicare rationem communem præſcindendo ab hac aut illa organizatione; idem eſt dicere *forma ſubſtantialis*, ac declarare rationem formæ præſcindendo, ſeu non declarando hanc vel illam in particulari. Et ſanè dum Pater Suarez dixit corpus ſignificare materiam primam ſecundùm rationem genericam formæ, nihil prorſus aliud videtur voluiſſe dicere, quàm quòd ad rationem corporis ſufficiat forma ſubſtantialis, quæcumque illa ſit; ſeu quòd vox illa *corpus* eſto petat formam ſubſtantialem, non tamen magis hanc quàm illam in particulari; ſeu quòd ea vox ſit contenta, dummodò ſit aliqua forma in materia, ſiue illa ſit rationalis ſiue cadauerica: quæ omnes phraſes in idem planè recidunt; ergo ex hoc capite duæ illæ ſententiæ in vnam coincidunt, ac proinde argumentum horum Auctorum contra Suarez non eſt efficax.

21 Vidit tamen hic Auctor eam Suarez ſententiam relabi in ſuam, ac proinde poſt aliquot replicas fatetur Suarium non reijciendum ex hoc capite, ſed quia iudicat in recto ſignificari formam ſubſtantialem nomine corporis; hinc enim ſequitur hoc numero corpus debere includere hanc numero formam, ac proinde non poſſe de facto vi verborum poni hoc numero corpus, niſi ponatur hæc numero forma ſubſtantialis. Verùm neque ſecunda hæc impugnatio vrget Suarium; cùm enim hic dicat, Corpus non ſignificare niſi rationem genericam formæ, profectò ſolùm oportet vt ponatur pro hoc numero corpore hæc numero ratio generica formæ: atqui iuxta ea principia ſiue ponatur anima ſiue alia forma cadaueris, ſemper ponitur eadem numero ratio generica; nam metaphyſicè loquendo eadem ratio numero generica eſt, quæ abſtrahit ab homine, & quæ abſtrahit ab equo; quia licet animalitas hominis realiter ſit diſtincta ab animalitate leonis, aut equi; quando tamen concipimus animalitatem ab vtroque abſtractam, eâdem numero concipimus, ſiue illa abſtractio fiat per præciſiones obiectiuas (vt Suarez & hi putant) ſiue per formales, vt Hurtadus, ego, & alij: hæc enim differentia tota quanta eſt per accidens ad punctum præſens; ergo cùm ſignificatio verborum poſſit eſſe abſtracta (vt & hi fatentur) manebit ſine dubio eadem ſignificatio huius numero corporis, ſiue hæc ſiue illa in ſpecie forma ponatur, quia tunc metaphyſicè ſemper manet eadem ratio generica ſignificata per corpus; ergo ex hoc capite nõ debuiſſet Suarez reijci ab his Auctoribus. Licet autem his argumentis non refutetur ſufficienter ea ſententia, non eſt tamen abſolutè defendenda; Primò, quia ſine neceſſitate recurrit ad eam rationem genericam formæ ſubſtantialis (vt ſtatim videbimus.) Secundò, quia omnes Philoſophi dicunt corpus & animam eſſe duas partes phyſicas hominis; at ſi corpus includeret animam, aut ſaltem gradum genericum, non eſſet compars phyſica, ſed ſolùm metaphyſica, ſicut animal reſpectu rationalis; nam gradus ſuperior cùm non diſtinguitur realiter ab inferiori, non poteſt eſſe phyſicè compars cum illo: hinc etiam fit vt omnes communiter condiſtinguant realiter corpus ab anima, corpus dicunt eſſe materiale, animam ſpiritualem; ergo corpus non includit rationem genericam formæ, quæ cùm non diſtinguatur realiter ab anima (vt dixi) non poteſt habere ea prædicata realia oppoſita animæ. Pro quo,

Quod & ipſe Cardinalis Lugo fateri cogitur, qui ſententiam Suarez non putat reijciendam.

Quæ ſententia Suarez, etiamſi non refutetur ſufficienter, non eſt tamen tenenda.

22 Aduerte, licet corpus, prout ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, includat aliquam formam ſubſtantialem, quia eſt totum completum, at in præſenti non accipi in rigore eo, ſed prout eſt proprium viuentium; & ſignificat vnam partem phyſicam illorum; vnde fit vt philoſophicè in ea diuiſione aliter vſurpetur hæc vox quàm communiter in animantibus, quapropter verè dicitur, *Hoc eſt animal viuens, corpus, ſubſtantia, ens*, qui ſunt gradus ſuperiores hominis; at ſi de corpore vt eſt compars hominis loquamur, ſimpliciter non poteſt dici, *Homo eſt corpus*, ſicut non poteſt dici, *Homo eſt anima*, ex defectu autem diſtinctionis inter has duas corporis acceptiones inductus videtur Suarez ad ponendum eum gradum communem formæ.

Non accipitur hic corpus prout ponitur in prædicamento ſubſtantiæ.

In quo etiam puncto videtur peccaſſe Vaſquez, qui nomine corporis putat ſignificari formam quidem aliquam determinatam ſub diſiunctione tamen hanc vel illam; dico etiam peccaſſe, quia vix hæc ſententia differt à præcedente: vt enim paulò antè dixi, idem ferè eſt ſignificare hanc vel illam formam, quod ſignificare formam vt ſic: vnde communiter prædicatio generica, *Homo eſt animal*, cenſetur æquiualere huic diſiunctiuæ, *Homo eſt hoc vel illud animal*.

Sententia Vaſquez, ſignificari formam aliquã indeterminatè non differt à ſententia Suarez.

Secundò ergo argumentor contra hanc ſententiam Vaſquez, vti immediatè anteà contra Suarez; quia ſi corpus includeret hanc vel illam formam, non poſſet eſſe compars realis animæ; non quidem ſi includat alteram diſtinctam, quia homo non componitur ex materia & altera forma ſubſtantiali ab anima diſtincta, non item ſi includat ipſam animam, quia tunc corpus erit totum, non verò compars: & adhuc habebunt argumenta facta contra Suarium maiorem difficultatem in præſenti, quia plus diceret corpus in hac ſententia quàm in Patris Suarez, (ſi tamen volumus illas inter ſe diſtinguere:) nec enim poteſt dici, *Materia & hæc vel illa forma ſimul cum anima componit hominem*.

Impugnatur.

SVBSECTIO III.

Sententia Cardinalis Lugo.

23 Ob dicta ſectione præcedente mihi non placet ſententia Lugo diſput. 8. ſect. 4. qui docet nomine corporis ſignificari indeterminatè vel formam ſubſtantialem, animam ſcilicet, vel diſpoſitiones accidentales, quibus materia diſponitur pro anima: etenim quomodocumque corpus ſignificet animam, non poteſt eſſe compars realis cum illa, ſicut non poteſt dici, Album

Sententia Cardinalis Lugo nomine corporis ſignificari indeterminatè vel formam

Digitized by Google

vel diſpoſitiones, non placet.

& albedo conſtituunt album, licet ſolùm in obliquo dicatur albedo per τὸ *album*: deinde diſplicet, eò quòd ſine cauſa recurritur ad eam diſiunctionem; quia reuerà homines, qui vocem *corpus* in lingua Latina (& idem eſt de quocumque alio idiomate) inuenère, non indeterminatam & vagam ſignificationem impoſuerunt, ſed illud ſolum quod viderunt ſub anima vt condiſtinctum ab illa, quodque manet poſt mortem aliquamdiu; illud inquam ſolum vocatunt corpus.

Altera eiuſdem Cardinalis Lugo ſententia, heterogeneam partes vnionis pertinere ad conſtitutionem corporis organici:

Ob eaſdem rationes diſplicet mihi altera eiuſdem Auctoris, ſententia, qui, vt organizationem ſubſtantialem corporis ſaluet, recurrit in homine ad diuerſas ſeu heterogeneas partes vnionis ipſius animæ, quas vt condiſtinctas ab ipſa anima dicit poſſe pertinere ad conſtitutionem corporis organici, ſaltem ſub diſiunctione, vel ipſas vel illas diſpoſitiones accidentales. Quæ ſententia hanc videtur habere vtilitatem præ altera includente animam, quòd rectiſſimè dici iuxta eam poſſit, *Corpus & anima componunt hominem*; nam vnio, quæ tunc ſignificatur nomine corporis, realiter diſtincta eſt ab ipſa anima; ergo benè poteſt etiam phyſicè dici compars animæ.

Refutatur Primò; quia vtitur voce non determinata ab Auctoribus ad iſtam ſignificatione.

Nihilominùs adhuc eam non approbo; Primò, quia ſine neceſſitate, & præter mentem Auctorum vocis, ad eam indeterminatam ſignificationem recurrit, ſiue eam per animam ſiue per vnionem animæ ſignificet, vt paulò antè dicebam. Deinde, neque ſaluat illum modum loquendi, quia non ſolùm dicimus, *Anima & corpus componunt hominem*, ſed etiam dicimus, *Corpus & anima cum vnione componunt hominem*; vel aliter, *Tria conſtituunt hominem, corpus, & anima, & vnio*; ergo non poteſt in τὸ *corpus* iam includi ipſa vnio, alioquin bis repeteretur illa vnio, ſemel ſub voce *corpus*, & ſemel ſub propria; faceret enim clarioribus verbis hunc ſenſum: *Materia & vnio* (hoc enim totum in ea ſententia dicit corpus) *& anima & vnio componunt hominem.*

24 Forte reſponderent, Corpus dicere vnionem ſolùm in obliquo, ac proinde benè poſſe vſurpari illam per poſitionem: Corpus, anima & vnio compount hominem. Sed contrà, quia ſiue in recto, ſiue in obliquo dicatur, eo ipſo bis repeteretur, vt in argumento dixi, vt & anteà inſinuaui, etiamſi album ſolùm dicat albedinem in obliquo, non poteſt tamen benè dici, *Album & albedo faciunt album*; ſed debet aliis terminis explicari hoc modo, *Subiectum & albedo faciunt album*; ergo eo ipſo quòd corpus dicat in ſuo conceptu vnionem, non poteſt dici, *Corpus & vnio cum anima faciunt hominem*. Ratio à priori eſt, quia (vt ſæpè notaui) dici in recto & in obliquo ſolùm eſt in ordine ad modum explicandi noſtrum in nominatiuo aut in alio caſu; quoad rem autem ipſam tam eſſentiale eſt compoſito id quod in obliquo dicitur quàm quod in recto: atqui ſi in vno conceptu eſſentialiter includitur vna pars, non poteſt dici quòd ille conceptus cum ea parte faciat totum, quia eſſet dicere, *Hæc pars cum hac parte, hæc vnio cum hac vnione conſtituit totum.* Id quod haud dubiè falſum eſt.

Refutatur Secundò quia vtitur fundamento in Philoſophia

Secundò reiicitur ea ſententia, quia nititur fundamento in Philoſophia minùs probabili, quòd ſcilicet in homine partes vnionis ſint eſſentialiter diuerſæ, ſeu heterogeneæ: (quam doctrinam priùs Hurtadus & alij tradiderant:) nulla enim planè neceſſitas eſt quæ oſtendat eam heterogeneitatem; nam vt hi argumentantur contra ponentes formas partiales, quòd tota illa diuerſitas accidentium, quæ in homine reperitur, poteſt reduci in ipſam animam, ideoque gratis illæ formæ ponuntur; ita maiori iure dicere nos poſſumus, gratis eam vnionis humanæ diuerſitatem confingi, quia accidentium & organorum diuerſitas tota quanta commodiſſimè in animam reducitur; & vti illa petit illas diuerſas vniones iuxta hos Auctores, ita dico eamdem animam ſine vlla planè diuerſitate vnionum petere eas diſpoſitiones.

minùs probabili:

Ponit enim in homine partes vnionis eſſentialiter diuerſas:

Et verò ſi res benè examinetur, & ad prima principia reducatur, apparebit etiam inutilem adhuc eſſe eam varietatem vnionum, & melius quodammodò illos diſcurrere qui diuerſas formas ponunt, quàm qui has diuerſas vniones: etenim (vt ad aliud intentum notaui) vnio diſtincta inter animam & corpus (& inter omnes alias formas & materias) non alia planè de cauſa, neque ob alium finem ponitur, quàm ad tollendam indifferentiam animæ ad corpus, ſeu quia eas partes eſſe actu vnitas eſt aliquid ſeparabile ab vtraque; ergo. Vnde fit, quòd ſi per aliquam de- 25 nominationem extrinſecam vel aliunde poſſemus commodè ſaluare ablationem eius indifferentiæ, eo ipſo non eſſemus de vllo modo poſitiuo vnionis diſtinctæ, ſoliciti; & propterea multi eum negant, quia putant ſe inuenire fundamentum pro illa denominatione ſufficiens. Iam vlteriùs addo eodem omnino modo ſine vlla planè differentia excogitabili eam vnionem, quæ ſe tenet ex parte manus, tollere indifferentiam animæ, ac eam tollit vnio ex parte cordis, & quidem tollere reſpectu ſimilis materiæ; nam accidentibus non vnitur anima: qua ergo quæſo vtilitate ponitur ea diuerſa vnio? Dices, ob diuerſas operationes. Sed contrà manifeſtè, quia vnio non eſt principium operationum, ſed ſola conditio; & quidem (ob immediatè antè dicta) ea ſolùm ratione eſt conditio, quatenus tollit eam indifferentiam, & quatenus per illam reſpondetur argumento illi, *Eſſe hæc duo vnita eſt ſeparabile ab illis, ergo.* Atqui ea indifferentia eodem modo tollitur, eodem modo coniungitur, eodem modo per vnionem eiuſdem rationis reſpondetur illi argumento de ſeparabilitate; qua ergo quæſo ratione dicetur requiri diuerſitatem ſubſtantialem vnionis ad eam operationem, & non potiùs clariſſimè in ipſam animam adiutam ipſis diuerſis inſtrumentis & organis totum id reducetur?

Quod ſine vlla neceſſitate aut vtilitate aſſeritur.

Probabiliùs diſcurrunt, qui formas ponunt diuerſas.

Vnde paulò antè dixi, ex hoc capite probabiliùs diſcurrere qui formas ponunt diuerſas; nam formarum proprium eſt operari, ac proinde magis naturaliter refertur partialiter in diuerſas formas diuerſitas operationum, quàm in eam heterogeneitatem vnionis. Verùm hi Auctores hanc heterogeneitatem ſola vi conſequentiæ obligati poſuère: cùm enim in compoſitis materialibus viuentibus, in equo v. g. poſuiſſent partes heterogeneas animæ, planè iudicarunt ſe non poſſe aliter reſpondere argumento ex homine deſumpto, vbi anima eadem ſine vlla ſui diuerſitate eas accidentales operationes & organizationem exigit; vnde infertur, idem poſſe animam equi per partes ſui omnino ſimiles præſtare: huic inquam argumento ſe aliter reſpondere non poſſe iudicarunt quàm ponendo in homine

mine eam vnionis diuerſitatem, alioquin ego non capio quæ ſit neceſſitas aut vtilitas illius: vnde addo, ſi conſequentia eſt bona ab homine ad equum, potiùs debuiſſent in equo partes illas ſubſtantialiter heterogeneas negare, quàm ad hanc diuerſitatem vnionum recurrere. Fortaſſe non fuit difficilè diſparitatem aſſignare; nam cùm anima rationalis tota ſit in toto corpore, facilè exigit eas diuerſas diſpoſitiones & organa, & in forma equi v.g. ſi haberet partes ſimiles, non eſſet maior ratio, cur vna eſſet in pede quàm in brachio, & cur ea pars brachij magis deberet exigere diſpoſitiones brachij, &c. quàm pedis. Et ſatis de hac ſententia Hurtadi, Lugo & paucorum aliorum.

26 *Argumentum contra duplicem horum Auctorum organizationem.*

Nunc argumentor Tertiò ad rem præſentem; Nam cùm hi Auctores agnouerint (vt dixi) organizationem accidentalem ſufficientem, vt ratione illius materia prima dicatur corpus humanum, non ſcio quare recurrerint ad alteram organizationem; nam ad ſaluandam veritatem verborum ea non eſt vllo modo neceſſaria; & clariùs per organizationem accidentalem determinatè res tota ſaluatur. Reſponderi poteſt ex horum doctrina, Organizationem illam ſubſtantialem ideò requiri, quia etiamſi diuinitus omnia accidentia auferrentur à corpore, & maneret anima vnita materiæ primæ, adhuc verè conſtaret homo ille corpore & anima: atqui ſola materia non eſt corpus, ergo tunc ea denominatio orietur ab vnione ſeu ab organizatione ſubſtantiali.

Ex impoſſitione ſignificationis vocis corpus,

Sed contrà Primò, quia cùm in præſenti ſit ſermo de ſignificatione vocis, & quidem vulgari; nam partem hominis viſibilem vocari corpus, partem verò viſibilem aquæ non habere hoc nomine *corpus*, prouenit ab ipſiſmet inuentoribus linguarum, independenter planè ab omni omnino Philoſophia; cùm inquam ſimus in hac quæſtione de nomine, profectò nemo re diligenter ponderata dicet, quòd ſi ea ſignificatio corporis nunc ſaluatur apud homines per ſolam organizationem accidentalem, illi ijdem inuentores linguæ fuerint ſoliciti de ſaluanda ea ſignificatione in caſu illo de potentia abſoluta, de quo illi nec quidem ſomniarunt; ergo non fuêre ſoliciti de ſignificanda per hanc vocem ea heterogeneitate.

Et ex vulgi opinione.

Contrà Secundò, quia vulgus nec cogitauit de vnione modali, quam etiam nunc multi Philoſophi negant; multò autem minùs cogitauit de illius heterogeneitate ſubſtantiali, quam tres aut quatuor tantùm Philoſophi tunc recenter admittunt. Quomodo ergo Cicero, aut Ennius, ſeu inuentores linguæ Latinæ eam heterogeneitatem ſignificarunt per vocem *corpus*, eſto detur re ipſa ea organizatio, & eſto deprehenſa ſit à Philoſophis per occultas rationes? Nemo ſanè mihi perſuadebit eam ſignificationem ab inuentoribus linguarum fuiſſe conſideratam. Chriſtus autem in præſenti accepit corpus eo ſenſu quo omnes homines vocant ſuum corpus; ergo ea heterogeneitas hîc non habet locum. Ad caſum ergo illum dico, hominem tunc non dicendum componi ex anima & corpore, accepto corpore in propria ſignificatione: vnde in hoc ſenſu dico non eſſe de eſſentia hominis corpus, ſed materiam primam; dicitur autem corpus de eſſentia hominis, quia apud homines non poteſt anima vniri, niſi materia prima ſit organizata, diſpoſita, &c.

27 Quartò denique ad rem noſtram reiicio eam organizationem, quia ipſi putant organizationem vt ſic illam eſſe, quæ ſufficit ad hoc, vt corpus humanum habeat carnem, oſſa, cor, &c. atqui hoc nullo modo pendet ab vnione, neque ab illa poteſt prouenire; nam ſi materia prima eſſet ſine vlla diſpoſitione vnita animæ etiam per diuerſas vniones, nemo ibi agnoſceret cor, carnem, oſſa, &c. quia cor, caro, os dicitur vnicè ab ea diuerſitate accidentium quæ in eis percipiuntur.

Impugnatur eadem organizatio alio argumento.

Dices; Ratione eius vnionis petentis diſpoſitiones diuerſas diceretur actu caro, &c. Contrà Primò; Ergo etiam ſine illa diuerſitate, ex ſola ipſa anima petente eas diſpoſitiones vocari poterit caro, os, cor, &c. Contrà Secundò, quia illa exigentia non faceret carnem actu, ſed tantùm radicaliter. Si enim ratione organizationis ipſius diuerſæ vocantur ab hominibus hæ partes corporis, os, caro, &c. profectò, vbi non eſt actu ea diuerſa organizatio, ſed ſola illius radix, non erit actu caro, os, ſed radix carnis, oſſis, &c.

SVBSECTIO IV.

Concluditur, quid nomine corporis ſignificetur?

His ergo ſententiis reiectis, dicimus corpus ſolùm ſignificare ex acceptione communi hanc molem & figuram variis accidentibus organizatam, quæ eadem maneat etiam diu poſt mortem, quouſque paulatim corrumpuntur ea accidentia: Hæc ſatis conſtat ex impugnatione aliarum ſententiarum, & ex dictis à nobis ſuprà de ſignificatione huius vocis. 28

Corpus ſignificat figuram & molem variis accidentibus organizatam.

Dices: Accidentia non ſunt de eſſentia hominis; corpus autem eſt de eſſentia hominis, ergo corpus non conſtituitur in ratione talis per accidentia. Reſpondeo, Corpus ſecundùm totum quod dicit non eſſe de eſſentia hominis, ſed ſolùm ſecundùm quod dicit in recto, ſcilicet ſecundùm materiam primam; ac proinde ſi diuinitus ſola materia ſine accidentibus vniretur animæ rationali, eſſet quidem tunc homo ſubſtantialiter & eſſentialiter, non tamen eſſet corpus propriè, hoc eſt in ſenſu, quo hæc vox iuxta paulò antè dicta vſurpatur communiter, ideoque tunc non conſtaret homo anima & corpore.

Quomodo corpus ſit de eſſentia hominis.

Replicabis: Hoc ipſum eſt contra communem ſententiam; nego aſſumptum; fateor eſſe contra vulgarem modum ſentiendi, quia homines vulgares non reputant hominem niſi ex accidentibus externis: vnde ſi hæc omnia accidentia auferrentur (vt mutata fuêre in Nabuchodonoſore) etiamſi phyſicè maneret homo; vulgariter tamen non diceretur homo, ſed vel beſtia, vel aliquo alio nomine, iuxta exteriorem formam quam tunc haberet, non eſt ergo eſſentia hominis conſtare corpore, prout corpus vulgariter accipitur, ſed ſecundùm materiam primam quam corpus dicit in recto; etiamſi naturaliter loquendo neceſſum ſit per ea accidentia compleri in ratione corporis; in quo nulla alia eſt difficultas, quàm quòd velimus coniungere modum concipiendi vulgi cum principiis phyſicis; quæ ſæpè non poſſunt cohærere: vulgus enim definit hominem animal bipes, rectum, &c. Philoſophi autem dicunt hoc non eſſe de eſſentia hominis, ſed deſcriptionem illius. Ex his conſtat ex vi verborum poni in Euchariſtia materiam

Vi verborum poni-

tur materia prima cum organiza-tione acci-dentali.

teriam primam cum organizatione accidentali, animam autem ſolum per concomitantiam : & quod ad hoc nobiſcum conuenit Vaſquez ſupra.

29 Vbi ante ſolutionem aliquarum obiectionum quæri poteſt, Vtrùm inter ea accidentia, quæ ad organizationem pertinent, includatur ipſa quantitas Chriſti Domini, ac proinde, Vtrum illa ponatur vi verborum. Supponimus pro præſenti quæſtionem eam diſtingui à materia, alioquin ceſſat omnis quæſtio. Ratio autem dubitandi eſt, quia ex vna parte videtur ponenda : illa enim maximè pertinet ad organizationem, quæ præcipuè in extenſione & collatione partium conſiſtit : ex altera verò non videtur id neceſſarium quia licet extenſio & diſtantia partium pertineant ad rationem corporis, ea tamen diſtantia proximè prouenit ab vbicationibus, non à quantitate: hæc enim ſolùm habet exigentiam impenetrabilitatis ſeu eius diſtantiæ ; ergo ſi peneretur materia prima cum vbicationibus & accidentibus his organicis, eſto nulla omnino poneretur quantitas, adhuc poſſet vocari verum corpus humanum.

Dices : Chriſti corpus eſt perfectè organicum in Euchariſtia, & tamen non habet eam extenſionem per vbicationes, ſed ſolùm per quantitatem; ergo magis ſpectat quantitas ad organizationem quàm ipſæ vbicationes; ergo. Reſponderi tamen poteſt, nec quantitatem nec ipſas vbicationes formaliter pertinere ad rationem corporis, ſed diſpoſitiones carnis, oſſis, capitis, oculorum, &c. & vniones continuatiuas earum partium; ac proinde eſto in Chriſto auferretur quantitas, dummodò hæc alia manerent, manſurum verum corpus organicum. Quapropter omnibus penſatis magis propendeo in hanc vltimam partem, dicóque quantitatem corporis Chriſti non poni ex vi verborum, ſed purè per concomitantiam ſicut reliqua accidentia, quæ non ſunt de formali conſtitutiuo corporis humani. Sed iam videamus quæ nobis obijciantur.

Quantitas corporis non ponitur ex vi verborum.

30 Primò obiicit Suarez ; Ex vi verborum poni debere corpus aptum exiſtere : atqui materia prima cum ſolis accidentibus non poteſt exiſtere connaturaliter; ergo. Miror à Suarez fieri hoc argumentum : ipſe enim vi verborum ponit aliquid, quod non ſolùm naturaliter, ſed nec quidem diuinitus poteſt exiſtere, nempe materiam primam cum gradu communi formæ. Negandum ergo eſt antecedens; imò contrarium videtur eſſe iuxta doctrinam Tridentini ſæpè citati. Nam anima rationalis, ſine qua non poteſt materia exiſtere, non ponitur à Tridentino vi verborum, nec ponitur vlla alia forma ſubſtantialis illius defectum ſupplens; ergo.

Non eſt neceſſe vt ponatur corpus aptum exiſtere.

Obiiciunt Secundò : Si vi verborum ponuntur accidentia, ergo panis conuertitur in accidentia Chriſti, quia conuertitur in totum illud quod ponitur vi verborum. Negant aliqui ſequelam, quia accidentia Chriſti non ſuccedunt in munere ſubſtantiæ. Verum ſæpè impugnatum eſt à nobis hoc munus ſubſtantiæ. Vaſquez concedit ſequelam; Concilio autem vocanti hanc conuerſionem transſubſtantiationem reſpondet, Illud nomen impoſitum eſſe à præcipua parte eius conuerſionis, non verò quia ſentiat ibi nullam eſſe accidentalem conuerſionem. Hæc ſolutio eſt probabiliſſima; vt tamen perfectius ſaluemus Concilium, poteſt negari conſequentia, quia inter accidentia Chriſti Domini de nouo producta & terminum deſtructum nulla erat repugnantia : hæc enim propriè ſolum eſt inter accidentia panis & inter accidentia Chriſti, non verò inter ſubſtantiam panis & accidentia Chriſti; nam formæ ſubſtantiali non opponuntur accidentia immediatè, ſed quatenus opponuntur accidentibus illius. Cùm ergo ad rationem conuerſionis diximus requiri connexionem inter terminum à quo & terminum ad quem, fit vt ex defectu huius debeat negari hîc conuerſio panis in accidentia Chriſti. Replicabis; Ergo non fit conuerſio in corpus Chriſti: hoc autem videtur eſſe contra Concilium, quod paſſim docet panem conuerti in corpus, & vinum in ſanguinem : ſequela patet, quia corpus in noſtra ſententia eſſentialiter dicit ea accidentia, in quæ non fit conuerſio; ergo. Reſpondeo, Concilium, dum dicit panem conuerti in corpus, vſurpare *τὸ corpus* ſecundum id quod ſubſtantialiter dicit, hoc eſt, ſecundum materiam primam Chriſti; quæ ſecum adfert accidentia illa conſtitutiua corporis; non quia in illa fiat vlla conuerſio, ſed quia illa etiam ponuntur vi verborum.

Explicatur quid velit Concilium Tridentinum, dum ait panem conuerti in corpus.

31 Hîc mouentur duæ vel tres quæſtiones minoris momenti, quas breuiter expediemus. Prima eſt ; Si corpus Chriſti eſſet reductum ad cineres, & ſine vlla organizatione, quid tunc poneretur vi verborum ? Non diſputo, Vtrum tunc ponerentur vi verborum cineres ; de hoc enim ſuprà actum eſt, ſed, An eſſet ponenda aliqua organizatio : ratio autem dubitandi eſt, non enim videtur poſſe poni vlla, quia nulla tunc eſſet, imò cum diximus ſuprà, cineres ſine omni organizatione non eſſe propriè corpus, ac proinde cùm eo caſu nullum eſſet corpus Chriſti, non videtur fieri poſſe vt diceretur tunc, *Hoc eſt corpus meum* : ſi enim nullum haberet Chriſtus tunc corpus, quomodo dicit *eſt meum*? Reſpondeo tamen, Etiamſi illa materia non eſſet actu ſub denominatione corporis, poſſe tamen ad tempus præteritum reſpiciendo dici, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, quod fuit meum corpus, vti diximus, *Hic eſt meus diſcipulus*, non qui actu ſit diſcipulus, ſed quia fuit, & ab eo tempore habet denominationem diſcipuli : quo poſito quoad veritatem eius propoſitionis, ſeu quoad conſecrationis poſſibilitatem dici poteſt ponendam eo caſu non ſolum materiam primam, ſed & organizationem quæ fuit antea, quia alioquin non poneretur in rigore corpus. Neque obeſt vllo modo, quòd actu non exſtat illa organizatio, quia tunc ipſa verba illam producerent, ſicut producunt ibi Chriſtum per ſecundam actionem, iuxta dicta à nobis ſuprà.

Monetur quæſtio, Si corpus Chriſti eſſet redactũ in cineres, quid poneretur vi verborum?

Aſſeritur ponendam organizationem quæ antè fuit.

32 Ex hac tamen ſolutione replicabis valdè efficaciter: Vt dicatur, *Hoc eſt corpus meum*, non eſt neceſſe illud actu habere illas diſpoſitiones per quas conſtituitur in ratione corporis, ſed ſufficit, ſi olim eas habuerit : ratione enim eius præcedentiæ poteſt etiam nunc vocari corpus, ergo, etiamſi non ponerentur vlla accidentia, dici poſſet, *Hoc eſt corpus meum*, eo ipſo quòd poneretur ibi materia prima, quæ anteà habuerat rationem corporis. Hæc obiectio meo iudicio probat primam eam ſolutionem non eſſe bonam, aut certè iuxta illam conſequenter dicendum, eo caſu non ponendum vi verborum vllam organizationem, quia ſi ante conſecrationem ipſam poterat ea materia dici corpus per tropum, profectò eo ipſo illa materia poſita per conſecrationem ſine eis accidentibus potuiſſet etiam dici corpus. Aliter ergo reſpondeo, Ad hoc,

Impugnatur illa organizatio.

Digitized by Google

Propter quã impugnationem aliter explicatur ſolutio quæſtionis præcedentis.

hoc, vt verba illa ſint vera, non eſſe neceſſum vt ante illa exiſtat corpus verum Chriſti, ſed ſufficere ſi per ipſa verba producatur. Vnde ad illam interrogationem, Quomodo potest dici corpus meum ſi nullum habeo? reſpondeo, Non poſſe dici corpus Chriſti, ſi ſaltem in fine verborum illud non habeat. Cùm ergo illa verba habeant vim efficiendi quod ſignificant, conſequenter ipſa ſua effectione ſe faciunt vera. Quòd ſi obijcias, Ideò efficiunt obiectum, quia ſunt vera; ergo non poteſt eorum veritas deſumi ex ipſa effectione, ne detur vitioſus circulus in ea veritate explicanda. Reſpondeo facilè, Verba non efficere quod ſignificant, quia ſunt vera, ſed quia illis dedit Chriſtus vim faciendi quod ſignificant: vnde ſignificatio eſt cauſa effectionis, effectio eſt cauſa veritatis, ſine vllo planè circulo. Conſtet ergo in eo caſu illa verba ſignificando corpus verum, etiamſi illud anteà non fuiſſet, illud producere, & eo ipſo eſſe vera in omni rigore ſine vlla figura; ad hanc autem veritatem neceſſariò requiri, vt ſicut vox *corpus* ſignificat organizationem veram, ita illam ponat; quia alioquin non efficerent quòd ſignificant, & conſequenter nec eſſent vera propriè.

33 Secunda difficultas eſt, Quid ex parte panis pereat vi verborum. Circa quod aduerte hîc poſſeo duo in dubium verti: vnum eſt, An vi verborum deſinat ſubſtantia panis eſſe in rerum natura alterum. An deſinat eſſe ſub accidentibus, & an tota, an aliquid illius; & quid illud ſit: de qua quæſtione Cardinalis Lugo ſect. 6. diſp. 8.

Altera quæſtio, Quid ex parte panis pereat vi verborum.

Breuiſſimè rem decidemus, quia vix vllam habet difficultatem, ſuppoſitis quæ ſuprà fusè diximus. Reſpondeo ergo Primò, Nihil omnino de ſubſtantia panis deſinere eſſe ex vi verborum; quia eſto alibi panis conſeruaretur, dummodò non ſubſtaret accidentibus, verba eſſent veriſſima (vt ſuprà diximus fuſiùs;) ſolùm ergo debet perire vnio accidentium panis, per quam his ille ſubſtabat. Quòd ergo panis abſolutè pereat, ratio eſt, quia noluit Deus eum conſeruare ſine accidentibus, à quibus naturaliter dependet.

Perit vnio accidentium panis.

Reſpondeo Secundò, Deſinere ſubſtare eis accidentibus vi verborum tam materiam primam panis quàm formam; id quod non fundo in eo, quòd ea accidentia pendeant tam à materia quàm à forma: fortaſſis enim multa inuenientur quæ à forma, aliqua alia fortè quæ à materia non pendeant. Fundamentum ergo eius veritatis eſt, quia tota ſubſtantia panis ſubſtat accidentibus, oſtendique tota poteſt per illa accidentia: quando enim dico, *Hoc eſt homo*, *Hoc eſt vinum*, *Hoc eſt oleum*, non ſolùm denoto materiam hominis, olei, &c. nec ſolam formam, ſed vtrumque; ergo nihil horum debet manere, vt poſſit verè dici, *Hoc eſt Chriſti corpus*; quia neque poteſt de materia prima panis dici *Hoc eſt corpus Chriſti*; neque poteſt idem dici de forma, neque etiam de vtroque; ergo.

Deſinũt ſubſtare accidentibus materia & forma panis.

34 Obiicies, Si retenta eadem materia prima ſuccedat forma ignis formæ ligni, dici poteſt veriſſimè, *Hoc fuit lignum*; ergo eſto eadem materia prima maneret, poſſet dici, *Hoc eſt Chriſtus*; ergo non eiicitur materia prima vi verborum. Reſponderi poſſet dupliciter negando conſequentiam; Primò, quia in illis mutationibus ordinariis ſupponitur idem ſubiectum vtriuſque formæ: non enim ignis præceſſit cum alia materia prima, vnde inadæquatè ſolùm inter ſe conuertuntur, quia etiam ſolùm inadæquatè diſtinguuntur: quòd ſi daremus eum ignem exiſtentem cum materia prima, & lignum cum ſua, non poſſemus tunc dicere, *Hoc erit illud*, ſeu, *Hoc conuertetur in illud*, niſi etiam materia materiæ ſuccederet. Cùm ergo Chriſtus ante conſecrationem ſupponatur habens ſuam materiam primam diſtinctam numero à materia panis, non poteſt dici, *Hoc eſt Chriſtus*, niſi materiæ panis ſuccedat materia ipſa Chriſti, & eo ipſo ceſſet vi verborum materia panis; quia illæ duæ materiæ non poſſunt componere vnum Chriſtum, vt poſſit de illis Chriſtus prædicari. Secundò nego conſequentiam, quia verba conſecrationis non dicunt, *Hoc eſt Chriſtus*, vti ibi dicebatur oſtendendo, *Hoc lignum erit ignis*; ſed dicitur, *Hoc eſt corpus meum*: vbi pro prædicato ponitur corpus Chriſti, ſeu materia prima Chriſti: atqui de materia panis non poteſt dici quod ſit materia Chriſti. Hanc tamen ſolutionem non iudico bonam, niſi reducatur ad priorem; quia ſi Chriſtus non habuiſſet anteà vllam propriam materiam, & in eadem, quæ erat panis, inducerentur diſpoſitiones corporis, eiecta inde forma panis, veriſſimè dici potuiſſet, *Hoc eſt corpus meum*, ſeu, *Hoc eſt corpus Chriſti*. Vnde infero; ergo in tantùm eiicitur materia panis, in quantum ſupponitur Chriſtus habuiſſe aliam diſtinctam numero materiam: in qua diſparitate fundabatur prior ſolutio.

Materia prima Chriſti numero diſtincta ſuccedit materiæ primæ panis.

Verùm hinc contra concluſionem obiicies: Ergo materia panis non eiicitur vi verborum; nam ſi (vt diuinitus eſſe potuiſſet) eadem materia ſimul eſſet ſub forma panis, & ſub anima Chriſti, certè verborum veritate integra retenta dictum fuiſſet, *Hoc eſt corpus meum*, ſine expulſione vllius materiæ; ergo illorum veritas non pendet ab expulſione præcedentis. Reſpondeo, Id omnino ita eſſe; dicitur ergo de facto expelli vi verborum ea materia panis, quia ſupponitur Chriſtus habere (vti naturaliter requiritur) materiam diſtinctam à pane.

Quomodo expellatur vi verborum materia panis.

SECTIO V.

Quid ponatur vi vocis ſanguis?

35 Explicuimus quæ vi verborum ponuntur ſub ſpeciebus panis, iam quæ ſub ſpeciebus vini. Dicimus ergo poni materiam primam ex vi verborum cum accidentibus ſanguinis, non verò formam vllam ſanguinis, quia hæc in mea ſententia eſt ipſa anima rationalis, ſicut & corporis; quòd ſi daretur propria forma ſanguinis, haud dubiè illa poneretur.

Vi verborum ponitur materia prima cum accidentibus ſanguinis.

Dices: Si ſanguis informatur anima rationali, ergo eſt pars corporis; quia per corpus intelligimus totam materiam primam, quæ anima informatur; ergo ponitur ex vi verborum ſub ſpecie panis. Hoc argumento nonnulli putant ſe clarè probare, ſanguinem non animari, ego tamen cenſeo in primis eodem modo eos vrgeri: licet enim ſanguis non animetur, eſt tamen de integritate corporis humani, non ſecus ac ſi animaretur, ita & ipſi Aduerſarij dicunt, ergo deberet poni ex vi verborum in hoſtia, quia ibi ponitur corpus non vtcumque, ſed integrum in ratione corporis. Reſpondeo ergo, Nomine corporis ſolùm intelligi partes ſolidas materiæ primæ; fluidas autem vocati humores, ſiue alimentum, & ita paſſim condiſtinguuntur hæc duo in Scriptura, *caro* & *ſanguis*; homines etiam vulgares,

Sanguis non ponitur vi verborum corpore.

Digitized by Google

gares, qui de ea diuerſa forma ſanguinis nihil curant, eandem faciunt diſtinctionem; in ordine autem ad hoc Sacramentum res eſt adhuc clarior, quia ſub ſpecie panis ponitur corpus vt aptum manducationi; vt ſic autem dicit ſolum partes ſolidas; ſanguis autem, quia liquidus, ſubit potius rationem potus quàm cibi, adeóque ſub ſpeciebus panis non ponitur vi verborum.

In triduo mortis Chriſti fuiſſet poſitus ſanguis,

36 Rogabis, Si conſecratio facta eſſet tempore mortis Chriſti, quis ſanguis poſitus fuiſſet ſub ſpeciebus vini? Reſpondetur, Omnem illum qui propriè dici poſſet ſanguis, eſto partes illæ eſſent inter ſe diſcontinuæ. Ratio eſt, quia ſanguis eſt per modum rei homogeneæ, quæ retinet denominationem totius, etiamſi inter ſe partes non ſint vnitæ; vti aqua, vinum, oleum, &c. & hinc meritò dicitur, Etiamſi caſu quo Chriſti digitus v. g. fuiſſet abſciſſus, & vi verborum non poneretur ſub ſpeciebus panis, non tamen inde quidquam inferri circa ſanguinem, quia digitus abſciſſus non ſortitur denominationem corporis, ſicut guttæ ſanguinis dicuntur ſanguis, eſto ſint ſeparatæ. Quæ diuerſitas ſufficiens eſt pro præſenti quæſtione. Abſolutè tamen iudico etiam digitum illum ponendum, non quia ille dici poſſet corpus abſolutè, ſed quia ille etiam abſciſſus eſt vera pars corporis: de illo enim etiam ſic abſciſſo dici in toto rigore poteſt, *Hic eſt pars Chriſti corporis*; atqui nomine corporis non ſolæ intelliguntur partes quæ ſolitariè ſumptæ dici poſſunt corpus; imò in hoc ſenſu nullæ intelliguntur, quia nulla ſolitariè ſumpta dicitur corpus; debent ergo intelligi omnes ſimul ſumptæ, quia vt ſic omnes ſunt corpus, quòd autem de facto ille digitus non ſit vnitus, non obeſt, quia vox *corpus* ſignificat corpus prout erat antè in ſuo ſtatu connaturali; alioquin ſi in triduo mortis fuiſſent partes corporis ita inter ſe ſeparatæ, vt nihil eſſet quod actu poſſet dici corpus Chriſti, nihil fuiſſet poſitum vi verborum: quod tamen falſum omnino eſt, quia (vt ſuperiùs notaui) τὸ *corpus* non ſignificat illud, quòd actu eſt corpus, ſed quod fuit: vnde eſto in cineres eſſet redactum, poſſet tamen fieri conſecratio; ſicut ſi alicui Sancto, cuius corpus ſit in cineres redactum, daret Deus poteſtatem, vt dicendo *Hoc eſt corpus meum* reproduceret ſuum corpus, haud dubiè τὸ *corpus* tunc ſignificaret illas omnes partes, quæ olim fuerunt de integritate eius corporis, & illas omnes reproduceret.

Sicut & digitus, ſi fuiſſet abſciſſus.

37 Hinc tamen oritur noua difficultas circa guttas ſanguinis Chriſti Domini, quæ fuere ſparſæ in terram, aut in ſudarium, & deinde reunitæ non ſunt: (eſt enim valdè probabilis opinio multas guttas in terra manſiſſe, licet iam non retineant formam ſanguinis:) ratio autem dubitandi ea eſt: nam illæ etiam fuerunt veræ partes ſanguinis Chriſti, & quidem eo tempore quo ipſe Sacramentum hoc inſtituit; ergo etiam nunc ſignificantur nomine ſanguinis iuxta immediatè dicta: ex alia verò parte non videntur ponendæ, quia illæ de facto non ſunt pars ſanguinis. Reſpondeo, Eas non poni; ratio eſt, quia eſto olim fuerint pars ſanguinis, non ſunt tamen de facto. Pro quo aduerte aliquas eſſe partes, ſine quibus integritas totius ſaluatur, vel quia illæ non omnino erant de complemento, vt ſanguis qui quoad integritatem corporis humani non conſiſtit in indiuiſibili; nam etſi quis aliquot guttulas emittat per nares, vel alio modo eas emittat, vt facto aliquo leui foramine acicula, &c. non ideò deſinit eſſe integritas ſanguinis in tali homine; vel quia eſto illæ partes eſſent neceſſariæ, iam tamen aliunde ſunt ſuppletæ, eò quòd aliæ loco illarum ſucceſſerunt, vt ſi eradicatis capillis alij loco eorum creſcant? In his ergo partibus dicimus non attendi, an olim fuerint veræ partes illius corporis necne, ad hoc vt in præſenti ſignificentur nomine corporis, ſed debere præciſè conſiderari, an quando verba proferuntur, & Chriſtus iam habet ſanguinem, pertineant illæ partes actu necne ad eum ſanguinem: ergo cùm illæ guttæ, quæ remanſerunt, iam non ſint partes actu, nec neceſſariæ vt Chriſti ſanguis ſit integer, prout diſpoſitio eius corporis requirit, non eſt attendendum quòd fuerint ante mortem.

Non ponuntur partes ſanguinis in terram effuſi,

Quia non ſunt actu partes ſanguinis, neque neceſſariæ ad integritatem.

Obiicies: Si particula præputij Chriſti ſit relicta in terris non reaſſumpta, tametſi ad integritatem corporis pertineat, non ponetur vi verborum; ergo ea differentia à nobis poſita de partibus ſuperfluis vel non ſuperfluis non eſt ad rem: & vrgetur id ampliùs; nam ſi ea ratio quidquam valeret, probaret ſanè, etiamſi conſecratio facta eſſet in triduo mortis Chriſti, non ponendum eum ſanguinem qui poſtea non erat reuniendus Chriſto; qui etiam ille tunc poterat iudicari non neceſſarius ad integritatem: hoc autem videtur abſurdum, quia eo tempore non minùs illæ quàm reliquæ partes pertinebant ad ſanguinem Chriſti. Reſpondeo, Me in præcedenti doctrina locutum iuxta ea quæ ex natura rei debent fieri. Certum autem eſt τὸ *corpus* ſimpliciter & abſolutè prolatum ſignificare corpus integrum, ac proinde in rigore includere etiam partes abſciſſas, quæ ad integritatem eius corporis ſpectant, & quarum loco nullæ aliæ ſuffectæ ſunt: quo ſenſu etiam pars præputij ſignificatur; vnde non dubito quin & illæ partes ſint in Iudæis reſumendæ in reſurrectione, & eodem modo in Chriſto. Sed quia obiectio ſupponit Chriſtum ſiue ob hoc ſiue ob illud motiuum non recepiſſe eam partem præputij, nec aliam loco illius, dico, data ea ſuppoſitione nec illam ponendam ſub hoſtia; quia non eſt credendum Chriſtum velle ponere vnitam de nouo eam partem, quam ab ipſo puncto circumciſionis noluit amplius ſibi vnire; ergo tunc verbum illud *corpus* cenſebitur ab ipſo Chriſto limitatum ad integritatem corporis, quam ſemper deinde voluit retinere. 38

Obiectio de Chriſti præputio non reaſſumpto.

Ad illud de conſecratione ſanguinis in triduo dico, ideò tunc totum ponendum, quia totus fuerat pars Chriſti, & adhuc non erat actu excluſus ab vnione & à ratione partis per ipſam non aſſumptionem, vt fuit excluſus poſt reſurrectionem; & eodem modo diximus de retentione vnionis hypoſtaticæ in eo ſaguine, ſcilicet in triduo totum manſiſſe vnitum Verbo; etiam eum qui reſumendus non erat: dum autem in reſurrectione facta eſt ſeparatio, & aliquæ guttæ in terra omnino relictæ, eo ipſo etiam illas amiſiſſet vnionem cum Verbo; id quod ſuo modo in ordine ad retinendam denominationem partis, vt caſu quo tunc facta fuiſſet conſecratio, debuiſſent poni vi verborum.

Diſparitas inter ſanguinem & præputium, cur hoc non ponatur, ille ponatur.

Iam verò poſſet quis quærere, Vtrum ſi in Chriſti corpore manſerant aliquæ ſanguinis guttæ, quæ non ſint effuſæ, ponantur tamen illæ vi verborum, cùm verba dicant, *Sanguinis mei qui pro vobis & pro multis effundetur*, &c. 39

Reſpondeo

Vi verborum ponitur totus ſanguis etiã qui non eſt effuſus.

Reſpondeo, Me hanc quæſtionem ſupra tetigiſſe, vbi dixi illum ponendum, quia ea denominatio rectè toti ſanguini tribuitur etiamſi non totus ſit effuſus; vt totus homo dicitur combuſtus, etiamſi oſſa aut dentes non ſint combuſti; ergo ex eo capite non reiicitur ille ſanguis à ſignificatione, ſub qua alioquin comprehenditur.

Vltimo quæres, Vtrum ſanguis qui ponitur ſit contiguus totus vi verborum. Reſpondeo, Non eſſe, quia ad hoc, vt ſanguis denominetur ſanguis Chriſti, non requirit vnionem; contrarium contingit in corpore. Ratio eſt, quia res liquidæ & non vnitæ retinent denominationem totius, vt ſupra dixi; ſolidæ autem & heterogeneæ non ita: ſi enim partes domus ſeparentur, non erit domus; idem eſt in corpore. De facto tamen ponitur ea vnio, quam ſanguis habet cum corpore Chriſti in cœlo propter connexionem naturalem: & licet omnes partes, quia ſunt in eodem loco, poſſint ſibi inuicem vniri, ita vt quælibet gutta ſanguinis poſſet omnibus vniri, non tamen ideò credendum eſt dari eam vnionem in Euchariſtia; quia non eſt ibi ponendum plus de ea vnione quam re ipſa in ſe habeat corpus Chriſti, in quo non eſt vnita manus cuilibet parti corporis, ſed brachio: quæ ratio ſuo modo ad ſanguinem extenditur.

Ponitur vnio ſanguinis cũ corpore, non tamen contiguitas eiuſdem ſanguinis vi verborum.

40 *Contra Suarez, qui putat ex ipſa partes ſanguinis eſſe vnitas vi verborum:*

Vbi tantillum hærendum erit propter Patrem Suarez, qui diſput. 51. ſect. 3. omnino putat, eſto veritas verborum id non requirat, re tamen ipſa omnes partes ſanguinis eſſe vnitas; nam res liquidæ, eo ipſo quòd ſint in eodem loco, continuantur inter ſe; longè tamen probabilior eſt reſolutio immediatè à nobis tradita, quam & defendit Cardinalis Lugo diſput. 8. ſect. 5. qui eam probat, tum quia alioquin poneretur aliquis modus ſubſtãtialis vnionis Chriſti in Euchariſtia, qui non eſſet in cœlo; tum quia quælibet pars ſanguinis eſſet vnita cum omnibus; & omnes cum qualibet. Verum hæc duo expreſsè conceduntur à Suario; vnde ſi aliunde non oſtendatur abſurditas eius ſequelæ, nihil contra illum inferetur. Tertiò argumentatur, quia ea poſitio partium in eodem loco potius obeſt vnioni continuatiuæ quam proſit; quia hæc vnio requirit partes in diſtinctis locis, licet ſibi vicinis. Verum hæc ratio ea ex parte non placet; qua ait eam præſentiam officere tali vnioni; alioquin partes corporis Chriſti, quæ in cœlo ſunt contiguæ & vnitæ, amitterent in Euchariſtia vnionem, quandoquidem ſunt in eodem loco penetratæ. Reſpondeo ergo, Eam vnionem continuatiuam exigere quidem vt minimũ eam vicinitatem, quia nihil poteſt vniri phyſicè rei diſtanti; at negamus illi obeſſe, quòd ſint in eodem loco, quia ea vnio non conſtituit res in diuerſis locis ſibique vicinis, ſed vnit ea extrema cum capacitate, vt ea loca vicina habere poſſint per vbicationem diſtinctam. Quidquid ergo ſit de eo argumento, doctrina Patris Suarez non eſt tenenda; quia eſto res liquidæ, quando ſunt vicinæ, vniantur inter ſe, Deus tamen id non concedit ſanguini, quia non vult vt ſanguis magis ſit vnus in Euchariſtia quàm in cœlo; neque eſt neceſſarium ibi eam maiorem vnionem ponere.

Quem etiam impugnat Cardinalis Lugo, ſed argumentis non ſatis efficacibus.

SVBSECTIO VI.

Vtrùm Diuinitas ponatur vi verborum?

VERBVM diuinum non eſſe ſub ſpeciebus ex vi verborum conſtat ex Tridentino ſuprà; & ratione manifeſta ſuadetur, quia nec vox *corpus* nec *ſanguis* illud ſignificant; ergo non ponitur ex vi verborum. 41

Diuinitas non eſt ſub ſpeciebus vi verborum.

Dices Primò: Non poteſt Chriſtus dicere, *Hoc eſt corpus meum*, niſi ſit vnitum cum ipſo Chriſto, & conſequenter niſi terminetur hypoſtaticè à Verbo; ergo ſaltem per τὸ *meum* ſignificabunt Verbum diuinum. Reſpondeo Primò, Vt Chriſti humanitas dicat, *Hoc eſt corpus meum*, ſufficere illud fuiſſe vnitum cum ea humanitate; ſicut anima cuiuſque Sancti poteſt dicere, deſignando corpus in quo antea fuit, *Hoc eſt corpus meum.* Reſpondeo Secundò, Etſi requireretur vnio, non tamen requiri illam vbique, ſed ſufficere vt alicubi ſit actu vnitum, vt poſſit abſolutè dicere, *Hoc eſt corpus meum*, quantumuis hìc non ſit vnitum. Et ratio eſt, quia ea propoſitio affirmatiua pro ſui veritate non requirit niſi vt alicubi ſit Chriſti, eo enim ipſo abſolutè dicitur eſſe illius.

Vbi aduerte magnam hìc moueri quæſtionem de nomine circa illud pronomen *meum*, Vtrùm ſcilicet ſignificet perſonam loquentem, an verò ſolùm naturam. Pater Vaſquez diſp. 185. n. 14 putat indicare naturam humanam, cuius eſt corpus; Cardinalis verò Lugo ea diſput. 8. ſect. 6. putat referre ſuppoſitum, quia *meum* dicit ordinem ad pronomen *ego*. *Ego* autem non ſignificat naturam loquentis, ſed ſuppoſitum: neque enim poſſum dicere, *Ego ſum natura humana*, ſed, *Ego ſum homo*, *Ego ſum perſona*; ergo τὸ *ego* ſtat pro ſuppoſito in recto, & non pro natura: concedit tamen, licet magis directè ſignificet ſuppoſitum, magis tamen determinatè ſignificare naturam; quia omnis locutio creata eſt actio immediata alicuius naturæ intellectualis, quæ exprimit per illam ſuam mentem. Ego tamen puto non ſufficienter rem declarari ab hoc Auctore & magis inclino in ſententiam Vaſquez. Pro quo aduerte (quod alibi ſæpè notaui) de perſonalitate diſtincta à natura nihil vnquam fuiſſe cogitatum à veteribus Philoſophis, multò autem minùs à communi plebe, & ab his etiam qui linguas diſtinxerunt: vnde licet quoad modum loquendi illi diſtinxerint inter hæc duo, *homo* & *humanitas*, quia homo quaſi in concreto & humanitas ſignificat in abſtracto; ideoque ex modo exteriori loquendi illos terminos inter ſe inuicem non prædicauerint, *Homo eſt humanitas*; ſicuti non prædicatur, *Album eſt albedo*; re tamen ipſa veriſſimam fuiſſe prædicationem, non minùs quàm hæc, *Deus eſt Deitas*, ſit vera à parte rei, non tamen in modo Logico loquendi, ſeu, vt ſolet dici, ratione noſtra: in quo puncto fuit magna differentia inter eam propoſitionem & hanc, *Album eſt albedo*; nam illa ſolum ratione noſtra erat concreti de abſtracto; hæc verò, *Album eſt albedo*, eſt de reali abſtracto & reali concreto, ideóque falſa etiam realiter, quia album ſignificat in recto ſubiectum; albedo autem non identificatur cum ſubiecto nec ratione noſtra nec realiter. Hinc ergo clarè colligitur, probabilius eſſe, eam vocem *ego* immediatè & in recto importare naturam, imò

Vox meum quid hic ſignificet.

Vaſquez ait referre naturam humanã, Cardinalis Lugo ſuppoſitum.

42 *Magis probatur Vaſquez ſententia ex genuina & primaua ſignificatione vocis.*

Digitized by Google

imò (vt dixi) apud eos inuentores vocum vnicè naturam; quia nihil aliud re ipſa intelligebant, licet modus eſſet omnino diſtinctus per abſtractum vel concretum. Quòd verò habeamus nos iam notitiam ex myſterio tam Trinitatis quàm Incarnationis perſonalitatis diſtinctæ, ac proinde plus etiam realiter intelligamus nomine hominis quàm antiqui intellexerunt, hoc eſt, & humanitatem ipſam & perſonalitatem, non facit, vt variata ſit ſignificatio directa illius vocis *ego* aut *meum*; quæ eodem modo ſignificat apud nos directè humanam naturam, ac eam ſignificauit apud Ciceronem aut Ennium.

Cardinalis Lugo ſententia rem benè non explicat

43 Secundò circa hoc punctum dico, ideò non adæquatè rem ab eo Auctore declaratam, quia debuiſſet oſtendere, benè dici, *Ego ſum ſuppoſitalitas*, *ego ſum perſonalitas*, vt inde inferret perſonalitatem dici in recto; vti dixit non benè affirmari, *Ego ſum natura humana*; vnde intulit, τὸ *ego* non dicere in recto naturam: ſicut enim accepit naturam in abſtracto, & eam comparauit cum τὸ *ego*; ita etiam debuiſſet perſonalitatem in abſtracto accipere, & eam comparare cum τὸ *ego*, vt inde poſſet colligere aliquam differentiam, an natura diceretur in recto, an verò perſonalitas; alioquin totum eum diſcurſum ſic inuertam ego: Non benè dicitur, *Ego ſum perſonalitas*; ergo *ego* non dicit directè & in recto perſonalitatem, ſed naturam, vel certè vtramque; iis ergo ſuppoſitis iuxta ea quæ alibi tradidi.

In humanis dicitur in recto natura, perſonalitas in obliquo.

Dicendum opinor, Etiam poſt cognitam ſubſiſtentiam ſignificari tamen in recto in humanis naturam, non perſonalitatem; nam tota natura habet ſe per modum ſubiecti reſpectu perſonalitatis, eſtque longè illa nobilius, ac proinde more aliorum concretorum debemus dicere illam in recto ſignificari, perſonalitatem verò in obliquo: id quod verum eſt etiam in ea voce *perſona*; nam licet illa expreſsè ſignificet perſonalitatem, non tamen in recto; diximus enim ſæpè, non eſſe idem ſignificari in recto, & ſignificari expreſsè: per hanc enim vocem *album* ſignificatur expreſsè albedo, non tamen in recto, ſed in obliquo. Quare autem in Chriſto Domino non ſignificetur in recto natura humana, ſed potius perſonalitas Diuina, deduxi ex hac eadem ratione immediatè antè facta, quia ſcilicet id quod eſt nobilius, & per modum ſuſtentantis, aliud dicitur in recto; cumque in Chriſto perſonalitas ſit nobilior, & ſe habeat per modum ſuſtentantis naturam humanam, non è contrario, ſicut in nobis natura eſt nobilior quàm noſtra ſubſiſtentia, ideò dixi, in Chriſto dici in recto perſonalitatem, in nobis

In Chriſto perſonalitas dicitur in recto.

44 verò naturam. Ad argumentum autem illud, quòd non benè dicere quis poſſit, *Ego ſum natura humana*, iam in primis oſtendi multò minus benè dici, *Ego ſum perſonalitas*, vel, *Ego ſum ſubſiſtentia*; ac proinde ex hoc capite nihil dici in fauorem potiùs perſonalitatis quàm naturæ; abſolutè autem nego id benè dici: eſto enim ob rationem abſtracti aut concreti non ſit in vſu ille modus loquendi, re ipſa tamen verus eſt, quia ego ſum hæc natura humana ſubſiſtens in propria perſonalitate; quòd verò homo dicat in recto naturam humanam, poteſt probari ex propoſitionibus aliis quas communiter facimus, vt, Homo producit ſuam intellectionem, volitionem, &c. etenim de ſubſiſtentia non poteſt dici, Subſiſtentia humana producit intellectionem, at de natura rectè dicitur, Producit ſuam volitionem, intellexionem. Præterea rectè dicitur, Homo eſt ſubiectum ſubſiſtentiæ, eſt capax qui aſſumatur à Deo, &c. ergo non dicit in recto ipſam ſubſiſtentiam, quia hæc neque eſt ſubiectum ſubſiſtentiæ, neque poteſt à Deo aſſumi: ſimiles poſſent inueniri propoſitiones, quibus oſtendatur in recto dici naturam, ſed hæ ſufficiant, adiuncta ratione ſupra facta, quod antiquiores & Philoſophi & linguarum Auctores, qui eis propoſitionibus viſi ſunt, nihil aliud, nec quidem in obliquo, intellexerunt quàm naturam, ergo nos debemus quantum poſſumus eumdem modum in recto ſignificandi retinere, etiamſi in obliquo ſignificemus eam perſonalitatem. Dixi *quantum poſſumus*, quia iam oſtendi, cur in Chriſto aliter explicemus rectum & obliquum.

Oſtenditur variis propoſitionibus in homine naturam dici in recto.

Aliqua propoſitiones affirmantur de Chriſto ſicuti de homine.

Vnde fit, vt aliquæ etiam propoſitiones in ipſo Chriſto affirmentur vti in nobis, per quas videmur ſolum in recto dicere naturam humanam, vti illa, *Chriſtus conſtat ex anima & corpore*; id eſt, *Humanitas Chriſti conſtat anima & corpore*, item illa, *Chriſtus eſt capax volitionis & intellexionis creata*, *producit ſuas vilitiones*, &c quæ omnia in recto de perſonalitate Diuina non poſſunt affirmari, nam hæc non eſt capax volitionis creatæ, &c. quia ergo Chriſtus eſt homo vti & nos, formamus etiam in illo aliquas propoſitiones ponendo in recto humanitatem, ſicuti & eam ponimus in nobis, quia verò ob rationem paulò antè datam eius perſonalitatem, vtpote nobiliorem, ſignificamus in recto frequentius, ideò alias propoſitiones affirmamus quæ ſolum verificantur ratione perſonalitatis; vt cum dicimus, *Deus eſt homo*, *Homo eſt Deus*: eas enim non poſſumus ſaluare poſita in recto humanitate, quia de illa non poteſt dici quòd ſit Deus, poteſt autem id affirmari de ſubſiſtentia ſeu perſonalitate Diuina. Hæc ratio ceſſat in nobis, ac proinde ſemper debemus in recto ſignificare naturam & humanitatem.

Vox meum non pendet ab vlla perſonalitate.

Vltimò circa vocem *meum* dico eam nequaquam pendere ab vlla perſonalitate, nam & anima ſeparata, eſto ſit ſine vlla ſubſiſtentia in omni rigore, dicere poteſt, *Hæc eſt mea voluntas*, *meuſa mor*, *meum odium*, &c. & verò ſi materia prima, ſi ipſa accidentia eſſent intellectiua, & loqui poſſent, ſine vlla tamen ſubſiſtentia dicere poſſent, *Ego ſum albedo*, *ego rubedo*, *ego calor*, *hæc eſt mea vbicatio*. Vnde denique ad rem noſtram concludo, ex eo verbo, *Hoc eſt corpus meum*, nullo prorſus modo inferri debere, poni vi verborum perſonalitatem Diuinam, tum ob rationes priores ſupra traditas, tum quia τὸ *meum* nihil dicit de ſubſiſtentia aut perſonalitate, imò ex vi vocis neque quòd qui loquuntur ſit ſubſtantia. 45

Sed iam ex alio capite fortè quis oſtendere Secundò volet, vi verborum poni perſonalitatem Diuinam, quia ſanguis eſt nomen ſuppoſiti: dicit enim compoſitum ex materia prima & forma ſanguinis, & per modum concreti: ergò ibi includitur ſuppoſitum, ergo ſignificatur ſuppoſitum Diuinum, non ſecus ac pro voce *homo* deſignando Chriſtum. Reſpondeo, Me non vrgeri hoc argumento, quia ſanguis non ſignificat præcisè niſi materiam primam cum accidentibus, ſicut de corpore diximus. Qui dicunt ſanguinem informari forma totali diſtincta ab anima, non facilè reddent rationem, quare ſanguis non ſit ſuppoſitum ſaltem inadæquatum, quandoquidem dicit mate

Digitized by Google

materiam & formam ſubſtantialem vnitam, & non in abſtracto, ſicut humanitas, ſed in concreto: quòd enim ordinetur ad componendum hominem, non videtur impedire propriam ſubſiſtentiam, quandoquidem non vnitur propriè & per ſe homini, ſed per aggregationem: quæ vnio non impedit in partibus ſubſtantialibus eſſentialiter completis ſubſiſtentiam & denominationem totius.

46 Dices Tertiò: Deſtruitur ex vi verborum ſubſiſtentia panis, ergo & introducitur ſubſiſtentia Verbi. Nego conſequentiam, quia verba dicunt ibi contineri adæquatè corpus Chriſti, ad hoc autem requiritur, vt nihil ſubſtantiale panis maneat, non autem requiritur vt ponatur niſi præcisè corpus, quia illud ſolum affirmatur: ſicuti etiam non ponitur anima rationalis ex vi verborum, licet ex vi verborum excludatur forma panis: eſt ergo ibi Verbum diuinum & aliæ duæ perſonæ ſolùm per concomitantiam, eo modo quo ſpecialiter dicuntur eſſe in ipſo Chriſto ante conſecrationem. Aduerte tamen, licet ibi ſint omnes tres perſonæ, non tamen oſtendendo accidentia poſſe dici, *Hoc eſt Pater* aut *Spiritus ſanctus*, licet poſſet dici, *Hoc eſt Verbum*, oſtendendo ipſam Chriſti humanitatem prout eſt modò in cœlis, aut prout fuit in terris vnita Verbo: poteſt dici, *Hoc eſt Verbum*, id eſt, *Huius humanitatis ſuppoſitum eſt Verbum*, non tamen oſtendendo Chriſtum in terris potuit dici, *Hoc eſt Pater æternus & Spiritus ſanctus*, ita licet dicatur, *Verbum ſumitur in Euchariſtia*, non tamen poteſt dici, *Pater* aut *Spiritus ſanctus ſumuntur*. Quòd ſi aliquando ſoleat dici, *A nobis totam recipi Trinitatem*, intelligendum eſt præcisè, quòd ſit in nobis tota Trinitas poſt Communionem ſpecialiori modo quàm antea ratione identitatis, quam omnes perſonæ habent inter ſe, non verò quia illis etiam tribuuntur denominationes quæ Verbo. Idem etiam eſt dicendum de hac propoſitione, *Panis conuertitur in Verbum*; quæ non extenditur ad Patrem aut Spiritum ſanctum, non vt alij dicunt, quia Pater & Spiritus ſanctus non ſuccedunt in munere ſubſtantiæ circa accidentia: etenim nec Verbum ipſum etiam ſuccedit, ſed ſummùm ſola humanitas Chriſti. Ratio ergo eſt, quia quod tribuitur Verbo per communicationem idiomatum ab humanitate, non extenditur eo ipſo ad alias perſonas, vt independenter ab hoc myſterio in aliis propoſitionibus circa Chriſtum debemus admittere.

Verbum diuinum & aliæ perſonæ diuinæ ſunt tantum per concomitantiam.

Quomodo in Communione dicatur recipi tota Sancta Trinitas.

DISPVTATIO TRIGESIMASEPTIMA.

De his quæ Chriſtus in hoc Sacramento pati aut efficere poteſt phyſicè.

1 EXPLICVIMVS quæ Chriſto in Euchariſtia conueniunt, quatenus attinet ad poſitionem ipſius localem ſub hoſtia & ſub calice iam oportet videre, quid poſſit ibi aut in alios agere, aut ab aliis pati: & quidem ſi quoad ipſum factum loquamur, certum eſt poſſe illum moueri localiter, nam quocumque hoſtia mouetur, ipſe etiam mouetur modo quo ſtatim explicabitur: deinde nullum frigus, nullam alterationem aliam ibi pati, nihil etiam producere phyſicum in paſſum vicinum, vndecumque id proueniat. Quæſtio ergo non eſt de facto ipſo, ſed de potentia naturali, quid ſcilicet poſſet naturaliter agere aut pati eo modo præſentiæ retento cum penetratione partium. Obſeruo autem difficultatem eſſe planè communem ad alios caſus extra Sacramentum, ſi ſcilicet Deus poneret diuinitus ignem penetratum in indiuiſibili, an ille poſſet pati ab agentibus contrariis, an in ea agere, &c. Id quod ideo obſeruo, vt conſtet difficultatem non eſſe huius loci. Fortaſſe etiam res intelligetur clarius, ſi vniuerſaliter eo modo de omni alia re diſcutiatur; nec putet quis eas ſpecies, ſub quibus continetur Chriſtus, aliquam ſpecialem difficultatem in præſenti facere; quia ſe habent omnino per accidens, & non niſi ad motum localem Chriſti conducunt, quatenus Deus voluit illum eſſe eis alligatum, iuxta ea quæ ſupra diximus.

Chriſtus mouetur localiter cum hoſtia.

Quæſtio non habet ſpecialem difficultatem in Euchariſtia quam in alio quouis corpore penetrato.

SECTIO I.

Chriſtus de facto propriè mouetur localiter, non tamen naturaliter.

HIs poſitis, Primò circa motum localem hæc occurrit difficultas, Vtrùm propriè & in ſe Chriſtus Dominus moueatur ad motum hoſtiæ? Aliqui omnino negant, eò quod ſemper maneat præſens eiſdem ſpeciebus, ergo in loco eodem. Dicendum tamen omnino moueri; vti in Philoſophia docui etiam vinum v. g. in vaſe incluſum mutare in ſe locum dum vas mouetur; quia eſto maneat intra eundem locum realem, præſentia tamen & vbicatio illius non deſumitur formaliter à corpore reali, ſed à ſpatio imaginario, quia ſi maneret ibi vinum, ablato diuinitus vaſe retineret eamdem præſentiam quam antea; & tamen non reſponderet eidem vaſi, & poſſet ibi relinqui nulla in ipſo facta mutatione: denique, quia poteſt diuinitus fieri, vt vinum ſit in vaſe incluſum, & quod vas ſit hîc, & tamen quòd vinum non ſit hîc. Nam, vt diximus ſupra, poſſunt etiam ea, quæ ſunt vnita inter ſe, ita collocari, vt vnum ſit in duobus locis, alterum tantum in vno. Pone ergo vas illud in duobus locis diuinitus, vinum verò ſolum in vno Romæ, tunc eſſet verum, & vas eſſe hic Pragæ, & vinum eſſe intra vas; & tamen non eſſet verum, vinum eſſe hic Pragæ; ergo illud *eſſe hic* plus eſt quam denominatio extrinſeca, deſumpta ex eo quòd vinum ſit intra vas, & quòd vas ſit hîc. Quæ omnia ad Chriſtum ſub ſpeciebus applicanda ſunt eodem modo: ſi enim Deus diuinitus poneret ſpecies in duobus locis, & ſolum in vno ex illis Chriſtum, duo 2

Declaratur difficultas ſimilitudine.

Digitized by Google

duo hæc ſaluarentur; & quod ſpecies eſſent in hoc loco, & quòd ſub illis eſſet Chriſtus;& tamen non eſſet verum,quod Chriſtus eſſet in hoc loco; ergo vt Chriſtus realiter ſit hîc, non ſufficit, quod abſolutè ſit ſub ſpeciebus, & quod ſpecies ſint hic. Et de hoc iam ſatis, quia & ſuprà aliquid diximus, oſtendentes Chriſtum habere ſuam propriam præſentiam ſub ſpeciebus diſtinctam à præſentia illarum; & fuſiùs totam rem in Philoſophia diſcuſſimus. Iam ad ea quæ concernunt propriè hunc locum.

Chriſtus ſub ſpeciebus habet propriam præſentiam diſtinctam à præſentia illarum.

Non poteſt Chriſtus moueri naturaliter in Euchariſtia.

Quòd igitur Chriſtus moueri non poſſit in Euchariſtia viribus naturalibus, videtur certum, habet enim ibi præſentiam ſupernaturalem ſaltem quoad modum; illam autem non poteſt agens naturale mutare; ergo naturaliter non poteſt illum mouere, quia nullum agens naturale habet vim ad producendam rem ſupernaturalem; debet ergo moueri viribus ſupernaturalibus; id quod ſpecialiter confirmatur in materia motus localis. Nam eſto præſentia alicuius corporis non ſit in ſubſtantia ſupernaturalis,ſed naturalis; ſi tamen conſeruetur ab agente fortiori, quàm ſit illud, quod motum intentat, non poterit moueri. Nam ſi gigas teneat lapidem, eſto infans illum conetur mouere, non tamen illum mouebit; ergo cùm Deus fortiori concurſu, quia ſupernaturali quoad modum, conſeruet Chriſtum in Euchariſtia, haud dubiè agens naturale viribus propriis non poterit illum mouere.

3 Dices fortè: Gratia conſeruatur in iuſto viribus ſupernaturalibus & tamen poteſt naturaliter per peccatum expelli; ergo etiamſi agens naturale non poſſit Chriſtum mouere dando illi aliam præſentiam ſupernaturalem eo modo quo eſt in hoſtia, poterit ſaltem dando illi aliam naturalem incompoſſibilem cum ſupernaturali auferre ſupernaturalem. Poteſtque id ipſum confirmari inſtantia ex actibus ſupernaturalibus; à quibus tamen naturaliter poteſt homo ceſſare.

Obiectiones & inſtantia ſoluuntur.

Reſpondeo Primò, Quidquid ſit in ordine ad alios effectus, in motu tamen locali non habere locum hanc ſolutionem; nam, vt dixi, ſi fortis gigas v. g. ſe velit conſeruare in loco, non poterit à debiliori moueri;ergo cum Deus fortiori influxu conſeruet ibi Chriſtum, non poterit ab agente naturali moueri. Reſpondeo Secundò, Etiamſi Chriſtus in cœlo naturaliter poſſit moueri à Beatis,non propterea corrumpendam vel mutandam eius præſentiam Euchariſticam (vt obiectio videtur ſupponere.) Ratio eſt clara, quia cum præſentia Euchariſtica non magis repugnat præſentia Chriſti in hac parte cœli quàm in illa, nec magis, quòd ſit in cœlo quam quod in terra,& è contrario; ergo per mutationem illius naturalis præſentiæ nihil fieret in Euchariſtica. Reſpondeo Tertio ad eas inſtantias, Illam quidem de actibus liberis non habere vllam difficultatem; quia actus liberi qua tales debent eſſe in poteſtate voluntatis, ideoque dum Deus ſe reſoluit ad dandum voluntati auxilium ſupernaturale ad illos,non potuit ipſe cogere ad illos; ſed debuit ita relinquere in poteſtate voluntatis illorum effectionem, vt ceſſare ab illis poſſet. Quæ ratio non habet locum in Chriſti præſentia;quæ vti ab homine non conſeruatur, ita non eſt actus liber illius. Addo, ipſam effectionem eorum actuum etiam eſſe ſupernaturalem. Prima verò obiectio ex gratia habituali minus vrget; quia gratia conſeruatur dependenter à libertate voluntatis quoad peccatum. Præſentia autem ſub ſpeciebus Chriſti Domini non conſeruatur à Deo dependenter ab aliena libertate: ſi enim hoc faceret, tunc poſſet ex hoc capite expelli per productionem præſentiæ naturalis, ſi aliunde id non repugnaret; vti dicemus repugnare in ſecundo noſtro argumento.

Illud autem ſit; Nam Chriſtus nequit moueri in Euchariſtia non ſolum data illi noua præſentia Sacramentali, ſed nec noua naturali, quæ ſit expulſiua prioris ſupernaturalis: cum enim Chriſtus ſupponatur in cœlis habens naturalem ſuam præſentiam,& repugnet naturaliter corpus illud habere nouam præſentiam, ſiue illa ſit extenſa, ſiue, vt dici ſolet, circumſcriptiua, ſiue definitiua, & cum penetratione partium; quia nequit Chriſtus habere naturaliter eas duas præſentias; manifeſtè ſit, nullum naturale agens naturalibus viribus poſſe dare vllam præſentiam Chriſto extra cœlum; quia hoc eſſet dare ei ſecundam præſentiam: id quod repugnat naturaliter. 4

Aliud argumentum, quo probatur Chriſtum non poſſe moueri naturaliter.

Dices: Si homo poneretur duobus in locis, poſſet in quolibet moueri naturaliter ſuppoſito illo miraculo primo, ergo etiam Chriſtus poterit vtrobique moueri naturaliter. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; Si corpus illud in vno loco exiſtat naturaliter, & in altero ſupernaturaliter quoad modum, poterit vtrobique naturaliter moueri: nego antecedens; non enim poterit niſi in eo primo loco naturali; nam in eo habet ſuam præſentiam omni modo naturalem,in altero verò non: ergo cùm Chriſtus ſolum in cœlo habeat ſuam naturalem præſentiam, ſolum ibi poterit naturaliter moueri, non verò in hoſtia. Si verò corpus illud æquè primò ponatur in vtroque loco, tunc dico vtrobique futuram illam præſentiam ſupernaturalem quoad modum, & tunc Deum determinaturum, vbi debeat illud corpus ſe mouere naturaliter, tunc enim ipſo facto Deus illam præſentiam determinaret, vt eſſet naturalis quoad modum, alteram verò vt eſſet ſupernaturalis; ac proinde in ea,quæ vt naturalis fuerit determinata, habebit ſe perinde corpus illud, ac ſi ibi ſolum eſſet. Nec debet videri alicui difficile, quòd pro ſuo libitu Deus determinet eas præſentias adeſſe naturalis vel ſupernaturalis. Nam cùm ea ſupernaturalitas non ſit niſi quoad modum, in poteſtate Dei eſt dicere, Volo hanc modo purè naturali conſeruare, perinde ac ſi nullam aliam haberet ſubiectum, illam verò modo ſupernaturali.

Corpus in duobus locis poſitum non moueretur naturaliter niſi in loco naturali.

Denique probatur ea concluſio Tertiò, quia præſentia penetratiua Chriſti non corrumpitur, niſi illius partes ponantur extra alias; hoc autem debet fieri ſucceſſiuè, vt prius extrahatur vltima ſuperficies digitorum, in ſecundo verò inſtanti ſecunda, in tertio tertia, donec omnes ſint extra ſe: hoc autem naturaliter non poteſt fieri, quia non poteſt vna indiuiſibilis ſuperficies ſola moueri. Quia ponunt præſentiam ſupernaturalem in ſubſtantia, debent iudicare hoc argumentum efficax, quia illa indiuiſibilis præſentia naturalis non poſſet continuari cum præſentia ſupernaturali; & aliunde corpus debet habere ſuam præſentiam totalem vnitam; ergo. Fortaſſe tamen adhuc quis diceret non eſſe neceſſum vt partes omnes præſentiæ ſint inter ſe vnitæ, imò id eſſe valdè dubium. vnde enim probari poteſt,omnes partes præſentiæ Angelicæ aut animæ rationalis in corpore eſſe vnitas? cur

Tertium argumentum probans Chriſtum non poſſe moueri naturaliter:

Maximè ſi ponatur Chriſti præſentia ſupernaturalis:

Digitized by Google

cur enim non ſufficiet eas eſſe contiguas? Hæc tamen euaſio ſupponit doctrinam in Philoſophia minus probabilem, de qua nobis nunc agendum non eſt; ideò adhuc argumentum illud, data ea ſententia, videtur efficax.

5 *Si autem ponatur præſentia Chriſti naturalis, difficultatem patitur.*

Maior eſt difficultas, ſi præſentia Chriſti ponatur naturalis in ſubſtantia, quia tunc etiam illa noua indiuiſibilis ſuperficies poterit continuari cum præſentia aliarum partium quæ adhuc manent ſub hoſtia; ergo ex hoc capite benè poterit illa ſuperficies moueri. Quòd verò dicebatur, non poſſe agens naturale operari in indiuiſibili, magnam habet difficultatem, licet enim reſpectu hominis & aliorum agentium naturalium, quæ indiuiſibilem illam ſuperficiem percipere non poſſunt, fortaſſe id ſit verum, in ordine tamen ad Angelum non video difficultatem in tali motu: certe ſi Angelus ſe reducat ad ſolum punctum, adhuc tamen poterit moueri localiter tam à ſe quàm ab alio: & licet daremus Deum poſuiſſe in ciſta vnam indiuiſibilem ſuperficiem quantitatiuam auri, non propterea fieret illa ciſta immobilis, aut propterea aurum illud penetraret totam illam ciſtam, vt ea mota ipſum aurum maneret in eodem loco: ergo ſaltem per accidens produceretur tunc in ea ſuperficie indiuiſibilis motus; & tamen tunc illa ſuperficies non eſſet vnita cum vlla alia, multò ergo melius poſſet id fieri, ſi eſſet vnita, licet non produceretur tunc altera pars vbicationis, cui vnitur. Et ſanè dum calor, v. g. intendit paſſum, aut ſe in extenſione dilatat producendo calorem in noua parte ligni, valdè probabile eſt, vel ſæpè produci ſolam indiuiſibilem intentionis partem, aut extenſionis, quæ præcedentibus vniatur: (loquor in ſententia Zenonis, nam in Ariſtotelica per ſola indiuiſibilia non poteſt augeri extenſio:) nos enim ſummum habemus fundamentum ad dicendum, naturaliter non poſſe exiſtere rei materialis ſuperficiem indiuiſibilem, at eam de nouo non poſſe produci, & præcedentibus addi, non poſſumus oſtendere vlla vel apparenti ratione. Vnde, omnibus penſatis, argumentum hoc tertium iudico non eſſe vllo modo efficax, ſed duo priora ſufficere. Et de prima difficultate ſatis.

Et tertium noſtrum argumentum videtur inefficax.

SECTIO II.

Quis ſit cauſa eius motus Chriſti de facto?

6 *Quæſtio proponitur & rationes dubitandi explicantur.*

SECVNDA ergo ex præſenti orta ſit, à quo moueatur ibi Chriſtus phyſicè, an immediatè à Sacerdote, an per accidens & mediatè, quatenus Sacerdos mouet ſpecies; an verò à Deo ipſo ad motum ſpecierum; an denique ab ipſis ſpeciebus per virtutem ſupernaturalem, De hac difficultate fusè agit P. Suarez diſp. 52. ſectione tota ſecunda. Ratio autem dubitandi eſt, quia ex vna parte ſpecies non ſunt vnitæ corpori Chriſti (vt diximus ſuprà,) ergo ex motu illarum non poteſt moueri Chriſtus nec quidem per accidens; ex alia verò parte Sacerdos nihil ſupernaturale phyſicè operatur dum mouet hoſtiam: id quod habet adhuc maiorem difficultatem, quando ea mouetur ab aliis, aut ab animantibus, à mure v. g. qui eam rodere poteſt; nemo enim dicet, tunc murem eleuari ſupernaturaliter ad producendum immediatè motum in Chriſto, vel in ſpeciebus. Ad Deum denique recurrere difficile eſt, quia ſi Sacerdos, aut alius dum communicat, non mouet Chriſtum ſaltem per accidens; ergo verè illum non manducat, quia manducare dicit in rigore actionem, qua manducans traiicit cibum in ſtomachum: vnde ſi Deus mihi in os iniiceret miraculosè cibum, illumque ipſe in ſtomachum tranſmitteret, non poſſem ego dici talem cibum manducaſſe. Quod argumentum cenſetur à multis efficax ad probandum, eum motum Chriſti debere omnino ſaltem per accidens prouenire ab ab eo qui mouet ſpecies.

Deinde, cùm corpus Chriſti retineat ibi ſuam grauitatem, deberet Sacerdos (eſto per accidens moueret Chriſtum) illam ſentire; ſicut qui mouet ciſtam ſentit grauitatem auri quod habetur intra ciſtam; eſto hoc ſolum moueatur per accidens; id autem eſt contra experientiam: nemo enim ſentit ibi pondus maius, quàm ſi ſpecies non eſſent conſecratæ.

Vltimò videtur eſſe difficultas ex parte ipſarum ſpecierum; nam cùm ſint ſeparatæ à ſubiecto, ſunt etiam incapaces motus ab agente naturali materiali. Maximè autem hæc ratio dubitandi videtur habere locum, ſi quantitas realiter non diſtinguatur à ſubſtantia, eo enim ipſo carebunt ibi accidentia omni quantitate, vnde agens naturale materiale non poterit illa mouere, quia non poteſt imprimere motum niſi in molem aliquam corpoream.

7 *Occurritur alicui argumento antè propoſito.*

Hæc eſt tota difficultas huius quæſtionis: cui reſpondeo breuiter; Primò; argumentum illud, quod à nonnullis valdè vrgetur, ſcilicet neceſſarium eſſe vt ipſe ſuſcipiens moueat corpus Chriſti ſaltem per accidens, quia alioquin non poſſet dici manducare Chriſtum; hoc inquam meo iudicio nullum eſſe, quia non aliam nos comeſtionem corporis Chriſti ex Fide ſcimus, quàm quòd nos ſumamus ſpecies, & Chriſtus in illis ad noſtrum ſtomachum deſcendat; ſiue motum illum Chriſti nos producamus immediatè, ſiue mediatè phyſicè; ſiue ſolus Deus illum producat præuiſo motu ſpecierum; ergo inde nihil poteſt colligi de cauſa eius motus. Secundò dico, Non videri probabile quòd Deus aſſumat eum qui ſpecies mouet ad eum motum: non enim credendum eſt aſſumi vniuerſaliter & ventum, & beſtiam, & reliqua omnia agentia, quæ mouere poſſunt ſpecies etiam poſt conſecrationem, vt immediatè ſupernaturaliter operentur in Chriſtum, vt ſupra in ratione dubitandi dictum eſt.

Obiectio de vento impellente beſtiam an miraculosè operetur.

Obiicies; id dicendum neceſſariò, licet non in Chriſto, ſaltem in ipſis ſpeciebus. Nam in mea ſententia negante quantitatem diſtinctam videtur omnino dicendum, eas ſpecies non poſſe moueri naturaliter, & verò nos id ſuprà docuimus, dum diximus accidentia moueri ex motu ſubſtantiæ, non è contrario: ergo etiam ventus dum impellit hoſtiam operatur phyſicè miraculosè; vel certè dicendum eſt (id quod etiam videtur abſurdum) ventum tunc nihil agere, ſed ſolum Deum ad eius præſentiam mouere illas ſpecies. Quòd ſi reſpondeas; Etiam illa accidentia habere ſuam impenetrabilitatem, & ratione illius naturaliter moueri à nobis; Contra, quia illa eadem numero accidentia potuerunt produci in mea manu, ac proinde potuerunt penetrare meam manum; ergo non habent vnde poſſint à me moueri: quòd enim de facto fuerunt in alio ſubiecto, non faciat ea impenetrabilia mecum, niſi quamdiu manent in eo ſubiecto.

Digitized by Google

Aliquorum ſolutio reijcitur.

Reſponderet fortaſſe quis, Ibi eſſe quantitatem Chriſti Domini, quam ego non poſſum penetrare: licet enim Pater Suarez putet Chriſtum Dominum ibi eſſe naturaliter penetrabilem, quia non exiſtit modo naturali; mihi tamen (vt ſuprà dixi) contrarium eſt longè probabilius; neque enim ex eo quòd ſupponatur penetratio vna corporis Chriſti, quales eſt ipſa Euchariſtica, ideo ſtatim licet inferre, Eſſe poſſibiles omnes alias; alioquin ſi miraculosè ego penetrarem murum, poſſent iam eo ipſo alij naturaliter me & murum penetrare: quod haud dubiè falſum eſt: ſuppoſita ergo vt omnino certa ea impenetrabilitate naturali Chriſti Domini cum aliis corporis reſponderi poſſet, Ratione illius nos non mouere ſpecies; quia ſi intra digitos hoſtiam ſumamus, cùm eam penetrare non poſſimus, trahemus illam nobiſcum. Sed contrà, quia iam oſtendi paulò antè, non poſſe nos naturaliter dare Chriſti corpori nouam præſentiam: vnde naturaliter loquendo, ſicut hoſtia eſt à nobis immobilis; ita eſt impenetrabilis; ergo ea quantitas Chriſti Domini omnino eſt inutilis ad explicandum, quo pacto nos moueamus naturaliter ſpecies; aliunde ergo quærenda eſt difficultatis ſolutio.

8 Melius reſpondetur: Deus ad myſterium occultandum vti dat abſolutè poteſtatem ſaltem mediatè Chriſtum mouendi; id quod naturaliter alioquin fieri non poteſt; ita etiam facit ea accidentia impenetrabilia ſua voluntate negando nobis concurſum, vt in eodem loco cum illis producamus vbicationem, non aliter ac ſi ibi eſſet ſubſtantialis quantitas: hoc autem miraculo ſuppoſito ſequitur naturaliter, quod poſſimus trahere ſpecies nobiſcum, non aliter quam trahimus naturaliter alia corpora; ac proinde non eſt neceſſum admittere eleuationem phyſicam in quacumque re mouente ſpecies; ſed potius quod illa res impediatur habere vbicationem in eodem loco cum ſpeciebus.

Reſponſio ſolidior, Mediatè Chriſtum mouere ad occultandum myſterium

Dices: Ex eo quòd ego non poſſem penetrare ſpecies non colligitur me habere vim illas trahendi mecum: nam ſi Angelum Deus vellet non eſſe penetrabilem nobiſcum, non ideò illum poſſem ego mecum trahere. Reſpondeo: Vel Angelus eo caſu reſiſteret motui, & tunc eſſet perinde ac murus, quem ego nec penetrare poſſum, nec ſuo loco mouere: vnde cogor illum in ſuo loco relinquere, & ego debeo manere extra eius locum, vel Angelus nollet reſiſtere, & tunc ex eo capite poſſem illum trahere mecum. Dico *ex eo capite*, quia cùm Angelus ſit ſubſtantia ſpiritualis, non videor habere virtutem, vt immediatè in illo producam ego vbicationem, licet hoc ipſum vocari poſſit in dubium; nam de facto habemus virtutem indirectè producendi vbicationem in anima ſpirituali mouendo corpus alterius hominis, cui illa eſt vnita. Quidquid igitur de Angelo ſit, certum eſt nos habere vim producendi vbicationem in accidentia materialia, quando illa ſunt impenetrabilia nobiſcum; ſiue ea impenetrabilitas oriatur ex intrinſeca quantitate, ſiue ex voluntate Dei; quia in ordine ad trahenda illa nobiſcum, aut impellenda, eadem eſt ratio. Conſtet ergo non eſſe neceſſarium eleuari nos ad ſupernaturaliter producendum motum in ſpeciebus. Hinc

9 Dico Tertiò, Chriſtum Dominum moueri per accidens ex motu ſpecierum; vtrùm autem hic motus fiat à Deo ſolo, an verò ab ipſis ſpeciebus eleuatis à Deo ad inſtrumentaliter producendum illum; res eſt dubia, nec video vnde poſſit determinari: vtroque enim modo id poteſt fieri loquendo diuinitus; naturaliter autem, vt diximus, neuter ex illis eſt poſſibilis; quem verò de facto Deus elegerit, omnino eſt incertum, cùm neque Fides, neque ratio, neque vlla alia auctoritas id oſtendat ſufficienter: ſi autem diuinare liceat, putarem à ſolo Deo id fieri; quia concedenda non eſt de facto eleuatio creaturæ ad producendum phyſicè effectum ſibi improportionatum, niſi habeamus aliquam rationem quæ nos cogat; nullum autem in præſenti habemus, ergo.

Chriſtus mouetur per accidens ex motu ſpecierum à ſolo Deo.

Dices: In contrarium ſtat illud commune principium, Non eſſe ad Deum recurrendum quando poſſumus per cauſas ſecundas. Reſpondeo, Id verum eſſe quando cauſæ ſecundæ poſſunt eſſe naturaliter proportionatæ ad illos effectus; ſeu, quando agitur de effectibus, qui naturaliter poſſunt fieri: at quando illæ cauſæ ſecundæ ſunt ex ſe omnino incapaces naturaliter loquendo, non debemus dicere; eleuari à Deo miraculosè, ſed potius Deum ipſum per ſe producere illum effectum; & ob ſimilem ferè rationem excluſimus ſuprà cauſalitatem phyſicam noſtrorum Sacramentorum in gratiam; quia connaturalius philoſophamur, ſi tales effectus ſupernaturales, qui per ſe nullam petunt cauſam creatam, dicamus à Deo ſolo produci; quam ſi extraordinariam admittamus eleuationem.

Et hinc reſponderi facilè poteſt ad omnes rationes dubitandi, quæ ſuprà ſunt tactæ, quatenus huic doctrinæ aduerſari poſſunt. Ad primam oſtenſum eſt non eleuari eum qui mouet ſpecies ad vllum miraculum, ad ſecundam, quòd neceſſum ſit eum qui ſuſcipit Chriſtum cauſare eum motum; vt dicatur comedere Chriſtum, iam oſtendi ſatis eſſe, ſi homo ipſe ſpecies traiiciat, & Chriſtus cum illis traiiciatur in ſtomachum, ſiue motus ille Chriſti cauſetur immediatè à ſpeciebus eleuatis, ſiue à Deo ſolo. Quod dicebatur de grauitate Chriſti corporis, quæ à nobis non ſentitur, non vrget; tum quia Deus ipſe illum mouet: vnde ſi Angelus moueret aurum incluſum in ciſta, quando ego moueo ciſtam, nequaquam ego vllum ſentirem auri pondus; tum quia fortaſſe corpus vti glorioſum non habet ibi vllam grauitatem: ſed de hoc alibi. Et de motu locali Chriſti ſatis.

Reſpondetur rationibus dubitandi.

SECTIO III.

An aliquid aliud poſſit ibi Chriſtus pati?

Qværimvs, An Chriſtus alias qualitates poſſit ibi pati, calorem v. g. frigus, &c. 10
Negari ſolet communiter, quia qualitas materialis debet eſſe neceſſario extenſa; ergo non poterit in Chriſto ad punctum redacto produci. Secundo, quia omne quod recipitur eſt ad modum recipientis; ſed recipiens habet præſentiam ſupernaturalem, ergo & receptum illam debet habere: atqui naturali virtute non poteſt calori dari præſentia ſupernaturalis, ergo nec produci ibi calor. Hæc argumenta non vrgent. Non primum, quia non video cur in indiuiſibili non poſſit res materiales produci; nec facilè poterit mihi perſuaderi, ſi poneretur vnum indiuiſibile ſtupæ

Non poteſt Chriſtus in Euchariſtia pati calorem, frigus &c.

Duo argumenta quæ id probant non habent vim.

Digitized by Google

ſtupæ intra ingentem ignem, v. g. intra fornacem Babylonicam, fore vt illud indiuiſibile reſiſteret tanto igni, & vt non magis calefieret, quàm ſi eſſet intra magnam niuem; certè hoc naturali lumini contrarium videtur. Non item vrget ſecundum, quia non eſt neceſſarium vt præſentia accidentis conformetur cum præſentia ſubiecti quoad ſupernaturalitatem. Addo, in mea ſententia illam præſentiam ſubiecti ſolum eſſe ſupernaturalem quoad modum, quatenus vna pars penetrat alteram, & datur illi ſecunda præſentia retenta alia in cœlo, quæ naturaliter illi repugnat; in caloris autem præſentia nihil horum reperiretur, quia nec calor naturaliter eſt impenetrabilis cum alia parte caloris, nec qui eum producit ponit illum immediatè in duobus locis.

Impugnatur aliter ſuperius argumentum.

Secundò, propterea non vrget illud argumentum, quia aliud eſt producere rem indiuiſibilem, aliud eam producere in loco indiuiſibili. Agens in eo caſu non produceret rem indiuiſibilem, ſed diuiſibilem; quia produceret pro toto corpore Chriſti calorem: vnde ex eo capite nulla eſt repugnantia; quòd verò ille calor eſſet in loco indiuiſibili, non haberet ab agente: agens enim prius natura calorem produxit in ſubiecto, vbicationem verò non dedit, ſed ea ſecuta eſt ex ipſius corporis vbicatione: id quod iam non pertinet ad cauſam caloris; & meo iudicio id clariſſimè oſtendo. Nam poteſt fieri etiam in productionibus, quæ naturaliter contingunt, vt priùs natura calefiat paſſum, quàm moueatur loco, ac proinde vbicatio ſit natura poſterior: v. g. calefit paſſum, & ex ipſo calore in altum eleuatur corpus (vt in bulliente aqua cernitur) profectò cauſa eius eleuationis ſeu vbicationis non eſt ignis calefaciens, ſed ipſemet calor productus qui eleuat ſuum ſubiectum; igni autem calefacienti per accidens eſt, quod deinde ea ſequatur vbicatio altior, aut quòd ea impediatur per alterum corpus ſupra poſitum; vltra quod non poteſt calor ille exurgere; ergo agenti danti corpori Chriſti calorem per accidens eſt, quòd calor ille deinde ab ipſo corpore aut à tenente corpus trahatur ad ſpatium indiuiſibile. Confirmo: Si Deus dicat, Caſu quo ignis ſtupam calefaciat, volo poſterius natura ponere illam in indiuiſibili; profectò nemo dicit, eo ipſo naturaliter impediendum ignem ne calefaciat ſtupam.

Confirmatur impugnatio.

11 Dices: Requiritur ad agendum approximatio; ergo ante eam calefactionem debet ſupponi ſtupa applicata igni: atqui ea applicatio debet eſſe per extenſionem ipſius ſtupæ; ergo non poteſt in eodem inſtanti poſterius natura ea ſtupa tota penetrari. Reſpondeo, A me fuſè probatum in Phyſicis, approximationem agentis ad paſſum non ſe tenere in priori natura ante operationem, ſed vel in præcedenti reali inſtanti, vel in eodem, poſterius tamen natura. Etenim vt ego imprimam impulſum lapidi, non minùs eum debeo habere vicinum, quam ignis ſtupam vt eam calefaciat; imò multò magis, quia impulſus maiorem requirit contiguitatem cum corpore impellendo; & tamen certiſſimum eſt, in priori natura ante impulſum non præcedere approximationē, quia & ipſe impulſus non niſi per motum imprimentis cauſatur, & ipſe mouet eo inſtanti corpus, in quo imprimitur: ſolum ergo debuit corpus illud prius tempore fuiſſe præſens manui, vel certè non poſitiuè abſens. Idem eſt in productione caloris; nam (vt paulò antè dixi) aqua in inſtanti quo recipit in ſe calorem, mouetur in altum à calore; ac proinde non potuit in eo inſtanti prius natura ſupponi approximata, quia cum nulla vbicatione ſupponebatur. Ergo fieri poteſt vt Deus dicat; *Si ignis calefaciat ſtupam, eam ego poſterius natura reducam ad punctum*: quo caſu licet ea reductio futura poſterius natura eſſet omnino quoad modum miraculoſa, non tamen propter ipſam calefactio ſtupæ redderetur miraculoſa. Vnde clarè colligitur, poſſe optimè ex ſe agentia naturalia producere calorem in corpore Chriſti; etiamſi ille calor poſterius natura ſit habiturus penetrationem ratione ſubiecti. Dixi, agentia habere ex ſe vires ad eas qualitates producendas; quia cum iam ſupponatur Chriſtus impaſſibilis, non poteſt pati quidquam. Secundò, quia cum qualitates, quas habet in cœlo, ita retineat, vt eas amittere non poſſit, nec poſſit naturaliter agens producere in vno loco qualitatem niſi expellendo contrariam illius quam corpus habet in alio loco, non poteſt naturaliter in Chriſto in Euchariſtia quidquam produci; eſto ratione modi illius indiuiſibilis exiſtendi non oriatur ea repugnantia. Fortaſſe lucem poſſet producere, quia hæc non habet contrarium, nec eſt qualitas corruptiua; ſed quia probabiliter in cœlo habet iam omnem intenſionem lucis, non poteſt illam naturaliter augere. Et hæc de capacitate paſſiua Chriſti.

Aliæ rationes afferuntur, ob quas Chriſtus in Euchariſtia pati non poſſit.

SECTIO IV.

An in alios agere poſſit Chriſtus naturaliter?

MAIOR eſt in hoc puncto ratio dubitandi quam in præcedenti; quia vt agens aliquid agat in paſſum, non videtur vllo modo neceſſaria extenſio eius agentis, quin potius, quia virtus vnita fortior eſt, facilius videtur operaturum quàm ſi eſſet extenſum. 12

Rationes aliquorum, quibus repugnantiam oſtendūt, refelluntur.

Dices: Requiritur contactus phyſicus agentis cum paſſo. Sed contra, quia contractus phyſicus eo modo requiſitus præciſè conſiſtit in præſentia vicina paſſo: non enim cogitandum eſt eum contractum eſſe aliquem actum ſenſationis, aut quid ſimile; ea autem vicinitas præſentiæ iam eſt in Chriſto reſpectu hoſtiæ v. g. imò multò maior quam habeant alia agentia; ergo. Ideò Secundò alius dicet, Eam approximationem requiſitam debere eſſe per præſentiam naturalem, quæ ibi non eſt. Sed contra, quia id omnino gratis dicitur. Nam ſi ignis in tota ſua extenſione manens acciperet præſentiam ſupernaturalem; nemo ideo dicet eum non calefacturum, aut illuminaturum. Ratio eſt, quia præſentia non influit, ſed eſt pura conditio, ne agens agat in diſtans; ad hoc autem per accidens omnino ſe habet ſupernaturalitas aut naturalitas illius præſētiæ. Contra Secundo, quia iam oſtendi ſurpà præſentiā Chriſti eſſe in ſubſtātia naturalē.

Ratio Cardinalis Lugo.

Cardinalis Lugo diſp. 9. ſect. 1. benè agnoſcit non eſſe rationem ſolidam, quæ repugnantiam vllam oſtendat. Ne tamen dicamus continuum ibi eſſe miraculum in eo quòd qualitates Chriſti Domini non operentur in paſſum vicinum, hanc adducit repugnantiam, quod ſcilicet talis actio eſſet ex vna parte naturalis, vt ſupponimus, & ex altera non eſſet; quia non contineretur intra numerum actionum naturalium, quas corpus Chriſti poteſt habere; nam actiones illæ omnes inæqualiter reſpiciunt effectum ob inæqualem diſtan-

Digitized by Google

diſtanriam à paſſo : magis enim pender actio à parte viciniori quam à remotioti, quia quæ eſt vicinior, fottius agit quam remotior. Atqui in Chriſto cum non magis diſtet vna pars quam altera, non magis vna influet quàm altera. Quòd ſi ei obiicias; Ergo ſi duo ignes extenſione propria retenta penetrarentur, calefacere non poſſent; quia etiam illi talem cum paſſo haberent approximationem, cui naturaliter non poſſunt ſimilem habere; Reſponder, Ex caſu à Deo determinandum vnum ex illis ignibus vt operetur; quia quando ex abundantia virtutis non poteſt agens prodire in operationem, ad Deum ſpectat determinare, quod ex illis agentibus operaturum ſit. Verùm hæc ſolutio applicari etiam poteſt ad noſtrum caſum, nam cùm Chriſtus ſit non ſolum in vltima parte hoſtiæ, ſed etiam in tota, facilè poſſemus dicere, Deum determinaturum tunc vt vna pars Chriſti operetur ex præſentia vicima, altera ex remotiori, tertia ex magis adhuc diſtanti, vſque ad partes quæ vnam hoſtiam integrarent; ita vt aliæ præſentiæ viciniores earum duarum vel trium partium ſe habeant per accidens ad operationem illam. Fortaſſe facilius & inſtantiæ poſſet reſponderi, Duos illos ignes in ſe extenſos, vnum tamen cum altera penetratum, non habere nunc cum paſſo approximationem talem, cui ſimilem ambo habere non poſſunt naturaliter, eſto eſſent extra ſe: nam ſi eſſent in æquali diſtantia, & ante ſe haberent paſſum quaſi in termino vno triangulari, & ipſi in aliis duobus punctis eſſent non minus æqualiter applicati illa paſſo, quàm ſie ſſent inter ſe penetrati.

Obiectioni reſpondet Lugo.

Eius reſponſio non ſatisfacit.

Alia reſponſio facilior.

13 Dices: Etiam eo caſu non daretur æqualis abſolutè approximatio; nam licet reſpectu mediæ partis ipſius paſſi eſſent æqualiter approximati illi duo ignes, non tamen abſolutè reſpectu totius; nam agens à dextris eſſet vicinius ſiniſtræ parti paſſi, quam eſſet agens à ſiniſtris; & è contrario hoc eſſet vicinius dextræ parti paſſi, quàm eſſet alterum agens: ſi autem eſſent penetrata, eſſent omnino æqualiter applicata eiſdem partibus paſſi. Reſpondeo, Certum eſſe, poſſe naturaliter illas ipſas partes paſſi ita diſponi, vt quælibet maneat non magis aut non minus approximata cuilibet parti agentis, quando duo illi ignes ſunt penetrati, quam forent ſi eſſent extenſi: & claritatis gratia pone duo agentia, quodlibet habens quatuor puncta; & paſſum etiam habens quatuor, ſi duo hæc agentia eſſent penetrata, duo ipſorum puncta A diſtarent duobus punctis à puncto A paſſi, tribus à B, quatuor à C, quinque à D: pone ea duo puncta agentium extra ſe, nónne poteſt poni punctum A in æquali diſtantia ab illis duobus? ſimiliter poteſt punctum B, ſi ponatur poſt A, in eadem linea manere æqualiter diſtans ab vtroque puncto A agentis: & idem dico de puncto C & D: & quod iam dico de vno, poſſumus dicere de duobus & tribus. Facilè ergo ex hoc capite potuiſſet hic auctor aſſignare diſparitatem inter ea duo agentia & inter corpus Chriſti. Quidquid verò de replica hac ſit, abſolutè iudico eam rationem eſſe inſufficientem: valdè enim dubium eſt, An ſuppoſito quòd ad operandum non ſit neceſſaria præſentia immediatè agenti cum paſſo, ſed ſufficiat vel ſolà approximatio producendo aliquid in medio, vel attingendo per vnam partem ſui paſſum; valdè inquam dubium, An in hoc caſu non agat æqualiter pars ramota cum proxima: & licet ad maiorem intenſionem producendam in paſſo fortè iuuet approximatio, ſi tamen re ipſa vtraque pars agentis influit in eam actionem, non capio, qui magis vna pars influat in eam actionem quàm altera; aut cur ab vna parte magis pendeat quam ab altera, cum ſine qualibet nec quidem diuinitus eſſe poſſit, & quælibet præcisè influat vt vna cauſa partialis in eodem omnino genere cum alia. Secundò, ideò mihi ea ratio diſplicet, quia ſaltem ſucceſſiuè potuerunt illæ partes eſſe æqualiter approximatæ huic paſſo; & tunc potuerunt habere ſuas partiales actiones, quæ ſunt eiuſdem rationis omnes, & capaces continuationis: ſegreget ergo Deus eas omnes partes actionis, quas in eis diuerſis occaſionibus poterant habere illæ partes Chriſti, ſi fuiſſent applicatæ ſucceſſiuè in ea diſtantia, in qua iam ſunt, & eas det hîc & nunc profectò habebunt eo ipſo vnam actionem totalem omnino in ſubſtantia naturalem. Vnde cenſeo, hanc rationem non ſolum non eſſe demonſtrationem, vt & fatetur ipſius Auctor, ſed nec ſufficere vt propter illam negemus eam cauſalitatem.

Exemplo res illuſtratur.

Cardinalis Lugo ratio refutatur tanquam inſufficiens.

Dicendum ergo iudico, omnibus penſatis longè probabilius eſſe, poſſe ex ſe naturaliter Chriſtum in Euchariſtia agere paſſum vicinum: & ita indicant Nominales, OcKam. in 4 quæſt. 4. Aliacus quæſt. 5. artic. 2. Gabriel lect. 45. in Canonem, & Maior in 4. d. 10 quæſt. 5. quia reuera nulla eſt ratio repugnantiæ; imò illa penetratio agentis conducere videtur ad melius operandum, quia quò virtus eſt magis vnita, eò eſt fortior; neque eſt neceſſum vt modus agendi ſequatur modum eſſendi; id eſt, vt ſi agens eſt in indiuiſibi, etiam illius effectus ſit in indiuiſibili, De quo puncto dixi alibi ſæpè: vti enim Deus indiuiſibilis & ſpiritualis producit res materiales & diuiſibiles; & Angelus indiuiſibilis poteſt mouere rem diuiſibilem, motum diuiſibilem in ea producendo: ita à fortiori qualitas illa in ſe diuiſibilis, per accidens tamen penetrata, poterit optimè producere calorem diuiſibilem, & habentem ſuam naturalem collocationem partium. Dixi, Chriſtum quantum eſt ex ſe poſſe ibi operari: de facto enim nihil operatur Deo miraculosè impediente omnem actionem ad occultandum myſterium. 14

Probabilius eſt, ex ſe poſſe Chriſtum in Euchariſtia agere naturaliter:

De facto tamen nihil agit.

Dices: ergo ponimus ibi perpetuum miraculum; hoc autem vitaremus, ſi diceremus Chriſtum non poſſe ibi naturaliter operari. Reſpondeo, Non poſſe illud miraculum vitari niſi inuertendo Philoſophica principia, hoc autem non debemus facere, cum aliunde conſtet in eo myſterio alia multo maiore eſſe miracula, & etiam perpetua; vt ſunt conſeruatio accidentium ſine ſubiecto, exiſtentia ipſius Chriſti, motus Chriſti, &c.

SECTIO V.

An Chriſtus in Euchariſtia poßit actus tam materiales quàm ſpirituales cognitionis & appetitus exercere?

PRIMO quærimus, An Chriſtus, prout eſt in hoc Sacramento, poſſit exercere actus ſenſuum externorum, Affirmant Nominales apud Suarez ſect. 3 quia cum dicant Chriſtum poſſe ab aliis agentibus pati, conſequenter docent, eum poſſe ab obiectis recipere ſpecies intentionales 15

nàles

nales pro viſione, auditione, &c. Alij è contrario addunt, nec quidem diuinitus poſſe eos actus fieri; quia corpus inextenſum nec diuinitus poteſt videri ab aliis; ergo neque ipſum poterit alia videre. Alij denique media via incedentes dicunt naturaliter id fieri non poſſe, poſſe tamen de potentia abſoluta.

Chriſtus de potentia abſoluta poteſt exercere tales actiones; naturaliter non poteſt.

Ego in primis non dubito id fieri omnino poſſe de potentia abſoluta, quia nec leuis adducitur repugnantia in contrarium, vt conſtabit ex dicendis paulò poſt. Secundo dico valdè dubium eſſe, an non etiam naturaliter poſſit eos actus exercere, quia reuera nulla adducitur omnino conuincens ratio; iudico tamen probabilius id non poſſe fieri, quia potentiæ externæ, maximè viſus & auditus, videntur requirere localem aliquam extentionem pro ſuis actibus: hæc autem in Chriſto non habet locum. Deinde ſi pupilla ſit infecta aliquo colore, iam non poteſt videre; ergo cum in Euchariſtia in loco ipſo, vbi eſt pupilla, ſint omnes colores totius corporis Chriſti, valdè difficulter intelligitur, quomodo poſſit ibi fieri viſio. Præterea eſt valdè probabile, ſpecies intrantes per oculum vſque ad locum, vbi fit viſio, aliquo modo ex ipſa figura circulari oculi aut intendi aut perfici; id quod non poſſet fieri, ſi locus ipſe, vbi fit viſio, eſſet in plano, vti eſt in hoſtia reſpectu ſpecierum venientium per medium. Denique probabiliter requirit potentia viſiua certum temperamentum coloris, frigoris, &c quòd ſi turbetur, non poſſit exire in actum, idem dico de ſiccitate & humore. Cum autem in Euchariſtia totus calor ſummus cordis, totus humor ſanguinis ſit in eodem loco, vbi eſt pupilla, etiamſi non ſit vnius pupillæ; videtur tamẽ haud parum obeſſe ei viſioni. Hoc etiam habet locum in luce maiori adhuc cum fundamento; nam quando nimia lux perſtringit pupillam immediatè, non poteſt illa efficere viſionem; ergo cùm in Euchariſtia totius corporis glorioſi Chriſti lux ſit in loco pupillæ, probabiliſſimè naturaliter loquendo impedietur illa ab effectione viſionis. Hæc omnia haud du-

Probatur in potentia viſiua.

16 biè oſtendunt probabilius eſſe, non poſſe ibi fieri naturaliter viſionem. Dico probabilius, quia cùm non poſſimus certò ſcire quibus rebus indigeat potentia viſiua pro actu viſionis, non poſſumus facilè dicere, certò ibi illum non habere locum. Et ad rationes, quas adduximus, facilè aliquis poſſet ſatis plauſibiliter reſpondere, ad primam, quod potentia non debeat eſſe infecta aliquo colore. Dicet quis, Ideò id in nobis requiri, quia talis color ordinariè eſt opacus, ſeu in corpore opaco, ideóque non dat locum vt ſpecies colorum tranſeat, pupillam autem in Euchariſtia eſſe in ipſa exteriori ſuperficie, vbi ſunt colores illi, ac proinde non impediri quò minus immediatè accipiat ſpecies colorum: non enim debet concipi quaſi ſpecies Sacramentales ſint ſupra Chriſtum, & quaſi tegumentum ſub quo ille lateat; eſt enim in ipſa exteriori ſuperficie ſpecierum. Secunda ratio de attenuatione ſpecierum inde poteſt ſolui, quòd eſto ea attenuatio aut commenſuratio ſit neceſſaria, poteſt tamen illa in Chriſto aliunde fieri ſæpè vel per lucem maiorem medij, vel per minorem, prout ſæpè contingit, & ſummum ex ea ratione ſequitur poſſe aliquando tales eſſe ſpecies, & tam parum attemperatas, vt non poſſit tunc Chriſtus elicere viſionem, at id ſemper contingere non oſtendit. Ad tertiam de temperamento dici poteſt, illas qualitates non obeſſe potentiæ in ordine ad operandum, niſi ſint receptæ in ipſa potentia, cùm autem quantumuis in Euchariſtia ſint illæ omnes in eodem loco, non tamen recipiantur in potentia niſi illæ, quæ ſunt ei omnino debitæ, poterit potentia illis non obſtantibus operari. Video hanc ſolutionem aliquam pati difficultatem, quia potentiæ materiales ſæpè ab extrinſeco agente, vicino tamen, impediuntur, vti iuxta probabiliorem ſententiam obiecta olfactus, tactus & guſtus determinant ad operandum ſine ſpeciebus vllis, ſed immediatè per ſeipſa. Verum quia eæ naturales cauſæ requirunt ſæpè diuerſiſſimas conditiones, & quæ vni obeſt, alteri prodeſt; ideò eſt difficillimum certi aliquid decidere in hoc puncto; ſufficiat oſtendiſſe quæ in vtramque partem poſſunt excogitari.

Nihil tamen certi ſtatui poteſt.

Vt patet ex ſolutione argumentorum pro contraria opinione allatorum.

Ego ſanè magis propendeo vt dicam, non poſſe ibi actus hos viſionis & auditionis naturaliter exerceri; quia licet argumentis paulò antè factis non conuincatur id euidenter, non tamen carent magna probabilitate. Dixi in viſu & auditu, quia de olfactu non habemus tantum fundamentum vt id dicamus: non enim videtur his diſpoſitionibus egere pro ſua operatione, licet & hoc ipſum nobis ſit ſatis occultum; in tactu autem & guſtu crediderim poſſe valdè probabiliter admitti, locum habere in Chriſto, quia experimur in tactu, ſi nimio calore, vel frigore, aut ſubtiliſſimæ acus punctura quæcumque etiam indiuiſibilis quodam modo pars manus, pedis, aut alterius membri humani corporis tangatur, fieri ſenſationem. Nec dubito, quin ſi vel in vnico ſolo puncto manus poneret Deus miraculosè intenſiſſimum calorem, eo ipſo ille ſentiendus eſſet per tactum; ergo inextenſio Chriſti in Euchariſtia non impediet ſenſationem tactus: id quod ſuo modo locum habet in guſtu, qui inexigua aut indiuiſibili parte linguæ ſaporẽ percipit. 17

Quanquam omnino probabilius ſit, actus viſionis & auditionis naturaliter exerceri non poſſe De olfactu nil certi eſt: de tactu & guſtu eſt dicendum, poſſe probabiliter concedi.

Secundò quærimus, An poſſit etiam Chriſtus exercere actus ſenſus interioris. Opinabitur fortè quis, illum minori indigere organizatione pro his actibus quàm pro externis. Verùm hoc ipſum nobis eſt planè ignotum, quia vix ſcimus locum vbi illi actus fiant, multò autem minùs quam ibi extenſionem aut quas habeant ſpecierum collocationes; ideò vix audeo quidquam determinare: non enim libenter diſcurro purè diuinandò. Fortaſſe ſatis probabiliter ex ſomno poſſet quis ſic diſcurrere; Experimur aſcendentibus vaporibus impediri in capite omnem operationem ſenſuum internorum, quando ſine ſomnio dormitur; ergo ſenſus ille vt operetur requirit, ne circa ipſum ſint humores nimij: atqui quando totum corpus eſt penetratum, multò plures humores ſunt circa illum ſenſum, quàm in ſomno poſſunt eſſe; quia in ſomno non omnes ex toto corpore illuc confluunt, ſed pauci aliqui: in illa autem penetratione omnes omnino qui in corpore ſunt, ſunt etiam in eodem loco ſenſus interni; ergo ille tunc non poterit operari. Nec poteſt hic recurri ad vnionem eorum humorum cum ſenſu; quia cum humores hi ſint corpora diſtincta, non vniuntur phantaſiæ, ſed præcisè ſunt iuxta eam localiter: hoc autem ſine dubio habent etiam in ea penetratione, & quidem multò magis, quia magis ſunt intra locum phantaſiæ, ergo multò magis erunt obſtaculum pro eis actibus. Quæ ratio fortaſſe alicui videbitur efficax pro hoc intento. Et dicet minus benè me dixiſſe, non niſi diuinando poſſe

Satis probabiliter negantur actus ſenſus interioris.

Digitized by Google

18 nos quidquam aſſerere in hoc puncto.

Obiectioni occurritur.

Fortè in contrarium obiicies: Sæpè non obſtantibus iis humoribus operatur phantaſia, imò maximè tunc, vt apparet in ſomniantibus; ergo in abundantiam humorum non benè reiicitur impoſſibilitas naturaliter operandi. Reſpondeo, Saltem infertur inde, per eos humores impediti naturaliter rectum vſum rationis; ergo cùm Chriſtus non ſit capax phantaſiarum illarum erroneatum, ſaltem ex hoc capite erit indirectè incapax operandi ibi naturaliter, quia illi humores potiùs turbant quàm rectas cauſent operationes. Secundò Reſpondeo, Etiamſi aliquando excitent ob ſympathiam ſpecies aliquas, ſæpè, & fortè ſæpiùs, totaliter eas impedire; hoc autem mihi ſufficit, vt inde colligam omnino eſſe neceſſarias & ad bonam & etiam ad omnem operationem phantaſiæ certas diſpoſitiones organi, abſentiam humorum, & ſimilia; de quibus poſſumus valdè probabiliter dicere, non eſſe in Chriſto in Euchariſtia, quia penetratio omnium humorum cum ea pupilla probabiliſſimè turbabit aliquid de ea diſpoſitione, & ſaltem impediet eam humorum carentiam ſeipſa formaliter & immediatè. Concludo ergo, vel rem eſſe dubiam, vel magis probabile, non poſſe ibi eos actus fieri, & hinc

Actus appetitus facilius concedi poſſunt:

Vltimò dico, Eodem modo diſcurrendum de actibus appetitus, qui exigere etiam videntur aliquam extenſionem; licet & hoc ipſum ſit dubium. Ratio huius dubij eſt, quia actus ſenſationis cùm fiant per ſpecies receptas ab obiectis, faciliùs poſſunt impediri per extrinſecum agens, quàm impediatur actus appetitus, qui à ſola anima fit.

Dices; Actus appetitus pendet à phantaſiæ actibus; ergo ſi hi non poſſunt ibi exerceri, ſaltem ex hoc capite non poterunt actus appetitus. Reſpondeo, Hanc eſſe aliam quæſtionem, de qua ſtatim.

19 Circa actus intellectus diſtinguendum eſt: ſi enim ſint aliqui qui fiant independenter à ſenſibus externis & à phantaſia, fateor in his nullam omnino eſſe difficultatem, quia poſſunt fieri in indiuiſibili ſpatio, & ab anima ſeparata à corpore, ergo etiamſi corpus exiſtat in indiuiſibili: alij ſunt qui pendent à phantaſia; & de his eſt maior difficultas, vtrùm poſſit ibi fieri determinante ad id phantaſiæ actu, quem Chriſtus habet in cœlo. Quæ difficultas extendi eodem modo poteſt ad amorem, vtrùm ſcilicet ſufficiat Chriſtum in cœlo cognoſcere ad hoc, vt amet in Euchariſtia: eſt etiam communis ad appetitum materialem, vtrùm ille poſſit in Euchariſtia determinari vi actus phantaſiæ ſolùm in cœlo exiſtentis. Aduerte autem, difficultatem hanc communem eſſe ad omnem hominem, aut Angelum, duobus in locis ſimul exiſtentem, vel ad Angelum occupantem ſpatium vnius ſcholæ v. g. an eſto in vno ſolo angulo illius haberet actus intellectus, poſſet elicere amorem in altero angulo. Affirmant Pater Suarez ea diſp. 52. ſect. 3. Vaſquez diſp. 19. num. 27. & 28. & alij. Iudico eſſe neceſſariam aliquam diſtinctionem ex Philoſophia: Vel enim phantaſiæ actus concurrit efficienter ad intellectionem (vt quidam docent) immediatè, vel, vt alij, mediatè producendo nouam ſpeciem, quæ producat cognitionem intellectualem: vel ſolùm concurrit quaſi formaliter illuminando intellectum, & eo modo illum excitando ad cognitionem eius obiecti. De quo puncto iam non eſt agendum: non enim res eſt huius loci; ſolùm ergo in præſenti declarandum, quomodo quilibet diſcutere debeat in præſenti iuxta principia quæ in Philoſophia tradidit. Hoc poſito, dicimus, ſi priorem opinionem ponamus, aſſerendum eſſe, non ſufficere phantaſiam diſtantem ad intellectum determinandum, quia cauſa efficiens requirit indiſtantiam à paſſo, vt fuſiùs tradidimus in Philoſophia. Si verò dicatur ſecundum, ſcilicet phantaſiam, etſi prima vice, quia intellectus non ſupponebatur habere ſpecies eorum obiectorum, concurreret dando illi ſpecies; ſecunda tamen & tertia vicè maximè concurrere illuminando, eſto ſimul priores ſpeciens intendat: id quod per accidens videtur eſſe ad eam excitationem: ſi inquam dicatur hoc, conſequenter etiam dicendum erit, poſſe in Euchariſtia determinari Chriſtum à phantaſia in cœlo præciſè exiſtente; quia cùm anima ſeu intellectus ille ſit idem vtrobique, neceſſum eſt, vt ſi ille qui eſt in cœlo cognoſcit, cognoſcat etiam ille qui eſt in terra, quantumuis cognitio non ſit niſi in cœlo; ex quo capite oſtendi fuſiùs ſuo loco, non poſſe animam ſimul amare & odio habere idem obiectum, aut eidem aſſentiri, aut diſſentiri, quantumuis ſit in duobus locis; quia non minùs illa anima, quæ eſt in duobus locis, ſcit rem ex cognitione præciſè in vno loco exiſtente, quàm ſi vtrobique cognitio illa eſſet: vnde ſi eo caſu ego interrogarem eam animam Romæ, Quid ſcis de hoc obiecto? reſponderet, Scio per cognitionem quam Pragæ habeo illud exiſtere; ergo ſufficeret ea cognitio, vt intellectus ſciret, quid deberet facere Romæ in Euchariſtia. Hinc colligitur, cùm actus intellectus in ſententia ferè certa non concurrat effectiuè, ſed ſolùm illuminatiuè ad volitionem, omnino poſſe voluntatem Chriſti amare in Euchariſtia ex directione ſeu illuminatione intellectus ſolùm exiſtente in cœlo; & idem dico de actu appetitus reſpectu cognitionis materialis phantaſiæ: & ita data ea ſuppoſitione docet Cardinalis Lugo diſp. 9. ſect. 2. Et ſatis iam de actibus, quos ipſe Chriſtus poteſt efficere.

Similiter actus intellectus, qui non pendent à phantaſia: De altis, qui pēdent à phantaſia non ita certū eſt Par eſt quaſi de amore in homine repreducta.

Reſpondetur cū diſtinctione petita ex Philoſophia.

Poteſt voluntas Chriſti in Euchariſtia amare ex directione intellectus exiſtēs in cœlo.

SECTIO VI.

Quomodo poſſit Chriſtus in hoſtia videri & cognoſci ab aliis?

NVNC videndum, Vtrùm ibi exiſtens poſſit ab aliis videri tum oculo corporeo, tum naturaliter per intellectum; quia in vtroque puncto eſt varietas ſententiarum. 20

SVBSECTIO I.

De oculo corporeo.

CARDINALIS Lugo negat poſſe videri oculo corporeo naturaliter, quia non poteſt emittere ſpecies ſui: vt enim ſuprà diximus, docet hic Auctor non poſſe ibi Chriſtum operari ad extra. Negat etiam Pater Suarez, ob diuerſum tamen fundamentum, qui addit nec de potentia abſoluta poſſe videri oculo corporeo: pro qua ſententia refert ſect. 4. diſput. 53. Paludanum, Capreolum & Hiſpalenſem. Fundamentum Suarez tam quoad potentiam abſolutam

Cardinalis Lugo negat poſſe Chriſtū videri oculo corporeo naturaliter: Suarez addit, nequidē de potentia abſoluta poſſe videri:

Digitized by Google

tam quàm quoad naturalem ab ipſius vbicationis ſupernaturalitate deſumitur. Diſtinguit autem duo (& quidem benè) pro maiori intelligentia:vnum, An poſſit videri corpus cum præſentia illa ſupernaturali ; alterum, An poſſit videri vt abſtrahens à loco ; negàtque in vtroque ſenſu id poſſe fieri etiam diuinitus. Pro ſecunda verò de abſtractione eam reddit rationem,quòd oculus nequeat obiectum abſtractiuè videre : is enim modus præciſiuus videtur excedere potentiam materialem,&,vt ſic dicam,excedit craſſam cognitionem, potentiæ exterioris.Iudico in hoc puncto primùm , valdè probabile eſſe quod Suarez docet,ſcilicet viſum non poſſe terminari ad calorem non cognoſcendo ſimul aliquam vbicationem; id autem non probo ex eo , quòd illa cognitio deberet eſſe præciſiua. Etenim cùm color & vbicatio illius inter ſe realiter differant, certè ſine vlla præciſione poſſet color videri non viſa præſentia; quia inter duo diſtincta realiter vnum ſine altero videri poteſt ſine vlla præciſione; vti videtur color non viſa vnione illius cum pariete : non ergo probanda inde ea repugnantia,ſed quia non videtur facilè percipi poſſe, quomodo oculus videat colorem; & tamen non ſciat vbinam ille ſit,an à dextris , an à ſiniſtris, an ante ſe , an poſt ſe , imò an exiſtat in rerum natura.

Non probat benè repugnantiam.

Obiectio: Dices : Poteſt diuinitus fieri viſio abſente colore , ſi Deus retineat ſpecies illius, aut ſi influat ſimul cum potentia loco abſentis coloris; ergo. *Soluitur.* Reſpondeo , Etiam in eo caſu videndam eius coloris præſentiam , eam ſcilicet quam haberet , ſi ibi exiſteret ; vti apparet, quando obiectum videtur in ſpeculo : nam licet non ſit ibi obiectum, repræſentatur tamen ac ſi eſſet ibi; in præſenti autem loquimur de viſione, quæ nihil repræſentet de præſentia obiecti ; & hanc dicimus valdè probabiliter repugnare : viſio enim & auditio videntur ex ſuo eſſentiali modo repræſentandi eſſe experimentales cognitiones, ac proinde repræſentantes rem vt præſentem. Quæ ratio non habet locum, iuxta principia ſupra à nobis impugnata eorum qui dicunt vbicationem non videri , ſed per neſcio quos impulſus reflexè cognitos veniri in cognitionem præſentiæ : in hac enim ſententia facilè intelligitur , quomodo viſio poſſit percipere diuinitus albedinem , & tamen non percipiat vbicationem ; ſi ſcilicet impediatur ea reflexa cognitio quaſi diſcurſiua , & ſola maneat directa de albedine.

21 SECVNDÒ DICO , Fundamentum Cardinalis Lugo , quòd Chriſtus non poſſit ibi ſui ſpecies emittere, ſufficienter videri à nobis ſuprà reiectum ; ac proinde ex hoc capite non eſt negandum poſſe Chriſtum ibi naturaliter videri.

Probabilius eſt Christum poſſe ſaltem diuinitus videri ita Vaſquez, Cardinalis Lugo, & alij communiter.

TERTIÒ DICO, Longè probabilius eſſe, poſſe ſaltem diuinitus videri:ita Vaſquez diſput. 191. cap.2.Cardinalis Lugo ſuprà , & alij communiter , id quod duplici via probandum eſt : Primò,quia præſentia illa non eſt in ſubſtantia ſupernaturalis, ſed naturalis , vt ſuprà fuſiùs : Secundò , quia licet eſſet ſupernaturalis, non proptereà eſſet extra latitudinem obiecti viſus , vti ipſe Suarez alibi docet poſſibilem eſſe lucem ſupernaturalem in Beatorum corporibus , quam ait vſu corporeo cognoſcendam, ita idem de ea præſentia dicere debuiſſet , & quidem maiori iure quàm de colore , quia color eſt primarium obiectum;ac proinde multò magis exigitur illud eſſe intra ſphæram naturalem viſus quàm præſentia , quæ eſt ſolùm quaſi ſecundarium obiectum , & quaſi modus coloris : vnde fortaſſe adhuc quis diceret , Si in re aliqua extenſa, v. g. in hoc muro,poneret Deus loco vbicationis naturalis aliam in ſubſtantia ſupernaturalem extenſam,videndum tamen etiam naturaliter tunc illud corpus;quia oculus ſolùm videt rem hìc aut illic.Quid autem ſit quo res ſit præſens,an aliquid ſupernaturale , an naturale , ſanè non diſcernit; quidquid verò de hoc ſit(de quo infrà) certè in ordine ad potentiam abſolutam non poteſt dici id repugnare,quia nulla omnino adducuntur contradictoria.

Obiectio à modo Christi existendi in Eucharistia ſpirituali.

Dices : Modus exiſtendi Chriſti Domini in Euchariſtia imitatur modum eſſendi rei ſpiritualis , quæ eſt extra ſphæram potentiæ viſiuæ. Reſpondeo,Eam imitationem non facere vt extrahatur ille color & ea præſentia à conceptu rei materialis : non enim idem eſt , imitari aliquid, & eſſe verè illud. Reſpondeo Secundò,Rem ſpiritualem non diſtingui à materiali per extenſionem aut intenſionem, ſed per impenetrabilitatem(vt fuſiùs docui in Philoſophia ;) ſuprà autem oſtendi , Etiamſi Chriſtus ſit ibi redactus ad locum indiuiſibilem, nihilominùs adhuc eſſe impenetrabilem naturaliter cum aliis corporibus ; ac proinde ibi etiam imitatur modum exiſtendi rei materialis,non ſpiritualis;ergo diuinitus poterit videri oculo corporeo,imò ex hoc capite etiam naturaliter.

Obiectio ſecunda de punctis duobus in eodem loco penetratis.

Secundò obiicies : Indiuiſibile punctum videri non poteſt: quòd ſi duo ſint in eodem loco penetrata, certè non poterunt ea diſtingui à viſu , qui non ſciet an ſint duo , an vnum. Reſpondeo negando de potentia abſoluta non poſſe indiuiſibile videri ; imò ſi intenſas ſpecies emittat etiam naturaliter (iuxta ſuprà dicta) poterit.Cùm ergo Chriſtus ibi ob illam magnam partium coniunctionem poſſit emittere intenſas ſui ſpecies,poterit ex hoc capite omnino naturaliter videri;multò ergo magis diuinitus. Quod dicebatur , non diſcernendas à viſu eo caſu duas illas partes,non vrget;quia ſiue diſcernantur,ſiue non,omnino videbuntur:vti quando eſt maior intenſio in colore,tota illa intenſio videtur ab oculo,ſiue hic poſſit dicere,plures partes ibi eſſe, ſiue non.

Obiectio de figura & vbicatione.

Vltimò obiicies ex dictis ſuprà ; Non poteſt 22 res videri niſi viſa eius figura & vbicatione ; atqui in Euchariſtia Chriſtus nullam habet figuram,ergo non poteſt videri. Reſpondeo facilè, Me ſuprà ſolùm dixiſſe , rem non poſſe ſine vbicatione videri ; de figura nihil dixi : conſiſtit enim hæc in extenſione aliqua , quæ non eſt in Chriſto in Euchariſtia; per hoc autem non impediretur viſio vbicationis Chriſti in tali aut tali loco. Ratio à priori,quia videre figuram in tantum poteſt eſſe neceſſarium oculo , in quantum videt multas partes obiecti , eaſque in diſtinctis locis. Vti ergo oculus poteſt videre 40. v. g. partes , & poteſt videre 20. quo caſu videt minorem duplo figuram quàm primò viderat;quia non eſt determinatus ad tot vel tot partes videndas;ita & eodem modo poteſt videre duo tantùm aut vnum tantùm punctum , etiamſi tunc figuram nullam videat , quia punctum vnum ſolum nullam conſtituere poteſt propriam figuram.

Hinc colliges ſolutionem eius quæſtionis quam

quam mouet Pater Suarez ſuprà, An ſcilicet poſſit videri Chriſtus extenſus in Euchariſtia, ſi in vna parte hoſtiæ ex toto corpore, quod ibi eſt, tantùm videatur caput v. g. in vicina verò ex eodem corpore ſolùm videatur collum, & ſic in tertia & quarta; colliges inquam ex dictis ſolutionem huius dubij; cùm enim oſtenderimus poſſe fieri vt videatur etiam in indiuiſibili, à fortiori longè poterit videri cum ea extenſione, quia vt ſic magis accedit illa viſio ad modum naturalem quo videt ſua naturalia obiecta: & ita docet Cardinalis Lugo ſuprà; Suarez verò negat, quia Chriſtus in hoc Sacramento exiſtit non per partium penetrationem, ſed altiori modo & indiuiſibili: vnde nullo modo fieri poteſt vt videatur cum extenſione, ſi videtur prout eſt in re: quare addit, Eſto dicamus videri partes corporis in partibus ſpecierum, ſemper tamen videndas vt indiuiſibili modo exiſtentes, & nunquam illum videndum totum vt extenſum. Ego tamen (vt verum fatear) non capio quid Pater Suarez intendat, dum dicit Chriſtum non eſſe cum penetratione partium, ſed indiuiſibili & altiori modo: etenim ſi per hoc ſolum intelligat ipſam præſentiam localem eſſe indiuiſibilem, & per eam omnes partes eſſe in eodem loco, benè dicit iuxta ſua principia; id tamen nequaquam tollit veram & propriam penetrationem partium, non minùs quàm ſi eſſent per præſentias naturales diſtinctas. Deinde non tollitur proptereà, quò minùs in extrema parte hoſtiæ ſit ſimul tota manus; occultet ergo Deus oculo alias partes manus excepta vltima; in ſecunda verò parte hoſtiæ occultet alias partes manus excepta ſecunda; profectò videbitur eodem modo ac ſi ibi appareret pars manus in magnitudinem hoſtiæ: vnde ſi conſecratio fieret in pane ad magnitudinem Chriſti prout exiſtentis in cœlo; poſſet videri in figura integra. Quod verò Suarez ait; tunc debere videri Chriſtum in quolibet puncto prout exiſtentem ibi indiuiſibili modo, duplicem ſenſum poteſt facere; vel quod debeat oculus videre etiam in quolibet puncto eſſe alias partes; id autem negamus debere fieri, quia eſto illæ ibi ſint, Deus tamen eas occultat, & oſtendit tantùm vnam; ſi verò dicat, debere videri præſentiam quæ ex ſe reddit omnes alias partes in loco, quia in eius ſententia illa eſt indiuiſibilis, admittimus id libentiſſimè, at non proptereà videbuntur neceſſariò ipſæ aliæ partes, quia color non videtur in præſentia, ſed potiùs præſentia in colore videtur: videbit ergo oculus præſentiam, quæ materialiter eſt aliarum partium, non tamen illas partes. Da pro præſenti puncto doctrinam illorum qui dicunt, accidentia, quantitatem & corpus eadem numero præſentia eſſe in loco: quæ doctrina licet ob alia argumenta fortè ſit falſa, certè pro præſenti materia debet admitti; haud dubiè autem in tali caſu oculus videret præſentiam indiuiſibilem coloris, quantitatis & materiæ; neque tamen continuò videret oculus ipſam quantitatem & materiam primam immediatè, ſed ſolum colorem. Conſtet ergo omnino poſſe videri eam extenſionem Chriſti: id quod in mea ſententia, ponente ibi vbicationes naturales, ſine vlla planè difficultate intelligitur; quia illæ partiales præſentiæ non eſſent præſentiæ aliarum partium Chriſti, quæ ibi occultantur, ac proinde aliæ ſe habebunt per accidens ad viſionem illam. Tertiò dicendum eſt iuxta doctrinam illorum qui ſentiunt vbicationem non videri, ſed per ſpecies diuerſo modo intrantes colligi præſentiam obiecti, longè probabilius eſſe etiam naturaliter, poſſe oculo corporeo Chriſtum ibi videri; quia color eſt naturalis, & naturaliter viſibilis: præſentia autem, quæ formaliter facit extenſionem, non videtur in ea ſententia, eſto ſit ſupernaturalis: quòd autem Chriſtus ſit in indiuiſibili, non impedit quoad emiſſionem ſpecierum (vt diximus;) ac proinde in hoc puncto non videtur locutus conſequenter Pater Vaſquez, qui cùm neget eam præſentiam videri, negat Chriſtum ibi poſſe naturaliter videri: multò autem conſequentiùs loquuntur Nominales, qui abſolutè affirmant.

Poteſt videri Chriſtus in Euchariſtia extenſus.

Cardinalis Lugo contra Suarez.

Argumentum Suarez refellitur.

23

Poſſet Chriſtus videri in figura integra.

Vaſquez arguitur inconſequentia.

24 Dices: Eſto Chriſtus inde emittat ſpecies ſui, illæ tamen valdè immutantur per ſpecies intentionales quas emittit albedo & reliqua accidentia Euchariſtica; ergo, quidquid ſit, an videatur præſentia, ſaltem ratione ſpecierum Sacramentalium impedietur viſio. Reſpondeo, Me iam non quærere, Vtrùm poſſit ita videri Chriſtus, vt diſgnoſcatur eſſe homo; id enim probabilius eſt repugnare, quia non ſolùm per ſpecies Sacramentales, ſed multò maximè per totius corporis varios colores, qui omnes ſunt in eodem loco, neceſſum eſt talem fieri commixtionem, vt oculus nequaquam poſſit diſcernere quid ibi ſit; negari tamen ideò non debet, eos omnes colores videri, vti quando miſcentur varij colores, videntur omnes, eſto oculus non poſſit eos inter ſe diſtinguere, vti etiam quando videtur color intenſus, haud dubiè omnes gradus videntur, qui tamen ita noſcuntur, ac ſi vnicus color nobilior eſſet ſine vlla maiori diſtinctione.

Non poteſt videri Chriſtus ita, vt dignoſcatur homo.

Dicendum vltimò: Si præſentia Chriſti Domini in Euchariſtia ſit ſupernaturalis in ſubſtantia, valdè dubium eſſe, vtrùm adhuc poſſet Chriſtus naturaliter videri: ex vna enim parte cùm viſio (iuxta à me dicta ſæpè) indiuiſibiliter terminetur immediatè ad colorem & ad vbicationem illius, profectò ſi ea vbicatio eſt ſupernaturalis, non poterit color videri, quia videri ea præſentia naturaliter non poteſt: ex altera verò parte eſt valdè difficile creditu, quòd ſi Deus ſolùm præſentiam naturalem in ſupernaturalem mutaret in hac luce Solis, eo ipſo lux nobis occultaretur, & maneremus in tenebris: id quod etiam ſuperiùs inſinuaui, ſi Deus auferret naturalem præſentiam ab hoc muro, quem ante oculos habeo. Fateor hoc difficile creditu, ſed tamen ratio ſuprà facta apertè conuincit intentum. Etenim ad hoc vt obiectum aliquod ſimplex poſſit videri naturaliter, non ſufficit illud eſſe ex parte proportionatum potentiæ, ſed debet ex integro & omnino eſſe proportionatum. Sicut v. g. licet mea manus poſſit ſuſtentare centum libras v. g. ſeorſim ſumptas, & ad illas ſit proportionata, ſi tamen illæ vniantur phyſicè cum aliis centum, non ſolùm illud pondus totum non potero ſuſtentare, ſed nec centum priores; quia non poſſum illas ſine aliis centum, vtraſque autem ſimul non poſſum: ſimiliter in potentia viſiua licet ex ſe poſſet naturaliter videre colorem, ſi haberet naturalem præſentiam, quia tamen coniungitur color ille cum præſentia ſupernaturali, ad quam videndam oculus non habet virtutem, impeditur etiam & ad obiectum; quia hoc à præſentia ſeparare naturaliter non poſſum per viſum materialem.

Si præſentia Chriſti in Euchariſtia ſit ſupernaturalis, videri non poſſet naturaliter.

Propter improportionem obiecti cum oculo.

SVBSEC

SVBSECTIO II.

De intellectu.

25 *An poſſit Chriſtus in Euchariſtia ab intellectu Angelico aut ab anima ſeparata cognoſci.*

ET hinc deciditur vltimum dubium, de modo ſcilicet quo Chriſtus poteſt ab intellectu Angelico aut ab anima ſeparata naturaliter ibi cognoſci: ſi enim oculus tunc poſſet naturaliter eum colorem videre, à fortiori poſſet intellectus, ſin verò oculus non poteſt, adhuc in intellectu oportet diſtinguere: Vel enim loquimur de cognitione corporis Chriſti abſtrahendo ab vbicatione ſupernaturali: dico abſtrahendo à ſupernaturali; nam ſi ea naturalis ſit, difficultas nulla eſt; quia ſi duo corpora ſe penetrent miraculosè, per vbicationes tamen naturales certum eſt poſſe ab Angelo id cognoſci: vti ſi miraculosè homo in mediis flammis non comburatur, poſſumus etiam id naturaliter videre: Vel loquimur, caſu quo vbicatio ſit ſupernaturalis; vbi adhuc duo diſtinguenda dixi: vnum eſt, cognoſcere ſubſtantiam corporis non cognoſcendo an ibi ſit: alterum eſt, etiam cognoſcere ipſam vbicationem in eo loco ſaltem abſtractiuè, non diſtinguendo, vtrùm illa ſit naturalis, an ſupernaturalis.

Poteſt cognoſci ſubſtantia corporis Chriſti ab Angelo etiamſi non cognoſcat vbi ſit.

Circa primum probabilius iudico, omnino poſſe eam ſubſtantiam cognoſci, quia illa in ſe tota eſt naturaliſſimum obiectum; intellectus autem poteſt cognoſcere exiſtentiam alicuius rei non cognita præſentia locali illius: vti Angeli habent ſpecies, quibus clarè poſſunt cognoſcere, exiſtere hunc aut illum hominem, etiamſi non ſciant quo illi ſe moueant de facto. Vnde ſi Chriſtus non eſſet alibi, & primò poneretur miraculosè ſub ſpeciebus, poſſet ſtatim Angelus noſcere, Chriſtum eſſe productum, eſto non ſciret vbi eſſet: id quod defendit etiam Cardinalis Lugo ea diſput. 9. ſect. vltima. Maior eſt difficultas in ſecundo puncto, quia diximus alibi, valdè probabile eſſe, res aliquas ſupernaturales poſſe naturaliter cognoſci ſaltem abſtractiuè, poſtquam iam exiſtunt; vt ſi habeat quis actum ſupernaturalem amoris, poterit naturaliter noſcere, ſe amaſſe, aut amare, eſto fortè non poſſit dicere, an ille amor ſit naturalis, an ſupernaturalis; ergo hoc eodem modo poterit Angelus noſcere naturaliter Chriſtum eſſe ibi, etiamſi

Dubium eſt de vbicatione ſeu præſentia.

non diſtinguat, qualis ſit illa præſentia. Habet autem illud principium generale difficultatem maiorem in præſentia locali, quia cùm illa ſit quaſi modificatio obiecti, videtur faciliùs cognoſcenda naturaliter cum obiecto illo naturali, eſto in ſe ſit ſupernaturalis, faciliùs inquam quàm alia obiecta ſupernaturalia. Et hîc habet maiorem locum ea ponderatio quam paulò antè feci. Quòd ſi Deus toti luci huic à cœlo ad nos mutata præſentia naturali daret aliam ſupernaturalem in entitate, non poſſet ne quidem Angelus cognoſcere, an illuminatus eſſet hic orbis: hoc enim de Angelo dicere, videtur eſſe valdè durum, ergo ea præſentia noſci poſſet naturaliter, vt dixi, abſtractiuè, quantum ad hoc quod eſt facere rem illam præſentem huic loco, in quo conuenit cum naturali. Ex altera verò parte cùm poſſint eſſe res ſupernaturales, quæ etiam poſtquam exiſtunt, non poſſint cognoſci naturaliter ab Angelo; fortaſſe talis eſt ea præſentia ſupernaturalis quam haberet Chriſtus ibi. Vnde res hæc videtur mihi valdè dubia; nihilominùs tamen quia rei ſupernaturali in ſubſtantia magis eſt connaturale, non poſſe cognoſci naturaliter à ſubſtantia naturali, magis inclinor in ſententiam docentem, fore vt naturaliter non poſſet ea præſentia cognoſci ab Angelo; vti gratia habitualis & alia ſupernaturalia non cognoſcuntur naturaliter.

Naturaliter nõ poteſt Angelus cognoſcere præſentiã ſupernaturalem.

Dices; Ergo ſi loco huius ſeſſionis, quam nunc ego habeo, daret mihi Deus aliam ſupernaturalem, non ſcirem ego ipſe an ſederem, an ſtarem, an eſſem in cubiculo, vel ibi, & nec meipſum poſſem videre; hoc autem profectò eſt durum; & verò multò magis in Angelo id eſſet difficile creditu, quia Angelus ſciret etiam tunc vbi poſſet operari, &c. Reſpondeo Primò in eo caſu, Ex obiectis quæ circa me viderem, poſſem ſcire vbi eſſem, & fortaſſe per diſcurſum ex grauitate vel alio ex capite agnoſcerem, an ſederem nécne; quòd verò meipſum non viderem oculis corporeis, videtur ex dictis probabilius, quia reuerà viſus naturaliter non noſcit ſupernaturalia obiecta, intellectus etiam non poſſet ob eamdem rationem: quæ licet non ita vrgeat in intellectu quàm in viſu, quia hic minus ſe extendit: habet tamen abſolutè vim etiam in illo. Quòd de actibus liberis ſuprà obiiciebatur non vrget, quia actus liberi quà tales neceſſariò ſunt in poteſtate voluntatis, & illa debet agnoſcere ſe amare, ſe poſſe non amare, & alia, ſine quibus valdè ægrè ſaluatur eius libertas: Hæc autem ratio ceſſat in vbicatione, quæ non eſſet libera homini in eo caſu. Vnde conſequenter dicendum, Si miraculosè mouerer per vbicationes in ſubſtantia ſupernaturales, me nequaquam percepturum huiuſmodi motum, niſi fortè per accidens, ex eo quòd viderem obiectum à me recedere, aliud verò accedere; & inde colligere poſſem me moueri, vti colligit ſuum motum qui in naui fertur: neque in hoc eſt aliqua ſpecialis difficultas, niſi quòd volumus apprehendere eam præſentiam non minùs cognoſcibilem quàm naturalem, hæc autem apprehenſio debet ratione corrigi. 26

Argumenta pro aduerſa opinione ſoluuntur.

DISPVTATIO TRIGESIMAOCTAVA.

De ſpeciebus Sacramentalibus, quæ ibi maneant, quî conſeruentur, & qui è contrario deſtruantur?

1 MANERE in hoc Sacramento aliqua accidentia panis definitum eſt in Tridentino & Florentino, & ſæpè à nobis ſuprà dictum. De hoc ergo puncto non dubitamus. Tota eſt igitur difficultas, Vtrùm omnia accidentia panis ibi maneant. Dico *accidentia*, vt excludam modos, quia hi nec diuinitus poſſunt ſeparari à ſubiecto.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

Quæ accidentia ibi maneant?

Manent accidentia panis quæ ſenſibus patent: de aliis non conſtat:

SVAREZ diſput. 56. ſect. 1. ſentit non eſſe de Fide, nec omnino certum manere ibi omnia accidentia panis, ſed ea præciſè quæ ſenſibus percipiuntur; tum quia Concilia de his ſolùm loquuntur; ideoque illa non accidentia, ſed ſpecies vocant. Nec Concilia aut Patres potuerunt habere fundamentum vllum ad affirmandum, omnia alia accidentia & qualitates occultas panis ibi manere; quia nec illa apparent ſenſibus, nec fuêre neceſſaria vt myſterium occultaretur, aut vt ſub illis deſignaretur Chriſtus: ad hoc enim ſufficiunt accidentia externa, ſeu ſpecies ſenſibiles.

Quamuis Vaſquez conetur probare eſſe de Fide, omnia accidentia manere:

Vaſquez diſput. 194. cap. 1. è contrario cenſet de Fide eſſe, omnia accidentia panis ibi manere. Primò, quia nulla ſunt accidentia, quæ naturaliter non pullulent ex primis quatuor qualitatibus, quæ ſunt ſenſibiles ſpecies; ergo ſi definitum eſt has manere, & definitum eſt de omnibus aliis. Leue argumentum; Primò, quia antecedens eſt falſum; nam vbicatio & duratio panis quæ in mea ſententia ſunt accidens reale, non pullulant ex primis qualitatibus. Item, in ſententia communi, docente ſubſtantiam operari per potentias diſtinctas, panis habet ſuas proprias potentias accidentales, quæ non ex primis quatuor qualitatibus, ſed immediatè ab ipſa ſubſtantia promanant. Tertiò, licet verum eſſet antecedens, quandoquidem non eſt definitum manere omnia quæ promanant à primis quatuor qualitatibus; vnde quæſo eſt de Fide manere ibi omnia alia accidentia, præſertim cùm (quantumuis dimanent à prioribus) poſſunt tamen diuinitus primæ illæ eſſe ſine his ſecundis? Certè concluſio deducta ex vno principio de Fide, & ex alio naturali, non eſt propriè de Fide: ad hoc enim requiritur, vtrumque principium eſſe de Fide.

2

Eius tamen argumenta non conuincunt:

Secundò argumentatur Vaſquez, & meliùs; Quia ſi nomine ſpecierum ſolùm ſignificantur accidentia exteriora; ergo erit è contrario de Fide non manere illa quæ ſunt occulta; quia Concilium dicit, *Manentibus duntaxat ſpeciebus panis.* Quis autem dixit de Fide eſſe, non manere alia accidentia, cùm ſit ferè omnium Doctorum ſententia illa manere, & quidem ipſius Suarij? Hoc argumentum etſi, vt dixi, melius ſit, & illud omnino approbet Cadinalis Lugo diſput. 10. ſect. 1. mihi tamen non videtur vllo modo ſufficere; nam illa particula *duntaxat* à Concilio poſita non tam excludit alia accidentia, quæ non ſint ſpecies, quàm omnem ſubſtantiam panis, vt ex ipſo Canone apertè conſtat. Et hoc vnicum erat intentum Concilij contra hæreticos ibi ponentes panis ſubſtantiam; de alia autem quæſtione circa accidentia occulta nec pertinebat ad intentum Concilij, nec circa illa fuerat vllus error: vnde non intelligitur illa excluſiſſe, licet non ſignificentur nomine ſpecierum: & hoc probo clarè, quia nomine ſpecierum non includuntur modi panis, v. g. vbicatio ex ipſo Vaſquez: ſi autem quis diceret, Etiam modos panis ibi conſeruari, erraret quidem contra Philoſophiam, non tamen contra Fidem: quis enim vnquam hoc dicet? Ergo τὸ *duntaxat* non ponitur à Concilio ad excludendum alias res accidentales, quæ non vocantur ſpecies, ſed ad excludendam omnem ſubſtantiam: nihil ergo ex Concilio certò poteſt hac de re inferri. Adde, nec dixiſſe Concilium *omnibus ſpeciebus*; vnde poſſet quis contendere non opponi illi eum qui doceret, aliquod accidens non manere, licet etiam comprehendatur nomine ſpecierum.

Neque pro ſe habet Concilij Tridentini definitionem:

Licet omnino probabilius ſit omnia alia occulta accidentia panis manere, ſi vbicationem & durationẽ excipias.

Dicendum tamen eſt, non ſolùm manere eas qualitates, quæ proximè & immediatè noſcuntur per ſenſus externos, & quæ vocantur ſpecies, ſed etiam omnes alias occultas, ſi quæ ſint habentes ſe per modum potentiæ ad actiones exteriores. Ratio eſt, quia illa accidentia ſaltem ratione effectus dignoſcuntur; & ita communiter ab omnibus docetur ea ibi manere. Vbicationem autem & durationem panis, quæ in mea ſententia ſunt accidentia, dico non manere, quia nec mediatè nec immediatè vllo modo ſentiuntur, nec ipſarum permanentia eſt neceſſaria aut vtilis ad aliquem effectum aut finem Euchariſticum; imò cùm duratio ſingulis inſtantibus mutetur, continuò ibi ſine vlla neceſſitate ſingulis momentis noua miracula fierent, quia nouæ durationes ſine ſubiecto producerentur: in hoc conueniunt omnes Auctores; negant enim, eo ipſo quòd non ſit ibi panis, eſſe præſentiam & durationem illius; quidquid hæc præſentia ſit, ſiue indiſtantia, ſiue modus, ſiue res: id quod non eſt ex hoc myſterio, ſed aliunde inueſtigandum.

SECTIO II.

Quid de ſubiecto eorum accidentium?

CIRCA ſubiectum maior eſt difficultas, quia multi putant vel ex hoc ſolo capite probari quantitatem diſtinctam, inſuper illam eſſe ſubiectum omnium accidentium; quia alioquin multiplicaremus valdè miracula, ſi omnia illa accidentia manerent per ſe. Cardinalis item Lugo licet benè agnoſcat nullam eſſe rationem Philoſophicam ad probandum ea accidentia recipi in quantitate diſtincta; nihilominùs tamen fusè conatur probare, ſi id non admittatur, non poſſe commodè intelligi, quo pacto, dum homo ſuſcipit hoſtiam, dicatur ſumere & deglutire ea accidentia: pro quo obſeruat, ea non vniri inter ſe. Vnde naturaliter loquendo dum quis mouet quantitatem illam Euchariſticam, cætera accidentia non poterunt moueri: quo poſito quærit à quo fiat ille motus accidentium, an immediatè à ſolo Deo ad motum quantitatis, an ab ipſa quantitate per vim illi miraculosè inditam vt ſecum trahat accidentia; neutro autem modo explicari id benè poteſt, ergo. Prior pars quoad Deum probatur, quia ſi ego pono primum motum, ad cuius poſitionem Deus ponit alium, non poſſum niſi ſummùm moraliter dici cauſa eius ſecundi motus; deglutire autem ſignificat motum phyſicum factum à degluriente, vt per ſe conſtat. Quòd verò dici non poſſit ſecundum patet, quia quantitas non grauitat ſecundùm ſe, ſed vel ratione grauitatis diſtinctæ; hic autem modus non habet ibi locum, quia eſto ibi grauitas illa pro ſe grauitet, non tamen grauitat pro reliquis omnibus accidentibus: nec enim aliter ea trudit niſi trudendo commune illorum ſubiectum; ergo ſi quantitas nec ſit ſubiectum, nec ſit vnita ei grauitati, non poteſt 3

Cardinalis Lugo conatur perſuadere, quantitatem eſſe diſtinctã ad hoc, vt quis dicatur ſumere accidentia.

à

Digitized by Google

à grauitate ipſa trudi deorſum; multò autem minùs quantitas poteſt tunc trahere ſecum alia accidentia: cur enim ſemel poſita in ore magis illa quantitas deſcendet quàm aſcendet? ergo ex motu illius non poteſt Sacerdos dici deglutire aut comedere accidentia; quòd ſi proptereà dicatur grauitatem eſſe collectionem ipſam accidentium, adhuc eſt difficultas: Primò, quia ea accidentia non ſunt vnita quantitati;ergo eorum grauitas non pellet quantitatem, ſed potiùs hæc pelletur ab illis: certum autem videtur grauitatem trahere accidentia, non è contrario; ergo. Secundò, quia ea collectio accidentium non faciunt grauitatem, niſi ſint in aliquo ſubiecto vnita; nam accidentia non vnita non grauitant, etiamſi ſint in eodem loco cum aliquo corpore. Denique,ſi ſemel licitum eſt dicere, Illum motum,quem experimur in ſpeciebus, non fieri ab ipſo Sacerdote, neque à ſpeciebus, ſed à Deo; eodem modo licebit dicere, Etiam fieri à Deo ſolo alias operationes, quas in eis accidentibus experimur; ac proinde nec vini ſpecies cauſare frigus in ore, nec humectare, nec ſtomachum calefacere, &c. ſed hæc & ſimilia fieri à Deo: quæ omnia ſunt abſurda, quia iam ſpecies illæ non eſſent ſenſibiles; & prætereà ceſſaret argumentum,quo Eccleſia permota eſt ad dicendum, eas ibi manere: & tandem verba conſecrationis non eſſent vera;quia qui dicit *Hoc*, iam eo ipſo oſtendit ſe ſentire per viſum id quod demonſtrat.

4 *Illius tamen argumenta non perſuadent quantitatem eſſe diſtinctam.*

Ego tamen non iudico hæc ſufficientia vllo modo vt quantitatem dicamus diſtinctam; multò autem minùs vt, caſu quo diſtinguatur, dicamus illam eſſe immediatum ſubiectum accidentium; & quidem(vt oſtendi in Philoſophia) de diſtinctione quantitatis non debemus iudicare niſi ex principiis naturalibus: nec enim vt vitetur vnum miraculum in Euchariſtia, debemus in omnibus aliis rebus totius orbis ponere entitatem diſtinctam ſine vllo plane fundamento Philoſophico; quale certiſſimum eſt in præſenti non eſſe, quia Philoſophia agnoſcit quidem lapidem non poſſe penetrare alium lapidem aut lignum; & inde infert, illud corpus habere reſiſtentiam ad eam penetrationem:quòd autem ea reſiſtentia debeat venire ab accidente aliquo diſtincto ab ipſo corpore, nec per vmbram colligitur vel experientia, vel alia ratione; aliunde autem optimè poteſt intelligi id venire ab ipſo corpore:&cùm non debeant multiplicari entia ſine neceſſitate,non eſt cur eam impenetrabilitatem diſtinguamus. Ad punctum verò de miraculo dicimus,cùm conſtet ex Fide Deum ibi ſeparare ſubſtantiam ab accidentibus, non debemus hinc decidere quæ ſint accidentia, ſed aliunde id declarandum erit, & deinde conſequenter plura vel pauciora miracula in eo ſummo miraculo concedere.

Cùm nec ratio nec experientia ei ſuffragentur.

Dices: Ergo ob eamdem rationem non liceret nobis ex hoc myſterio colligere quòd albedo panis diſtinguatur à pane. Reſpondeo facilè negando conſequentiam; Primò, quia albedinem eſſe accidens aliunde ſupponitur probatum ſufficienter à Philoſophis;& idem de colore,&c. independenter ab hoc myſterio. Secundò, quia albedo ibi immediatè ſentitur, & aliunde ſcitur ibi non eſſe panem; ergo benè infertur, albedinem eſſe accidens: at quantitatem non experimur nos ibi, ſed ſolùm impenetrationem actualem,quæ in omnium ferè ſententia non eſt quantitas, ſed effectus illius, vtrùm autem hic effectus proueniat ab accidente diſtincto, quod ſit quantitas, an verò ab ipſis accidentibus, an à corpore ipſo Chriſti, quod (vt ſuprà docui) etiam ibi eſt impenetrabile naturaliter cum mea manu, nequaquam experimur, ac proinde nihil poſſumus vi huius myſterij de quantitatis diſtinctione deducere.

Impenetratio enim actualis non eſt quantitas, ſed effectus illius.

Qui diſcurſus totus eodem modo formari poteſt,vt oſtendamus,eſto quantitas diſtinguatur, non tamen debere in ea poni accidentia omnia, & verò quodammodò hîc habet maiorem locum, nam, vt diſtinguatur quantitas, poteſt fortaſſe aliquod fundamentum inueniri, quia aliæ potentiæ iuxta ſententiam multorum ſunt diſtinctæ à ſubſtantia, ergo etiam potentia illa occupatiua diſtincti loci diſtinguetur. Hæc autem ratio, cuiuſcumque momenti ſit, non habet locum pro receptione accidentium, quia ſicut materia prima recipit immediatè ipſam animam, aut alias formas ſubſtantiales,& non per potentiam diſtinctam, ita poteſt ſuſcipere immediatè accidentia, aliunde verò cùm diſtinctio quantitatis ſolùm inuenta ſit ob impenetrabilitatem, ſicut diſtinctio leuitatis & grauitatis ob motum ſurſum & deorſum, non poſſum (vt verum fatear) capere, quo iure in vi excluſiua alterius corporis è loco(quam vim vocamus quantitatem)ſit ponenda albedo, dulcedo cæteraque accidentia, magis quàm in vi ſurſum aut deorſum motiua, ac proinde non intelligo vim conſequentiæ illius, *Quantitas dat materiæ ne admittat in eodem loco aliud corpus; ergo illa debet recipere colorem, dulcedinem,calorem*, &c. Accedit, quòd licet ſimpliciter loquendo, vt materia diſponatur ad formam ſubſtantialem, non omnino requiratur illam immediatè recipere in ſe diſpoſitiones pro forma, quia id vtcumque intelligi poteſt per receptionem ſolùm mediatam, id quod libenter concedo Cardinali Lugo,negari tamen non poteſt hoc ipſum multò faciliùs intelligi,ſi immediatè illa in ſe recipiat,quàm ſi non in ſe, ſed in alio, ſicut immediatè recipit ipſam formam, & non in alio:ergo cùm in contrarium nulla ſit ratio, potiùs debemus hoc munus recipiendi accidentia ipſi ſubſtantiæ tribuere,quia illa eſt quæ ſubſtat accidentibus, quàm vni accidenti, ergo ſi res prudenter examinetur ex fine, ob quem diſtinguitur quantitas, deprehendetur eam ſe habere omnino per accidens ad accidentium receptionem. Et hæc breuiter circa illud punctum. 5

Data quantitate diſtincta non proptereà eſſe ſubiectum accidentium.

Sed potiùs hoc munus tribuendum eſt ipſi ſubſtantiæ.

Veniamus iam ad ſolutionem eius obiectionis, quam etiam magna ex parte explicuimus ſuprà agentes de cauſa mouente corpus Chriſti. Dico ergo,vt nos verè comedamus & deglutiamus ſpecies(vt hi Auctores volunt) ſufficere quòd Deus ſua voluntate fecerit ea accidentia impenetrabilia:eo enim ipſo à nobis illa immediatè poſſunt moueri,& quidem ſuppoſita ea impenetrabilitate naturaliter fiet ille motus,non eſt ergo ex hoc capite vlla difficultas,ſola reſtat illa, quæ ex grauitatione ſpecierum peti poteſt, quia impenetrabilitas non facit deſcendere ſpecies: certum eſt autem, ſi hoſtia ponatur in aëre,caſuram deorſum,& idem dico de ſanguine.Reſpondeo,Si grauitas ſit accidens diſtinctum(vt communior ſententia docet) nullam eſſe difficultatem, quia tunc ea etiam manebit inter cetera accidentia, ac proinde tunc ſaltem ſeipſam trudet deorſum, quia verò omnia ſunt ibi inſeparabi- 6

Satisfit argumentis, & oſtenditur, quomodo dicantur ſumi ſpecies?

Item, quomodo grauitent ſpecies, ſi grauitas ſit accidens diſtinctum ſiue aggregatum quid:

lia

lia ex voluntate Dei, eo ipſo illa trahet ſecum reliqua omnia, etiam ipſum Chriſtum, quia ex voluntate Dei alligatus eſt eis ſpeciebus. Quòd ſi grauitas non ſit diſtincta, putaret aliquis maiorem eſſe difficultatem; è contrariò tamen fortaſſe faciliùs res declarabitur; nam tunc grauitas nihil aliud erit quàm aggregatum ex illis omnibus qualitatibus, quæ proinde æqualiter ſe inferiùs trudent.

7 Dices tamen Primò, grauitatem à me in Philoſophia non cum accidentibus, ſed cum forma eſſe identificatam; dixi enim eam eſſe quoddam genus potentiæ motiuæ localis; ac proinde ſicut identificaui cum anima potentias, intellectiuam, volitiuam, viſiuam, loco motiuam, &c. ita dixi debere identificari & grauitatem & leuitatem cum ipſa ſubſtantiali forma: inde autem argumentor, In Euchariſtia non manet forma panis, ergo non manebit vlla omnino grauitas; à quo igitur trudentur deorſum illæ ſpecies?

Siue etiam grauitas ſit cum forma identificata.

Reſpondeo, In primis huic argumento nequaquam ſatisfieri per hoc, quòd dicamus accidentia omnia ſubiectari in quantitate; de quo ſolo puncto agimus in præſenti, & pro quo ſolo adducitur ab eius Auctoribus; nam ſi grauitas non eſt accidens diſtinctum, tunc haud dubiè non manebit in Euchariſtia: oportebit ergo explicare, quomodo tunc impellantur ſpecies Sacramentales deorſum, quidquid ſit, vtrùm in quantitate recipiantur alia accidentia; ergo cùm pro præſenti quæſtione videatur omnino admittere hic Auctor grauitatem non eſſe accidens diſtinctũ, profectò illius argumentum nullum hîc erit; quia etiamſi ea accidentia recipiantur in quantitate, non propterea vllo modo grauitabunt. Reſpondeo Secundò, In ea ſententia negante grauitatem diſtingui ab ipſa forma ſubſtantiali poſſe admitti, ipſam Chriſti Domini corporis grauitatem permitti tunc temporis grauitate ad illud pondus ſeu menſuram, qua ſpecies grauitarent: per quod nequaquam multiplicamus vllum miraculum, ſed potiùs minuimus; nam cùm Chriſtus etiam ibi naturaliter debuiſſet grauitare; neque enim, eò quòd corporis alicuius partes penetrentur inter ſe, ceſſat in illis grauitatio, certè quòd Chriſtus non grauitet actu, potiùs eſt miraculum; ergo dicere permitti à Domino Deo grauitationem in Chriſto non ſecundùm totum, quod alioquin debuiſſet, ſed reſpondentem grauitati quam ibi haberet panis & vini ſubſtantia, non eſt addere miraculum; ſed mi-
8 nuere. Quòd ſi tamen id non omnino arrideat, dici poterit Tertiò, moueri tunc deorſum ſpecies ab ipſo Deo. Quod verò obiiciebatur vlteriùs, id non fore comedere, negamus ſequelam: etenim etiam ille, cui cibus intruditur in os, comedit; & ille ſine dubio bibit, cui violenter infunditur hauſtus, & cui propria grauitate aqua deſcendit ad ſtomachum; eſto illæ actiones neque ad meritum, neque ad demeritum valeant, eò quòd non ſint liberæ. Quæ conſideratio ad noſtrum intentum eſt inutilis, quia deſcenſus illæ hoſtiæ ex ore ad ſtomachum non eſt nobis liber: & libertas parum facit ad punctum comeſtionis. Quòd item dicebatur, comeſtionem eſſe actionem phyſicam, habet duplicem ſenſum: vnus eſt, illam in ſe eſſe phyſicam actionem; id quod libenter concedimus: eſt enim vera & phyſica poſitio cibi in ore, & deſcenſus phyſicus ex ore ad ſtomachum, vbi nihil de moralitate reperitur: alius ſenſus eſt, quòd ſit actio phyſica phyſicè orta ab ipſo comedente; & in hoc ſenſu negamus id eſſe neceſſarium ad hoc vt ſit propria comeſtio, vt oſtenſum eſt: & verò id omni comeſtione ferè naturaliter contrarium contingit, nam deſcenſum vini ab ore ad ventriculum non facio ego: ego enim poſui vinum in ore, illud autem deinde ſua grauitate cecidit: ſi ergo ego pono in ore vinum conſecratum eodem modo ſicut non conſecratum; profectò quòd hoc deſcendat à propria grauitate, illud verò à Deo trudatur, non arguit in me nec vmbram differentiæ in ordine ad hoc, vt plus minúſve cauſalitatis dicar habere in eum deſcenſum in vno caſu potiùs quàm in alio.

Explicatur, quomodo dici poſſint comedi ſpecies, licet à Deo in ſtomachum traiiciantur.

Replica & inſtantiæ ſoluuntur.

9 Dices: In vno poſui cauſam, ex qua neceſſariò ſequitur effectus, in altero verò non. Sed contra Primò, quia hoc ſolum pertinet ad denominationem aliquam, non verò ad hoc, quòd plus in vno caſu quàm in altero ego efficiam. Contrà Secundò, quia ſi ex voluntate Dei antecedenti ſequitur neceſſariò ille deſcenſus, eſto ille non ſequatur ex grauitate ſpecierum; profectò dum pono hoſtiam in ore, iam debeo dici cauſa deſcenſus, quia hîc & nunc ille non minùs neceſſariò ſequitur in vno caſu quàm altero, id quod declaro inſtantia hac meo iudicio euidenti: Demus Deum dixiſſe, *Ego volo vt ignis comburat miraculosè ſtupam cùm primùm fuerit diſtans ab ea ad duos paſſus, vti combuſſerit naturaliter quando eſt ipſi contiguus.* Certè ſi ego applicarem ignem immediatè, alter verò ſciens eam voluntatem Dei, tantùm illam applicaret ad eos duos paſſus; in vtroque caſu æquè combureretur ſtupa, licet cum differentia hac, quòd in vno naturaliter eſſet ſecuta ea combuſtio in altero miraculosè, quia Deus voluit eum ignem ad id eleuare. Deinde, in eo caſu non minùs ille quàm ego, & è contrario, deberemus dici cauſa eius combuſtionis, maximè ſi ſupponamus eos quoad ipſam applicationem æquè laboraſſe; eò quòd tam procul debuit vnus ignem portare quàm alter: quòd enim in vno caſu miraculosè, in altero naturaliter ab igne ſequatur ea actio, iam eſt extra efficientiam totam noſtræ applicationis, ac proinde etiam extra cauſalitatem vtriuſque noſtrum in illud incendium; ergo æquè debemus dici cauſa phyſica, aut æquè moralis; ergo ſuppoſito quòd ſciamus nos, cùm primùm poſuerimus hoſtiam in ore, aut ſpecies vini, caſuras illas ad ſtomachum, ſiue id fiat naturaliter, ſiue Deo miraculosè cum eis ad motum illum deorſum concurrente; profectò æquè ego ero cauſa phyſica, quòd ſanguis ille deſcendat, quàm alter qui ſumit vinum non conſecratum; ergo non debemus negare vllo modo nos comedere verè, aut deglutire Chriſtum & ſpecies conſecratas eò quòd poſitæ à nobis in ore non deſcendant virtute naturali, ſed eleuatæ à Deo.

Res tota declaratur exemplo.

10 Quòd verò vltimò dicebatur, Si ſpecies ipſæ non operentur in Euchariſtia, ſeu, ſi per operationem ſuam non ſe reddant ſenſibiles, non poſſe verè dici, *Hoc eſt corpus meum,* ac proinde neque eſſe fundamentum vt illæ dicantur ibi manere, mihi valdè diſplicet; nam ſenſibilitas alicuius qualitatis non conſiſtit in operatione illius, ſed in eo quòd poſſit per cognitionem materialem percipi. Demus pro præſenti quæſtione ſententiam negantium ſpecies intentionales, & omnem concurſum effectiuum obiecti, & docentium

Senſibilitas alicuius qualitatis non conſiſtit in operatione;

Digitized by Google

tium obiectum ſolum ſe habere purè putè vt conditionem ad efficientiam cognitionis, & vt terminum denominatum cognitum;an propterea vllus dicet, eos Auctores tollere eo ipſo,ne ego poſſim digito oſtendere albedinem muri, & dicere, *Hæc albedo, hæc lux*, &c. Idem dico in cognitione Angelica; nam licet Angelus non accipiat à rebus vllas omnino ſpecies; ac proinde licet res non operentur quidquam in ipſum Angelum in ordine ad cognitionem; nihilominùs tamen non propterea minùs poteſt Angelus mihi oſtendere hanc albedinem,hanc lucem,&c. quàm ego poſſim: & idem à fortiori dico de Deo, qui multò adhuc minùs accipit ſpecies à creatura, quam tamen cognoſcit. Hinc fit, vt ſi Deus daret mihi ſpecies infuſas, claras, intuitiuas, per quas cognoſcerem hæc omnia accidentia, intuitiuè eodem modo poſſem illa demonſtrare quàm iam; etiamſi nulla penitus tunc eorum operatio ad eam cognitionem concurreret; ergo quòd ſpecies ſeipſas non detruderent, aut ipſæ non calefacerent, &c. ſed illæ actiones prouenirent miraculosè à Deo, non propterea ſequeretur illas verè non eſſe demonſtrabiles, dummodò ibi verè eſſent, & ego illas viderem, olfacerem, &c. vndecumque venirent intentionales ſpecies pro illa cognitione. Et de hoc puncto ſatis occaſione eius dubij, Vtrùm quantitas debeat immediatè recipere omnia hæc accidentia.

Vt patet in ſpeciebus Sacramentalibus.

SECTIO III.

Qua actione conſeruentur ſpecies Sacramentales, & an habeant aliquem modum ſuperadditum perſeitatis?

11 CIRCA primum Pater Coninck quæſt. 77. art. 1. dub. 1. docet, actionem & paſſionem nec modaliter diſtingui ab agente, paſſo & termino. Deinde, vt explicet, quo diuerſo modo conſeruentur accidentia extra ſubiectum ab eo quo intra, docet, ſolùm addi de nouo ex parte Dei virtualem applicationem ab ipſo Deo realiter indiſtinctam, nunc tamen de nouo realiter exiſtentem; & ratione illius dicit accidentia diuerſimodè nunc conſeruari. Hanc applicationem virtualem tribuit etiam cauſis creatis, præſertim liberis; & ratione illius dicit nos defatigari quando intenſiùs operamur. Ait etiam, quando quæritur, *Cur homo amet hoc obiectum*, non poſſe reſponderi, *Quia vult*; nam de hoc ipſo eſt quæſtio; ſed debere per eam virtualitatem reſponderi ac dici, *Quia virtualiter applicatur voluntas ad hoc obiectum.* Hæc doctrina, quatenus ponit virtualem applicationem realiter indiſtinctam à cauſa, ſeparabilem tamen ab illa, impugnata eſt à nobis ſatis ſuprà diſp. 32. tanquam deſtruens vnicum fundamentum realis diſtinctionis. Addo, eam eſſe ferè vnicum fundamentum prædeterminantium: illi enim eodem modo dicunt non poſſe reddi rationem, cur potiùs voluntas amet hoc obiectum quàm aliud, non ipſa eius libertas, ſicut etiam dicit Coninck; ergo debet eſſe aliquid antecedens realiter in voluntate poſitum, & realiter diſtinctum, quia realiter ſeparabile; (in quo rectè diſcurrunt;) hoc autem eſt prædeterminatio phyſica; ergo illa debet admitti in omni cauſa libera. Vides quàm ei ſententiæ, præter intentionem licet, faueat Coninck. Excludenda ergo omninò eſt talis applicatio virtualis, contra quam eodem modo militant argumenta eius Auctoris ac contra nos: ſicut enim dicit roganti *Cur Petrus amet*, non poſſe reſponderi, *Quia vult*; nam de hoc (inquit) quærimus rationem; ita dico ego, ſi rogem ipſum, *Cur Petrus ſe applicat virtualiter ad amorem?* quid quæſo reſpondebit? certè non poterit recurrere ad priorem aliam applicationem, quia eſſet proceſſus in infinitum; debet ergo recurrere ad ipſam applicationem formaliter, ſicut nos ad ipſam volitionem, efficienter verò ad naturam liberam voluntatis; cuius eſſentia conſiſtit in eo, vt cùm in actu primo ſit indifferens æqualiter ad hoc vel illud obiectum, poſſit ſe determinare ad quodcumque. Quòd ſi de hoc ipſo noua quæratur ratio, dicendum eſt, à priori nullam eſſe, ideoque nec dari poſſe; quia de eſſentia rei per definitionem explicata non poteſt alia ratio à priori tradi; ſed in ipſa ſubſiſtendum eſt.

Coninck ſententia de virtualitate refutata eſt;

Et quòd deſtruat realē diſtinctionē:

Et quia affinis eſt prædeterminantiū opinioni, iterum refellitur:

Tum etiam quia argumenta, quæ pro ſe affert, ſunt contra ipſum

Secundum autem argumentum de defatigatione multò magis eſt contra ipſum; quia non poteſt intelligi aliquem defatigari per aliquid à ſeipſo indiſtinctum realiter, faciliùs ergo dicimus nos defatigari operando, quia conſumimus ſpiritus vitales & animales; ex quorum defectu non poſſumus vlteriùs progredi, & ipſum proprium corpus nobis graue videtur. Angeli autem, qui non indigent his ſpiritibus, non defatigantur, licet habeant terminum ſuæ actiuitatis, vltra quem non poſſint pergere.

12 Occaſio huius doctrinæ tam ſingularis eſt, quia non vult ConincK admittere actiones realiter diſtinctas (quod tamen clarum eſt, & capitur ſine vlla difficultate) ideò confugit ad eiuſmodi virtuales applicationes, vt poſſit explicare, in quo conſiſtat ſecunda vel diuerſa actio à prima, qua res producitur; nos autem qui eiuſmodi actiones diſtinguimus, ſine difficultatis apparentia rem explicamus, ſcilicet in hoc myſterio actionem primam, qua accidentia ſimul à materia & Deo conſeruabantur; quia realiter diſtinctam ab ipſis accidentibus realiter potuiſſe deſtrui, & verò etiam deſtructam eſſe de facto, eiuſque loco aliam ſucceſſiſſe nouam diuerſam ſpecie à prima, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalem, per quam ſolus Deus modò conſeruat accidentia, quæ anteà ipſe ſimul cum ſubiecto conſeruabat; ideoque iam creantur ea accidentia, quæ anteà educebantur, quia nunc à ſolo Deo ſine concurſu ſubiecti producuntur, anteà autem à Deo & ſubiecto. Ecce quàm facilè ſine vllis virtualitatibus res hæc tota decidatur.

Solus Deus conſeruat accidentia per nouam actionem realiter diſtinctam ab actione, qua priùs conſeruabat ſimul cum materia.

Illud iam quæri poteſt, Vtrùm accidentia Euchariſtica in ſtatu ſeparationis habeant aliquem modum perſeitatis ad ſimilitudinem ſubſiſtentiæ poſitiuæ, quam communiter tribuimus ſubſtantiis. Affirmant Suarez & Vaſquez, quos ſequitur Cardinalis Lugo ſuprà & ConincK q. 77. art. 2. quia ille modus videtur eſſe vtilis, vt ea accidentia exiſtant per ſe. Ego tamen nullo modo puto illum admittendum, quia nec quidem in ipſis ſubſtantiis poſſumus ſubſiſtentiam poſitiuam probare naturali ratione vel ſaltem apparenter (vt ſuo loco dixi;) per Fidem autem ſolùm id colligimus, quia non manet in Chriſto perſonalitas humana; & quia in diuinis ſub vna natura dentur tres perſonalitates inter ſe realiter diſtinctæ. Hinc inferimus, in ſubſtantiis reperiri aliquod vltimum complementum ſubſtantiale, quod

Accidentia in ſtatu ſeparationis non habent modū perſeitatis; contra Suarez, Vaſquez, Cardinalem Lugo & Coninck.

quod vocamus ſubſiſtentiam; cuius vlteriorem effectum formalem ampliùs declarare nequaquam poſſumus, quia (vt dixi) ſolùm quoad an eſt ex Fide illum deducimus. Ex his ita diſcurro; Cùm pro accidentibus nullum nec leue quidem argumentum deducatur ex Fide, & dum ea accidentia ſunt vnita ſubiecto, non habeant vllum huiuſmodi complementum, ſed purè putè vniantur materiæ, imò in ſententia horum cum quibus diſputo, non niſi quantitati accidentali, quo quæſo fundamento? qua vtilitate huiuſmodi ſubſiſtentia ponetur, aut quem illa effectum præſtabit his accidentibus? Ego ſanè nihil horum video, & iudico multiplicationem harum entitatum non niſi ad reddendam magis impugnabilem perſonalitatis diſtinctionem valere; quia dicent illi qui eam negant, nos cogi per eam diſtinctionem ad ponendas etiam ſubſiſtentias in accidentibus, ac proinde paſſim ſine vlla neceſſitate nos multiplicare modos. Non ergo ponenda alia ibi entitas quàm influxus creatiuus loco eductiui (vt paulò antè oſtenſum eſt:) per eum enim influxum perfectiſſimè & adæquatiſſimè intelliguntur illa accidentia exiſtere per ſe: & ſanè nec capio, quomodo hunc effectum poſſent habere per entitatem ſuperadditam.

Quia ille modus in accidentibus eſt ſuperfluus.

SECTIO V.

Quomodo illa ſpecies poſſint ibi agere & pati?

13 CIRCA primam difficultatem dicendum eſt ea accidentia in extraneum paſſum poſſe operari naturaliter, quia per efficientem operationem nihil in ſe producunt; actio enim & terminus in paſſo recipiuntur; pati autem non poſſe naturaliter, imò nec propriè pati, etiam miraculoſè, quia accidentia, quæ de nouo producuntur, non recipiuntur in præcedentibus, lux v.g. calor, &c. ſed producuntur extra ſubiectum in eodem loco, in quo erant alia; & ſi ſint eiuſdem rationis, vniuntur cum illis. Hæc quidem ſatis per ſe clara; adhuc tamen moueri dubiola quædam poſſunt ad maiorem eorum intelligentiam.

Primum, Vtrùm ſpecies Sacramentales, quando amittunt vltimos gradus caloris, poſſint illos naturaliter recipere? Reſpondeo; Si illi non poterant produci naturaliter niſi ab ipſa forma, iuxta ſententiam eorum qui dicunt ab agente extrinſeco produci ſex v. g. gradus, qui ſufficiunt pro diſpoſitione, deinde vero ipſam formam producere alios duos vltimos; dicendum eſt, eos duos tunc naturaliter non poſſe produci, quia deeſt ibi forma, à qua debebant oriri, producuntur ergo à Deo ad occultandum myſterium: neque recurrendum eſt cùm nonnullis ad neſcio quas occultas qualitates, à quibus dicunt venire illas paſſiones. De quo puncto fuſiùs in Philoſophia.

Quomodo ſpecies Sacramentales calorem amiſſum recuperent.

Secundum dubium eſt, Vtrum ſi v. g. intra ſpecies vini iam conſecratas ponantur aliquæ guttæ aquæ, & hæ diſponantur ad formam vini, eamque recipiant, producatur illa ab ipſis ſpeciebus conſecratis, an à Deo? Reſpondeo, Cum dixerimus in Philoſophia probabilius eſſe, accidens non concurrere nec partialiter immediatè ad productionem ſubſtantiæ; conſequenter dicimus, ibi non produci eam formam ab ipſis ſpeciebus, ſed à ſolo Deo.

In guttas aqua lapſas in ſpecies vini conſecratas Deus introducit formã, non accidentia.

Hinc tamen Tertiò dubitabis, An tunc Deus naturaliter eam formam producat? Reſpondeo, Omnino producere, quia cùm ſint introductæ iam diſpoſitiones naturales ſufficientes ad formam in ea materia, naturaliter tenetur Deus eam producere.

Deus eam formam producit naturaliter.

Obiicies: Illa forma petit naturaliter productionem ſeu actionem ortam tam à Deo quàm ab ipſa ſubſtantia vini; ergo ſi producatur per aliam à ſolo Deo ortam, non producetur naturaliter. Reſpondeo, Formam vini eſſe talem, quæ in multis caſibus debeat ſolùm produci à Deo, vt quando in vite producitur; quia nec vitis nec terra eam continent; ergo natura ſua non exigit illam actionem producentem ab altera forma vini, niſi ſummùm quando hæc adeſt, & poteſt operari; ergo cùm in eo caſu non adſit, non minùs naturaliter producetur ea forma à Deo quàm producitur in vite.

Circa ſecundam verò tituli quæſtionem, quomodo ſcilicet hæ ſpecies patiantur, ſeu alterentur, an naturaliter, an ſupernaturaliter: Cardinalis Lugo rurſum ex hoc capite conatur probare, debere accidentia omnia ſubiectari in quantitate; quia durum eſt recurrere ad Deum in omnibus illis caſibus, in quibus ſpecies illuminantur, mouentur, calefiunt, &c. Vti enim, inquit, experimur accidentia panis & vini, quæ remanent per operationes, quas exercent dum nos calefaciunt; ita eadem experimur per operationes, quas exercemus circa ipſas, dum illas è contrario nos calefacimus, frigefacimus, &c. alioquin ſicut dicimus Deum frigefacere eas ſpecies; ita etiam dici poterit, à Deo ipſo nos calefieri aut frigefieri ad præſentiam ſpecierum ad occultandum myſterium. Nihilominùs non eſt recedendum à poſita ſuprà ſententia, quia (vt ibi diximus) non debemus in Philoſophia ſine ſufficienti ratione diſcurrere, vt euitemus aliquod miraculum in re quam ſcimus totam miraculoſam. Ad id verò quod vltimo loco obiicebatur, ſcilicet ſicut recurrimus ad Deum pro calefactione ipſarum ſpecierum, ita poſſe recurrere pro operationibus quas ipſæ ſpecies habẽt in paſſo extrinſeco; Reſpondeo negando conſequentiam; diſparitas autem eſt valdè magna: nam cùm ſupponamus non minùs poſſe calorem calefacere, & lucem illuminare, quàm ignis poteſt producere ignem, & equus equum, nec ſit vllum vel leue fundamentum vt dicamus materiam primam concurrere immediatè ad calefaciendum, aut ad frigefaciendum, ſed ſolùm habere ſe vt ſubiectum ſuſtentans ea accidentia; profectò ſi iam ſupponimus hæc accidentia ſuſtentata à Deo in rerum natura, non poſſumus cum vlla ſpecie probabilitatis dicere, illa non operari naturaliter ad extra: vti quia ſedes in qua ſedeo, aut pauimentum quo ſuſtentor non concurrit ad ſcribendum, niſi me tenendo ne cadam; certè eo ipſo quòd miraculoſè ſuſtentarer in aëre, tam naturaliter haud dubiè deinde ſcriberem, quàm ſi ſederem in cubiculo. At vt dicamus quantitatem eſſe ſubiectum aliorum accidentium, iam oſtendi ſuprà non habere nos maius fundamentum quàm vt dicamus eadem accidentia ſuſtentari in grauitate, vel in leuitate; ac proinde mirum non eſt, ſi hoc negato aſſeramus conſequenter ea miracula, quæ hinc naturaliter ſequuntur, vt dixi in hoc opere adeò miraculoſo.

14 *Cardinalis Lugo, ad oſtendendum quomodo ſpecies patiantur & alterentur naturaliter, aſſerit quantitatẽ diſtinctam:*

Nos verò indiſtinctam dicimus, licet cogamur dicere, miraculoſè alterarĩ ſpecies.

Quod in myſterio tam miraculoſo mirum videri non debet.

S ECTIO

Digitized by Google

SECTIO V.

De corruptione earum ſpecierum; vbi qua materia ſuccedat, & quis noua accidentia & formam ſubſtantialem producat?

15 *Deſinunt per aduentum contrariorũ.*

QVOAD corruptionem eorum accidentium dicendum eſt ea deſinere eſſe ex aduentu aliorum contrariorum, perinde ac ſi eſſet aliquod commune ſubiectum illorum; quando verò ita corrumpuntur, vt non ampliùs iam maneant diſpoſitiones neceſſariæ pro pane, aut pro vino, deſinere ibi eſſe Chriſtum, & produci à Deo nouam materiam eiuſdem magnitudinis cum illa quæ priùs deſtructa fuerat ad introductionem Chriſti, & in ea recipi noua accidentia, ac deinde produci formam ſubſtantialem debitam eis diſpoſitionibus, aut, ſi conuertuntur in alimẽtum hominis, introduci ibi animam rationalem præexiſtentem, & produci nouam partem vnionis ſubſtantialis.

Producitur à Deo noua materia & noua forma.

Probabiliùs producitur eadem materia qua antè fuit.

Circa materiam verò ibi tunc productam, videtur probabilius produci eamdem numero quæ anteà fuerat: id quod aliqui reducunt in exigentiam ipſorum accidentium, quia hæc numero petunt etiam hoc numero ſubiectum, aut ſaltem eſto ex ſe ſint indifferentia ad hoc vel illud, poſtquam tamen ſunt iam in hoc numero, probabile eſt ea exigere illud in particulari: vnde euenit id quod receptum eſt inter omnes, accidentia non tranſire de ſubiecto in ſubiectum. Hæc ratio eſt quidem probabilis, habet tamen eam difficultatem contra ſe, quòd vix vlla accidentia maneant ex his quæ fuère in conſecratione. Secundò, quia accidentia non petunt magis hoc quàm illud ſubiectum, vt fuſiùs ſuo loco docui: vnde ex eo quòd iam inceperint eſſe in hoc ſubiecto, non accreſcit illis maior exigentia illius quàm antea, quòd verò tranſire de ſubiecto in ſubiectum non poſſint, non prouenit illis ex exigentia illius ſubiecti, ſed quia ſi ſubiectantur in ſola materia, ſemper habent eamdem illam applicatam, nec poteſt altera materia penetrare priorem, nec illam exturbare ex officio ſuſtentandi ea accidentia: & idem eſt ſuo modo de aliis formis, excepta rationali, quæ cùm non pendeat à materia, poteſt manere illi vnita (etiamſi aliquæ partes materiæ, in quibus conſeruabatur, pereant) donec aliæ aliquæ diſponantur pro ea forma rationali, & hæc ſuccedat in eam materiam. Hæc ratio habet etiam locum, ſi non in ſola materia, ſed in forma accidentia ſuſtententur: quòd ſi ſint aliqua quæ recipiantur tam in materia quàm in forma, etiam illa ideò non poſſunt mutare ſubiectum partiale, quia huiuſmodi accidentia videntur emanere efficienter à forma, ac proinde cùm ſemper fiat trãſmutatio in formam diuerſæ ſpeciei, non poſſunt jam manere eædem paſſiones quæ erant anteà, ſi autem illæ ſint communes vtrique formæ, gratis dicitur eas recipi in forma, cùm poſſint commodiùs poni in ſubiecto commmuni. Deinde, ſæpè ea materia præcedit natura formam, ſi autem ea accidentia poſſunt manere cum ſequenti forma, debebunt etiam in eo priori intelligi iam exiſtentia, ac proinde adæquatè pendebunt à materia, ſi autem cum ſequenti manere non poſſunt tunc multò minùs mutabunt ſubiectum. Denique, licet inter diſpoſitiones immediatè contrarias prior ſit natura generatio quàm corruptio, inter formas tamen ipſas ſubſtantiales ſatis probabile eſt in eodem minimùm ſigno eſſe corruptionem & generationem, ac proinde non poſſe formam nouam habere ſufficientem prioritatem, vt poſſit conſeruare antiqua accidentia. Denique, quidquid de hoc puncto ſit, vti hi Auctores dicunt ea accidentia habere exigentiam determinatam ſubiecti poſtquam ſunt in illo, quam exigentiam anteà non habebant, ita eodem modo ego dicam, poſtquam iam ſunt ſpoliata per conſecrationem eo ſubiecto, redire illa ad antiquum ſtatum, ac pro inde iam non magis exigere antiquum ſubiectum quàm aliud quodcumque, ea ergo ratione reiecta, non video in re vtcumque dubia quid aliud adduci poſſit, quàm quòd cùm ea materia natura ſua ſit incorruptibilis, & ſolùm ob præſentiam Chriſti fuerit deſtructa, & facta ei violentia connaturale videatur eam reſtitui in ſuam exiſtentiam, eo ipſo quòd præſentia Chriſti ceſſet.

Aliquorum ratio pro hac ſententia patitur difficultatem:

16 *Neque ſufficienter oſtenditur, accidentia exigere priùs ſubiectum,*

Videtur tamẽ connaturale, vt antiqua materia reſtituatur.

Quæres deinde, A quo agente producatur eo inſtanti forma ſubſtantialis? Pater Vaſquez diſput. 195. cap. 3. ait non poſſe produci ab agente naturali, quia hoc non habet virtutem producendi formam, niſi priùs materiam diſpoſuerit. Verùm contrarium eſt omnino certum, quia ſi loco ignis, qui priùs tempore diſpoſuit materiam, applicetur alius in vltimo inſtanti, non videtur dubium quin poſſit tunc producere formam ignis, non minùs quàm ſi anteà ibi fuiſſet; imò fortaſſe ideò meliùs, quia nihil laboraſſet operando. Deinde, ſæpè contingit aliquod paſſum ita eſſe diſpoſitum ad formam, vt illi non deſit niſi vltima planè diſpoſitio, v.g. ſtupa ad ignem: vnde in ipſo inſtanti quo applicatur ignis, illa concipit vltimam diſpoſitionem & ipſum ignem, licet fortè id non fiat in primo inſtanti applicationis, non poſſumus tamen cum probabilitate aut cum fundamento in naturis rerum aut à ratione dicere, caſu quo ita eſſet ſtupa diſpoſita, vt in primo inſtanti, quo applicaretur ignis, conciperet diſpoſitionem vltimam, tunc non operaturum ignem: quod quæſo illum impediret? Adde, cùm in eo caſu, in quo iam ſumus, ſupponatur illud agens anteà produxiſſe diſpoſitiones pro ea forma, eſto eas non produxerit in vlla materia, quia ibi nulla omnino fuit, ſed illæ manſerint miraculosè conſeruatæ, non poſſe cum fundamento vllo probabili dici, id non ſufficere, vt deinde idem agens formam ſubſtantialem ibi producat.

17 *Vaſquez negat produci in huiuſmodi caſibus formã ſubſtantialẽ ab agente naturali.*

Dicendum ergo, eas omnino produci ab agente naturali, potenti alioqui eam formam in materiam inducere. Circa diſpoſitiones verò in vltimo inſtanti eſt difficultas, an illæ producantur materialiter tunc à materia de nouo adueniente, an verò adhuc maneant independentes à priori à ſubiecto. Ratio autem dubitandi eſt, quia in eo inſtanti intelliguntur illæ diſpoſitiones priùs natura quàm deſinat Chriſtus ibi eſſe, & conſequenter priuſquam adueniat materia noua, ergo hæc non poteſt eſſe cauſa materialis eo inſtanti illorum accidentium. Huic difficultati reſpondet dupliciter Cardinalis Lugo diſp. 10. ſect. 2. Primò, poſſe dici in eo inſtanti accidentia illa manere quidem vnita ſubiecto, non tamen pendere ab illo à priori. Verùm hæc ſolutio videtur pugnare cum doctrina huius Auctoris, qui docet accidentia cauſari ibi efficienter à Chriſto Domino: vnde in priori illo naturæ non poſſunt ſupponi iam conſeruata; non à Chriſto, quia ibi non

Contraria tamen ſententia eſt probabilior.

Sententia Cardinalis Lugo de diſpoſitionibus, à quo ſubiecto materialiter producãtur, refutatur.

non manet; non à materia ipſa, vt hic docet; non à ſolo Deo, quia Deus non potuit ſuccedere in locum Chriſti, niſi quia iam vidit illum inde
18 abeſſe, & exiſtere iam materiam antiquam. In mea ſententia hæc ſolutio eſt optima, vt ſtatim dicam. Reſpondeo Secundò (& hanc iudicat probabiliorem ſolutionem) eo inſtanti materiam eſſe priorem natura, quia eo ipſo quòd in inſtanti reali præcedenti Deus vidit productam penultimam diſpoſitionem ad nouam formam, & vidit agens iam applicatum ad producendas in hoc inſtanti vltimas diſpoſitiones, determinat ſe Deus priùs natura quàm hoc agens operetur ad producendam materiam; & tunc agens illud ſimul cum materia concurrit ad productionem vltimæ diſpoſitionis & aliarum præcedentium educendo omnes ex illa materia. Hæc ſolutio ſuppoſito principio huius Auctoris eſt omnino neceſſaria; quia tamen ego ſuprà oſtendi longè probabilius eſſe, Chriſtum in conſecratione poſterius natura exiſtere ad exiſtentiam ſpecierum, quia ſpecies priùs natura attenduntur, quàm Chriſtus ponatur, id quod ibi fuſiùs deduxi; idcò conſequenter iudico dicendum, etiam eo vltimo inſtanti eſſe priùs natura exiſtentiam earum diſpoſitionum quàm ſit productio nouæ materiæ: id quod vlteriùs confirmo, quia ſi ſemel licet recurrere ad eum modum philoſophandi, quòd Deus præuiſa in inſtanti penultimo penultima diſpoſitione, & viſo in vltimo inſtanti applicato iam agente, eo ipſo priùs natura auferat Chriſti præſentiam, &c. profectò dabitur occaſio, vt deſtruatur doctrina, quam hic Auctor cum meliori parte Philoſophorum defendit ſcilicet generationem eſſe priorem natura corruptione in aliis generationibus: etenim eodem modo dicam, eo ipſo quòd Deus in hoc inſtanti A v. g. videat applicatum agens ex ſe ſufficiens ad inducendum calorem, Deum priùs natura deſtruere frigus ideoque poſteriùs natura produci calorem ab agente; quia reuerà illa doctrina tam videtur habere locum in caſibus omnibus naturalibus quàm in eo ſupernaturali: nam etiam in eis naturalibus caſibus priùs natura eſt applicatum agens potens, & priùs natura Deus videt neminem eſſe, qui eo inſtanti poſſit ei agenti reſiſtere; ergo id ſufficere poterit, vt Deus ceſſet à concurſu in frigus, & deinde poſteriùs natura efficiatur calor: per hoc autem, vt dixi, turbarentur valdè multa principia in Philoſophia ab omnibus recepta. Ne ergo ad has anguſtias reducamur, dicendum omnino erit, etiam in eo caſu eſſe priorem productionem vltimæ diſpoſitionis quàm producatur materia prima; ac proinde eo inſtanti illa accidentia non educi à materia, quia hæc eſt poſterior.

Statuitur priùs natura eſſe diſpoſitionem quàm ſit productio nouæ materiæ.

Sicuti dicitur generatio prior natura corruptione.

19 Secundò, ex ea parte habet difficultatem illa ſolutio: nam ſi Deus priùs natura videt iam expeditum agens; ergo non poterit videri eius operatio in tertio ſigno poſt productionem materiæ, ſed minimùm erit tam citò quàm ea productio, ſeu ambæ erunt in ſecundo ſigno; quia cùm ambæ neceſſariò conſequantur ex illa cauſa, erunt ambæ in ſecundo ſequenti ſigno; imò cùm nouæ formæ & materiæ productio pendeat ab ea productione vltimæ diſpoſitionis, non verò è contrario, quia certum eſt, ſuppoſita inſtitutione Dei circa hoc Sacramentum, etiamſi in eo inſtanti non veniret illa diſpoſitio, vltima adhuc manerent priora accidentia; non tamen è contrario vltimum adueniret, niſi priora manerent: ergo etiam in eo inſtanti retinetur totum fundamentum, quod pro prioritate naturæ in omnibus aliis materiis à Scholaſticis eſt inuentum. Video huic argumento poſſe reſponderi, in eo inſtanti fundamentum illud prioritatis ceſſare ex ſola voluntate Dei, & ſolùm accipi ex inſtanti præcedenti reali, & ex applicatione agentis in hoc inſtanti: quæ duo ſunt etiam ante productionem præcedentium diſpoſitionum. Nihilominùs tamen adhuc poteſt vrgeri; nam rogo, Quæ agentia videt Deus eo priori applicata ad conſeruanda priora accidentia, maximè autem quantitatem diſtinctam in horum ſententia? Non vllum creatum; quia quantitas à nullo producitur niſi materialiter à materia; quæ tamen in eo priori adhuc non videtur exiſtere. Non ſeipſum; nam ſi Deus ſeipſum videt iam in eo priori proximè applicatum ad productionem quantitatis; profectò etiam videbit illam priùs productam quàm adueniat materia; quia inter Deum proximè applicatum ad operandum & inter ipſam operationem non poteſt interponi vllum medium ſignum: nomine enim proximæ applicationis intelligo etiam ipſam voluntatem Dei concurrendi. In qua rurſus eſt noua difficultas, nam vel illa voluntas eſt de exhibendo concurſu in quantitatem ſine conſortio creaturæ, vel cum illo: ſi ſine conſortio; ergo iam eo inſtanti non habebit locum concurſus materialis materiæ: ſi cum creatura; ergo iam videt tunc creaturam illam ſeu materiam illam exiſtentem: repugnat enim Deum dicere per decretum proximum, *Volo in hoc inſtanti concurrere cum materia*, niſi iam videat ipſam materiam exiſtentem; ergo non poteſt in eo inſtanti prior eſſe præparatio Dei proxima ad concurrendum, quàm ſit exiſtentia materiæ, quæ debet eſſe vna ex communibus principiis, quibus Deus completur ad producendam eam materiam. Nec poteſt reſponderi, in eo priori naturæ Deum non 20
videre niſi cauſam creatam ex ſe potentem producere vltimam diſpoſitionem, ſi adſint cætera, & ex hac cognitione ipſum moueri primò ad producendum materiam, & deinde ad dandum concurſum ei agenti, vt ſimul cum materia producat vltimam eam diſpoſitionem; ipſum verò Deum determinari etiam ad producenda accidentia priora: hoc inquam dici non poteſt; quia agens creatum, v. g. ignis, non poteſt cõcipi hoc inſtanti potens ad producendam vltimam diſpoſitionem, niſi aliqui gradus eiuſdem ſint iam in illo ſubiecto; quia in vno inſtanti non poteſt omnes gradus producere; ergo vt Deus concipiat ignem potentem producere eam diſpoſitionem, videre debet iam ibi eſſe priores: nec ſufficit, quòd videat eas fuiſſe in præcedenti inſtanti reali; nam eſto fuiſſent, ſi tamen Deus pro ſua libertate nollet eas in hoc conſeruare, non fuiſſet ille ignis potens ad productionem vltimæ diſpoſitionis; ergo vt concipiatur potens, debet videre duo hæc, & quòd fuerint, & quòd ipſe Deus non velit eas deſtruere: cùm autem in Deo non ſit pura omiſſio libera (imò, iuxta hos Auctores, nec in voluntate creata) profectò quouſque Deus videatur poſitiuè velle non ceſſare à conſeruatione priorum, non poterit videri agens illud proximè potens ad producendam vltimam: atqui ſi Deus dicit, Nolo ceſſare à conſeruatione eorum accidentium, iam eo ipſo illa videntur conſeruata; ergo non poteſt ea proxima applicatio agentis ad producendam vltimam

Impugnatur aliter Cardinalis Lugo ſententia.

Reſponſio pro ea opinione reſellitur.

Occurritur alteri reſponſioni.

Digitized by Google

mam diſpoſitionem pro igne habere locum, antequam videantur priores diſpoſitiones productæ.

21 *Replica expeditur.* Dices, Manifeſtè oſtendi hoc argumento, non videri tunc eam applicationem omnino & abſolutè completam, poſſe tamen ita videri; vt ſi ex ſe illud agens ſit ſufficienter localiter applicatū ad eam producendam, conſequenter habeat conditionaliter vim, ſi priores adſint; cumque exiſtentia eius agentis ſit independens à ſpeciebus, poterit illa priùs videri quàm videantur ſpecies. Reſpondeo, Hoc modo explicatam eam prioritatem non impugnari omnino argumento huc uſque à nobis facto. Dico *omnino*, quia adhuc circa ipſam vbicationem poſſet eſſe aliqua ratio dubitandi; nam agens illud non videtur poſſe intelligi vicinum ſpeciebus, niſi etiam iam ipſæ ſpecies concipiantur exiſtere, & manere in illo loco; quia quòd anteà fuerint vicinæ, parum iuuat, ſi iam in hoc inſtanti reali non eſſent ibi; ergo ſaltem ex hoc capite videtur repugnare, quòd agens illud ſit aptum priùs natura quam exiſtant ſpecies. Quod argumentum habet ſatis magnam difficultatem in ſententia quæ requirit priùs natura approximationem; in nea verò poteſt vtcumque ſolui: quidquid ergo de toto illo ſit, ſufficiant quæ priùs contra eam ſententiam dixi.

DISPVTATIO TRIGESIMANONA.

Quomodo & quando deſinat Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus?

1 EXPLICVIMVS, quomodo Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus; iam è contrario agendum, quomodo ab illis diſcedat?

SECTIO I.

Chriſtus ſolùm deſinit eſſe per corruptionem vbicationis, & per deſtructionem vnius actionis ſubſtantialis.

Sententia aſſerens Chriſtum deſinere per ſolam deſitionem extrinſecam ſpecierum à Suarez reijcitur. PATER Suarez diſp. 54. ſect. 1. meritò reijcit Primò ſententiam illorum, qui dicunt Chriſtum deſinere eſſe in Sacramento ſolùm per deſitionem extrinſecam ipſarum ſpecierum, nulla in ipſo facta mutatione ſicut Deus deſinit eſſe in creatura ſine mutatione ſui ex ſola mutatione creaturæ. Hæc enim ſententia omni omnino caret probabilitate. Nam Chriſtus non eſt præſens ſpeciebus per exiſtentiam ſolam ſpecierum & Chriſti; nam ante conſecrationem & Chriſtus & ſpecies erant in rerum natura, & tamen Chriſtus non erat ſub ſpeciebus. Deinde poſſunt diuinitus ſpecies manere ſine ſubiecto, & Chriſtus non eſſe ibi; ergo quando re ipſa eſt ſub illis, aliquid acquirit, à quo denominetur ibi eſſe, illud autem amittere debet è contrario, vt deſinat ibi eſſe. *Reſpondetur inſtantiæ.* Quod in inſtantiam adducebatur de Deo non eſt ad rem, quia Deus eſſentialiter eſt in omni loco, vnde poni non poteſt creatura, niſi eo ipſo ſit Deo præſens. At Chriſtus ex ſe nequaquā eſt in omni loco magis quàm ego, aut quàm alius homo, poni ergo debet in ipſo aliqua vbicatio, qua fiat præſens ſpeciebus potiùs quàm ego, & è contrario quando deſinit eſſe ſub illis, debet illud ceſſare, alioquin rogo, Cur magis in Chriſto quàm in me ceſſet ea denominatio extrinſeca manendi ſub ſpeciebus, ſi in Chriſto nihil plus ceſſat quàm in me, quandoquidem non fuerat in Chriſto anteà vlla præſentia magis quàm in me?

2 *Secunda ſententia reiecta à Suarez.* Secunda ſententia, quam ibi Suarez reiicit, eſt extremè oppoſita, ſcilicet Chriſtum vi illius mutationis mutari quadam mutatione ſubſtātiali ex genere ſuo, quia amittit actionem ſubſtantialem; ac proinde vi illius deſineret abſolutè eſſe, ſi alibi non eſſet. Secunda hæc ſententia meo iudicio, ſuppoſitis principiis Patris Suarez, quæ nos cum illo defendimus, re ipſa eſt veriſſima; & fortaſſe in ſolo modo loquendi habet aliquam duritiem.

Pro quo aduerte, non eſſe credibile viros doctos, quales ſunt eius doctrinæ auctores, putaſſe Chriſtum ſimpliciter amittere ex ſpecierum corruptione ſuam in cœlis exiſtentiam; ac proinde etiam non eſt credibile eos ſenſiſſe, abſolutè & ſimpliciter Chriſtum amittere eſſe ſubſtantiale; ergo tantùm illi voluère dicere, Chriſtum amittere eam actionem ſubſtantialem, quam iam diximus acquiſiuiſſe per conſecrationem: quæ amiſſio, ſi Chriſtus non haberet alibi eſſe, ſufficeret omnino ad hoc, vt deſineret eſſe ſimpliciter in rerum natura. *Mitigatur hæc ſententia, & defenditur cōtra Suarez.* Vnde vehementer miror Patrem Suarez §. *Dico Secundò*, docere nihil aliud Chriſtum amittere quàm vbi, cùm amittat eam quam diximus actionem ſubſtantialem, fortaſſe voluit dicere, nihil aliud diſtinctum ab ipſa actione amittere; quia eſſe, ad quod terminabatur illa actio, non amittitur: id quod libentiſſimè ei concedimus; at in hoc ſenſu idem iudiciū debet eſſe de vbi, quia Chriſtus etiam non amiſit eius vbi terminum; hic enim eſt ipſa ſubſtantia; ſed purè putè amiſit vbi, & ob defectum illius amiſit denominationem exiſtentis in hoſtia: ſicut qui amittit albedinem v.g. amittit denominationem albi: amiſit ergo duo Chriſtus, vbicationem & productionem ſubſtantialem: Secundò, amiſit duas denominationes, ſcilicet exiſtentis in tali loco & reproducti ſubſtantialiter. *Impugnatur Suarez loquendi modus.* Hæc eſt tota ſubſtantia eius quæſtionis: & hoc meo iudicio & nihil aliud voluerunt hi Auctores; nec credo à Patre Suario re ipſa negatum, etiamſi verba ſolam vbicationem dicant amiſſam. *Chriſtus amiſit & vbicationem & actionem ſubſtantialem.*

3 *Sententia quorumdam abſurda:* Pro complemento aduerte, non defuiſſe apud eumdem Suarium ibidem qui dicerent, Chriſtum, dum deſinit eſſe in ſpeciebus, aſcendere per motum localem in cœlum; ac proinde tot in cœlo habere præſentias locales, quot fuère hoſtiæ conſecratæ, in quibus ob ſpecierum corruptionem deſiit eſſe. Hæc ſententia adeò abſurda eſt, vt vehementer admirer fuiſſe aliquos qui illam defenderint; relicta verò ipſa abſurditate *Impugnatur.* de infinitis propè replicationibus Chriſti in cœlo ex ferè infinitis hoſtiis, quæ fuère, & in finem mundi erunt conſecratæ, ego ſic contra eam argumentor; Quia vel id putant eſſe neceſſarium, eò quòd aliàs non poſſet Chriſtus deſinere eſſe in hoſtiis; vel dicunt id quidem non ex neceſſitate, ſed tamen ex voluntate Dei prouenire: ſi primum dicant, docent rem improbabilem,

Deſinere eſſe in hoc loco non petit formaliter poni alibi.

lem; quia vt Chriſtus deſinat eſſe hîc, ſufficit, ſi auferatur ab illo præſentia qua erat hîc: quòd autem præſentia altera illi detur, eſt omnino per accidens ad ceſſandum eſſe hîc; vti ad hoc, vt homo deſinat eſſe albus, non eſt neceſſum dare illi alium colorem, ſed ſufficit, ſi ab illo auferatur albedo, vt ex terminis conſtat.

Confirmatur impugnatio.

Confirmo, & rogo hos Auctores, An quando poſitus eſt Chriſtus in hoſtia, debuit deſcendere ex cœlo, an non? ſi non; ergo ſicut ſine proprio deſcenſu per ſolam acquiſitionem nouæ vbicationis iam eſt vbi anteà non erat; eodem modo è contrario ſine nouo aſcenſu in cœlum, per ſolam amiſſionem eius quod acquiſiuit manebit in eo ſolo loco, quem anteà habebat. Quòd ſi dicant eum debuiſſe deſcendere; rogo vlteriùs, An ita deſcenderit, vt ibi manſerit an non? & an, quando hoſtiæ mille v. g. aut tria millia conſecrantur, debuerit per tot vias deſcendere quot ſunt illæ hoſtiæ? ſi deſcendit ita, vt in cœlo manſerit, argumentor euidenter; Ergo ſicut ſe mouit ex loco, in quo erat, non illum deſerendo, ſed acquirendo ſimul & ſemel in vicino ſecundam præſentiam, & deinde in tertio tertiam, &c. ita potuit Deus dare illi tertiam illam, eſto non dediſſet ſecundam; & conſequenter potuit dare illi vltimam quam habet in hoſtia, nulla data ex intermediis, quia datio huius vltimæ non pendet eſſentialiter à datione præcedentis vicinæ: quando enim Deus creauit Adamum, dedit illi præſentiam in Paradiſo, eſto priùs tempore non

Vt detur hæc præſentia, non præſupponitur neceſſariò alia alibi.

4 dederit illi alias viciniores. Quòd ſi dicant ita deſcendere è cœlo, vt deſerat illum locum, dicent vnam hæreſim manifeſtam; & tunc iam non relinquerent vnde veniret ad illas hoſtias, ſub quibus poſteà conſecratur: quòd ſi propterea toties ponerent Chriſtum in cœlis replicatū, quot ſunt hoſtiæ ad quas deſcenſurus eſt, eſſet errore peior priore; quia de ipſa multiplicatione præſentiarum in cœlo eſſet eadem difficultas, quomodo ſcilicet dederit illi Deus tot præſentias, vltra vnam illam quam habuit ipſe dum aſcendit in cœlum; nam ſi id fecit Deus ſolùm addendo plures ſupra primam: ergo idem poterit iam facere, nec erit neceſſum vt deſcendat per motum localem: ſed ſicut in cœlo addidit mille, ita ſi nunc ad conſecrationem hoſtiarum tot addat quot ſunt hoſtiæ, id ſufficiet; nec poteſt dici, Deum illas plures ante conſecrationem addidiſſe, illum ex eodem loco extrahendo ad quamlibet ex illis: hoc enim iuxta hanc ſolutionem repugnat, quia ſupponitur, quòd non poſſit ire ad duo loca niſi ex duobus locis. Vides ergo ad quas euidentiſſimas abſurditates reducitur ea opinio? Quòd ſi propterea dicatur illum reditum Chriſti in cœlum non ideò adſtrui, quaſi aliter non poſſet Chriſtus deſinere eſſe ſub ſpeciebus corruptis, ſed quia Deus ſua voluntate ita diſpoſuit, facillimè etiam id reiicietur: nam tantum miraculum non poteſt adſtrui ſine ſufficienti aliqua auctoritate, quæ in præſenti adeò nulla eſt, vt potiùs omnes ferè ſupponant in cœlis non niſi ſemel Chriſtum exiſtere; multi autem putent repugnare etiam diuinitus, quòd exiſtat circumſcriptiuè in diſtinctis locis. Non eſt ergo in re clara in ſcirpo quærendus nodus, ſed dicendum eam deſitionem fieri per ablationem præſentiæ, ideoque purè eſſe negatiuas eas duas mutationes quæ in Chriſto ſunt, & vbicationis & actionis ſubſtantialis. Et de hoc puncto ſatis.

Quæſtio ſuprà tacta ſoluitur.

Rogabis tamen, Cùm ſuprà dixerimus ceſſare hîc actionem ſubſtantialem ex ſe productiuam Chriſti, & talem quidem, quòd ſi alibi Chriſtus non haberet aliam, deſineret eſſe abſolutè in rerum natura, quomodo hoc ipſum ſit intelligendum, an ita, vt ſi Chriſtus deſineret eſſe præſens ſub ſpeciebus, & alibi non eſſet, eo ipſo abſolutè periret; an verò poſſet ceſſante præſentia ad ſpecies durare tamen actio, qua conſeruabatur ſub illis, ſicut ſuperiùs diximus diuinitus potuiſſe panem conſeruari, etiamſi non maneret vnitus ſpeciebus. 5

Reſponſio Ledeſma probatur.

Reſpondet benè Ledeſma apud Suarez ſuprà, pendere id ex voluntate Dei, quo ſcilicet animo eum produxiſſet ſub ſpeciebus, an pro ſolo eo tempore, quo illa conſecratio duraret, an in perpetuum: de qua voluntate Dei pro eo caſu nihil poſſumus nos nec probabiliter aſſerere.

Replica.

Dices, Etiamſi prima productio pendeat ab agentibus aliquibus, quæ deinde ceſſant non propterea rem illam in ſecundo & tertio inſtanti perituram: id quod habet locum etiam in productionibus miraculoſis; nam licet miraculosè alicui reſtituatur viſus per verba aliqua, ceſſantibus tamen illis verbis, non continuò perit viſus, ſed manet in ſua exiſtentia; ergo facta ſemel conſecratione, cùm Chriſtus ſit natura ſua quoad animam & corpus perpetuus, debuiſſet manere, etiamſi ſpecies corrumperentur, & eſto maneret ipſe ſine illis.

Reſponſio ad replicam.

Reſpondeo, Id habere locum quando vel productio eſt conformis exigentiæ naturæ, vel ſaltem ſecunda conſeruatio eſt naturalis: v. g. ignis in primo inſtanti producitur ab igne, in ſecundo naturaliter à ſolo Deo conſeruatur, ac proinde poſteà ſemper manet.

Quomodo res ex ſe perpetua, ſi producatur miraculosè, petat perpetuò durare.

At ſi & conſecratio & prima productio ſunt ſupernaturales, & planè miraculoſæ, videtur naturaliter eo miraculo ceſſante debere etiam rem illam ſic conſeruatam omnino ceſſare. Cùm ergo ſub ſpeciebus ita Chriſtus produceretur tunc, vt & conſecratio eius & productio eſſet miraculoſa, ac proinde nequaquam ex vi illius poſſimus determinare, quid eſſet futurum ablato eo miraculo, ſed omnino id ad decretum Dei in eo caſu reducendum eſſet. Si tamen aliquis dixerit, Etiam eo caſu animam v. g. rationalem, quia natura ſua eſt immortalis, petere vt in æternum conſeruetur, quomodocumque & quacumque occaſione ſemel producatur; ſi inquam aliquis ita voluerit diſcurrere, haud facilè poterit impugnari: ſemper tamen videtur probabilius, id eo caſu ex ſola voluntate Dei, qua ſe determinauit ad illud miraculum faciendum, fore dependens.

Quæſtio de Chriſti corpore in cineres redacto.

6

Quæres; Quid ſi corpus Chriſti eſſet alibi redactum ad cineres, & per conſecrationem acciperet organizationem humanam, amitteretne illam corruptis ſpeciebus necne? Reſpondeo cum Cardinali Lugo, Eam amittendam, quia cùm illa ſit naturaliter impoſſibilis cum forma cinerum, neceſſum eſt vt ceſſante miraculo ea materia non maneat niſi ſub vna forma. Quòd ſi obiicias, Ergo è contrario facta conſecratione debuit forma cinerum amitti, & in eam materiam induci organizatio humana, quia non minùs hæc eiicit formam cinerum, quàm è contrario ipſa eiiciatur à forma cinerum; Reſpondet benè Cardinalis, Cùm Deus in hac conſecratione attendere videatur maximè ad occultandum hoc myſterium, non potuiſſe vi conſecrationis amitti formam cinerum, eo enim ipſo proderetur

prodeceretur conſecrationis efficacia. Fortaſſe Secundò poſſet reſponderi, Diſparitatem in eo conſiſtere, quòd cùm iam ſupponatur Chriſti materia habere naturaliter eam formam, non debet illam amittere, ex eò quòd miraculosè ponatur alibi; quia id quod præſupponitur ad miraculum, non debet per illud deſtrui. Vti ſi Deus vellet ponere iam Romæ meam ſolam animam, vt ea eſſet in duobus locis, non deberet ea anima amittere vnionem ad corpus hic Pragæ; quia hæc vnio præſupponitur ad miraculum. Hinc è contrario fit, vt quando Deus deinde vult ceſſare à miraculo, relinquere debeat ea quæ naturaliter conſeruabantur ergo in præſenti caſu ratio eſt ſufficiens, cur ex poſitione organizationis poſitæ in conſecratione non ceſſet forma cineris, quam habebat priùs ea materia; è contrario verò quando corrumpuntur ſpecies, quia ceſſat miraculi occaſio, ceſſet etiam ea organizatio, vtpote illi formæ cinerum contraria: habet enim maius ius hæc forma cinerum ad expellendam ſibi contrariam, quàm altera vt expellat cineres, quia illa exiſtit naturaliter, hæc verò ſupernaturaliter, & corruptis ſpeciebus ceſſat, vt iam dixi, occaſio tota miraculi.

SECTIO II.

Vtrùm Chriſtus deſinat eſſe, eo ipſo quòd ſpecies vini miſceantur cum alio liquore?

7 *Sententia D. Thomæ de duobus liquoribus mixtis. Quid dicendum, ſi duo liquores miſceantur.*

HVIC quæſtioni occaſionem dedit Diuus Thomas, qui ſingularem doctrinam tradidit hac quæſt. 76. art. 8. vbi docet, Eo ipſo quòd duo liquores inter ſe miſceantur, non durare vllius ex illis ſubſtantiam, ſed aliam tertiam reſultare ex vtroque; imò ſi vna pars miſceatur, iam illam non eſſe eamdem quæ erat anteà in ſpecie, ſi cum diuerſo ſpecie liquore miſceatur, in indiuiduo verò non eſſe eamdem, ſi cum alio diſtincto numero liquore miſceatur: id quod non videtur probabile, ſi intelligatur de ſola mixtione locali, quia hæc non mutat ſubſtantiam rei; ſubſtantialis autem mixtio, id eſt conuerſio, non fit tam breuî, id eſt, quando miſcentur liquores: deinde non reſultat alia tertia ſubſtantia, ſed fortior ex illis conuertit in ſe debiliorem. Quod autem addit de mutatione duarum partium eiuſdem ſpeciei, multò minùs videtur verum: neque enim quia homo nutriatur, & partes de nouo acquiſitæ diffundantur per antiquas, ideò antiquæ non ſunt eædem numero quæ anteà. Ratio à priori, quia indiuiduatio rei eſt ipſi rei eſſentialis, quæque non deperditur per coniunctionem cum altera, poterit quidem reſultare ex coniunctione diuerſum totum; partes tamen in ſe ſemper erunt eædem quæ anteà; vt in materia prima & anima rationali ante & poſt vnionem clarè conſtat: licet enim homo reſultet per vnionem, anima tamen & materia eædem ſunt quæ priùs & ſpecie & numero: & nec quidem ea ſententia locum videtur habere, etiamſi dicamus dari minimum naturale, infrà quod non poſſit conſeruari forma panis & vini; nam ea doctrina ſolùm poſſet habere locum, quando ſpecies vini diuiderentur per admixtionem liquoris diuerſæ ſpeciei: tunc enim poſſet ita diuidi vinum, vt non ſufficeret ad conſeruandam formam vini. At quando ea mixtio eſſet cum vino etiam non conſecrato, tunc adhuc in minimo minori poſſet forma vini conſecrari, quia cùm maneat inter agentia eiuſdem ſpeciei, non poteſt ibi alterari, ac perinde eſſet, ac ſi totum vinum eſſet vnitum.

Rogabis, Sed quid ſi dicamus aliqua vina, album ſcilicet & rubrum, ſpecie differre, aut intra eamdem ſpeciem vnum ita eſſe nobilius altero, vt poſſit in ſe alterum conuertere, quid inquam in tali caſu dicendum, ſi vinum conſecratum conuertatur in non conſecratum quoad accidentia, amittétne ideò conſecrationem? Reſpondeo, Antequam fiat alteratio manſurum ibi Chriſtum, vt conſtat ex dictis. Et confirmatur ex Innocentio Tertio in cap. *Cùm Marthæ*, vbi id expreſsè docet: quòd ſi tamen fiat ea alteratio, de qua in quæſtione, multi cenſent certum omnino eſſe non manſuram conſecrationem, quia iam non manent illæ ſpecies vini quæ erant conſecratæ; quòd autem ſuccedant aliæ eiuſdem generis, videtur omnino per accidens. Quæ ratio ſatis eſt probabilis; quia reuerà quando iam ſpecies non poſſunt retinere antiquam formam ſubſtantialem, videntur corruptæ ſubſtantialiter in ordine ad retinendum Chriſtum. Nihilominùs valde probabile eſt, etiam tunc non ceſſaturum Chriſtum eſſe ſub eis ſpeciebus, vt docet Cardinalis Lugo diſput. 10. ſect. 3. qui id probat Primò; nam fideles non habent vllum ſcrupulum in eo quòd conſecratio fiat ſimul in vino albo & rubro inter ſe mixtis; & tamen fieri poſſet, vt illud quod eſt fortius ageret in alterum; & tunc deſineret eſſe Chriſtus in eo quod amitteret proprias ſpecies; ac proinde in eo calice non eſſet ſanguis ſolus, cùm tamen totus fuiſſet conſecratus. Secundò, quia ſi vera eſt ſententia docens aquam mixtam vino tranſire immediatè in ſanguinem Chriſti, nemo diceret, ſi aqua illa eſſet conuerſa in ſanguinem, & deinde amitteret diſpoſitiones aquæ, & tranſiret in vinum, deſinere Chriſtum eſſe ſub illis ſpeciebus. Tertiò, quia ſi ea alteratio ſpecierum ſufficeret ad tollendam conſecrationem, debuiſſet Eccleſia præcauere huiuſmodi periculum, & præcipere ne prima ſaltè purificatio fieret vino alterius rationis & fortiori: poſſet enim cótingere, primo vino deficiente adferri aliud fortius ad purificandum.

8 *Quæſtio de mixtione albi & rubri vini, vilioris maximè ſi ſpecie differant.*

Reſponſio ex mente Innocentij Tertij.

Alia reſponſio Cardinalis Lugo probabilis.

Hæc tamen argumenta nullo modo vrgent: non primum & ſecundum, quia ſolùm continent nouos caſus, in quibus Aduerſarij omnino dicent debere affirmari eam ceſſationem conſecrationis; neque vllo ex capite oſtenditur id dici abſurdè: etenim illæ ſpecies reuerà non ſunt conſecratæ. Multò autem minùs vrget tertium argumentum, quia illud periculum eſt planè moraliter nullum; tum quia cùm ex eodem loco ſemper accipiatur vinum pro purificatione, vnde pro conſecratione vix poteſt caſus contingere, in quo adferatur vinum diuerſæ ſpeciei; tum quia cum inſtantaneè quaſi fiat ea mixtio, & accipiatur ſtatim à Sacerdote, non poteſt fieri ea corruptio antequam Sacerdos eam ablutionem ſumat, ac proinde nihil impeditur de effectu gratiæ: quòd autem in ſtomacho ſtatim alterentur vina, non curat Eccleſia. Adde, cùm ea ablutio non ſumatur in ordine ad augendam gratiam, quia iam ſupponitur conceſſa per ſumptionem ſanguinis (ſi tamen nouam cauſat ſanguis; de quo infrà) ſed præciſè fiat ad impediendum ne ſanguis Chriſti maneat in calice, non curare Eccleſiam vllo modo, quòd per eam mixtio

9 *Argumenta Cardinalis Lugo non vrgent.*

Digitized by Google

mixionem aliquæ guttæ, quæ adhuc retinebant conſecrationem, eam amittat per illam mixtionem.

Pugnat ſecum. Denique cùm hic auctor adeò fortiter primò egerit, vt probaret vinum non eſſe actiuum, quia eſt ſanguis vuæ; & inde oſtenderit, quòd nunquam in ſe conuertat etiam modiciſſimam aquam, quantumuis ſit forte; miror eum hîc ſupponere adeò vinum eſſe actiuum, vt in illo pænè momento ablutionis poſſit aliud vinum in ſe conuertere.

10 *Melius eiuſdem Lugo argumẽtum.* Melius videtur hoc ipſum probare, eo quòd Chriſti ſanguis continetur, quamdiu continentia ipſius ſignificatur per verba; verba autem non ſignificant Chriſtum contineri ſub accidentibus præciſè illius numero ſubſtantiæ quæ tunc erat: ſed quamdiu perſeuerat illud poculum moraliter, hoc eſt, quamdiu illa accidentia poſſunt continere ſubſtantiam vini ſiue hanc ſiue illam numero aut ſpecie; quia tunc in ordine ad vſus humanos non variatur poculum conſecrationis; quia τὸ *Hoc facite in meam commemorationem* non alligauit ad conſecrandum in vino albo potius quam in rubro, aut è contrario; cùm vtrumque vinum in ordine ad vſus humanos ſit omnino idem: ergo eodem modo per τὸ *Hic eſt calix ſanguinis mei* non alligauit continentiam ſanguinis ſui ad illa accidentia, ita vt facta quacumque alteratione ceſſet ibi eſſe, ſed ad illa accidentia quamdiu moraliter durant in eodem ſtatu in ordine ad vſus humanos. Confirmat Secundò, quia verba Chriſti debent eſſe vera eo ſenſu, quo ſimilia verba dicuntur communiter ab hominibus, ſi quis autem de poculo diceret, *Hoc eſt vinum*, cenſeretur ea propoſitio vera, quamdiu accidentia illa non alterarentur ad aliam formam, quæ non ſit vini: quòd autem hæc vel alia intra ſpeciem vini ſuccedat, eſt omnino per accidens ad eam propoſitionem: & eodem modo ſi conſecratio facta fuiſſet in lacte, ſemper diceretur, *Hoc eſt lac*, etiamſi aliquod fortius lac ſuccederet loco debilioris, aut è contrario.

11 *Eligitur prior ſententia.* Hoc vltimum argumentum cum ſuis confirmationibus dixi eſſe melius, & facere probabilem eam ſententiam. Nihilominùs tamen omnibus penſatis probabilior mihi videtur prima (etſi non ſit omnino certa, vt eius Auctores dixerunt.) & idem ſentiunt graues & docti viri, quos ea de re conſului, & Pater Suarez diſp. 54. ſect. 24. Ratio autem eſt quam ſupra tetigi, & iam debet magis declarari, vt eadem via ſatisfaciamus argumento vltimo & confirmationibus. Etenim duo hæc valdè ſunt diuerſa, *Hæ ſpecies poſſunt conſecrari*, ſeu, *Sunt capaces conſecrationis*, & *Hæ ſpecies ſunt de facto conſecratæ.* *Et ſatisfit argumentis contrariis.* Hoc poſito dico, Etiamſi ſpecies vini albi & ſpecies vini rubri æqualiter ſint capaces conſecrationis (id quod præciſè probatur argumento & confirmationibus factis) non tamen ideò ſequi vllo modo, poſſe conſecrationem tranſire ex vnis ſpeciebus conſecratis ad alias non conſecratas, cum ergo illæ nouæ, quæ iam ſunt ibi productæ, non fuerint re ipſa conſecratæ, etiamſi ſint capaces conſecrationis, non video, quomodo ex præcedentibus ad has tranſeat conſecratio. Vbi aduerte, me non facere vim in diuerſitate formæ ſubſtantialis, quæ ſucceſſura eſſet, ſed in diſtinctione ipſorum accidentium non conſecratorum. Pone ex calice auferri vini ſpecies, & earum loco nouas alias vini, diſtinctas tamen ſpecie, diuinitus ibi poni; profectò non ideo ad has ſecundas tranſiret conſecratio, & tamen ibi haberet locum argumentum huius Auctoris, quòd poculum illud poſſet demonſtrari tanquam poculum vini, &c. Vnde fortè iudicaret quis, etiamſi non fuerit mutatio in accidentia ſpecie diſtincta, ſi tamen planè numero noua ponantur, non manſurum ſub eis Chriſtum, quia reuerà iam non maneret τὸ *Hoc* idem quod anteà fuit, ac proinde non maneret ibi conſecratio.

Et hinc reſpondetur argumento facto, dicimus enim, τὸ *Hoc* eſto ad inchoandam, vt ſic dicam, conſecrationem non ſit à Chriſto alligatum ad album vinum potius quam ad rubrum, &c. facta tamen iam conſecratione ſub albo non poſſe per τὸ *Hoc* denotari rubrũ quod conſecratum non eſt: quia id eſſet æquiuocare verba: nam τὸ *Hoc* primò ſupponebatur pro diuerſis accidentibus ab his, pro quibus iam ſupponitur, perinde ac ſi mutato vno in alterum ego manerem dicendo, *Hoc eſt vinum*, τὸ *Hoc* non denotaret idem quod ab initio. Et ſanè (vt verum fatear) ego non video differentiam inter caſum, quo ipſæ ſpecies non conſecratæ corrumpant conſecratas, ibi ponendo alias nouas; & caſum, quo Deus miraculosè ſpeciebus prioribus corruptis produceret alias nouas: quo caſu certum videtur non duraturam conſecrationem in eis nouis, ergo nec durabit in productis modo naturali, quia quoad punctum mutationis eadem eſt ratio. 17 *Reſpondetur argumento, & explicatur quid τὸ Hoc vinum ſignificat.*

Confirmo id in ipſo exemplo quod adducitur ab aduerſa parte, de aquæ gutta quæ conſecrata eſt, & iuxta opinionem multorum tranſiuit immediatè in ſanguinem, certè eſto, ſi loco accidentium aquæ fuiſſent accidentia vini, conſecratio facta fuiſſet eodem omnino modo; attamen, ſi re ipſa ſunt conſecratæ ſpecies aquæ, & deinde loco illarum Deus poneret ſpecies vini, nemo poſſet dicere, illas ſpecies fuiſſe conſecratæ: ſi ergo non fuere conſecratæ, quomodo habent in ſe Chriſtum, cum noua non ſit facta conſecratio? *Confirmatur exemplo Aduerſariorum.*

SECTIO III.

Difficilis replica contra dicta.

OBiicies, Argumentum præcedentis ſectionis videri nimium probare. Nam ſi hoſtia infrigidetur, & vna vice amittat duos gradus caloris v. g. & deinde ad ſe reſtituta acquirat duos alios numero diſtinctos; deinde ſecunda vice infrigidetur, & amittat alios duos ex primis gradibus, ſub quibus fuit facta conſecratio, & ſic ſæpè infrigidata amittat omnes antiquos gradus, & nouos loco illorum per partes acquirat, non ideò amittet conſecrationem, eo autem caſu; eodem omnino modo non poſſet poſt eas diuerſas mutationes dici, quòd illæ ſpecies fuerint conſecratæ, vt immediatè antè argumentabamur, & idem proportione ſeruata poteſt vrgeri in aliis accidentibus. Habet autem hoc argumentum maiorem vim in ſpeciebus vini, quæ dum congelantur, vehementer mutantur: habet item vim in ſententia docente, gradus omnes eſſe eiuſdem rationis, ſeu homogeneos, nam tunc clarius concipitur, quo pacto per alterationes diuerſis temporibus factas mutari tandem poſſint omnes gradus caloris, etiam illi 13 *Obiectio ab infrigidatione hoſtiæ.* *Vrget in ſpeciebus congelatis.*

illi qui dicuntur primi: dato autem eo caſu redit, vt dixi, totum argumentum; nam illa numero accidentia non ſunt conſecrata, ergo non valent ſuſtinere Chriſtum; quia iam non eſt idem τὸ *Hoc*, quod erat dum facta eſt conſecratio. Parum autem videtur prodeſſe, aut obeſſe, quòd ea mutatio ſit facta paulatim; quia ſi, vt Chriſtus contineatur ibi, debent eadem numero accidentia manere, non poterit durare, cùm primum illa fuerint ablata, ſiue id fiat vno tractu, ſiue duobus, ſiue centum. Adde, neque eam corruptionem ſpecierum per vinum album ex rubro factam eſſe vno inſtanti, ſed etiam quaſi imperceptibiliter; ergo non eſt maior ratio, cur in vno caſu quam in altero duret.

14 *Obiectio roboratur*

Vnde vlterius argumentor: Nam ſi ſub diſtinctis numero accidentibus etiam non conſecratis manet Chriſtus, quia illa duo moraliter iudicantur eſſe eadem numero in ordine ad retinendam formam ſubſtantialem vini; profectò etiam manebit, licet mutentur ſpecie illa accidentia, ſi tamen id fiat intra genus vini, quia non minus ibi vna ſpecies iudicatur moraliter eſſe altera, quam vna indiuidualis cenſetur eſſe altera eiuſdem ſpeciei (vt in argumento Cardinalis Lugo ſuprà dicebatur) ergo. Hæc replica facit mihi valdè probabilem doctrinam eius Auctoris; & deinde oſtendit rationem à me factam ex ſola mutatione accidentium non eſſe omnino efficacem; nihilominus tamen non cogit nos vt tueamur illam ſententiam. Ad obiectionem ergo dico, Mutationem illam accidentium ideò cenſeri obeſſe perſeuerantiæ conſecrationis, quia poterat inde eiicere formam illam, cuius loco ſucceſſit Chriſtus: vti enim Chriſtus non ſucceſſit hîc & nunc loco cuiuſlibet formæ vini, ſed loco huius numero quæ eiecta eſt per ipſius ingreſſum; ita manere non vult, niſi quamdiu accidentia manent talia, quæ poſſunt hanc numero formam retinere: quandiu ergo ſit mutatio per accidentia quæ ſolo numero differunt, maneret non ſolum eadem ſpecie forma ſubſtantialis, ſed etiam numero, quæ fuerat ante conſecrationem, ac proinde Chriſtus manet loco illius quam eiecit. Si tamen accidentia mutantur ſpecie, iam ipſa forma, quæ præceſſerat, amittit quaſi ius ad illud hoſpitium, & ſuccedit alia quæ non fuerat eiecta, & cuius loco non intrauerat Chriſtus, ideóque nec vult ipſe ampliùs ibi manere.

Obiectione allata redditur ſententia Cardinalis Lugo probabilis. Reſpondetur nihilominus obiectioni

Et argumentum ſoluitur

Vnde ad argumentum dico, τὸ *Hoc* etiamſi ſolum ſupponatur directè pro accidentibus, debere tamen retinere eumdem ſenſum, quem, ſi non fuiſſet facta conſecratio, retinuiſſet, eo autem caſu ſi forma ipſa fuiſſet mutata, non potuiſſet durare idem ſenſus qui fuerat ab initio, ac proinde non potuiſſet dici ſine æquiuocatione *Hoc eſt vinum*, maximè accipiendo τὸ *Hoc* adiectiuè (vt hic Auctor dicit debere accipi;) quia tunc ſenſus fuiſſet non abſtractus, hoc modo, *Vinum eſt contentum ſub his ſpeciebus*, ſed determinatus, *Hoc numero vinum eſt contentum ſub his ſpeciebus*; mutata autem forma vini ſolo numero; à fortiori verò in ſpecie non poteſt dici; *Hoc numero vinum eſt contentum ſub his ſpeciebus vel accidentibus:* ſi tamen eadem forma vini maneret, rectè diceretur, *Hoc numero vinum eſt contentum ſub his accidentibus*; ac proinde in caſu, quo eadem numero forma manſura fuiſſet, manſiſſet & Chriſtus, non autem in alio.

Replicabis tamen, Licet quoad punctum vini contenti benè ſit oſtenſa diſparitas, manere adhuc tamen totam difficultatem quoad aliam particulam, *ſub his accidentibus*: duo enim ibi dicuntur, hoc numero vinum, & hæc numero accidentia: ſi autem accidentia etiam ſolo numero ſint iam mutata, licet poſſit dici, *Hoc numero vinum eſt contentum*, ſicut dicebatur ab initio, quia reuera eſt idem; non tamen poterit dici, *Eſt contentum ſub his accidentibus, ſub quibus prius*; ergo etiam ſola mutatio numerica ipſorum accidentium ſufficiet, vt ea propoſitio reddatur falſa. Reſpondeo, Illam propoſitionem eſſe inſtar huius, *Hic eſt Petrus*: id quod fatentur hi Auctores agentes de forma huius Sacramenti:) vti ergo, etiamſi accidentia multa mutentur, ſemper dicitur oſtendendo Petrum, *Hic eſt Petrus*, quia directè ſolum volumus denotare indiuiduationem ſubſtantiæ; ſi tamen ſubſtantia Petri mutetur, licet maneant eadem accidentia, non poſſumus dicere illa oſtendendo, *Hic eſt Petrus*; ita dico, manente eadem numero forma vini in ſe vel in virtute ſuarum diſpoſitionum, poſſumus ſemper dicere per idem *hoc*, *Hoc eſt vinum*; quia τὸ *Hoc vinum* eſt idem ibi ac hoc indiuiduum vini, quod re ipſa manet; at mutata forma, etiamſi maneant accidentia, non poſſumus dicere in eodem directo ſenſu, *Hoc eſt vinum*: cum ergo iuxta dicta tamdiu tantum Chriſtus maneat ſub ſpeciebus conſecratis, quamdiu (ſi res naturaliter præceſſiſſent) fuiſſet vera illa propoſitio, *Hoc numero vinum eſt ſub accidentibus his*, neceſſum eſt, vt quamdiu illa accidentia iam non poſſunt amplius ſeruare illam formam numero, quia tunc naturaliter non eſſet vera ea propoſitio, non maneat etiam amplius Chriſtus. 15

Replica pro ſententia aduerſa.

Reſponſio ad replicam.

Adhuc replicabis: Quando ego dico *Hic eſt homo*, prædicatum illud *homo* accipitur vniuerſaliter, vnde ſiue ſit Petrus, ſiue Ioannes, propoſitio eſt vera; ergo malè ſupponimus, quod quando dicitur *Hoc eſt panis*, τὸ *panis* ſupponatur directè pro hoc numero pane; ac ſi diceretur, Hic numero panis continetur ſub his accidentibus: non enim facit eum ſenſum, ſed hunc, *Sub his numero accidentibus eſt hic vel ille panis*. Hæc autem propoſitio veriſſima eſt, etiamſi poſtea ſub illis accidentibus ponatur alia forma ſubſtantialis; ergo, Reſpondeo: Etiamſi in aliquibus propoſitionibus vniuerſalibus locum habeat ea doctrina, vt cùm dico *Hic eſt homo*, at quando dico *Hic eſt Petrus*, non habet tamen ea vniuerſalitas. Dixi autem illam propoſitionem *Hoc eſt vinum* accipi perinde, ac ſi ex parte vini fuiſſet poſita indiuiduatio. Ratio eſt, quia non volunt homines in ſimilibus propoſitionibus dicere ſolum vinum vt ſic, ſed in particulari volunt oſtendere hoc numero vinum. Quod ſi demus differre inter ſe ſpecie ea vina, tunc res eſt adhuc clarior; quia tunc non volunt oſtendere vnum in communi omnino, ſed album, vel rubrum, vel moſcatellinum, iuxta eorum qualitatem; ac proinde ſi iam ſit mutatum album in rubrum, non manebit eadem ſignificatio, licet admittamus ſola facta mutatione indiuiduali durare adhuc ſignificationem. Et ſatis de hac quæſtione quæ nititur ſuppoſitione valdè dubia, de diuerſitate ſpecifica vinorum inter ſe; habere autem poteſt locum, ſi vera ſit ſententia docens aquam admixtam vino tranſire immediatè in ſanguinem: ea enim data conſe- 16

Altera replica.

Reſponſio, & eius ratio.

quentes

quenter dicendum, ſi deinde illa aqua conuertatur in vinum; id eſt, illæ ſpecies aquæ tranſeant in ſpecies vini, ceſſaturam ibi conſecrationem; de quo etiam egi ſupra diſputans, Vtrùm ſi illa aqua poſt inchoatam conſecrationem tranſiret in vinum, ante eiuſdem conſecrationis finem conuerteretur in ſanguinem; vbi conſequenter ad hanc doctrinam dixi non tranſituram.

SECTIO IV.

Aliqua incidentia dubia diſcutiuntur.

17 ROGABIS Primò; An naturaliter vniantur ſpecies vini conſecrati cum non conſecratis quando miſcentur? Reſpondeo, Non vniri: licet enim ſint eiuſdem ſpeciei, quia tamen accidentia in genere non vniuntur inter ſe, niſi quatenus ipſorum ſubſtantiæ vniuntur; vt patet in duabus chartis ſe inuicem tangentibus, vbi quia formæ ſubſtantiales non vniuntur immediatè, nec vniuntur & accidentia, ita in præſenti dicendum.

Non vniuntur ſpecies vini conſecrati cum non conſecratis.

Rogabis Secundò, An quando in hoſtia conſecrata ſolet apparere Chriſtus Dominus, maneat ibi vtrum corpus ipſius, illudque ſit quod ibi apparet? Reſpondeo Primò, Per apparitionem non deſinere eſſe Chriſtum ibi; quia illa apparitio fit ad probandam præſentiam illius ibi, cum quo non benè cohæreret, ipſum tunc inde diſcedere, nec quia exterior apparentia ſpecierum mutata ſit, ideò deficit ibi interius temperamentum requiſitum ad ſubſtantiam panis. Secundo cenſeo probabile, quando apparet ibi caro ſparſa ſanguine, & mutata aliquo modo, illam quæ apparet non eſſe veram Chriſti carnem, quia hæc non habet à parte rei talem ſtatum, quòd autem accipiat miraculosè, dicitur ſine fundamento, cùm ſufficienter id fiat per immutationem medij, ita vt aſpicientibus appareat vera caro. Propter hanc rationem idem cenſeo quando apparet in forma pulchri pueruli, quia hanc formam non habet à parte rei: in quo puncto non videtur loqui conſequenter Coninck, dum docet primam partem eius doctrinæ propter rationem à nobis datam, hanc tamen ſecundam negat; cum eadem prorſus ſit ratio de carne ſanguinolenta & de figura pueri. Tertiò cenſeo, quando apparet in forma viri, in ea planè magnitudine quam ipſe habet à parte rei, probabilius eſſe, eam figuram quæ apparet eſſe ipſummet Chriſtum Dominum: cùm enim apparet vt eſt in ſe, non video cur ad immutationem medij recurramus. Tandem cenſeo, quando ſpecies vertuntur in lapidem, vt aliquando legitur contigiſſe, vel in aliquid aliud, non manere ibi Chriſtum Dominum, quia iam illæ non ſunt aptæ ad conſeruandum panem, ſi verò incorruptæ conſeruentur miraculosè, vt & ego à 30. & amplius annis conſeruatas vidi Compluti, tunc dicendum eſt ibi manere Chriſtum Dominum; quia non eſt cur ceſſet conſecratio; & ex veneratione, quam ſimilibus ſolet Eccleſia exhibere, idem à poſteriori confirmatur.

Explicatur, quomodo Chriſtus appareat in hoſtia.

Coninck arguitur inconſequentia.

Quid dicendum, quando ſpecies vertuntur in lapidem.

18 Tertiò & vltimò rogabis, An aliquando Chriſtus deſinat eſſe ſub ſpeciebus antequam vlla alia ſubſtantia ſuccedat in locum ſpecierum conſecratarum? Dupliciter poteſt hæc quæſtio intelligi: Primò, ita vt perſeuerantibus adhuc accidentibus ipſis panis & vini Chriſtus deſinat eſſe ſub illis, cùm primum traiiciuntur in ſtomachum, etiam antequam fiat earum ſpecierum corruptio. Secundò, An Chriſtus deſinat eſſe corruptis quidem ſpeciebus, non tamen ſuccedente alia ſubſtantia loco Chriſti: in qua quæſtione duos ego adhuc ſenſus inuenio. Primus eſt, vt producantur quidem noua accidentia non ſufficientia ad ſuſtentandum panem, non tamen valentia in ſe habere nouam aliquam formam ſubſtantialem. Secundus ſenſus eſt, vt nulla planè noua accidentia producantur, ſed ſolùm deſtruantur antiqua: id quod habet locum maximè in ſententia noſtra negante quantitatem diſtinctam: faciliùs enim tunc concipitur, quomodo ea accidentia pereant, & quòd nulla ſit neceſſitas vt noua producantur, cum nullum ſit ibi ſubiectum commune illorum omnium.

Quæſtio tertia dupliciter intelligitur.

Circa primum ſenſum dico, Quamdiu accidentia panis manent, ita vt poſſent conſeruare ſubſtantiam panis, Chriſtum manere ſub eis. Hæc eſt à nobis ſæpè in ſuperioribus tradita; eſtque communiſſima, & inter omnes Catholicos certa, exceptis duobus aut tribus, quos Pater Suarez ſect. 1. diſput. 54. refert & refutat. Et in primis, quòd non deſinat Chriſtus eſſe ſub eis ſpeciebus cùm primùm illæ ad os accipiũtur, patet ex eo, quòd Chriſtus Dominus expreſsè dixit ſe dare nobis corpus ſuum & ſanguinem ſuum ad bibendum & manducandum; non bibitur autem nec manducatur ex eo quod ad os accipiatur, niſi etiam traiiciatur ad ſtomachum: quòd item in ſtomacho non deſinat ſtatim manere ante ſpecierum corruptionem patet; quia Chriſtus cum ſemel ſucceſſerit loco ſubſtantiæ panis, non debuit ea accidentia deſerere, quouſque inde panis ſubſtantia alioquin debuiſſet abire, & licet potuiſſet ita rem inſtituere, vt cùm primùm fuiſſet in ſtomacho, ſtatim deſineret ibi eſſe; quia iam videretur ceſſare eo ipſo tota ratio, ſeu finis, ob quem ſe ſub ſpeciebus poſuit, vt ſcilicet homini ſe comedenti & bibenti daret gratiam, noluiſſe tamen ſe ibi cum tanta limitatione ponere conſtat ex communi ſenſu Catholicorum: vnde, caſu quo aliquis eiiciat hoſtiam immediatè poſtquam illam ſumpſit, ab omnibus iudicatur illam retinere adhuc ſuam conſecrationem. Et Eccleſia pro ſimilibus caſibus præcipit quid cum eis ſpeciebus fieri debeat, ſupponens eas adhuc eſſe conſecratas. Ex aliquibus item Hiſtoriis Eccleſiaſticis conſtat è pectoribus quorumdam grauiſſimorum peccatorum fuiſſe extractam miraculosè hoſtiam, tanquam adhuc in ſe continentem Chriſtum; ergo non deſinit Chriſtus in ea eſſe ſtatim cùm primùm eſt ad ſtomachum traiectus.

Reſponſio ad ſenſum primum quæſtionis.

Senſus Eccleſiæ ſuper hac quæſtione.

Vbi obiter notandum, Nunquam loco Chriſti Domini ſuccedere ſubſtantiam panis neque eamdem numero, neque diuerſam ſpecie. Non ſuccedere numero probat D. Thomas quæſt. 77. art. 4. quia non poteſt redire eadem numero forma panis, niſi Chriſtus conuertatur in illam. Quæ ratio difficillima eſt; Primò, quia nec ea conuerſio Chriſti in panem diuinitus repugnat, maximè ſi deſtrueretur Chriſtus. Secundò, quia conſequentia non eſt vllo modo formalis: vt enim non conuertitur Chriſtus in eam ſubſtantiam, quæ ſuccedit ſpeciebus corruptis, ita nec conuerteretur in panem: quod enim hic præceſſerit ante conſecrationem, & fuerit expulſus ex eis ſpeciebus, non facit vllo prorſus modo, quòd ipſius reditus debeat eſſe conuerſio magis, quàm 19

Nunquam loco Chriſti ſuccedit ſubſtantia panis.

Digitized by Google

quàm ſi adueniret aliqua alia ſubſtantia de nouo, quæ anteà nunquam fuiſſet: etenim ratio conuerſionis nullo modo deſumitur ex corruptione olim facta eius ſubſtantiæ, quæ iam redit, ſed ſolùm ex corruptione illius, in cuius locum hæc de nouo ſuccedit. Hac ergo ratione reiecta eam concluſionem poſſemus ex Patre Suario ſuprà probare, quia productio rei corruptæ eſt ſpeciale miraculum, quod non debet ſine fundamento ſpeciali concedi. Verùm neque hæc ratio ſatisfacit vllo modo, quia ſi eſſent diſpoſitiones præuiæ ad eam formam panis, non eſſet miraculum eam reproduci; nam licet fortè ex natura rei non poſſit forma corrupta redire, id quod tamen adhuc eſt ſub lite; de quo in Philoſophia; in præſenti tamen caſu id non videtur habere locum ob ea quæ dixi paulò antè de reditu eiuſdem numero materiæ quæ fuerat deſtructa: nam cùm ea hîc & nunc non fuerit deſtructa naturaliter ob cauſarum exigentiam, ſed miraculosè, & cum violentia ei facta ob myſterium hoc; videtur congruentiſſimum, vt ceſſante eo miraculo, ſeu eo myſterio, ſi ſint diſpoſitiones ad eamdem in ſpecie formam panis, redeat illa eadem numero quæ prius fuerat. Quòd ſi ſupponamus non eſſe in eo caſu diſpoſitiones ad formam panis in ſpecie, ſed ad aliam diuerſam, tunc gratis quæritur, Vtrùm redeat eadem numero forma panis: quomodo enim redibit, ſi non ſint diſpoſitiones pro ipſa, ſed pro altera ſpecie diuerſa? non eſt ergo ad miraculum huiuſmodi recurrendum.

Ratio ſumitur ex Suarez:

Sed ea non ſufficit.

20 *Ratio ſolida aſſignatur.*

Vnica igitur ex immediatè dictis ratio petenda eſt: vel enim ſunt diſpoſitiones pro forma panis; & tunc adhuc manebit Chriſtus, quia manent accidentia eadem, in quibus conſecratio facta eſt: nam accidentia eiuſdem ſpeciei non eiiciuntur per alia eiuſdem ſpeciei; manent ergo antiqua quæ conſecrata fuerant, ac proinde Chriſtus adhuc manet in illis: ſi autem introducta ſunt alia ſpecie diuerſa ad aliam formam, tunc ea forma diuerſa introducetur, de quo ſtatim.

Iam verò probo non ſuccedere formam panis ſpecie diuerſam; Primò, quia panis non agit in alium panem, imò in nullam aliam rem, eam in ſe conuertendo; ergo illæ diſpoſitiones non poſſunt ex ſe eiicere Chriſtum inducendo aliam formam panis; ſed potius illæ diſpoſitiones corrumpentur ab agente alio contrario, quod ſimul inducet formam ſibi ſimilem. Hæc tamen ratio non videtur habere locum in ſpeciebus vini: cùm enim illud ſit actiuum, & in ſe conuertat aquam, poterit etiam conuertere in ſe aliud vinum. Si ergo ſupponamus vina aliqua inter ſe differre ſpecie, & ſpecies conſecratæ commiſceantur cum aliis magis actiuis alterius vini (quæ difficultas habet etiam locum, licet ambæ ſint conſecratæ) poterunt alterari illæ conſecratæ, ita vt licet retinere poſſent vinum; non tamen eiuſdem ſpeciei cum eo ſub quo facta fuerat conſecratio; erit ergo tunc difficultas, an Chriſtus deſinat ibi eſſe?

Ratio illa non habet locum in ſpeciebus vini.

Habet præterea hæc quæſtio locum, etiamſi negemus poſſe vina ſpecie differre inter ſe dummodo concedatur ſententia, quam ego iudico probabiliorem; quod intra eamdem ſpeciem poſſunt indiuidua aliqua eſſe inæqualia in perfectione: data enim hac opinione poſſet vnum vinum indiuidualiter nobilius alterare alterum, vſquedum introduceret in illius materiam formam indiuidualiter nobiliorem, ac ſibi omnino æqualem; & in eo caſu poſſet fortè Chriſtus deſinere eſſe in ſpeciebus, etiamſi hæ manerent adhuc ſpecies vini.

Pater Suarez ea diſp. 54. ſect. 2. obiter rem tangens ante §. *Tertio principaliter*, ait, Si vina ſint diuerſæ ſpeciei, omnino non manſurum Chriſtum ſub illis nouis ſpeciebus: negat verò caſum, ſi non ſit diuerſitas ſpecifica; non tamen attingit punctum de indiuiduali perfectione maiori eſſentialiter.

Sententia P. Suarez de vinis diuerſæ ſpeciei.

Difficultas hæc grauis eſt; à me tamen tractata fusè ſuprà, vbi dixi videri probabilius, etiamſi mutatio ſolùm ſit indiuidualis, debere Chriſtum deſinere ibi eſſe. Et ſatis iam ad oſtendendum, an poſſit Chriſtus deſinere eſſe, ſuccedente tamen forma panis aut vini.

Ad rem verò noſtram redeuntes dicimus; Vti in homine non deſinit eſſe Chriſtus cùm primum ſpecies ad os applicantur, aut ad ſtomachum traiiciuntur, ſed quando in ſtomacho corrumpuntur; ita idem dicendum, ſiue mus, ſiue canis, ſiue beſtia alia eas ſpecies comedat. Neque in contrarium aliquid ſpeciale adduci poteſt, niſi quædam conſideratio magis accedens ad pietatem quàm ad veritatem, quòd videatur indignum Chriſto, eo in loco immundo manere. Verum Chriſtus qui ſe pro noſtra ſalute ad mortem vſque grauiſſimam tradidit, expoſuit etiam ſe his periculis. Addo, ſi res benè conſideretur, non magis ibi Chriſtum paſſurum, cùm exiſtat impaſſibiliter, quàm radius Solis à luto quod illuminat, & quàm ipſa diuinitas quæ in huiuſmodi locis etiam eſt. 21

Quid ſi ſpecies à beſtia comederentur.

Secundò principaliter dicendum, Nunquam accidentia contraria accidentibus panis produci, niſi etiam producatur alia ſubſtantia; ac proinde nec Chriſtum vnquam deſinere eſſe niſi noua ſuccedente ſubſtantia: id quod tam de materia prima quàm de forma ſubſtantiali intelligendum eſt. Ratio huius deſumitur ex Philoſophia, quia nunquam expellitur vlla forma ſubſtantialis niſi adueniente alia noua. Suppono enim non intrare diſpoſitiones contrarias formæ ligni v. g. niſi ex aduentu aliarum ſufficientium pro noua forma ſubſtantiali. In ſententia tamen admittente formas partiales in viuentibus putaret quis aliter debere diſcurri: etenim ſi conſequenter velint ad ſua principia loqui, non ſolum in animalibus, ſed etiam in plantis, arboribus & fructibus debent eas formas partiales ponere, ergo etiam in vino, quod eſt ex fructu; & quod ſine dubio retinet eamdem formam partialem, quam antea habebat ſub cuticula in vua: id quod etiam dico de pane qui fit ex granis; ergo poteſt contingere vt vinum retenta forma partiali amittat formam ſubſtantialem vini nulla noua forma ſubſtantiali ſuccedente: vti dicunt, dum moritur homo non ſuccedere aliam formam ſubſtantialem, ſed ſolùm inde diſcedere humanā, remanente materia prima cum ſolis formis partialibus. Nihilominus tamen neque in illa ſententia quidquam eſt dicendum contra concluſionem à nobis traditam; nam etiam illius Auctores dicunt formas partiales non diutius durare quàm poſſit manere forma panis & vini, aut grani: vnde fortaſſe in farina iam eas non agnoſcunt: vt autem illæ formæ expellantur deinde (vti expelluntur, quando iam perit forma vini relicta ex viuente vua) debet neceſſariò alia forma ſuccedere; quia materia non poteſt ſine omni forma ſubſtantiali exiſtere.

Nunquam deſinit Chriſtus niſi noua accedente ſubſtantia.

Quid dicendum in ſententia admittente formas partiales.

In

22 *Sententia D. Thomæ:* In hac ſententia habemus contrarium Diuum Thomam, quatenus quæſt. 77. art. 5. docet, nullam materiam primam tunc ſuccedere, ne concedamus nouum miraculum in ea creatione; putat que quantitatem in ipſa conſecratione eſſe conſtitutam à Deo in futurum, vt ſit primum ſubiectum conſequentium formarum; vnde concludit, datum eſſe quantitati dimenſiuæ omne id quod ad materiam pertinet. *A variis variè explicata:* Hanc doctrinam multi putant à Diuo Thoma nequaquam ita intellectam vt ſonat, quia videtur omnino indigna tanto Doctore, ideò illum conantur variè explicare: alij verò dicunt, illum non admittere explicationem vllam, cùm expreſſiſſimè neget vllam materiam creari de nouo. *Defenditur & ſuſtinetur.* Ego etiam vix video quomodo poſſit in alium ſenſum trahi: ſiue ergo eius ſit ea doctrina, ſiue non, vix poteſt illa ſuſtineri. Primò, quia nos negamus eam quantitatem diſtinctam. Secundò, quia cùm materia ſit pars eſſentialis compoſiti, repugnat illius defectum ſuppleri deinde per quantitatem, niſi fortè velit Diuus Thomas in poſterum non eſſe abſolutè compoſitum ſubſtantiale ex illis ſpeciebus nouis, ſed ſolam nouam formam produci: id quod videtur valdè durum; nam cùm incredibiliter multum de materia prima corrumpatur, & hucuſque ſit corruptum in conſecrationibus panis & vini per totum mundum factis; profectò ſi loco illius nulla noua materia eſt producta, neque reproducta antiqua, haud dubiè erunt innumera entia naturalia, quæ careant materia prima, & ſolam habeant formam ſubſtantialem; nam Diuus Thomas eo loco non loquitur ſolùm de eo tempore, quo in ſtomacho fit ſpecierum tranſmutatio, vt tunc ſolùm neget produci nouam materiam, ſed in futurum, in perpetuum, ne concedat de nouo miraculosè produci materiam vllam: vnde dum conatur omne miraculum etiam inſtantaneum vitare, quale eſſet eius materiæ creatio dum corrumpuntur ſpecies, adſtruit incredibiliter multa alia miracula, & planè perpetua, ad formas omnes illas ſubſtantiales tunc ſuccedentes conſeruandas ſine vllo proprio ſubiecto, ad ipſam etiam quantitatem relinquendam per ſe extra ſubiectum, ad admittendam eductionem formarum ſubſtantialium ex quantitate accidentali. Quæ omnia haud dubiè ſunt longè difficiliora quàm admittere, vt dixi, vnam inſtantaneam productionem materiæ, quæ deinceps naturaliſſimè durat. Non videtur ergo vllo modo ea ſententia ſuſtinenda.

23 *Accidentia non corrumpuntur ſine productione aliorum accidentium;* Denique dicendum, illa accidentia panis & vini non corrumpi ſine noua aliorum accidentium productione. Hæc non eſt tam certa quàm præcedens; poſſet enim dici, Deum eo tempore, quo à vicinis agentibus ea accidentia producenda eſſent, non dare iis locum, ſed putè putè deſtruere ſpecies panis & vini, & eo ipſo ceſſare Chriſtum ibi eſſe. Nihilominùs tamen neque hoc poteſt ſuſtineri vniuerſaliter loquendo; redderetur enim inde manifeſtiſſimum ipſum myſterium Euchariſtiæ: nam ſi vini ſpecies conſecratæ in magna aut notabili quantitate aceſcerent, & eo ipſo deſineret Chriſtus in illis eſſe, nihil omnino in earum loco ſuccedente; procul dubio maneret ibi vacuitas, & eo ipſo manifeſtè agnoſceretur miraculum, *Niſi velimus gratis plura miracula admittere.* niſi ruſus noua miracula fierent ad illud vacuum implendum: deberet enim nouum corpus produci in mea ſententia, quæ non admittit dilatationem per eaſdem omnino partes quantitatis, vel deberet perpetuò manere illud vacuum; cùm autem conſecrationes, quæ factæ ſunt, erunt, & de facto fiunt toto orbe, ſint innumeræ, vt paulò antè contra Diui Thomæ ſententiam notaui, & conſequenter ſi tota ea materia coniungeretur, occuparet maximum locum; deberent vel multæ & grandes nunc eſſe vacuitates, vel iuxta aliorum ſententias maximæ fieri dilatationes materiæ ſine vlla cauſa naturali. Connaturaliùs ergo & faciliùs diſcurritur, ſi vti illæ ſpecies, caſu quo non eſſent conſecratæ, non corrumperentur in ſtomacho, aut extra illum, niſi aduenientibus nouis accidentibus, & noua ſub illis ſubſtantia; ita eodem modo, dicamus etiam ſuppoſita conſecratione non aliter corrumpi, quàm Deo in eis caſibus ſupplente defectum illius materiæ primæ, quæ ſuſtentatura eſſet in fieri corruptionis accidentia antiqua & noua, ac deinde miraculosè creante materiam & formam, qualis fuiſſet, ſi naturaliter res proceſſiſſet.

SECTIO V.

Quàm citò in ſtomacho corrumpantur ſpecies, ita vt in eis deſinat eſſe Chriſtus.

PRo complemento poſſet hîc quæri, Quamdiu ſoleant in ſtomacho ſpecies conſecratæ durare? Quæ difficultas ad eum finem vtiliter diſcutitur (alioquin penitus eſſet à nobis aliena) vt moraliter ſciamus nos in aliquibus caſibus dirigere; ſi v.g. quis ſciat ſe habere ſingulis ferè quadrantibus vomitum, an poſſet tunc immediatè poſt vomitum accipere Euchariſtiam, eſto timeret ſe poſt quadrantem paſſurum alium vomitum; aut caſu quo inopinatè poſt Communionem ſentiret ſe ad vomitum prouocari, quamdiu deberet reſiſtere; ac denique ſi caſu accideret vomitus poſt Communionem, vtrùm deberet materia illa vt adhuc retinens conſecrationem comburi, &c. an relinqui tanquam ſi non communicaſſet. 24 *Quare hæc quæſtio proponatur.* Hanc quæſtionem tetigit Cardinalis Lugo in fine diſp. 10. & ait ſe hac de re conſuluiſſe peritiſſimos Medicos Romanos, maximè autem Ioannem Manelphum, in Romanæ Sapientiæ Academia Medicinæ Profeſſorem; *Cardinalis Lugo indicium à Medicis quæſitum:* qui re accuratè diſcuſſa dixit, hoſtiam paruulam, quæ laïcis communiter ſolet dari, in 60. parte horæ à mediocri ſtomacho alterari; quia (vt reſoluit Marſilius Cognatus lib. 1. de Sanitate tuenda cap. 18. & probat ex vſu veterum, qui die vna 48. vncias cibi ſolidi ſumere ſolebant) ſingulis horis vnciæ duæ concoqui poſſunt, facta autem proportione illius particulæ ad duas vncias, quarum non eſt ſexta pars, videtur poſſe in ſexta parte horæ concoqui poſſe: videtur id ipſum probari etiam; nam ſi hoſtia illa ponatur in olla bullientis aquæ, alteratur adhuc citiùs quàm intra ſexageſimam partem horæ; ergo calor animalis, qui eſt fortior ad ſubſtantialem mutationem, poterit eadem breuitate hoſtiam alterare. Hæc ex illo Auctore; cui dicit alios acceſſiſſe: vnde loquendo de Sacerdote qui maiorem hoſtiam & vini ſpecies ſumit, putat in ſemiquadrante horæ fieri totam concoctionem.

Examinatur. Ego circa hunc diſcurſum duo iudico addenda: Primum, me ponderaſſe hoſtias ordinariæ magnitudinis, prout laïcis ſolent dari, & inueniſſe non ſexageſimam partem duarum vnciarum, vt dicit Cardinalis, ſed octingenteſimam efficere;

Digitized by Google

efficere; & licet fortè alibi ſint duplo craſſiores, ſaltem efficient quadringenteſimam partem; quia 50. hoſtiæ ſolum ponderarunt octauam partem vnciæ; vnde in octingenteſima parte horæ fiet concoctio: poteſt autem ea pars iudicari vnius Aue Maria, & multò minus; quia vix eſt mortale intra horam dicere octingenties Aue Maria, imò nec intra duas horas: ſingulis enim quadrantibus centies totum Aue Maria difficulter dicitur.

25 *Videtur tempus nimis longum concedere.*

Secundò circa eam regulam addendum iudico non videri bonum argumentum; duæ vnciæ ſimul acceptæ concoquuntur intra horam; ergo ſexageſima pars illarum concoquetur ſolum intra ſexageſimam partem horæ. Ratio qua moueor eſt, quia ſæpè ex coniunctione illius materiæ fit, vt fortius & diutius reſiſtat quàm ſi minimæ particulæ paulatim proiicerentur in ſtomachum: vnde fortaſſe illa pars, quæ ſi ſola eſſet, conſumeretur intra duo inſtantia v. g. ſi ſit cum aliis viginti, non conſumetur intra ſexaginta aut ſeptuaginta inſtantia. Vnde concludo, fortaſſe adhuc citius futuram eam concoctionem, maximè matutino tempore, quo fit ordinaria Communio: tunc enim ſtomachus maximè eſt diſpoſitus ad concoctionem. Hæc circa eas regulas, quæ tamen habent ſæpè exceptiones ob notabilem differentiam ſtomachorum.

Aſſignatur ſpatium temporis legitimum.

Ego vniuerſaliter non dubitarem, intra quinquies Pater noſter & Aue Maria ita fieri illam concoctionem vniuerſaliter in quocumque, vt nullus ſcrupulus amplius poſſit reſtare; in Sacerdote verò vix eſt dubitandum, poſtquam abſoluit Sacrum, & veſtes ſacras exuit, quia fortaſſe ipſæmet diuerſæ ſpecies vini & panis etiam in ſe agunt, & inde ab ſtomacho alterantur facilius.

Tertiò ponderandum eſſe, non ſolas 58. vncias, vt ex Medicis refert hic Auctor, ſed ferè duplo plures alterari à ſtomacho ſingulis diebus, loquendo tam de cibo quàm de hauſtu ſimul ſumptis, & loquendo etiam de communi ſtomacho; certè ſi ſolus hauſtus, qui à temperatis etiam viris in prandio, cœna & collatione veſpertina accipi ſolet, ponderetur, efficit illas 48. vncias: ſola enim ſex pocula cereuiſiæ, quæ ſunt tres partes vnius pintæ, & pro hauſtu ordinario totius diei eſt ferè minima menſura, quia communiter longè plus bibitur, ponderant 48. vncias; taceo iam panem, carnes, legumina, iuſcula, fructus: vnde ſi iuxta calculationem ſuprà factam deberemus diſcurrere, profectò ſingulis horis quatuor vnciæ tribuendæ eſſent; vnde vlteriùs fieret, vt intra milleſimam ſexcenteſimam partem vnius horæ fieret concoctio in ſtomacho vnius hoſtiæ paruulæ, quam laici ſumunt: quòd ſi ad partes minutorum ſexaginta, quæ in hora vna includuntur, reducere id velimus, deſcendemus ad Vigeſimam ſeptimam partem circiter vnius minuti pro ea alteratione; id quod vix ad quartam partem vnius Aue Maria pertingeret. 26 *Iuſta calculatio inſtituitur.*

Videtur tamen in contrarium ſtare experientia aliqua: haud enim rarò aliqui etiam quarta parte quadrantis & ampliùs poſt Communionem, dum caſu ad vomitus prouocati ſunt, eiecerunt adhuc apparentem hoſtiam. Reſpondeo, Fortaſſe tales habuiſſe valdè læſum ſtomachum. Et ſatis de hac rè nobis ignota ex innumeris diuerſiſque circumſtantiis tum ſtomachorum, tum ſanitatis, tum diſpoſitionum in ſtomacho eo tempore exiſtentium.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA.

De verbis quibus hoc Sacramentum conficitur.

HVcvsqve egimus de materia tam remota quàm proxima huius Sacramenti; de modo item, quo in eo Chriſtus eſt, & è contrario deſinit eſſe; iam agendum de verbis ſeu de forma eiuſdem Sacramenti, quæ ſunt per modum cauſæ ponentis Chriſtum ſub ſpeciebus. De quibus valdè multa controuertuntur ab Auctoribus, quæ ſunt in hac diſputatione tractanda: de eis agit Diuus Thomas quæſt. 78. per ſex articulos: ad quem locum agunt etiam de illis omnes Diui Thomæ Interpretes, Magiſter verò in 4. diſt. 8. q. 2.

SECTIO I.

Quibus verbis Chriſtus confecerit hoc Sacramentum?

Referuntur variæ Doctorum ſententiæ.

PRima difficultas, quæ circa eam formam moueri poteſt, eſt; Quibus verbis Chriſtus ipſe hoc Sacramentum confecerit: de hac egit Diuus Thomas artic. 1. Fuerunt autem in hoc puncto variæ ſententiæ: quidam enim dixerunt, nullis verbis Chriſtum conſecraſſe; quia quando dixit diſcipulis, *Hoc eſt corpus meum*, iam benedixerat panem: ea autem benedictio communiter cenſetur fuiſſe conſecratio. Id quod confirmari poteſt: Nam Diuus Marcus Primò inducit Chriſtum ea verba circa calicem proferentem, cum iam Apoſtoli illum bibiſſent. Alij verò Secundò docent, Chriſtum non conſecraſſe eis verbis, vt probat factum argumentum; non tamen continuò ſequi, nullis aliis conſecraſſe, ac proinde dicunt aliqua fuiſſe verba, quæ tamen illa fuerint in particulari non conſtare; quia non explicantur ab Euangeliſtis: id quod Iuſtinus Martyr videtur expreſſiſſe Apolog. 2. in fine, vbi ait conſecrationem fieri per verbum precationis & gratiarum actionis; & addit, Chriſtum actis gratiis dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, Tertiò alij putant bis fuiſſe ea verba à Chriſto dicta, ſemel ſecretò ad conſecrationem, ſemel deinde publicè, quandò panem dedit Apoſtolis. Harum ſententiarum Auctores vide apud Patrem Suarez diſp. 8. ſect. 1. & partim apud Vaſquez diſp. 196. cap. 1.

Noua quæſtio.

Hinc autem oritur noua quæſtio circa ipſum Chriſti Domini factum, quam fusè iidem Auctores tractant; Vtrùm ſcilicet Chriſtus Dominus aliis verbis aut factis benedixerit panem, &

Digitized by Google

gratias egerit, quam illum conſecrauerit;an præterea alia fuerit benedictio & gratiarum actio, alia conſecratio: denique, an prius fregerit panem quàm conſecrauerit. De quibus fusè citatis locis Vaſquez & Suarez.

Ego in his punctis,quæ purè ſunt hiſtorica & ſcripturiſtica, non puto nobis hærendum; videantur citati Auctores; ſufficiat breuiter ſententiarum varietatem inſinuaſſe,& quid ſentiendum ſit dicere. Igitur communis & hoc tempo-

Vera ſententia eruitur ex verbis Concily Tridentini. re poſt Tridentinum omnino certa ſententia eſt, Chriſtum Dominum conſecraſſe verbis; & quidem his ipſis nos de facto conſecramus; *Hoc eſt corpus meum*, &c. Nam Seſſione 13. capite 1. ſic ait Concilium: *Chriſtus in cœna hoc Sacramentum inſtituit, cùm poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum corpus illis præbere ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.* Ecce Concilium dicit inſtitutum Sacramentum, cùm Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum* Inſtitutio autem illa fuit ipſa conſecratio.Ratio etiam ſuffragatur eidem ſententiæ: non enim videbatur congruum, vt aliis Chriſtus vteretur verbis, quam volebat in Eccleſia Sacerdotes vti, maximè cùm nulla potuerint eſſe aptiora.

Secundò dicendum eſt ex eodem Concilio, benedictionem fuiſſe à conſecratione diſtinctam; citato enim loco dicitur,poſt benedictionem & gratiarum actionem inſtitutum eſſe hoc Sacramentum.

Tertiò, ipſam etiam gratiarum actionem fuiſſe diſtinctam à conſecratione,quia propriè conſecratio non eſt gratiarum actio;neque vlla ratio cogit nos, vt contra vim propriam nominum ea duo confundamus.

Quartò, ipſam gratiarum actionem & benedictionem fuiſſe inter ſe diſtinctas, ſaltem ſecundum ſuos conceptus; quia benedictio ordinatur ad precandum creaturæ bonum, maximè cum dixit, *Benedixit panem*, at gratiarum actio directè ad Deum. Vtrum autem Chriſtus Dominus vtrumque fecerit eodem quaſi contextu verborum, an verò diuerſo, dubium eſt, neque facilè poteſt decidi; probabile tamen eſt quod ait Suarez, vtrumque fere ſimul fuiſſe perfectum: id quod Eccleſia videtur ſignificare,dum ait Chriſtum in ſanctas ac venerabiles manus ſuas accepiſſe; & eleuatis oculis in cœlum, tibi

3 gratias agens, &c.

Maldonatus de fractione panis. Vltimò circa fractionem panis Maldonatus videtur apud Vaſquez ſupra cap. 3. opinari, Chriſtum tunc ſpeciali cæremonia panem fregiſſe: id quod probat; nam alioquin diſcipuli in Emmaus non agnouiſſent illum in fractione panis; quod tamen teſtatur Lucas cap. 24. ipſe verò Vaſquez dicit non eſſe neceſſum recurrere ad modum ſpecialem frangendi, ſed ad concomitantia verba, aut ſigna. Addit præterea, ſine vlla planè cæremonia in fractione ex hac ſola fuiſſe Chriſtum agnitum, eò quod nunquam diſcipulis fregerit panem in ordinariis prandiis, aut cœnis, ſed ſolùm dum inſtituit hoc Sacramentum; quia tunc fecit tot partes quot erant diſcipuli, & eas conſecrauit: cur enim in aliis ordinariis prandiis non haberet apud ſe quilibet panem quem frangeret ſibi? an diſcipuli Chriſti

Vaſquez diſcurſus probabilis. infantes erant,quibus debuiſſet panis frangi ſemper à Chriſto vt à parente? Hic diſcurſus Patris Vaſquez eſt ſatis probabilis; iudico tamen eſſe adhuc in eo aliquam difficultatem, licet fortaſſe ea magis oriatur, eò quòd ſit difficile explicare, quomodo diſcipuli illi agnoſcere potuerint Chriſtum tam citò: etenim illi non interfuerant vltimæ cœnæ: non enim erant Apo-

Patitur tamen ſuas difficultates. ſtoli, cum quibus ſolis cœnauit: poſt paſſionem verò etſi probabile ſit hos duos acceſſiſſe ad Apoſtolos, certè id per breue valdè tempus fuit, & quando illi magis de tormentis ipſius mortis ac de expectatione reſurrectionis agebant,quàm de modo quo Chriſtus panem fregit,ac denique licet audiuiſſent illum fregiſſe panem, difficile eſt in ea tanta turbatione ac afflictione ex ſolo auditu adeò ſibi impreſſiſſe eam cæremoniam,vt ſtatim Chriſtum ex ea agnouerint. Vnde fortaſſe quis diceret, Chriſtum etiam aliis vicibus, quando & cum vndecim Apoſtolis & cum aliis diſcipulis(inter quos hi duo erant) comedebat, etiam fregiſſe panem aliqua ſpeciali benedictione, qua ſine dubio vtebatur ad initium prandij; ideoque facillimè potuiſſe hos duos diſcipulos ex antiqua conſuetudine & notitia agnoſcere Chriſtum in ea fractione panis.

Contra hunc modum explicandi eum locum 4
ſola occurrit difficultas, quòd ſi tantum de fractione ordinaria, qua Chriſtus aliis vicibus vtebatur, ibi eſſet ſermo, non poſſet inde probari eum d[illegible] Euchariſtiam his duobus diſcipulis; id quo[illegible]en communiter docent Interpretes; ergo fractio illa fuit inſtar illius, qua in inſtitu-

Vera explicatio, quomodo agnouerint Chriſtum diſcipuli in fractione panis tione huius Sacramenti vſus eſt. Propterea putarem poſſe dupliciter reſponderi; Primò, eos diſcipulos potuiſſe ideò facilè agnoſcere Chriſtum in ea fractione, etiamſi ipſi non interfuiſſent inſtitutioni Sacramenti; quia cum ea fractio nihil aliud fuerit quàm dare cuilibet particulam paruam panis, optimè potuerunt id ex ſola narratione aliorum retinere,vt ſtatim ipſum agnoſcerent; nec dubitandum videtur, quin Apoſtoli eo Sabbato Sancto narrauerint aliis diſcipulis ſummum illud beneficium, quod nocte cœnæ toti humano generi Chriſtus per huius Sacramenti inſtitutionem contulerat: quod ſi tamen adhuc placeat dicere,eam conſuetudinem fuiſſe notam his duobus diſcipulis, eo quòd Chriſtus coram illis ante paſſionem vſus ſæpè illa fuerit, poteſt tamen addi,ibi non ſolùm fregiſſe,ſed præterea vſum eis verbis quibus in cœna conſecrauit; Euangeliſtam verò non feciſſe mentionem Euchariſtiæ; quia ad intentum ipſius, quod agnouerint Chriſtum, ſatis erat dicere, eos agnouiſſe illum in fractione. Fortaſſe etiam nomine fractionis duo ea coniunxit,& fractionis modum antiquum, & nouam hanc inſtitutionem per illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, & ex vtraque agnitum; quia hæc vltima ipſum oſtendebat, cum nemo niſi Chriſtus habens eam ſummam poteſtatem dicere potuiſſet, id quod apparebat panis eſſe ſuum corpus.

SECTIO II.

Quibus verbis à nobis idem Sacramentum conficiatur?

RESTAT nunc alia difficultas grauior, 5
Vtrùm ſcilicet de facto nos conficiamus hoc Sacramentum per ſola ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, & illa, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, abſque vlla alia gratiarum actione & benedictione. Occaſionem huic quæſtioni dederunt

Græci

Digitized by Google

Græci nonnulli, taceo hæreticos huius temporis & Ophitas ac Pauperes de Lugduno, qui mirabilia confinxère circa verba quibus hoc Sacramentum conficitur, de quibus vide Suarez ſuprà ſectione 3.

Qui ſenſerunt, non ſtatim poſt verba conſecrationis poni corpus Chriſti.

Nicolaus ergo Cabaſilas in Expoſitione Liturgiæ cap. 29. & 30. qui habetur Tomo 4. Bibliothecæ, Marcus Epiſcopus Epheſinus, in libro de Verbis conſecrationis, & Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in Cenſura doctrinæ Lutheranæ, ſentiunt non confici ſtatim hoc Sacramentum poſt verba conſecrationis, ſed poſt quaſdam orationes Eccleſiæ: eorum fundamentum eſt, quod in multis Liturgiis, vt Beati Iacobi Apoſtoli, Sancti Baſilij, Sancti Chryſoſtomi, ac Sancti Clementis Papæ habeantur hæc & ſimilia verba poſt conſecrationem: *Emitte Spiritum tuum, & fac hunc panem pretioſum corpus Chriſti tui; quod verò in hoc calice eſt, pretioſum ſanguinem Chriſti tui*: cum ergo tunc Deus rogetur, vt faciat illum panem eſſe corpus Chriſti, ſuppoſuerunt Sancti illi adhuc factum non eſſe.

Communis & vera ſententia.

Nihilominus tamen communis & omnino certa ſententia omnium Latinorum, & verò ferè omnium etiam Græcorum (teſte Beſſarione Græco apud ipſos, prius Epiſcopo Nicæno, ac deinde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, in libello de Forma conſecrationis) aſſerentium conſecrationem adæquatè fieri illis prioribus verbis antecedenter ad gratiarum actionem, & ad alias orationes: id quod fusè oſtendunt Suarez ſupra, Vaſquez diſput. 197. cap. 3. & 4. & Cardinalis Lugo diſp. 11. ſect. 1. Probant hanc veritatem Suarez & alij ex Florentino, docente formam huius Sacramenti eſſe verba Saluatoris, quibus illud confecit, & ex cap. *Cum Marthæ.* de celebratione Miſſarum, vbi dicitur, Chriſtum conficiendo hoc Sacramentum expreſſiſſe formam, qua deinceps deberet confici: id quod etiam nouiſſimè Tridentinum Seſſione 3. cap. 3. tradidit.

6 Hæc tamen probatio poſſet alicui videri inefficax; nam dicent Græci potius hinc inferri, neceſſarias eſſe aliquas preces; quia Chriſtus etiamſi ea verba dixerit, nihilominus benedicendo & gratias agendo conſecraſſe videtur; in ea autem benedictione & gratiarum actione incluſæ ſunt preces. Addo tamen, cùm (ipſo Cabaſila teſte) Chriſtus non conſecrauerit vllis precibus, adhuc habere ea teſtimonia locum contra Græcos. Secundò, quia etiam ſupra oſtendimus ex Tridentino, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum poſt benedictionem, ergo ſolis illis verbis.

Secundò principaliter probatur eadem veritas ex multis Patrum teſtimoniis, quæ apud citatos videri poſſunt; maximè autem id docet Auguſtinus Sermone 28. de verbis Domini, Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & 5. & lib. De his qui initiantur cap. 9. & lib. de Benedictionibus Patriarcharum cap. 9. & alij.

Vſus Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ.

Tertiò ex vſu Eccleſiæ Catholicæ, quæ immediatè poſt illa verba hoſtiam adorat vt conſecratam: id quod etiam facit Eccleſia Græca teſte Beſſarione ſuprà: & in Miſſa Æthiopum (& habetur in 4. aut 6. Tomo Bibliothecæ Sacræ) poſt verba cõſecrationis populus ſtatim reſpondet, *Amen, Amen, Amen, credimus, & confidimus, & laudamus te ô Domine Deus noſter; hoc verum tuum corpus eſt.*

Quartò & vltimo, quia veritas verborum exigit, vt Chriſtus tunc ibi ponatur; alioquin non deberemus in conſecratione dicere, *Hoc eſt*, ſed *Hoc erit corpus meum*, &c.

Quid reſpondendum ad argumenta pro Græcis circa Miſſam Æthiopum.

7 Iam ergo reſpondere oportet his quæ pro Græcis afferuntur. Varias ſolutiones adducunt & refutant citati Auctores, maximè Cardinalis Lugo, qui eam optimam iudicat, quæ dicit in eis Liturgiis non peti vt panis conuertatur in corpus Chriſti, ſeu vt fiat corpus Chriſti, ſed vt panis ille, qui iam eſt Chriſti corpus, fiat ſumentibus & adſtantibus in ſalutem: quam explicationem ait traditam à Patre Vaſquez, non tamen deductam ex contextu ipſo verborum, vt eam ipſe deducit; eo quod in citata Miſſa Æthiopum ſic referantur verba illa: *Oramus te Domine, vt mittas Spiritum ſanctum ſupra hunc panem & hunc calicem, videlicet corpus & ſanguinem Domini & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti in ſæcula ſæculorum, Amen. Tribue ſimul omnibus ex eo ſumentibus, vt fiat eis ad ſanctificationem & plenitudinem Spiritus ſancti.* Cùm ergo poſtquam dictum eſt, *ſupra hunc panem*, apponatur illa particula *videlicet*, quæ eſt ſignum quaſi appoſitionis, idem eſt ac ſi dixiſſet, *ſupra hunc panem qui eſt corpus Chriſti.* Eundem ſenſum habet Liturgia Iacobi; nam licet populus interponat τὸ *Amen* ante verba illa, *Vt ſit omnibus ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam*, non ideò denotatur ibi finitam eſſe aliquam petitionem (quæ fuit fortaſſe occaſio errandi:) illa enim particula *Amen* non eſt optantis, ſed credentis; ac ſi diceret, *Ita eſt*: idque confirmat ex Leone Papa, qui Sermone 6. de ieiunio ſeptimi menſis dixit; *Fruſtra ab aliis reſpondetur Amen, qui non credunt adeſſe verè corpus & ſanguinem Domini.*

Circa Liturgiam S. Iacobi.

Circa hanc ſolutionem duo aduerte. Primò; Etiamſi ea colligatur ex contextu, quoad Miſſam Æthiopum attinet, ob illam particulam *videlicet*: nequaquam tamen colligi quoad Liturgiam Sancti Iacobi & aliorum Sanctorum, ex quibus maximè deſumebant Græci rationem errandi; ac proinde cenſeo, omnibus penſatis non poſſe eam ſolutionem deſumi ex ipſo textu, maximè cum τὸ *Amen* videatur in ſua præcipua ſignificatione ſignum eſſe deſiderantis & apprecantis potius quam credentis. Secundò addo, eam ſolutionem ab ipſo Beſſarione Cardinale fuiſſe adhibitam libro ſupra citato, & ab aliquibus Græcis, quibus ea difficultas fuit propoſita in Concilio Florentino: eam etiam Turrianus noſter probauit in cap. 13. lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum, & tandem Pater Suarez ſuprà.

8 Vbi aduerto, Cardinalem Lugo putare Suarium in alia eſſe ſententia, quod ſcilicet per ea verba petatur, vt panis ille fiat corpus Chriſti myſticum; hoc eſt, vt nos fiamus corpus Chriſti: quam explicationem ideò impugnat, quòd violenter declaret corpus Chriſti; deinde, quia in ſanguine non poteſt habere ſenſum: non enim dicimur nos ſanguis myſticus Chriſti. Verùm Pater Suarez re ipſa in eadem omnino expoſitione eſt cum Cardinale, Vaſquez & altero Cardinale Beſſarione; nam licet vtatur eo verbo, *Vt fiat conſecratio corporis myſtici*, non aliud planè intelligit quàm Auctores hi. Addit enim Suarez: *Non petitur vt fiat Sacramentum, ſed vt ita fiat, vt illis, qui ad illud adorandum vel ſuſci-*

Conueniunt Suarez, Vaſquez, Lugo, & Beſſarion.

Digitized by Google

piendum accedunt, proficiat: idque ſtatim confirmat ex verbis apud Diuum Clementem; *Vt oſtendat panem hunc corpus Chriſti:* vbi ponderat Suarez non dici, *Vt faciat*, ſed *Vt oſtendat*, ſcilicet in effectu; & ideò ait concludi à Clemente, *Vt qui eum participauerint*, &c. Ecce Suarius etiam vtitur illa eadem explicatione, ſcilicet fieri ibi ſenſum appoſitiuum quoad corpus Chriſti, & deprecatorium quoad vtilitatem effectumque: vnde in eius ſolutionis confirmationem ponderat id; quod ex ipſo pro eadem explicatione Vaſquez vſurpauit, ſcilicet dictum olim in Eccleſia Latina in Canone Miſſæ ad diuiſionem hoſtiæ, *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis*, &c. quibus etiam verbis videbatur denotari nondum eſſe factam conſecrationem: cùm tamen ſenſus eſſet, non vt iam fieret conſecratio, ſed vt conſecratio facta fieret nobis ad ſalutem: vnde ad tollendam ambiguitatem tranſpoſitum eſt deinde ab Eccleſia verbum illud *Fiat* initio poſitum, & eius loco poſitum τὸ *Hæc. Hæc commixtio & conſecratio fiat accipientibus nobis*, &c. Conſtet ergo eam ſolutionem Suarez non eſſe diuerſam à ſolutione Lugo & communi; iuxta quam poſſunt explicari reliqua omnia, quæ ex aliquibus Patribus in hoc puncto obiiciuntur.

9 *Reſpondetur teſtimonio Cyrilli Hieroſolymitani.*

Ex his etiam reſpondetur ad Cyrillum Hieroſolymitanum, quem aliqui putat planè fuiſſe in contraria ſententia; nam Catecheſi 5. myſtagogica ait; *Atqui ſic per huiuſmodi hymnos nos ipſos ſanctificantes, Deum benigniſſimum oramus, vt ſupra illa poſita Sanctum Spiritum emittat, & panem quidem faciat corpus Chriſti, vinum vero ſanguinem Chriſti: omnino enim quod attigerit Spiritus Sanctus, hoc ſanctificatum eſt:* huic inquam facilè reſpondetur ex dictis; cùm enim non conſtet vllo modo, quo ordine fuerint preces illæ poſitæ in ea Liturgia, an ante verba, quæ nos conſecrationis dicimus, an poſt illa; fortaſſe fuerunt ante, vti ſunt apud nos, qui ante conſecrationem dicimus, *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris*, &c. & ſimile quid etiam habetur in Liturgia Sancti Marci immediatè ante verba conſecrationis; & quod grauius eſt, in ipſa etiam Liturgia Iacobi, quam putant aliqui explicari à Cyrillo, etiam ſunt preces ſimiles ante verba conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, &c.

Difficilis locus S. Baſilij.

Reſtat difficilis locus Baſilij, qui in ſua Liturgia poſt verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt ſanguis meus*, vocat panem & vinum antitypa corporis & ſanguinis Chriſti. Cumque Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. & Epiphanius Diaconus, citatus in VII. Synodo, dicant nunquam à Baſilio panem iam conſecratum vocari antitypa, videtur inferri, ſenſiſſe Baſilium tunc temporis ante preces illas non eſſe perfectam conſecrationem. Mirum eſt quàm longas diſputationes hic locus Baſilij texuerit: de eo agit Vaſquez citata diſp. 197. à num. 37. ad 57 & reiectis aliorum variis ſolutionibus dicit veriſſimum eſſe quod Damaſcenus & Epiphanius docent, nunquam à Patribus poſt conſecrationem vocatum fuiſſe antitypa corporis & ſanguinis Chriſti, ſed ante conſecrationem id dictum de pane: ad Baſilium ergo reſpondet, Etſi loquatur poſt conſecrationem, verba tamen illius referri ad tempus ante conſecrationem; quia etſi

Variè explicatus.

aliqui Interpretes ſic verterint eius verba, *Et proponentes antitypa Chriſti corporis:* melius tamen ait fuiſſent verſa, *Et qui propoſuimus antitypon*; quia Aoriſtus Græcus προθέντες magis ſignificat tempus præteritum; ac ſi Baſilius dixiſſet, *Et panem, quem ante conſecrationem poſuimus, tanquam antitypa*, &c. Alij verò, vt Arcudius apud Cardinalem Lugo (quem ipſe etiam ſequitur) putant multos Patres Græcos appellaſſe etiam poſt conſecrationem antitypa corporis & ſanguinis: pro quo varia inducunt loca; inter quæ etiam vnum Nazianzeni in Oratione funebri ſororis ſuæ Gorgoniæ; quem tamen ipſe Vaſquez optimè oſtenderat non poſſe illis fauere: citatus enim iam fuerat à Claudio Sainctes, Billio & Turriano noſtro, qui eandem doctrinam cum Arcudio & Lugo docuerant, & quos fusè Vaſquez loco citato reiecerat.

10 *Vaſquez arguitur audaciæ nimiæ; & citatur contra illum S. Stephanus iunior ex Damaſceno.*

Quidquid tamen de eo loco Nazianzeni ſit, certè nimis audacter negauit vniuerſaliter Vaſquez ab vllo ex Patribus ita vocatum eſſe hoc Sacramentum: etenim Sanctus Stephanus iunior, cuius Vitam ſcribit Damaſcenus in diſputatione cum Imperatore, quæ inchoatur quatuor foliis ante Vitæ finem, ſtatim in initio obiiciens Tyranno, non debere negari imagines & figuras Chriſti, hæc habet: *An tu quoque corporis & ſanguinis Chriſti antitypa ab Eccleſia proſcribes?* Vbi non loquitur de pane non conſecrato, tum quia non poterat Sanctus Stephanus dicere, Imperatorem velle panem non conſecratum ex mundo tollere, tum quia ſtatim addit, *Nos eorum participatione ſanctificari*, non autem ſanctificamur ſumptione panis non conſecrati. Origenes item in cap. 15. Matthæi vocat panem conſecratum ſymbolicum & typicum corpus vtique Chriſti: & ſimile quid habet Dialogo 3. Part. 2. quæ loca ſimul cum aliis minùs tamen efficacibus Arcudius & ex eo Lugo ſupra referunt. Vnde colligo ſatis probabiliter cum his & aliis contra Patrem Vaſquez, vix eſſe credibile à Damaſceno vniuerſaliter traditum, quod panis iam conſecratus nunquam vocetur antitypon corporis Chriſti: id quod efficaciter oſtendo ex eodem loco citato ex Vita Sancti Stephani; quam cum ipſe Damaſcenus ſcripſit, & in ea contrarium poſuerit, non eſt credendus ſibi tam facilè contradixiſſe: confirmant idipſum alij; nam in eodem capite citato idem Damaſcenus vocat hunc panem antitypum futurorum. Hæc tamen probatio nullius eſt momenti, quia non diſputamus, Vtrùm Euchariſtia dicatur aliquarum rerum antitypa, ſed ipſius corporis Chriſti: id quod benè notauerat Vaſquez. Satis ergo probabile videri poterit, illa verba addita fuiſſe Damaſceno, vt Turrianus, Claudius & Arcudius docent.

11 *Obiectio ex teſtimonio Epiphanij.*

Sed dices cum Patre Vaſquez; Saltem teſtimonium Epiphanij in ſeptima Synodo habere debet maiorem auctoritatem: illius enim diſceptatio approbata eſt à Concilio; Epiphanius autem Seſſione 6. in tit. *Tomus* 3. reſpondens Gregorio hæretico ait, nullum vnquam ex Apoſtolis aut ſanctis Patribus vocare Euchariſtiam corporis Chriſti figuram & imaginem, additq; poſt pauca, panem ante conſecrationem vocatum antitypa à Baſilio & Euſtachio. Reſpondeo tamen Primò, ibi Epiphanium locutum fuiſſe ad mentem hæretici qui videbatur negare veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia, vnde ibi vſurpauit vocem illam *imaginem* pro pura imagine,

Reſponſio Prima.

Digitized by Google

gine, vt condiſtincta à re repræſentata; nam alioquin cùm ipſemet Apoſtolus Paulus de Chriſto vt Deo, ſeu de ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis dicat eſſe figuram & imaginem ſubſtantiæ & poteſtatis Diuinæ; conſtet autem aliunde ex Fide, eamdem numero ſubſtantiam & poteſtatem eſſe in Filio quæ eſt in Patre; profectò eſto idem numero corpus & ſanguis ſit in Euchariſtia, quæ ſunt in Chriſto Domino, benè poſſet dici illud Sacramentum figura & imago corporis. Secundo reſpondeo; Etſi in ordine ad rem ipſam, quam voluit oſtendere Epiphanius contra Gregorium, ſcilicet alias imagines & figuras præter Euchariſtiam ab Eccleſia coli & adorari, ſit approbata eius ſententia à Concilio, non eſſe tamen neceſſum vt quoad omnia, maximè autem quoad hiſtoriam & quoad factum, cenſeantur approbata quæ ibi ille tradidit; ſcilicet, quòd nullus Patrum id dixerit: neque enim eſt definitum in eo Concilio, Epiphanium legiſſe omnes Patres ſe antiquiores, & in nullo eorum inueniſſe quidquam de eo modo loquendi.

Secunda.

Tertia.

Denique reſpondeo, Eſto ea phraſis ad illud vſque tempus non fuerit vſurpata, potuiſſe tamen vſurpari; deinde ante tempora Damaſceni, qui fuit longè poſt illud Concilium, vti videtur vſurpata clariſſimè à Stephano iuniore Martyre (iuxta paulò antè dicta;) conſtet ergo non eſſe cur negemus, aliquando Patres vſurpaſſe eum modum loquendi.

12

Declaratur quid vox antitypon ſignificet: & quid hac voce Patres ſignificare voluerint.

Ad obiectionis autem ſubſtantiam reſpondemus, Vocem illam *antitypon* ideò ſæpe apud Patres vſurpari pro ipſo Chriſto Sacramentato; vel quia (vt vult noſter Turrianus) antitypon ita ſignificat figuram & ſimilitudinem, vt ſimul etiam quodammodo ſignificet ſubſtantiam eandem: in cuius confirmationem adduco ego Henricum Stephanum in Theſauro Linguæ Græcæ, vbi expreſsè ait antitypon ſignificare figuram eiuſdem rationis cum re ſignificata; quia tamen ad rationem figuræ aliqua requiritur diſtinctio à re figurata, licet non in eodem puncto, in quo eſt figura; vti Filius Æternus dicitur figura ſubſtantiæ Patris; & tamen etiamſi in ſubſtantia non diſtinguatur, diſtinguitur tamen in perſonalitate; ita etiam in præſenti dicimus, Licet in ratione corporis, in qua hoc Sacramentum dicitur figura, verè & propriè non diſtinguatus, quia includit idem omnino corpus; diſtinguitur tamen ratione accidentium, ſeu ſpecierum: id quod ſufficit ad eam denominationem figuræ. Secundò poteſt reſponderi, Ideò Sacramentum hoc dici figuram, quia cùm duo includat, ſpecies & Chriſtum ipſum, ſpecies autem ſine dubio ſint repræſentatio corporis Chriſti, facilè potuit id, quod conuenit Sacramento ratione vnius partis, tribui toti illi. Tertio, quia Chriſtus vt in Sacramento occultatus eſt ſignum ſui ipſius vt paſſibilis, vel certè vt in cœlo poſtea videndi: & pro hac ſolutione adducunt Auctores citati teſtimonia Auguſtini, Damaſceni, Maximi, Ambroſij, ac denique ipſorum Græcorum, qui in quodam Paſchali Hymno canunt: *Præſta nobis vt expreſſius, & clarius, & non per typos tui participes efficiamur in die, qua veſpere caret, Regni tui.*

Obiectio ex S. Dionyſio.

Obiicitur præterea Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. vbi docet, Sacerdotem ante conſecrationem dicere illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo cùm ea ſint poſt illa altera, *Hoc eſt corpus meum*, à fortiori hæc erunt ante conſecrationem; ac denique per hæc non fiet conſecratio. Reſpondeo cum communi, Illa verba in Liturgia, qua Dionyſius vtebatur, fuiſſe ante verba quæ nos dicimus conſecrationis, ſeu ante illa, *Hoc eſt corpus meum*, De quo vide Cardinalem Lugo ſupra & Patrem Vaſquez.

SECTIO III.

Quid de illis verbis, Qui pridie quàm pateretur, *&c.*

MAGNA difficultas eſt circa alia verba quæ in Eccleſia Latina dicuntur ante conſecrationem, *Qui pridie quam pateretur, accepit* &c. De hac difficultate agit Suarez diſp. 59. & 60. Vaſquez diſp. 198. ConincK quæſt. 78. art. 3 dub. 2. & Cardinalis Lugo ſupra ſect. 3. In quo puncto Scotus in 4. diſtinct. 8. quæſt. 2. §. *De ſecundo dico*, putat illa eſſe neceſſaria; quia alioquin Sacerdos non oſtenderet ſe loqui in perſona Chriſti, & τὸ *meum* ſolum denotaret ipſum Sacerdotem: cui videtur fauere Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & refertur Canone *Panis eſt in altari*, de conſecratione diſtinct. 2. vbi Sanctus Doctor ait ſermonem Chriſti naturam immutare; illum autem ſermonem dicit eſſe illa verba, *Accipite & edite ex hoc omnes, hoc eſt corpus meum, quod pro multis confringetur.* 13

Scotus putat eſſe neceſſaria

Ambroſius Scoto fauet.

Contraria ſententia communis.

Contraria tamen ſententia eſt communiſſima vt videre eſt apud citatos; eam inſuper conatur Vaſquez cap. 1. ſuadere ex eodem Ambroſio pro ſe à Scoto citato; quia Ambroſius ſolis verbis Chriſti dicit fieri conſecrationem, cætera eſſe per modum precum, &c. atqui τὸ *qui pridie quàm pateretur*, &c. non ſunt verba Chriſti; ergo. Vnde rurſus oſtenditur apud Ambroſium nihil valuiſſe argumentum Scoti; quandoquidem incipiendo à verbis Chriſti, & non dicendo reflexè illa proferri nomine Chriſti, putat fieri conſecrationem. Ratio autem huius veritatis eſt, quia, vt oſtendat Sacerdos ſe loqui nomine Chriſti, non eſt neceſſum, vt id reflexè dicat; ſufficit quòd ſciatur illum in tali actione gerere vices Chriſti, vt re ipſa ſcitur de Sacerdote: eo enim ipſo, quando ea verba profert, intelligitur loqui nomine illius: id quod benè oſtendit Suarez, & poſt ipſum Vaſquez, exemplo Angelorum, qui quando olim apparebant nomine Chriſti, ſeu Dei, ſtatim inchoabant, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c Et in Conſilio Regio quod Regis perſonam repræſentat, fertur ſententia ſine reflexis verbis, quibus dicant ſe nomine Regis loqui, ſed immediatè incipiunt, *Nos Philippus Rex*, &c. Vbi duo ego adhuc ponderanda iudico. Primum, etſi argumentum Scoti aliquid valeret, nihil tamen probaturum de verbis his de quibus diſputamus; nam ſi Sacerdos eis omnibus omiſſis diceret, *Iam ego loquor nomine Chriſti*, vel, *Quæ ſequuntur dicam nomine Chriſti*, determinarentur perfectiſſimè verba illa formæ ad denotandũ ipſum Chriſti corpus, ergo minus benè ob eam determinationem requiſiuit eſſentialiter ea quæ Eccleſia de facto præmittit: quòd enim illa alia non ſint ab Eccleſia præſcripta, aut non-ſint in vſu, per accidens omnino eſt ad intentum Scoti, qui ea ſolum requirit, vt conſtet τὸ *meum* non ſignificare corpus Sacerdotis conſecrantis, ſed Chriſti: hoc autem

Oſtenditur exemplo Angelorum, quomodo Sacerdos loquatur nomine Chriſti.

Argumentum Scoti nihil probat.

Digitized by Google

tem tam perfectè ſignificant ea verba à Sacerdote poſita, quàm omnia alia ab Eccleſia præſcripta; ergo.

14 *Refutatur à ſimili in forma abſolutionis.*

Secundò circa illud argumentum noto, ſi res benè ponderetur (vt benè obſeruauit Suarez ſect. 1.) non habere difficultatem maiorem quàm in abſolutione Sacramentali à peccatis; quia etiam verba illa, *Ego te abſoluo*, in omnium ſententia ita dicuntur à Sacerdote vt hic non loquatur nomine ſolo ſuo proprio, eo ſenſu quo poſſet Iudex ſæcularis dicere, *Ego te abſoluo*, dicit ergo ea vt Miniſter Chriſti: vnde præmitti ſolet, *Et ego auctoritate ipſius mihi licet indigno conceſſa*, &c. & tamen certiſſimum eſt, etiam apud ipſum Scotum, non præmiſſis illis verbis, neque vllis aliis, quibus Confeſſarius oſtendat ſe loqui nomine Chriſti, & ex auctoritate ab ipſo accepta, ſed abſolutè dicendo, *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, validè abſoluere; ergo idem etiam erit in his: & ratio generalis huius veritatis eſt, quia Sacramenta eis tantùm verbis perficiuntur, quibus ſignificatur illorum effectus; vt, *Baptizo te in nomine Patris*, &c. *Abſoluo te, Signo te ſigno Crucis*, & *Confirmo te Chriſmate ſalutis*; ergo cùm illa verba *Hoc eſt corpus meum*, etiam ſola (ſuppoſita iam Sacerdotis auctoritate ad conſecrandum, &c. & quòd loquatur nomine Chriſti in tali actu; quæ omnia aliunde ſupponuntur nota) ſignificent continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus, & abſentiam panis, iuxta dicta ſupra, non eſt, cur vlla alia debeant requiri eſſentialiter.

Inſtantia Suarez contra Cardinalem Lugo defenditur.

Cardinalis Lugo putat hanc inſtantiam ex aliis Sacramentis non eſſe bonam, quia Sacerdos abſoluens verè loquitur in propria perſona; ac proinde poteſt dicere, *Ego Ioannes te abſoluo*: at in hoc Sacramento nullo modo loquitur nomine proprio, ſed ſolius Chriſti; ergo eſt hîc ſpecialis neceſſitas declarandi, quòd loquatur Sacerdos in perſona Chriſti. Nihilominùs tamen puto optimam eſſe Patris Suarez inſtantiam, quia licet Sacerdos abſoluens etiam loquatur nomine proprio, ita vt omnino dicere queat *Ego Ioannes te abſoluo à peccatis*; nihilominùs, quoad auctoritatem, qua id facit, neceſſarium videtur vt illam oſtendat, & diſtinguatur ea abſolutio ab abſolutione, quam dant ſæculares Iudices: non enim ex hoc capite oſtendere poterit Scotus, maiorem eſſe neceſſitatem in vno quàm in altero Sacramento: pone duos abſoluentes, vnum Sacerdotem habentem auctoritatem abſoluendi à peccatis, alterum verò ſolùm habentem auctoritatem in foro externo quoad pœnam aliquam; vel (vt magis ad rem loquamur) vnum eumdemque habentem vtramque auctoritatem, quomodo quæſo, ſi ſolùm dicat vtraque vice, *Ego te abſoluo*, poterit dignoſci, an vtraque abſoluat in foro conſcientiæ, an in foro fori, an verò in vna in vno, in altera in altero? quòd ſi dixeris id ex adiunctis debere noſci, idem dicam ego in conſecratione. Et tandem videtur hanc inſtantiam paulò inferiùs idem Cardinalis approbare; reſpondens enim numero 46. Scoti argumento ait, Non eſſe neceſſum vt Sacerdos oſtendat ſe nomine Chriſti loqui; ſicut ſi diceret, *Ego tibi dimitto iniuriam*, validè abſolueret, & tamen non declararet tunc ſufficienter, an vt priuata perſona dimitteret illi iniuriam, an verò abſolueret à peccatis. Vides ergo approbatam illam ipſam inſtantiam de abſolutione ad argumentum Scoti reiiciendum; hoc autem ſolum voluit Suarez, & nos cum illo; ergo non debuit ea inſtantia hîc abſolutè reiici.

Secundò principaliter Vaſquez impugnat Scotum, quòd non loquatur conſequenter dum ait, Ea verba priora non eſſe formam conſecrationis, & tamen eſſentialiter eſſe neceſſaria ad eam conſecrationem; etenim omnia illa verba quæ ad valorem Sacramenti ſunt neceſſaria, ſunt illius forma. Habet autem hæc ratio maximè locum in hac materia; quia cùm illa priora verba determinent, iuxta diſcurſum Scoti, hæc ſecunda ad ſignificandum corpus Chriſti potiùs quàm ipſius Sacerdotis, profectò vel ex ſolo hoc capite maximè deberent dici pars formæ ipſius: quòd ſi ſemel conſtet non poſſe ea verba eſſentialiter requiri, niſi ſint forma Sacramenti, tunc efficaciſſimè reiicietur ſententia Scoti ex Concilio Florentino, in quo definitur, formam huius Sacramenti eſſe illam, *Hoc eſt corpus meum*, nulla præcedentium facta mentione; ac proinde vt in aliis Sacramentis reliqua ibi non annumerata debent omnino reiici. Denique reiici poteſt argumentum illud Scoti, quia potiùs videntur illa verba obeſſe intento conſecrationis, cùm per illa videatur ſignificari, Sacerdotem ibi nihil aliud agere quàm recitare hiſtoriam inſtitutionis, & nequaquam oſtendere, illa verba à ſe proferri animo conſecrandi materiam illam; ſed perinde ſe habere ac dum ea verba legit in Epiſtola Sancti Pauli: certum eſt autem ad valorem conſecrationis plus requiri, quàm purè purè recitare quod fecerit Chriſtus, vt benè notarunt Coninck & Lugo. 15 *Vaſquez Scotum inconſequentia arguit.*

Iam poſſet aliquis quærere, Vtrùm licet illa verba non ſint omnino neceſſaria, dici tamen poſſint de facto concurrere vt partialis forma? Ratio dubitandi ea eſt; nam ſi contrahat quis matrimonium nomine alterius, & vt procurator poteſt dicere, *Ego Ioannes vt procurator Petri accipio te in meam*: quo caſu illa verba ſine dubio ſunt pars formæ eius Sacramenti; & tamen illa non fuêre omnino neceſſaria; nam eis omiſſis cùm iam aliunde conſtet eum agere perſonam Petri, dicere potuiſſet abſolutè, *Ego te accipio in coniugem Petri*: ratio autem cur illa priora verba, etſi neceſſaria non ſint, poſſint tamen eſſe forma, ſi proferantur, ea eſt, quòd dum dicuntur deſeruiunt ad explicandum magis eum actum & obligationem, & cuius nomine homo loquatur, ergo cùm illa verba, *Qui pridie quàm pateretur*, &c. concurrant ad magis declarandum, quòd Sacerdos loquatur Chriſti nomine, debebunt pertinere ad formam huius Sacramenti. *Alia quæſtio proponitur cũ ratione dubitandi, ex contractu matrimonij:*

Hanc obiectionem tangit Cardinalis ſuprà, dicitque per illam non iuuari Scotum, quia ſi illa verba, *Qui pridie*, debent dici requiſita, debet profectò ex inſtitutione Chriſti, illa enim ſola verba eſſe poſſunt forma alicuius Sacramenti, quæ ſunt à Chriſto inſtituta: ad inſtantiam autem allatam nihil penitus reſpondet. Ego ad obiectionem dico Primò, Eam non eſſe pro Scoto, qui contendit ea verba eſſe neceſſaria ad conſecrationem, inſtantia autem ſupponit contrarium, ergo ea non eſt pro Scoto. Secundò, reſpondeo, In Sacramento Matrimonij hoc eſſe ſingulare, quòd nulla ſint determinata verba neque à Chriſto neque ab Eccleſia, ſed in communi illa quibus mutuus contractus declaratur, 16 *Non iuuat ſententia Scoti.* *Quid habeat ſingulare Sacramentum Matrimonij.*

cùm

cùm autem ad hanc declarationem conducant illa poſita in inſtantia, & quia per illa oſtendit procurator ſe non contrahere nomine proprio, non mirum, ſi illa habeant tunc rationem formæ, eſto alioquin neceſſaria non ſint: at in noſtro caſu iam eſt determinata forma à Chriſto, ſcilicet illa, *Hoc eſt corpus meum*, ac proinde illa alia verba, quæ ab Eccleſia ſunt addita, ſiue pertineant ad maiorem declarationem eius actus, ſiue non, non pertinent ad formam: vti, ſi quando quis baptizat dicat, *Auctoritate Chriſti te baptizo in nomine*, &c. illa verba *Auctoritate Chriſti* non pertinebunt ad formam, etſi ſint magis declaratoria illius actus.

SECTIO V.

Quid de illis, Accipite & comedite: *vbi de τὸ* enim.

17 NOva tamen inſurgit difficultas circa illa duo verba, *Accipite & comedite*, quia nomine Chriſti ea dicuntur, & ſunt ipſius verba; ergo ſunt neceſſaria. Nihilominùs cùm neque in Florentino illa ponantur vt pars formæ, & de facto ad ſignificandam præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus omnino ſint inutilia, & præceptum de vſu ac diuiſione Sacramenti de facto non ſit neceſſarium ad valorem eiuſdem Sacramenti, ac proinde non niſi materialiter & hiſtoricè ponantur; non eſt cur dicantur eſſe de neceſſitate aut integritate formæ.

Verba illa hiſtoricè ponuntur.

Circa particulam enim explicatur ſtatus difficultatis.

Circa particulam illam *enim* aliqua maior eſt difficultas; nam videtur neceſſaria ad veritatem verborum, cùm connectat ea verba cum præcedentibus per modum cauſalis; *Comedite, quia eſt corpus meum*: vnde duplex dubium poteſt oriri. Primum, Vtrùm dictis prioribus verbis, *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, ſi omittatur *enim*, fiat conſecratio? Secundum, ſi è contrario omiſſis prioribus diceret quis, *Hoc eſt enim corpus meum*, validè conſecraret? Circa primum facilior eſt reſolutio, nam cùm dixerimus non eſſe neceſſaria illa verba priora, multò minùs requiretur connexio cum illis; cumque ablata ea particula maneat vera propoſitio, nihil deerit ad valorem conſecrationis. In ſecundo inde eſt difficultas maior, nam omiſſis prioribus verbis ſi retineatur *enim*, propoſitio redditur falſa, nam propoſitio illa eſt cauſalis, ac proinde ſupponit iam aliquid dictum quod per eam connectatur: ſi enim quis inciperet hoc modo. *Ego enim dormiui*, nulla præmiſſa alia propoſitione, neque ſtatim ſubiuncta, non faceret vllum ſenſum, vel certè falſum, vt ſi quis diceret, *Si Sol lucet, frigus eſt*, falſum dicit, eſto Sol luceat, & ſit frigus, quia illa propoſitio denotat exiſtentiam Solis eſſe cauſam frigoris. De

18 difficultate hac agit fusè Lugo à num. 52. vbi duas ponit ſolutiones: vna eſt, Propoſitionem, quæ inuoluit duas veritates (duo ſignificata deberent dici) ſi quoad vnum non verificatur, ſufficere ſi verificetur quoad alterum, vt quoad hoc ſecundum validum fiat Sacramentum: ſi enim quis dicat ſupra duos homines *Ego vos baptizo*, & vnus ex illis iam ſit baptizatus, aut non habeat voluntatem recipiendi Baptiſmum, profectò illa propoſitio non verificabitur de vtroque, & tamen circa Ioannem, qui capax erat Baptiſmi, habebit ſuum effectum, perinde ac ſi ſolùm dixiſſem, *Ego te Ioannem baptizo*. Idem

Prima ſolutio Lugo:

eſt, ſi ſupra duas hoſtias, vnam hordeaceam, alteram triticeam, proferrem verba putans eſſe triticeas, prima non conſecraretur; ſecunda tamen eodem modo ac ſi ſupra ſolam illam prolata fuiſſet forma. Id quod poteſt oſtendi ſimilibus inſtantiis, in abſolutione, *Ego vos abſoluo*, quando vnus eſſet incapax, in Confirmatione, ſi ſub vna forma diceretur, *Ego vos ſigno*, &c. Ergo cùm illa propoſitio, *Hoc eſt enim corpus meum*, habeat duas ſignificationes, ſcilicet & quòd illud ſit corpus Chriſti, & quòd inde aliquid aliud ſequatur, etiamſi falſa ſit quoad hoc ſecundum, quia tamen manet vera quoad primum, quod eſt præcipuè intentum, erit abſolutè vera, & ſufficiet ad conſecrationem.

Inſtantiis retorquetur.

Secunda ſolutio eſt, Illam propoſitionem, *Hoc eſt enim corpus*, non eſſe cauſalem in rigore quo loquuntur Logici: duplex enim poteſt eſſe propoſitio cauſalis, vna, qua indiuiſibiliter intellectus complectatur & propoſitionem ſimplicem & illationem vnius ex altero, vt ſi dicam, *Quia Sol lucet, ego poſſum te videre*, hæc propoſitio eſt propriè & in rigore cauſalis, pendetque veritas illius ab illatione vnius ex altero. Alia eſt cauſalis per ſucceſſionem, ita tamen vt ſenſus terminetur in prima, & ſequatur deinde altera; vt ſi dicam, *Expedit tibi abſtinere à vino, quia crapula impedit ſpeculationes*; in hoc caſu, inquit, veritas prioris non pendet à veritate ſecundæ, imò neque ab illatione illius: ſolùm enim illæ coniunguntur continuatione ſermonis.

Secunda ſolutio eiuſdem Lugo.

Hæc dicta ſunt ſatis probabiliter; grauis tamen difficultas videtur in eo conſiſtere, nam ſi quis nullis aliis verbis præmiſſis diceret ſupra panem etiam animo conſecrandi ſola hæc verba, *Quia hoc eſt corpus meum*, non videretur validè conſecraturus, nam illa propoſitio moraliter cenſetur nullum habere ſenſum: idem autem omnino eſt dicere *Hoc eſt enim*, ac *Quia hoc eſt*, nam quòd τὸ *enim* poſtponatur, eſt tantùm ex elegantia ſermonis, de cætero ſignificatio eadem omnino eſt. Hinc autem videtur etiam reiici quod in vltima ſolutione diſtinctum eſt, Nam licet, quando cauſalis traditur cum ea ſucceſſione ibi poſita, *Non expedit tibi vinum, quia hoc nocet diſcurſui*, poſſet prima propoſitio habere ſenſum ſuum, quia integra eſt, & habet alioquin perfectam ſignificationem, etiamſi cauſalis vel non addatur, vel falſa ſit, attamen quando à cauſali inchoatur propoſitio, tunc tota videtur reddi falſa, ſi il[illegible] non ſit bona: id quod oſtendo in eodem e[illegible]plo quod adfert hic Auctor, nam illa prop[illegible], *Quia Sol lucet, dies eſt*, iudicatur ab eo f[illegible]ſi cauſalis non ſit bona: & tamen poteſt reſolui per alias duas; quales ſunt illæ, *Non expedit tibi vinum bibere, quia nocet ſpeculationibus*; poſſum enim ego dicere, *Dies iam eſt, quia Sol lucet*: concedo ergo in hoc ſecundo caſu illam eſſe veram, in primo non eſt; ergo licet illa, *Hoc eſt enim corpus meum*, ſi reſoluta eſſet per duas tali modo, *Debes hoc vel illud facere, quia hoc eſt corpus meum*, aut è contrario *Hoc eſt corpus meum, ideoque hoc vel illud facies*: licet inquam in his caſibus poſſet vera eſſe vna ex illis, eſto altera eſſet falſa, quando tamen ſtatim incipitur per ipſam cauſalem, *Quia hoc eſt corpus meum*, aut, *Hoc eſt enim corpus meum*, totus & præcipuus ſenſus reddetur falſus ſicut in illa, *Quia Sol lucet, dies eſt*.

19

Solutiones Lugo patiuntur difficultatem.

Exemplo ipſiuſmet oſtenditur.

Digitized by Google

20 Item, quod dicebatur in prima ſolutione facilè reiicitur: nam ea doctrina habet quidem locum, quando propoſitio eſt virtualiter copulatiua, ſeu quando poteſt reſolui in duas inter ſe diſparatas; vt dum dico, *Veniant duo illi homines huc*, eſt idem ac ſi dicerem, *Veniat hic, veniat ille*: tunc enim poteſt eſſe vna vera, eſto altera ſit falſa. At quando intrinſecè propoſitio eſt cauſalis, vt dum dico, *Quia hoc eſt corpus*, nihil aliud addendo, non videtur eſſe ibi vllus verus, aut (vt meliùs dicam) nullus omnino ſenſus. Ex quibus inferret aliquis, ſatis probabiliter dici poſſe, per ea ſola verba non futuram validam conſecrationem, non quia præcedentia ſint neceſſaria; nam ſi auferatur τὸ *enim*, hæc ſola ſufficient, *Hoc eſt corpus meum*; ſed quia ablatis præcedentibus & retento *enim* redditur illa propoſitio nulla, niſi fortè adderetur ſtatim *Comedite & bibite*.

Prima ſolutio Lugo reijcitur

Hinc tamen grauis oritur difficultas, & quidem duplex, nam ſi quando retinetur *enim* ſunt neceſſaria præcedentia verba; ergo cùm nos de facto ſemper conſecremus retento τὸ *enim*, profectò meritò dicentur neceſſaria præcedentia, ea ſaltem, *Accipite & comedite*.

Alia difficultas ex ſolutione Lugo orta.

Secunda difficultas eſt, quia diximus, ſi ſequantur hæc verba, tunc futuram conſecrationem; infertur hinc manifeſtè; Ergo conſecratio non complebitur quando dicetur, *Hoc eſt enim corpus meum*; ſed quando dicetur, *Accipite & comedite*: id quod videtur valdè abſurdum, inde enim fieret τὸ *Accipite & comedite* eſſe partem eius formæ, ac proinde non ſemper eſſe eadem verba per quæ fit conſecratio: ſequelam autem probo, quia quando quis habet animum proferendi illa verba, *Accipite & comedite*, poſtquam dixit, *Quia hoc eſt corpus meum*, rogo, An corpus Chriſti ponatur dum dicitur *meum*, an expectentur verba ſecutura? ſi immediatè ponatur dum dicitur *meum*, ergo etiamſi homo deinde mutata intentione omittat τὸ *Accipite*, adhuc tamen conſecratio facta erit, & tamen eodem modo propoſitio illa exterior manebit ſine vllo planè ſenſu, ac ſi non habuiſſet talem intentionem; quia intentio non immutat externum ſenſum verborum (vt per ſe patet:) quidquid enim ego cogitem interiùs dicere, ſi tamen foris nihil aliud dico quam illa verba, *Quia hoc eſt corpus meum*, ſenſus erit ſemper nullus: vnde ſi vna vice fuit conſecratio, etiam ſecunda, quando nihil cogitaui addere, erit valida. Quòd ſi propter[illegible]icatur, tunc primò poni Chriſti corpus, q[illegible]o dicitur *Accipite & comedite*; profect[illegible] ſequitur quod ſupra dicebam, non min[illegible] *Accipite & comedite* eſſe partem formæ huius Sacramenti, quàm illa alia, *Hoc eſt enim corpus meum*: id quod haud dubiè non poteſt ſine graui abſurdo admitti.

21 Iis ergo omnibus ponderatis dicendum eſt, etiam per illa verba, *Quia hoc eſt corpus meum*, omnino fieri conſecrationem; nam reuerà qui hoc dicit, aſſerit illud eſſe corpus Chriſti: vnde non poteſt dici, eo caſu nullam formari propoſitionem aſſertiuam, probo autem ſubſumptum: vnum enim ille homo ſupponit, alterum vult inferre, veritas ſuppoſitionis non pendet vllo modo ab illatione: nam ſi ego dicam, *Quia hoc pallium eſt meum*, & re ipſa meum non ſit, nemo negabit me mentiri; reſpondebunt enim omnes, *Falsò ſupponis, non enim eſt tuum, ſed Petri v. g.* Addo autem, illam ſuppoſitionem & eius veritatem eſſe independentem ab illatione bona aut mala rei inde mandatæ aut prohibitæ; cùm ergo illa verba Chriſti habeant vim efficiendi id quod ſignificant, neceſſum eſt, vt eo ipſo ponant ibi Chriſtum, ſiue inde nihil aliud inferatur, ſiue addatur, *Comedite & bibite*, ſiue quodcumque aliud. Hinc autem iam erit facile reſpondere ad illam inſtantiam, *Quia Sol lucet, dies eſt*: reſpondeo enim, In ea etiam vnum ſupponi, & quidem aſſertiuè, ſcilicet Solem lucere, alterum verò inferri, ſcilicet diem eſſe: & in hoc differt ea propoſitio à conditionali, *Si hoc eſt corpus meum*, quòd hæc non ſolùm non dicit quid eſſet futurum, ſi hoc eſſet corpus meum, ſed neque affirmat eſſe corpus meum; ac proinde nullum habet aſſertiuum ſenſum; noſtra autem habet aſſertiuum vnum, alterum verò non compleuit: id quod non obeſt noſtræ doctrinæ, quia pro conſecrando corpore Chriſti ſufficit quòd aſſeratur eius præſentia, quidquid poſteà inde inferatur.

Concluditur, futuram validam conſecrationem his verbis. Quia hoc eſt corpus meum.

Quòd verò ex Summuliſtis poteſt obiici, ſcilicet propoſitionem cauſalem non eſſe veram, niſi illatio vera ſit, non vrget; quia id intelligendum eſt de propoſitione vt cauſali, non de ea quatenus ſupponit principium aliquod, quo vtitur tanquam ratione ſeu cauſa alterius dicti: id quod benè explicat Cardinalis Lugo ſuprà; qui tamen in eo minùs mihi placet, quòd diſtinctionem faciat inter illas duas, *Quia Sol lucet, dies eſt*, quam vocat in toto rigore cauſalem; & inter illas alias, *Non expedit tibi bibere vinum, quia impedit ſpeculationem*: iam enim oſtendi eamdem eſſe de vtriſque rationem: at verò ſi illa, *Quia Sol lucet, dies eſt*, dicitur rigoroſè cauſalis, etiam debere hanc dici, *Quia hoc eſt corpus meum*: in vtraque enim ponitur particula cauſalis ante perfectum ſenſum; ac proinde etiam idem dicendum de illa, *Hoc eſt enim corpus meũ*, quæ in toto rigore Latini ſermonis eſt ſynonyma cum illa, *Quia hoc eſt corpus meum*. Debet ergo ad obiectionem reſponderi, Etiam illam, *Quia Sol lucet, dies eſt*, ſiue dicatur rigoroſè cauſalis, ſiue non (quod ad vocem ſpectat) eſſe poſſe veram quoad affirmationem Solis lucentis, etiamſi non inferretur inde diem eſſe; quia in ea propoſitione duo aſſeruntur, & Solem lucere, & inde inferri diei exiſtentiam: quòd ſi illa propoſitio eſſet productiua ſui obiecti aſſertiſ, efficeret vt luceret Sol, eſto inde non ſequeretur diem eſſe; æqualiter ergo de omnibus illis cauſalibus diſcurrendum eſt. 22

Obiectio ex Summuliſtis ſoluitur.

Replicabis tamen adhuc: Illa propoſitio, *Quia hoc eſt corpus meum*, ita eſt aſſertiua ſui obiecti, vt planè videatur illud præſupponere iam antè ita exiſtens; vnde habere non poteſt vim primò producendi illud: quaſi diceret ea propoſitio de ſe, *Quandoquidem ego iam ſuppono hoc eſſe corpus Chriſti, comedite illud*, &c. vnde rurſus verba illa non poſſent eſſe tunc temporis vera. Reſpondeo, Difficultatem eſſe communem etiam ad caſus omnes, quando ordinario modo conſecramus; ac proinde cùm ibi ponamus particulam cauſalem *enim*, etiam videbimur ſupponere priùs tempore Chriſtum ſub eis ſpeciebus contineri; quod ſine dubio falſum eſt. Reſpondeo ergo Secundò abſolutè, Non magis denotari Chriſtum fuiſſe anteà ibi quàm ſi non eſſet poſita illa cauſalis, ſed dictum ſimpliciter fuiſſet, *Chriſtus eſt ſub his ſpeciebus*: ſolùm enim 23

Replica contra concluſionem.

Reſponſio Prima.

Secunda.

enim ea verba requirunt,vt in fine prolationis ſuæ ibi ſit Chriſtus,de quo fuſiùs infrà.

Quæ mutatio verborum formam deſtruat.

Iam oportet aliquid dicere circa mutationem illius formæ:qua de re agit Suarez ſuprà ſect.2. Nos autem vniuerſaliter ſuprà agentes de Sacramentis in communi vnam vel alteram regulam tradidimus in hoc puncto; ex qua difficile non erit breuiter quid hîc ſentiendum ſit colligere, eam ſcilicet mutationem verborum, quæ efficit ne maneat ſenſus à Chriſto inſtitutus, eſſe ſub-

Suarez refutatur.

ſtantialem,alias omnes accidentales. Hinc videtur colligi contra Patrem Suarium,non eſſe omnino eſſentiale illud verbum *eſt*;nam ſi quis hoc modo diceret, *Chriſti corpus ſub his ſpeciebus eiecto pane continetur*,faceret ſenſum expoſitorium illorum,*Hoc eſt corpus meum*, ergo etiam tunc eodem modo conſecraret:id quod dici poteſt ſub aliis phraſibus, vt, *Corpus Chriſti ſuccedit ſub hac accidentia in locum panis*, aut, *Panis conuertitur in corpus*, &c. Fundamentum Patris Suarez,quòd cùm hæc ſit conuerſio ſubſtantialis,& fiat in inſtanti, non poſſit commodiùs aliis verbis explicari, non multum vrget; quia inde ſummùm ſuadetur aptiſſimam eſſe hanc formam,non tamen infertur, aliam etiam non poſſe eſſe aptam;imò fortè magis clarè explicaretur res tota per illam, *Panis tranſit in corpus meum*,&c.

Neceſſarium eſt verbum eſt.

Secundò dico, Neceſſum eſſe verbum aſſectiuum huius conuerſionis; alioquin non maneret ſenſus à Chriſto intentus:vnde falluntur illi,qui docent ſufficere, ſi dicatur, *Comedite hoc corpus meum*:etenim ibi nulla ſunt verba quæ denotent conuerſionem. Alia quæ de mutatione dici poſſent vide citato loco de Sacramentis in communi.

SECTIO V.

Quid de conſecratione calicis?

24

D.Thomas quid ſentiat.

CIRCA formam conſecrationis calicis maior eſt diſſenſio inter Scholaſticos;nam Diuus Thomas quæſt.78. art.3.(quem multi alij apud Vaſquez & Suarez diſput.60. ſect.1. ſequuntur) putat etiam illa verba,*Noui & æterni teſtamenti:myſterium Fidei:qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, pertinere eſſentialiter ad formam huius conſecrationis; quia illa ſcribuntur magno charactere, & proferuntur eodem tenore ſupra calicem: & Innocentius Tertius in cap. *Cùm Martha*, ſæpè citato omnia illa verba videtur ponere pro forma. In Concilio Colonienſi Par.7.cap.14.apud Vaſquez ſuprà cap.2. videtur idem aſſeri. Diuum Thomam variè interpretati ſunt Thomiſtæ; de quo vide Vaſquez ibi & Suarez diſp.60.ſect.1.

Sententia communis proponitur.

Sententia ergo communis inter Scholaſticos eſt, adæquatam formam eſſe illa verba,*Hic eſt calix ſanguinis mei*,aut,*Hic eſt ſanguis meus*: pro qua varia congerunt teſtimonia Patrum & Scholaſticorum citati duo,Suarez & Vaſquez. Breuiter fundamenta inſinuabo. Primum,quia in Liturgiis Sancti Iacobi,& Sancti Marci,& Mozarabum olim in Hiſpania,ea verba, de quibus Diuus Thomas,non habebantur,non poteſt autem dici illos erraſſe in conſecratione, aut habuiſſe diſpenſationem à Chriſto vtendi alia forma:

Et ſtabilitur à Suarez, Vaſquez & Lugo.

quod argumentum fusè deduxit Suarius, deinde Vaſquez,ac tandem Lugo ea diſp.11.ſect.4. Secundum,quia Euangeliſtæ etiamſi narrent formam eſſentialem,ſub qua Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, omittunt tamen illam particulam *myſterium Fidei*,item τὸ *æterni*:deinde Matthæus & Marcus non dicunt,*Qui pro vobis*:Lucas non dicit,*Qui pro multis*: quod verò Diuus Thomas ait,Euangeliſtas omnes non tradidiſſe eſſentialem formam, eſt durum creditu; præterquam quòd ſi illi non tradunt, vnde quæſo conſtat Chriſtum mandaſſe vt adderetur *myſterium Fidei*,&c. Et hinc à ſimili cùm Marcus omiſerit τὸ *calix*,rectè infertur,idem eſſe dicere, *Hic eſt ſanguis meus*,ac *Hic eſt calix mei ſanguinis*.Tertiò ſatis efficaciter à ſimili probatur hoc ipſum; nam cùm illa,*Hoc eſt corpus meum*,ſufficiant ad conſecrationem hoſtiæ,ſimilia,etiam debent ſufficere,*Hic eſt meus ſanguis*, quia non eſt ratio maior in illis quàm in his: Chriſtus præterea etiam ibi addidit, *Quod pro vobis tradetur*, & tamen hæc non requiruntur;ergo. Quartò efficaciùs id ſuaderi ex ipſa veritate verborum putant Vaſquez,Lugo & Suarius, nam antequam dicatur,*Noui & æterni teſtamenti*,&c.eſt abſoluta illa propoſitio ſignificans de præſenti corpus Chriſti contineri ſub hoſtia,& ſanguinem in calice: qui ſenſus integerrimus maneret eodem modo quo nunc,etiamſi ſequentia verba non adderentur;ergo ſi Chriſtus nondum eſt ibi quando dicitur,*Hic eſt ſanguis meus*, verba illa erunt falſa.

Contra hanc rationem obiiciunt ſibi omnes 25

Obiectio petita ex formis aliorum Sacramentorum.

eius Auctores formam Baptiſmi,Suarez verò etiam formam Confirmationis: in his enim etſi ſenſus videatur perfectus dum dicitur, *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, & *Baptizo*, ſeu *Abluo te*; effectus tamen gratiæ ibi ſignificatus non conceditur niſi poſt illa verba *In nomine Patris & Filij*,&c. Cui obiectioni reſpondet Vaſquez, per Baptiſmum non ſolùm conferri gratiam, ſed etiam characterem Fidei, quo adſcribitur homo Eccleſiæ, ac proinde non concedi effectum donec proferantur poſteriora illa verba, quibus fit profeſſio Fidei;vnde putat obiectionem hanc eſſe friuolam. Ego tamen iudico eſſe valdè difficilem, & ſolutionem Vaſquez facillimè refutari poſſe.

Solutio Vaſquez reiicitur Primò in Confirmatione.

Primò, quia quidquid ſit de Baptiſmo, ſaltem in Confirmatione videtur habere difficultatem; nam ibi homo non adſcribitur Chriſto; iam enim ſupponitur adſcriptus; ergo ceſſat ea neceſſitas expectandi illa verba, *In nomine Patris*,&c. alioquin autem ſenſus non minùs eſt abſolutus quàm in conſecratione ante τὸ *Noui & æterni*;ergo eſt eadem difficultas, qua non obſtante neceſſariò in Confirmatione ea verba requiruntur:idem ergo poſſet ex hoc capite dici in Euchariſtia.

Secundò in Extrema Vnctione.

Secundò,quia in Extrema Vnctione nullus eſt character; & tamen ibi non ſtatim effectus ponitur ante illa verba, *In nomine Patris*,&c. quòd ſi dixeris,ibi formam non eſſe aſſertiuam,ſed optatiuam,ideoque ex vi eius veritatis nihil omnino inferri, facilè hæc euaſio reiicietur;Primò,quia multi iudicant poſſe eſſe validam formam aſſertiuam;Secundò, quia ea forma vt deprecatiua eſt ex ſe tam efficax quàm aſſertiua:& ſine dubio potuit à Chriſto inſtitui aſſertiuè;& tamen non ſtatim,cùm primum habet ſenſum deprecatiuum perfectum, habet ſuum effectum,imò etiam per peccatum poteſt totaliter ille effectus impediri;ergo idem erit in Euchariſtia. Quòd ſi hæc inſtantia Extremæ Vnctionis non placet,

Tertiò in Baptiſmo.

Tertiò efficaciùs argumentor,Quia ſiue Baptiſmus ad characterem ordinetur

ordinetur,ſiue non;hoc ſanè debet eſſe inter omnes omnino certum,per illa verba, *Ego te abluo,* ſeu *baptizo*,nequaquam ſignificari characterem: ſolùm enim ſignificant vel corporalem vel ſpiritualem ablutionem à peccatis;hanc autem totam ſignificationem habent antequam proferantur ſequentia , *In nomine Patris*,&c Rogo ergo, An eam ablutionem à peccatis tunc produxerint, an non?ſi produxerunt, iam ergo gratia cauſata eſt eſt ante alia verba vltima;quod eſt hæreticum: ſi non produxerunt,& tamen cenſentur vera; ergo idem omnino poterit dici de verbis conſecrationis.Confirmo:Etiam per Sacramentum Ordinis imprimitur character,& non ſunt neceſſaria illa verba,*In nomine Patris*,&c.ergo character parum facit ad rem præſentem, ſiue ad hoc , quòd debeant expectari illa verba. Confirmo Secundò; Etiamſi noluiſſet Chriſtus vllum per Sacramenta imprimi characterem,potuiſſet eodem modo ad valorem Baptiſmi requiſiuiſſe illa,*In nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti*:id quod videtur ex terminis notum,ergo,&c.

Confirmatio à Sacramento Ordinis.

26 Secunda ſolutio , quam ex Cardinale Lugo poſſumus adducere,eſt longè melior , quòd ſcilicet in Baptiſmo verba ſolùm ſignificent immediatè ablutionem exteriorem, cui eſt annexa deinde ſignificatio Sacramentalis. Verùm hæc ſolutio etſi,vt dixi, longè ſit melior, habet tamen aliquam difficultatem ; Primò in Sacramento Confirmationis, vbi prima ac naturalis ſignificatio videtur eſſe de gratia ſpirituali quoad vltima illa verba , *Confirmo te chriſmate ſalutis*; & tamen ea ſignificatio non verificatur niſi poſt ſequentia verba , *In nomine Patris,& Filij*,&c. Secundò,quia licet immediata & naturalis ſignificatio ante conſtitutionem Chriſti ſit ſignificare ablutionem corporalem ; poſt inſtitutionem tamen Chriſti videntur iam ſignificare ablutionem ſpiritualem,& quidem etiam ante verba illa,*In nomine Patris*,&c.Vnde ſi diceret quis,*Abluo te exteriùs aqua & interiùs gratia ſpirituali in nomine Patris*,ſine dubio veram formam adhiberet; tunc autem fuiſſet ſignificata gratia vt iam data; & tamen primùm eſſet danda poſt verba, *In nomine Patris,& Filij*,&c.Hæc replica in mea ſententia non vrget,quia reuera Baptiſmus non videtur eſſentialiter vt partem includere ſignificationem gratiæ,alioquin quando per peccatum homo illam impediret,non eſſet propriè vera ea forma,ideoque nec Sacramentum eſſet validum, quia non poſſet intelligi Sacramentum aliquod eſſe validum ſub falſa forma:& idem dico de forma illa,*Signo te Chriſmate ſalutis*,non enim ſignificat,*Signo te gratia*,ſed,*Signo te hoc chriſmate*:quod meritò dici poteſt ſalutis,quia eſt ex ſe ordinatum ad ſalutem ſpiritualem. Denique vniuerſaliter nos diximus,ideò non poſſe dari validum & informe Sacramentum Pœnitentiæ, quia ſine gratia remiſſiua peccatorum non eſſet vera ea forma ; qua occaſione dixi Sacramentorum aliorum verba non ſignificare ipſam gratiam,ſed aliud,ratione cuius poſſent eſſe valida & informia;ergo ex hoc capite non poteſt vrgeri quidquam circa formam conſecrationis;ac proinde ea ſecunda ſolutio ſufficientiſſima eſſet. Vrgere tamen adhuc contra illam aliunde poſſumus,nam (vt idem Auctor ſibi obiecit) eſto verba illa Baptiſmi v.g. ſolùm ſignificent ablutionem externam , adhuc poſſunt eſſe vera , ſi præmittantur ante ipſam ablutionem,quia(vt & nos cum communi diximus,vniuerſaliter agentes de coniunctione materiæ & formæ Sacramentorum) ſolùm debet ea connexio moraliter conſiderari ; ergo etiamſi ea verba Chriſti proferantur paulò ante quàm re ipſa ponatur Chriſtus,adhuc erunt vera. Huic obiectioni reſpondet hic Auctor, In aliis Sacramentis eam anticipationem habere locum , quia non requirunt eam rigoroſam concomitantiam , quam requirunt verba conſecrationis,vnde addit,ſtante eadem ſignificatione,quam iam de facto habent ea verba,non potuiſſe Chriſtum requirere ad valorem conſecrationis illa alia, *Noui & æterni teſtamenti*,&c.neque illa ſimilia,*In nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti*,&c.in quo putat minùs benè locutum Suarium,concedentem id fuiſſe in poteſtate Chriſti Sacramentum inſtituentis, ego tamen vel grauiter erro, vel petitionem principij in hac ſolutione video.Pro quo aduerte,dum dicitur verba hæc,de quibus diſputamus , eſſe in toto rigore vera,& magis ſpecialiter quàm verba Baptiſmi,nihil aliud hoc eſſe apud hunc Auctorem,quam quòd ipſo inſtanti quo dicunt , *Hic eſt ſanguis meus* , iam debeat ibi eſſe ſanguis Chriſti,hoc autem eſt ipſiſſimum punctum de quo diſputamus.D.Thomas & alij indicant ea verba eſſe vera pro inſtanti quo vltimo dicitur *in remiſſionem peccatorum*,hic Auctor dicit eſſe vera pro inſtanti quo dicitur *ſanguinis mei* : id quod hic probat,quia debent eſſe rigoroſè vera, hoc eſt,quia ſunt vera pro eo inſtanti priori.Vides probari idem per idem,hoc eſt,probari rigoroſam veritatem , quia tunc ponitur ſanguis Chriſti;& poni ibi tunc ſanguinem Chriſti,quia ſunt rigoroſe vera? Vnde conſtat Secundò nimis certam eſſe illam illationem, quòd ſcilicet retenta ſignificatione rigoroſa,quam habent de facto,non potuerit Chriſtus exigere illa alia verba;hoc enim claris terminis nihil aliud eſt dicere,quàm ſuppoſito quòd Chriſtus voluerit, vt ſignificent poni ſanguinem antequam dicantur ſequentia,*Noui & æterni*,&c.non potuiſſe expectari ad hoc vt poneretur ſanguis illa alia verba. Breuiùs & clariùs idem explico,ſuppoſito quòd noluit expectare vlteriora,non potuit expectare vlteriora:id quod veriſſimum quidem eſt,adeò vt de eo nemo dubitare aut quærere poſſit. Ex his dico,meliùs longè Patrem Suarez tandem fateri, hoc argumentum a veritate verborum non eſſe efficax;quia reuerà ſi Chriſtus voluiſſet non aliâ exigere in his verbis veritatem quàm in aliis Sacramentis;quorum forma ſignificat etiam effectum de præſenti; & tamen pendet effectus ille ab aliquibus aliis rebus,vt ab ablutione in Baptiſmo , à ſigno crucis in Confirmatione , &c. quæ actiones poſſunt paulò pòſt verba adhiberi; vel certè pendet ab aliis,qualia ſunt illa, *In nomine Patris*,&c.ſi inquam non aliam voluiſſet exigere veritatem,haud dubiè potuiſſet. Quòd autem de facto maior non requiratur , non poteſt propriè ex veritate ipſa ſuaderi, ſed aliunde; ergo argumentum à veritate deſumptum nullum eſt. Vnde vlterius concludo,Non eſſe neceſſum nos defatigare ratione illius inquirendo, Vtrùm illa verba , *Noui & æterni teſtamenti* , & , *Qui pro vobis effundetur* , efficiant eamdem orationem cum prioribus , an diuerſam ; & Vtrùm idem ſit dicere , *Hic eſt ſanguis qui pro vobis effundetur* , ac dicere , *Pro vobis effundendus* , &c.de quibus nos diximus aliquid ſuprà.

Solutio Cardinalis Lugo etſi melior, habet difficultatem; Primò in Sacramento Confirmationis;

Secundò in Sacramento Baptiſmi.

In noſtra ſententia nulla eſt difficultas.

27 *Reſponſio Cardinalis Lugo petit principium.*

Res tota explicatur.

28 Dico autem,Non eſſe nobis neceſſum id diſcutere , quia cùm oſtenderimus argumentum non

Digitized by Google

non eſſe bonum, parum eſt, quòd ea verba efficiant phyſicè vnam propoſitionem cum præcedentibus, aut vnam tantùm moraliter: de quo fusè agit Lugo hîc, vt decidat, vtrùm ea ſequentia verba teneant ſuſpenſum ſenſum præcedentium néne.

Suarez arguitur inconſtantia à Lugo.

Iam ad argumenta in contrarium ſuprà poſita reſpondendum eſt; vbi in primis videtur Pater Suarez (teſte Lugo) ſibi contrarius; nam relata ea ſententia Diui Thomæ, ait illam eſſe probabiliſſimam; §. verò *Secundum & validiſſimum argumentum* dicit eſſe plus quàm temerariam ſententiam negantem Græcos validè conſecraſſe ſine illis verbis; vnde ad hâc inconſequentiam vitandam putat idem Auctor ita explicandum Suarium, vt ſententia illa, quam dicit probabiliſſimam, ſit media quædam docens ſequentia verba non ita eſſe eſſentialia, vt omnino de facto ſine illis non poſſit fieri conſecratio; ſed eo tantùm caſu quo intentio conſecrantis ſit non abſoluere ſenſum propoſitionis niſi poſt illa verba; ac proinde non niſi poſt illa perficere conſecrationem. Vnde cùm Græci talem intentionem non habuerint, quia illa verba non proferebant, potuerunt validè ſine illis conſecrare. Hæc explicatio pro mente Suarez eſt acuta; nō tamen vllo prorſus modo in Suarium quadrat, qui hanc eamdem explicationem priùs poſuerat pro ſua ſententia, eamque dixerat alienam à mente Diui Thomæ, & non aſſequi quod intendit, ac fingere nouum quid & inauditum in formis Sacramentorum; quod autem probabiliſſima eſſet ſententia, ſolùm dixit de prima, pro qua Diuum Thomam & alios diuerſos Auctores citauit; ergo non eam intellexit in ſenſu quem ei tribuit Lugo. Secundò, ſi ea vltima verba nequaquam ſunt neceſſaria, ego non capio, quomodo ſit in poteſtate conſecrantis ſuſpendere ſenſum priorum, ita vt non ponatur Chriſtus, niſi quando ponuntur hæc, quæ ſupponimus re ipſa nullo modo eſſe neceſſaria; hac ergo ſolutione reiecta, iudico clariorem & faciliorem eſſe mentem Suarij: etenim duas illas cenſuras non de eadem re tulit; ſed primam, *quòd ſit probabiliſſima*, tulit de ſententia D. Thomæ; alteram verò, *quòd ſit plus quàm temeraria*, tulit de quadam ſolutione Paludani, concedentis Græcos nunquam validè conſecraſſe calicem; fieri autem poteſt vnam ſolutionem argumenti eſſe erroneam, & tamen alias poſſe adhiberi tolerabiliores, licet non omnino ſolidas: id quod ibi præſtitit Suarez; nam de vna alia ex Capreolo ſolùm dicit, quòd qua facilitate dicitur, eadem negatur, quòd ſit voluntaria, ſine vllo fundamento. Et de contradictione Suarij ſatis.

Lugo mediã proponit ſententiam ad explicandam mentem Suarez.

Sed minùs aptè.

Meliùs explicatur ſenſus Suarez.

29 *Soluuntur argumenta pro contraria opinione.*

Ad argumenta igitur dico in primis, quòd omnia illa verba eiſdem characteribus ſcribantur, & eodem tono proferantur, parum vrgere; vt patet in τὸ *enim* in vtraque forma: quod tamen ipſe D. Thomas & cum eo cæteri eius ſententiæ Auctores non iudicant eſſe huius Sacramenti partialem formam neceſſariò requiſitam: ratio ergo, cur ita ſimul proferantur & ſcribantur, ea videtur eſſe, quòd cùm dicantur appoſitiuè ad priora verba per genitiuum *Noui & æterni teſtamenti*, &c. non poterant commodè dici ſi interpoſita fuiſſet eleuatio calicis: ergo ſimul vno tractu proferri debuerunt, quia hoc nihil poteſt obeſſe: eo autem ipſo quòd proferantur vno tractu, etiam obtinuit conſuetudo, vt vno charactere ſcriberentur.

Inſtantia:

Rogabis tamen, Si ea verba non ſint magis de neceſſitate conſecrationis calicis quàm ſimilia in conſecratione hoſtiæ, cur non vtrobique aut adduntur, aut omittuntur, & magis in calicis quàm in hoſtiæ conſecratione dicuntur? Reſpondetur Primò, Quia ipſe Chriſtus ferè omnia illa addidit in calice, in hoſtia verò non niſi iuxta vnum Euangeliſtam, *Quod pro vobis tradetur*. Secundò, quia in conſecratione calicis terminatur tota conſecratio; dicendo autem ibi de ſanguine, *Quod effundetur in remiſſionem peccatorum*, etiam dicitur implicitè corpus ipſum tradendum, cùm effuſio violenta ſanguinis non niſi præuia traditione corporis in manus tortorum fieri poſſit. Tertiò, quia cùm (iuxta Apoſtolum Paulum) teſtamentum non niſi ſanguine ſtabiliatur, opportunum fuit, vt dum de ſanguine agebatur, tunc diceretur effuſum illum eſſe, quo nouum Teſtamentum, noua Lex Chriſti inchoabatur, & confirmabatur. Quartò, quia aptior indicatur effuſio ſanguinis ad teſtandam paſſionem quàm corpus ipſum; vnde dum volumus dicere, nos eſſe paratos pro altero mori, id per effuſionem ſanguinis declaramus.

Soluitur Primò. *Secundò.* *Tertiò.*

Reſponſio ad Innocentium in cap. Cùm Marthæ.

Ad Innocentium in cap. *Cùm Marthæ*, reſpondetur, eum ibi non dicere, ea omnia verba eſſe eſſentialia, ſed omnia illa dicta fuiſſe à Chriſto; id quod variè ibi probat: ex hoc autem quòd dicta ſint à Chriſto, non infertur continuò ea eſſe partem formæ; vt de τὸ *enim*, de τὸ *Quod pro vobis tradetur*, in conſecratione hoſtiæ dictum eſt. Et eodem omnino modo reſpondendum eſt ad Concilium Colonienſe. Quod diximus vniuerſaliter de tota illa parte propoſitionis addita, intelligendum eſt de qualibet etiam parte illius: id quod noto propter nonnullos limitantes eam ſententiam, vt *myſterium Fidei & noui & æterni teſtamenti* non ſit pars formæ; quia non ſunt à Chriſto dicta, cætera verò ſint: etenim ſuprà oſtendimus, ex eo quòd à Chriſto fuerunt dicta, non ſequi eſſe formam; neque aliunde poteſt eſſe aliqua ratio vlla, cur hæc requirantur. Denique, quia quæ ſuprà adduximus ſi quidquam valent, probant ſanè illa ſola eſſe neceſſaria, *Hic eſt ſanguis meus*, vel, *Hic eſt calix ſanguinis mei.*

SECTIO VI.

Vtrùm ſaltem ea verba ſint pars integralis formæ?

ILLVD pro complemento poteſt quæri, Vtrùm eſto ea verba non ſint pars eſſentialis formæ, dici tamen poſſint pertinere ad ſubſtantiam conſecrationis? Vti digitus etſi non ſit neceſſarius ad eſſentiam hominis, eſt tamen de ſubſtantia ſeu integritate hominis. De hac difficultate agit Vaſquez c. 4. & Lugo à n. 85. ille negat, hic affirmat, quia putat aliquid poſſe pertinere ad ſubſtantiam formæ, quod non ſit neceſſarium, imò neque influat de facto in effectum, vt in prolatione vltimæ ſyllabæ: conſtat enim illam prolationem non fieri indiuiſibiliter, ſed ita vt aliquamdiu duret, ac proinde diutius protrahatur quàm ſit neceſſarium ad effectum Sacramenti; & tamen etiam illa vltima prolatio eſt pars formæ: quam inſtantiam priùs etiam contra ſe attulerat Vaſquez. 30

Diuerſæ ſententiæ, & earũ Auctores. Affirmat Lugo, negat Vaſquez.

Ego (vt verum fatear) non poſſum hîc videre niſi putam putam quæſtionem de nomine, in qua non cenſeo debere nos hærere; etenim inter hos duos Auctores conuenitur, ea verba nec neceſſaria

Quæſtio eſt de nomine.

Digitized by Google

ceſſaria eſſe vt ponatur Chriſtus ſub ſpeciebus, nec re ipſa de facto concurrere ad eam poſitionem, ſed perinde ſe habere ac ſi non dicerentur. Et ex hoc capite Vaſquez dicit ea non eſſe nec quidem partem integralem, ſeu ſubſtantialẽ, quia nec requiritur, nec ex ſuperabundantia influit. Ex quo capite reſponderi poteſt ad eos qui dicunt τὸ *Ego* in propoſitione *te abſoluo*, aut *te baptizo*, etſi neceſſarium non ſit concurrere; tamen ad effectum abſoluendi & baptizandi reſponderi inquam poteſt, τὸ *Ego* contineri implicitè in eo verbo *abſoluo*, & *baptizo*; & tunc quando ponitur explicitè, habere locum vt poſſit influere in effectum gratiæ, ac proinde poſſe eſſe partẽ ſubſtantialem formæ. Vnde ego dico, Caſu quo vltimo loco poneretur. *A peccatis tuis te abſoluo ego*, eodem modo debere nos de ea particula *ego* diſcurrere, ac de his *Noui & æterni*, &c. Vides ergo, quidquid de re ipſa negat Vaſquez, negari etiam ab hoc Auctore; vti & è contrario Vaſquez admittit quidquid hic de re docet, ſcilicet ea verba proferri eodem quaſi tractu cum præcedentibus, eſſe partem orationis illius prioris, connexam ſaltem per relatiuum *qui*, & omnia illa dici à Sacerdote nomine Chriſti, non ſuo: hæc omnia omnes fatemur; vtrùm autem ob connexionem hanc cũ illis verbis quæ verè ponunt Chriſtum ſub ſpeciebus, eſto hæc illum omnino non ponant, dicenda ſint pars integralis aut ſubſtantialis formæ, non poteſt niſi ad puram putam quæſtionem de voce pertinere; neque video quid nouæ entitatis eis addatur per hoc, quòd dicantur eſſe pars integralis.

31 *Sententia Vaſquez præfertur.* Vnde tandem iudico meliùs loqui Patrem Vaſquez, quia reuerà ea connexio propoſitionis ſequentis non videtur ſufficiens vt dicatur pars formæ integralis; ſolùm autem videtur vrgere illa inſtantia de pronuntiatione illa vltima vltimæ ſyllabæ: Vaſquez illi reſpondet negando eas duas

Obiectio ſoluitur. prolationis eſſe partes; probabiliùs tamen eas Lugo admittit: iis ergo admiſſis reſpondeo, Prolationem vltimam eius litteræ *m* in *meum*, aut *i* in *mei*, ſeu alterius cuiuſque vltimæ ſyllabæ, ex forma neceſſaria ab omnibus reputari pro prolatione eiuſdem omnino litteræ: cùm autem littera *m* ſit pars eſſentialis formæ, quid mirum ſi ea pronuntiatio, quæ dicitur pronunciatio *m*, etiam denominetur pars ſubſtantialis formæ, maximè cùm vix non ſit adhuc in lite etiam inter doctos, vtrùm dentur ibi duæ illæ pronuntiationes, & ſaltem moraliter loquendo reputentur planè vnũ quid; at in aliis verbis adiunctis, quæ nullo modo cenſentur moraliter eadem verba cum prioribus, licet cenſeantur facere vnam orationem totalẽ, ceſſat omnino ea ratio; vnde nullo modo iudicantur ſeu dicuntur pars formæ, ſed ſummùm pars illius totalis orationis, cuius tamen ſola media pars eſt forma. Pro quo aduerte, etſi vna pars denominetur à toto, & dicatur aliquid illius & totum, è contrario denominetur à parte, non ta-

Declaratur res ſimilitudine. men ideò vnam partem ab altera denominari: ſic homo abſolutè dicitur videre, eſto ſoli oculo videant, ſcribere, cantare, eſto ſola manus aut ſolum os efficiat eas actiones, at non poſſumus ideò dicere propriè, pedem eſſe partem ſcribentem, quia ea denominatio non conuenit immediatè niſi ſoli manui, cuius non eſt pars pes, ſed compars, & inter ſe cenſentur adæquatè diſtingui, ac proinde vnius operatio non denominat alteram operantem, ita in præſenti ſequentia verba, *Noui & æterni*, etſi ſint compars illorum quæ ſunt forma, & conſtituant denominationem vnius orationis totalis, non tamen inter ſe communicant in denominatione, ideoque vltima non poſſunt dici forma, quia hæc denominatio formæ nõ eſt denominatio eius totalis orationis immediatè, ſed vnius partis, à qua non tranſit ad aliã partem: vti in homine denominatio albi quæ ſoli corpori conuenit, tranſit ad totum hominem, nõ tamen ab vna parte ad alteram, hoc eſt, à corpore ad animam. Hæc ratio ceſſat in ea vltima pronũtiatione litteræ *m* aut *i*, quia *m* eſt in toto rigore formæ pars, vnde omnes pronuntiationes, quæ moraliter iudicantur facere *m*, conſequenter vocantur pars eius formæ, iam autem paulò antè dixi, moraliter eas duas pronuntiationes iudicari per modum planè vnius, & (ſic liceat dicere) etiã phyſicè quodam modo inter ſe vniri ex ipſa natura linguæ, quæ vix poteſt vnã ab altera ſeparare niſi cum ſpeciali reflexione: quæ diuerſitas omnino ſufficit ad eum diuerſum loquendi modum, etiamſi fortè in toto rigore phyſicè non ſit vera.

Ad alteram inſtantiam de manu reſpectu corporis ſolutio eſt facilior, quia manus informatur eadem anima, vnitur phyſicè cum aliis partibus, ſine illa homo non eſt integer, debet ergo dici pars integralis illius: at in formis Sacramentorum non aliter accipitur ea denominatio, quàm quatenus concurrunt ad cauſandum effectum Sacramenti, vnde verba, quæ ad hoc nullo modo ſunt deſtinata, non poſſunt dici pars integralis formæ, niſi valdè abuſiuè. *Reſpondetur inſtantia.*

SECTIO VII.

Vtrùm verba conſecrationis proferantur recitatiuè, an aſſertiuè?

RECITATIVE proferri idem eſt ac hiſtoricè referendo dictum alterius, non autem aſſirmando; ſicut ſi dicerem, *Ariſtoteles docuit, Mundus fuit ab æterno*: enuntiatiuè verò, ſeu aſſertiuè, eſt aſſirmando id quod ſonat propoſitio. 32 *Explicatur quæſtio.* Tres ſunt in hoc puncto ſententiæ; duæ extremæ, & vna media. *Referuntur ſententiæ. Prima, verba proferri recitatiuè:* Prima ait, hæc verba ſolum proferri recitatiuè, ſeu per narrationem: ita Innocentius III. lib. 4. de hoc Myſterio capite. 17. Durandus in 4. diſtinct. 8. quæſtio. 2. ad 1. & Maior ibi ad 2. Gloſſa in capite. 1. *Timoris*, de conſecrat. dub. 2. citatur etiam Ockamus quodlib. 2. quæſt. 1. ſed Vaſquez ait eum non ſtare pro ea ſententia, Catharinus Opuſculo, Quibus verbis Chriſtus conſecrauerit, Mirandul. in Apol. quæſt. 10. & noſter Salmeron Tom. 9. in Euangelia Tractatu 3. eam dicunt probabilem Gabriel Lectione 48. in Canonem, Ledeſma quæſt. 19. art. 5. & Cardinalis Lugo, quatenus ſectione 5. eam inſinuat eſſe liberam ab omni calumnia.

Secunda ſententia extremè oppoſita eſt, ea verba non dici niſi purè aſſertiuè: ita Pater Vaſquez diſput. 200. cap. 2. pro qua refert Alexandrum (qui tamen non illi fauet) Richardum, Marſilium & Gabrielem; eamdem etiam fatetur ſe olim defendiſſe Cardinalis Lugo; re tamen meliùs conſiderata ait ea ſect. 5. ſe nunc ſtare pro tertia, quæ docet, vtroque modo ea verba debere accipi: id quod Scotus & alij apud Vaſquez cap. 1. docuêre; quos etiam refert & ſequitur Suarez diſputat. 58. ſect. 4. & verò Vaſquez ſi putaret eos duos modos proferendi verba recitatiuè & aſſertiuè in vnum poſſe conuenire, eam admitteret. *Altera, dici purè aſſertiuè.* *Tertia, recitatiuè & aſſertiuè.*

SVBSEC

SVBSECTIO I.

Duæ priores concluſiones.

33 *Impugnatur prima ſententia:*

Notatur erroris à Vaſquez.

PRima Concluſio contra primam ſententiam: Verba conſecrationis non proferuntur ſolùm recitatiuè, ſed hiſtoricè: in hac conueniunt Auctores primæ & ſecundæ ſententiæ, & Coninck quæſt. 78. art. 3. dub. 10. adeò vt Vaſquez n. 14. dicat ſe quidem non dubitare, eam opinionem erroris inſimulare; immeritò tamen huiuſmodi cenſuram illi inurit (vt ex ponderatione argumentorum, quæ & priùs Suarez tetigerat ſuprà, conſtabit:) Primò ergo inducit Auguſtinum, quem (licet de ſolo Baptiſmo loquatur) ait ad verba conſecrationis optimè poſſe trahi; verba illius Tractatu 80. in Ioan. hæc ſunt: *Accedit Verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* id quod perpetuò ita fuit ab Eccleſia intellectum, vt etiam conſecrationis verba accedant ad panem & vinum, vt ipſa operentur in eis conuerſionem virtute ſignificationis quam illis tribuit Chriſtus Dominus; nempe quatenus ſunt vera; nam vera eſſe ſine conuerſione non poſſent. Id quod confirmat ex Tridentino, quod Seſſione 15. cap. 4. ex veritate verborum collegit præſentiam Chriſti Domini etiam nunc in Euchariſtia; ergo loquitur de veritate, quam verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, habent iam de facto: atqui ſi ſolùm recitatiuè proferrentur, nihil inferrent de conuerſione præſenti, cùm de illa non loquerentur, ſed ſolùm de præcedenti, quæ immediatè ab ipſo Chriſto facta eſt. Secundò argumentatur, quia, vt fiat conuerſio, debet aliqua eſſe connexio inter deſitionem vnius ſubſtantiæ & productionem alterius; atqui verba niſi aſſertiuè dicta illam connexionem non poſſunt habere. Tertiò denique, quia ſi recitatiuè tantùm ea dicerentur, fruſtrà omnes Scholaſtici laborarent vt ex illis vocibus *Hoc* & *Hic* probarent neceſſariam eſſe præſentiam materiæ conſecrandæ; nam licet potuiſſet Chriſtus exigere, vt, dum ea verba referuntur, eſſet præſens materia; ea tamen præſentia tunc non probaretur ex verborum veritate, ſed aliunde.

Argumenta Vaſquez. ex S. Auguſtin.

Ex Concilio Tridentino:

Non ſatisfaciunt. Soluũtur duo ex S. Auguſt. & Concilio Tridentino.

Hæc argumenta non ſunt ſufficientia ad eam notam inurendam; & quod ad Auguſtinum attinet, dicimus illum eò loci præcisè requirere verba Sacramenti; vtrùm autem enuntiatiuè, an recitatiuè dicantur, nullatenus inſinuare. Tridentinum item colligit Chriſtum poſitum in Euchariſtia nocte cœnæ ex veritate illorum verborum; vnde manifeſtè redarguit hæreticos, qui eodem modo negant etiam tunc fuiſſe poſitum ſub ſpeciebus panis corpus Chriſti, ſicuti negant de facto poni: ſi autem ſemel Eccleſia probat verè fuiſſe Chriſtum tunc poſitum, tollit omnia fundamenta hæreticorum, & oſtendit Primò, rem eſſe poſſibilem; oſtendit Secundò, etiam de facto ita fieri; quia Chriſtus ita illud myſterium inchoauit, vt dederit ſimul poteſtatem idem faciendi, iuxta illud, *Hæc quotieſcunque feceritis*, &c. Vtrùm verò nunc ea poſitio Chriſti fiat recitando ſupra materiam illa ipſa verba Chriſti, ſeu hiſtoricè ea referendo, an ea proferendo aſſertiuè, Tridentinum profectò eis locis non decidit. Et verò pro hæreticis reiiciendis id eſt omnino impertinens (vt ex terminis apparet.) Quare hoc argumentum meo iudicio non eſt ſufficiens non ſolùm ad inurendam notam contrariæ ſententiæ, ſed neque abſolutè efficax.

34

Immeritò inuritur nota contrariæ ſententiæ.

Secundum verò de connexione illa inter deſitionem & productionem leuius adhuc eſt, tum quia (vt ſupra diximus) ea connexio vi verborum gratis omnino requiritur ad rationem conuerſionis; & alioquin verba poſſent omnino eſſe vera, eſto nulla eſſet conuerſio: demus accidentia illa iam antea fuiſſe ſine ſubiecto, ſeu ſine pane, profectò ſi ad prolationem verborum poneretur Chriſtus veriſſimè eodem modo, quo iam diceretur, *Hoc eſt corpus meum*; ergo verba non habent ſignificationem vllam talis expulſionis niſi per accidens, ex eo quòd ibi re ipſa ſupponatur panis. Secundò, ideò hoc argumentum nullum eſt, quia vt Chriſtus dedit eam vim ſuis verbis, quæ alioquin eam non habebant; nam verba illa ex ſe eſto ſignificent ibi eſſe corpus Chriſti, non tamen ſunt ex ſe effectiua ſui obiecti; ita etiam potuit eamdem vim dare verbis Sacerdotis, licet ſolùm recitatiuè dicerentur, repræſentando tamen veritatem quam habuêre dum Chriſtus ea protulit; ac proinde etiam eo modo eſſet connexio inter deſitionem panis & poſitionem Chriſti ratione verborum vt recitatorum; quia negare nemo poteſt fuiſſe Chriſto Domino liberum, ſi voluiſſet, rem ita inſtituere, vt eo ipſo quòd Sacerdos ſupra panem animo ſerio ponendi ibi Chriſtum recitaret pure purè factum ipſius Chriſti & prolationem ipſius, fieret conſecratio: cur enim non potuit eſſe contentus ad ſeipſum ponendum ibi illa recitatione Sacerdotis prædicto modo explicata, qui ſine dubio alioquin ſine vllis verbis potuit ſe ibi ponere, & panem extrudere? Certè ex terminis apparet id in ipſius voluntate fuiſſe poſitum. Potuit etiam tunc velle ſe ponere ſub illis ſpeciebus eo modo, quo veritas verborum eorum à ſe prolata tunc requiſiit. In quo caſu & ratio conuerſionis ex indiuiſibilitate ſignificationis & ex veritate verborum tunc prolatorum colligeretur (vt intendit Vaſquez) non tamen ex veritate eorum verborum vt nunc aſſertiuè proferuntur, ſed vt nudè à Sacerdote ea hiſtoria narratur cum eadem indiuiſibilitate narrationis, quam habuerunt in aſſertione. Ad vltimum, quòd propterea Scholaſtici requirant præſentiam materiæ, quia ea debet demonſtrari per τὸ *Hoc*, vnde neceſſum eſt illud dici aſſertiuè, reſpondetur, conſtare quidem nobis à Chriſto requiſitam fuiſſe eam præſentiam materiæ; vtrùm autem id propterea petierit, quia verba Sacerdotis dicuntur aſſertiuè; an verò vt ſciretur, quæ eſſet materia conſecrata, non conſtare nobis; eſto maior pars Scholaſticorum, quia ſentiunt ea verba proferri aſſertiuè, conſequenter id probent ex ea veritate. Hinc autem ſolùm infertur, maiorem partem Scholaſticorum pro ea ſtare: id quòd Aduerſarij non negabant.

Nullam repugnantiam inuoluit contraria opinio.

35 *Vltimum Vaſquez argumentum ſoluitur ex Chriſti inſtitutione.*

Fortaſſe ideò poſſet ea Prima Concluſio, cum aliquibus probari; nam ſi illa verba ſolùm recitatiuè proferrentur, non eſſent vera; quia Chriſtus non dixit ſupra hanc numero hoſtiam, quam ego habeo in meis manibus, *Hoc eſt corpus meum*, ſed ſupra aliam diſtinctam; ergo debent proferri aſſertiuè vt ſint vera. Hoc tamen argumentum poſſet quidem fieri pro ſententia Vaſquez docentis ſolùm aſſertiuè ea verba proferri, non tamen pro hac prima concluſione, quæ non excludit hiſtoricam prolationem; nam ſi ſunt falſa, eò quòd Chriſtus ſupra hanc numero hoſtiam non protulit talia verba, non tolle-

Aliud argumentum pro ſententia Vaſquez.

Digitized by Google

tur profectò ea falſitas, licet proferantur ſimul énuntiatiuè. Iam nunc addo, neque poſſe pro Vaſquez hoc argumentum formari, eſto dicat aſſertiuè tantùm ea proferri; nam licet illa vltima, *Hoc eſt corpus meum,* non dicantur recitatiuè, ſeu hiſtoricè, id tamen non poteſt negari de illis prioribus, *Qui pridie quàm pateretur*, &c. eſt enim euidentiſſimum ea recitatiuè proferri: cùm ergo in eis referatur Chriſtus dixiſſe ea verba, & tamen illa non dixerit ſuprà hanc materiam, ſed ſupra aliam diſtinctam, ſaluari iam non poterit veritas eorum antecedentium verborum, quidquid ſit de veritate vltimorum, *Hoc eſt corpus*; debemus ergo reſpondere omnes ei argumento, ac dicere, illis verbis prioribus nos non ſignificare quòd Chriſtus ſupra hanc numero materiam protulerit verba, ſed ſupra panem illum, quem tunc habebat; id quod veriſſimum eſt; quomodo autem cum hoc cohæreat, quòd poſſint dici etiam aſſertiuè, dicàm infrà.

36 *Aliorum argumentum pro eadem ſententia:*

Alij inde probant verba ea dici aſſertiuè, quia iuxta Tridentinum vi verborum aliqua de facto ponuntur; vbi rurſus interrogant, vi quorum verborum ea poſitio fiat, an eorum quæ Chriſtus dixit, an verò eorum quæ ego? Horum non poteſt reſponderi, ſi non dicuntur aſſertiue, ſed tantùm recitatiuè, quia eo ipſo nihil de præſenti ſignifico; quòd ſi propterea dicatur eam poſitionem nunc fieri vi verborum Chriſti prout tunc prolatorum, profectò inde videtur clarè ſequi, ſolùm debere nunc poni ea quæ tunc ſignificabantur per verba Chriſti: vnde vlteriùs, ſanguis, qui tunc erat in eius venis, quia illum tunc verba ſignificabant, deberet nunc poni; hoc autem videtur abſurdum, quia aliquæ guttæ illius manſerunt in terra, in lancea, clauis, &c. Deinde ſi hoc eſſet, gratis recurriſſet Concilium ad connexionem partium Chriſti nunc in cœlis.

Sed eſt magis ingenioſum quàm efficax.

Hoc argumentum etiam non eſt efficax, licet ingenioſum; Primò, quia non conſtat certò, an reuerà tales guttæ manſerint in terra, an verò illa ſigna ſanguinis, quæ in aliquibus lapidibus apparent, ſint tantùm accidentia ſanguinis, nihil verò de materia illius retineant. Secundò, non vrget argumentum, quia poteſt dici Chriſtum voluiſſe vt ponerentur vi verborum ea quæ ad verborum veritatem eſſent neceſſaria, caſu quo proferrentur aſſertiuè; quia ſcilicet voluit idem omnino efficere vi recitationis illius, quod efficeret vi aſſertiuæ prolationis; ergo inde nihil colligitur.

Aliud argumentum efficacius pro eadem opinione.

Meliùs ergo eadem veritas ſuaderi poteſt; Primò, quia multi Patres dicunt Sacerdotem inducere perſonam Chriſti, quando venit ad illa verba; imò & Tridentinum id videtur inſinuare expreſſiùs, dum docet *Chriſtum per Sacerdotem tanquam per Miniſtrum, qui nomine ipſius conſecrat, offerre Deo Sacrificium.* Atqui ſi verba ſolùm hiſtoricè referrentur, non inducerent Sacerdotes perſonam Chriſti, quia ad referendam illam hiſtoriam hoc eſſet per accidens; nec Chriſtus refert ſe dixiſſe; debent ergo illa verba aſſertiuè ſumi. Secundò, quia Chriſtus præcepit Apoſtolis vt facerent quod ipſe fecerat; atqui ipſe aſſertiuè dixit ea verba, ergo etiam præcepit Apoſtolis, vt ea dicerent aſſertiuè. Denique, non eſt vllum inconueniens in eo quòd dicantur aſſertiuè; nam licet illud corpus non ſit Sacerdotis conſecrantis, tamen cùm Sacerdos in perſona Chriſti loquatur, etiam poteſt aſſertiuè rectè dicere, *Hoc eſt corpus meum.* Quòd verò poſt conſe- 37
crationem calicis addantur illa verba, *Qui pro vobis effundetur*, quæ aſſertiuè dici non poſſunt nunc de futuro, facilè reſpondetur, ea ſolùm dici recitatiuè, quia facta iam conſecratione exuit Sacerdos perſonam Chriſti, & retinet puri hiſtorici. Ita Patres Suarius & Coninck. Poteſt etiam reſ-

Reſpondetur argumentis.

ponderi, introduci à Sacerdote Chriſtum loquentem in cœna; & quia tempore cœnæ erat effundendus ſanguis, ideò verba illa eſſe nunc vera, ſicut quando in comœdia introducitur aliquis gerens perſonam Regis, aſſumit eadem verba quæ Rex dixit. Hæc ſolutio eſt validè bona, ſi admittatur ea verba dici etiam recitatiuè, vt nos admittemus; at ſi dicantur ſolùm aſſertiuè (vt docet Vaſquez) qui hanc ſolutionem adhibet, videtur planè non poſſe ſuſtineri id quod manifeſtè ſuadetur. Nam ſi ſolùm aſſeratur de præſenti hanc materiam eſſe corpus, & non narretur ſimul, quòd Chriſtus olim dixerit ea verba; ac proinde ſi non proferantur recitatiuè, quomodo poteſt corpus Chriſti dici iam de præſenti tradendum? Confirmo: Si Comicus gerens

Reſponſio confirmatur ſimilitudine.

perſonam alicuius Regis qui olim dixit, *Mei ſubditi rebellant contra me*, in ſcena verba ea dicat aſſertiuè de præſenti; profectò, ſi de facto nulla ſit rebellio, mentietur: quòd ſi illa propoſitio retrotrahatur ad tempus præteritum, iam erit recitatio, ſeu narratio; ergo eodem modo, ſi dicatur verba conſecrationis ſolùm proferri aſſertiuè, debebit reſponderi huic difficultati, ea quæ ſequuntur iam non dici nomine Chriſti, vt oſtendimus in prima ſolutione.

Concluſio ſecunda

Secunda conclusio, quæ ex præcedenti ferè ſequitur; Non eſt neceſſum ſimpliciter ad valorem conſecrationis ea verba proferri recitatiuè. Nam ſi nulla præmiſſa narratione immediatè Sacerdos animo conſecrandi ſupra panem proferat, *Hoc eſt corpus meum*, valida erit conſecratio; quia ad intentum ponendi Chriſtum ſub his ſpeciebus ſufficit, quòd verba illa ex ſe ſint efficacia, & proferantur ſupra debitam materiam cum debita etiam intentione. In quo puncto ferè omnes conſentiunt. Dixi, *Hanc ferè ſequi ex præcedenti.* Aliquis enim dicere poſſet; Etiamſi non ſufficiat ea verba dici recitatiuè, debere tamen dici ad valorem conſecrationis, & ſimul aſſertiuè. Nihilominùs (vt videbimus ſtatim) neceſſitas ea dicendi recitatiuè ſolùm poteſt oriri vi verborum præcedentium; vnde ſi illa ex integro omittantur, & immediatè inchoetur ab iis, *Hoc eſt corpus meum*, nulla eſt recitandi neceſſitas.

Svbsectio II.

Tertia conclvsio:

38 *Quomodo verba formæ dicantur recitatiuè:*

Ea ſit; Etiam dicuntur verba illa hiſtoricè, ſeu recitatiuè. Hæc patet ex contextu antecedentium verborum & ex particula *enim* continuante ſenſum hiſtoricum. Reſpondent nonnulli, Ab illis, *Accipite & manducate*, quia non connectuntur cum præcedentibus per particulam aliquam, iam loqui Sacerdotem in perſona Chriſti, & ſolùm aſſertiuè. Sed contrà; nam illa verba, *Hæc quotieſcumque feceritis*, non dicuntur in perſona Chriſti, quia continent præceptum, Chriſtus autem non iuſſit vt ipſius nomine repeteremus verba præcipientia; ſed vt

exequere

Digitized by Google

exequeremur rem præceptam. Ex hac ratione, quam approbant hi Auctores, argumentor ego: Nam etiam hæc verba *Accipite & comedite* ſunt præcipientia non minùs quàm illa alia; ergo non dicuntur nomine Chriſti, quia non iuſſit Chriſtus vt repeteremus ea verba, ſed vt acciperemus & comederemus panem; ergo hæc verba ſolùm hiſtoricè dicuntur; ergo etiam dicuntur hiſtoricè (licet non ſolùm) illa alia, *Hoc eſt enim corpus*; alioquin τὸ *enim* ibi eſſet impertinens. Secundò probatur CONCLVSIO: Non repugnat, imò quotidie fit, eadem verba dici vtroque modo, aſſertiuè & hiſtoricè; ſicut cùm dico, Ariſtoteles dixit, quod & ego etiam dico, *Homo eſt rationalis*, ſimiliter heri dixi, quod & hodie repeto, *Deum eſſe trinum & vnum*: ibi hæ propoſitiones & hiſtoricè & aſſertiuè accipiuntur; quod tam clarum eſt, vt non videam quo pacto Vaſquez & aliqui Recentiores negarint poſſe hos duos modos loquendi in vnam coincidere propoſitionem: quòd enim vt eſt recitatiuus præcisè non affirmet, ſic verò vt eſt aſſertiuus, probat modum purè aſſertiuum non poſſe conuenire cum recitatiuo, nón verò partim aſſertiuum, partim recitatiuum: ſicut licet homo vt animal non intelligat, & intelligat vt rationalis, non eſt certè vt animal & rationale nequeant identificari. Si ergo hi duo modi poſſunt coincidere in vnam propoſitionem, certè coincidunt in verba conſecrationis; quia per antecedentia, *Gratias agens dixit*, &c. fiunt hiſtorica illa verba; quatenus autem nunc per Miniſtrum proferuntur, à Chriſto dicuntur aſſertiuè.

Vaſquez negat poſſe modum aſſertiuũ & recitatiuum in vnam propoſitionem coincidere.

39 *Obiectio, Quòd verba non proferãtur recitatiuè.*

Obiicies Sacerdos, iuxta modum loquendi quorumdam Patrum, dum venit ad verba conſecrationis exuit perſonam propriam; ergo non profert ea verba recitatiuè; quia recitare proprium eſt Sacerdotis, vt talis eſt perſona hiſtoricè narrans illa quæ facta ſunt. Reſpondeo, Patres ſolùm dixiſſe, Sacerdotem exuere perſonam puri hiſtorici; ac ſi dixiſſent, Iam deſinit eſſe hiſtoricus merus, & loquitur in perſona Chriſti: per quod non negant illum adhuc etiam recitare id quod Chriſtus ipſe fecit.

Dices: Chriſtus non accipit hunc numero panem quem ego accipio, nec ſupra illum protulit verba; ergo non poſſunt ea recitatiuè vſurpari. Reſpondeo, Me conſecrantem non aſſerere accepiſſe Chriſtum hunc numero panem, ſed alium, ſupra quem aſſero dixiſſe ea verba quæ ego dico ſupra hunc numero, ac proinde omnia rectè ſaluantur, & hiſtoricus ſenſus & recitatiuus.

Diſcurſus Cardinalis Lugo diducitur.

Cardinalis Lugo paulò aliter diſcurrit vbi ſupra ea ſect. 5. duos diſtinguens modos narrandi propoſitionem præteritam; vnum proprium, alterum improprium: proprius eſt, quando ipſam propoſitionem præteritam facio partem propoſitionis; vt cùm dico, *Caluinus dixit Deum eſſe peccati auctorem*, *Ariſtoteles dixit mundum eſſe ab æterno*, quo caſu ipſæ propoſitiones Caluini & Ariſtotelis ſunt partes propoſitionis eius integræ: Vnde ſi ego loco illius propoſitionis Caluini dicerem, *Caluinus dixit Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia*, mentirer tunc quando finitem propoſitionem. Alius modus recitandi, quem minùs proprium iudicat, eſt, ſi quis propoſitionem illam, quam recitat, accipiat non vt partem illius, qua id narrat, ſed vt purum putum obiectum illius; vt ſi diceret, *Petrus habuit concionem heri, quam iam à me audietis*, nam in hoc caſu ſi non habeo animum referendi eam concionem, ſed aliam, mentiar non quando refero concionem, ſed quando dixi, *Petrus habuit*, &c. quia tunc eius propoſitionis ſenſus fuit abſolutus: vnde è contrario, ſi, quando dixi, *Heri habui concionem, quam iam referam*, habebam animum eam repetendi, non ero mendax, eſto aliam loco illius poſtea dicam; vti ſi ego dico, *Petrus heri habuit concionem, quam ipſe vobis referet*, non ſum mendax, eſto ipſe aliam concionem recitet, non ſum vnquam mendax, ſi tamen ego putabam illum eam de qua ego loquebar repetiturum: duobus his modis poſſe rem aliquam referri clarum videtur, vti etiam videtur certum pendere à voluntate loquentis; vti hoc aut illo modo: ſit enim Sacerdos dicat, *Chriſtus accepit panem, dedit, & dixit ea quæ audietis à me eius nomine mox loquente*, certum eſt, quòd ille abſoluat propoſitionem antequam dicat, *Hoc eſt corpus meum*: quo caſu vltima verba, *Hoc eſt corpus meum*, non dicuntur recitatiuè in toto rigore, vt ſi dicerem, *Chriſtus protulit ea verba quæ ipſe iam pro ſe referet*, & tunc Chriſtus diceret, *Hoc eſt corpus meum*, non fuiſſent hæc verba propria narratio, ſed obiectum narrationis: poſſunt itẽ nulla vltima verba coniungi cum præcedenti, vt ſint pars narrationis, ſuppoſita autem poſſibilitate vtriuſque modi loquendi, ait non poſſe ſufficienter demonſtrari quo ſenſu accipiantur ea verba, probabilius tamen eſſe de facto vſurpari vtroque modo, quia audientes communiter concipiunt Sacerdotem ſicut narrat cætera, narrare etiam verba illa vt dicta à Chriſto, imò non facilè intelligerent audientes illud *Hoc* ad aliud referri, niſi aliunde ſcirent Sacerdotem ibi loqui in perſona Chriſti, & non ſolùm vt hiſtoricum.

De duplici modo narrandi.

Ego quidem iudico hæc ingenioſè diſtincta, 40
dubio tamen an poſſimus ſolidè diſtinctionem illius duplicis narrationis ſufficienter ſaluare: etenim quantumuis dum ego dico, *Ariſtoteles dixit, Mundus eſt ab æterno*, vel *Mundum eſſe ab æterno*, videatur hæc vltima propoſitio Ariſtotelis pars meæ propoſitionis, re tamen ipſa non eſt pars, ſed purum putum obiectum, quia illa mea propoſitio ſic explicatur, *Ariſtoteles fuit dicens*, id autem quod ille dixit eſt obiectum illius termini *dicens*: id quod meo iudicio confirmo & explico ex doctrina de veritate & falſitate earum propoſitionum. Nam vti hic Auctor docet, ſi ego animo narrandi concionem, quam heri habui, dicam, *Heri habui concionem, quam mox ex me audietis*, non mentior; eſto poſteà mutato animo aliam concionem vel nullam velim narrare: ita ſine vlla planè diſparitate, ſi dum dico *Ariſtoteles fuit dicens*, habeo in animo dicendi id quod reuerà ille dixit, non mentiar, eſto poſteà mutato animo poſt τὸ *Ariſtoteles fuit dicens* ſubſtituam, *Chriſtum eſſe natum*, quia reuerà totum illud quod præceſſerat, ſcilicet *Ariſtoteles fuit dicens*, verum eſt, & tunc habebam ego in animo dicere ea quæ ille dixit, ergo dum ego id aſſerui non ſum mentitus, poſteà autem non mentior, quia iam nihil aſſero, eodem modo quo dum dico, *Habui concionem, quam ſtatim referam*: quòd autem magis coniunxerim illud obiectum narrationis cum propoſitione, non facit quidquam, quia ea coniunctio non eſt phyſica, ſed moralis: & ſiue ſtatim dicam quod promiſeram me dicturum, ſiue paulò pòſt, idem eſt, ſolùm autem ſequitur inde, au-

Laudatur tradictus diſcurſus ab ingenio, ſed videtur carere fundamento.

Digitized by Google

dientes non tam citò, ſed tardiùs intellecturos, an ego dixerim verum néene. Pro quo perfectè intelligendo aduerte ad rem noſtram aliud omnino eſſe, me non fuiſſe formaliter mentitum, aliud, me non dixiſſe verum. Admitto libenter,
41 formaliter me non mentitum, ſi habui animum dicendi concionem, quam v. g. heri habui, dum protuli ea verba, *Heri habui concionem, quam ſtatim referam*, non inquam mentitum, eſto poſteà aliam referam; non tamen propterea ſequitur me non dixiſſe falſum; vti ſi ego puto Petrum currere, & aſſero, *Petrus currit*, non mentior formaliter; haud dubiè tamen falſum dico. Pro nobis autem per accidens eſt, quòd in eis propoſitionibus admittatur, aut non admittatur formale mendacium, dummodò re ipſa ſit falſitas; quia inde ſolùm ſequitur talem loquentem inuincibiliter ignoraſſe quid re ipſa eſſet futurum. Adde, totam hanc doctrinam habere locum in illa priori propoſitione, *Ariſtoteles dixit, Mundus eſt ab æterno*; nam ſi ego ab initio cogitabam hoc dicere, non fui mentitus quando protuli, *Ariſtoteles dixit*, & tamen etiam tunc dixi falſum materialiter: & verò ſi poſteà dum poſt τὸ *Ariſtoteles dixit*, loco illius *Mundus eſt ab æterno*, addo *Chriſtus eſt natus*, poſſum dici mentiri formaliter; quia propoſitio præcedens adhuc maneat ſignificans, & moraliter ſe habet perinde ac ſi ab initio ego habuiſſem eum animum: id quod eodem modo dicendum eſt in illa, *Ariſtoteles dixit propoſitionem, quam ego vobis ſtatim referam*, licet enim huc uſque non ſim formaliter mentitus, eo tamen ipſo quòd habens in memoria quid dixerim, proferrem deinde, *Chriſtus eſt natus*, iam tunc mentirer, non quatenus aſſero natiuitatem Chriſti, nec quatenus aſſero Ariſtotelem dixiſſe; ſed quatenus referendo hæc verba poſt præcedentia facio moraliter hunc ſenſum, *Ariſtoteles dixit, Chriſtus eſt natus*. Denique vno verbo rem concludo, quòd poſt τὸ *Ariſtoteles dixit* addam hæc verba, *Hanc propoſitionem quam ſubiungo*, vel ſine additione immediatè proferam ipſam Ariſtotelis propoſitionem; non video quid faciat moraliter ad rem noſtram, niſi fortè, quòd ſi poſt illam reflexionem ego non illam, ſed alteram pono dicam duo falſa; vnum imponendo Ariſtoteli, alterum non faciendo id quod me facturum aſſerui; in altero verò caſu vnum tantùm mendacium dixi. Ex quibus omnibus concludo, eos duos modos narrandi non eſſe diuerſos vlla prorſus ratione ad rem noſtram.

42 Dices; Ergo ſi dicerem, *Petrus fecit heri concionem, quam ipſe vobis iam repetet*, mentiar, ſi ille eam concionem non repetat. Reſpondeo negando conſequentiam, quia eo caſu dicam quidem falſum, non tamen formaliter mentiar; quia ea altera pars propoſitionis, qua mea prior redditur falſa, non ponitur à me; ac proinde ego non mentior formaliter, quia etſi videam à Petro proferri aliquid quod homines putant eſſe è mea mente, cùm tamen ſit contra illam, ego tamen nullo modo id approbo: at ſi ego ipſe illam partem ſupponerem, iam redderem totam propoſitionem præcedentem formaliter falſam & mendacem quia voluntariè poſui id quo ea redditur falſa Addo, ſi ego ex præſcientia ſcirem Petrum non repetiturum eam concionem, fuiſſem ſine dubio mentitus etiam formaliter, dum eam propoſitionem dixi. Id quod puto non poſſe verti in dubium: vnde apparet nullam eſſe

Replica. Soluitur.

inter eas propoſitiones differentiam. Hinc ad Euchariſtiam dico, Cùm apud Catholicos debeat eſſe pluſquam certum, Sacerdotem, dum dicit Chriſtum accepiſſe panem, benedixiſſe, fregiſſe, dixiſſe, &c. non ſolùm non mentiri formaliter, ſed nec quidem materialiter dicere falſum, ſed omnino verum; ea autem propoſitio, *Chriſtus dixit & fregit*, nequeat eſſe vera, niſi ſubdatur id quod dixit re ipſa, & quod fregit; id quod videtur ex terminis notum; non poſſum reuerà capere, quomodo poſſit dici nullam omnino fieri ex verbis illis, *Hoc eſt corpus meum*, connexionem relationis cum præcedentibus.

Fortè diceret quis: Prior propoſitio manebit ſolùm, vt ſic dicam, ſuſpenſa, ſeu manca; vti ſi ego dicerem, *Petrus dixit*, & nihil amplius declararem, quid fuerit illud quod dixit. Sed contrà Primò manifeſtè, quia hoc ipſum non poteſt dici ſine grauiſſimo abſurdo: quis enim perſuadebit ſibi Eccleſiam voluiſſe inducere Sacerdotem tales ridiculas, inchoatas & imperfectas propoſitiones proferentem, eo maximè in loco, vbi grauiſſima omnia & non niſi Diuina peraguntur? ergo fateri debemus perfectum eſſe earum propoſitionum ſenſum. Secundò ea ſolutio reijcitur, quia licet poſſent manere tales 43
propoſitiones indeciſæ, id tamen locum habere non poteſt, quando ipſe loquens addit verba quæ poſſunt cum eis prioribus ſenſum perficere; tunc enim niſi aliunde conſtet ea non connecti, ſine dubio apud omnes audientes eum ſenſum integrum faciunt; ac proinde ſaltem ex hoc capite ſi loquens nolit hanc connexionem facere, mentietur quaſi in actu exercito, vt ſi ego ita loquerer, *Ariſtoteles dixit*, & vellem ibi finiri ſenſum, adderem tamen immediatè, *Verbum Diuinum eſt incarnatum*, profectò in rigore mentirer, quia illa propoſitio ex modo illo proferendi facit ſenſum copulatiuum, hoc eſt, Incarnationem Verbi dictam eſſe ab Ariſtotele: atqui Sacerdos nihil dicit, per quod vllo prorſus modo denotet ſe non coniungere illa verba, *Hoc eſt enim corpus meum*, cum præcedentibus; imò particula *enim* contrarium denotat, ergo re ipſa connectit, ergo ſi ea ad præterita Chriſti verba non referantur, & non faciant recitationem, efficient vt falſa reddantur præcedentia.

Altera replica & ſolutio expeditur.

Impugnatur aliter ſolutio data.

Conſtet ergo ea verba dici in toto rigore recitatiuè, obiectionem verò Vaſquez, quòd non poſſint eadem verba habere duplicem eum ſenſum, hiſtoricum & aſſertiuum, iam ſoluimus ſuprà, quia ſi per reflexum verbum ego me oſtendo vtroque modo loqui, haud dubiè vtrumque habebunt, vnde benè probat Cardinalis Lugo contra eumdem Vaſquez, etiam in ipſis verbis æquiuocis habere locum hanc doctrinam, v. g. canis prout ad terreſtrem & cœleſtem extenditur, Petrus prout hunc & illum Petrum, Gallus prout hominem natione Gallum & gallum gallinaceum ſignificat, nam ſi ego dicam, *Heri Rex dixit cuidam Duci, quòd ego iam huic animali dicam, Surgere Galle*, profectò ea vox *Galle* ſupponit hiſtoricè pro vno ſignificato æquiuoco aſſertiuè autem pro altero. Vide Cardinalem ea ſectione.

Concluditur, verba forma dici recitatiuè.

Difficultas iam reſtat, Verùm totum hoc ſit 44
intelligendum de ſolis verbis conſecrationis, an verò etiam de illis, *Accipite & comedite*. Affirmant nonnulli, & cum eis Lugo, eo quòd aliàs non facerent ſenſum bonum cum ſequentibus, *Hoc*

Quæſtio, Quæ verba ſolùm recitatiuè proferantur.

Digitized by Google

Hoc eſt enim corpus meum: non enim eſſet bona cauſalis, *Accipite & comedite, quia quod Sacerdos tenebit in manibus eſt corpus Chriſti*: id quod videtur Ambroſius tradidiſſe lib. 4. de Sacramentis cap. 4. qui refertur in cap. *Panis.* §. *De conſecratione.* diſtinct. 2. & Paſchaſius lib. de Corpore Chriſti cap. 15. Hæc doctrina etſi ſit valdè probabilis, habent tamen eius Auctores difficultatem, quam ſuprà tetigi, quòd illi dicant Chriſtum, etſi mandauerit Apoſtolis vt conſecrarent, non tamen dixiſſe illis, vt eius nomine repeterent, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*; ergo neque etiam mandauit illis vt repeterent ea verba, *Accipite & manducate ex hoc omnes.* Secundò, non videntur ea verba aſſertiuè conuenienter à Sacerdote dici, quia ille maximè, quando vnam hoſtiam conſecrat, non habet animum vllum alium communicandi; ergo non dicit aliis nomine ſuo, *Accipite & comedite ex hoc omnes*: hortaretur enim illos ſine animo dandi etiam ex eo pane. Vnde probabilius videtur ea verba ſolùm dici recitatiuè. Ad argumentum illud, quòd non eſſet bona ea cauſalis, facillimè reſpondeo, ſi Sacerdos faceret hunc ſenſum, *Chriſtus dixit, Accipite & manducate, quia quod Sacerdos habebit ſub manibus erit corpus meum*, non facturum cauſalem bonam; at negamus id à nobis dici, quia eo ſenſu verba illa, *Hoc eſt enim corpus meum*, acciperentur ſolùm aſſertiuè, & non recitatiuè: at, iuxta dicta à nobis, verba illa, *Hoc eſt corpus*, &c. accipiuntur vtroque modo, recitatiuè & aſſertiuè; vnde res eſt clariſſima, quia faciunt hunc ſenſum, *Chriſtus dixit, Accipite & comedite, quia quod ille tunc habuit in manibus, & quod ego Rodericus habeo, eſt corpus Chriſti*: vbi licet ſecunda pars eius cauſalis ſit quaſi ſuperflua in ordine ad hiſtoriam, prima tamen eſt ſufficiens ad reddendam rationem adæquatam illius ſuaſionis aut mandati, *Accipite & manducate*; vti poſſem optimè dicere, *Accipite & comedite, quia hi fructus, quos hodie vobis do, & cras aliis dabo, ſunt ſuauiſſimi* ergo ex ea coniunctione nullo modo cogimur ad accipienda aſſertiuè verba illa, *Accipite & comedite*; ſed ſolùm cogimur accipere recitatiuè illa ſecunda, *Hoc eſt corpus meum*, vt ſecundùm eam partem faciant connexionem cum præcedentibus.

Quæſtio altera expeditur.

Illud Secundò quæri poteſt, Vtrùm ſi Chriſtus ipſe nunc Miſſam celebraret, poſſet ea verba vtroque modo, recitatiuè & aſſertiuè, dicere? Reſpondeo, Omnino fore vt poſſet, quia dicere poſſet, *Ego olim accepi panem, fregi, dedi, dicens, Accipite*, &c. *Hoc eſt enim corpus meum*; quia quoad hoc non eſt maior difficultas, quòd ipſe de ſe referat, & ſimul dicat aſſertiuè, quam quòd alius referat factum illius, & ſimul dicat aſſertiuè nomine illius.

Statuitur, idē de aliis Sacramentis includi.

Denique, quod dictum eſt de hac forma conſecrationis, poſſumus etiam de aliis formis Sacramentorum dicere; nam ego poſſum abſoluere hoc modo, *Ego heri dixi Petro mihi confitenti, quod & tibi nunc dico, Ego te abſoluo à peccatis tuis*, &c.

SECTIO VIII.

Quid ſignificent verba illa Hoc *&* Hic *in forma Euchariſtiæ?*

PRONOMINA hæc faciunt nonnullam difficultatem in præſenti, quia cùm eo tempore, quo proferuntur, nondum ſit ibi Chriſtus Dominus, videntur denotare ſubſtantiam ipſam panis & vini; hæc autem ſubſtantia non poteſt de Chriſto prædicari, ergo vel illa propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, non eſt vera, vel Chriſtus non eſt ibi realiter, ſed in figura: quæ ratio figuræ benè poteſt tribui pani; & ita Sacramentarij hæretici ex hoc loco diſcurrunt, confirmantque id ipſum ex verbis illis prioribus, *Accipite & comedite ex hoc omnes.* Quæ propoſitio dicta videtur eſſe ante conſecrationem, quando indubitanter ſolus erat ibi panis; ergo ſolum panem eis re ipſa comedendum obtulit. 45

Difficultas proponitur.

SVBSECTIO I.

Propoſitis variis ſententiis explicatur, quid ſit tenendum?

PROPTER hanc difficultatem Catholici diuiſi ſunt in varias ſententias; & quidem vt vltimam hanc difficultatem ex illis verbis, *Accipite & comedite*, euitarent aliqui, dixerunt ea eſſe dicta poſt conſecrationem, etiamſi Eccleſia illa ponat ante. Verùm cùm textus Matthæi ea etiam ponat ante, & Marcus ſeruet eumdem ordinem ſub illo verbo, *Sumite, hoc eſt corpus meum*, non video qua probabilitate potuerint hi ea verba poſtponere: deinde nec per hoc effugiunt difficultatem ex integro, quæ adhuc manet in illo pronomine *Hoc* in ipſis verbis conſecrationis poſito.

Ideò ergo alij dicunt τὸ *Hoc* ſignificare quidem panem, non tamen vt duraturum in fine propoſitionis, ſed tunc vt ſignum Chriſti futuri deinde ibi. Pro qua ſententia refertur Alexander in 4. q. 10. mem. 4. art. 2. §. 3. ac Bonauentura diſtinct. 8. p. 2. art. 1. quæſt. 1. vbi ait ſenſum illorum verborum eſſe, *Panis tranſit in corpus Chriſti.* Hæc tamen ſententia meritò communiter reijcitur, quia non ſeruat proprietatem illius verbi *eſt*, cùm Tridentinum Seſſione 13. cap. 4. magnam vim fecerit in eo puncto, docens Chriſtum dixiſſe, verè corpus ſuum eſſe id quod ſub ſpecie panis offerebat. Hæc ratio non eſt admodum efficax, quia Concilium non aliud intendit probare ex illis verbis, quàm quòd Chriſtus Dominus verè ſit ſub ſpeciebus, & non ſit ibi panis. Pro quo puncto videtur per accidens, quòd explicentur ea verba hoc modo, *Hic panis tranſit in corpus Chriſti*, nam eo ipſo in fine verborum denotatur Chriſtum eſſe id quod ibi continebitur, non minùs quàm ſi ea verba alio diuerſo modo explicentur. Vnde ſi non haberemus aliam clariorem explicationem, non eſſet cur hanc reijceremus.

Sententia Alexandri & Bonauenturæ.

Secunda ſententia docet τὸ *Hoc* ſumi ſubſtantiuè; id eſt, *Hoc quod ſub ſpeciebus panis continebitur, in fine prolationis verborum eſt corpus meum*: ita ſentit Guitmundus lib. 2. de hoc Myſterio in fine apud Patrem Suarez; & D. Thomas hac quæſt. 78. artic. 5. circa finem corporis expreſsè eam tradit; vnde miror eumdem 46

Sententia Guitmundi, D. Thomæ, Scoti, Durandi, Caietani, & aliorum.

dem Patrem Suarium ea diſp. 58. ſect. 7. tantùm illum citare per terminum *videtur in ea eſſe*: pro illa ibidem multos citat alios, vt Scotum, Durandum, Caietanum, Paludanum, Antoninum, Ferraram, Ianſenium, Bellarminum, Ægidium Altiſiodorenſem, Victoriam, Ledeſmam, Richardum, & alios: pro ea ſtat idem Suarez ibi & Cardinalis Lugo diſp. 11. ſect. 7. cùm tamen longè aliter diſcurriſſet diſp. 7. ſect. 4. vbi ſententiam contrariam defendit vt certam: ſtant etiam ab hac multi Recentiores in manuſcriptis. Noſter verò Maldonatus in c. 26. Matthæi, & Vaſquez diſp. 201. cap. 4. eum ſecutus per omnia putat ea verba debere accipi adiectiuè, vt ſenſus ſit, *Chriſtus eſt contentus ſub his ſpeciebus*: idipſum defendit Gaſpar Hurtadus diſp. 3. de Euchariſtia, difficultate 10. vbi etiam pro ea refert Guitmundum, de quo ſuprà; qui videtur vtramque explicationem defendiſſe vt probabilem: idem etiam tuetur Lugo ea diſp. 7. ſect. 4. Huius ſententiæ fundamentum deſumitur à Maldonato & aliis Primò ex forma conſecrationis calicis; nam vt habetur Matthæi 26. & Marci 14. dicitur, *Hic eſt ſanguis meus*; vbi ideò in genere maſculino ponitur τὸ *Hic*, quia accipitur adiectiuè, perinde ac ſi quis ſuum fratrem oſtendens dicat, *Hic eſt meus frater*, non dicet, *Hoc eſt meus frater*: ſi enim quis puer eo modo loqueretur in ſchola, eſſet virgis cædendus (ait Maldonatus ſuprà.) Confirmat hoc ipſum Lugo, quia in lingua Hiſpanica, in qua *cuerpo*, ſeu corpus, eſt maſculini generis, nunquam dicimus, *Eſto* (qui eſt articulus neuter) *es mi cuerpo*, ſed, *Eſte es mi cuerpo*. Secundò id ſuadetur, quia hæc acceptio eſt facilior ad ſaluandam veritatem eorum verborum; non enim cogit nos aliquid aliud confingere quod ſignificetur per τὸ *Hoc* & *Hic*, antequam abſoluantur verba conſecrationis. Hanc tamen ſententiam ita Vaſquez defendit, vt omnino admittat, ſi Sacerdos velit vti ſubſtantiuè ea voce; & dicere iuxta præcedentem ſententiam, *Hoc eſt ſanguis meus*, omnino faciat validam conſecrationem: id quod etiam defendit Gaſpar Hurtadus ſuprà; vnde Auctores hi ita tribuunt illis verbis ſenſum adiectiuum, vt tamen fateantur eſſe in poteſtate Sacerdotis illis dare ſubſtantiuum, vt Suarez & Caietanus ſuprà docuerant.

Sententia Maldonati, Vaſquez & Hurtadi.

Hæc poſtrema ſententia à Maldonato probatur.

Dicet quis, In hoc eos non admodum conſequenter locutos; nam eum adiectiuum ſenſum maximè admiſerunt, quia facilior eſt ad defendendam veritatem verborum conſecrationis; fundamentum autem hoc totum ruit, ſi ſemel admittunt poſſe per alterum ſenſum ad Sacerdotis libitum fieri conſecrationem: ſi enim vna vice ſenſus admittatur ſine præiudicio myſterij huius, nec ideò detur anſa hæreticis veritatem præſentiæ Chriſti negandi, aut panem ſimul ibi ponendi; profectò ſemper poterit admitti ille ſenſus.

Vaſquez & Hurtadus arguuntur inconſequentia.

47 Iudico quoad rem ipſam non eſſe differentiam inter eas duas propoſitiones, vt benè notauit Suarez, & nos paulò ampliùs declarabimus. Dicere ergo, Id quod continetur ſub his ſpeciebus eſt Chriſtus, idem eſt ac dicere, *Chriſtus eſt contentus ſub his ſpeciebus*; vti idem eſt dicere, Meus frater eſt Petrus, ac dicere, Petrus eſt meus frater; pro quo obſeruo, quod vt primum principium ſupponimus ex Logica, ad hoc vt propoſitio ſit vera, neceſſarium eſſe prædicatum & ſubiectum inter ſe identificari ſecundùm rectum vtriuſque. Hinc colligitur, ſi ſubiectum identificatur cum prædicato, neceſſarium eſſe è contrario, vt prædicatum identificetur cum ſubiecto. Vnde vltimò colligitur idem eſſe, ſubiectum ponere loco prædicati & prædicatum loco ſubiecti, ac è contrario; ergo idem eſt dicere, *Hoc eſt Chriſti corpus*, ac dicere, *Corpus Chriſti eſt hoc.*

Dices aliquando, Hanc inuerſionem prædicati & ſubiecti non poſſe fieri retenta veritate propoſitionis: ſi enim dico, *Omnis homo eſt animal*, non poſſum dicere, *Omne ainmal eſt homo.* Reſpondeo, Eam conuerſionem mutare terminos, quia τὸ *Omnis* non erat in prima propoſitione poſitum cum animali, ſed cum homine. Vnde retentis terminis poſſet dici, *Animal eſt omnis homo.* Id declaro magis in mea ſententia; nam τὸ *Animal* in ea prædicatione ſumebatur ſub diſiunctione hoc modo, *Omnis homo eſt hoc vel illud animal*; vnde retentis eiſdem terminis rectiſſimè dicitur, *Hoc vel illud animal eſt omnis homo*; & ſolùm eſt differentia, quòd vna propoſitio eſt facilior & clarior quàm altera: vnde vna dicitur directa, & altera indirecta; quoad veritatem tamen nulla eſt diuerſitas. Hinc infero nequaquam ſequi, magis eſſe vnam identicam quàm alteram (vt malè nonnulli putant;) quia ſi in vna propoſitione non eſt conceptus identicus prædicati cum ſubiecto, profectò ex eo, quòd illi termini immutentur, non fiet conceptus identicus. v. g. ſi quando ponitur primò, *Hoc*, non eſt terminus identicus cum corpore, etiamſi ponatur priùs *corpus*, & deinde *Hoc*, non erit conceptus identicus, ac proinde neque illa erit propoſitio identica; iam enim dixi ſæpè, non dici identicam eam propoſitionem, in qua prædicatum eſt idem realiter cum ſubiecto, imò non poſſe veram eſſe vllam propoſitionem ſine tali identitate: propoſitiones ergo illæ tantummodò dicuntur identicæ ac vitioſæ, in quibus ſub eodem omnino conceptu ponuntur prædicatum & ſubiectum; vt ſi dico, *Homo eſt homo, corpus Chriſti eſt corpus Chriſti*; adeoque tales dicuntur vitioſæ, quia nihil noui per illas diſcitur; ergo quandocumque è contrario aliquis eſt conceptus diuerſus inter prædicatum & ſubiectum, nulla omnino erit identica prædicatio: atqui, vt dixi paulò antè, eo ipſo quòd detur diuerſus conceptus, ſi vnus terminus v. g. A ponatur pro ſubiecto, alter verò B pro prædicato, neceſſum eſt, vt eſto B ſit ſubiectum, & A loco prædicati, maneat eadem diuerſitas conceptuum; neceſſum ergo etiam eſt, vt ſi primo modo ea propoſitio non eſt identica, neque etiam ſecundo modo ſit identica. Idem ergo erit dicere, *Chriſtus eſt id quod continetur ſub his ſpeciebus*, ſeu, *Chriſtus eſt contentus ſub his ſpeciebus*, ac, *Hoc quod continetur ſub his ſpeciebus eſt Chriſtus*: vnde duo hi modi ea verba explicandi ſunt ferè idem, aut omnino idem.

Explicatur difficultas per inuerſionem propoſitionũ.

De identitate propoſitionũ.

Dices tamen; Illa propoſitio, *Hoc quod continetur ſub his ſpeciebus eſt corpus Chriſti*, per illud verbum *quod continetur* videtur denotare continentiam de præſenti, dum ea proferuntur; quia licet quoad τὸ *eſt* non efficiat ſenſum perfectum, quouſque addatur *corpus meum*, quod eſt prædicatum eius copulæ; attamen quoad τὸ *continetur* iam videtur ſenſus omnino integer, ac ſi diceremus, *Hoc quod eſt nunc contentum,* 48

Obiectio proponitur:

contentum, erit; &c. Reſpondent nonnulli, ſignificari de præſenti aliquam rationem indeterminatam ſeu vagam indiuidui contenti, ſub eis ſpeciebus; non panem determinatè, non Chriſtum determinatè, ſed abſtractè & genericè; vti animal abſtrahit ab homine & equo: ita Pater Suarez & alij ſuprà: ego tamen hanc reſponſionem iudico indigere aliqua explicatione; etenim ſi hi Auctores dicant ſignificari indiuiduum aliquod vagum contentum ſub ſpeciebus, quod actu tunc verè ſit, ſeu quod ſecundum conceptum noſtrum, non tamen fingentem, exiſtat actu, non poteſt vllo modo admitti ea ſolutio; quia de facto dum profertur ea particula *Hoc*, nihil eſt contentum, quod realiter identificetur cum corpore Chriſti, quia tunc ſolus panis eſt ibi; panis autem non poteſt identificari cum Chriſto. Ratio verò generica huius denominationis *contenti* non habet locum adhuc pro ea prædicatione, quia illa ratio communis prædicati contenti eſt æquiualenter æquiuoca; poteſt enim ſignificare rationem communem contenti ſub his ſpeciebus in inſtanti hoc A, ſeu in eo in quo profertur verbum illud *Hoc*: hæc autem ratio nullo modo conuenit aut conuenit Chriſto, quia nec de præſenti poteſt de Chriſto affirmari, quòd ſit contentus tunc, nec de illo vnquam affirmabitur, ſeu cum illo nunquam identificabitur hæc ratio generica contenti ſub his ſpeciebus pro inſtanti eo A; nam licet poſteà prædicabitur, Chriſtus eſt contentus vltimo inſtanti prolationis, nunquam tamen erit verum dicere, Chriſto conuenit ratio contenti pro inſtanti A. Quòd ſi propterea ea ratio generica *contenti* capiatur in altera parte ſignificationis *contenti*, vt abſtrahit à contento actu de præſenti, & à contento ſiue tunc ſiue in fine prolationis verborum, vt fiat is ſenſus, Quod continetur vel continebitur in fine verborum eſt corpus Chriſti, verum omnino dicent eius ſolutionis Auctores; non tamen per hoc reſpondent adæquatè obiectioni factæ, quæ contendit τὸ *Hoc* ſignificare rem contentam actu, & de præſenti, dum verbum illud *Hoc* profertur; quandoquidem illud explicatur per ea verba, quæ omnino ſunt de præſenti, *Id quod continetur*.

Et Suarez ad eam reſponſio explicatur.

Obiectioni melius reſpondetur.

Reſpondendum ergo eſt huic obiectioni, τὸ *Hoc* ita ſignificare indiuiduum vagum intra genus cōtenti ſub ſpeciebus, vt non ſignificet illud eſſe contentum de præſenti, ſed hoc modo; Id quod ſub iis accidentibus continebitur in fine verborum eſt corpus Chriſti, iuxta hanc ſolutionem relabuntur omnino in idem duæ illæ explicationes ſuprà poſitæ.

SVBSECTIO II.

Expediuntur duæ difficultates circa prædicta.

49

Diſcutitur, An Hic & Hoc debeant adiectiuè, an ſubſtantiuè ſumi.

VNA eſt, quia ſi explicemus propoſitionem illam cum Patre Vaſquez adiectiuè, ceſſare videtur fundamentum ad excludendam ſubſtantiam panis; nam optimè dicitur, *Chriſtus eſt contentus ſub iis accidentibus*, quantumuis ſit ibi panis; vti veriſſimè dicitur, *Petrus eſt contentus ſub hac domo*, Etiamſi multi alij in ea contineantur; ergo explicatio eius propoſitionis non debet adiectiuè ſumi, ſed ſubſtantiuè; quia tunc optimè infertur ea carentia: ſi enim dico, *Id quod continetur eſt Chriſtus*, cùm per τὸ *Id quod continetur* ſignificem totum illud, eo ipſo includerem panem, ſi ille eſſet ibi; de pane autem non poteſt verificari quod ſit Chriſtus; ergo ſolùm debet accipi ſubſtantiuè: malè ergo diximus ſuprà, has duas acceptiones in vnam relabi. Reſpondetur communiter; Etiamſi ſit propoſitio adiectiua, quia tamen fit per τὸ *Hoc*, excluderet panem. Hæc tamen ſolutio reuera non ſatisfacit, quia ſi ſemel dicimus, ſenſum eius propoſitionis eſſe, Chriſtum contineri ſub illis accidentibus, profectò cùm hæc non neget ibi panem, quamtumuis fiat per τὸ *ſub his accidentibus*, nec altera excludet, quia τὸ *Hoc* non magis excludit quàm τὸ *ſub his*. Reſpondeo ergo, Fatendum omnino eſſe, multò clarius colligi deſitionem ex illa explicatione Suarez quam ex altera Maldonati & Vaſquez; nihilominus dico, etiam ex hac colligi, quia ſiue ea vox ponatur pro prædicato, ſiue pro ſubiecto, ſemper repræſentat totum quod ſubeſt accidentibus. Nam ſiue dicam, *Petrus eſt hoc*, ſiue dicam, *Hoc eſt Petrus*, dico, *Totum hoc eſt Petrus*, & *Petrus eſt totum hoc*; quia iuxta ſupra dicta ſemper ea vox retinet ſuam ſignificationem. Vnde ad æquiualentiam propoſitionis reſpondeo, Non eſſe credendum vllo modo, hanc ſub terminis, *Chriſtus eſt contentus ſub his accidentibus*, æquiualere alteri, ſed hoc modo, *Chriſtus eſt vnicè contentus*, ſeu, *Chriſtus eſt totum contentum ſub his accidentibus*; per quam haud dubiè panis excluditur.

Reſponſio communis non eſt valida.

Affertur alia reſponſio.

Altera difficultas eſt circa ea verba priora Chriſti Domini, *Accipite, & comedite ex hoc omnes*; nam ea propoſitio finita fuit ante illam ſecundam: *Hoc eſt enim corpus meum*; ergo τὸ *ex hoc* neceſſariò debuit pro pane accipi. Reſpondetur, illum ſenſum etiam eſſe continuatum cum verbis his; *Hoc eſt enim corpus meum* ac ſi dixiſſet, Comedite ex hoc quod vobis dabo, ſeu, Comedite ex eo quod continebitur ſub his accidentibus, cum vobis illud dedero. 50

Difficultas altera exponitur.

Obiicies adhuc: Si quis mihi diceret, *Comede ex hoc*, & oſtenderet pomum; ac deinde cùm ego manum ad illud accipiendum extendo verteretur in lapidem, non poſſem iudicare me ad illum inuitatum, ſed ad pomum; ergo cùm Chriſtus habuerit in manu panem dum dixit, *Accipite*, &c. non poteſt dici inuitaſſe ad comedendum id quod Apoſtoli tunc non videbant, id eſt ad corpus Chriſti, in quod deinde panis eſt conuerſus; ſed cenſeri debet inuitaſſe ad panem. Cardinalis Lugo reſpondet negando conſequentiam, quia in eo caſu obiectionis non manent accidentia illa pomi, quæ determinatè ſignificabantur per τὸ *Hoc*, vti manent in Euchariſtia. Hæc tamen ſolutio difficultate non caret, quia eſto non manerent omnia pomi accidentia, manerent tamen aliqua ſufficientia; vt poſſet dici, Hoc fuit pomum. Ideò meliùs fortaſſe reſpondebitur Secundò, ſi diſtinguamus antecedens; nam ſi ille inuitans nihil aliud dixit quàm *Comede ex hoc*, haud dubiè debet ſupponi inuitaſſe ad ſolum eſum pomi, quia id præcisè per τὸ *Hoc* denotatum eſt, quod ſi ille adderet, Comede ex hoc, quia eſt ſuauiſſimus phaſianus, & ille ſic loquens haberet poteſtatem vertendi pomum in phaſianum, ſine dubio crederetur inuitaſſe ad eſum phaſiani, non ad eſum pomi, parum eſt autem quòd audientes ad initium putauerint ſe inuitari ad eſum pomi, nam in fine propoſitionis mutarunt iudicium, ſæpè autem contingit

Obiectio.

Reſponſio Cardinalis Lugo non ſatisfacit.

Reſpondetur cum diſtinctione.

Digitized by Google

audientes ante finem propoſitionis formare aliqua iudicia, quæ poſteà in fine tota audita propoſitione mutare coguntur.

51 *Dubium proponitur & ſoluitur*

Pro complemento huius materiæ poteſt in dubium verti, an requiratur ea accidentia tunc exiſtere dum dicitur *Hoc*, an verò ſufficiat, ſi exiſtant in fine, aut certè in quocumque alio inſtanti totius prolationis. Iam non agimus, an ex inſtitutione huius Sacramenti requiratur materiam eſſe præſentem ab initio prolationis verborum; præcisè ergo quærimus, quid ex ſignificatione illius vocis requiratur. Putant aliqui ſufficere, ſi in vno ex omnibus inſtantibus ſit præſens; & quidem quòd non requiratur, vt initio poteſt probari, quia τὸ *Hoc* nõ magis demonſtrat quàm ea particula *Ecce*: atqui ea particula poteſt oſtendere rem, quæ ſolùm ſit præſens in fine prolationis; quòd verò non requiratur in fine ea accidentia eſſe præſentia patet, quia, vt ego verè dicam, tranſeunte Petro, *Hic eſt Prætor huius ciuitatis*, non eſt neceſſum eum mihi eſſe præſentem dum abſoluo propoſitionem; ſufficit enim ſi cùm dico *Hic*, ille ſit præſens. Ego tamen puto debere eſſe præſentem dum dicitur *Hoc*, quia nemo iudicat poſſe rectè demonſtrari id quod abeſt, dum ſit demonſtratio: licet enim quoad affirmationem prædicari poſſit ſeruari ſenſus ad finem prolationis, quia tunc propoſitio perficitur; pro demonſtratione tamen ſubiecti oſtenſi per τὸ *Hoc* videtur omnino neceſſaria præſẽtia obiecti: quomodo enim incipiam dicere hoc, antequam quidquã ego videam? id quod maximè habet locum iuxta ea quæ infrà fuſiùs oſtendam, ſcilicet propoſitione, ſpeculatiuas ſupponi pro primo inſtanti; cùm ergo in ordine ad accidentia illa quæ demõſtrantur per τὸ *Hoc* in conſecratione, ea propoſitio ſit ſpeculatiua, quia ea accidẽtia non producũtur per illa n, licet ſub eis ponatur Chriſtus Dominus; profectò antequam verè dicat hoc, debebit habere iam ea accidentia præſentia.

52 Quoad ſecundam partem, quòd ſcilicet non requiratur præſentia illius obiecti in fine, aſſentior ex parte eis Auctoribus. Dices contra hoc vltimum, à me ſuprà probatum, debere in vltimo inſtanti prolationis verborum (quando ſit conuerſio panis in Chriſtum) præſupponi priùs natura accidentia vt poſſint demonſtrari; quomodo ergo iam dico non requiri præſentiam illorum in fine prolationis verborum? Reſpondeo Primò: Aliud eſt requiri ea eſſe præſentia, aliud exiſtentia: præſentia eſſe dixi non requiri, quia ſi immediatè antè fuere, id ſufficit vt oſtendi poſſint, quia adhuc cenſentur eſſe vicina: ad hoc tamen ipſum neceſſaria eſt exiſtentia illorum, quia licet quæ paulò antè fuerant hic, poſſint etiam oſtendi, dum aliquantulùm elongantur, non poſſunt tamen, ſi abſolutè non exiſtant. Reſpondeo Secundò, Me eam doctrinam ſolùm admittere in propoſitionibus ſpeculatiuis, quia (vt paulò pòſt oſtendam) ſuam ſignificationem habent ordinariè pro primo inſtanti quo proferuntur, in practicis verò, ſeu effectiuis ſui obiecti, cùm ſolùm videantur vltimum inſtans reſpicere ob infrà dicenda, maximè etiam requirunt præſentiam rei demonſtratæ pro eo vltimo inſtanti, huiuſmodi autem eſt propoſitio qua conſecramus reſpectu accidentium, ac propterea paulò antè dixi, me ſolùm admittere eam doctrinam non vniuerſaliter, ſed in aliquibus caſibus.

De particula Ecce an æquiualeat voci Hoc

Iam ad inſtantiam illam de particula *Ecce*, quam dicunt æquiualere voci *Hoc*, eodem modo reſpondeo. Non poſſe in rigore dici *Ecce*, ſi res oſtenſa non eſt præſens: vnde quando dicit Vaſquez poſſe validè fieri conſecrationem per τὸ *Ecce corpus meum*, eodem modo debet eſſe aliquid in initio, quo directè oſtenſo oſtẽdatur corpus Chriſti in fine propoſitionis. Adde, valde dubium eſſe, vtrùm ea verba ſint ſynonyma: nam τὸ *Ecce* non tam videtur ſignificare rem aliquam determinatam, vti illam ſignificat *Hoc*, quàm hortari audientes vt videant: poteſt autem optimè quis hortari ad videndum, antequam res videnda veniat, dummodò immediatè illa ſequatur. Præterea τὸ *Ecce corpus* poſſet immediatè ipſum corpus oſtendere, ſi illud eſſet viſibile immediatè: vti poſſum albedinem immediatè oſtendere, *Ecce albedo*. At pro valore conſecrationis neceſſarium omnino eſt, vt corpus Chriſti non oſtendatur immediatè in ſe, ſed ſub accidentibus his, ſub quibus fuit panis: id quod locum habet maximè in ſententia eiuſdem Vaſquez, qui rationem conuerſionis fundat vnicè in vi verborum denotantium tranſitum panis in corpus: quem tranſitum non ita denotat τὸ *Ecce corpus*, quàm *Hoc eſt corpus*.

SVBSECTIO III.

Replica contra dicta ſoluitur.

NOVA occurrit circa eam veritatem difficultas ex propoſitionibus de præſenti deſumpta: nam illæ ſaltem requirunt, vt in aliquo inſtanti totius propoſitionis obiectum ita exiſtat ſicut de illo enuntiatur: atqui Chriſtus non eſt in Euchariſtia niſi poſt finitam propoſitionem, quia debet poni in inſtanti poſt prolata verba, ergo. Dixi, *Saltem requiri in aliquo inſtanti, quo propoſitio durat, eius obiectum exiſtere, ſicut per illam enunciatur*: nam fortaſſe quis diceret, debere in principio propoſitionis ita exiſtere; vnde à fortiori ſequeretur, illa verba conſecrationis non eſſe vera. Propter hanc difficultatem diuiſi ſunt Auctores. Scotus enim, quem refert Vaſquez diſput. 202. cap. 1. ait Chriſtum non reliquiſſe ea verba in ſenſu naturali, ſeu communi, ſed dediſſe illis ſignificationem pro tempore diuerſo, & pro inſtanti immediato poſt prolationem totam; cùm anteà in naturali ſignificatione omnino requireret exiſtentiam intra tempus prolationis. Hæc tamen ſententia (vt benè Vaſquez ibi) gratis fingit eam mutationem in ſignificatione vocis; quia omnes homines apprehendunt eam propoſitionem non aliam habere ſignificationem prolatam à Sacerdote, quàm habeat prolata à cæteris hominibus; niſi quòd in Sacerdote efficaciam habeat ad ponendum Chriſtum, quam non habet prolata à laico. Fortè admitti hinc poſſet aliqua mutatio, iuxta dicenda ſtatim; non ideò debet putari, eam mutationem eſſe ab ipſo Chriſto factam, ſed ex natura rei, iuxta ſtatim dicenda, prouenit, eò quòd verba illa ſint practica.

53 *Proponitur difficultas.*

Sententia Scoti à Vaſquez oppugnatur.

Reiicitur præterea ſententia Scoti, quia (vt ſuprà agentes de Sacramentis in communi docuimus) aſſignari poteſt aliquod tempus vel inſtans intra ipſam prolationem verborum, in quo ipſa poſſunt habere ſuum effectum: id quod in hoc 54

Aliter reijcitur ſententia Scoti.

Digitized by Google

hoc Sacramento eodem modo habet locum quoad poſitionem corporis Chriſti. Pater Vaſquez putat propoſitionem de præſenti non eſſe veram niſi in fine, quia tunc habet ſenſum perfectum; imò addit ad eam moraliter loquendo non eſſe neceſſum vt intra ipſum tempus illius ita ſe habeat obiectum ac per illam enuntiatur, ſed omnino ſufficere, ſi moraliter vel immediatè antè, vel immediatè pòſt, vt conſtat in illa propoſitione, *Ecce iam taceo*, quæ ſine dubio non verificatur pro tempore quo durat, ſed pro fine extrinſeco, item ſi dicam, *Ecce ego iam manduco*, & ſimilibus. Hæc tamen ſententia vera eſt quoad moralem acceptionem, ſeu (vt ſic dicam) quoad moralem ſignificationem copulæ illius de præſenti, non tamen ſaluat rigorem totum propoſitionis, ſi accipiatur pro vero & proprio tempore de præſenti, vt reuerà poſſit dici vera, alioquin liceret dicere, Chriſtum non poni ſub ſpeciebus niſi intra exiguam morulam poſt abſoluta verba; quia id ad abſolutam veritatem illorum ſufficit; nec tenemur aliunde dicere, citiùs Chriſtum poni quàm verba illa exigant. Hoc autem eſt præter mentem planè omnium, quia omnino iudicant, vel intra ipſam prolationem vltimæ ſyllabæ, vel ſi ob ſucceſſionem partium proportionalium id negetur, ſaltem in immediato ſequenti inſtanti Chriſtum ibi poni.

Sententia Vaſquez impugnatur.

Sententia Suarez reiicitur.

Pater Suarez diſputat. 58 ſect. 5. cenſet has propoſitiones de præſenti eſſe veras, licet obiectum non ſit in fine propoſitionis, ſed in aliquo inſtanti, quo propoſitio durat, ita vt ſit verum dicere, *Petrus eſt iuſtus*, ſi ne quando profertur τὸ *Petrus*, ſeu τὸ *eſt* ſiue τὸ *iuſtus*, ſit verè iuſtus. Sed contrà, nam iuxta hanc ſolutionem videtur ſimul poſſe verè dici ſuprà eaſdem ſpecies *Hoc eſt corpus meum, Hoc non eſt corpus meum*: hæ enim propoſitiones verificarentur pro diuerſis inſtantibus durationis illarum. Reſpondebis. Ad

55 *Reſponſio pro ſententia Suarez:*

affirmatiuam propoſitionem de præterito aut de futuro ſufficere, obiectum extitiſſe vel extiturum eſſe in aliquo ex inſtantibus præcedentibus aut futuris; ad negatiuam verò propoſitionem requiri vt in nullo planè ſit, ideoque non poſſe dici abſolute *Petrus fuit*, *Petrus non fuit*; ergo nec poterit, *Petrus eſt*, *Petrus non eſt*; licet ad affirmatiuam de præſenti ſufficiat quodcumque inſtans, in quo durat. Ratio à priori iam eſt data, quia negatiua deſtruit totum ſimpliciter prolata de præterito, ſi ſit de præterito, & de præſenti, ſi de præſenti. Hanc ſolutionem benè impugnat Cardinalis Lugo, quia inde ſequeretur eodem modo non poſſe dici *Hoc non eſt panis*, quia hæc etiã eſt negatiua; & certum eſt toto tempore eius prolationis ante vltimam ſyllabam durare panem; vnde, iuxta dicta paulò antè, non poſſet aſſeri vlteriùs *Hoc eſt corpus meum*, licet in fine ſit ibi Chriſtus; quia iſta propoſitio, vt ſæpè diximus, eſt ex parte negatiua, ſignificat enim non eſſe hîc ſubſtantiam panis; eo autem ipſo quòd in aliquo inſtanti ſit panis, ſicut reuerà eſt vſque ad vltimum excluſiuè, non poterit abſolutè negari eſſe ibi eam ſubſtantialem, ſi propoſitio de præſenti negatiua requirat, ne obiectum exiſtat pro vllo ex omnibus inſtantibus quibus ipſa durat.

Impugnatur à Cardinale Lugo.

Aliorum ſententia examinatur:

Ideò alij Secundò dicunt, has propoſitiones de præſenti, niſi aliunde de contrario conſtet, ſolùm ſignificare vltimum inſtans, in quo abſoluuntur, & in quo habent perfectum ſenſum, cumque in eo vltimo inſtanti iam non ſit ibi ſubſtantia panis, ſed corpus Chriſti, abſolutè eſſe veram illam propoſitionem, licet ſimul ſit negatiua & affirmatiua. Quòd ſi vrſeris; Ergo antequam proferantur omnia illa verba, *Qui pro vobis & pro multis*, &c. non ponetur ibi ſanguis Chriſti, quia nondum eſt finis propoſitionis; negabunt conſequentiam; nam ab illo relatiuo *qui* incipit iam alia propoſitio, à qua prior eſt independens, cùm præſertim per particulam *mei* declaratum fuerit cuius ſit ille ſanguis, & conſequenter factus fuerit ſenſus perfectus.

56 *Patitur ſuas difficultates.*

In hac doctrina eam ego inuenio difficultatem, quòd qui loquitur, per ſe loquendo cenſetur apud omnes audientes iam ſcire ea quæ vult dicere; neque enim præſumitur loqui de futuro vt Propheta, nec ſupponitur aſſerere ea quæ tunc ignorat, vnde videtur, per ſe loquendo, apud audientes ea propoſitio potiùs facere ſenſum pro inſtanti, quo Petrus v. g. eam incipit proferre; ac proinde ſi obiectum eo inſtanti ita extitit, cenſetur verum dixiſſe, quantumuis in fine iam non ſit; è contrario verò ſi quando incepit loqui, nihil ſciebat de ea re, & in fine propoſitionis iam ea euenit, cenſetur ab omnibus mentitus; quia non iudicatur quis mentiri, aut verum loqui, ex his quæ per accidens & præter ſcientiam illius contingunt, ſed ex his quæ ille dicit quaſi ſciens; cùm ergo (etiam teſte ipſo Cardinale Lugo, cuius eſt ea ſolutio) in propoſitionibus ſpeculatiuis requiratur ſcientia obiecti iam exiſtentis antequam proferantur, profectò etiam illæ videntur apud audientes ſolùm ſignificare pro inſtanti quo incipiunt proferri. Confirmatur: Si quis me interroget, *Viuitne meus frater?* & ego illi reſpondeam, *Viuit tuus frater*, cenſeor ſine dubio veriſſimum reſpondere, ſi dum ergo dico *Viuit tuus* adhuc viuat; eſto dum profero *frater* ille repentè moriatur, quia verò poſſem dicere in τὸ *Viuit*, ſuppoſita iam interrogatione, abſolutam eſſe propoſitionem, ſubintelligitur enim ibi iam nominatiuis *frater*: ponamus aliam propoſitionem clariorem, v. g. interroget, *Quis ibi dormit?* ego verò reſpondeam, *Ibi dormit Petrus*, profectò veriſſimum dico, eſto dum dico *Petrus* ille excitetur; ac proinde eſto in fine propoſitionis non dormiat: cuius ratio ea eſt, quia qui me interrogat, non vult interrogare de tempore futuro, ſed de eo quod ego poſſum apprehendere dum volo illi reſpondere: atqui ego tunc dum volo reſpondere, non poſſum humano modo concipere quid ſit futurum in fine propoſitionis; quia de futuris non eſt in nobis ſcientia, ergo ſolùm quærot quid ſit, dum ego illi incipio reſpondere: quæ ratio habet locum eodem modo in prolatione propoſitionis nullo interrogante, quia etiam in talibus ſupponor ego loqui modo humano ſine vllo ſpiritu prophetiæ.

SVBSECTIO IV.

Obiectiones contra doctrinam ſolutionis.

DICES id quidem ſufficientiſſimum eſſe, vt ego ſupponar incipere verè loqui, per hoc tamen non oſtenditur, non teneri me ceſſare cùm primùm ante finitam propoſitionem noſco iam illud obiectum eſſe mutatum: ſtant enim hæc duo, & quòd verum inceperim loqui, & quòd poſteà omnino tenear non abſoluere propoſitionem 57

Digitized by Google

nem. Sed contrà, quia ſi incepi verum dicere, & prudenter; ergo ſciui iam obiectum ita eſſe pro tempore, pro quo illud affirmo: atqui, vt oſtendimus, nihil ſciui de fine propoſitionis; ergo non habui animum loquendi de fine: quòd ſi de eo non loquor? ergo non teneor ceſſare à propoſitione, quia pro eo tempore, de quo loquor, ſemper eſt verum id quod affirmo.

Diſparitas inter propoſitiones ſpeculatiuas & practicas.

Ob hanc rationem putarem in propoſitionibus ordinariis & ſpeculatiuis requiri exiſtentiam obiecti pro inſtanti, quo homo incipit eas proferre; in practicis autem & productiuis ſufficere, quòd in fine earum ita ſit obiectum. Ratio diſparitatis eſt clara, quia quando ſcitur iam verba illa exteriora eſſe productiua ſui obiecti, ita vt illud non niſi in prolatione vltimæ ſyllabæ cauſent, haud dubiè ſciret, illum qui profert propoſitionem non velle ſignificare eam exiſtentiam obiecti, niſi pro fine propoſitionis, quando etiam pro ipſo audiente eſt completus ſenſus.

58 Contra hanc tamen doctrinam obiici poteſt Primò ex Patre Vaſquez, gratis diſtingui inter propoſitiones ſpeculatiuas & practicas, nam et à in ſpeculatiuis poteſt laïcus ſimul cum Sacerdote dicere, *Hoc eſt corpus meum*: poſſum item ego dicere, *Hæc eſt gemma pretioſa*, & eam ſtatim exponendo oſtendere, etiamſi ab initio propoſitionis adhuc ea non ſit oſtenſa: poſſum etiam dicere, *Ecce ego iam taceo, Ecce ego iam manduco*, vbi non denoto me manducare ad initium propoſitionis, imò neque dum illam profero, ſed immediatè poſt.

Obiectioni ex Vaſquez reſpondetur,

Reſpondeo, Diſtinctionem illam inter propoſitiones practicas & ſpeculatiuas non eſſe gratis traditam, ſed cum maximo fundamento in ipſa acceptione hominum, ob rationem paulò antè factam.

Ad inſtantiã primam,

Ad inſtantias illas reſpondeo: Ad primam, quòd poſſit ſimul laïcus cum Sacerdote dicere, *Hoc eſt corpus meum*, etiamſi ea propoſitio laici ſit ſpeculatiua dico, in eis circumſtantiis apparere iam quòd ille laïcus non alio ſenſu loquatur quàm quo Sacerdos, nec velit aliud inſtans deſignare quàm quòd ille, cuius verba ſequitur in prolatione.

Ad ſecũdam.

Ad ſecundam inſtantiam ex aliis propoſitionibus ferè ſimilibus dico, omnes illas eſſe practicas. Nam & oſtendere illam gemmam, & tacere, &c. & manducare, omnia fiunt ab illo loquente. Nomine enim propoſitionis ſpeculatiuæ intelligo in præſenti non ſolùm eam, quæ non eſt per ſeipſam factiua obiecti immediatè, ſed cuius obiectum non eſt factibile hìc & nunc ab ipſo loquente: cuius ratio facillima eſt, nam quando obiectum eſt factibile à loquente, iam intelligitur ab audientibus non tam deſignari per ea verba rem à loquente agnoſci iam factam dum loquitur, aut dũ incipit loqui, quàm animum eam ſtatim executioni mandandi; id autem per ſe non poteſt intelligi in eis propoſitionibus, quarum obiecta non ſunt vllo modo factibilia, vt dum dico, *Iam valeo benè*, *Franciſcus mihi hoc dicit*; omnes enim audientes ſupponunt me dum incepi loqui iam ſciuiſſe quid eſſet, ac proinde *τὸ eſt* tantùm ſupponitur pro initio propoſitionis.

59 Secunda obiectio contra noſtram doctrinam (ex cuius ſolutione illa magis roborabitur) deſumitur ex his quæ immediatè antè diximus, ſcilicet ſenſum propoſitionis non eſſe perfectum quoſque vltima ſyllaba proferatur. Hinc enim dices; Ergo nulla propoſitio ſignificat niſi pro vltimo inſtanti; quia pro eo tempore propoſitio ſignificaat, pro quo eſt perfectus ſenſus illius.

Quo inſtanti propoſitiones ſignificent.

Reſpondeo Primò, Aliud eſſe loqui de tempore in quo audientes formant iudicium, aliud loqui de tempore pro quo formant iudicium: dum enim hodie v. g. ego lego litteras ex Hiſpania miſſas, ſine dubio hodie ego formo iudicium rerum in eis contentarum; non tamen formo iudicium, quod pro hodierna die locutus fuerit aut ſcripſerit ille, cuius ſunt litteræ: vnde ſi dicitur ibi, *Hodie morietur Petrus*, non transfero illam diem ego ad hanc, qua litteras lego, ſed intelligo illam, qua ſcriptæ ſunt litteræ: eodem modo in præſenti libenter admitto, audientes non formare iudicium niſi in vltima ſyllaba; at nego illos formare iudicium, quòd ego voluerim denotare illud vltimum inſtans, quo ipſi formant iudicium: id quod oſtendo clarè ſupponendo pro præſenti puncto doctrinam quorumdam in Philoſophia, quæ licet non careat aliqua difficultate, pro præſenti tamen materia admitti debet; ea autem eſt, auditum non percipere ſonum eo ipſo inſtanti quo hic producitur, ſed aliquantulùm tardiùs: id quod, quando obiectum valde remotum auditur, ipſa experientia manifeſtum eſt, de quo alibi fuſiùs: iuxta hanc ergo ſuppoſitionem certum eſt auditores non formare iudicium niſi quinque ſéxve inſtantibus v. g. poſt prolationem vltimæ ſyllabæ loquentis; at per hoc nemo poteſt probabiliter dicere, quando dico *Laus Deo, benè valeo*, velle me ſignificare quod ſim benè valiturus eo ſexto inſtanti, quo illi primò audient meam propoſitionem, cùm facilè euenire poſſet, vt etiam poſt finitam totam illam propoſitionem incipiam malè valere ante morulam illam, qua ipſi formant iudicium. Neque erit vllus qui dicat me falſum dixiſſe, ſi propoſitionem hanc proferam, *Ego ſum viuus*, eſto in ſequenti inſtanti aut in quarto pòſt repentè moriar: dicendum ergo eſt, Etiamſi audientes forment in fine tardiùs conceptum, ob id tamen non formare conceptum niſi propoſitionis, pro quo ſupponunt me iam ſcire quid ſit.

Contra tamen obiicies: Si quis proferat verba Baptiſmi, & non putet ea eſſe practica, ſed purè ſpeculatiua, quia nihil credit de effectu eius futuro in fine, ſupponet ſe loqui pro primo inſtanti; faciet enim propoſitionem ſpeculatiuam iuxta ſuam opinionem; ergo mentietur, quia reuerà ea propoſitio non verificatur niſi pro fine; (eſt enim re ipſa practica non minùs quàm propoſitio conſecrans;) ergo non faciet validum Baptiſmum, quia per propoſitionem falſam non poteſt fieri validum vllum Sacramentum: vel ſi è contrario validè talis baptizat (vt videntur ſupponere omnes Auctores, dummodò habeat intentionem faciendi quod fieri per ea verba poteſt.) profectò regula à nobis paulò antè tradita non ſubſiſtit. 60

Obiectio à Baptiſmi forma ſpeculatiuè prolata.

Reſpondeo. Hoc argumentum intrudi hìc à nonnullis planè violenter, quia ille baptizans neque in fine neque initio credit ſe aliquid effecturum, ideoque non magis vult veritatem eius propoſitioni alligare ad finem quàm ad initium, & è contrario; de quo ſolo puncto iam agimus; non eſt ergo argumentum ad rem. Abſolutè ei reſpondeo ex dictis ſuprà, dum de Sacramentis in communi egimus, Valorem illorum non pendere à fide Miniſtri, dummodò debitam formam & materiam adhibeat, & habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Neque eſt neceſſum illum intelligere quomodo verificentur illæ propoſitiones, an initio,

Digitized by Google

tio, an in fine: hæc enim non iuuant valorem Sacramenti. Nos autem hîc ſolùm agimus pro quo tempore re ipſa verificentur eæ propoſitiones, quidquid ipſe Miniſter per accidens ignoret.

61 *Obiectio ab æquiuocatione propoſitionum.* Dices tandem; Ergo nos ponimus æquiuocas ſignificationes in propoſitionibus Sacramentalibus, & in aliis non Sacramentalibus, cùm hæ denotent exiſtentiam obiecti pro primo inſtanti, quo proferuntur, illæ pro vltimo. Reſpondeo, Eam differentiam ab omnibus amitti, quatenus omnes ferè concedunt in propoſitionibus ſpeculatiuis prærequiri, antequam homo loquatur, eum ſcire obiectum iam ita exiſtere; alioquin inciperet aſſerere id, de quo non ſciret, an ita eſſet necne; in practicis verò ſeu effectiuis ſui obiecti id non requiri, & hoc quidem independenter à puncto Sacramentorum; nam multæ aliæ ſunt propoſitiones extra Sacramentum effectiuæ ſui obiecti, vt cùm ego dico, *Ego tibi dono pallium, Tuum eſt pallium hoc*: hæ enim externæ donationes efficiunt ſuum obiectum, non tamen habent ſuam veritatem niſi in fine. Vnde ſi quis ceſſet in media propoſitione, nihil fiet; propoſitiones autem huiuſmodi etiam aliquid ſupponunt in initio ſui, ſcilicet voluntatem ſeu animum dandi pallium; ille autem ſolus nihil efficeret niſi per propoſitionem eam externam, quæ dum in fine ſui transfert dominium, eo ipſo facit ſe veram eo vltimo ſigno, ac tandem non ſignificat niſi pro illo; at reliquæ propoſitiones ſpeculatiuæ, v. g. quando dico *Petrus currit*, iam ſupponunt curſum eſſe notum à loquente, ac proinde ſolùm pro eo primo inſtanti ſignificant per ſe loquendo.

Dubium expeditur. Rogabis, An ſi quis futura noſceret, & ſciret in fine propoſitionis externæ Petrum moriturum, poſſet tunc ſignificare mortem pro eo vltimo inſtanti loquendo per verba de præſenti, *Petrus eſt mortuus*? Reſpondeo, ſi priùs ipſe dixiſſet ſe eo ſenſu loqui, omnino poſſe, alioquin non poſſe, quia audientes intelligerent tales propoſitiones eo ſenſu quo cæteras ſpeculatiuas, quas diximus intelligendas per ſe de inſtanti primo.

62 *Obiectio à morula temporis poſt prolationem formæ.* Obiici etiam in præſenti poſſet illa difficultas, quam nos ſuprà tetigimus in materia de Sacramentis in communi, quòd ſcilicet verborum ſenſus non ſit perfectus niſi poſt morulam, qua homo oſtendit ſe nihil addere quo immutet ſenſum verborum præcedentium. De ea agit hîc Cardinalis Lugo, & benè defendit eam doctrinam, quam nos tradidimus contra vnum aut alterum Recentiorem in manuſcriptis, ſcilicet, ſenſum ibi claudi in vltima ſyllaba, quando loquens habuit ab initio animum ſignificandi id quod reuerà verba illa ſignificabant; vnde optimè oſtendit, eum qui diceret animo hæretico, *Chriſtus non eſt in Eucharistia*, aut quamcumque aliam hæreſim, etiamſi in fine ob timorem cenſurarum adderet particulam, qua fieret ſenſus Catholicus, incurſurum tamen eas cenſuras; quia verba æquiuoca, qualia ſunt illa, tunc pendent ab intentione loquentis, vt hunc potiùs quàm illum ſenſum faciant. Id quod ego vltimò confirmo; nam vti eſt hæreticus externus, qui in medio campo, vbi non poteſt naturaliter audiri, dicit, *Deus non eſt trinus*, & incurrit cenſuras in hæreticos latas; quia eſto in eis circumſtantiis non poſſit intelligi, reuerà tamen ille exteriùs ſuum animum protulit, per accidens autem eſt, quòd intelligi non potuerit: ita in præſenti reuerà ille exterioribus verbis ſuam hæreſim protulit; quòd autem poſteà aliquid addiderit, quo audientium turbauerit phantaſiam, vt non intelligant illum eo malo ſenſu locutum, non obeſt externæ illius declarationi. Habet autem (vt ſuprà dixi) maiorem id vim in Sacramentis; nam etſi Sacerdos dicat antequam loquatur, ſe non ſeriò baptizare, nec conſecrare velle, ſed ea verba per purum iocum ſe prolaturum; ſi tamen dum ea incipit proferre, habeat ſerium animum, omnino baptizabit, & conſecrabit validè; quantumuis audientes putent purè iocosè illa verba prolata fuiſſe; multò ergo magis conficiet verum Sacramentum, ſi poſt verba neceſſaria prolata legitimè & cum ſufficiente intentione addat aliqua, quibus turbet audientium phantaſiam. Vide quæ fuſius diximus de hac obiectione ſuprà.

Secunda difficultas in præſenti eſt, An verba cauſent corpus Chriſti ob ſuam veritatem. Reſpondeo. Non cauſare, quia ipſa veritas partialiter eſt ipſa exiſtentia Chriſti; vti alibi dixi, omnem veritatem partialiter conſiſtere in ipſo obiecto affirmato aut negato. Et hinc refelles Sotum, qui voluit mutuam prioritatem inter præſentiam Chriſti & veritatem propoſitionis hîc adſtruere: refelles inquam, quia licet inter res diſtinctas poſſit eſſe mutua prioritas (quod tamen falſum eſt) non tamen inter idem reſpectu ſui: refellas etiam alios aientes verba præcedere cum veritate practica, non cum ſpeculatiua. Etenim ſi per veritatem practicam ſolùm intelligant hi virtutem agendi, id quod ſignificant verba, dicent quidem in re verum, abutentur tamen nomine, quia virtutem aliquid efficiendi nullus vocauit veritatem practicam: veritas enim ſemper eſt conformitas cum obiecto, quæ inadæquatè deſumitur ab ipſo obiecto, ſicut ſimilitudo inadæquatè à termino. 63 *Secunda difficultas explicatur.*

Obiicies; Concilium ex veritate verborum intulit ibi eſſe Chriſtum; ergo veritas verborum eſt cauſa exiſtentiæ Chriſti. Nego conſequentiam, quia etiam ex definitione infertur definitum, & è contrario, & cauſa ex effectu; & tamen definitio non producit definitum nec cauſam effectus: ratio eſt; nam vt aliquid inferatur per diſcurſum ex alio, ſufficit quæcumque connexio ſiue cauſæ ſiue effectus; & melior eſt, quando eſt connexio identitatis vt inter definitionem & definitum, & veritatem propoſitionis & obiectum. *Obiectio ex Concilio.*

Dicendum ergo, Verba pro priori naturæ eſſe ſignificantia præſentiæ Chriſti, & vt ſic eſſe cauſam in actu primo exiſtentiæ Chriſti; pro illo tamen priori non eſſe adhuc formaliter vera, quia adhuc non intelligitur poſitus Chriſtus; eſſe tamen radicaliter vera, quatenus inferunt Chriſtum infallibiliter pro poſteriori, à quo formaliter conſtituuntur vera. Dico, ante poſitionem Chriſti non eſſe formaliter vera, quia radicaliter moraliter poſſunt dici vera: quatenus enim ſunt verba Chriſti Domini, habent eſſentialiter, quòd falſa eſſe non poſſunt, vnde exigunt eſſe vera; ac tandem petunt ſuum obiectum producere, quia alioquin non poſſent retinere veritatem: & in hoc ſenſu explicat benè Cardinalis Lugo Diuum Thomam hac quæſtione 78. art. 5. vbi ait, Veritatem huius locutionis non præſupponere rem ſignificatam, ſed eam facere. Poteſt etiam fortaſſe 64 *Explicatur, quomodo verba ſint cauſa exiſtentiæ Chriſti.*

Digitized by Google

fortaſſe Diuus Thomas explicari, vt loquatur de antecedentia reali, ac ſi diceret; Ad proferendam hanc propoſitionem non requiritur, vt priùs ſupponatur obiectum ita exiſtere, vt requiritur in aliis ſpeculatiuis (id quod veriſſimum eſt iuxta dicta ſuprà) ſed quòd ipſa veritas faciat obiectum, hoc eſt, non vt propriè & in toto rigore faciat, ſed quaſi in genere cauſæ formalis; ſicut albedo dicitur facere album: quia ergo ex veritate verborum dicimus colligere exiſtentiam obiecti modo paulò ante explicato, ideò poteſt dici, ex veritate fieri exiſtentiam rei ſignificatæ.

Explicatur D. Thomas circa hanc difficultatem

Denique addo, Diuum Thomam ibi nomine veritatis (vt ex contextu legenti apparebit) non tam denotare veritatem propriam propoſitionis quàm ſignificationem illius; ſeu per enim loquitur de hac propoſitione vt eſt locutio, ſeu vt eſt conceptio exterior; quo ſenſu ſine dubio non dicit ipſam formalem veritatem, ſed ſignificationem: vnde ait; *Et ideo ſicut conceptio intellectus practici non præſupponit rem conceptam, ſed facit eam, ita veritas huius locutionis non præſupponit rem, ſed facit eam*; vbi ex comparatione illa videtur colligi, veritatem poni ab eo pro ſignificatione, hoc eſt, *Significatio locutionis eius facit rem ſignificatam, non præſupponit*: hoc enim ſolum erat neceſſarium pro Diuo Thoma.

SECTIO IX.

Quomodo plures ſimul poſſint eaſdem ſpecies conſecrare?

65 HÆc difficultas etiam pertinet ad diſputationem de verbis, in qua, ſi loquamur de valore conſecrationis, nulla eſt difficultas: ſi enim omnes habeant intentionem abſolutam conſecrandi, & ſimul abſoluunt verba, omnes conſecrabunt, ſi autem aliquis præeat, ille ſolus validè conſecrabit. Hinc autem oritur difficultas, quia videtur impoſſibile moraliter omnes ſimul in eodem inſtanti abſoluere, & conſequenter exponuntur manifeſto periculo ſacrilegij, dum qui tardiùs abſoluunt, proferunt verba ſupra ſpecies iam conſecratas, non ergo licebit in ordinatione Sacerdotum nouis Sacerdotibus ſimul cum Epiſcopo conſecrare. De hoc puncto videatur Suarez diſp. 63. ſect. 4. Vaſquez diſp. 218. art. Lugo, diſp. 11. ſect. 9. Nonnulli (vti Durandus apud Suarez) reprobant hanc conſuetudinem, temerariè tamen, quia eſt conſuetudo totius ferè Eccleſiæ Latinæ & Græcæ, & antiquiſſima: imò in Græca quoties Epiſcopus conſecrat, ſimul cum illo Presbyteri adſtantes conſecrant. Alij dicunt nouos Sacerdotes ſolùm recitatiuè loqui, ideoque eos teneri ad non habendum intentionem conſecrandi. Sed contrà, quia ſi non habent intentionem, ad quid proferunt illa verba? Contrà Secundò, quia in Pontificali iubetur Epiſcopus clarè & paulatim verba proferre, vt poſſint alij ſimul cum ipſo ea dicere; redditurque ratio, *Quia conſecrant*. Tertiò, alij dicunt debere omnes referre ſuam intentionem ad vnicum inſtans.

Quomodo noui Sacerdotes cum Epiſcopo conſecrent.

Hæc ſolutio dupliciter poteſt intelligi; Primò, vt quilibet ſuam intentionem ita coarctet, vt dicat ſe nolle conſecrare, ſi abſoluat ante alios; ac proinde ad eum qui vltimò profert verba ſe remittant. Alio modo poteſt ea ſolutio intelligi; vt velint omnes in eodem inſtanti conſecrare, ſiue vnus citiùs, ſiue alter tardiùs abſoluat. In hoc ſecundo ſenſu ea ſolutio eſt planè improbabilis, quia ſi habui animum faciendi quidquid poteſt fieri per illa verba, & ego iam illa poſui, repugnat me ſuſpendere effectum eorum ad vlteriorem morulam: ſicut qui baptizat non poteſt validè talem animum habere; *Ego volo nunc proferre verba cum ſerio animo baptizandi; volo tamen vt gratiæ effectus non conferatur niſi quatuor inſtantibus, v. g. poſt prolationem totam.* 66

Ratio à priori eſt, quia ille effectus gratiæ (& idem dico de poſitione corporis Chriſti ſub ſpeciebus) non eſt immediatè & in ſe liber baptizanti & conſecranti, ſed purè purè in cauſa, quatenus ſcilicet eſt eis liberum applicare materiam, proferre verba, & habere intentionem efficiendi per illa quidquid poteſt effici. Vnde his applicatis iam non eſt in eorum poteſtate effectum illum differre ſicut in cauſis phyſicis naturalibus: licet enim ſit mihi liberum differre combuſtionem ſtupæ v. g. quatenus poſſum tardiùs illam applicare candelæ accenſæ; vt ſi ſemel illam applico, iam non eſt liberum efficere, vt effectus primo poſt quadrantem producatur. Et quidem hæc dicta ſint de iis qui citiùs abſoluunt; qui verò tardiùs, multò minùs poſſunt quidquam efficere, quia iam inueniunt effectum illum productum. Quòd ſi ideò ea ſolutio intelligatur in primo ſenſu, quòd ſcilicet non habeant animum conſecrandi, ſi ante alios abſoluerint, fateor eos tunc non conſecraturos, ſi aliquis poſt ipſos abſolueret: at hoc eſſet conſecrationem committere illi qui vltimus abſolueret verba: id quod videtur valdè durum, quia fortaſſe ille ex aliquo caſu non eſt validè conſecraturus; & ſic nulla ibi fieret conſecratio, vel quia per ſe excluderetur tunc Epiſcopus ab ea conſecratione; nam ordinariè ille ante alios abſoluit. Denique ea ſolutio ideò diſplicet, quia nulla fit in Cærimoniali monitio de ea volitione; aliunde autem non apparet, vnde teneantur illi habere volitionem non conſecrandi, niſi ſint vltimi.

Sententia quorumdam impugnatur.

67 In hanc vltimam ſolutionem ex parte coincidit Suarius ſuprà, dum ait teneri nouos Sacerdotes velle non conſecrare, ſi abſoluant ante Epiſcopum. Eſt autem hæc ſolutio probabilior quàm præcedens, quia vt nolim conſecrare, ſi abſoluo ante Epiſcopum, eſt iuſtiſſima cauſa, cùm ille ſit ibi primarius & præcipuus Celebrans: at vt eam volitionem habeam etiam reſpectu aliorum qui ſunt mecum ordinati, exiguum aut nullum eſt fundamentum. Nihilominùs hæc ipſa volitio videtur P. Vaſquez impoſſibilis; ego tamen (vt verum fatear) nullam in ea repugnantiam agnoſco. Nam ea volitio eſt conditionata: quales ſolent eſſe illæ quibus confertur Sacramentum ſub dubio; id eſt, *Ego te baptizo, ſi non es baptizatus; Ego volo conſecrare, ſi ſimul cum Epiſcopo finio, aliàs non.* Meliùs ergo reiici poteſt ea ſententia ipſo argumento, quo contra præcedentem vſi ſumus, quòd ſcilicet talis obligatio deberet ſignificari ordinatis, vt ſcirent ſe iuxta illam dirigere; id tamen nunquam fit: imò cùm è contrario ſeriò moneantur, ne præueniant Epiſcopum, ſignum eſt ab Eccleſia iudicari eos conſecraturos ſi citiùs abſoluant. Aliam ſolutionem referunt nonnulli, quæ meo iudicio non caret ſua probabilitate, quòd ſcilicet non ſit malum proferre vltimum verbum, etiam ſupra materiam conſecratam. Relictis autem aliquibus probationibus, quas refert & bene refutat

Sententia Suarez.

Impugnata à Vaſquez.

Cardi

Cardinalis Lugo ſuprà, mihi videtur poſſe res hoc modo declarari, ſupponendo Primò, aliud eſſe repetere totam formam ſupra materiam conſecratam, aut applicatam, vt ſi quis poſtquam dixit, *Ego te baptizo in nomine*, &c. repetat, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. tunc enim committitur ſacrilegium, quia profertur forma ſupra materiam incapacem, & fit ſenſus falſus; aliud verò eſſe repetere vnum verbum, quod ex ſe non habet nouam ſignificationem: vt ſi quis, poſtquam dixit *Abſoluo te à peccatis tuis*, repeteret *te*, aut per verba conſecrationis diceret, *Hoc eſt corpus meum*, & tunc repetat *meum*, & in Baptiſmo repetat τὸ *In nomine Patris, & Filij*, &c. in hoc enim caſu non repetitur forma, neque aliquid quod faciat ſenſum propriè, ac proinde nec redditur ſenſus falſus, nec fit irreuerentia vlla Sacramento. Vnde argumentor: Si dum
68 *An repetitio vnius vocabuli in forma ſit ſacrilega.*
aliqui, ſolus profert verba Sacramenti, poteſt illud vltimum repetere ſine vlla ſacrilegij ſpecie, à fortiori poterit idipſum facere ſi omnes ſimul proferant verba: tunc enim etiamſi poſt alios repetat illud *meum*, ac proinde tardiùs abſoluat quàm alij, nihil omnino abſurdi nec formaliter, quia bona fide pergit, nec materialiter ſequetur. Pro quo Secundò ſuppono, eo caſu omnium illorum prolationem eſſe moraliter vnam; ideò ſi omnes ſimul abſoluant, perinde eſſe ac ſi vnica tantùm ibi fuiſſet forma conſecrationis: vnde ſi vnus poſt alios dicat τὸ *meum*, perinde debere iudicari ac ſi vna fuiſſet ibi locutio eius Sacerdotis, & ſupra illam ipſe addidiſſet adhuc ſecundò τὸ *meum* (vt paulò antè dicebam) quia illa aliorum prolatio, ſuprà quam addit τὸ *meum*, eſt moraliter eadem cum prolatione ipſiuſmet Sacerdotis; non ergo debet conſiderari tanquam noua forma, ſed tanquam vnum verbum ſecundùm ſe additum, & quod nihil iam ſignificat.

Obiectio prima, Si vocabulum nil per ſe ſignificet.

Dices Primò: Si ergo nihil ſignificat, vt quid ibi additur? Reſpondeo (& hæc ſit ſolutio totius difficultatis, quæ ex præcedente vehementer roboratur, & ita reſpondent Vaſquez, Lugo, & alij) In eo caſu nullum proferre ſcienter illud vltimum verbum poſt alios, ſed quemlibet conari ſimul cum aliis abſoluere: habent autem eam intentionem ex mandato Eccleſiæ, quæ ad oſtendendum Sacerdotes accipere æqualem poteſtatem cum Epiſcopo in ordine ad conſecrandum, voluit vt omnes ſimul conſecrarent. Dicunt aliqui, Eccleſiam intendere etiam repræſentare cœnam Chriſti cum diſcipulis: verùm cùm in ea cœna Apoſtoli non conſecrauerint, non capio quomodo per hoc, quòd noui Sacerdotes conſecrent, Eccleſia voluerit eam cœnam Chriſti repræſentare; quidquid autem ſit de aliis motiuis Eccleſiæ hanc conſuetudinem imperantis, conſtat non gratis proferri; cumque (vt in prima noſtra ſolutione oſtendimus) non ſit ibi vllum etiam materiale periculum graue, quia nullus ſe exponit periculo totam formam dicendi poſtquam omnes alij abſoluerunt; hoc enim moraliter contingere non poteſt, non eſt cur tam ſcrupuloſè ſit de ea repetitione curandum.

69 *Obiectio ſecunda, Quòd ſic forma videatur inutiliter proferri.*

Secundò tamen obiicies: Eſto non ſit periculum ſacrilegij in ea repetitione ob proximè dicta, non tamen caret res ex alio capite graui incommodo; quia ſaltem ſe exponunt ad dicendum totam formam inutiliter: ille enim qui tardiùs finit, non ſolùm illud vltimum verbum, ſed & antecedentia inutiliter profert: quomodo autem tota illa forma, quæ eſt res adeò grauis, proferretur cum intentione ſeria conſecrandi inutiliter? an non hoc ipſum eſt quædam ſpecies ſacrilegij? Reſpondeo. Non proferri ea verba inutiliter; quia cùm proferatur ſerio animo, & per ſe ſit ea forma cauſatiua illius effectus, quantumuis per accidens, & præter intentionem ac ſcientiam ipſius proferentis re ipſa impediatur, non eſt cur iudicetur inutilis prolatio, multò minùs ſacrilega.

Obiectio tertia Quare noui ſacerdotes non communicent ſub vtraque ſpecie.

Tertiò & vltimò obiicies; Si Sacerdotes illi tunc validè conſecrant, & hoc ab Eccleſia intenditur, cur non communicant ſub vtraque, cùm videatur eſſe præceptum Diuinum vt Celebrans, ſeu (quod idem eſt) ſacrificans communicet ſub vtraque ſpecie? Reſpondeo In hac obiectione aliqua ſupponi quæ non habent fundamentum ſolidum: primum eſt, quòd ſit de iure Diuino, vt qui celebrat communicet: etenim contrarium multi ſentiunt, qui putant ſufficere, ſi alius Sacerdos abſolueret illud Sacrificium: de quo alibi. Secundò, neque videtur eſſe de iure Diuino, quòd ſequatur vlla Communio etiam ſub vna ſpecie: id quod maximè habet locum iuxta noſtram ſententiam, quòd Sacrificium vnicè conſiſtat in conſecratione vtriuſque ſpeciei. Inde dicimus, multò minùs eſſe de iure Diuino quòd ſequatur Communio in omnibus Celebrantibus, & non ſufficiat, ſi vnus ex illis ita communicet. Cur autem tunc Sacerdotes noui non communicent ſub vtraque, videtur eſſe (vt notauit Lugo) ad ſignificandam aliquam inferioritatem illorum reſpectu Epiſcopi. Vnde è contrario quando quis conſecratur in Epiſcopum, quia tunc fit æqualis omnino Epiſcopo conſecranti, communicat ſub vtraque. Bona congruentia, quæ tamen patitur contra ſe inſtantias; nam Papa celebrans in Pontificali eſto longè ſuperior ſit Diacono ſibi aſſiſtente, illum tamen communicat ſub vtraque ſicut ſe. Verùm in his congruentiis non eſt ſemper quærendum id quod in ſolida aliqua ratione phyſica.

Congruentia Cardinalis Lugo patitur inſtantiam.

Hinc pro complemento circa huius Sacra- 70
menti formam verti poteſt in dubium, Vtrùm illa concurrat effectiuè phyſicè ad productionem ſeu poſitionem Chriſti Domini in Euchariſtia. Verùm quia ea de re vniuerſaliter egimus in materia de Sacramentis in communi, non iudico operæ pretium quidquam hîc ampliùs de hoc puncto dicere. Hoc tamen omittere non debeo, cùm verba non poſſint influere phyſicè, quia non exiſtant ſimul niſi ſummùm ſecundùm aliquam partem proportionalem & indeterminatam, qua completur ſonus ille, mirari me valdè, quòd adeò ſint Auctores quidam de ea cauſalitate phyſica ſoliciti, maximè cum debeant iidem neceſſariò recurrere ad moralem; nam, vt per ſe eſt notum, forma huius Sacramenti (& idem eſt de reliquis) non eſt prolatio vltimi *m*, ſed omnia illa, *Hoc eſt*, &c. ergo tota illa forma debet concurrere: atqui (vt dixi) phyſicè ſolū poteſt τὸ *m*; ergo debet tota concurrere moraliter; ſi autem ſemel admittimus moralem concurſum, in quo quæſo iuuantur alia verba? per influxum phyſicum repertum in vna proportionali parte pronunciationis eius *m*, vltimi in voce *meum*. Sed de hoc fuſius ſuprà.

Dubium de cauſalitate formæ expeditur.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVADRAGESIMAPRIMA.

De aliquibus effectibus huius Sacramenti.

1 PRimo loco poſſet in dubium verti, Vtrùm hoc Sacramentum cauſare poſſit gratiam, abſtrahendo ab eo quòd cauſet primam vel ſecundam ſeu augmentum primæ. Hæc tamen difficultas diſcuſſa eſt à nobis, vbi de omnibus Sacramentis affirmatiuam partem vti Fide certam defendimus ex Concilio Florentino & Tridentino: quæ Concilia etiam ſpecialiter definiunt, per hoc Sacramentum gratiam cauſari; illud in decreto Eugenij, hoc verò Seſſione 13. cap 2. idipſum expreſſit Chriſtus Ioannis cap. 6. *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*; &, *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam.* Vide hac de re Bellarminum lib. 4. de Euchariſtia cap. 27. qui multa Sanctorum Patrum teſtimonia pro hac veritate contra hæreticos aliquos congerit. Dixi *aliquos*, quia etſi huius temporis hæretici omnia ſuſque deque inuertere tentauerint, vix vnus aut alter negauit gratiam conferri in hoc Sacramento; eſto in illo præſentiam Chriſti Domini negauerint.

Secundo loco poſſet in dubium verti, Vtrùm per hoc Sacramentum cauſetur aliquando prima gratia & remiſſio moralis. Verùm hanc quæſtionem vniuerſaliter de omnibus Sacramentis, quæ dicuntur viuorum, decidi ſuprà; vbi ſpecialiter oſtendi, omnino per Euchariſtiam aliquando eam cauſari. De hac igitur quæſtione in præſenti nihil amplius.

SECTIO I.

Quo tempore dicatur Euchariſtia manducari, vt pro eo cenſeatur cauſare gratiam?

2 QVia Sacramentum hoc non cauſat gratiam niſi vt manducatum, tota difficultas reuoluitur ad explicandum, quo tempore dicantur ſpecies manducari; pro quo vt extra omne dubium ſupponitur illas debere ad os poni; vtrùm autem iam eo ipſo poſſint dici manducari, dubium eſt: non enim defuêre nonnulli, qui putauerint cibum, cùm primùm eſt in ore, iam manducari: id quod defendit Vaſquez diſput. 203. num. 17. docens, dum ſpecies ſunt in ore, & intra dentes conteruntur, iuxta vocabuli proprietatem manducari; qui tamen addit, Dei iudicio reſeruandum, vtrùm ille, qui dentibus hoſtiam terens moreretur antequam eam deglutiret, acciperet gratiam Sacramentalem necne. Hæc tamen ſententia meritò reiicitur à Cardinale Lugo & aliis; Primò, quia non videtur loqui ſatis conſequenter. Nam ſi certum eſt, eum qui dentibus conterit ſpecies Sacramentales manducare illas, profectò certum debet eſſe, tunc ei conferri gratiam; nam Chriſtus Dominus, cuius promiſſio eſt infallibilis, eam promiſit manducanti. Secundò, tantum abeſt à certitudine, quòd ea attritio intra dentes ſit comeſtio, ſeu manducatio, vt potiùs contrarium videatur

Sententia Vaſquez.

Reijcitur à Card. Lugo.

omnino certum; nemo enim cenſetur fregiſſe ieiunium, eò quòd dentibus terat quoſcumque cibos, ſi tamen eos non traiiciat in ſtomachum, ſed eiiciat ex ore: vti nemo cenſetur violaſſe ieiunium naturale, etiamſi tota die abluat os aqua aut vino, dummodò nihil penitus traiiciat; ergo neque ille manducauit, neque iſte bibit; alioquin vterque fregiſſet ieiunium naturale, quod per manducationem & hauſtum frangitur. Vnde videtur apud omnes Catholicos certum, ſi quis hoſtiam contineat intra os, & eam terat, deinde tamen eiiciat, nequaquam eum communicaſſe; ergo manducatio plus requirit quàm continentiam cibi in ore.

3 Poteſt fortaſſe obiici; Quòd dum hoc maſticat, iam dicatur comedere. Reſpondeo, Manducare tunc ſignificare initium manducationis; quod tamen non ſufficit, vt abſolutè & propriè dicatur quis ratione illius ſolius manducaſſe; dicitur forte moraliter manducare, quia illam maſticationem facit eo animo vt comedat: vti dum quis valedicit, dum facit collationem pro diſceſſu, dicimus, *Iam ille diſcedit*; hoc eſt, Iam eſt immediatè diſpoſitus pro diſceſſu, & facit iam ea omnia animo ſtatim diſcedendi; interim tamen re ipſa & propriè non diſcedit: id quod in aliis actionibus, quæ habent ſucceſſionem, dici eodem modo poteſt. Adde, in rigore ad comedendum nequaquam requiri eam cibi attritionem; nam alioquin nunquam nos comederemus hoſtiam, quia eam ſine attritione traiicimus: & licet verbum hoc *manducare* videatur deriuatum à *mando*, quod ſignificat eam attritionem cibi, eam tamen non requirit, quia idem ſignificat quod *comedo*; comedere autem dicuntur etiam ea animantia quæ vorant, & omnes aues, eſto careant dentibus, & omni attritione cibi; vt gallinæ, columbæ deglutientes integra grana frumenti, veriſſimè & propriiſſimè comedunt: ergo ea attritio cibi inter dentes neque ſufficit vt quis dicatur comedere, neque vllo modo ad id requiritur.

Oſtenditurque, manducationem non conſiſtere in maſticatione.

Communis ergo & vera ſententia docet eam gratiam cauſari, quando cibus ita traiicitur per guttur, vt iam poſſit propriè dici manducatus; videtur enim certum aliquem terminum eſſe in gutture, vltra quem cùm primùm cibus eſt, iam eſt manducatus: ita Suarez diſput. 63. & Lugo diſp. 12. ſect. 2. qui tamen addit, ita cibi partem, quæ dicitur manducata, debere eſſe vltra eos gutturis limites, vt reuocari iam non poſſit naturaliter ab aliis partibus cibi, quæ adhuc non venerunt ad eos limites. Nam ſi quis immittat filum ferreum vſque ad ſtomachum ipſum, ſi habeat adhuc extremitatem alteram illius in ore, ita vt poſſit totum illud filum reuocare, non poterit dici comediſſe ferrum, eſto per horam illud ita habuiſſet; diceretur tamen illud comediſſe, ſi ita eſſet in ſtomacho, vt non poſſet reuocari; nam licet poſteà illam partem euomeret, aut arte aliqua illam extraheret, diceretur tamen verè deglutiuiſſe ferrum: vnde concludit, non requiri, quòd tota hoſtia aut maior eius pars ſit intra illos limites gutturis, ſed ſufficere, ſi aliqua pars quam

Communis & vera ſententia Suarez & Lugo.

Digitized by Google

quantumuis minima traiiciatur modo prædicto irreuocabiliter. Cui doctrinæ occaſionem dedit P. Suarez; dum enim explicat ſecundum modum, quo poſſet dici conferri gratia, ait tunc id fieri in inſtanti, quo maxima pars hoſtiæ iam eſt deuorata, quia tunc illa pars maior eſt ſufficiens ad trahendam ſecum reliquam partem hoſtiæ. Hinc enim ſequitur opinio Cardinalis Lugo, quòd hoſtia iam debeat irreuocabiliter eſſe intra guttur, ad hoc vt dicatur manducata.

4 *Deciditur, quid ſit mãducare, & quando hoſtia gratiam conferat:*

Ego tamen iudico eam reuocabilitatem vel irreuocabilitatem non eſſe neceſſariam vllo modo vt homo dicatur cibum iam manducaſſe; vnde cùm in qualibet parte ſpecierum contineatur Chriſtus, puto, poſtquam eſt vltra eam partem gutturis particula aliqua, conferri gratiam: an autem in inſtanti, an in tempore, dicam ſtatim: quòd verò illa reuocabilitas ſit per accidens, patet in aliis exemplis phyſicis: vt enim quis verè ſit & dicatur intra domum, intra templum, intra cubiculum, &c. nihil omnino ea reuocabilitas iuuat, aut vllo modo impedit. Nam ſi quis alligatus intret ita, vt per funem foris exiſtentem trahi poſſit foras; nemo dicet ideò illum non intraſſe domum: & vt pes dicatur verè eſſe intra cubiculum parum eſt, quòd aliæ partes corporis ſint extra, & quòd per illas poſſit reuocari: hoc idem oſtendo in ipſa manducatione, nam ſi quis pillulam vel bolum panis ligatum tenui filo, cuius extremitas maneat foris, traiiceret vſque ad ſtomachum, profectò ille panis iam eſſet verè manducatus; alioquin fieri poſſet, vt ille ibi priùs conuerteretur in ſubſtantiam aliti quàm manducaretur; quod eſt abſurdum: quòd verò res illa in ſtomacho ſit reuocabilis per filium, vel per alias partes ſui, eſt omnino per accidens ad punctum reuocationis. Idipſum clarè cernitur, dum carnis incidens in longum aliquod inteſtinum illud traiicit; dicimus enim tunc, Ecce iam ille canis deuorauit medium inteſtinum, & tamen adhuc manent foris partes, per quas rurſus trahi foras totum illud poteſt: ne verò dicas canem tunc laceraſſe iam illud: (id quod tamen non ſemper eſt verum; nam ſine vlla maſticatione deglutiunt ſæpiſſime:) pone exemplum in anate, ciconia, anſere ea inteſtina deuorantibus; quis enim, quamdiu adhuc vna particula eſt foris per quam totum inteſtinum foras trahi poteſt, dicet adhuc eas non deuoraſſe, neque deglutiuiſſe vllam partem illius inteſtini, cùm habeant iam intra ſtomachum fortè aliquot vlnas eius? Idipſum in hauſtu manifeſte conſtat; nam paſſim fit, vt dum quis bibit, & multæ guttæ iam tranſierunt, etiam vſque ad interiores partes ſtomachi, continuentur tamen cum aliis manentibus in ore; & poſſet homo illas facillime ex ore eiiciendo trahere ſecum reliquas. Certè quemdam ego vidi, qui coram Principibus & diuerſiſſimis hominibus hoc modo vnam ingentem menſuram ebibebat, & eam integram ſtatim reddebat tantùm iterùm aperiendo ſuum os, euacuando enim quod adhuc in ore erat, reliquæ omnes partes ſequebantur ſtatim: nemo autem dicet, talem non traieciſſe & deglutiiſſe verè priores illas partes aquæ.

5 *Retorquetur inſtantia.*

Ad inſtantiam illam de filo ferreo reſpondeo retorquendo argumentum: dicunt enim hi; Si particula ſeparata veniſſet infrà terminos, verè poſſe de tali homine aſſeri quòd deglutiiſſet ferrum. Hinc argumentor ergo; Eſto ea pars eſſet continuata cum aliis quæ manerent foris, poſſet dici, Hic homo iam deglutiuit eam partem (ſiue dicatur eam manducaſſe, ſiue non) probo conſequentiam, quia deglutire eam partem eſt eam traiicere ad ſtomachum; traiecta autem haud dubiè eſt, licet poſſit reuocari: vti ſi quis virgæ extremitatem intra cubiculum ponat; profectò licet tota virga non dicatur traiecta in cubiculum, negare tamen nemo poteſt, quin, loquendo de illa parte quæ eſt intra, dicere cum toto rigore poſſimus, *Hæc pars eſt intra cubiculum traiecta*. Reſpondeo ergo ad eam inſtantiam Primò, Propriè non dici nos comediſſe ferrum, quia non eſt materia comeſtibilis; ideoque illa immiſſio ferri non ſufficit ad eam denominationem vulgariter loquendo. *Reſponſio ad inſtantiam: Prima,* Secundò dico, Quia in eo caſu vix aliquid eſt intus, & maior pars foris, denominationem deſumi à potiori parte, ac proinde non dici tunc deuoratum ferrum; vt ſi vna ferè indiuiſibilis gutta aquæ tranſeat ad ſtomachum, non dicitur vulgariter homo bibiſſe: non eſt ergo cur ex ſimilibus modis vulgaribus loquendi quidquam de rigore phyſico (de quo nunc agimus) inferatur, maximè cùm oſtenderim, multò plures modos loquendi in contrarium ſtare; ac proinde defendenda eſt ſententia communis, quòd manducatio tunc ſit, quando pars cibi, quæcumque illa ſit, tranſit vltra limites illos gutturis, ſiue reuocabilis illa ſit, ſiue non. Aliud argumentum contra eam ſententiam ſubiiciam paulò pòſt. *Secunda.*

Quo inſtanti cauſetur gratia.

Iam ergo ad præcipuam difficultatem veniamus, An gratia cauſetur in inſtanti, an in tempore, an per indiuiſibilia ſpecierum, an per partes indeterminatas. Pater Vaſquez loco ſupra citato ait quidem gratiam debere produci in inſtanti, quomodo autem hîc & nunc id fiat, non explicat, ſed cùm retuliſſet breuiter ſententiam Suarez, ſub nomine Recentiorum ait eos nimiùm curioſe philoſophari, & ad illam ſuam doctrinam, quòd cibus, dum eſt in ore, dicatur comedi, recurrit. Verùm cùm etiam de ipſa immiſſione cibi in os poſſit eadem quæſtio moueri, quæ de immiſſione per guttur nihil momenti adfert, hæc alioquin, vt vidimus, peregrina doctrina.

6 *Explicat Suarez varios modos.*

Suarez ergo ſupra putat rem hanc vno ex tribus modis poſſe explicari; vel cùm primùm prima ſuperficies ſpecierum pertingit ad terminum illum indiuiſibilem, diuidentem ſuperiorem partem ab inferiori parte gutturis, quia cùm ille terminus ſit communis vtrique parti, eo ipſo quòd in illo eſt, poteſt dici verè eſſe in qualibet illarũ: & licet in indiuiſibili non ſint ſpecies; ideoque dici illæ nõ poſſint manducatæ; quia tamen Chriſtus eſt etiam in indiuiſibili illarum, poteſt etiã iure merito dici iam mãducatus. Meritò reiicit Cardinalis Lugo ſuprà opinionem hanc, quia Chriſtus non manducatur in ſe niſi ratione ſpecierũ; vnde non poteſt fieri vt ille dicatur manducatus, ſi ſpecies non ſint manducatæ. *Primus modus impugnatur à Cardinale Lugo.* Meliùs dixiſſet Suarez meo iudicio, ſi aſſeruiſſet etiam ipſas ſpecies dici poſſe tunc manducatas, ratione indiuiſibilis illius, quod cùm ſit aliquid ſpecierum, poteſt illas denominare, vti ipſe ait Sacramenta cauſare phyſicè gratiam; & tamen ſi eam cauſant, certè in inſtanti, vt pro hac doctrina ſupponimus: non enim poſſunt illam cauſare ſecundùm partes ſucceſſiuas verborum, aut ablutionis, vnctionis, &c. ergo debent ſecundùm indiuiſibile; ergo eodem modo dici poſſent ſpecies manducatæ ratione eius indiuiſibilis. Verùm neque hoc ipſum poteſt abſolutè defendi; & hæc ſit ratio contra totam eam doctrinam, quia ſi admittimus

indiuiſibile diuidens v.g.cubiculum ab ambitu, non erit illud propriè intra cubiculum, neque intra ambitum, ſed medium quid; vnde eſto totæ ſpecies penetratæ vſque ad indiuiſibile collocarentur in eo indiuiſibili gutturis, nequaquam poſſent dici manducatæ; ergo neque Chriſtus neque ſpecies poſſunt habere eam denominationem, ſed neceſſariò debent eſſe vltra illum terminum. Hæc eſt efficaciſſima impugnatio doctrinæ P.Suarez; nam argumentum quod facit Lugo, deſumptum ex eo quòd illud indiuiſibile non poſſit occupare diſtinctum locum à partibus, eſt quidem in ſe bonum, at vniuerſale ad probandum in omnibus aliis materiis non dari ſuperficies indiuiſibiles, & puncta extra partes: de quo nunc non agimus.

Secundus modus & tertius explicandi Suar. Secundo ergò modo Suarez ait poſſe rem hanc explicari, ſi dicatur in eo inſtanti gratiam cauſari, quando maior pars ſpecierum primò tranſit illum terminum diuidentem: Tertio modo, vt detur gratia in eo inſtanti, quo tota hoſtia manducata eſt, id eſt, vel quo ſtomachum attigit, vel quo eſt vltra totum illum terminum diuidentem. *Oppugnatur.* Verùm contra vtrumque modum obeſt (vt & ipſe Suarez notauit) quòd cùm primùm aliqua pars hoſtiæ traiecta eſt, iam poteſt dici Chriſtus manducatus, perinde ac ſi homo ſumpſiſſet illam partem hoſtiæ, quæ iam eſt intra; quo caſu ſine dubio gratia tunc fuiſſet cauſata: non eſt autem credibile, vel probabile, ex eo quòd ſit maior hoſtia quæ ſumitur, debere expectari vt plures partes intrent in ſtomachum ad cauſandam gratiam; quia iam illæ quæ foris ſunt, ſunt per accidens ad hunc effectum. Et hinc etiam reiicitur ea doctrina, quam ſuprà examinaui, de reuocabilitate ſpecierum ex gutture; nam ſi ea vera eſſet, neceſſariò deberet concedi, eo ipſo quòd maior hoſtia ſumatur gratiam tardiùs concedi; quia quò maior eſt hoſtia, eo ipſo plures partes debent tranſire, vt reſiſtant pluribus aliis quæ adhuc ſunt ante illos terminos medios; hoc autem iudicari meritò debet abſurdum. Quod argumentum non ſolùm probat non expectandum vt conferatur gratia, donec tota hoſtia ſit intra ſtomachum (vt iudicat Suarez) ſed neque vt tranſeat tota guttur, neque vt maior pars illius.

7 *An poſſit dici gratia in tempore produci.* Ibidem autem docet ibidem Suarez poſſe etiam probabiliter dici gratiam non cauſari in inſtanti, ſed in tempore aliquo determinato, in ea ſcilicet parte temporis, in qua ſpecies pertranſeunt illum terminum indiuiſibilem; ait tamen durationem intrinſecam eius productionis gratiæ eſſe in ſe indiuiſibilem, quia eſt tota ſimul, & non producitur pars poſt partem. In hac doctrina illam ego video difficultatem; nam cum Suarez doceat eam durationem non eſſe quid diſtinctum à re durante (durationes enim diſtinctas vniuerſaliter ille negat) non capio, quo ſenſu dicat durationem intrinſecam eſſe indiuiſibilem, & totam ſimul. Fortè nomine durationis non intelligit niſi rem ipſam, de qua dicit tunc incipere primam gratiam & productionem illius; quia eſt tota ſimul, & non producitur pars poſt partem. Verùm præterquam quòd hæc nullo modo vocantur duratio, non video quid nos iuuet dicere, illius gratiæ productionem eſſe totam ſimul, & cur non connaturaliùs ponantur partes ſucceſſiuæ actionis, ſicut ſunt ſucceſſiuæ partes temporis? id quod concedi poteſt adhuc admiſſa cauſalitate phyſica ſpecierum in gratiam non minùs quàm in morali.

Omiſſis ergo his ſententiis, vno verbo ab hac quæſtione me expedio, quia etſi habeat magnam in ſe difficultatem, eſt tamen tota quanta communis omnibus aliis Sacramentis, & rebus aliis phyſicis: de Sacramentis patet, quia omnia alia conſtant etiam verbis ſucceſſiuis & actione ſucceſſiua, vnde tota difficultas, quæ eſt in aſſignando loco & tempore quo ſpecies producunt gratiam, reperitur in aliis Sacramentis in aſſignando tempore quo verba producunt gratiam, & conſequenter eſt etiam communis ad generationes phyſicas ſubſtantiales, quando ſcilicet veniatur ad eam partem diſpoſitionis, quæ petat formæ ſubſtantialis productionem. Ego vniuerſaliter dico, ſiue in tempore ſiue in inſtanti id fiat, gratiam produci cùm primùm pars quantumuis minima specierum eſt vltra illum terminum quem diximus. *Concluditur, quando producatur gratia.* Vide quæ de Sacramentis in communi dicta ſunt.

SECTIO II.

An Euchariſtia cauſet gratiam quamdiu eſt in ſtomacho?

Quærimus, Vtrùm Euchariſtia non ſolùm cauſet gratiam eo tempore aut inſtanti quo tranſit (iuxta dicta) terminum illum gutturis, vbi perficitur comeſtio, ſed etiam quamdiu manet in ſtomacho. 8 Quæ difficultas dupliciter poteſt intelligi; Primò, vt cauſet gratiam independenter ab omni vlla noua diſpoſitione; Secundò, vt caſu quo augeatur diſpoſitio, augeatur etiam effectus gratiæ, non ſolùm ille qui reſpondet ipſi nouæ diſpoſitioni, ſed etiam ex opere operato ratione ipſius Sacramenti. *Status quæſtionis.*

Affirmatiua ſententia. Primus, qui hanc quæſtionem mouiſſe videtur, eſt Caietanus ad art. 2. quæſt. 79. vbi docet gratiam continuè cauſari ab hoc Sacramento quamdiu eſt in ſtomacho: eum ſecutus eſt Suarez diſput. 63. ſect. 7. vbi ait priùs eam opinionem traditam à Gabriele & Maiore, ſi attentè legantur; adducunt autem hi in confirmationem illa Chriſti verba Ioannis 9. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*: eamdem ſecutus eſt Lugo ea ſect. 2. Coninck ad eum articulum num. 47. & nonnulli Recentiores in manuſcriptis, qui tamen inter ſe ſunt diuiſi: nam quidam putant hoc augmentum non fieri niſi noua adueniat diſpoſitio, alij tamen eam non requirunt. Fundamentum à ratione eſt, quia Euchariſtia eſt per modum cibi nutrientis, quare ſuſceptio ſeu manducatio ſolùm ſe habet per modum conditionis & applicationis, non vt virtus agendi, ergo dum cibus hic fuerit in ſtomacho, ſemper poterit cauſare gratiam, ſiquidem habet ſecum totam virtutem, & ibi adeſt totum Sacramentum, ergo ſicut operari potuit in primo inſtanti, ita poterit in toto tempore ſequenti: cauſa enim neceſſariò applicata non eſt cur non operetur.

Secunda ſententia, quam omnino iudico veram, eſt, eam gratiam non niſi ſemel dari in manducatione, ſiue ſuccedat noua diſpoſitio, ſiue non: ita apud Vaſquez Dominicus Soto & Ledeſma: qui vltimus meritò ait Caietanum ſe opponere Diuo Thomæ quæſt. 8. art. 8. ad 6. vbi ait effectum Sacramenti perfici in ipſa ſumptione. Vnde intulit Sanctus Doctor requiri deuotionem & ieiunium in ſumptione pro eo effectu, non autem poſteà: quæ ratio nulla eſſet, 9 *Negatiua ſententia.*

ſi

Digitized by Google

ſi etiam poſteà effectus ille augeretur. Eamdem tenent Vaſquez ea diſput. 203. cap. 2. Hurtadus diſput. 8. difficultate 1. & Tannerus diſput. 5. quæſt. 7. dubio 2. eſtque inter Recentiores longè communior. Vt verò eam probem, ſuppono

Tota quæſtio pendet ex Chriſti voluntate.

Primò totam hanc quæſtionem purè pure pendere ex ſola Chriſti Domini voluntate, qui potuit haud dubiè dare eam vim huic Sacramento, vt toto tempore, quo eſſet in ſtomacho, cauſaret gratiam; potuit è contrario vt ſolùm in manducatione: de hoc puncto nemo dubitare poteſt. Secundò ſuppono, eſto Sacramentum hoc fuiſſet ita inſtitutum à Chriſto, vt præcisè in manducatione gratiam cauſaret, prout dixi potuiſſe inſtitui, adhuc illud dicendum cibum ſpiritualem; quia denominatio hæc cibi, ſeu allegoria cibi, conuenit huic Sacramento iuxta omnium Catholicorum ſenſum, eò quòd detur ſub ſpeciebus cibi naturalis & potus naturalis, eò quòd debeant illæ ſpecies & in illis Chriſtus comedi; eò quòd ſpiritualiter confortet, &c. ſicut facit cibus. Hæc tamen omnia independentia planè ſunt ab eo, quòd Euchariſtia cauſet gratiam quamdiu eſt in ſtomacho; vel ab eo, quòd ſolùm cùm primùm ſumitur: id quod meo iudicio ex apprehenſione omnium fidelium certiſſimum eſt; & prætereà ex ipſis Auctoribus aduerſæ partis ſuadetur, qui nequaquam audebunt dicere, etiam in eo qui nullam habet nouam diſpoſitionem, & conſequenter qui nullam acquirit diſtinctam gratiam ab ea, quam acquiſiuit in manducatione, Euchariſtiam non eſſe verè & propriè cibum, & eum hominem non nutritum, non confortatum eo fuiſſe, non manducaſſe Chriſtum Dominum, &c. ergo tota quanta allegoria cibi eſt independens ab eo quòd cauſetur ſecunda illa gratia.

10
Probatur negatiua & communis ſententia.

Hinc infero meo iudicio, & re prudenter conſiderata, claram probationem communis ſententiæ, ex eo quòd hoc Sacramentū dicatur & ſit cibus, nihil penitus infertur de ea continuata productione gratiæ; aliunde autem nihil omnino eſt in Scriptura aut Patribus vnde ea probetur, vel leuiter inſinuetur; ſed primus eius doctrinæ Auctor eſt Caietanus, aut (vt Suarius vult) Gabriel; cæteri verò & Patres & Scholaſtici antiquiores ſine ea doctrina intellexerunt totam eam inſtitutionem huius Sacramenti in ratione cibi, &c. ergo gratis & ſine fundamento ea doctrina defenditur, maximè cùm nec, poſtquam eſt tradita à Caietano, vllum nouum acceſſerit fundamentum pro illius confirmatione, & pauci valdè ſint quibus ea placuerit; ergo. Verùm fortaſſe inuertes argumentum contra me: Nam tota ea ratio inſtitutionis huius Sacramenti in ratione cibi eſſet integra & perfecta, ſi Chriſtus habuiſſet voluntatem, vt conſtanter conferretur augmentum illud gratiæ; & aliunde non eſt teſtimonium vllum vel in Scriptura vel in Patribus, ob quod illud negetur; cur ergo debet illud negari, maximè cùm id ſit in commendationem huius Sacramenti? Reſpondeo, Quia ad non concedendam nouam vim cauſatiuam gratiæ ſufficit, quòd non habeam nouum & poſitiuum argumentum: cùm enim ea productio ſit ſupra totum ordinem naturæ, non debet concedi ſine poſitiuo argumento; iam autem oſtendimus nullum eſſe pro ea parte affirmatiua; hæc ergo non verò nos negantes dicentrimus gratis: neque obſtat, quòd concedere eam vim huic Sacramento ſit in magnam commendationem illius, non enim ideò ſine alio fundamento licèt ei tribuere talem virtutem.

11
Secundum argumentum pro noſtra ſententia.

Secundò principaliter argumentor contra eos qui dicunt eam gratiam non cauſari, niſi quando noua diſpoſitio accedit, qui meo iudicio etſi requirant plus ad eam cauſalitatem, videntur tamen cum minori fundamento diſcurrere: licet enim concederemus ex conceptu cibi inferri eam vim continuam cauſandi gratiam, nihilominùs nō video quomodo ex illa allegoria cum cibo requiri probabiliter queat vlla noua diſpoſitio, cùm cibus, ſi conſtanter nutriat (de quo infrà) id facit independenter ab omni noua applicatione phyſica. Deinde ſi (vt obiiciebatur in argumento horum Auctorum) manducatio non eſt niſi pura conditio, cibus autem qui manet in ſtomacho eſt virtus agendi; vnde vlteriùs inferebant, Quādiu ille eſt in ſtomacho debere operari, profectò eſto non adſit noua vlla diſpoſitio, nec continuetur antiqua, debebit concedi, dari gratiam, quia iam præceſſit manducatio, & virtus tota Sacramenti eſt ibi, neque quidquam amplius requiritur, maximè cùm etiam in prima ſumptione poſſit hoc Sacramentum cauſare gratiam independenter ab omni diſpoſitione bona ſupernaturali, & ſufficiat voluntaria Communio in ſtatu gratiæ, reſpondebunt, ſucceſſionem operationis in aliqua forma non poſſe oriri niſi vel ex reſiſtentia contrarij, quod paulatim & per partes expelli debet, vel ex maiori agentis applicatione, in Euchariſtia autem nullum eſt contrarium quod expellatur, quia nullum eſt peccatum; ergo vt cauſet ſucceſſiuè gratiam, debet eſſe noua applicatio, hæc autem non poteſt intelligi ſine nouo actu deuotionis aut alterius virtutis, ergo.

12
Reſponſio Aduerſariorum reiicitur Primò;

Hæc tamen ſolutio nequaquam ſubſiſtit: Primò, quia neque illa noua diſpoſitio eſt noua applicatio Sacramenti, quia applicatio neceſſaria & ſufficiens pro hoc Sacramento eſt phyſica cibi manducatio, deuotio autem non eſt neceſſaria ad effectum, qui ex opere operato procedit à Sacramento, niſi quando aliunde quaſi independenter ab ea deuotione ſupponebatur ille effectus concedendus: vt patet in omnibus planè Sacramentis, quæ, dummodò hominem inueniant in gratia, & voluntariè ſuſcipientem Sacramentum, cauſant in eo gratiam per phyſicam applicationem ſui independenter ab omni alio actu ſupernaturali, quo ſe diſponant; in quibus caſibus ſi accedat maior diſpoſitio, cauſabitur maior effectus ex opere operato; ſolum Sacramentum Pœnitentiæ non confert gratiam, ſeu non applicatur independenter ab actu bono ſupernaturali. At hoc ipſum eſt omnino per accidens; oritur enim, eò quòd ipſemet dolor ſupernaturalis eſt pars Sacramenti: id quod ſingulare eſt huic Sacramento, & eſt per accidens ad punctum de quo agimus. Etenim etiam ipſa applicatio Sacramenti eſt per Phyſicam confeſſionem & abſolutionem. Vnde manifeſtè colligo, applicationem Sacramenti Euchariſtiæ eſſe per Phyſicam manducationem; ac proinde fateor iam libentiſſimè, ſi dum eſt ea manducatio, ſit melior in vno homine diſpoſitio quàm in altero, cauſandam in eo maiorem gratiam ex opere operato quàm in altero. Dixi *fateor iam*, quia reuerà (vt fuſiùs ſuprà oſtendi) hoc ipſum eſt ſatis dubium. Quidquid verò de eo puncto ſit, ad rem noſtram vltimò concludo, maiorem deuotionem hominis, poſtquam iam ſumpſit Eu-

Digitized by Google

chariſtiam, nequaquam eſſe nouam applicationem eius Sacramenti ad hoc, vt illud cauſet tunc ex opere operato maiorem gratiam, niſi ſupponamus quòd per ipſam phyſicam maiorem durationem eſſet eam cauſaturus; ergo cùm hi doceant ſine ea noua diſpoſitione cauſandam non eſſe gratiam vllam, etiam debebunt dicere, neque cauſandam ex opere operato ob nouam diſpoſitionem illius qui iam communicauit.

13 Secundò principaliter reiicio hanc ſolutionem & totam horum Auctorum doctrinam, quia, ſi res benè conſideretur, vtuntur illi pro ſuo libitu, & vt eſt commodum illis ad defendendam ſuam opinionem metaphora cibi; quando enim in aliquo puncto obiicitur illis, *Hoc habet cibus naturalis & tamen vos hoc non tribuitis ſpiritualiter cibo Euchariſtico*; aut è contrario, *Hoc non habet cibus naturalis, & tamen vos id admittitis in Euchariſtia*, illi reſpondent, *In hoc & in hoc debet imitari Euchariſtia cibum naturalem, non verò in illo.* Rogo hos Auctores, Qua auctoritate, aut qua ratione licebit illis determinare puncta, in quibus Euchariſtia debeat ſe gerere, vti ſe gerit cibus naturalis, & puncta in quibus ſe aliter gerat? Profectò apparet hinc ſtatim eos gratis diſcurrere & abuti ea allegoria cibi ad concluſiones ſuas defendendas; ac longè connaturaliùs diſcurrere eos qui è contrario illos ſolos effectus ei tribuant, qui ex Scriptura & Patribus colliguntur, & in quibus ſuo modo ſeruatur ſimilitudo cum reliquis Sacramentis. Cùm ergo Chriſtus Dominus effectum Euchariſtiæ tantùm manducantibus illam promiſerit, vnde meritò colligunt hi Auctores illum nunquam conferri quamdiu Euchariſtia detinetur in ore; quia ea detentio non eſt manducatio; deberent ſanè eodem modo inferre, Non cauſari ab eo Sacramento gratiam quamdiu eſt in ſtomacho poſt manducationem; quia ea permanſio in ſtomacho non eſt manducatio, ac proinde ex verbis Chriſti, ex quibus ſolis colligitur effectus huius Sacramenti, nihil penitus infertur de eo effectu in permanſione, deinde reliqua Sacramenta non cauſant gratiam niſi ſemel, ergo.

14 Habet autem hoc argumentum in præſenti maiorem efficaciam quoad priorem partem de comeſtione, quòd nec quidem in ipſo cibo naturali eſt ea vis, quam hi Auctores tribuunt Euchariſtiæ, tamdiu ſcilicet nutriendi quamdiu eſt in ſtomacho: non enim nutrit, niſi quando corrumpitur, & conuertitur in ſubſtantiam aliti, nullo ergo modo ex ſimilitudine cibi licet colligere eam vim perpetuò cauſandi gratiam. Verùm iam hic rurſus intrat quod anteà dixi, taxatio ſcilicet eius allegoriæ pro libitu horum Auctorum, dicunt enim, In hoc non aſſimilari Chriſtum cibo naturali; rationem addunt, quòd cibus naturalis non nutrit niſi per corruptionem ſui & conuerſionem in ſubſtantiam aliti, at Chriſtus nec corrumpitur nec conuertitur in nos. Totum hoc libenter admitto; at rogo hos Auctores, Quare inde colligunt Chriſtum Dominum non voluiſſe ſaltem aſſimilari cibo naturali in hoc, quòd debeant ſpecies corrumpi, aut conuerti in hominem antequam gratia cauſetur ab Euchariſtia? ſic enim longè perfectiùs ſeruaretur, quoad fieri poteſt, ſimilitudo huius Sacramenti cum cibo naturali, vt ſcilicet ſicut hic non nutrit, niſi quando definit eſſe, & tranſit in ſubſtantiam aliti, ita Chriſtus non cauſaret gratiam niſi eo inſtanti quo deſineret eſſe ſub ſpeciebus, vt eius diſceſſus & cauſatio gratiæ eſſet idem. Cur enim licebit illis magis in aliis punctis aſſimilare Chriſtum huic cibo quàm nobis in hoc puncto? Secundò, ſicut cibus tantùm ſemel nutrit, cur non ego dicere potero, etiam tantùm ſemel Chriſtum nutrire? Quòd ſi fortè dixerint, Se quoad primum punctum colligere, non eſſe expectandam corruptionem ſpecierum, quia manducantibus promiſit Chriſtus gratiam, manducatio autem fit ante corruptionem ſpecierum, reſpondebunt optimè, At eodem modo ego planè dicam, nulla prorſus ratione conferri per hoc Sacramentum gratiam quando manet in ſtomacho poſt manducationem, quia ea manſio iam non eſt manducatio, quàm attritio inter dentes non fuit manducatio, imò, propriè loquendo, multò magis videtur dicenda manducatio hæc attritio quàm permanſio in ſtomacho; non enim dicimus vnquam eum manducare, qui iam ceſſauit cibos ad ſtomachum traiicere, etſi adhuc illi maneant toto anno in ſtomacho, dicimus autem eum manducare qui dentibus cibos iam atterit animo eos traiiciendi in ſtomachum. Videſne ex Chriſti verbis & ex cibi ſimilitudine potiùs impugnari ſententiam horum Auctorum quàm iuuari? taceo, quod anteà dixi, eas taxationes allegoriæ, quòd in hoc puncto comparetur Chriſtus cibo, non in illo ſint omnino arbitrariæ, vnde ſi non habeant aliquod fundamentum in Scriptura, aut Patribus, aut ratione generali Sacramentorum, certè in conſenſu communi Theologorum, qui reputetur per modum probabilis cuiuſdam reuelationis, per quam nobis fiat probabiliter nota Chriſti voluntas circa eam cauſationem, non debemus inferre quidquam ex illis.

Quid ſit propriè manducare.

SECTIO III.

Vlteriùs probatur noſtra ſententia.

15 TERTIÒ principaliter probatur noſtra ſententia à ſimili omnium aliorum Sacramentorum, quòd argumentum paulò antè inſinuatum obiter debet magis vrgeri; etenim reliqua omnia ſolùm cauſant gratiam in inſtanti & ſemel, ergo non aliter de Euchariſtia diſcurrendum erit.

Sententia negatiua probatur à ſimilitudine aliorum Sacramentorum.

Dices, Euchariſtia eſt Sacramentum permanens, reliqua conſiſtunt in vſu. Sed contrà Primò, quia gratia per hoc Sacramentum datur in vſu ſolo, vſus autem Euchariſtiæ non minùs conſiſtit in inſtanti quàm vſus aliorum Sacramentorum, vt paulò antè dixi, ea autem permanſio in ſtomacho non eſt vllo modo manducatio neque vſus Sacramenti. Item, noui actus boni quos tunc homo habet, non ſunt nouæ Sacramentales manducationes, ſed (vt ſolet dici) ſpirituales; ſpiritualis autem manducatio etſi habeat ſuum fructum ex opere operantis reſpondentem bono operi, non tamen habet fructum ex opere operato, ſeu Sacramentalem; vti ſi quis, dum habet Euchariſtiam in ore, habeat ſummum actum virtutis & manducationis ſpiritualis, non tamen recipiet tunc fructum Sacramentalem niſi primò, quando eam traiiciet in ſtomachum.

Diſparitas reycitur.

Dices, Argumentum ab aliis Sacramentis nullum eſſe, quia cùm ea Sacramenta ſint diuerſæ ſpeciei inter ſe, poſſunt etiam habere diuerſos effectus. Reſpondeo, Me non argumentari

Altera diſparitas etiam refellitur.

Digitized by Google

tari ex vno Sacramento ad alterum,quo caſu haberet locum ea ſolutio data,ſed ex omnibus ſex ad vnum:inde enim probabiliter valdè infertur, Id, in quo omnia ſex conueniunt,etiam eſſe in illo altero vnico,niſi conſtet aliunde clare ea diuerſitas:id quod addo propter differentiam Euchariſtiæ ab omnibus aliis quoad punctum vſus, in quo reliqua omnia conſiſtunt, etſi Euchariſtia in vſu non conſiſtat. Hæc tamen differentia ex Eccleſiæ definitione conſtat,item ex ipſa præſentia Chriſti Domini ſub ſpeciebus; argumentum autem ſolùm contendit eam conſequentiam eſſe bonam, quando aliunde de differentia illa ſufficienter non conſtat,vti in præſenti non conſtare videtur eſſe per ſe notum.

In contraria ſententia datur occaſio ſuperſtitionibus & iniuriis.

16 Quartò ea ſententia reiici poteſt;nam ex illa datur magna occaſio grauibus ſuperſtitionibus accipiendi plures hoſtias,eaſque maiores,item, quòd grauis fiat à Sacerdote iniuria illi cui datur media hoſtia, quia defraudatur ille homo tunc media ex parte habituali gratia,quam acquiſiuiſſet,ſi integram hoſtiam habuiſſet,nam integra diutiùs duraſſet in ſtomacho, ac proinde longè maiorem gratiam cauſaſſet. Fatetur autem ipſe Suarez ſuprà ab Inquiſitoribus damnari vt ſuperſtitioſum, quærere maiores hoſtias plures, &c. videamus ergo quid reſpondeant. Dicunt aliqui totum id eſſe per accidens, quia illa maior gratia non datur ratione durationis, ſed ratione diſpoſitionis nouæ; nam ſi tota iſta diſpoſitio poſita fuiſſet ante ſumptionem, tota illa gratia tunc fuiſſet data; ergo ſi non eſt data, id prouenit ex defectu diſpoſitionis. Refellit egregiè Vaſquez hanc ſolutionem, quia quantumuis magnæ & intenſæ diſpoſitiones initio fuerunt (ego admitto infinitas,ſi placet) adhuc tamen ſemper eſt locus maiori fructui quò magis durant ſpecies; quia ſemper eſt locus maiori continuationi ſpecierum & ipſarum diſpoſitionum, iuxta quam augetur gratia. Pone (hoc exemplo rem manifeſtè explico) hominem robuſti ſtomachi, & alium infirmi, & vtrumque æqualiter diſpoſitum ad Sacramentum, & ante illud & poſt illud etiam habuiſſe ſemper æquales diſpoſitiones, imò vtrumque feciſſe vltimum potentiæ,certè in hac ſententia robuſtior, quia citiùs corrupit ſpecies, minorem habebit gratiam quàm debilis; ergo tota iſta inæqualitas non poteſt refundi in culpam aut defectum ipſorum, ſed ſolùm in debilitatem ſtomachi; vel ſi ſumpſit maiorem hoſtiam, debet in eam maiorem hoſtiæ magnitudinem,ob quam tardiùs conſumitur in ſtomacho,maior illa gratia referri; ergo iure merito quilibet,etiam poſtquam fecit quantum eſt in ſe ante & poſt Communionem plures quæret hoſtias, vel maiores, vt ob diutiùs durantes ſpecies cum illa eadem diſpoſitione maiorem obtineat gratiam,quam non haberet, etiamſi ageret quantum eſt in ſe, ſi citiùs illæ corrumperentur;non ergo quærere maiores hoſtias erit ſuperſtitio,ſed ſanctiſſimum conſilium,imò deberet Eccleſia reprehendi,quòd exiguas hoſtias det laicis & Sacerdotibus,quia illos reddit incapaces huius augmenti maioris: Sacerdotes item deberent vino calicem implere quia per ſe haberent maiorem occaſionem acquirendi gratiam,etiamſi in præparatione ſe diſpoſuiſſent quantum potuiſſent.

Res declaratur exemplo.

Confirmatio pro noſtra ſententia.

17 Confirmo id meo iudicio manifeſtè; nemo enim dicet illum Sacerdotem ſuperſtitioſè agere,qui ex affectu augendi gratiam ita ſe gerit,vt poſſit ſingulis diebus celebrare & communicare: id quod veriſſimum etiam foret, eſto Euchariſtia nunquam daret gratiam, niſi interueniret diſpoſitio reliqua honeſta & ſupernaturalis: nemo item iudicabit in tali caſu dicendum eſſe,illam gratiam, quam hodie accipit Sacerdos per Communionem, per accidens ab hac hodierna Communione prouenire,cùm è contrario valdè per ſe, imò directè & propriè ab ea proueniat, eſto detur maior ob meliorem diſpoſitionem; ergo ſi datur maior gratia Sacramentalis ex maiori duratione Sacramenti in ſtomacho, eſto ad id ſit neceſſarius actus aliquis bonus, qui tamen præter gratiam ſibi reſpondentem habebat aliã Sacramentalem ex opere operato,nemo inquam in tali caſu dicere cum veritate poterit eum hominem, qui procurat vt diutiùs ſpecies maneant in ſtomacho,vt per eam durationem maiorem ipſi augeatur gratia Sacramentalis,eſſe ſuperſtitioſum,nemo item debet dicere, per accidens tantùm tribuendum ei maiori durationi augmentum illud gratiæ, vti nemo dicit ſecundæ Communioni tribui per accidens augmentum gratiæ ſupra primam Communionem,ergo cùm procurare hoſtias maiores directè conducat ad eam maiorem perſeuerantiam in ſtomacho, non video profectò quomodo etiam hoc vltimum debeat reputari ſuperſtitioſum, aut quomodo potuerit damnari ab Inquiſitoribus Fidei magis quàm damnetur frequens Communio,ſi alioquin homo accedat decenter & benè præparatus, non ergo vitatur vllo modo inconueniens allatum per hoc, quòd dicant hi Auctores non concedi eam gratiam per ſpecierum maiorem durationem,niſi etiam duret aliquis actus bonus ſupernaturalis. Ratio eſt facilis, nam illa gratia,quæ datur ex opere operato, etiamſi requirat actum bonum vt diſpoſitionem, non prouenire ab eo actu,ſed à Sacramento non vt primò manducato, ſed vt ſecundò durante, ergo ea ſecunda duratio per ſe eſt cauſa eius augmenti; ergo quærere etiam directè maiorem eam perſeuerantiam ſpecierum non erit ſuperſtitio. Declaro id magis;Eo caſu melior illa diſpoſitio ratione ſui non haberet niſi quatuor v. g. gradus gratiæ; ratione verò Sacramenti durantis adhuc in ſtomacho habet alios quatuor;ergo illud aggregatum octo graduum gratiæ æquè tribui debet ei maiori durationi ſpecierum ac tribuitur meliori illi diſpoſitioni; ergo ſicut non eſt ſuperſtitio procurare illam meliorem diſpoſitionem,neque erit ſuperſtitio procurare vt ſpecies diutiùs durent in ſtomacho: æqualiter enim hæc duratio iuuat ad augmentum ac ea diſpoſitio;ergo tandem veriſſimum erit,quòd in ordine ad effectus huius Sacramenti ſit vtilius eſſe ſtomachi debilioris, quia diutiùs manent ſpecies. Præterea ſi communicans ſit benè diſpoſitus, & in hac actuali deuotione permanſurus credatur,haud dubiè grauis fiet ipſi iniuria dando ei hoſtiam dimidiatam; quia inuoluntariè priuabitur media ex parte augmento gratiæ, quod fuiſſet alioquin acquiſiturus; vti ſi accederet benè diſpoſitus,non poſſet illi ſine graui iniuria negari Communio, quia priuaretur gratia habituali inuoluntariè:quod damnum eſt grauiſſimum.

Qua occaſio fortè poſſet etiam contra hos Auctores vrgeri argumentum Vaſquez, quòd ſcilicet ille,qui in peccato communicaret, teneretur ſub peccato nouo poſt Communionem confiteri, 18

Argumentum Vaſquez contra Aduerſarios.

Digitized by Google

confiteri, vt reciperet eam gratiam,quam in duratione Sacramentum poteſt cauſare; eſt autem planè inauditum in Eccleſia, quòd talis cenſeatur nouum peccatum committere.Item ſequitur, eum,qui poſt Communionem immediatè peccaret,peccaturum etiam contra reuerentiam debitam Sacramento,quia ponit obicem nouo illi effectui, qui ex maiori duratione oriri poterat:id quod etiam eſt præter omnium Doctorum opinionem.

Reſponſio Aduerſariorum eliditur. Reſpondent aliqui, Ideò in prima ſumptione peccatum committi,ſi quis accedat in peccato; quia homo tunc reddit,quantum eſt in ſe, illùd ſignum falſum:quando enim Sacramentum accipitur, ſignificat gratiam præſentem; ideoque ſignificatio eſſet falſa, ſi tunc apponeretur obex gratiæ præſenti:at quando Euchariſtia eſt in ſtomacho,ſicut tunc non cauſat gratiam, niſi caſu quo illam priùs non cauſauerit,vel niſi adſit melior diſpoſitio;ita nec ſignificat gratiam niſi ſub eis conditionibus cumque hæ non ſint in eo caſu, non redditur falſa ea ſignificatio,ac proinde non eſt nouum peccatum tunc eſſe in peccato habituali.Hæc ſolutio nullo modo mihi probatur; etenim ſi daremus ſententiam pro hac quæſtione veram, eſto aliunde fortè falſam, quòd Euchariſtia non cauſet gratiam, niſi homo in actuali eius ſuſceptione habeat actum aliquem bonum (& idem argumentum fieri poteſt,caſu quo,vt potuit,ita de facto Chriſtus requiſiuiſſet eam actualem deuotionem)profectò tunc ſumptio Euchariſtica non ſignificaret gratiam niſi dependenter ab actuali bona ea diſpoſitione. Vnde,iuxta hanc ſolutionem, cùm ea conditio non eſſet caſu quo homo accederet ſine deuotione, profectò non redderetur tunc illud ſignum falſum;quia non abſolutè, ſed dependenter à conditione illa ſignificaret gratiam;quæ ſignificatio illi non auferetur, eſto deeſſet ea conditio, ergo nullum tunc eſſet peccatum contra Euchariſtiam communicare in peccato,quia iuxta hanc ſolutionem tota ea ratio peccati prouenit ex eo, quòd illa ſignificatio reddatur falſa. Et verò neceſſum nobis non eſt pro hoc argumento recurrere ad ſuppoſitionem eius ſententiæ: etenim de facto omnia omnino Sacramenta ſignificant gratiam ſolùm dependenter ab eo, quòd homo non accedat malè diſpoſitus ad Sacramentum;ergo iuxta hanc ſolutionem,quam impugno, nunquam redditur ſignificatio Sacramentalis falſa, quia cùm non ſignificent dari gratiam, niſi caſu quo ſit ea diſpoſitio,non erit contra eorum veritatem, quòd ea gratia non detur,quando non eſt diſpoſitio, & tamen non ideò excuſatur à mortali ille qui indignè accedit; ergo idem erit de eo qui poſt ſumptum Sacramentum peccat grauiter.

19 *Obuiatur obiectioni.* Quòd ſi dixerint,Sacramenta, eo ipſo quòd ſint collatiua gratiæ in non ponente obicem, exigere etiam ne talis obex ponatur, ne eorum inſtitutio reddatur hîc & nunc caſſa, idem omnino ego dicam de Euchariſtia vt perſeuerante in ſtomacho,ſcilicet eo ipſo quòd illa ſit cauſatiua gratiæ in eo qui continuat actum bonum, exigere ne ille effectus impediatur, ſeu ne hîc & nunc reddatur caſſa ea vis productiua gratiæ, quam Chriſtus ex inſtitutione Euchariſtiæ tribuit illi perſeuerantiæ. Vides ergo per hoc, re benè ponderata, non aſſignari vllam diſparitatem.

Alia reſponſio ad argumentum Vaſquez. Faciliùs fortè reſponderi poſſet argumento Vaſquez, obligationem non accedendi cum peccato ad Euchariſtiam non oriri præcisè ex eo capite ne impediatur gratia;alioquin quia maior gratia cauſatur etiam ex opere operato per Sacramentum,iuxta meliorem diſpoſitionem ſuſcipientis teneretur homo ſub peccato ſemper habere eam maiorem diſpoſitionem, ne priuaretur ea maiori gratia: præterea teneretur frequentiùs accipere Sacramenta, vt eò maiorem gratiam acciperet; quæ haud dubiè falſa ſunt: ergo ea obligatio non accedendi in peccato non oritur ratione gratiæ, ſed quia ratio naturalis videtur oſtendere actiones adeò graues & ſanctas, quales ſunt Sacramentales, debere tractari ſanctè;inde etiam ipſi Sacramentorum Miniſtri eſto nullam recipiant gratiam ex opere operato, nihilominùs tenentur accedere ſine conſcientia mortalis.Vnde è contrario eſto aliqui Auctores dixerint Euchariſtiam non cauſare gratiam ſine actuali deuotione ſuſcipientis, non tamen dixerunt,ideò eum,qui ſine conſcientia mortalis accedit,eſto deuotionem illam non habeat, peccare tamen mortaliter; & tamen talis ſe priuat fructu Sacramenti; ergo peccatum indignæ ſuſceptionis non fundatur in hoc,quòd impediatur effectus gratiæ,ſed in irreuerentia contra grauitatem illius actionis. Hinc ad Euchariſtiam dici poteſt,cùm tractatio ſeu vſus huius Sacramenti totus videatur in ipſa actuali ſuſceptione conſiſtere,ea autem permanentia in ſtomacho ſit quid naturaliter ſubſecutum ex priori ſuſceptione,non videtur vrgere ea ratio,quæ ex irreuerentia indignæ ſuſceptionis deſumitur; ac proinde dicimus non eſſe peccatum contra Euchariſtiam admittere aliquod mortale poſt ſumptionem illius. Et hoc modo nobiliſſimè etiam declaratur, quare ſi poſt primam hoſtiæ partem ſumptam recordetur Sacerdos ſe eſſe in mortali, teneatur tunc conteri,etiamſi per eam ſecundam partem hoſtiæ non eſſet iam accepturus gratiam; quia ſcilicet illa ipſa ſecunda ſuſceptio eſt tractatio illius rei ſacræ ac grauiſſimæ,proindeque exigit vt fiat ſine peccato,ſicut ipſa adminiſtratio hoc idem exigit; ex hoc ergo capite fortaſſe argumentum Patris Vaſquez poſſet ſolui, ſcio tamen in hac ipſa ſolutione à me data eſſe aliquam difficultatem, vnde adhuc quis poterit iudicare efficax illud argumentum contra Suarez, quidquid verò de illo ſit, quæ antè fecimus ſufficientia videntur. *Manet tamē argumentum Vaſquez efficax contra Suarez.*

SECTIO IV.

Reſpondetur argumentis in contrarium; & vna aut altera quæſtio explicatur.

QVÆ ſuprà in contrarium allata ſunt nullam habent difficultatem,& in primis locus ille Ioannis 9.vbi Chriſtus dicit lucem ſe eſſe mundi quamdiu eſt in mundo, videtur mihi planè ſine vlla apparentia citatus pro ea ſententia: quo enim fundamento magis intelligendus eſt ibi Chriſtus locutus de ſe quamdiu eſt in ſtomacho,quàm dum in ore aut altari? aut ſi de ſe quandiu eſt in ſtomacho locutus eſt, cùm ibi nihil penitus inſinuet de neceſſitate nouæ diſpoſitionis in recipiente,qua conſequentia poterunt hi inferre,Chriſtum illuminare hominem, ſi accedat ſecunda diſpoſitio,non verò ſine illa? Reſpondeo ergo abſolutè, Chriſtum ibi vel non agere de ſe vt in Euchariſtia exiſtente, ſed de ſe 20

Argumentum Aduerſariorū ex S. Ioannis 9 Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.

Soluitur.

vt

vt prædicante ſeu promulgante legem gratiæ; vel ſi agit de Eucharitia, non niſi in ordine ad effectus quos ipſe promiſit manducantibus; vbi nihil de duratione in ſtomacho. Ad rationem ex conceptu cibi deſumptam iam oſtendimus inde potiùs probari noſtram ſententiam, quia cibus non niſi ſemel nutrit, dum conuertitur in ſubſtantiam aliti: vnde iſtud etiam Sacramentum ſemel tantùm nutrit dum manducatur, quia conuerſio phyſica in ſubſtantiam noſtram non poteſt interuenire; vnde non fuit ratio, cur expectaretur diutiùs.

21 *Dubium de eo qui primò ...itur poſt manducationem.* Hac occaſione poteſt moueri difficultas alia, Vtrùm ſi quis in ipſa actuali manducatione erat in peccato, ideoque non fuit ei conceſſa tunc gratia, antequam tamen ſpecies corrumpantur, iuſtificetur, cauſetur tunc gratia per Sacramentum. Quæ difficultas duplici modo poteſt intelligi; Primo, vt homo ſacrilegè accedat ad eam Communionem cum conſcientia mortalis, & malè diſpoſitus; Altero, vt inuincibiliter ſit in peccato mortali, & ſine contritione & attritione vlla accedat, immediatè tamen poſt manducationem eliciat vel attritionem vel contritionem. *Negat Lugo accipere gratiam:* Reſpondet Cardinalis Lugo, Talem nullo modo accepturum gratiam, quia hic cibus non dat gratiam niſi prout voluntariè acceptus; acceptio autem iam ſupponitur fuiſſe in peccato; *Examinatur eius ſententia.* ergo. Mihi hæc reſolutio & eius ratio valdè dubia videtur; Primò, quia ſi loquatur de acceptione voluntaria huius cibi, vt abſtrahit à voluntaria in gratia, & à voluntaria in peccato, ſine dubio voluntariè ille ſumpſit hunc cibum; ac proinde accipere poterit fructum huius Sacramenti, dummodò poſteà ſit in gratia, ſi verò dicat hunc cibum non dare deinde gratiam, niſi quando voluntariè ſumitur, homo re ipſa ſit in gratia, tunc redditur pro ratione concluſio ipſa, de qua eſt tota difficultas præſens, an ſcilicet etiam poſt indignam ſumptionem illa ceſſante cauſet gratiam. Certè hoc ex ratione voluntarij cibi inferri non poteſt. Secundò, quia dubium eſt valde, an vllo modo requiratur voluntaria comeſtio cibi eius de quo ſuprà; nam olim Communio dabatur etiam pueris ante vſum rationis, & habebat ſuum in illis effectum; ergo etiam adultis, ſi non ponant obicem alium, poterit dare gratiam independenter à voluntaria acceptione. Sed de hoc puncto fuſiùs ſuprà: ideò eo omiſſo idem oſtendo in caſu qui frequentiſſimè poteſt contingere: Accedat quis putans ſe eſſe in gratia, re ipſa tamen ſit in mortali, profectò negari non poteſt, quin iſte habere potuerit honeſtam voluntatem ſumendi hunc cibum, eſto per accidens non receperit fructum, recordetur immediatè pòſt eius peccati, & conteratur, iam erit capax fructus; quia & voluntariam honeſtam manducationem eius cibi habuit, & iam abſtulit obicem; cur ergo tunc ille cibus non cauſabit gratiam? Certè niſi, prout ſuprà dixi, nos pro noſtro libitu taxamus comparationem huius cibi cum naturalibus cibis, & conditiones pro noſtro libitu requiramus, non video quomodo, ſi ſemel perſeuerantia conducit ad hanc cauſationem, non debeat in tali caſu admitti, quòd cauſetur gratia, eſto ob impedimentum anteà poſitum non fuerit priùs cauſata.

22 *Soluitur dubium.* Reſpondeo ergo tuti quæſtioni conſequenter in ea diſcurrendo, cùm gratiæ promiſſio ſolùm ſit facta manducanti, & perſeuerantia in ſtomacho non ſit manducatio; vnde paulò antè intulimus, per eam non augeri gratiam; ita nunc dico, neque per eam cauſandam gratiam, ſi in puncto manducationis homo fuit benè diſpoſitus, quia vſus illius Sacramenti pro gratia à Chriſto aſſignatus iam eſt elapſus; non loquor iam de vi huius Sacramenti ad cauſandam gratiam primam per accidens iuxta dicta ſuprà, nec de reuiuiſcentia Sacramenti, quæ etiam poteſt habere locum poſt ſpecies corruptas: de quo puncto fuſiùs ſuo loco. Hinc colligo, quoad reſolutionem hanc per accidens omnino eſſe, quòd homo peccet in ea ſuſceptione, vel quòd inuincibiliter accedat in peccato, & quòd deinde habeat contritionem aut attritionem; quia tota noſtra ratio fundatur in eo, quòd neglectum ſit tempus, in quo debebat cauſari gratia. Secundò colligo, ſi Sacerdos ſumens in peccato vnam partem hoſtiæ, antequam alteram vel antequam calicem ſumat conteratur, ſumpturum tunc gratiam per eam ſecundam partem, vel per ſpecies calicis; quia ea ſecunda ſumptio eſt rectè facta, & ex ſe eſt cauſatiua gratiæ, niſi iam eam inueniat cauſatam; vnde licet prior non fuerit vtilis, non eſt tamen, cur ſecunda non reputetur vtilis & vtiliſſima.

Dices: Ea communio reputatur per modum vnius; ergo ſi in prima parte homo non fuit diſpoſitus, iam non proderit ei, quòd ſi in ſecunda. Reſpondeo, Eam Communionem reputari per modum vnius, quando illæ partes ſumuntur cum eadem diſpoſitione; quia tunc perinde ſe habent omnes illæ partes in ordine ad effectum, ac ſi eſſent vna ſola Communio; at quando ſunt diuerſæ diſpoſitiones, habent ſe per modum duarum: prima enim ſe habet vt Communio peccaminoſa, & à fortiori inutilis; ſecunda ſe habet vt noua Communio honeſta, fructuoſa. Adhuc replicari poteſt ex iis quæ nos ſuprà diximus, probantes hoc Sacramentum etiam reuiuiſcere, prout vniuerſaliter de aliis omnibus locuti ſumus. Hinc igitur ſic replicabis: Ergo in præſenti caſu etiam reſurget illa prima Communio, quæ reputatur vt moraliter diſtincta à ſecunda; ergo ille homo habebit fructum duplicem ex illa Communione, & illum reſurgentem, & alterum quem actu accepit in ſecunda parte hoſtiæ iam in gratia ſuſceptæ; hoc autem videtur valde abſurdum: talis enim accipetet maiorem duplo gratiam ex ea Communione, eò quòd ab initio fuerit in peccato, & deinde in gratia, quàm ſi vtramque partem hoſtiæ accepiſſet in gratia, ac proinde directè & per ſe ei profuiſſet peccatum: id quod ſine abſurdo dici non poteſt. Reſpondeo, In eo caſu non dandam vllam gratiam ablato obice propter illam priorem ſumptionem factam in peccato, ac proinde nego illam tunc reſurrecturam; neque contrarium nos diximus ſuprà; quando enim docuimus Sacramentum Euchariſtiæ ſumptum indignè poſteà obice ablato reſurgere, locuti ſumus de Euchariſtia, quæ omnino caruiſſet ſuo effectu; in præſenti autem cùm abſolutè habuerit effectum, & perinde ac ſi prima pars hoſtiæ cauſaſſet gratiam, ſecunda verò non (vt contingit, quando ab initio homo eſt in gratia) non eſt vllo modo dicendum tunc reſurgere priorem illam partem ſumptionis: vti enim non reſurgit ſecunda, quando prima cauſat gratiam; ita nec reſurget prima, quando cauſat ſecunda. Quòd item dixerimus paulò antè, ob eas diuerſas diſpoſitiones reputari eas Communiones ac ſi eſſent duæ,

23 *Obiectioni reſpondetur.* *Replica expenditur.*

Digitized by Google

duæ, non ita debet intelligi, vt reputentur ac ſi omnino eſſent duæ diuerſis temporibus factæ, ſed præciſè in ordine ad punctum de quo agebamus, vt ſcilicet, ſi prior pars fuit impedita ſuo effectu, non ideò ſecundam impediri dicamus.

24 *Replica altera diſſoluitur.* Replicabis: In prædicto caſu potiùs videtur reuictura prior ſuſceptio quàm à ſecunda cauſetur gratia: etenim prior ſuſceptio reuiuiſcit ipſo planè momento, quo ponitur attritio, vel contritio; atqui hoc fit antequam ſecunda pars hoſtiæ accipiatur; ergo tunc cauſabitur gratia à primæ partis hoſtiæ ſuſceptione reuiuiſcente, non verò a ſecunda parte hoſtiæ. Reſpondeo, In ordine ad vtilitatem ſuſcipientis idem eſſe quòd ea gratia cauſetur à prima parte hoſtiæ reuiuiſcente, vel à ſecunda dignè ſuſcepta, ac proinde ſatis eſſe dubium ex hoc capite, à qua id fiat. Aliunde tamen hîc poteſt eſſe difficultas maior; nam dum egimus de reuiuiſcentia, diximus Sacramenta reuiuiſcentia non cauſare gratiam iuxta diſpoſitionem qua tollitur obex, ſed tunc cauſare ſimilem gratiam quam cauſaret illud Sacramentum ſuſceptum ſine obice, & ſine vlla poſitiua diſpoſitione. Hinc enim oritur magna diuerſitas inter illas cauſalitates; etenim ſi cauſetur gratia a ſumptione primæ partis reuiuiſcentis, erit multò minor ea gratia, quia non creſcet ratione diſpoſitionis, prout creſceret ſi cauſetur à ſecunda parte hoſtiæ dignè ſuſcepta; ergo ex hoc capite multum eſt poſitum in eo, quòd non reuiuiſcat tunc prima ſumptio, ſed ſola ſecunda operetur. Reſpondeo, Omnino ita eſſe, ac proinde oportet quæſtionem aliter reſoluere. Dico igitur valdè probabile eſſe eo caſu, etiamſi prima illa pars videatur habere aliquod ius ratione præcedentiæ ad reuiuiſcendum, non tamen reuicturam, ſed ſecundam eſſe cauſaturam gratiam; quia cùm eo tempore homo ille videatur eodem quaſi ſigno moraliter actu ſuſcipere debitè Sacramentum, & quidem quod moraliter erat quaſi vnum, connaturalius eſt, vt Deus tunc non ad reuiuiſcentiam attendat, ſed ad actualem ſuſceptionem ſecundæ partis.

Quæres tandem pro huius puncti complemento, An ſi dabemus conferri gratiam homini, qui bona fide communicauit in peccato, & deinde eius recordatus illum obicem abſtulit adhuc manente Euchariſtia in ſtomacho, dicendum etiam eſſet conſequenter, dandam illam ei qui ſacrilegè acceſſit, & deinde ante conſumptas ſpecies contritus eſt: videtur enim hic multò magis ſe reddidiſſe indignum eo fructu quàm alter. 25 *Dubium de ſacrilegè communicante poſteà contrito:*

An gratiam accipiat: Reſpondeo; Etiamſi ex eo capite aliqua ſit diuerſitas, nihilominùs ſi ſtandum ſit argumento, quo noſtram ſententiam probauimus, æqualiter vtrobique diſcurrendum: in quo mihi minùs placet P. Tannerus ſuprà; etenim ſi ſemel admittimus, conducere eam perſeuerantiam Euchariſtiæ ad cauſandam gratiam, profectò eſto in ſumptione vnus fuerit peius altero diſpoſitus, quia tamen intra tempus illud, in quo cauſari adhuc gratia poteſt, iam ſunt ambo æqualiter benè diſpoſiti, & æquè iam non habent obicem, non video cur non ſint ambo recepturi gratiam: malus enim actus, qui priùs fuit, non poteſt nocere, niſi quatenus durat toto tempore, quo debet effectus Sacramenti concedi; nam ſi non durat, non poteſt in futurum obeſſe; atqui iam ſupponimus eum non durare; ergo eodem modo recipiet hic homo gratiam ſicut alter, quidquid fuerit de priori differentia; ac proinde ſicut paulò ante dixi in noſtra ſententia æqualiter non cauſari gratiam in eo qui manducauit in peccato, bona tamen fide, ac in eo qui acceſſit ſacrilegè, etiamſi durantibus ſpeciebus in ſtomacho ſe diſponant; ita dicendum in hac ſecunda ſententia è contrario gratiam cauſandam in vtroque, ſi ſe diſponant deinde intra illud tempus. *Affirmatur.*

DISPVTAT. QVADRAGESIMASECVNDA.

An vtraque ſpecies cauſet maiorem gratiam: vbi de alijs Euchariſtiæ effectibus?

SECTIO I.

An licitè vna ſpecies ſine altera ſumi poßit?

1 Etsi hæc difficultas à Controuerſiſtis diligentiſſimè contra hæreticos aliquos huius temporis diſcuſſa ſit, nos tamen aliquid de illa breuiſſimè dicemus; eò quòd præcipuum hæreticorum argumentum, vt probent non poſſe laïcis prohiberi Communionem ſub vtraque, deſumatur ex eo, quòd ſumptio calicis nouam conferat gratiam. Hoc argumentum confictum eſſe ab hæreticis Lutherus ipſe, Communionis ſub vtraque acerrimus propugnator in formula Miſſæ his verbis detegit: *Si quod Concilium permitteret, aut ſtatueret vtramque ſpeciem, nos nequaquam vtraque vti vellemus, ſed in deſpectum Concilij, eiuſque ſtatuti, aut vna, aut neutra.* Hæc ille. Quòd idem in aliis hæreticis ſine iniuria præſumendum eſt, ſcilicet non ex profectus ſpiritualis amore, ſed ex obſtinata perfidia & Eccleſiæ deſpectu vſum calicis adſtruere. *Pertinacia hæreticorum notatur.* Ergo pro argumenti ſolutione (quidquid ſit, an ſumptio calicis nouam conferat gratiam) aduerto, iuſtiſſimè poſſe Eccleſiam ob aliquos fines Superiores prohibere fidelibus actiones aliquas externas, ex quibus illi alioquin magnam gratiam, poſſent obtinere; id & fecit ipſe Chriſtus, qui non iniquus ideò, quòd Baptiſmum non permiſerit paſſim iterari, vt noua conferretur gratia; nec auarus, quia idem in Confirmatione & Ordine ſtatuerit; nec offenſus in feminas, quia illas Sacerdotes fieri non permiſerit; & mirandum eſt aliquos hæreticos è ſeptem Sacramentis vix duo vel tria agnoſcere, & reſpuere gratiam à quinque aliis conceſſam; poſteà verò ſcrupuloſè de ſua ſalute diffidere, niſi ab vno Sacramento bis gratiam recipiant. Sed oſtendamus hoc fieri poſſe ab Eccleſia, quæ etiam ſecundùm hæreticorum opinionem meritò prohibet, ne qualibet die vltra vnicam Communionem fideles *Eccleſiæ poteſtas explicatur.*

Digitized by Google

fideles ſecundam accipiant; licet extra omnem controuerſiam ea ſecunda Communio nouam cauſaret gratiam; cur ergo multò meliùs non poterit prohibere vſum calicis? Certè in ſecunda Communione vix aliqua apparet irreuerentia, at in vſu calicis quanta? morale periculum vt inter tot laicos effundatur, vt per os diffluat, vt adhæreat communicantium barbis; adde quod magis eſt, vt putarent idiotæ non eſſe totum Chriſtum ſub qualibet ſpecie, aut errarent vſum calicis neceſſarium ad ſalutem iudicando. Eadem inſtantia eſt in repetitione Miſſarum; imò & Lutherus ſolùm permittit ſolemne Sacrum; cur ergo Eccleſia tenebitur vſum calicis non prohibere? Innumeras ſimiles inſtantias adducere poſſemus, vt de Communione negata infantibus; quòd non liceat ægroto paſſim repetere Sacramentum Extremæ Vnctionis: ſed hæc ſufficiant.

Incommoda ex ſumptione calicis.

2 *Obiectio hæreticorum de neceſſitate calicis ex Ioan. 6.*

Dices: Calix eſt neceſſarius ad ſalutem; Chriſtus enim dicit Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod idem multi Patres expreſsè docent, aſſerentes præceptum eſſe Diuinum de bibendo calice. Reſpondeo, Teſtimonio Chriſti τὸ & Scriptura paſſim vſurpari pro *vel*. Act. 3. Petrus ad claudum: *Argentum & aurum non eſt mihi*: vbi non voluit dicere Petrus, Non habeo vtrumque ſimul; nam pro paupere vnum vel alterum ſufficiebat; Sed argentum vel aurum non eſt mihi. Item Leuitici 20. *Qui patri matrique maledixerit.* Vbi nullus dicet non violandum illud præceptum, neque incurrendam pœnam eo loco contra maledictionem illam impoſitam, niſi quis vtrique, patri & matri, maledixerit ſimul; ergo ſenſus ibi eſt, *Qui vel patri vel matri maledixerit*, &c. Deinde ex verbis Chriſti apud ipſum Ioannem, ex quo teſtimonium illud deſumitur cap. 4. *Niſi ſigna & prodigia videritis.* Vbi omnes explicant, *Niſi ſigna vel prodigia videritis, non credetis.* Et Thomas Ioan. 20. *Niſi mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*; id eſt, Niſi vnum vel alterum efficiam. Multa alia loca in Scriptura & reperiuntur ſimilia, è quibus conſtat illud & in præſenti poſſe ſumi pro *vel*; id eſt, *Niſi vel corpus vel ſanguinem ſumpſeritis.* Reſpondetur Secundò, τὸ *Niſi* poſſe vſurpari pro eodem ac ſi non, vt ſi ſenſus ſit, Si non manducaueritis carnem, & ſi non biberitis ſanguinem, id eſt, Si vtrumque omiſeritis, non habebitis, &c. Quæ ſolutio recidit in præcedentem. Tertiò reſpondet P. Vaſquez, in illo loco contineri præceptum pro tota Eccleſia, quaſi diceret: Niſi in mea Eccleſia fiat Sacrificium altaris, in quo vtroque ſpecies accipiatur, non conſiſtet Eccleſia; per quod non innuitur, cuilibet in particulari neceſſariam eſſe Communionem ſub vtraque. Confirmo à ſimili, quia Sacerdotium eſt neceſſarium in Eccleſia tum ob confeſſiones tum ob hoc Sacramentum; & tamen nullus in particulari tenetur fieri Sacerdos; ergo licet Eccleſiæ ſit neceſſaria Communio ſub vtraque, non tamen ideò cuilibet in particulari.

Reſponſio Vaſquez.

3 Confirmo Secundò; nam hoc Sacramentum non ſolùm quoad ſpecies calicis, ſed neque quoad ſpecies panis cuilibet in particulari eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem; vt in infantibus & amentibus primò patet, deinde etiam in adultis cum vſu rationis, nam ſi aliquis inuincibiliter ex Sacerdote non ordinario hoſtiam ſumeret, & hoc diu; certè ille licet Chriſtum verè non ſumeret, non tamen ideò incapax eſſet ſalutis. Si ergo nulli in particulari ſimpliciter eſt neceſſarium hoc Sacramentum quoad aliquam ſpeciem, multò minùs quoad vtramque. Ratio à priori eſt, quia non eſt neceſſarium niſi neceſſitate præcepti; ab hac autem obligatione excuſat ignorantia inuincibilis. Item non conſtat quoties in vita ex Chriſti præcepto ad illud teneamur. Vbi aduerte differentiam ſuperiùs notatam inter ea quæ requiruntur neceſſitate medij, & quæ requiruntur neceſſitate præcepti; illa enim etſi inuincibiliter omittantur, ſi aliunde non compenſentur, impediunt ſimpliciter ſalutem; & ideò illa ſimpliciter dicuntur cuilibet in particulari neceſſaria ad ſalutem, & ſine illis non poſſe ſalutem obtineri; quæ autem neceſſitate præcepti requiruntur, ſi omittantur inuincibiliter, vel ex impoſſibilitate, eſto aliunde non compenſentur, non impediunt ſalutem; ideoque cuilibet in particulari non ſunt neceſſaria ſimpliciter; & tale eſſe hoc Sacramentum fusè ſuprà oſtendimus. Vnde obſerua, quoties Chriſtus quaſi in particulari cum qualibet perſona loquebatur, non dixiſſe, *Qui non manducat me, non viuet*, quia multi viuunt, etiamſi non manducent; ſed præcisè affirmatiuè, *Qui manducat me, viuet propter me.* In Baptiſmo autem, quia eſt neceſſarius cuilibet neceſſitate medij, abſolutè in particulari, & non ſolùm quaſi per modum præcepti, pro tota Eccleſia in genere dixit, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Video in aliis locis, vbi etiam eſt præceptum pro quolibet indiuiduo, vſurpari tamen ſæpè verba illa in plurali; vt, *Niſi egeritis pœnitentiam*, *Niſi confeſſi fueritis*, &c. Vnde hæc ponderatio immediatè facta non eſt admodum efficax, niſi quatenus ex adiunctis rationibus poteſt colligi, in eo loco fuiſſe illud præceptum ſolum pro toto corpore Eccleſiæ. Adde, fortè ex hoc loco præcisè probari præceptum Euchariſtiæ; vnde omnibus penſatis non multùm fido ei ſolutioni Patris Vaſquez.

Ratio à priori contra hæreticos aſſignatur.

Differentia inter neceſſitatem medij & præcepti.

Ioan. 6.

Ioan. 3.

Tertiò, poteſt ille locus intelligi de ſola ſumptione ſub vna ſpecie; nam etiam tunc bibimus Chriſti ſanguinem, quia ſub qualibet ſpecie totus Chriſtus continetur ac proinde ſanguis etiam. Hæretici autem vt vnum errorem probent, alterum inducunt: vt enim perſuadeant ex eo Chriſti loco neceſſariam eſſe Communionem ſub vtraque ſpecie, negant Chriſtum totum ſub qualibet contineri.

4 *Obiectio altera eorumdem hæreticorum ex S. Matthæo & S. Paulo. Reſpondetur ad locum S. Matthæi.*

Dices: Chriſtus Matthæi 26. de ipſo calice, ſeu de eo ſub ſpeciebus vini contento dixit; *Bibite ex hoc omnes*, ergo etiam præceptum eſt verè & expreſsè de calice: id quod Paulus 1. Corinth. 11. confirmat dicens: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* & deinde: *Et ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Reſpondeo, Hoc argumentum eſſe nullius momenti: etenim eo loco Chriſtus cum ſolis Apoſtolis agebat, quos ſimul conſtituit Sacerdotes; vnde nullo modo inferri quidquam poteſt de laicis: certè neque ipſi hæretici permittunt quemlibet laicum ſibi accipere calicem; multò autem minùs id liberum faciunt fœminis; & tamen Chriſtus non ſolùm ibi dixit, *Bibite omnes*, ſed, *Accipite illum omnes.* Confirmatur clariſſimè hæc ſolutio ex ſimilibus penè verbis, dum Apoſtolis dedit poteſtatem abſoluendi; nam licet

non

Digitized by Google

non dicatur vſus verbo illo *omnes*, cùm tamen ſine reſtrictione cum omnibus præſentibus locutus fuerit verba illa in plurali, *Inſufflauit, & dixit eis, Accipite*, omnes haud dubiè comprehendunt; quis autem inde tam ſtultè argumentatus eſt, vt intulerit, etiam feminas & infantes poſſe abſoluere à peccatis?

Ioan 20.

Reſpondetur ad locum S. Pauli.

Ad Paulum faciliùs reſpondetur, eum potiùs ſatis apertè ibi ſtare contra ipſos hæreticos; nam in primis verbis eius Epiſtolæ ſolùm narrat id quod Euangeliſtæ priùs narrauerant; ac proinde nulla inde noua difficultas oritur: in ſecundis verò, vbi dicit, *Itaque quicumque*, &c. loquitur ipſe nomine proprio, & quidem ad omnes, & meo iudicio ibi oſtendit clarè licitam eſſe Communionem ſub vna ſpecie; imò videtur ſupponere futuram ſæpè talem; nam haud ſine myſterio vſus eſt ea particula *vel. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè.* Si enim nunquam liceret Chriſtum ſub ſpecie panis ſolum ſumere, ſed debuiſſet & panis & calix accipi; profectò debuiſſet ſine vlla diſtinctione dici, *Quicumque manducauerit*, quia ibi etiam ſecundum includebatur, dicens autem *vel* hunc facit ſenſum; *Siue panem ſolum ſuſcipias in peccato, vt illum ſuſcipiunt laïci, ſiue etiam calicem, vt illum ſuſcipiunt Sacerdotes, peccabis.*

5 *Quomodo accipienda particula vel.*

Confirmatur, quia quando in communi loquendi modo vtimur illa particula *vel*; v. g. *Qui hanc vel illam domum ingreſſus fuerit, qui hoc vel illud peccatum fecerit*, ſemper ſupponimus poſſe vnum ex illis ſine altero admitti: quæ enim connexa ſunt, & debent fieri ſimul, non per *vel* declarantur, ſed per *&*. Induco etiam Secundò ſanctum Paulum pro ſententia Eccleſiæ; nam ſi credidiſſet eſſe de iure diuino vtramque ſpeciem ſumere, vti eſt non accedere in peccato; haud dubiè ſicuti ibi dixit, *Itaque quicumque manducauerit panem hunc indignè*, &c., *Probet autem ſeipſum homo*, &c. dixiſſet etiam, *Itaque quicumque manducauerit panem ſine calice, iudicium ſibi manducabit*, aut è contrario, *Quicumque calicem biberit, non manducato pane, iudicium ſibi bibet.*

Replica:

Dices fortè, Hoc præceptum includi in *τὸ indignè*, quia indignè ſumitur vna ſpecies ſine altera.

Soluitur.

Sed contrà euidenter; nam Paulus ſolùm ibi agebat de diſpoſitione ex parte animæ, hoc eſt de carentia peccati reddentis hominem antecedenter indignum ſumptione, vnde dixit, *Probet autem ſeipſum homo*, id eſt, Diſcutiat ſuam conſcientiam, &c. ergo *τὸ indignè* nullo prorſus modo poteſt accipi de acceptione ſolius panis, quæ non eſſet diſpoſitio antecedens, ſed potiùs culpa ſubſequens Communionem; maximè cùm hic ſenſus ſit contrarius illi diſiunctioni, in qua iam ponitur *τὸ indignè*. Conſtet ergo Paulum potiùs ibi tradere noſtram doctrinam, quàm vllo modo fauere hæreticis. Adde denique, eſto ipſe ibi præcepiſſet Communionem ſub vtraque, non continuò illud præceptum fore diuinum, ac proinde potuiſſe Eccleſiam in eo diſpenſare.

6 *Obiectio ex Sanctis Patribus, Iuſtino Martyre,*

Obijciuntur etiam Patres; qui tamen aliquando tribuunt vitam ſpiritualem calici, non quia ſine illo non poſſit quis ſaluari, ſed quia etiam ille poteſt dare gratiam. Iuſtinus Martyr Apologia 2. ad Antonium Pium docet Apoſtolos tradidiſſe ſibi præceptam à Chriſto Communionem ſub vtraque: id quod veriſſimum eſt; nam Apoſtoli erant Sacerdotes: an quæſo etiam inde licet inferre, Laïcos poſſe conſecrare, quia id tribuit Chriſtus Apoſtolis?

Cypriano,

Cyprianus lib. 2. Epiſtolarum Epiſtola 63. citatur à Kemnitio quaſi expreſsè docens Chriſtum diſtinctè mandaſſe, vt plebi daretur calix; falsò tamen à Kemnitio illa verba ſunt addita. Quòd ſi aliquando hic aut alij Patres dicunt eſſe præceptum de bibendo calice, debent intelligi in ordine ad Sacerdotes.

Gelaſio,

Chryſoſtomo.

Quo pacto explicatur Gelaſius Papa à Gratiano diſtinct. 2. de Conſecratione, Canone *Comperimus.* Chryſoſtomus verò Homil. 18. in ſecundam ad Corinthios docet, in Eccleſia laïcos poſſe ex corpore & ſanguine Domini participare ſicut & Sacerdotes; aliud autem eſt poſſe, aliud teneri; fateor iure Diuino non prohiberi laïcos, & ita, ſi Pontifex ob iuſtas cauſas id non prohibuiſſet, fore vt poſſent illi communicare; non tamen inde ſequitur illos communicare teneri de facto: eo autem tempore Conſtantinopoli non erat ea Communio laïcis vel Sacerdotibus non celebrantibus prohibita.

7 *Probatur Communio ſub vna ſpecie. Ioan. 6.*

Certum ergo de Fide eſt licitum eſſe Communionem ſub vna ſpecie; & probatur loco quo & Tridentinum vtitur, quia Chriſtus ſoli manducanti promiſit vitam, nulla tunc facta mentione de potu: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* &: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Idem Secundò probatur 1. Corinth. 11. vbi Paulus dicit, *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit*, &c. iuxta paulò antè dicta. Probatur Tertiò, quia Chriſtus, iuxta communem explicationem, in Emmaus dedit diſcipulis corpus ſuum ſub ſpecie panis: quod & hæretici fatentur; qui tamen, vt difficultatem effugiant, dicunt illum etiam eis dediſſe ſanguinem. Hæc tamen additio miſera eſt, quia nec ex textu vllo modo colligitur, & eam Euangeliſtæ nequaquam reticuiſſent; ac denique clariſſimè inſinuant Euangeliſtæ, illum ſtatim poſt fractionem agnitum, & euanuiſſe; alioquin ante exhibitionem potus locuti cum eo fuiſſent, & veniam duritiei petiiſſent, &c. Quomodo autem hi diſcipuli, qui tempore cœnæ non interfuerant, agnouerint illum in fractione panis, dixi ſuprà.

Quomodo ſit intelligenda fractio panis.

Quartò probatur ex cap. 2. Act. vbi dicitur perſeuerantes fuiſſe fideles in fractione panis, nulla facta mentione calicis: fractio autem ibi panis non eſt communis cibus, ſed ſumptio corporis Domini: vbi enim voluit Euangeliſta præcipuas virtutes illorum enumerare, vt quid recurriſſet ad prandium commune? Nec quem moueat, quòd paucis lineis infrà videatur Euangeliſta agere de cibo communi & vſuali; agit enim de diuiſione bonorum, quòd omnia eſſent communia, quòd circa domos frangerent panem, & ſumerent cibum cum exultatione: id quod non debet accipi niſi de communi cibo: hoc inquam mouere neminem debet, quia potiùs hinc clarè oſtenditur, in prioribus verbis ſermonem ſolùm fuiſſe de fractione panis Euchariſtici; nam in verbis prioribus, vbi perſeuerantia ponitur in doctrina, in communicatione fractionis panis & oratione, ſine dubio coniunctæ ſunt actiones ſpirituales; cætera verò, quæ pertinebant ad cibum & ad bona temporalia, tradita ſunt infrà. Vnde ne eadem communio panis laïci bis dicatur ſine cauſa repetita, noua inde additur confirmatio,

Digitized by Google

tio, vt ſcilicet in prima parte ſit de ſpirituali locutus.

8 *An in veteri Eccleſia fuerit vſus vtriuſque ſpeciei.*

Dices tamen; Cùm omnes ferè fateantur olim in Eccleſia (eſto non ex præcepto diuino) in vſu fuiſſe Communionem ſub vtraque; valdè probabile videtur tunc maximè fuiſſe ſub recenti eius Sacramenti inſtitutione. Reſpondeo; Imò maximè tunc expediuiſſe illam Communionem ſub vtraque ſpecie non introducere; cùm enim Apoſtoli ex Chriſto nouiſſent, eam non eſſe ſub obligatione, nec futuram in vſu, niſi rarò ob inconuenientia, quæ diximus ſuprà, iure merito eam tunc non inchoarunt, ne quodammodò præſcriberet, vt ex eo facto putaretur eſſe de iure Diuino, & à Chriſto imperata. Vltimò id ipſum ſuadetur perpetua conſuetudine Eccleſiæ ſeruandi pro infirmis hoſtiam, non ſeruato calice. Accedunt diuerſiſſimæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de Sacerdotibus, qui dum ſacram hoſtiam ad infirmos portant (vbi nulla fit mentio calicis) aliquando occiſi ſunt ab infidelibus, aliquando propter illam miraculosè liberati ex variis periculis; tum de illis qui ab Angelis Communionem ſub vna tantùm acceperunt, qui hoſtiam in ore retinuerunt, & ea deinde ad magias vſi ſunt; ſi autem poſt hoſtiam calicem ſumpſiſſent, nec hoſtiam retinere in ore eis liberũ fuiſſet; quòd ſi retinuiſſent, quia tamen tota eſſet iam ex humore calicis diſſoluta, extrahi deinde nequaquam potuiſſet; tum ex illis qui fictè communicabant, ne vt Ethnici punirentur, & retinebant tantùm ore hoſtiam, quam deinde euomebant: ſi autem debuiſſent ſimul ſanguinem ſumere, haud dubiè non potuiſſent moraliter tamdiu illum retinere in ore, ſed oportuiſſet eos vel nolentes communicare. Circa tempora ſancti Chryſoſtomi vna talis fæmina paulò poſt Communionem hoſtiam malitiosè retentam, in ore conuerſam reperit in lapidem, &c. Hæc & ſimilia manifeſtè oſtendunt fuiſſe antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem laïcos ſub vna ſpecie communicare. Accedit altera conſuetudo, quia etiam Sacerdos die Veneris Sancto ſolùm ſub vna ſpecie communicat; quam conſuetudinem antiquiſſimam fuiſſe conſtat ex Auctoribus qui ante quingentos annos floruerunt: & de ea fusè tractant tanquam de conſuetudine etiam ipſorum tempore iam valde antiqua Gratianus etiam ante quingentos annos ſupponit laïcis non licere communicare ſub vtraque; & Gelaſium Papam docentem neceſſariam eſſe eam Communionem ſub vtraque explicat de ſolis Sacerdotibus. Non eſt ergo cur de hac veritate dubitetur ampliùs. Vide Tannerum ſect. 2.

Multis oſtenditur quòd ...

SECTIO II.

Argumenta ſententiæ aſſerentis vtramque ſpeciem conferre maiorem gratiam quàm vna ſola.

9 *Affirmant Vaſquez & Lugo.*

PATER Vaſquez diſput. 215. cap. 2. affirmatiuam opinionem erexit aliquantulùm; anteà enim, vno vel altero excepto, omnes ferè Scholaſtici negatiuam tenuêre. Vaſquezio adhæſit Cardinalis Lugo, qui diſput. 12. ſect. 3. ait Franciſcum Blancum, Archiepiſcopum Compoſtellanum, qui interfuit Tridentino (cuius tacito nomine meminit Henriquez lib. 8. de Euchariſtia cap. 44. §. 5. in margine) dixiſſe, vnanimem fuiſſe ſenſum Patrum Tridentini, quòd vtraque ſpecies cauſaret maiorem gratiam, noluiſſe tamen id extra tempus definire; ne vlla daretur hæreticis occaſio vociferandi. Hæc ibi Lugo. Ego ſanè vehementer miror hanc citationem; etenim Henriquez ibi non ſuppreſſo nomine meminit Franciſci Blanci, ſed expreſſiſſime eum nominat. Secundò; non ait ab ipſo dictum, vnanimem Patrum ſenſum pro ea ſententia fuiſſe: nihil item penitus dicit, quòd Patres propenderint ad eam definiendam; & quòd ob clamores futuros hæreticorum deſtiterint; ſed purè putè ex eo Blanco refert multos Patres ex Tridentinis ita ſenſiſſe. Hoc autem longè abeſt ab vnanimi conſenſu, taceo à voluntate id definiendi: vbi enim erant inter Prælatos & Theologos quadringentæ ac ampliùs perſonæ, poterant 50. 60. etiam centum eſſe in ea Vaſquez opinione; poterant etiam illi iure merito dici multi, eſto tres tertiæ partes in contraria ſententia fuiſſent. Habet quidem Henriquez in eodem folio ſimilia ferè verba his quæ Cardinalis pro ſe tulit; ibi enim non nominando vllum citat aliquos ex Epiſcopis qui Tridentino Concilio interfuêre; at non agit ibi Henriquez vllo modo de hoc puncto noſtro, ſed de neganda Communione ſub vtraque ſpecie Boëmis; ait enim; *Quare maior pars Concilij Tridentini Seſſione vigeſima prima poſt Canonem quartum propendit* (vt referunt Epiſcopi qui ea interfuerunt) *ne concederetur Boëmis* (id eſt Communio ſub vtraque Huſſitis, hæreticis Boëmiæ) *ſed ne illos offenderent, remiſerunt negotium in aliud tempus.* Hæc ibi habet Henriquez. Vnde non poſſum aliud dicere, quàm Amanuenſem Cardinalis ad maiorem gratiam ſub vtraque ſpecie per errorem ea verba applicuiſſe. Hæc fuſiùs deduxi, quia reuerà magnum poterat noſtræ ſententiæ præiudicium adferri, ſi vnanimiter Patres Tridentini contrarium ſenſiſſent; licet fortaſſe etiam tunc non deeſſet, quid eis poſſemus refundere. Et verò mirandum valdè fuiſſet; quòd cùm ad eam vſque diem inter omnes Auctores ſententia noſtra fuiſſet ita communis, vt ſolo Alexandro & duobus aliis exceptis, vix non in Scholis eam omnes tenuiſſent; ita tamen repentè omnes in contrariam conſpiraſſent, & quidem quando definienda re ipſa non erat: Spiritus enim ſanctus extra occaſionem definitionum non ſolet ita repentè turbare opiniones præconceptas Doctorum. Adde, ipſum Henriquez, à quo eam citationem accepit Cardinalis, eſſe in contraria ſententia; quomodo autem fuiſſet eam auſus defendere, ſi credidiſſet verum eſſe, quòd Patres Tridentini iamiam eam voluiſſent damnare? Idem à fortiori dico de Soto, qui ei Concilio interfuit, & tenet noſtram & communem ſententiam; quis autem credet eum, ſi vidiſſet Concilij vnanimem conſenſum, in contrarium vel ex hoc ſolo capite non mutaturum fuiſſe ſententiam. Et de ea erronea citatione ſatis.

Examinatur ſenſus Patrũ Concilij Tridentini.

Contraria opinio fuit ſemper cõmunis.

Eamdem Vaſquez ſententiam tenuerat Primò Alexander Alenſis, Caſalius & Arboreus, quos ipſe ibi citat, eam defendit Gaſpar Hurtadus diſput. 10. difficultate 6. & Pater Ioannes Præpoſitus quæſt. 80. artic. 12. dub. 3. Fundamentum præcipuum huius ſententiæ ſumitur ex quadam Bulla Clementis VI. ad Regem Galliæ, in qua ipſi permittit Communionem ſub vtraque ſpecie ob gratiæ augmentum, ergo ſentit 10

Auctores ſententiæ affirmatiuæ, præter Vaſquez, Alexander Alenſis, Caſſalius, Arboreus, Præpoſitus.

Pontifex vtramque ſpeciem plus conferre gratiæ quàm vnam ſolam. Verùm hoc teſtimonium non multùm vrget; Primò, quia cùm Rex ille videatur habuiſſe ſpecialem deuotionem & conſolationem in ſuſcipienda vtraque ſpecie, voluit illi Pontifex eum fauorem concedere eo animo, vt cum maiori deuotione accedens augeret gratiam etiam Sacramentalem; non quia ſpecies vini illam cauſarent, ſed quia eſſent futuræ occaſio maioris diſpoſitionis, iuxta quam ipſæ ſpecies panis cauſarent illam maiorem gratiam, prout ſententia communis dicit, etiam gratiam ipſam Sacramentalem eſſe maiorem iuxta meliorem diſpoſitionem. Secundò reſponderi poteſt, Pontificem ſolùm ibi locutum de maiori augmento ex opere operantis ob eamdem, quam diximus maiorem deuotionem. Tertiò denique reſpondetur, Pontificem ibi nihil definire, ſed dare licentiam quam Rex petierat; motiuum autem illam dandi ibi poſitum non ex deciſione ſed fortè ex priuata ipſius Pontificis opinione deſumptum; quia (vt ſæpè diximus) rationes, quibus mouentur Pontifices in ſuis definitionibus, non ſunt ſemper de Fide: id quod à fortiori habet locum in vno priuato Breui nihil definiente.

Fundamentũ illius ſententiæ refutatur.

Secundò argumentantur pro ea ſententia: Sacramentis debemus tribuere id quod ſignificant; ſed ſpecies vini ſignificant gratiam peculiari modo & peculiarem refectionem: eſt enim hoc Sacramentum per modum conuiuij, in quo & eſt refectio per cibum, & eſt alia diuerſa per potum.

Secundum aduerſæ ſententiæ argumentum.

11 Quòd ſi reſpondeas cum aliquibus, famem & ſitim animæ idem eſſe, & vnica extingui gratia; Contrà, Hoc non obſtante potuit Deus Sacramentum ita inſtituere, vt per vnam ſpeciem tribuerentur aliqui gradus gratiæ reſpondentes ſignificationi illius, & alij per aliam ſpeciem: ſi autem ita potuit inſtitui, videtur id de facto ita contigiſſe; ex ſignificatione enim diuerſa ipſarum ſpecierum id colligitur. Confirmatur à ſimili aliorum Sacramentorum; quæ licet eamdem in ſpecie gratiam cauſent, quia tamen ordinantur ad diuerſos fines, ſeu ad diuerſas gratias ſpirituales, actuales & diuerſas habent ſignificationes, diſtinctam etiam conferunt gratiam habitualem. Cùm ergo ſpecies panis dentur ad roborandam animam, ſpecies verò vini ad lætificandam, iuxta illud Eccleſiæ in Hymno Corporis Chriſti:

Confirmatur à ſimilitudine aliorum Sacramentorum.

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum;

& iuxta illud Pſalmi 103. *Panis cor hominis confirmat*; & ibid. *Vinum lætificat cor hominis*; videtur omnino dicendum, diſtinctam gratiam per eas ſpecie diuerſas concedendam.

Hoc eſt ferè vnicum horum Auctorum fundamentum, quod etſi ſua non careat probabilitate, nequaquam obligat ad deſerendam communẽ alioquin ſententiam. Pro eius ſolutione dico pati illud inſtantiam in Extrema Vnctione, vbi ſunt quaſi quinque partes integrales Sacramenti, quinque partiales materiæ cum ſua forma; id eſt, quinque vnctiones cum verbis illis repetitis, *Indulgeat tibi Deus*: & licet ſine vlla controuerſia diuerſus modus ſignificandi ſit in vna quàm in alia, quia in vna petitur remiſſio vnius peccati ſpecie diuerſi ab illo, cuius remiſſio petitur per alteram vnctionem, & conſequenter petuntur diuerſæ gratiæ Sacramẽtales; tamen neque ipſi Aduerſarij dicent ibi conferri diſtinctam gratiam habitualem per quamlibet actionem; ergo argumentum à diuerſa ſignificatione partiali & diuerſa materia ac forma nullum eſt.

Reſpondetur per inſtantiã in Extrema Vnctione.

Poteris reſpondere, Diſcrimen eſſe manifeſtum, quia quælibet vnctio non poteſt dare gratiam; at in Euchariſtia quælibet ſpecies ſola poteſt conferre gratiam. Contrà Primò, quia ego tantùm contendo non rectè inferri, Ex diuerſa gratiæ ſignificatione in particulari eiuſdem Sacramenti diuerſam dandam gratiam; quod erat aduerſæ ſententiæ antecedens, & impugnatur efficaciter exemplo allato. Contrà Secundò in Extrema Vnctione præter quinque vnctiones neceſſarias ad effectum gratiæ ſunt aliæ duæ; in renibus, quæ in fœminis ſemper omittuntur, & in viris, quando ſine vitæ periculo verti nequeunt, & alia in pedibus; quæ non eſt etiam ſimpliciter neceſſaria. Ecce iſtæ duæ vnctiones ſupponunt alias potentes per ſe dare gratiam, ſicut vſus calicis ſupponit ſpecies panis; item & ſignificant diuerſo modo, petuntque diuerſa auxilia; & tamen non cauſant diſtinctam gratiam habitualem: neque enim fœminæ omnes, aut grauiùs ægrotantes, ita vt verti nequeant, minorem accipiunt gratiam in Extrema Vnctione. Ergo ea ſolutio & differentia inter hæc duo Sacramenta nulla eſt. 12

Replica: Soluitur Primò, Secundò.

Adhuc poteris vrgere: Iſtæ duæ vltimæ vnctiones ſeorſim ſumptæ non poſſunt gratiam cauſare, calix verò poteſt; non ergo mirum, ſi calix nouam addat gratiam, non verò hæ vnctiones. Contrà Primò, quia eſt valdè probabile, quamlibet vnctionem ſeorſim ſumptam, etiam ex his vltimis, poſſe dare gratiam, caſu quo infirmus propter inſtantiam mortis non poſſit omnes accipere, & Sacerdos velit in vna ſola abſoluere Sacramentum; imò in morbo peſtifero non diſcurrendum per omnes ſenſus decreuit Archiepiſcopus Mechlinienſis, Decanus Louanienſis cum tota Vniuerſitate, vt refert Suarez Tom. 4. in 3. Part. diſp. 41. ſect. 2. Ecce ergo nulla iam eſt differẽtia à noſtro caſu. Contrà Secundò, nam licet detur ea maior efficacia in actu primo in ſpeciebus ſanguinis, non tamen probatur, quòd in actu ſecundo, quando ſumitur cum ſpecie panis, debeat nouam gratiam cauſare; nam duæ hoſtiæ conſecratæ habent in actu primo virtutem conferendi diſtinctas gratias habituales; & tamen ſi per modum vnius refectionis ſumantur vna poſt aliam, non conferunt diſtinctam gratiam; ergo ex eo quòd calix in actu primo eam virtutem habeat, & in hoc differat ab illis duabus vnctionibus, non inde infertur, In actu ſecundo, quando ſimul cum ſpeciebus panis ſumitur per modum vnius refectionis, daturum diuerſam gratiam. 13

Replica altera: Diſcutitur Primò, Secundò:

Exemplum de conuiuio patitur etiam inſtantiam in Extrema Vnctione, quia ſicut conuiuium ex cibo & potu, ita & ſanitas ex omnem membrorum ſanitate integratur; & tamen hîc non dantur diuerſæ gratiæ ſanantes, ergo neque ibi nutrientes. Ratio à priori, quam ſuprà inſinuauimus, quia ſicut omnia vulnera animæ vnica ſanantur gratia, ita fames & ſitis extinguitur eadem gratia qua robur eſt & lætitia animæ. Quòd autem per vinum clariùs ſignificetur lætitia; & per panem clariùs robur, probat diuerſas eſſe ſignificationes, non tamen diuerſas dare gratias, vt oſtendimus.

Ratio à priori aſſignatur.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

Satisfit replicis contra dicta.

14 *Prima replica ab abſurdo ſoluitur.*

REplicabis autem adhuc cum nonnullis aduerſæ ſententiæ Auctoribus: Species panis non ſolùm ſignificant diuerſiſſimè, ſed etiam ex parte rei ſignificatæ ſignificant quid diuerſum; alioquin ſanguini Chriſti non magis conueniret eſſe potum, quàm eſſe cibum; eodem planè modo, quo ſiue ſit ſub ſpeciebus vini albi ſiue rubri, ſemper eſt potus; hoc autem eſt abſurdum; ergo. Reſpondeo, Si vt ſonant verba horum Auctorum ea velimus accipere, continere doctrinam valdè abſurdam; nam certiſſimum eſt, gratiam ipſam habitualem, quam immediatè & per ſe ſignificant duæ ſpecies, eſſe omnino eiuſdem rationis, non aliter quàm duæ gratiæ ſignificatæ à duabus hoſtiis ſunt omnino eiuſdem rationis; ergo ex parte rei ſignificatæ non eſt vlla planè diuerſitas. Reſpondebunt fortè; Licet ex parte illius gratiæ habitualis non ſit vlla diuerſitas, eſſe tamen, quatenus illa ipſa gratia habitualis fundat ius ad diuerſas gratias actuales, aut ad diuerſa auxilia; hoc autem diuerſum ius fundare non poſſet, niſi aliqui gradus gratiæ eſſent dati per ſpecies vini, alij per ſpecies panis; ergo. Sed contrà in primis, quia hæc tota differentia eſt planè extra conſiderationem Patrum & Doctorum, quando loquuntur de ebrietate ſpiritus, & ſatietate quam hoc Sacramentum cauſat, loquuntur enim de ſatietate illa & ebrietate quæ formaliter per ipſam gratiam habitualem cauſatur, & quidem ſtatim cùm primùm ſumitur Sacramentum; illæ autem gratiæ, ſeu auxilia, quæ nec ſemper dantur, nec ſtatim, ſed quando deinde occurrunt occaſiones, in quibus homo indiget illis auxiliis, non venêre Patribus in conſiderationem; cùm ergo in ipſa gratia habituali nulla ſit diuerſitas, non poteſt quidquam de noua eius cauſalitate inferri ex eo capite, quòd ſanguis inebriet, panis verò ſatiet, &c. Pro qua re nobiliſſimum eſt teſtimonium Paſchaſij lib. de Corpore Chriſti cap. 14. (quem etiam citat Suarez ſuprà) vbi comparans Euchariſtiam cum Manna ait; *Si ergo in figura vnicum alimentum omnia præſtabat, quantò magis ipſum Chriſti corpus ſanguine plenum vnica ſpecie ſumptum omnia perficiet?* hæc Paſchaſius, quibus & noſtra ſententia confirmatur auctoritate huius Patris, qui quæſtionem in terminis mouit; & ſimul oſtenditur eos effectus, qui tribuuntur Euchariſtiæ, non eſſe alios quàm famem per gratiam ſatiare, & ſitim, quæ in ſpiritualibus idem eſt cum fame, extinguere per gratiam etiam eiuſdem rationis, & verò ſtatim de præſenti, vt faciebat Manna.

Senſus Doctorum & Sanctorum Patrum.

Paſchaſij teſtimonium à Suarez citatum.

15 *Secundò Aduerſariorum replica reiicitur.*

Secundò principaliter reiicio eam ſolutionem, & oſtendo argumentum aduerſum non eſſe vllo modo efficax; nam tota quanta ea diuerſitas gratiarum, quas hi requirunt, vt dicatur corpus & ſanguis Chriſti nos inebriare, famem extinguere (ſi tamen etiam ad hunc ipſum finem ſunt neceſſaria diuerſa auxilia; quod adhuc eſt ſub lite) nobiliſſimè ſaluatur ſine eo quòd calix det vllam gratiam habitualem nouam. Pro quo ſuppono, auxilia & gratias Sacramentales non dari immediatè ratione ipſius gratiæ habitualis datæ per Sacramenta, ſed ratione ipſius Sacramenti ritè & validè ſuſcepti. Ratio meo iudicio eſt manifeſta, quia ſicuti ipſa gratia habitualis datur immediatè propter merita aut orationes Chriſti, quæ in eis Sacramentis repetiuntur; (ſunt enim, vt ſuprà probauimus, ea Sacramenta actiones Chriſti, & habent inde ſuum valorem;) ita eodem modo gratiæ actuales ſeu auxilia dantur hominibus propter valorem ipſorum Sacramentorum rectè applicatorum. Vnde dico, Si homini, qui rectè communicauit, & gratiam habitualem auxit, Deus eam gratiam auferret deinde, adhuc illum recepturum ea auxilia ſuo tempore vi Sacramenti. Fateor quidem de facto (quod tamen multi meritò in dubium vertunt, & verò alij etiam negant) gratias actuales ſeu auxilia Sacramentalia non dari, niſi per Sacramentum ſit etiam data gratia habitualis; quia ſi hæc data non eſt, ſignum eſt Sacramentum fuiſſe indignè ſuſceptum, ac proinde hominem per illud nihil obtinuiſſe: ratio autem etiam tunc non eſt defectus gratiæ habitualis, ſed ipſa indigna ſuſceptio, quæ immediatè defraudauit hominem vtroque eo fructu, non autem mediatè vno, quia alterum non dedit.

16 Hæc doctrina meo iudicio valdè in ſe certa in hac materia claram reddit ſolutionem argumenti poſiti; nam licet calix non det gratiam habitualem in noſtro caſu, quia tamen non ideò eam non dedit, quòd fuerit inualidè aut indignè ſuſceptus; ſupponimus enim digniſſimè ſuſceptum; ſed quia cùm reputetur moraliter vnum Sacramentum cum ſpeciebus panis quæ præceſſerunt, & illæ iam cauſauerint gratiam habitualem, non poteſt illam denuò cauſare; quia vnum Sacramentum ad vnam gratiam habitualem ordinatur, profectò nequaquam inde impeditur, quò minùs gratias illas Sacramentales diuerſas, quas repræſentant illæ ſpecies, & ad quas ordinantur, poſſit cauſare perinde ac ſi ipſæ ſpecies ſanguinis vel ſolæ fuiſſent ſuſceptæ, vel primo loco ante ſpecies panis, & eo tempore ipſæ cauſaſſent gratiam; non eſt ergo cur ratione eorum auxiliorum ac gratiarum ſpecialium, in quibus hi volunt ponere animæ ebrietatem & ſatietatem, recurramus ad maiorem gratiam habitualem; ac proinde ex integro ceſſat totum fundamentum eorum Auctorum.

Dixi ſuprà, Fortè eas gratias diuerſas per binas ſpecies cauſari; quia reuerà omnino iudico nullam eſſe diuerſitatem: id quod dum oſtendo, oſtendo ſimul minorem oppoſitæ ſententiæ probabilitatem. Argumentor ergo ſic; Chriſtus Dominus inſtituens hoc Sacramentum optimè nouit non dandum ſub vtraque omnibus Fidelibus, ſed partem longè maiorem, qualem laïci conſtituunt reſpectu Sacerdotum, ſolùm ſub vna communicaturam; non eſt ergo credibile eum voluiſſe maiorem partem ſuæ Eccleſiæ defraudare eis auxiliis ſpecialibus, alioquin valdè vtilibus ad triſtitias ſpirituales depellendas, & ſolùm Sacerdotibus dediſſe remedia contra illas, cùm per ſe loquendo magis laïci eis vexentur quàm Sacerdotes.

Argumentum contra aduerſarios ab inſtitutione Chriſti.

17 Pro quo aduerte, Etiamſi idem Chriſtus inſtituerit Sacerdotium pro minori parte hominum, ac proinde viderentur fœminæ habituræ aliquam occaſionem conquerendi, quòd illis auxiliis, quæ per Sacramentum Ordinis conceduntur, eſſent carituræ; licet inquam hæc ita viderentur, re tamen benè perpenſa nullum inde non Sacerdotibus oriri detrimentum; quia neceſſitates, contra quas per

Digitized by Google

Sacramentum Ordinis auxilia conceduntur, ſunt ſolùm ipſis Sacerdotibus propriæ: inde non Sacerdotes ſi carent auxiliis, carent etiam occaſionibus, pro quibus neceſſaria illa ſunt, nullum ergo patiuntur detrimentum: idem dico de auxiliis, quæ per Sacramentum Matrimonij conceduntur, quibus carent qui non ſunt vxorati, at cùm etiam careant difficultatibus eis, contra quas dantur illa auxilia, nullius ſpecialis auxilij ad benè & ſanctè viuendum, quod per Sacramenta confeiatur, eſt vllus fidelis incapax præ reliquis. Aliter planè res contingeret in altaris Sacramento, ſi vera eſſet ſententia Vaſquez; nam neceſſitates, contra quas dantur auxilia per calicem Sacerdotibus, non ſunt propriæ illorum, ſed (vt dixi) omnibus omnino communes, imò in laïcis, in coniugibus, in plebe denique longè frequentiores quàm in Sacerdotibus, vt per ſe conſtat: ergo ſi ea auxilia non darentur per ſumptionem hoſtiæ, prouidiſſet quidem Chriſtus Sacerdotibus de lætitia ſpiritus, non autem reliquis, qui & numero incredibiliter ſunt plures, & magis indigent remediis pro illa, hoc autem planè videtur alienum ab ipſius Chriſti affectu erga totam Eccleſiam. Vbi rurſus pondero, dum Sancti Patres, & maximè Diuus Thomas in eo Hymno,

A ſimili in Matrimonio.

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum,

(quem locum contra nos hi obiiciunt) extollunt vim huius Sacramenti ad confortandum ſiue inebriandam animam, ac etiam lætificandam ſpiritualiter, non egiſſe cum ſolis Sacerdotibus, quaſi pro eis ſolis Euchariſtia hos effectus haberet, ſed vniuerſaliter eos locutos cum tota Eccleſia, & maximè cum plebe, quam in Concionibus tunc hortabantur, dum eos effectus deprædicarent; ſupponebant ergo eos omnes cauſari per ſolas ſpecies panis, quas tantùm licebat tunc plebi accipere, alioquin plebs reſpondere potuiſſet, Quid eam vim inebriandi ſpiritualiter nobis laudatis, ſi ſimul nobis calicem, in quo ſolo ea
18 vis reſidet, prohibetis? Hinc infero, Nullo prorſus modo deberet probari, diuerſam gratiam habitualem dari per calicem, eò quòd diuerſos effectus quaſi in ſpecie cauſet præ hoſtia, ſed potiùs citiùs debere concedi, dari augmentum gratiæ, auxilia tamen ad benè operandum fore eadem per vnam ſpeciem quæ per vtramque, ſaltem quoad ſpeciem; & fortè ſolo numero plura, quàm è contrario dicatur dari ea diuerſa auxilia, eamdem tamen gratiam habitualem per eas ſpecies: ratio meo iudicio ex dictis eſt clara, quia defectus in ſecunda gratia habituali poteſt compenſari per alia opera, per repetitionem Communionis frequentiorem: ac denique illa gratia maior habitualis non eſt tam neceſſaria quàm auxilia illa, quæ dicuntur alligata ſumptioni calicis: etenim gratia habitualis per ſe immediatè non concurrit ad bona opera aut ad fugam peccati, ſicut concurrunt auxilia, ergo quodammodò periculoſius eſt priuare laïcos omnes eis auxiliis, eſto idem gratiæ augmentum illis concedatur, quàm ſi è contrario eadem auxilia eis darentur per ſolam hoſtiæ ſumptionem, minùs tamen de ipſo augmento gratiæ habitualis, quam iam etiam oſtendi poſſe compenſari per alia opera.

Argumentum roboratur contra Aduerſarios.

Vrget autem hoc argumentum magis eos Auctores contrariæ ſententiæ, inter quos eſt Lugo, qui dicunt, Baptiſmum, Confirmationem cæteraque omnia Sacramenta (ſola excepta Euchariſtia) etiamſi in peccato & ſine fructu ſuſcipiantur, reuiuiſcere ablato obice; quia alioquin, inquiunt, ille homo eſſet priuatus in perpetuum eis auxiliis, ad quæ ſpecialiter ordinātur ea Sacramenta: in Euchariſtia verò negant eam reuiuiſcētiam, quia per Communionem ſecundam in gratia factam poſſum reparare illum defectum. Hæc ratio habet vim magnam in præſenti contra ipſos; ſi enim auxilia ſpecialia ad pellendas triſtitias animæ & ad extinguendam illius ſitim ſunt annexa ſpeciebus vini, profectò illis auxiliis in perpetuum erunt priuati laïci, & quidem ſine ſua culpa: id quod maius eſſet inconueniens, quàm quòd ille, qui in pecato ſuſcepit Ordines, priuetur deinde eis auxiliis: etenim hic priuatur ſua culpa; vnde ſibi imputet damnum hoc: at laïci ſine vlla culpa priuarentur: grauius ergo eſſet hoc inconueniens in noſtro caſu quàm in illo. 19

Quando dico, eos priuandos talibus auxiliis, non volo vlla prorſus ratione inſinuare, illa auxilia nunquam planè concedi ſine ſpeciebus calicis; ſuppono enim non eſſe ſimpliciter Sacramenta neceſſaria pro huiuſmodi auxiliis: quo ſenſu etiamſi non reuiuiſceret Baptiſmus cæteraque Sacramenta, adhuc poſſent obtineri ſimpliciter auxilia, quæ alioquin per illa dicimus concedi, loquor ergo de ea maiori facilitate, qua poſt Sacramenta conceduntur, de maiori item copia in qua dantur: vti enim Sacramenta fuêre inſtituta ad ea auxilia faciliùs & vberiùs conſequenda, ita inconueniens eſt hominem priuari ſemper ea facilitate & vbertate. Ob quam rationem hi Auctores, iuxta dicta, admittunt ea Sacramenta reuiuiſcere; ergo ob eamdem tenentur dicere, nequaquam laïcos eſſe in perpetuum & ſine vlla ſua culpa priuatos auxiliis ad lætitiam & ebrietatem ſpiritualem ordinatis, ideoque eadem dari per vnam ſpeciem quæ per aliam, ac proinde ceſſare ex integro totum fundamentum horum Auctorum ad diuerſam gratiam tribuendam vini ſpeciebus præ alteris.

Obiectio vltima ex S. Cypriano.

Dices vltimò; Non eſt credibile, Apoſtolos, quando poſt cœnam inuitati ſunt ad calicis potum, non accepiſſe fructum aliquem ex ea ſumptione: id quod confirmatur auctoritate Cypriani, vel illius cuius eſt Sermo de cœna Domini in libro de Operibus Cardinalibus Chriſti; dicitur enim ibi Chriſtum porrexiſſe poculum non tantùm vt exteriùs hoc ſanguine liniremur, ſed interiùs aſperſione omnipotenti anima muniretur, & effugaretur quidquid ibi eſſet durum, & ſanaretur quidquid mortali carni & ſpiritui corruptela veteris vitæ adlinierat. Reſpondeo interrogando, An magis incredibile in Apoſtolis id ſit quàm in nobis, an non? ſi non, ergo inde non adducitur vllum argumentum; quia profectò ab experientia apparet valdè id eſſe credibile, cùm (vt ſtatim dicam) omnes ferè Scholaſtici (tribus vel quatuor exceptis) id crediderint; & verò (vt etiam ſtatim oſtendam) Patres Concilij Moguntini dixerint, à nullo fidelium in dubium id verti poſſe. Quòd ſi magis ſit id incredibile in Apoſtolis, quia Chriſtus illis dedit gratiam modis extraordinariis, vt in aduentu Spiritus ſancti, &c. ergo argumentum inde ad nos nihil valebit, quia ex magis incredibili non licet reiicere id quod minùs eſt incredibile. Ad confirmationem ex eo Sermone

mone dico illum non eſſe magnæ auctoritatis, quia eſt incerti Auctoris, & ſuppoſititium. Secundò dico ea verba non poſſe intelligi vt ſonant; quia ibi dicit; Per hoc poculum ſanatur quidquid corpori eſt annexum ex priori corruptela. Certum autem eſt (vt oſtendemus infrà) in corpore nihil effici per Sacramentum hoc, quod ſi tamen aliquid efficeretur, id etiam efficerent ſpecies panis. Prætereà ibi inſinuatur culpam deleri per hoc poculum, at hæ iam ſupponebantur deletæ in Apoſtolis, ſi graues, ante Communionem etiam ſub ſpecie panis, ſi leues, quæ tempore Communionis erant, fuêre per ſpecies panis deletæ. Denique dico eum Patrem ſolam denotare ibi vim, quam poculum illud ex ſe habet; vtrùm autem eoſdem effectus etiam habeat corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, ac proinde, vtrùm non per accidens, ex eo quòd præcedat idem ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & per illum cauſentur illi effectus, impediatur poculum hîc & nunc quo minùs illos cauſet, nihil ibi dicit ille Auctor.

SECTIO IV.

20 *Vera & communis ſententia præfertur.*

CONTRARIAM ergo ſententiam docet Diuus Thomas quæſt. 80. art. 12. ad 3. & Opuſculo 58. cap. 29. quem omnes Thomiſtæ ſine vlla exceptione ſequuntur, Bellarminus lib. 4. cap. 23. Valentia quæſt 8. puncto 5. §. 6. Suarez ſuprà, Henriquez lib. 8. c. 44. vbi multos valdè pro ea ſententia citat, vt Bonauenturam, Richardum, Gabrielem, Caietanum, vtrumque Sotum, Richardum Roffenſem, Caſtrum, Canum, Claudium, Alanum, Eckium, Æneam Syluium, Paiuam, Abulenſem, Tiletanum, Heſelium, Toletum, Catharinum, Hoſium, Turrianum, Aialam, Palatium, & Clitouæum. Eandem tenet Tannerus ea quæſt. 7. dub. 30. & Coninck quæſt. 79. art. 1. dub. 2. vbi ait eam doceri his temporibus ab omnibus qui contra hæreticos ſcripſerint; imò multi eam putant eſſe de Fide poſt Tridentinum. Verùm de Concilio ſtatim dicemus. Eam ex Patribus tradidit expreſsè Paſchaſius ſuprà citatus; & inter reſpondendum argumentis oppoſitis oſtendi, videri eam ab aliis Patribus ſupponi, dum agentes de Communione laïca pro omnibus dicunt eſſe illius effectus eos ipſos, quos Euchariſtia cauſat ſecundùm vtramque ſpeciem, ſatiandi, extinguendi ſitim, &c. Eandem ſententiam tradidit Concilium Moguntinum ſub Sebaſtiano Can. 32. & licet illud nec generale ſit, nec à Pontifice approbatum, magnum tamen addit pondus noſtræ ſententiæ, maximè cùm Patres illi ibi dicant, à nullo fidelium ea de re dubitari poſſe. Vnde minimùm infertur, Eo tempore ita fuiſſe hunc ſenſum omnium, vt contraria ſententia nec vt probabilis tradita fuerit in Scholis; alioquin non fuiſſent auſi dicere, De eo puncto nullum fidelium dubitare poſſe, ab eo autem tempore nihil interuenit, quod contrariam ſententiam fecerit magis probabilem quàm anteà; & multò minùs aliquid acceſſit quo reddita ſit probabilior quàm noſtra; ergo. Quòd verò Vaſquez ait, Concilium ibi ſolum definiuiſſe, ſeu docuiſſe, Communionem ſub vna eſſe tam neceſſariam quàm ſub vtraque; hoc inquam mihi probari non poteſt vllo modo, quia non poteſt verè dici tam neceſſaria ad ſalutem Communio ſub vna quàm ſub vtraque; quia hoc ſupponit vtramque eſſe neceſſariam; non eſt autem neceſſaria Communio ſub vtraque, ergo. Deinde, quia cùm ea duo verba *vtile* & *neceſſarium* habeant omnino diuerſas ſignificationes, ſi nobis liceat Patribus, dum conantur opiniones Fidei clarè proponere, eam æquiuocationem tribuere, vt vna ſignificatio vſurpetur pro alia omnino diuerſa, nihil vnquam certi ex eis inferre poterimus; & quis dicet non occurriſſe Concilio, ſi id voluiſſet definire terminis his claris; *Non eſt neceſſaria ad ſalutem Communio ſub vtraque*; ſed ad illos improprios recurriſſe, & (vt in impugnatione iam dixi) abſolutè falſos, *Tam neceſſaria eſt Communio ſub vna quàm ſub vtraque*? Denique cùm illi Patres non ſolùm ibi dixerint *vtilem*, ſed addiderint *efficacem*; quod verbum haud dubiè denotat vim gratiæ productiuam; id quod nequaquam prouenit Euchariſtiæ præciſè, vt eſt neceſſaria neceſſitate præcepti ad ſalutem, iuxta ea quæ fuſiùs iam dicam, Tridentini teſtimonium pro nobis vrgendo; profectò locum ibi nullo modo habere poteſt ea Vaſquezij violenta explicatio. Tertiò, Tridentinum Seſſione 21. c. 3. ait, *Ac proptereà, quod ad fructum attinet, nullâ gratia ad ſalutem neceſſaria eos defraudari qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.* Patres Suarez & Coninck non videntur fidere huic loco propter particulam *ad ſalutem neceſſaria*, qua non videtur negari augmentum gratiæ, quandoquidem hoc non eſt ad ſalutem neceſſarium. Et hoc modo etiam reſpondent Aduerſarij, quorum aliqui putant ſuam ſententiam hinc potiùs iuuari, quia cùm Concilium addiderit eam limitationem, videtur è contrario dixiſſe, *Alia gratia defraudari eos qui ſub vna communicant.*

Vaſquez ſententia de Concilio refellitur.

Quid ſentiat Concilium Tridentinum.

21 Ego tamen omnino iudico valdè efficaciter noſtram ſententiam inde confirmari; & in primis quòd contra nos obiiciatur locus hic, mirum mihi videtur; nam eſto limitationem intenderit ibi Concilium, profectò id non fecit vt contrariam ſententiam definiret, ſed potiùs vt ab omni quæſtione abſtraheret definiendo quod certum eſt, tacendo quod incertum. Suppono ergo Primò contra Vaſquez & alios, non eſſe mentem Concilij hîc dicere, non ampliùs teneri fideles ex præcepto ad vſum calicis: id quod euidenter probo, quia hoc iam erat definitum in primo capite, vbi decretum eſt, nullum eſſe præceptum Diuinum de vtraque ſpecie. Secundo verò capite additur vlteriùs, iuſtas ob cauſas ab Eccleſia interdictum laïcis vſum calicis: id quod amplius aliquid eſt quàm non eſſe præceptum de illo; ergo poſteà in tertio capite; quando dicit *Nulla gratia neceſſaria priuari*, non vult Concilium dicere, non teneri fideles ad Communionem calicis. Confirmatur: Ipſum Concilium ſe explicat inquiens: *Ac proptereà, quod ad fructum attinet*; fructus autem non eſt vſus ipſe calicis, vel ablatio ipſa præcepti, ſed aliquid productum ab adimpletione præcepti: loquitur ergo de gratia ipſa data per Communionem, quæ ſola eſt fructus Communionis; nullus enim Communionem dicit fructum Communionis.

Mens Concilij contra Vaſquez expenditur.

Suppono Secundò, hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium neceſſitate medij, ſed præcepti; vnde infertur, Gratiam datam per hoc Sacramentum, etiam per ſolas ſpecies panis (qua gra-

Digitized by Google

tia dicit Concilium non defraudari laïcos) non eſſe neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem ; nam ſi quis inuincibiliter, vt contigit non rarò, à Parocho non Sacerdote, eſto reputato vt tali, Communionem ſuſciperet, certè nullam gratiam ex Euchariſtia acciperet ; & tamen ſatisfaceret præcepto : ratio à priori, quia quæ requiruntur ſolùm neceſſitate præcepti, poſſunt, & paſſim adimplentur ſine vllo fructu gratiæ : quod ſi in adimpletione illam conferunt, non ideò illa gratia tunc collata eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, ſed ſolùm ad maius augmentum gloriæ & ſalutis ; ergo Concilium, dum gratiam, quæ eſt fructus huius Sacramenti, vocat neceſſariam ad ſalutem, non loquitur de gratia neceſſaria ad hoc, vt homo ſimpliciter ſaluetur, ſed vt ſaluetur cum maiori gloria & maiori præmio, hoc videtur manifeſtè ex dictis inferri. Vltiriùs; Ab huiuſmodi gratia dicit Concilium non defraudari laïcum; ergo ſentit non ſolùm non defraudari prima gratia, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed nec augmento illius.

23 Explicatur ampliùs: Prima gratia non eſt per ſe effectus huius Sacramenti : (imò in ſententia Patris Vaſquez, Hurtadi & Lugo, qui in hoc puncto nobis contrarij ſunt, nunquam per hoc Sacramentum ea confertur :) atqui ſola prima gratia eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem eo modo quo hi Auctores loquuntur, ergo Concilium dicens non defraudari laïcum gratia, non loquitur de prima, quia hæc neque per ſpecies panis confertur, ſed de ſecunda, ſiue de illius augmento. Confirmo & explico: Euchariſtia non eſt aliter neceſſaria ad ſalutem, quàm ſit auditio Sacri die Feſto, aut reſtitutio rei ablatæ ; eſt enim (vt dixi) ſolùm neceſſaria neceſſitate præcepti; quo ſenſu etiam eſt neceſſaria auditio Sacri, &c. & (vt notaui) tam nunquam cauſat primam gratiam quàm auditio Sacri, in ſententia horum ; quis autem ideò vnquam propriè loquendo dixit, hominem audientem Sacrum die Dominico in peccato mortali non defraudari vlla gratia neceſſaria ad ſalutem ? quis item, vt hanc propoſitionem explicaret, addidit poſteà, *Idem eſſe omnino non defraudari gratia neceſſaria ad ſalutem ac impleuiſſe illud præceptum audiendi Sacrum* ? Certè hic modus loquendi alienus eſt ab omni proprietate verborum ; nam qui dicit, *Non defraudatur illa gratia*, dicit, *Accipit omnem gratiam ad ſalutem neceſſariam* : atqui audiens Sacrum die Feſto in peccato nullam omnino gratiam accipit, etiamſi iam ratione eius præcepti audiendi Sacrum nullum habeat impedimentum ſalutis ; ſatisfecit enim ei præcepto ; (ſine qua ſatisfactione in re vel in voto non poterat ſaluari;) certiſſimum autem eſt in ſententia Aduerſariorum non aliter ſumptionem Euchariſtiæ eſſe ad ſalutem neceſſariam ; iam enim oſtendi, dummodò homo bona fide communicet, eſto re ipſa vel Chriſtum non recipiat, quia Sacerdos fuit fictus, aut quia non habuit animum conſecrandi, aut quia materia non fuit valida, aut quia ipſe communicans exiſtens in peccato mortali, & bona fide putans ſe eſſe in gratia, acceſſit ad Communionem ſine vlla diſpoſitione, nec quidem cum attritione ; ideoque Chriſtum quidem ſuſcepit, nullum tamen effectum gratiæ; quo caſu in ordine ad non peccandum, ſeu ad adimplendum præceptum, ac proinde in ordine ad gratiam neceſſariam ad ſalutem (prout

Quomodo ſit neceſſaria Euchariſtia.

hi loquuntur) tam perfectè ſatisfecit, quàm qui accedens in gratia vt centum accepit alios etiam centum gradus gratiæ ; quia centum hi nullo modo ſunt neceſſarij ad ſalutem (vt hi loquuntur;) eſtne autem credibile Concilium de homine communicante in mortali, & nullam penitus gratiam habitualem ſuſcipiente, dictum fuiſſe, *Hic homo non eſt defraudatus vlla gratia ad ſalutem neceſſaria* ? Aliud ergo 24
noluit Concilium definire, quàm quòd ea Communio ſufficiat ad faciendum ſatis præcepto communicandi ; & nomine gratiæ cùm nec primam intellexerit, nec etiam remouens obicem primæ, quia iam oſtendi hunc obicem remotum iri, eſto non fuiſſet re ipſa panis ille conſecratus; quo caſu nulla eſt collata gratia; debuit ergo intelligere gratiam ipſam habitualem, ſiue primam, ſiue ſecundam; ac proinde dum ait nulla tali hominem priuari, negat priuari augmento illo.

Neque habet vllam difficultatem, quòd Concilium vocet eam gratiam neceſſariam ad ſalutem; id enim debet explicari non de neceſſitate vt ſimpliciter ſaluemur, iam enim anteà id definierat dicens, hominem communicantem ſub vna ſatisfacere præcepto; loquitur ergo de ſalute vt comprehendit tam primam gratiam, ſeu primam ſalutem & augmentum illius; ac ſi dixiſſet ; Nulla gratia, quæ operatur vitam æternam ſiue augmentum illius, priuabitur. Vti idem Concilium agens de operibus ſupernaturalibus, quæ tamen non poſſunt niſi augmentum gratiæ mereri, dixit per ea nos mereri ſalutem; vbi non intellexit niſi augmentum ſalutis; nam & illud augmentum eſt vita, eſt ſalus, &c.

Replica ex Concilio ſoluitur.

Vrgeo hoc ipſum: Nam Concilium vtitur ibi verbo illo *defraudari*, quo hæretici vtebantur obiicientes laïcos ab Eccleſia defraudari nō quidem prima gratia (nam ipſi hæretici fatentur dari aliquam gratiam per ſpecies panis) ſed augmento illius; ergo dum Concilium reſpondens hæreticis negat defraudari laïcos, planè loquitur de augmento gratiæ, de quo ſolùm eſſe poterat diſputatio.

Concilij verba expenduntur.

Tandem, quia id intulit Concilium, Ex eo quòd Chriſtus totus eſſet ſub qualibet ſpecie; ſi autem ſolùm loqueretur vel de prima gratia, vel de obligatione ad calicem, eſſet impertinens illatio; quia licet ſolum corpus eſſet ſub ſpecie panis, adhuc daretur nobis per has ſpecies aliqua gratia. & non teneremur ad vſum calicis. Hoc argumento torquentur Aduerſarij, reſpondentque, Hæreticos neceſſitatem calicis intuliſſe ex eo quòd dicerent Chriſtum non eſſe totum ſub qualibet ſpecie; debuit ergo Concilium contrarium antecedens ſumere vt illis reſponderet directè. Sed contra, quia vix vllus hæreticus errorem ſuum ex eo principio inferebat, ſed ex locis ſuprà à nobis allatis. Contrà Secundò, & fortiùs; quia hinc debuiſſet inferre Cōcilium; *Vnde quoad obligationem attinet, non tenetur quilibet ſub vtraque communicare* ; non autem hoc infert, ſed ſic; *Ac proptereà quoad fructum attinet nulla gratia eos priuari* : non ergo loquitur de obligatione, ſed de fructu adimpletionis præcepti ; quaſi diceret, Quia totus Chriſtus eſt ſub qualibet ſpecie non minùs quàm ſub vtraque, ſimul tantam gratiam quælibet confert quàm vtraque. Qui diſcurſus & clarus & efficax eſt.

Sed Replicabis; Ergo ſi in triduo mortis Chriſti fuiſſet facta conſecratio, quia tunc ſub 25
quali

Replica.

Digitized by Google

qualibet ſpecie non fuiſſet totus Chriſtus, maior data fuiſſet gratia per vtramque quàm per vnam ſolam ſpeciem. Reſpondeo: Ex fundamento Tridentini id videtur deduci. Certò autem nihil poſſumus determinare, quia fortè nihil Chriſtus decreuit de eo caſu; ſciebat enim tunc nullam futuram Communionem ſeu conſecrationem; imò non deſunt qui dicant nec Apoſtolos potuiſſe illud facere, etiamſi voluiſſent.

Soluitur.

Ratio ſententia noſtra ex dictis adducitur.

Ex his infertur ratio pro noſtra concluſione quia hæ duæ ſpecies & ſecundùm rem contentam ſunt idem, & ſunt inſtitutæ per modum vnius refectionis: ſunt autem diuerſæ ſpecies aſſumptæ propter clariorem ſignificationem paſſionis, ergo quando ſumuntur per modum vnius; non cauſant diuerſam gratiam, non ſecùs ac multæ hoſtiæ vel multæ vnctiones, iuxta ſuprà dicta. Cõfirmatur: Quando duæ partes conſtituunt vnicũ Sacramentum, non debemus cuilibet diuerſum gratiæ effectum tribuere ſine fundamento, ſi ſumantur per modum vnius Sacramenti, vt oſtendimus ſupra in vnctionibus & in pluribus hoſtiis ſimul ſumptis, ſed hîc nullum eſt fundamentum, vti ex dictis conſtat; ergo.

Obiectio à Sacramento Ordinis.

Dices: Ordo eſt vnum Sacramentum; & tamen tam diſtincta gratia confertur in Diaconatu quàm in Subdiaconatu; ergo. Reſpondeo facilè, Iſtos tres Ordines non dari per modum vnius, ſicut ſuſcipiuntur ſpecies panis & calicis; de quibus etiam fatemur, quòd ſi ſeorſim ſumerentur, diſtinctam cauſarent gratiam, non ſecùs ac duæ hoſtiæ in duobus Sacris ſumptæ.

26 Ea nunc poteſt in præſenti moueri quæſtio; Quandoquidem vnica tantùm datur gratia per duas illas ſpecies, quando illa datur? an cùm primùm ſumuntur ſpecies panis, an verò cùm ſpecies vini, an denique in eo caſu diuidatur effectus, qui alioquin foret dandus per vnam, & pars detur per ſpecies panis, pars verò per ſpecies vini? Sunt enim varij Auctores qui diuerſiſſimè in hoc puncto diſcurrunt. Meo tamen iudicio gratis quæritur nodus in ſcirpo; cùm enim oſtenderimus ſpecies panis ex ſe continere totum effectum, quem ſpecies vini, & per hoc, quòd ego recipere velim ſanguinem, nullum omnino impedimentum ponam, quò minùs illæ operentur quantum poſſunt, non video cur ſit tunc vel ex integro cum toto effectu expectandum ad ſumptionem calicis, vel cum parte illius. Addunt aliqui aliam rationem, quòd peioris eſſet conditionis ille qui ſumeret vtramque quàm qui vnã ſpeciem, cùm eo tempore intermedio priuaretur gratia & emolumentis quæ illa ſecum adfert. Ego tamen hoc non iudico abſurdum, quia illa dilatio vnius Pater noſter & Aue Maria, &c. quoad collationem augmenti gratiæ vix vllum adferre poteſt damnum; & fortaſſe poteſt eſſe vtilis, quia ſi ille homo interim augeret ſuam diſpoſitionem, reciperet maiorem gratiam, quàm ſi Sacramentum iam ex integro produxiſſet totum ſuum effectum. Poteſt tamen adhuc fortè hoc abſurdum ita vrgeri: Nam ſi contingeret eo caſu talem hominem mori ante ſumptionem calicis, fuiſſet peioris conditionis, quàm ſi non habuiſſet animum ſumendi vtramque ſpeciem. Video ahuc poſſe reſponderi, Deum, ſi eum hominem præuideat moriturum, dare illi totam gratiam per illam priorem Communionem. Verùm & hoc ipſum mihi videtur valdè improbabile: Cur enim debemus dicere, Deum in ea collatione gratiæ attendere, vtrùm moriturus ſit ille deinde, nécne, vt diuerſimodè conferat gratiam; quæ enim quæſo in ea diuerſitate vtilitas? Conſequenter ergo in omnibus caſibus loquendum eſt.

Quæſtio mouetur de ſumente duplicem ſpeciem. Quando gratiam acquirat.

Hoc tamen aduerte (quod & ſuprà ad aliud propoſitum inſinuatum eſt) ſi in ſumptione hoſtiæ homo ob defectum diſpoſitionis non reciperet gratiam, & ante ſpecies ſanguinis contereretur, vel attereretur (ſi attritio inuincibiliter reputata contritio ſufficit) recepturum tunc gratiam per ſpecies ſanguinis; quia tunc ceſſat ratio, ob quam negamus eas ſpecies illam cauſare, quia ſcilicet eam cauſatam inuenirent; tunc enim non inuenirent. Et de hoc puncto ſatis.

Animaduerſio de eo qui conteritur poſt ſumptam primam ſpeciem.

SECTIO V.

De aliis effectibus Euchariſtiæ tam in anima quàm in corpore.

PRÆTER gratiam habitualem, quam vniuerſaliter omnia Sacramenta cauſant, habet etiam quodlibet ſuas ſpeciales, & inter alia maximè excellit Euchariſtia, cui à Patribus & Theologis longè plures tribuuntur effectus quàm vlli alij; quod vt breuiter explicemus, aduertendum eos poſſe concipi vel in corpore ſuſcipientis, vel in anima, quia ſpecialiter huic Sacramento tribui videntur non ſolùm ſpirituales, ſed etiam corporales effectus. Primò ergo de ſpiritualibus agemus, & Secundò de corporalibus, breuiter tamen, quia res eſt facilis, & ferè certa. Vt ergo ab anima incipiamus, effectus hi non videntur poſſe eſſe niſi diuerſa auxilia ad varios actus ſupernaturales: nam habitus infuſos diuerſos admittere non poſſumus, cùm alibi non alios admiſerimus, niſi quos gratia habitualis per ſe exigit in omnibus iuſtis. Poſſet fortè aliquis dicere, eſſe etiam aliquos actus ſupernaturales infuſos à Deo. Verùm quia de facto non admittimus (imò multi negant id diuinitus fieri poſſe) actus vitales intellectus & voluntatis, qui non oriantur ab ipſa anima, non poſſumus eos actus admittere, niſi animam dicamus mediatè à Deo ad eos eleuari vel per auxilia propriè ad voluntatem pertinentia, vel per ſpecies aliquas intellectuales, quibus excitentur aliquæ cognitiones ſupernaturales, per quas voluntas ad benè operandum excitetur, imò in rigore omnia ad has cognitiones debent reduci, quia illæ ſunt quæ hominem mouent: homini autem moto non deeſt Deus per voluntatem generalem in ordine gratiæ connaturalem concurrendi ad omnes actus, ad quos ſe homo determinauerit, quia verò actus virtutum, qui fieri poſſunt, ſunt varij, ideò etiam hi effectus varij ſunt; omnes autem ferè deſumuntur ex ſimilitudine cum cibo materiali, quia quos effectus hic cibus cauſat in corpore, cauſat ſuo modo Euchariſtia in anima, vti docet Florentinum in decreto vnionis. 27

Effectus Euchariſtia in anima.

Primus ergo effectus cibi eſt delectatio & guſtus: hunc effectum paſſim concedunt Theologi Euchariſtiæ cum Diuo Thoma hac quæſt. 79. art. 1. ad 2. Pro quo ex Scriptura adducuntur aliqua teſtimonia, & Eccleſia ad hoc propoſitum applicat illa verba Geneſis 49. *Pinguis eſt panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Eſt autem difficultas in hoc effectu & ſequentibus, quòd non videatur eſſe infallibilis: id quod videtur eſſe contra 28

Effectus à ſimilitudine cum cibo corporali.

Digitized by Google

contra naturam Sacramentorum, quæ haberet infallibilitatem in ſuis effectibus. P. Suarez tangit hoc dubium ea diſp. 63. ſect. 9. aitque ad infallibilitatem hanc debere multa concurrere, quæ ſæpè non reperiuntur; ac proinde nulla experientia poſſe oſtendi, hos effectus non eſſe infallibiles: requiritur enim in primis, quòd in gratia & dignè ſuſcipiatur Sacramentum, ſecundùm quod eo tempore, quo hic effectus, ſeu deuotio excitanda eſt, nullus obex ponatur, ne homo per peccatum ſe indignum iam reddiderit. Ego quidem in ordine ad aliquos effectus, qui deinde ſucceſſu temporis concedendi eſſent, iudico bonam eſſe hanc rationem; at ex duplici capite in præſenti habet difficultatem: Primò, quia ea deuotio videtur pro ipſo tempore immediatè ſequenti Communionem concedenda; conſtat autem ipſa experientia multos, qui moraliter ſunt certiſſimi ſe eſſe in gratia, ac proinde dignè ſuſcepiſſe Sacramentum, nec poſuiſſe obicem peccati, non tamen percipere eam deuotionem. Secundò oritur difficultas in præſenti ex aliis effectibus maximè huic Sacramento attributis (vt ſtatim dicemus;) qualia ſunt auxilia ad vitanda peccata. Pro hoc enim effectu non poſſunt ipſa peccata eſſe impedimentum, quia ante ipſum peccatum fuit iam negatum illud auxilium; alioquin non fuiſſet re ipſa commiſſum

An illi effectus ſint infallibiles.

29 peccatum. Faciliùs ergo poſſet reſponderi vno ex his tribus modis; Primò, hos effectus Sacramentales non eſſe infallibiles, maximè qui ſunt in ordine ad præcauenda in futurum peccata; neque de ea re Concilium quidquam definiuit; & verò non videtur vllo modo expediens vt in huiuſmodi effectu ſit infallibilitas; nam cùm Deus perſeuerantiæ donum non annexuerit de facto certò & infallibiliter operi alicui aut actioni, non oportuit vt concederentur infallibiliter ea auxilia efficacia ad vitanda peccata, etiamſi dignè ſumptum eſſet hoc Sacramentum; dantur tamen ſæpè ob illud, vt ſic homo nec poſt Communionem quamlibet ſit ſecurus, nec certò putans per illam obtenturum ſe beneficium negligat ſalutis curam, ſed potiùs eam operetur medius inter ſpem & timorem. Deinde, quia ſi effectus hi, cùm ſint ſuo modo ſenſibiles, certò concederentur, poſſet homo iam inde colligere, certò ſe in gratia recepiſſe Sacramentum, & ſe adhuc in gratia durare: id quod noluit Deus homini in hac vita ordinariè concedere, quia neſcit homo, vtrùm odio aut amore dignus ſit. Et hæc ſecunda ratio probat vniuerſaliter de omnibus aliis effectibus; prima verò vnicè de auxiliis efficacibus ad vitanda peccata; probat inquam ea non dari infallibiliter, ac proinde hos ſecundos effectus Sacramentorum non eſſe infallibiles.

Auxilium ad vitanda peccata non eſt effectus infallibilis huius Sacramenti.

Secunda ſolutio eius difficultatis eſſe poteſt, quando dicimus dulcedinem ſpiritualem, perſeuerantiam & præſeruationem à peccatis, &c. eſſe effectus infallibiles Sacramentorum, non eſſe id ita intelligendum, vt Deus ſemper det auxilia efficacia pro his actibus; ac proinde quòd re ipſa illi actus ſequantur; nam paulò antè diximus, effectus Sacramentorum non eſſe ipſos actus bonos, ſed auxilia ad illos: dantur ergo infallibiliter per Sacramenta auxilia hæc ſpecialia, non tamen ſemper efficacia, eſto ſemper per ſe maiora; exceſſus autem in eo eſt, quòd per illa proponantur cæteris paribus obiecta virtutis, & fuga peccati, faciliora & ſuauiora; cum quo tamen ſtat, quòd poſteà homo pro ſua libertate non reſpondeat actu eis auxiliis. Suppono enim (vt doctrinam inter omnes Catholicos certiſſimam) multos homines reſiſtere re ipſa tentationi cum magna difficultate; alios verò etiam, vbi facilè poterant operari, cadere; & in eodem homine in diuerſis occaſionibus id ipſum eſt plus quàm certum; hoc autem ipſum, quod eſt reddi ſuauius & facilius, cæteris paribus, obiectum honeſtum, eſt beneficium Dei, quia frequentiùs inde homo peruenit ad conſenſum.

Quid ſi aliquos effectus eſſe infallibiles.

Tertiò poteſt reſponderi, Eſſe incertiſſimum 30
nobis, quo ſenſu, & pro quibus temporibus, ac ſub quibus conditionibus ſint promiſſi hi effectus Sacramentis, quia de ea re nihil eſt definitum, vnde conſequenter non poſſumus certò ſcire, vtrùm adueniente occaſione, qua alioquin Sacramentum infallibiliter cauſaret ſuum effectum, illum re ipſa non cauſet ex defectu alicuius conditionis prærequiſitæ. Non dico conditionem hanc eſſe carentiam peccati ob rationem quam adduxi contra ſolutionem Patris Suarez, ſed ob aliquem defectum alium pendentem ab ipſo homine; ad quem tamen vitandum Sacramentum non concedit auxilia efficacia, alioquin illud argumentum, quod ſupra feci, haberet hîc vim contra me: ergo ea requiſita pro illo effectu debebant ab homine poni non vi ipſius Sacramenti, ſed aliunde, quia verò homo illa omiſit, eſto fortè ſine peccato (ſicut ſæpè multa bona opera omittuntur ſine culpa, periculosè tamen, quia inde Deus auxilia vlteriora negat) conſequenter non ex defectu tenente ſe ex parte infallibilitatis Sacramenti non conceditur illi effectus; qui tamen, ſi omnia requiſita adeſſent, hîc & nunc infallibiliter eſſet concedendus, ſiue iam ille ſit opus virtutis, ſiue auxilium efficax ad vitandum infallibiliter peccatum. Iam enim pro hac tertia reſponſione ſuppono quòd ſit effectus huius Sacramenti ſub eis certis occaſionibus auxilium efficax, & quòd Sacramentum habeat infallibilitatem etiam in his effectibus.

Vnde dependeat infallibilitas effectuum.

Secundum dubium eſſe poteſt circa modum, 31
quo ea dulcedo cauſatur, ſeu in quo ea conſiſtat, cui reſpondeo facilè. Quoad modum, quo cauſatur, eam oriri excitatis cogitationibus tum de bonitate diuina, ob quas voluntas accenditur in ſuauem ipſius amorem, tum de beneficiis à Deo acceptis, ob quæ temerè etiam Deum ſuum vt ſibi beneficum amat cupitque viciſſim ei eſſe gratus, tum de magnitudine felicitatis, quam expectat, ac de mediis, quæ iam ipſi faciliora apparent, per quæ illam ſe conſecuturum viuaciùs iam ſperat, vnde ſingulari afficitur gaudio ſpirituali, quod & ſæpè in ipſum corpus redundat.

Dubium, in quo conſiſtat primus effectus Euchariſtiæ.

Dum cauſas, è quibus oriuntur hæ conſolationes, declaraui, explicaui ſimul in quo illæ conſiſtant, nempe in eo amore tenero, in ea fortiori ſpe ſalutis, &c. quæ omnia haud dubiè magnam ſecum conſolationem adferunt.

Secundus effectus (qui ex hoc primo oritur, & in quo etiam Euchariſtia cibo materiali aſſimilatur) eſt animam vegetare, confortare, vt pulſo omni languore & tepiditate viam virtutis percurrat, & veluti alter Elias ambulet in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei Horeb. Sub quo effectu multa comprehenduntur, quæ poſſent dici fortè noui effectus: Primus, quòd ipſa opera virtutis, quæ anteà cum languore & tepiditate exercebantur, iam alacriùs & feruentiùs

Secundus effectus Euchariſtiæ.

tiùs fiant. Secundus, non committere tot peccata venialia quot anteà. Tertius, opera virtutis frequentiùs exercere. Quartus, ipſa etiam mortalia vitare: difficiliùs enim animus alacer & fortis ſuperatur à diabolo quàm languidus & triſtis; hæc autem præſeruatio à mortalibus ſolet alio nomine dici conſeruatio in vita ſpirituali, quia quamdiu homo retinet gratiam, tamdiu vitam ſpiritualem conſeruat: vti ea frequentatio bonorum operum dici etiam ſolet augmentum & nutritio in vita ſpiritali: ob quas duas rationes hic cibus dici ſolet *Panis vitæ*. Vtrùm autem aliquando etiam amiſſam vitam, ſaltem per accidens, reſtituat, diximus ſuprà.

Tertius & quartus effectus eiuſdem Sacramenti.

32 Tertius principalis effectus, qui huic Sacramento tribuitur, eſt vnio quædam ſpiritualis cum Chriſto: vti cibus vnitur cum ſumente. Hæc tamen vnio ſeu hic effectus re ipſa non differt tum à gratia habituali, per quam homo vnitur cum Deo moraliter: tum ab actibus amoris, quibus homo Deo ſpecialiter adhæret; tum ab amore, quo & ſpecialiter à Deo redamatur.

Quartò Euchariſtiæ tribui ſolet etiam adeptio gloriæ: qui effectus ita intelligendus eſt, non quaſi ſine hoc Sacramento ea nequeat obtineri; ſed quia ſpecialiter hoc concurrit vt partialis cauſa; & quia proprium eſt cibi dare vitam; & quia eſt ſignum gloriæ: ſicut enim ibi Deus ſe communicat Beatis, ita hîc per hoc Sacramentum, licet occultatus.

Remiſſio pœna temporalis non eſt effectus.

Vtrùm autem remiſſio pœnæ temporalis ſit effectus huius Sacramenti dubium: communiter negatur, & benè, quia non conſtat de facta ei tali promiſſione; aliunde autem non poteſt deduci.

Effectus in corpore apud Vaſquez vnio moralis.

Circa corpus verò aduerte Primò, Patrem Vaſquez diſput. 204. latiſſimè agere, Vtrùm ab hac Sacramento proueniat realis vnio inter noſtram carnem & Chriſti; cumque videatur aliquid ibi ſingulare velle docere defendendo Cardinalem de Mendoza, Archieſpicopum Burgenſem, qui id docuerat, congeratque multa Sanctorum Patrum loca, tandem concludere, Chriſtum, quia realiter fuit in noſtro corpore, ſpecialiter illud amare: ratione cuius amoris & præſentiæ præteritæ poteſt dici vniri moraliter cum corpore noſtro, ſicut dictum eſt olim de coniugibus, *Et erunt duo in carne vna.* Verùm hoc nullus negauit; nec in hoc ſenſu vnquam fuit dubitatio: qui enim vnionem negant, negant phyſicam & realem, & meritò, quia in primis quando deſinit eſſe Chriſtus in nobis, iam non poteſt nobiſcum phyſicè vniri ob diſtantiam; quamdiu verò manet, licet ceſſet ea repugnantia, aliunde tamen id non poteſt concedi; & quia cùm ſit in ſe ſuppoſitum completum, non eſt capax vnionis cum noſtro corpore; & quia ex modo indiuiſibili, quo ibi exiſtit, noua oritur huius vnionis repugnantia. Deinde, quia eſto eſſet impoſſibilis talis vnio, cùm non ſit vllum fundamentum pro illa ponenda, non debet vllo modo admitti.

Gen 2.

Reſurrectio Ioannis 6. quomodo huic Sacramento tribuatur.

33 Alius effectus tribuitur Euchariſtiæ corporis reſurrectio; pro qua multa congeri poſſunt Patrum teſtimonia. Ex illis enim verbis Chriſti Domini Ioannis 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*, ſoliciti ſunt nonnulli, vt oſtendant eam reſurrectionem tribui propter hoc Sacramentum: id quod difficile videtur, cùm alioquin certum ſit omnes prædeſtinatos, qui olim fuêre ante hoc Sacramentum, cæteroſque, qui nunc ſunt, & caſu aliquo moriuntur ſine hoc Sacramento, imò damnatos etiam omnes reſurrecturos; ergo non poteſt facilè explicari, cur id tribuatur huic Sacramento, Quidam (vt Rupertus c. 5. Canticorum ad illa verba, *Comedi fauum cum melle meo*; cuius verba refert Lugo) videntur ad manducationem ſpiritualem Chriſti, quam omnibus iuſtis tribuunt, recurrere. Verùm hæc explicatio ad rem noſtram eſt inutilis, quia nunc agimus de vera & reali huius Sacramenti ſuſceptione, non de allegoria ratione Fidei in illius inſtitutorem Chriſtum; quo ſenſu etiam reliqua Sacramenta dici poſſunt cauſare gloriam corporis, quandoquidem Fides ſaltem implicita in Chriſtum, qui eſt Auctor illorum, neceſſaria fuit ad ſalutem; & per eam Fidem dicere poſſumus quaſi ſpiritualiter fructum eorum Sacramentorum receptum eſſe. Ea ergo explicatione reiecta, Secundò alij dicunt, in tantum tribui huic Sacramento eum effectum, in quantum gloriæ adeptio eidem tribuitur. quia per modum cibi nutrientis & conſeruantis vitam iuuat ad perſeuerantiam. Secundò in quantum ratione coniunctionis carnis ipſius Chriſti cum carne noſtra ſpecialiter debetur nobis reſurrectio; ſicuti debetur hæc corpori Chriſti.

Explicatio Ruperti reijcitur.

Alia explicatio Suarez.

34 Quòd ſi obiicias, Hæc tantùm eſſe verba aut titulos ſine re; nihil enim habet homo amplius ex hoc Sacramento in ordine ad reſurrectionem corporis, quàm haberet, ſi illud non ſumpſiſſet; Reſpondet Pater Suarez, Id quidem ita eſſe quoad rem datam, quoad titulos verò eſſe diuerſitatem; Cardinalis Lugo putat debere aliquid etiam de re ipſa admitti, alioquin ea prærogatiua parum aut nihil iuuaret in ordine ad alliciendos homines ad huius Sacramenti ſuſceptionem; quia ſi ex parte rei donatæ non ſit aliqua diuerſitas, parum aut nihil illi curant titulorum diuerſitatem: ideò ipſe ait, Quatenus hoc Sacramentum iuuat ad augendam gratiam, iuuare ad maiorem gloriam ipſius corporis; Secundò, quatenus obtinet ſpecialia auxilia pro perſeuerantia in gloria etiam iuuare ad reſurrectionem corporis vt glorioſam.

Alia Cardinalis Lugo.

Ego dico, In hoc puncto non poſſe eſſe de re vllam difficultatem: etenim hæc vtilitas non negatur à Suario neque ab vllo alio. Deinde, ſi res benè conſideretur, non eſt hæc diuerſa vtilitas ab ea quæ erat circa animam. Nam augmentum gratiæ per ſe habet annexam maiorem gloriam corporis; ac proinde in hoc ſenſu & cōnia opera bona, & omnia Sacramenta iuuant ad maiorem gloriam ipſius corporis; nec Euchariſtiæ per hoc tribuitur vllus alius fructus quàm augmentum gratiæ, quem ſine dubio illi Auctores non negant. Secundus item effectus de ſpecialibus auxiliis pro obtinenda perſeuerantia conceditur illi ab omnibus, præter hunc autem nullus nouus titulus eſt circa corpus, quia quòd ſi anima ſemel ſaluatur, ſaluandum etiam ſit corpus, atque ad gloriam ſuo modo ſibi reſpondentem ſit reſurrecturum, nemo dubitat.

Tota difficultas explicatur.

Denique tribuitur huic Sacramento circa corpus moderatio fomitis peccati, non quia hunc effectum phyſicè ex virtute ſua naturali cauſet, ſed quia Deus intuitu illius ſæpè magna ex parte impedit excitationem eorum motuum inordinatorum, ſiue id faciat impedien- 35

Effectus alius in corpore, moderatio fomitis peccati.

do

do excitationes cogitationum de obiectis inhoneſtis, ſiue è contrario fortiores & vehementiores cauſando de obiectis honeſtis;ſiue quia humorum ipſorum naturalium impetus reprimit: id quod facere ſine miraculo poteſt Deus ſuauiter inducendo hominem ad abſtinendum à cibis,qui poſſunt eos motus augere, & è contrario ad illos qui minuunt inducendo, ſiue denique hominem ab occaſionibus, in quibus augendi erant, remouendo. Pro hoc autem effectu inducunt aliqui è contrario locum Pauli contra eos qui corpus Chriſti ſumunt indignè: *Propter quod multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Verum cùm Paulus ibi agat de animæ infirmitatibus, non video quomodo ad paſſionum naturalium excitationem debeamus id transferre;nec ſcio quo fundamento dicere poſſimus, eos, qui in peccato communicant, reddi corpore infirmos, vt inde è contrario poſſimus colligere, eos, qui indignè non communicant, eſſe corpore ſaniores, maximè cùm valdè iuuare ſæpè ſoleat ad paſſionum inordinatarum compreſſionem corporis imbecillitas. Adduci etiam pro eo effectu ſolet, quòd Extrema Vnctio operetur ſæpè ſanitatem corporis. Verùm neque inde quidquam infertur, quia in Extrema Vnctione conſtat id clarè ex Iacobi Apoſtoli Epiſt.cap.5. *Et oratio fidei ſaluabit infirmum, alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* At de Euchariſtia nihil circa ſanitatem corporis conſtat: etiam dixi, eam ſanitatem non eſſe per ſe ad paſſionum compreſſionem vtilem. Et de his effectibus Euchariſtiæ ſatis.

1.Cor.11.

DISPVTATIO QVADRAGESIMATERTIA.

De ſubiecto capaci huius Sacramenti.

1 EXPLICATIS his quæ ad Euchariſtiam ipſam directè pertinent, iam nunc agendum de his quæ ex parte ſuſcipientium requiruntur. In quo puncto variæ ſunt quæſtiones tam quoad requiſita in corpore quàm animo, quæ per ſequentes diſputationes declaranda erunt;ſunt quidem illa ferè omnia moralia quàm ſpeculatiua; non tamen ideò omittenda, etſi breuiùs expedienda. In hac autem diſputatione de ſubiecto capaci illius diſcutiemus, in reliquis de aliis diſpoſitionibus.

SECTIO I.

An Cathecumeni & infantes ſint capaces huius Sacramenti.

Status quæſtionis. NON loquor de ſumptione ſeu Communione ſpirituali,quia ſuprà ad aliud propoſitum oſtendi,nullam gratiam ex opere operato per illam concedi; nam illa non eſt Sacramentum, ſed deſiderium illius; ideóque ſolùm habet ille actus meritum, quod reſpondet alioquin ipſi actui, vti in deſiderio Baptiſmi, Confirmationis, &c. accepto autem Sacramento in hoc ſenſu, non eſt dubium quin omnes ſint illius capaces; ſiue baptizati ſint, ſiue non; eſt ergo difficultas ſola de actuali Sacramenti ſuſceptione; circa quam quærimus Primò, An Catechumeni ſint illius capaces. Reſpondeo, Po-

2 *Concluſio de Catechumenis.* tuiſſe optimè Chriſtum, ſi voluiſſet, etiam Catechumenos facere capaces, potuiſſe etiam non facere;vnde difficultas hæc non poteſt aliter decidi quàm ex auctoritate; per illam enim intelligimus quid Chriſtus re ipſa voluerit. Certum autem eſt totam Eccleſiam eſſe in ea opinione, quòd ſoli baptizati ſint capaces huius Sacramenti. Id quod confirmo ex S.Auguſtino Tractatu 11.in Ioannem poſt initium; vbi expreſſit eleganter ſub Nicodemi perſona Catechumenos his verbis: *Ipſis ergo ſe credidit Ieſus qui nati fuerunt denuò: ecce illi crediderant in eum, & Ieſus non ſe credebat eis: tales ſunt omnes Catechumeni; ipſi iam credunt in nomine Chriſti, ſed Ieſus non ſe credit eis. Si dixerimus Cathecumeno, Credis in Chriſtum? reſpondet Credo, & ſignat ſe Cruce Chriſti; portat in fronte, & non erubeſcit de Cruce Domini ſui: ecce credit in nomine eius, interrogemus eum, Manducas carnem Filij hominis, & bibis ſanguinem Filij hominis? neſcit quid dicimus, quia Ieſus non ſe credidit ei.* Vides Auguſtinum ſupponentem tamquam rem omnino certam, Chriſtum non voluiſſe vt Catechumeni hoc Sacramentum ſuſciperent. Ratio communis ſolet eſſe,quæ tamen etiam in Chriſti inſtitutionem reducenda eſt;quòd Baptiſmus ſit ianua ad Eccleſiam, & ad omnia alia Eccleſiæ Sacramenta. Vnde Marſilius, qui in 4. diſt.96. art.2. dicit, In caſu neceſſitatis Catechumenum poſſe hoc Sacramentum fructuosè ſuſcipere, audiendus non eſt. *Marſilij ſententia explo ditur.*

Obiici poteſt Innocentius III.cap.*Veniens*,de Presbytero non baptizato: vbi pro argumento ad aliud intentum adducit, quòd Catechumenus ſit capax Euchariſtiæ. Reſpondeo, Innocentium ibi non loqui nomine proprio,ſed adducere quid varij auctores in hoc puncto dixerint,ipſe tamen concludens, ordinatum Sacerdotem ſine Baptiſmo debere baptizari & ordinari, videtur omnino approbare principium quod anteà ſuppoſuerat in eodem capite; quòd Baptiſmus ſit ianua ad omnia Sacramenta. 3 *Obiectio ex teſtimonio Innocentij Tertij.*

Dices Secundò: Matrimonium poteſt contrahi à non baptizatis. Reſpondeo, Vt eſt actus ciuilis,concedo;vt eſt Sacramentum,nego:de quo alibi.

Secunda difficultas eſt, Vtrùm infantes baptizati ſint capaces Euchariſtiæ. Supponimus illam non eſſe neceſſariam paruulis, vt definitum eſt in Tridentino Seſſ.21.cap.4. Ratio autem eſt facilis,quia paruuli per Baptiſmum verè ſunt iuſtificati;ergo ſi moriantur, ibunt ad cælum:aliunde non ſunt ipſi capaces vllius præcepti, quo obligentur ad ſuſcipiendam Euchariſtiam:neque parentes obligantur pro illis;& licet hi obligarentur, & proptereà peccarent, non curando vt illi communicarent; non tamen ideò infantes à ſua gratia baptiſmali caderent; ergo de hoc puncto non eſt vlla difficultas. *Concluſio de infantibus baptizatis.*

Circa vtilitatem ergo etſi aliqui apud Vaſquez diſp.212. cap. 2. & apud Suarez diſp.62. ſect.4. 4

Digitized by Google

Infantes & amentes ſunt capaces fructus huius Sacramenti. ſect. 4. dixerint, illis nihil poſſe prodeſſe; communis tamen ſententia Doctorum, vt videre eſt apud eoſdem, & apud Tannerum quæſt. 8. dub. 1. docet, infantes & amentes eſſe capaces fructus huius Sacramenti. Fundamentum autem eius reſolutionis, cùm res à ſola Chriſti voluntate pendeat, optimè deſumitur tum ex maiori Scholaſticorum conſenſu, per quem quodammodò de voluntate Chriſti nobis conſtat, tum maximè ex communi vſu antiquo Eccleſiæ dantis hoc Sacramentum infantibus. Pro quo vſu à Sanctiſſimis Patribus ſeruato probabilem cauſam fuiſſe ipſum Tridentinum Seſſione 24. cap. 4. docet. Vnde breuiter reiicientur, qui dicunt eam conſuetudinem ortam in eis Patribus ex errore, eò quòd putauerint neceſſariam eſſe ad ſalutem paruulis Euchariſtiam: etenim error in Fide licet inuincibilis fuerit, dici non poteſt probabilis cauſa, maximè cùm Tridentinum dicat, Illos id nulla neceſſitate feciſſe; hoc eſt, Non id feciſſe eò quòd putauerint eſſe infantibus Euchariſtiam neceſſariam. Denique tot ſanctiſſimis viris non poteſt ſine temeritate hæreſis nota, eſto inuincibilis, inuri, maximè Dionyſio, qui ab ipſis Apoſtolis inſtructus fuit; hic autem eam conſuetudinem vt optimam ſupponit, licet agnoſcat à Gentilibus eam irrideri: ita lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. cuius verba Suarez ſuprà refert. Nec te moueat, quòd ibi videatur Dionyſius inſinuare, ideò Pontificem tradere puero ſancta myſteria, vt nutriatur, & aliam vitam non habeat quàm hanc; quo videtur innuere, ſine Euchariſtia eum eſſe mortuum, ac proinde Euchariſtiam eſſe neceſſariam etiam pueris: etenim eo ipſo quòd ibi dicit puerum nutriri, iam ſupponit illum in gratia, ac proinde non eſſe illi hunc cibum ſimpliciter neceſſarium, ſed ob augmentum gratiæ ei dari; & vt inde per gratiam & auxilia huius Sacramenti totus in Chriſtum conformetur. Multa alia pro ea conſuetudine teſtimonia tam Latinorum quàm Græcorum Patrum congerunt Auctores, Suarez, Vaſquez, Lugo, & alij, quæ nobis repetenda non ſunt, quia de conſuetudine illa dubitari non poteſt.

5 *Probatur à pari de Confirmatione.* Probatur ergo Secundò eadem communis ſententia, quia etiam Sacramentum Confirmationis poſſunt infantes fructuoſè ſuſcipere; non eſt autem maior ratio requirendi voluntatem propriam pro Euchariſtia quàm pro Confirmatione, maximè cùm Euchariſtia ſit per modum cibi; qui etiam prodeſt ſine voluntate propria ſumptus. Hæc concluſio ita intelligenda eſt, vt non ſolùm eo tempore, quo illa conſuetudo vigebat, cauſauerit gratiam infantibus, ſed etiam nunc, quando eſt prohibitum eam infantibus dare; nam licet Sacerdos dans iam peccet, infans tamen gratiam accipiet: quæ extenſio concluſionis eſt contra aliquos, qui & vt antiquam conſuetudinem & vt præſentem ſaluarent, dixerunt, olim Euchariſtiam fuiſſe infantibus vtilem, nunc verò non; cuius limitationis illud fortaſſe poteſt eſſe fundamentum, quòd ad cauſandam gratiam requiratur voluntaria ſuſceptio huius Sacramenti; voluntaria inquam vel in eo ſuſcipiente vel in Eccleſia; ergo quando Eccleſia prohibet eam Communionem, cùm ceſſet omne voluntarium, non cauſabitur gratia. Verùm hæc limitatio tota quanta eſt ſine fundamento; quia Eccleſia non poteſt facere inutilia aut vtilia Sacramenta in ſubiecto capaci; illa autem ratio voluntatij omnino gratis ac ſine vlla ratione requiritur; vt patet in ipſo Baptiſmo, qui ſi confertur infanti etiam contra voluntatem Eccleſiæ, cauſat in illo gratiam: & hoc ipſum eſt in Confirmatione; imò & in omnibus aliis Sacramentis habet hæc doctrina locum, quæ non requirunt tamquam partem eſſentialem actus ſuſcipientis, excepta Pœnitentia & Matrimonio, quia illa ſupponunt peccata propria, Matrimonium verò requirit contractum, excipitur etiam Extrema Vnctio, quæ cùm ſupponat etiam peccata actualia, non poteſt infantibus concedi validè, debet ergo concluſio vniuerſaliter accipi vt iacet.

6 *Obiectio ex S. Paulo.* Aduerſus illam obiicitur Paulus petens vt homo ſe probet ante hoc Sacramentum, atqui ante vſum rationis non poteſt eſſe ea probatio, ergo. Reſpondeo, Paulum non requirere eam probationem propter ipſam, ſed ne in peccato ſuſcipiatur tantum Sacramentum, ergo vbi nullum eſt peccati periculum, vt in infantibus baptizatis, non eſt cur probatio requiratur.

Obiectio altera à ſimilitudine de cibo. Secundò obiiciunt, cibum dari ad reſtaurandum id quod vi caloris conſumitur, ergo infantes, in quibus nihil eſt conſumptum, non erunt capaces huius Sacramenti. Reſpondeo, Cibum materialem etiam dari ad augmentum, vt in infantibus, cùm ergo in ætate gratiæ non ſit terminus, poterit quoad hoc etiam dari eiſdem infantibus Euchariſtia.

Obiectio à pari de adultis. Tertiò difficiliùs, quia ſi infans ſine actu vllo & omnino inuoluntariè ſumens hoc Sacramentum accipit gratiam, ergo etiam eamdem accipiet adultus iuſtus, qui nihil de Euchariſtia tunc cogitans ſuſcipit hoſtiam conſecratam, putans ſe aliquid aliud ſuſcipere: vnde vlteriùs fieret, ſi puer ante vſum rationis ſumeret hoſtiam conſecratam, nihil de Euchariſtia ſciens, eum etiam accepturum gratiam: id quod valdè videtur durum. De hac obiectione ego egi ſuprà fuſe, dum de Sacramentis in communi, & de intentione neceſſaria ex parte ſuſcipientium Sacramentum, dixique probabile eſſe, eum iuſtum ſic ſuſcipientem Euchariſtiam ſuſcepturum gratiam: qua ſolutione data ceſſat tota difficultas. *Diſparitatis ratio.* Secundò dixi negandam eſſe conſequentiam, diſparitatem verò ſolùm deſumendam ex Chriſti voluntate, de qua nobis conſtat præciſè ex communi conſenſu Theologorum docentium, eis, qui nunquam habuerunt vſum rationis, conferri gratiam independenter ab eorum conſenſu, ſecùs verò in eis, qui illum aliquando habuerunt, & eis qui accipiunt hoc Sacramentum purè purè vt cibum temporalem.

7 *Dubium de prohibitione, ne infantibus detur Euchariſtia.* Rogabis, An ſit prohibitum infantibus Euchariſtiam miniſtrari. Reſpondeo cum D. Thoma quæſt. 80. art. 9. affirmatiuè: in quam ſententiam omnes ferè Theologi conſentiunt, Pater Tannerus quæſt. 8. dub. 10. ait id colligi ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de pœnitentia & remiſſione: ibi autem nec verbum de ea prohibitione dicitur, ſed ſolùm quòd qui iam venerunt ad annos diſcretionis, teneantur confiteri & communicare ſemel in anno, adducit etiam Canonem, *Qui recedunt*. 26. 96. ibi tamen multò minùs de ea re quidquam inſinuatur, eodem modo nihil colligitur ex Concilio Carthaginenſi IV. cap. 76. quia ibi ſolùm dicitur, vt detur phreneticis, qui illam antè petierant: vnde nihil de poſitiua prohibitione in contrarium. Tota ergo huius prohibitionis ratio reducenda videtur

Digitized by Google

videtur in conſuetudinem longam ab Eccleſia approbatam, quam Rituale Pauli V. Parochis tradit: & probabiliter facta eſt ea prohibitio, dum laïcis vſus calicis eſt prohibitus; putant enim aliqui, infantibus non datam Euchariſtiam niſi in ſpeciebus vini, ob inconuenientia quæ poterant interuenire in deglutienda hoſtia: ſicuti ergo laïcis ob huius Sacramenti reuerentiam eſt vſus calicis præcepto Eccleſiæ prohibitus; ita à fortiori reſpectu paruulorum, etiamſi non extet textus, in quo de tali præcepto conſtet.

SECTIO II.

Quid de amentibus poſt vſum rationis?

8 QVÆRIMVS, Vtrùm amentes, qui poſt Baptiſmum habuerunt vſum rationis, ſint capaces huius Sacramenti; hoc eſt, Vtrùm licitè eis poſſit dari. *Communis ſententia.* Communis ſententia docet, eis in articulo mortis dandum, niſi conſtaret eos fuiſſe in peccato mortali, dum in amentiam incidère, & non habuiſſe vllum dolorem aut attritionem de illo: *Argumentũ Suarez.* qua de re vide Suarium diſp. 69. ſect. 2. vbi bene rem hanc explicat, oſtendens, ideò ſpecialiter adminiſtrari debere hoc Sacramentum his amentibus; quia illi fuère obligati verè aliquando ad receptionem huius Sacramenti: quod præceptum nunquam obligauit eos qui perpetuò fuère amentes; ergo obligationi, cui per ſe non poterunt ſatisfacere, debet Eccleſia, dando illis in articulo mortis Euchariſtiam, loco illorum ſatisfacere. *Vim habet congruentiæ.* Quæ quidem ratio probabilis tantùm eſt: nam ſi rigoroſè loquendum ſit, non videntur magis illi vnquam fuiſſe obligati ad Euchariſtiam, quàm qui perpetuò ſunt amentes: etenim quòd aliquando habuerint vſum rationis, ſi pro eo tempore non erat præceptum Communionis, non magis obligauit quàm perpetuò amentes; quia tunc ſolùm erat præceptum obligans, ſi ſuo tempore habetent vſum rationis, hoc autem modo etiam exiſtebat præceptum reſpectu perpetuò amentium: quòd autem illi fortè tunc temporis nouerint illud præceptum, per accidens eſt ad eam obligationem quandoquidem non erat pro eo tempore, eſt ergo ea ratio P. Suarij aliqua congruentia, non verò ſolidum fundamentum. *Secũda eiuſdem congruentia:* Secundam addit, quòd poteſt dari caſus, in quo ea Communio ſit illis neceſſaria ad ſalutem, ſi ſcilicet habeant peccatum mortale, & erant ſolùm de illo attriti, nec poterat eis adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ, aut Extremæ Vnctionis, ſic verò Euchariſtia à Diacono. *Non conuincit.* Ego tamen nequaquam iudico Eccleſiam permotam eſſe hoc fundamento ad mandandum dari tunc Euchariſtiam, quia Eccleſia non videtur ſupponere eam vim remittendi mortale in hoc Sacramento, eſto id relinquat diſputandum Scholaſticis, & probabilius ſit eam dari, vt ſuprà oſtendimus: quodcumque autem fuerit motiuum, certum eſt eſſe eam obligationem, cauendum tamen eſt in praxi, ne ſit aliquod periculum vomitus aut alterius irreuerentiæ, dum talibus eo articulo mortis datur hoc Sacramentum.

9 *Quid ſit dicendum de amentibus caſu ſumentibus Euchariſtiam.* Quæres, Quid ſi einſmodi amentes incidant caſu in Euchariſtiam, & eam accipiant, dabiturne illis effectus gratiæ? Negant communiter, quia illi ante amentiam non habuerunt voluntatem accipiendi Euchariſtiam, niſi eo modo quo hominibus datur; non autem quando per modum alterius ordinarij cibi vſurpatur: *Cardin. Lugo ſententia proponitur.* Cardinalis tamen Lugo diſp. 13. ſect. 3. putat, ſi talis ante amentiam habuit voluntatem ſuſcipiendi fructum Euchariſtiæ, etiamſi deinde eam ſuſcipiat, caſualiter recepturum effectum Sacramenti; quia ſufficit, quòd ſit volita ea receptio, eſto non ſit voluntaria.

Quòd ſi obiicias, Huic in tali caſu non eſſe volitam abſolutè ſuſceptionem Sacramenti; ſed caſu quo eam ſuſciperet, volitum eſſe effectum illum, hoc autem non eſſe neceſſarium, nec ſufficere ad Sacramenti voluntariam ſuſceptionem, quòd non requiratur, patet, quia dummodò quis validè ſuſcipiat Sacramentum, quidquid de effectu intendat, niſi per eam intentionem indignum ſe reddat eo effectu, illum accipiet. Quòd verò ea intentio effectus non ſufficiat, patet; nam poteſt habere quis voluntatem, vt caſu quo Sacramentum applicetur, cauſet effectum, & tamen non habere animum vllo modo illud abſolutè recipiendi. Si inquam hoc obiicias, reſpondebit, Etiam in eo caſu intercedere voluntatem reſpectu ipſius Sacramenti non quidem antecedentem, ſed conſequentem, quam ita explicat, vt homo velit, caſu quo illud verè applicetur, conſentire in illud, ſic infirmus non habet deſiderium abſolutum recipiendi præſente Parocho & eo inuito Extremam Vnctionem ab alio Sacerdote, hoc enim deſiderium eſſet peccatum, & tamen habet deſiderium, caſu quo ille Sacerdos ſibi conferat Extremam Vnctionem, eam acceptandi.

Contra hunc diſcurſum duplex mihi occurrit difficultas. 10 *Duplex contra propoſitã ſententiam difficultas Prima:* Prima, quia hoc ipſo videtur retractari tota doctrina anteà ab hoc eodem Auctore tradita, quòd ſcilicet ſi homo adultus caſu ſumat hoſtiam conſecratam, putans eſſe ordinariam, non recipiat gratiam: etenim etiam iſte videtur habere voluntatem illam conſequentem. Quis enim inter iuſtos non habet hanc præparationem animi, vt optet produci in ſe gratiam habitualem, ſi ſuſcipiat caſu rem illius cauſatiuam, qualis eſt hoſtia conſecrata? Quis enim ſine vlla alia vtilitate velit defraudari ingenti eo fructu ſibi ſine vlla moleſtia proueniente? Videtur hanc obiectionem tetigiſſe hic Auctor, cui reſpondet ex Patre Ioanne de Salas in manuſcriptis, eodem modo adultum recepturum eum effectum gratiæ ſicut amentem, ſi habuit etiam ſimilem voluntatem. Ego autem dico, Eſto adultus non habuerit expreſsè talem voluntatem, ſufficere implicitam: vti ad valorem Extremæ Vnctionis non requiritur præcisè expreſſa illius, ſed implicita ſufficit, vt hic Auctor & alij communiter tradunt, quia eo ipſo non cenſetur Sacramentum inuoluntarium: atqui implicita & virtualis in omnibus eſt, vt dixi, reſpectu huius effectus; quia nullus iuſtus eſt, qui cupiat Euchariſtiam in eo caſu carere ſuo effectu, & cui non ſit gratiſſima ea gratiæ operatio inexſpectata, ergo nullus erit, qui non recipiat gratiam, ac proinde corruet horum doctrina, quòd illa caſualis manducatio ſit inutilis. Me quidem non multùm vrgeret hoc argumentum; nam ſuprà diximus eſſe valdè probabile, quòd vniuerſaliter in omnibus iuſtis etiam ſic caſu ſumentibus Euchariſtiam cauſet gratiam.

Secunda difficultas, & à priori contra eam explicationem voluntatis ſubſequentis, ea eſt, 11 *Secunda.* quòd licet in aliis Sacramentis, quæ conſiſtunt

in

Digitized by Google

in vſu, locum habeat illa voluntas, non tamen videtur habere poſſe in Euchariſtia. Ratio diſparitatis eſt clara: nam alia Sacramenta ita conſiſtunt in vſu, vt non ſolùm non cauſent effectum independenter à voluntate ſuſcipientis, ſed nec valida ſint in ſe: licet enim vngantur mihi manus, & proferatur in me forma pro Sacerdotio, Diaconatu, Epiſcopatu, &c. ſi ego non volo illud Sacramentum acceptare, non eſt verum Sacramentum in ſe; rectè ergo habet ibi locum voluntas illa conſequens, qua dicam ego; *Abſolutè non cupio fieri Sacerdos, aut Epiſcopus; ſi tamen aliquis potens me validè conſecrare applicet mihi materiam, & verba proferat animo ſerio, ego etiam conſentio & in effectum, & in ipſum Sacramentum.* At in Euchariſtia, cùm iam antecedenter in ſe ſit Sacramentum, ego non poſſum habere voluntatem, qua in illius conſtitutionem conſentiam; neque item conſentio in tali caſu in ſuſceptionem illam, vt ſic dicam, Chriſtianam huius Sacramenti: quomodo enim poſſum ego dicere; *Si incidam in panem conſecratum, quem omnino ignoro eſſe conſecratum, ac proinde quem recipiam ſicut alium panem fortè cum riſu & cachinnis, volo nihilominùs illum ſuſcipere more panis conſecrati.* Hæc volitio in terminis repugnat, quia eſt perinde ac dicere, Volo vt illius receptio ſit deuota, etiamſi deuotè eum non recepero, ſeu, etiamſi non ſit deuota: ergo in eo caſu non poteſt vlla alia eſſe voluntas quàm de ipſo effectu Sacramenti, non de religioſa acceptione illius; ergo ſi requiritur vt cauſet gratiam religioſa comeſtio (vt hi auctores eam requirunt) profectò non ſupplebitur per hanc voluntatem; ac proinde non conferetur gratia.

Diſparitas inter aliorum Sacramentorum & Euchariſtiæ ſuſceptionem

12 Iudico ergo, longè conſequentiùs nos diſcurſuros, ſi dixerimus eam volitionem effectus, quia non reddit comeſtionem illam Sacramentalem voluntariam, eſſe inutilem, ac proinde eos, qui habuêre ſemel vſum rationis, non accipere huius Sacramenti effectum per eam caſualem comeſtionem. Vnde vlteriùs dico, Etiam perpetuò amentes & infantes nullum fructum recepturos, ſi eo modo caſu accipiant hoſtiam; quia (vt notaui ſuprà) ex Chriſti inſtitutione videtur colligi, neceſſariam eſſe vel receptionem vel ſaltem adminiſtrationem religioſam huius Sacramenti, vt cauſet ſuum effectum; cùm ergo quando amens, vel infans caſu accipit hoſtiam, nulla ſit nec ex parte ſuſcipientis nec ex parte dantis verè religioſa ſuſceptio, dicemus non cauſandam gratiam; ſecùs ſi religiosè detur ei infanti hoſtia, quia in tunc ſaltem adminiſtratione exercetur religioſa actio. Et hæc mihi probabiliſſima videtur huius difficultatis ſolutio iuxta ea communia principia.

Concluditur, quid requiratur ex parte ſuſcipientis.

In amente & infante.

SECTIO III.

Quando in pueris recipiat obligatio communicandi?

13 ILLVD nunc reſtat diſcutiendum: Quando intelligi ſunt infantes venire ad ſtatum, quo poſſit eis dari Communio, & etiam teneantur eam accipere? Aliqui enim cenſent annos diſcretionis non ſufficere: id quod praxis Eccleſiæ approbare videtur; nam certiſſimum eſt, longè citiùs admitti paruulos ad confeſſionem quàm ad Communionem; ad confeſſionem autem non admittuntur, niſi quando habent vſum rationis: vnde aliqui annos diſcretionis intelligunt annos pubertatis, id eſt decimum quartum annum. Verùm ea nimis eſt magna extenſio, quia experientia conſtat ante eos annos omnes ferè eſſe capaciſſimos huius Sacramenti: ideóque alij duodecimum annum, alij decimum requirunt. Meliùs tamen illi diſcurrunt, qui docent, non poſſe in hoc puncto regulam vllam generalem præſcribi, quia reuerà eſt ſumma differentia in hoc puncto, & multi anno decimo ſunt capaciores quàm alij decimoſexto, alij anno duodecimo nihil ſolidè percipiunt; prudentis ergo Confeſſarij iudicio id decernendum videtur, vt licet pro confeſſione capaces illos inueniat (quia cùm pœnitentia ſit magis neceſſaria, debet citiùs eſſe in vſu) detineat tamen eos vno aut altero aut pluribus etiam annis, iuxta capacitatem & inſtructionem quam habuerunt; nam ruſtici longè tardiùs ſunt capaces quàm hi qui in ſeptimo aut octauo anno ſcholas frequentant, vbi etiam perpetuò excoluntur.

Prudentis Confeſſarij iudicio relinquendum eſt.

Noua hinc oritur difficultas; Vtrùm ſcilicet omnes pueri rationis & peccati capaces teneantur in articulo mortis Euchariſtiam ſumere. P. Vaſquez diſp. 214. cap. 4. putat eos, qui non tenentur in Paſchate communicare, eo ipſo nec teneri in articulo mortis ad Communionem; imò nec eam debere illis adminiſtrari. Fundamentum illius eſt, quia non aliter obligat præceptum Diuinum de Communione, quàm obligat Eccleſiaſticum, aut è contrario: ſi enim ſufficienter ſciunt diſtinguere inter hunc cibum & alios communes, ſciunt etiam reuerentiam ipſi debitam exhibere, & eo ipſo obligantur vtroque præcepto; ſi verò hoc neſciunt, neutro obligantur; ergo illi, qui non obligantur Eccleſiaſtico præcepto Communionis Paſchalis, neque obligantur Diuino in articulo mortis. Confirmat id Vaſquez, quia Eccleſia, ſuppoſito iam vſu rationis in eis pueris, non poteſt eos eximere à præcepto Diuino; vnde infertur è contrario, Eos, quos Eccleſia ex ſuo præcepto eximit ob debilitatem eius vſus rationis, eſſe etiam exemptos à Diuino in hora mortis. Quam ſententiam ſequitur P. Gaſpar Hurtadus diſp. 10. difficult. 4. pro ea citans Ochagauiam. Contraria tamen, quam tradit P. Suarez diſput. 10. ſect. 1. veriſſima mihi videtur: eam ſequitur Cardinalis Lugo diſp. 13. ſect. 4. optiméque confirmat oſtendens præceptum Diuinum obligare citiùs quàm Eccleſiaſticum, ac proinde ruere totum Vaſquez fundamentum: oſtendit deinde ex ipſo etiam Vaſquez non obligari pueros ab Eccleſia ad Communionem cùm primùm illi ſciunt diſtinguere hunc panem ab ordinario: id quod eſt experientia certiſſimum; nam aliquot annis antequam obligentur communicare, obligantur audire Sacrum; venerantur hoſtiam in Sacro; ſciunt ibi eſſe Chriſtum Dominum: quæ ſine dubio non ſibi perſuadent de communi pane. Hæc ibi Cardin. Lugo.

14 *Proponitur noua difficultas.*

Vaſquez ſententia.

Contraria Suarez ſententia quam ſequitur Card. Lugo.

Vt autem clariùs procedamus, aduerto non ſolùm eſſe præceptum Diuinum de Communione vt ſic, ſed determinatè pro tempore mortis: id quod adeò rigidè Gaſpar Hurtadus docet, vt addat Primò, Si Eccleſia non determinaſſet aliud tempus, nullum futurum peccatum differre Communionem ad articulum mortis; quia determinatio temporis pro ea obligatione relicta eſt à Chriſto Domino Eccleſiæ. Secundò, adeò dicit

15 *Quæ ſit obligatio Diuini præcepti.*

Digitized by Google

dicit obligari in articulo mortis, vt eſto quis communicaſſet hodie v.g. ſanus & benè valens, & intra mediam horam incurreret præſens periculum vitæ, teneretur eodem die ſecundò communicare. Tertiò denique ait, eodem modo diſcurrendum de tempore quo præceptum Communionis obligat, & quo obligat præceptum Diuinum pœnitentiæ. Hæc habet ille ea diſp. 10. difficult. 2. 3. & 4. ex quibus, vt ſtatim oſtendam, haud leuiter reiicitur ea ſententia, quam ex Vaſquez ipſe defendit circa pueros.

Argumentũ pro ſententia Suarez. Argumentor ergo ſic: Eadem eſt ratio de tempore quo obligat præceptum Diuinum Communionis, & quo obligat præceptum Diuinum pœnitentiæ; ſed Diuinum pœnitentiæ obligat eos pueros pro hora mortis, vt Vaſquez & hi ſupponunt, ergo & Communionis.

Reſpondebunt fortè, Se in maiori huius ſyllogiſmi ſolùm loqui de adultis & habentibus iam perfectum vſum rationis, non verò de pueris. Sed contrà, quia nulla ratione conſtat Chriſtum Dominum feciſſe in hoc puncto diſtinctionem inter adultos & pueros, iam tamen habentes vſum rationis, & ſcientes peccare: quòd enim Eccleſia citiùs determinauerit tempus pueris pro confeſſione quàm pro Communione, nullatenus oſtendit in ipſo præcepto Diuino eſſe vllam differentiam quoad tempus mortis, ſed quoad alia tempora, pro quibus iuxta Eccleſiæ determinationem etiam obligat præceptum Diuinum.

16 *Contra Vaſquez & Hurtadum.* Probo conſequentiam euidenter ex ipſo Hurtado, quia circa horam mortis non reliquit Chriſtus liberum Eccleſiæ quidquam determinare; adeò vt etiam contra præceptum ipſius Eccleſiæ, de non communicando bis eodem die, teneatur quis in periculo mortis, iuxta paulò antè dicta ex hoc Auctore, bis communicare, ſi poſt primam Communionem incidit in periculum vitæ, pro eo die; ergo adhuc vera eſt vniuerſaliter ea maior, quòd æqualiter etiam pueri obligentur in articulo mortis ad Communionem, ac obligantur ad Confeſſionem, quidquid ſit de obligatione circa confeſſionem & Communionem annuam, quæ obligatio ſolùm oritur immediatè ab Eccleſia.

Secundò fortè reſpondebunt, Se eam diuerſitatem non colligere directè ex eo quòd determinauerit pueris Eccleſia diuerſum tempus pro confeſſione annali, quàm pro huius Sacramenti ſumptione; ſed quòd ipſa Eccleſia oſtendat ſe ita ſentire; quia dum reſpectu ſuorum præceptorum oſtendit non eſſe idem tempus obligationis, oſtendit etiam ſimul Chriſtum habuiſſe eam conſiderationem.

17 *Maior eſt obligatio Diuini quàm Eccleſiaſtici præcepti.* Sed contrà, quia illatio hæc eſt planè nulla: etenim (vt alibi diximus) non obligant cum tanto rigore præcepta Eccleſiæ, cum quanto Diuina, nec pro eiſdem occaſionibus: vnde eò quòd Eccleſia noluerit præcepto ſuo æqualiter obligare pueros ad Sacramenti vtriuſque ſumptionem, nullo modo ſequitur, Chriſtum etiam eodem modo noluiſſe; aliunde autem ex vſu Eccleſiæ nihil penitus de ea diuerſitate ex parte Chriſti colligitur; ergo. Addo, ſi res benè ponderetur, vix potuiſſe eſſe ſufficientem cauſam pro hora mortis ad faciendam eam differentiam inter duo illa præcepta, Communionis & confeſſionis; nam per ſe loquendo minor vſus rationis requiritur ad Communionem quàm ad pœnitentiam; nam (vt ſuprà vidimus) etiam infantibus fructuoſè data olim fuit, & poſſet nunc dari Euchariſtia; Pœnitentiæ verò Sacramentum ſupponit & capacitatem ad peccandum etiam moraliter; nam ob ſola peccata leuia probabiliter non obligat præceptum confeſſionis: quidquid verò de hoc ſit, ſupponit etiam capacitatem ad habendam attritionem ſupernaturalem, & propoſitum emendationis in futurum: quæ duo ſatis ex ſe difficilia ſunt; cur ergo pro ea hora mortis, ſi Diuinum præceptum obligat eum puerum ad confeſſionem, non obligabit ad Communionem? quæ, ſi puer eſt capax mortalis, etiam eſt illi valdè vtilis, & quodam modo neceſſaria ad reſiſtendum tentationibus: & verò quia ob debilitatem iudicij faciliùs decipi à diabolo poteſt, eo puncto, in quo ſi ſemel erretur, nullum eſt iam amplius remedium, magis indigebit Communione fortè quàm vir benè in Fide inſtructus, & in virtutum actibus exercitus. Rationes autem, quibus 18

Cur Eccleſia obliget citiùs ad confeſſionem quàm ad Communionem. Eccleſia permota eſt, vt in ſuo præcepto citiùs obliget ad confeſſionem quàm ad Communionem, ibi omnino ceſſant: illæ enim vnicè videntur deſumptæ ex reuerentia debita huic Sacramento; in hora autem mortis vel non eſt periculum irreuerentiæ, quia puer eſt magis diſpoſitus, & meliùs inſtructus; vel eſto videatur aliqua leuius irreuerentia, ea compenſatur ob neceſſitatem ipſius infirmi: id quod euidenter oſtendo ex doctrina Vaſquez & aliorum, qui in hoc puncto nobis ſunt contrarij; nam his, qui aliquando fuerunt rationis capaces, & dederunt ſigna doloris, &c. ac deinde inciderunt in perpetuam amentiam, non datur ſingulis annis Communio in Paſchate ob reuerentiam Sacramenti; in hora tamen mortis debet illis dari, cur ergo non eodem modo diſcurremus de eis pueris, ac dicemus, ob reuerentiam differri ab Eccleſia Communionem Paſchalem ad duos tréſve annos; in hora tamen mortis, quando obligat per ſe præceptum diuinum, non obſtare eam reuerentiam; vti ob reuerentiam eamdem non licet iuxta præceptum Eccleſiaſticum communicare, ſi non ſimus ieiuni; in articulo verò mortis ea reuerentia non conſideratur: & idem eſt, quando Sacrificium eſt inchoatum, & non poteſt abſolui niſi à non ieiuno. Conſtet ergo, licet Eccleſia ob eam maiorem reuerentiam ad annalem Communionem non obliget tam citò quàm ad confeſſionem, non propterea vllo modo inferri, Nec ipſum Chriſtum obligaſſe tam citò pueros, ſi ſint in articulo mortis: ablato autem hoc fundamento Patri Vaſquez, profectò ratio omnis ſtat pro ſententia Suarez, Lugo & noſtra.

Vnde obiter noto, minùs conſequenter in hoc 19

Nauarrus arguitur inconſequentiæ. puncto diſcurriſſe Nauarrum in Manuali, dum ait, Non eſſe obligationem dandi eis pueris Communionem, ex conſilio tamen dandam: etenim ſi ex conſilio danda eſt, ſupponitur capacitas perfecta, huius Sacramenti; ſi autem eſt capacitas perfecta, quis quæſo illos liberauit à præcepto Diuino determinatè pro hora mortis obligante? His conſequenter addo, etiamſi circa ipſum Pœnitentiæ Sacramentum Eccleſia obligare noluiſſet pueros ad annalem confeſſionem niſi ab anno duodecimo, vt ſine dubio potuit velle, non propterea eos, ſi ante illud tempus in periculo vitæ eſſent, & haberent vſum rationis, non obligandos ad confeſſionem, quia Eccleſia circa tempus à Chriſto determinatum nihil poteſt immutare, nec puto hoc negandum à Vaſquez, ergo ſicut tunc non inferretur, Non obligat

Digitized by Google

obligat Eccleſia tam citò pueros ad annalem confeſſionem, ergo nec in hora mortis obligabuntur tam citò. Ita eadem conſequentia Vaſquez circa Communionem nulla eſt; multò autem minùs eſt bona ea altera, Eccleſia citiùs obligat ad confeſſionem, ergo & Chriſtus; quia poteſt Eccleſia obligare citiùs ad vnum Sacramentum quàm ad aliud, vbi habet libertatem determinandi, non verò in hora mortis, vbi Chriſtus ſuum præceptum interpoſuit. Argumentum Vaſquez inter probationes noſtræ ſententiæ ſoluta ſunt.

SECTIO IV.

Quid ſi dubitatur de vſu rationis pueri?

10 DIFFICVLTAS eſt, An ſit dandum Viaticum quando dubitatur de pueri capacitate. Ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte præſumptio ſtat contra capacitatem: quia cùm anteà ille certò caruerit vſu rationis, & non probauerit poſitiuè ſe iam illum habere, præſumptio ſtat contra illum, iuxta principium illud, quod nos ex communi ſæpè deduximus, quòd quando obligatio eſt certa, & libertas ab illa dubia, tunc poſſeſſio eſt pro obligatione; ſi verò è contrario obligatio dubia eſt, tunc ſtandum pro libertate: cùm ergo illum puerum non fuiſſe anteà obligatum fuerit certum, ac proinde ipſe habuerit certam poſſeſſionem ſuæ libertatis ab eo præcepto; è contrario verò cauſa, à qua deberet incipere obligatio, nempe vſus rationis ſit dubius, ſtandum erit pro ipſius libertate; nec ſpoliandus erit ſua certa immunitate propter ſubortum dubium. Ob hanc rationem putat Cardin. Lugo nullam eſſe omnino obligationem dandi illi Euchariſtiam; addit tamen, poſſe illi dari ob rationem quam ſtatim tangemus. Ego verò licet in rebus odioſis omnino putem eam rationem eſſe bonam, valdè tamen dubito, an in ordine ad Euchariſtiam habeat locum, quia dare huic puero Euchariſtiam non eſt res phyſic. aut moraliter illi odioſa: non phyſicè, vt per ſe patet, quia ſumptio eius Sacramenti nullam habet difficultatem phyſicam, maximè cùm non cogatur infirmus expectare ſine cibo; poteſt enim dari illi poſt omnem cibum, cùm de ſolo Viatico nobis ſermo ſit: non eſt item moraliter difficilis, quia nullam aliam diſpoſitionem ex parte voluntatis requirit quàm ſtatum gratiæ, ad quem per ſe antecedenter ad obligationem huius Sacramenti ille tenetur; ergo non eſt odioſa vllo prorſus modo: eſt autem è contrario ſummè fauorabilis ob augmentum gratiæ, ob auxilia ad vincendas tentationes, &c. & quia iuxta probabiliorem opinionem poteſt illi in aliquo caſu etiam vitam æternam cauſare; ergo tunc non debemus ad principium illud, quòd in dubiis ſtetur pro libertate hominis, recurrere, quia hoc eſſet potiùs ſtare contra illum quàm in fauorem illius pueri.

Ratio dubitandi.

Cardin. Lugo ſententia:

Eius ratio diſſentitur.

11 Dices; Etſi ipſa Communio actualis ſit fauorabilis, obligatio tamen illam ſumendi eſt odioſa; nam inde fit non poſſe illam omitti ſine peccato, certum eſt autem hoc, quod eſt me teneri ad aliquid, ita vt omittere illud ſine peccato non poſſim, eſſe odioſum. Reſpondeo Primò; Eſto ea obligatio iudicari poſſit aliquo modo odioſa, in rigore tamen, & re benè perpenſa, non poſſe dici odioſam; nam obligatio in tantum eſt odioſa, in quantum eſt ad rem quæ habet aliquam difficultatem, moleſtiam, vel laborem in ſe; vel in cuius omiſſione reperire ego poſſum aliquam vtilitatem, &c. Quòd verò ad rem nec veſtigium laboris habentem, & in cuius carentia non poſſum ego inuenire neque delectationem neque vtilitatem vllam vel leuiſſimam, niſi ſummùm, quòd glorier me feciſſe iuxta meam libertatem; profectò non debet prudentum iudicio pro noſtro intento reputari obligatio odioſa, ſed potiùs fauorabilis, ac denique talis, quæ eſt potiùs optanda quàm reiicienda. Reſpondeo Secundò, Obligationem illam magis eſſe ex parte Parochorum in fauorem infirmi, quàm infirmi ipſius; vti obligatio dandi Euchariſtia in his, qui aliquando habuerunt vſum rationis, non eſt ex parte ipſorum amentium, ſed ex parte Parochorum in vtilitatem amentium.

An obligatio communicandi ſit odioſa.

Eſt fauorabilis.

Secunda ratio dubitandi, quæ etiam videtur ſuaderi nullam eſſe obligationem dandi Euchariſtiam, ea eſt, quia Eccleſia prohibet illam dari niſi his qui ſunt doli capaces; ergo cùm hîc ſit certa prohibitio non dandi Euchariſtiam, ſanè vt liberemur ab hac prohibitione, debebit conſtare nobis certò, illum eſſe doli capacem; quia à certa lege non liberamur per dubiam excuſationem. Pro huius argumenti ſolutione Cardinalis Lugo ſuprà vtitur quadam diſtinctione; ait enim, Dupliciter poſſe prohibitionem fieri ab Eccleſia; primo modo ſub terminis, *Ne detur Euchariſtia niſi eis qui ſunt doli capaces*: altero modo, *Non detur his qui non ſunt doli capaces*; inter quos duos modos hanc agnoſcit differentiam, quòd in primo petatur poſitiuè quòd ſint capaces doli, vnde ſequitur, ſi non poſſit probari poſitiuè eos eſſe capaces doli, non poſſe illis dari Communionem; in ſecundo verò non petatur, quòd ſint capaces doli, ſed quòd non ſint incapaces; hoc eſt, quòd non conſtet poſitiuè de incapacitate: vti quando ordinatur puer ab infantia expoſitus non fit contra legem prohibentem, ne ordinetur illegitimus, vt Henriquez & alij docent; quia defectus non imputatur niſi probetur.

Secunda ratio dubitandi.

Reſponſio Card. Lugo.

Exemplum Henriquez.

12 Ego tamen hanc diſtinctionem magis ingenioſam quàm ſolidam iudico: etenim eſto re ipſa ibi ſit aliqua diuerſitas, non puto tamen Legiſlatores vllam planè in eo puncto habuiſſe conſiderationem; & verò re benè conſiderata non eſt excogitabilis differentia realis, ſed verbalis, qualis eſt inter gladium & enſem, & inter amo Petrum, & Petrus amatur à me: nam hæc propoſitio, *Non detur his qui non ſunt doli capaces*, eſt eadem cum hac, *Non detur niſi doli capacibus*, nam formaliſſimè idem eſt, *Non ſum doli incapax*. & *Sum doli capax*, ergo idem eſt, *Petere pro conditione ab hoc vt detur Sacramentum, quòd ſim doli capax*, ac *Petere quòd non ſim capax doli*, quia duæ illæ negationes, *Non ſum incapax* faciunt *ſum capax*: vti idem formaliſſimè eſt dicere, *Volo ſcholam non eſſe tenebroſam*, ac *Volo eſſe lucidam*, ſeu, vt magis terminorum ſimilitudinem retineam, idem eſt dicere, *Volo ſcholam non habere negationem lucis*, ac dicere, *Volo eam habere lucem ac eſſe lucidam*.

Diſtinctio hæc ingenioſa magis quàm ſolida.

Exemplum item de illegitimis nullam addit confirmationem, quia illa prohibitio Eccleſiæ, *Nolo vt illegitimi ordinentur*, eadem eſt ac dicere,

Exempl. Henriquez reſpondetur.

cere, *Soli legitimi poſſunt ordinari.* Quòd verò expoſitus in infantia ordinetur ideò eſt, quia præſumitur legitimus; non quia præcisè non præſumatur illegitimus, ſed quia præſumitur poſitiuè bonus iuxta regulas Iuris, *Qui non probatur reus, præſumitur bonus*; vbi non ſolùm dicitur *Qui non probatur malus, non præſumitur malus*; hoc enim per ſe eſt euidens; ſed *præſumitur bonus*: non eſt ergo, cur inde quæramus vllam argumenti illius ſolutionem; dicimus ergo cum eodem Lugo num. 44. prohibitionem Eccleſiæ non dandi Euchariſtiam infantibus fundari in ſola conſuetudine explicata in Ritualis Romani Rubricis; vbi æquali modo prohibetur Extrema Vnctio ac Euchariſtia: atqui Extrema Vnctio datur puero, de quo dubitatur an ſit doli capax, vt docet Diana Tractatu 4. de Sacramentis reſolutione 69. ergo & dabitur Euchariſtia.

Concluſio: Eſt obligatio dandi Euchariſtiam in caſu propoſito.

Ideò in hoc puncto iudicarem non ſolùm licitè poſſe dari in eo dubio, vt docet Lugo, ſed etiam eſſe obligationem eam dandi; & quidem ſi liceat, non video, cur non debeat illum obligare præceptum Diuinum, quandoquidem eo ipſo non ſit vlla irreuerentia Sacramento; & poſſunt habere locum omnes rationes, ob quas Chriſtus obligat adultos, ſcilicet vt confortentur pro eo inſtanti contra tentationes, quas fortaſſe habent graues; quia reuerà habent vſum rationis, eſto de illo dubitemus.

23 *Obiectio de eo qui dubitat, an ſit ieiunus.*

Dices: Qui dubitat, an ſit ieiunus, non poteſt communicare contra præceptum Eccleſiæ; ergo neque ille, de quo dubitatur, an habeat vſum rationis. Reſpondetur Primò, Fortè antecedens eſſe falſum de quo alibi dixi. Secundò nego conſequentiam, quia ſit argumentum à caſu nullius neceſſitatis ad inſtans mortis, quod eſt ſummæ neceſſitatis, vti in ipſo ieiunio patet; nam extra caſum neceſſitatis non licet non ieiuno communicare, at in hora mortis è contrario tenetur, etiamſi non ſit ieiunus.

Obiectio de eo qui dubitat, an ſit in gratia.

Obiicies Secundò: Qui eſt dubius, vtrùm ſit in gratia, non poteſt communicare, niſi ſe probet per confeſſionem; ergo. Nego conſequentiam, quia recipere in peccato Euchariſtiam eſt irreuerentia grauis directè contra Sacramentum, & contra effectum illius; vnde non oportet ſe exponere illi periculo: at recipere Euchariſtiam ante vſum rationis nulla eſt ex ſe planè indecentia; vti non erat, dum olim dabatur infantibus, & nunc quando datur amentibus, qui anteà habuerunt vſum rationis; non eſt ergo periculum vllum faciendi re ipſa ne quidem materialem irreuerentiam in hoc caſu: quid ergo mirum, ſi non impediatur ob ſimile dubium ea obligatio dandi hoc Sacramentum?

SECTIO V.

Quid de adultis dubium vſum rationis habentibus & energumenis?

24 *Status quæſtionis.*

PRIMA huius ſectionis difficultas annexa eſt his quæ ſectione 4. diximus, quid ſcilicet ſit dicendum de adultis, qui debilem habent vſum rationis, & non ſperatur eos habituros meliorem. Dico *non ſperatur*; nam ſi paulatim in eis creſcit ratio, tunc eodem modo de illis diſcurrendum eſt ſicut de pueris; vt ſcilicet differatur aliquandiu Communio, donec perfectum habeant eum vſum rationis. Eſt ergo difficultas de iis qui ita toto tempore manent, ac proinde vel deberent in perpetuum priuari; quia eadem ſemper ratio durat; vel debent ſingulis annis ad annuam Communionem admitti. Cardinalis Lugo ſect. 5. hac occaſione agit de Indis Occidentalibus, quibus Parochi ſæpe etiam in articulo mortis negarunt Communionem; mouerat autem priùs eamdem quæſtionem noſter Pater Ioſephus de Acoſta lib. 6. de Procuranda Indorum ſalute cap. 8. vbi refert conſtitutionem in contrarium Concilij Prouincialis Limenſis, & conqueritur nondum fuiſſe ad vſum redactam.

Quæ ſit poteſtas Eccleſiæ in neganda aliquibus Euchariſtia propter enormia ſcelera.

Pro hac quæſtione ſupponendum Eccleſiam poſſe ob cauſas iuſtas priuare hominem Communione etiam in articulo mortis: non quia cenſeatur illa tollere præceptum Diuinum Chriſti, ſed quia iudicat talem hominem indignum eſſe ea Communione: ſic olim Eccleſia ob aliqua enormia crimina conſueuit in vitæ fine priuare Communione: de quo multa in Concilio Eliberitano & in Sardicenſi: & id ſupponit Innocentius I. Epiſtola 3. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, vbi tamen in futurum ipſe eam pœnam mitigat, vultque in poſterum nulli verè pœnitenti Euchariſtiam in fine vitæ denegari. Hinc tamen ſtatim oritur dubium graue, videtur enim Eccleſia non prohibuiſſe Communionem illis eos iudicando indignos, nam ſi olim propter talia ſcelera iudicati ſunt indigni, etiam nunc, qui eadem commiſerunt, erunt indigni: 25
quia quòd olim homines ea commiſerint, vel quòd committant iam, non facit eos magis minúſve indignos; ergo nec iam poterit Eccleſia facere illis poteſtatem, niſi dicamus eam poſſe diſpenſare in Diuino præcepto: id quod apertè falſum eſt. Reſpondeo, Eo ipſo quòd Chriſtus reliquerit Eccleſiæ poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta, reliquiſſe etiam illi poteſtatem, vt ſi in aliquo caſu iudicauerit reuerentiam Sacramentalem exigere, ne adminiſtretur, poſſit illud negare: non enim Chriſtus poſuit præceptum ipſi Eccleſiæ dandi in articulo mortis Euchariſtiam, ſed alteri poſuit præceptum accipiendi; vnde noto, Etſi infirmus non petens eo tempore Euchariſtiam (ſuppono aliunde eſſe illius capacem) faceret contra præceptum Diuinum, me tamen Sacerdotem, aut Parochum illius, ſi eo caſu illi eam negem, non facturum contra præceptum Diuinum propriè, ſed vel contra naturalem charitatem in proximum, vel ſummùm contra præceptum Eccleſiæ; ergo Eccleſia non tenetur ex præcepto Diuino dare Communionem: quòd ſi non tenetur, profectò ipſa poteſt iuſtas ob cauſas decernere, ne hîc & nunc ob reuerentiam debitam Sacramento illud concedatur, relinquendo interim in altero obligationem ex iure Diuino illud tunc petendi, niſi illi conſter Eccleſiam nolle illud dare, quia tunc cùm ipſe non poſſit aliter illud accipere, & ad impoſſibile nemo teneatur, ceſſat etiam per accidens in illo obligatio illud petendi, & hoc modo non vult Eccleſia, etiamſi alter moriatur ſine Viatico, vt Sacerdos celebret ſine veſtibus ſacris ob illum communicandum; ex hoc ergo capite in genere loquendo, ob Americorum inconſtantiam, ob propenſiones ad ebrietatem, ad idola aliaque flagitia potuit Eccleſia prohibere ne daretur illis Viaticum.

Præceptum Diuinum obligat ſuſcipientem, non Eccleſiam.

Dices id veriſſimum eſſe, ſi loquamur de Papa, 26

Digitized by Google

pa, qui habet ſupremam poteſtatem; at ſi hic non vult vt illi pœnitenti negetur Viaticum, (vt diximus ſuprà Innocentium I. ſtatuiſſe id quod hucuſque ſeruatur) non poterunt Sacerdotes aut Epiſcopi Americi ſine eiuſdem Papæ auctoritate negare illis Viaticum. Reſpondeo Primò, Fortaſſe illos conſuluiſſe Pontificem: nihil enim nobis in contrarium conſtat. Secundò, Fortè illi male in hoc ſenſu fecerunt; nos autem ſolùm dicimus id eſſe abſolutè in poteſtate Eccleſiæ ſeruatis ſeruandis. Tertiò reſpondet benè Card. Lugo, Eam Innocentij prohibitionem de non negando vlli Viatico habere ſuam explicationem, quando ſcilicet valdè probabiliter conſtat de ſeria pœnitentia illius. At ſi quis tota vita concubinarius, & aliis ſceleribus plenus, circa mortem det aliquod ſignum leue pœnitentiæ, ob quod demus illi abſolutionem, & iuuemus eum quantum poſſumus; profectò non propterea debemus illi dare Communionem. Videtur enim magna indecentia ob tam leuia indicia dare illi Sacramentum hoc, quod Eccleſia tanta cum veneratione & reuerentia iure merito tractat; quia omnis & infinitè maior debetur illius excellentiæ; ergo ea licentia generalis dandi omnibus peccatoribus Viaticum in fine vitæ non comprehendit omnes caſus. Fortaſſe ergo ſimiles defectus notati ſunt in illis Indis; ob quos potuère negare, & verò obligatos fortè ſe agnouere Sacerdotes ad negandam illis Communionem etiam in articulo mortis. Maiori autem iure hæc doctrina extendi debet ad Communionem annuam, iuxta dicta: ea enim nec eſt tantæ neceſſitatis & momenti, nec ſub obligatione tanta. Verùm quia hæc doctrina non tangit punctum de defectu vſus rationis.

Cardin. Lugo explicat Innocentij prohibitionem.

Non eſt negandum Viaticum ob debilem vſum rationis.

Secundò dico; Si aliunde peccata ipſa & naturalis mala inclinatio non obſtat, imperfectus ſeu debilis vſus rationis non videtur ſufficiens ad Communionem eis negandam in hora mortis; ſi tamen ſufficiens ille ſit ad pœnitendum, & eum cibum à communi diſtinguere noſcant; nam ſi hoc non poſſint præſtare, non ſunt diſtinguendi à carentibus vſu rationis quoad punctũ præſens. Suadetur autem prima pars noſtræ concluſionis: ſecunda enim ſatis eſt clara per ſe; nam (vt oſtendimus paulò antè) etiam in dubio de vſu rationis ſufficienti ad peccandum concedi debet Eucharistia; ergo eodẽ modo etiam quando eſt debilis, quia non poteſt ea debilitas aliud efficere, quàm reddere eum vſum rationis dubium; ac proinde non erit quæſtio diuerſa à præcedenti, imò minùs difficilis, quia debilitas ſupponit iam certitudinẽ de vſu rationis, licet intra terminos illius ſit aliquid valdè exiguum: ſi enim ea debilitas ſit tanta, vt faciat probabiliorem partem carentiæ iudicij, non erit obligatio ei dandi Euchariſtiam.

27 *Ratio in contrarium nihil vrget.*

Dices. Minùs benè à me requiri in his diſcretionem huius panis ab alio; nam ſi olim fuit datus infantibus, cur hodie non poterit dari his, qui debilem vſum rationis habent, eſto illum non ſciant diſtinguere à naturali cibo? non enim ideò in hora mortis fiet aliqua contra illum irreuerentia; aliunde verò poteſt eſſe valdè neceſſarium hoc Sacramentum tali homini, quia iam ſupponitur habere vſum rationis ſufficientem ad peccandum, ac proinde poterit indigere tunc auxiliis, quæ per hoc Sacramentum dantur. Reſpondeo, Cùm ſupponamus iam hoc tempore Sacramentum iſtud non poſſe dari infantibus, ſine dubio requiri debet, vt qui illud ſuſcipit, ſuſcipiat non vt infans ſuſcipit alios cibos, ſed velut cibum ſpiritualem; ſi autem non ſciat diſtinguere, recipiet illum perinde ac infans recipit lac & pappas. Addo, vix eſſe poſſibile dari vſum rationis ſufficientem ad peccandum, & non poſſe, ſi benè talis homo inſtruatur, diſtinguere inter hunc cibum & alios ordinarios, eſto ea diſtinctio adeò perfecta non ſit, vt in aliis viris rationis perfectè capacibus eſſe ſolet.

Energumenis conceditur Eucariſtiæ vſus.

Vltima difficultas circa perſonas capaces Euchariſtiæ eſt, An Energumeni poſſint illam ſuſcipere. Communiter reſpondetur, Poſſe, quando non eſt aliquod periculum irreuerentiæ: ita D. Thomas quæſt. 80. art. 9. Sotus in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 9. Vaſquez diſp. 212. cap. 4. Gaſpar Hurtadus diſp. 9. difficultate 21. Lugo ſect. 5. quia nulla eſt prohibitio Eccleſiæ hac de re: id quod maximè locum habet, quando non ſunt obſeſſi propter aliquod peccatum graue; verùm neque ſi ob peccatum graue, dummodò egerint de illo pœnitentiam: vnde licet ad initium Eccleſiæ negata ea fuerit illis teſte Dionyſio de Cœleſti Hierarchia c. 3. retractata tamen deinde fuit ea prohibitio teſte Caſſiano apud Lugo ſuprà, qui etiam citat Sacerdotale Romanum antiquum, vbi id expreſsè habetur; nouum verò Rituale Pauli V. tacitè id approbat, dum excluſis aliis, quibus non debet hoc Sacramentum adminiſtrari, nihil de Energumenis dicit.

DISPVTAT. QVADRAGESIMA QVARTA.

DE DISPOSITIONE CORPORALI REQVISITA AD *ſuſceptionem huius Sacramenti.*

SECTIO I.

Quomodo impediatur Communio per actus carnales eo die habitos?

1 *Status quæſtionis.*

DVBIVM hoc moueri poteſt tam ratione pollutionis voluntariæ & inuoluntariæ, quàm copulæ licitæ & illicitæ, quomodo ſcilicet impediant ea die Communionem, & ſuppono, ſi ſint peccaminoſa, debere præcedere confeſſionem cum vero dolore, &c. De hac quæſtione benè agit P. Thomas Sanchez lib. 9. de Matrimonio diſput. 13. Suarez hîc diſput. 16. ſect. 2. Vaſquez ad articulum 7. quæſtionis 80. Lugo diſp. 15. ſect. 1. Tannerus quæſt. 8. dub. 4. & Gaſpar Hurtadus diſp. 9. difficultate 13. Rem breuiſſimè decido, quia ferè omnes conueniunt inter ſe: & Primò dicendum contra Nauarrum in Manuali cap. 21. num. 51. (quam tamen ſententiam in editione poſteriori mutauit) & contra Marſilium & Alexandrum apud citatos, non eſſe mortale, communicare etiam poſt voluntariam pollutionem, præmiſſa

Impugnatur Nauarri opinio de pollutione.

Digitized by Google

præmiſſa tamen, vt dixi, vera pœnitentia. Ratio huius eſt, quia nullum eſt naturale aut poſitiuum præceptum id prohibens: non naturale, quia reuerentia Sacramenti ſolùm exit, ne homo accedat cum conſcientia peccati mortalis, ſed potiùs in ſtatu gratiæ capaci effectus Sacramenti:id quod haud dubiè habet qui de ea pollutione benè confeſſus debitam egit pœnitentiam, non minùs quàm qui quodlibet aliud graue peccatum commiſit, & de eo egit pœnitentiam; de præcepto autem poſitiuo nullo modo conſtat.

2 *Obiectio ex S. Gregorio Papa.* Dices; Gregorius Papa epiſtola ad Auguſtinum (& refertur in cap. 1. diſtinct. 6.) dicit, Quòd habens pollutionem ex praua cogitatione oportet die illa à ſacris myſteriis abſtineat. *Respondetur obiectioni.* Reſponderi poſſet ex Notis ad ea verba, illa non inueniri in vetuſtis exemplaribus Gratiani, imò neque in codicibus Bedæ & ipſius Gregorij; vnde fortaſſe quis diceret eſſe addita; nihilominùs textus totus illius epiſtolæ videtur exigere ea verba; nam ſanctus Gregorius facit diſtinctionem ex cauſis vnde prouenit pollutio; & adhuc quando ex ſolo exceſſu in cibo præcedentis diei ea orta eſt, ait humiliter abſtinendum: hinc enim quaſi neceſſariò ſequitur illa alia cauſula, vt quando voluntaria fuit pollutio, abſtineatur à Sacro. Adde, Gregorium non loqui de voluntaria immediatè, ſed quando ex cogitatione turpi habita in vigilia oritur deinde in ſomno pollutio: vnde adhuc obiectio maiores habet vires contra eos qui eam directè procurant. Aliter ergo reſpondendum, Ibi non eſſe præceptum, ſed conſilium; Secundò, ipſum conſilium non eſſe vniuerſale, ſed pro Auguſtino in Anglia recenter tunc conuerſa; potuit autem ibi eſſe neceſſarius aliquis rigor ad maiorem reuerentiam huius Sacramenti fundandam, quàm iam ſit in vniuerſali Eccleſia, vbi Fides de hoc Sacramento perfectè eſt ſtabilita.

3 *An ſit peccatum ſaltem veniale. Placet negatiua ſententia contra Tannerum.* Secundò dico, Ex ſe nec quidem eſſe peccatum veniale, eo modo accedere. Hæc eſt contra Tannerum ſuprà num. 64. vbi ait, Fore ſaltem peccatum veniale, niſi vel neceſſitas communicandi vel periculum ſcandali ſeu infamiæ excuſet: pro qua citat Patrem Suarium ſuprà. Verùm ibi non dicit, *Saltem erit veniale*, vt Tannerus loquitur, *Sed ſummùm erit veniale*: deinde id non reducit vllo modo in ipſam pollutionem præcedentem, ſed in effectus, quos aliquando poſt ſe relinquit, vnde etiam non dicit abſolutè eſſe veniale, ſed aliquando: citat etiam Valentiam quæſt. 8. Pat. 3. ibi tamen non aliud habet, quàm decere abſtinere, etiamſi fuerit per confeſſionem culpa deleta: *τὸ* autem *decere* nihil dicit de peccato veniali. Obſcuriùs loquitur Diuus Tomas ea quæſtione 80. articulo 7. vbi dicit, pollutionem, ſi ſit ex peccato, impedire de neceſſitate Communionem; *alioquin erit homo reus corporis & ſanguinis*; non tamen ideò fauet Tannero, quia per hoc indicat potiùs eſſe peccatum mortale; intelligendus ergo ibi eſt de pollutione per Sacramentum confeſſionis nondum expiata: dum autem ait, *Ex quadam congruentia impedire*, non explicat, an ea congruentia inducat obligationem venialis peccati; non enim facere contra quamcumque congruentiam eo ipſo eſt peccatum etiam leue.

Tenent hanc ſententiam Cardinalis Vt ergo noſtram concluſionem probemus (quam tenent Hurtadus & Cardinalis Lugo ſuprà cum limitatione à nobis ponenda) aduerto, duo poſſe nos in ea pollutione voluntaria conſiderare pro difficultate præſenti: vnum eſt ratio peccati; alterum eſt corporalis aliqua macula: *Tenet & Hurtadus.* quoad primum, cùm pollutio non ſit in ſe grauiſſimum peccatum, non habet ex hoc capite vllam rationem ſpecialem, ob quam magis impediat Communionem eo die, ſi, vt diximus, præcedat confeſſio, quàm reliqua alia peccata etiam eo die commiſſa, v.g. periurij, detractionis, grauis furti, &c. de quibus tamen Auctores nec in dubium quidem vertunt, vtrùm impediant ea die Communionem acta priùs de eis vera pœnitentia; ergo ex hoc capite nec ſpecialiter nos debemus de pollutione dubium mouere. Ratio autem à priori, quia peccatum ſi iam eſt per pœnitentiam deletum, non magis eo die, quo commiſſum eſt, malè afficit hominem quàm anno ſequenti; nec magis ideò impedit ſtatum gratiæ, &c. ergo licet in pœnam culpæ commiſſæ poſſet ea omiſſio Communionis imponi, quando tamen non eſt impoſita, non eſt cur ad eam nos vllo modo obligemus. Et hæc circa rationem peccati. 4 *Ratio à priori.*

Secundum, quod in ea pollutione poteſt conſiderari, eſt indecentia aliqua corporalis relicta ex illa; hæc autem in rigore nulla eſt; & non niſi quædam denominatio extrinſeca dici debet, quia reuerà tota iam tranſit: id quod benè notauit Pater Suarez ea ſectione 2. §. *Ex hac enim generali regula.* circa medium; vbi hæc ait, *Quamuis hæc tertia ſententia in hoc vera ſit, quòd conſiderando pollutionem in ſe, illa non poteſt impedire nec ſub præcepto, nec ſub conſilio, quia iam non eſt, vnde per ſe non magis poteſt impedire, quàm ſi non fuiſſet.* Hæc ille: quæ reuerà certiſſima ſunt. Ex quibus colligitur, nullum eſſe ex ſe nec veniale peccatum, poſt illam iam per pœnitentiam deletam accedere ad Communionem: & in hoc ſenſu intelligo omnes Auctores quos Suarez initio ſectionis refert.

Poteſt tamen aliquando eſſe peccatum veniale. Nihilominùs dicendum Tertiò, Ratione effectuum, quos poſt ſe relinquere poteſt, eſſe aliquando impedimentum etiam ſub veniali ad non communicandum: hanc etiam tenent Suarez & Lugo ſuprà; vbi aduerte, effectus hos non alios eſſe quàm diſtractiones varias & cogitationes, quæ hominem non permittunt accedere cum deuotione & reuerentia debita huic Sacramento; poſſunt autem eſſe tantæ, vt cauſent poſitiuam quaſi irreuerentiam in ſuſceptione, & ex hoc capite ſit veniale peccatum ea Communio. Vbi obſeruo, poſſe aliquando contingere, vt qui eam pollutionem peccaminosè admiſit, adeò ſit ſtatim mutatus, adeò ſeriam pœnitentiam egerit, vt longè magis ſit diſpoſitus ad Communionem quàm centum alij, qui ſine vlla culpa eam paſſi ſunt in ſomnis, aut etiam nullam omnino ſunt paſſi, vnde pro regula non tam debet vniuerſaliter aſſignari, an fuerit ea pollutio cum peccato, an verò ſine illo admiſſa, quàm quæ diſpoſitio relicta ſit poſt illam, fateor per ſe loquendo magis inquietum manere hominem, ſi culpabiliter eam admiſit, quia & magis fuit voluntaria, & ipſa culpa hominem diſtrahit, quia tamen è contrario, quando cum culpa eſt admiſſa, homo accedit ad confeſſionem, vbi vehementer colligit ſuos affectus, quando verò non fuit culpabilis, non præmittitur pœnitentia; poteſt fieri etiam ordinariè, vt æquè illi ac hi ſint diſpoſiti, ſeu indiſpoſiti,

ad

Digitized by Google

ad hoc Sacramentum; non poteſt ergo regula generalis in hoc puncto aſſignari, vt prudenter notant Auctores.

5 *Differentia inter Sacerdotem & laïcum.*

Illud tamen circa hoc punctum obſeruo; Eſto ratione reuerentiæ aliquando exigatur per modum congruentiæ ceſſatio à Communione, ad hoc tamen valdè conſiderandum eſſe ſtatum perſonæ, an Sacerdos ſit, an laïcus: etenim laïcus longè faciliùs poteſt abſtinere; ac proinde etiam debet citiùs quàm Sacerdos; quia priuata Communio eſt ſoli ipſi ſumenti vtilis, ideoque faciliùs omittitur, & ſine tanto damno, maximè cùm per ſe laïcus non communicet ſingulis diebus, etiam poteſt ſine tanta nota abſtinere, & in ſequenti compenſare quod neglectum eſt. Sacerdos verò, quia Sacrificium illius & toti Eccleſiæ valdè vtile, animabus item Purgatorij valdè neceſſarium, non videtur congruenter ob ſolam illam maiorem decentiam illud omittere, etiamſi per ſe plus ſit celebrare quàm communicare ſimpliciter; ideoque cæteris paribus maior requiratur diſpoſitio in Sacerdote quàm in laïco communicante. Inter Sacerdotes verò ipſos adhuc diſtinguendum: vel enim ſunt ſæculares, & qui licet ordinariè celebrent quotidie, aliquando tamen ob diuerſas cauſas interrumpunt; & tunc ſine nota ea die poſſunt abſtinere: vel ſunt Religioſi, & qui per ſe ſingulis diebus celebrant; hi enim præter rationem vtilitatis Sacrificij, quæ omnibus communis eſt, habent etiam hanc cauſam, quòd non poſſint facilè ceſſare, niſi quodammodò manifeſtando ſuam pollutionem; quæ eſt noua cauſa valdè aggrauans ad hoc, vt non omittant Sacrum ob maiorem illam decentiam.

Alia differentia inter Sacerdotes ſæculares & Religioſos.

6 *Regula Carthuſianorum à Soto carpitur:*

Qua occaſione poſſet agi de Regula Carthuſianorum in antiquis ſtatutis Par. 1. cap. 24. qua prohibetur, ne qui nocte pollutus eſt, manè celebret, aut ad gradus altaris accedat, etiamſi citra culpam pollutus ſit. De quo ſtatuto Dominicus Soto ait plus pudoris Religioſis per illud obiici, quàm neceſſariæ reuerentiæ Sacramento exhiberi. Cardinalis verò Lugo ait debuiſſe Sotum conſideraſſe plus perfectionis requiri in Monacho ſolitario ſui contemptum & humilitatem procurante, ideoque non mirum, ſi eam occaſionem arripiant humiliationis ex defectu non culpabili: quòd ſi aliquando ob circumſtantias habeant aliquam difficultatem, poterunt, inquit, obtinere diſpenſationem à ſuo Prælato. Ego Regulas Religioſorum ab ipſis Pontificibus approbatas nolim vel in minimo carpere, maximè cùm in ingreſſu Religionis illæ ſoleant proponi, vt homo videat, an habeat in eis difficultatem aliquam; ſi autem ceſſit tunc ſuo iure, non eſt cur deinde queratur.

A Cardinali Lugo defenditur:

Non videtur tamē obligare ſub peccato.

Secundò dico; Cùm ea Regula, quantum puto, non obliget ſub mortali, fortè nec ſub veniali, non adeò illos cogi ad ſe prodendos, caſu quo aliquam grauem in ea manifeſtatione haberent difficultatem. Accedit, apud illos, eò quòd maiori ex parte ſolitariè celebrant, hoc eſt vno ſolo ſocio ſciente, non eſſe id tantum inconueniens. Solùm in Miſſam conuentualem cantante poſſet eſſe aliqua difficultas; ibi tamen locum haberet ſolutio Cardinalis Lugo.

7 *Obiectio ex Sancio, Et S. Paulo.*

Obiici tamen adhuc poſſet ex Ioanne Sancio in Quæſtionibus ſelectis diſput. 23. num. 30. quem citat Lugo; Si homo accedit ſufficienter diſpoſitus, ſeu in ſtatu gratiæ, non poteſt fieri vt peccet venialiter; vel è contrario ſi venialiter peccat, non accedit dignè, ac proinde peccabit mortaliter iuxta Apoſtolum 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Cui ſententiæ fauere videntur illi, qui putant non poſſe committi peccatum leue in ſuſceptione huius Sacramenti, ſed vel mortale, vel nullum. Meritò tamen ex communi ſententia Theologorum reiicit hanc doctrinam Lugo ſuprà, oſtendens poſſe eſſe aliquando leuem culpam in hac ſuſceptione tum ob irreuerentiam aliquam leuem, tum quia prohibita eſt ea Communio, leuiter tamen; vt multi putant prohiberi leuiter celebrationem Sacri ante dictum Matutinum & Laudes, vel quia cum diſtractione venialiter malè celebrat, vel quia eo tempore, quo ſub veniali tenebatur aliud facere, illudque negligit propter Sacrum aut Communionem: quod ergo dicebatur; Eum qui indignè communicat peccare mortaliter, diſtinguendum eſt; vel enim accipitur de indignitate graui, & ſic verum dicit; negatur tamen in præſenti eam indignitatem reperiri; iam enim oſtendimus eſſe leuem: vel agitur de eo qui leuiter indignè accedit; nam reuerentia debita huic Sacramento non conſiſtit in indiuiſibili, & ſic negatur ea maior, ſcilicet eum ſic indignè accedentem peccare mortaliter, negatur etiam Diuum Paulum eo ſenſu locutum dum dixit, *Qui indignè manducat, iudicium ſibi ſumere & bibere*: agit enim de his, qui cum conſcientia grauis peccati, ac proinde cum indignitate graui ad hanc menſam accedunt.

Refutatur à Cardinale Lugo.

Explicatur S. Paulus.

8 *Obiectio ex veteri Lege.*

Abſolutè autem contra totam doctrinam obiici poteſt, quòd Deus olim in Lege veteri ob ſimiles pollutiones prohibuerit Sacerdotes accedere ad altare ea die; multò ergo magis prohibebuntur accedere ad hanc diuiniſſimam menſam. Reſpondeo Primò, Deum tunc eas Leges poſuiſſe pro Sacerdotibus qui habebant vxores, in quibus non erat vel apparentia nouitatis, quòd ea die per ſeminis effuſionem fuerint legaliter maculati: quæ ratio iam ceſſat. Secundò: Ea prohibitio erat pro ſacrificiis quæ non fiebant ordinariè, & ſine nota poterant in alium diem transferri: erant item multi Sacerdotes, & ſolus vnus poterat ea die illa ſacrificia adminiſtrare, ac proinde facile erat alium ſub alio prætextu ſubſtituere. Denique Deus habuit tunc alias conſiderationes etiam circa naturales defectus, an Sacerdotes eſſent claudi, an gibboſi, &c. quæ omnia in Lege gratiæ abrogata ſunt.

De copula licita vel illicita.

Reſtat nunc circa copulam tam licitam quàm illicitam aliquid dicere; ex hucuſque ergo traditis conſtat, ex ſe non eſſe vllum peccatum in licita, nec in illicita, ſi pro hac præmittatur confeſſio, quia tamen hæc ſemper fit cum aliquo ſcandalo ſaltem alterius complicis, & valdè relinquit turbatum animum, omnino videtur expediens, vt tales, etiamſi præmittant confeſſionem, abſtineant tamen à Communione. In coniugatis autem idem expedit ob maiorem reuerentiam: vt enim alij præmittere ſolent aut ieiunium, aut diſciplinam, aut mortificationem aliam, maximè decet coniugatos, vt eam præmittant abſtinentiam à coniugali copula. De quo vide Patrem Thomam Sanchez ſuprà.

De cæteris corporis ſordibus nihil eſt quod dicamus, niſi quòd illæ per ſe non impediunt, niſi annexam habeant irreuerentiam; vti celebrare in laceris paramentis, accedere ad Com-

Digitized by Google

munionem valdè ſordida facie, indecenter indutum, &c. nam præter irreuerentiam ſolet tunc in adſtantibus cauſari aliquis horror, ob quem in cap. *Tua nos.* de clerico ægroto, prohibetur leproſus communicare in loco publico.

SECTIO II.

Quomodo requiratur hominem eſſe ieiunum ad hoc Sacramentum?

9 De hoc puncto Auctores fusè diſputant ad articulum 8. Diui Thomæ quæſtionis 80. Supponendum autem præceptum eſſe Eccleſiaſticum de non celebrando poſt ſumptum eo die cibum: id quod ex diuerſis Conciliis oſtendunt Auctores; in quibus non immoror, quia res eſt nimis inter Catholicos certa: & licet ibi de ſolis Sacerdotibus ſermo ſit, id tamen ad omnes communicantes conſuetudo Eccleſiæ tranſtulit: quam approbat Concilium Conſtantienſe Seſſione 13. Vide Vaſquez diſp. 221. cap. 1. hoc ſuppoſito,

SVBSECTIO I.

Tres priores quæſtiones explicantur.

Ieiunium naturale: Variæ mouentur circa hoc difficultates. Prima, An debeat eſſe ieiunium naturale; hoc eſt, an debeat eſſe abſtinentia à cibo & potu. Non defuêre aliqui (contra quos fusè diſputat Pater Vaſquez ibi capite 3.) qui dixerunt ſolùm requiri abſtinentiam à cibo; quorum fundamentum eſt, quia cùm ieiunium ſit ex præcepto Eccleſiæ, non debet requirere niſi ieiunium Eccleſiaſticum; quale eſt ab omni cibo; nam potus non violat ieiunium Eccleſiæ. Nihilominùs certa omnium Catholicorum eſt ſententia, requiri etiam naturale ieiunium à potu: & in hoc ſenſu acceptum eſt præceptum Eccleſiaſticum.

An paruitas materiæ excuſet. Secunda quæſtio, An in hoc puncto dari poſſit paruitas materiæ; an poſſit eſſe res quæ comeditur aut bibitur tam parua, vt ſolùm ſit veniale poſt illam communicare: & videtur omnino id dicendum; nam cùm hoc præceptum ſit Eccleſiaſticum, & Eccleſia non poſſit leuem rem ſub graui peccato prohibere, videtur conſequenter dicendum, eam tranſgreſſionem non fore grauem. Suffragatur autem ratio; quæ enim granis indecentia, quòd poſt tres quatuórve guttas aquæ recipiatur Chriſtus Dominus, vt proptereà damnandus ſit in æternum qui eo modo communicauit? Difficultas hæc eſt ſatis grauis. *Negans ſententia Vaſquez & Lugo.* Reſpondet Vaſquez, Lugo & alij, Hoc præcepto Eccleſiæ non prohiberi ipſum cibum, aut potum, qui eſt materia leuis, ſed Communionem poſt illum potum, Communio autem eſt materia grauiſſima. Hæc tamen ſolutio non videtur adhuc ſatisfacere; nam obiectio facta ſi quid probat, illud ſanè eſt, ipſum communicare poſt eas tres aut quatuor guttas eſſe quid leue: non enim prohibetur Communio abſolutè ſed vt *Argumenta illorum non conuincunt.* poſt tres illas guttas aquæ, vt ſic autem videtur materia omnino leuis, quia exiguam aut penè nullam dicit irreuerentiam. Reſpondent Secundò, Eccleſiam poſſe tunc grauiter prohibere materiam leuem, quando id facit ad aliquid magni momenti ſignificandum: vt cùm grauiter mandat infundi guttam aquæ in calicem ad ſignificandam vnionem Chriſti cum Eccleſia, ergo in præſenti Eccleſia mandans hoc ieiunium ad ſignificandum Chriſtum eſſe primum noſtrum cibum, poteſt id grauiter imperare. Verùm neque hæc ſolutio ſatisfacit, quia hæc ſignificatio eſt valdè accidentaria huic præcepto; quod in eo maximè videtur fundatum, vt reuerenter accipiatur hoc Sacramentum; iam autem oſtendi, eam irreuerentiam eſſe valdè leuem. Inſtantia de gutta aquæ in calicem non vrget, quia illa fit directè ad repræſentandum quid ſit in cruce factum, quando exiuit ſanguis & aqua: quæ repræſentatio in eo Sacrificio eſt magni momenti.

Ego huius rei, rationem ſic puto poſſe declarari, vt propterea non ſit ibi paruitas materiæ, quia ea abſtinentia ab Eccleſia requiritur vt conditio ad hoc, vt det licentiam communicandi; in conditionibus autem petitis non eſt paruitas materiæ, ſed ſola penſatur voluntas illius qui eas conditiones exigit. Explico rem meo iudicio clarè. Sine dubio res parui momenti eſt me fricare barbam, me flectere genu, &c. vnde fortaſſe ſi eæ res directè præciperentur, non poſſet eſſe peccatum graue in eius tranſgreſſione: ſi tamen Rex dicat, *Dono tibi hoc monile ſub hac precisè conditione, vt frices barbam, aut vt genu flectas, aliàs nullo modo tibi illud concedo*; profectò ſi ego tunc non fricando barbam, aut non flectendo, accipio illud monile, peccabo grauiter; non quia non fricui, ſed quia ex defectu conditionis petitæ à donatore accepi illud non minùs contra voluntatem illius, quàm ſi furatus illud abſolutè fuiſſem. Idem eſt in Religione; ſuppono v. g. ſine licentia Superioris me licitè non poſſe accipere pecuniam ab vllo; peto licentiam accipiendi; Superior qui abſolutè poterat illam negare mihi, poterat & concedere ſine vlla conditione; tenuit tamen mediam viam, donauitque mihi licentiam, ea tamen conditione, vt priùs dicerem id Patri Miniſtro; qua conditione omiſſa dicit ſe non dare vllo modo licentiam. Profectò dicere Patri Miniſtro, *Eam habeo licentiam*, nullius momenti eſt; quia tamen licentia pendebat ab ea conditione, qua non poſita corruit, iuxta dicta, peccabo mortaliter eam pecuniam accipiendo, ſi non priùs id ſignifico Patri Miniſtro; quia feci rem grauiter prohibitam ſine licentia, eſto defectus licentiæ fuerit hîc & nunc cauſatus ex defectu conditionis illius in ſe leuis; quia illi ſuam voluntatem Superior alligauit pro ſuo libitu, qui alioquin clarè reſpondetur noſtræ difficultati: Eccleſia enim tanquam diſpenſatrix Sacramentorum habet ſine dubio in ſe poteſtatem dandi vel negandi licentiam, vt recipiamus Sacramenta; vnde poteſt illa abſolutè dicere, Nolo vt laïci communicent niſi ſemel in menſe v. g. poteſt enim ad id habere iuſtas cauſas; quo caſu ſi quis communicaret bis, peccaret mortaliter, quia ſine licentia vſurpaſſet ſibi Sacramentum illud; & hoc modo eſt peccatum mortale communicare bis de die, quia Eccleſia negauit nobis eam licentiam; facere autem rem adeò grauem ſine licentia eius ad quem ſpectat ad id dare facultatem, ſine dubio eſt peccatum graue, ſicut accipere Petro pallium contra voluntatem ipſius, ſeu ſine licentia ſaltem implicita ipſius: dat ergo Eccleſia nobis licentiam communicandi, ſub hac tamen conditione, quòd ſimus ieiuni etiam à minimo hauſtu, aliàs eam non datura; ac ſi diceret,

Right margin notes: 10 *Statuitur nō dari paruitatem materiæ.* — *Explicatur ſimilitudine.* — 11 *Difficultas ſoluitur.*

Digitized by Google

diceret, *Non do tibi licentiam niſi ſub hac conditione*, quod idem eſt ac dicere, *Non permitto tibi Communionem niſi ieiunus ſis; quam prohibere etiam poteram eſto eſſes ieiunus*; ergo eo caſu communicans non ieiunus peccat mortaliter, quia ſine licentia vſurpat tantum Sacramentum. Hæc meo iudicio eſt facilis & clara huius difficultatis ſolutio: ex qua etiam poſſunt multæ aliæ quæſtiones expediri, quæ alioquin ſat magnam habent difficultatem; vt v.g. Cur ſit peccatum mortale, iuxta communem ſententiam, celebrare cum cingulo non benedicto: videtur enim res valdè leuis defectus vnius orationis, quam Superior aut Epiſcopus dicere debuiſſet ſupra illud cingulum, aut ſuprà caſulam, &c. Dico ergo, Ideò eſſe peccatum, quia licentia celebrandi non erat mihi aliter data quàm ſub ea conditione, ſiue hæc conditio in ſe ſit res magna, ſiue non; quia ſine dubio potuit Eccleſia ad eam celebrationem maiores conditiones, potuit & minores requirere; quæcumque tamen petitæ ſunt, & ſub quibus tantùm data eſt licentia, faciunt vt ſine illis licentia ſit nulla, ac proinde vt vſurpatio Sacramenti ſit vſurpatio rei grauiſſimæ contra voluntatem Eccleſiæ, perinde ac ſi contra voluntatem Eccleſiæ acciperem ex templo calicem aut rem grauis valoris.

Cur celebrare ſine cingulo benedicto ſit peccatum mortale.

12 Tertiò quæritur; Quid requiratur vt violetur illud ieiunium. Reſpondetur communiter, Requiri quod aliquid ab extrinſeco ſumatur per modum cibi aut potus. Hinc communiter docetur, eos qui ſanguinem aut humorem ex capite ad os deſcendentem deglutiunt, non violare ieiunium; quia non ſumunt ab extrinſeco. Et ratio à poſteriori eſt facilis, quia alioquin eſſet ea conditio moraliter impoſſibilis: cogeretur enim homo toto tempore ante Communionem omnem ſaliuam ſpuere; id quod eſſet valdè difficile & indecens inter homines. Secundò inde infertur, Reliquias, quæ inter dentes ex cibis præcedentis diei remanſerunt, etiamſi poſteà traiiciantur, non violare ieiunium. Quam tamen ſententiam ita limitant nonnulli, vt requirant illas traiici caſu, non ex propoſito; alij verò, quomodocumque traiiciantur, dicunt non obeſſe. Cardinalis verò Lugo proponens numero 26. rationem dubitandi, deinde numero 36. in priorem limitationem conſentit. Mihi ſanè videtur ea ſententia nimis ſcrupuloſa; nec perſuadeo mihi Eccleſiam fuiſſe ſolicitam de illis reliquiis, cùm ea die non ſint in os immiſſæ, ac proinde non poſſint dici moraliter manducatio.

Quomodo violetur ieiunium naturale.

Sententia Cardinalis Lugo nimis ſcrupuloſa.

Dices: Si granum aniſi accipiam hodie, non ero iam ieiunus; ergo nec ſi illud accepiſſem heri, & hæſiſſet mihi inter dentes: patet, quia quod hodie vel heri fuerit immiſſum in os, videtur eſſe per accidens ad ieiunium frangendum; alioquin qui ante mediam noctem accipit ad os partes ſacchari, vt diſſoluatur in ore, erit etiam ieiunus; licet poſt mediam noctem aliquam partem deglutiat: id quod tamen eſt contra omnes Doctores, teſte Diana 2. Tomo, Tractatu 4. reſolutione 36. Reſpondeo negando nihil intereſſe ad rem præſentem, quòd hodie accipiatur, vel quòd relictum ſit ex præcedenti comeſtione; quia in ordine ad moralem æſtimationem illa eſt comeſtio hodierna; hæc verò reputatur præcedentis diei. Inſtantia autem allata nihil facit ad rem, quia quando eo modo accipitur ex propoſito ſaccharum, comeſtio cenſetur protracta vſque ad finem ſacchari; eſtque ea comeſtio directè volita: vti ſine dubio faceret contra præceptum non comedendi carnes ille, qui die Iouis ante duodecimam acciperet ad os partem carnis, quam poſt duodecimam deuoraret; nemo autem dicet facere nec quidem leuiter illum, qui particulas, quæ caſu adhæſerunt inter dentes die Iouis, & ex dentibus decidunt die Veneris, etiam aduertenter deglutiret.

Obiectio cum inſtantia ſoluitur.

Hac occaſione tangit Lugo caſum Sacerdotis, qui hodie minimam particulam conſecratam ex heſterno die ſumeret; quem dicit non poſſe ampliùs hodie celebrare quia iam communicauit, & illa particula dedit illi gratiam: id quod mihi veriſſimum videtur, nec puto ab vllo negandum: addit tamen, ſi ſimilis particula hæſiſſet inter dentes heri, & caſu eam hodie traijceret, non ideò fore eum impeditum à Sacro, eſto ipſi conſtaret de ea traiectione. Hoc mihi difficultatem ingerit aliquam, quia reuerà etiam eo modo accepta ea particula videtur cauſatura gratiam; ſi autem tunc gratiam cauſat, ergo iam ille homo pro ea die communicauit; ac proinde non poterit etiam tunc ſecundò communicare. 13

Caſus de Sacerdote proponitur à Lugo, qui particulam hoſtiæ ante Sacrum deglutit.

Dices: Ille tunc traiicit eam particulam tanquam alium ordinarium cibum: id quod non ſufficit ad cauſandam gratiam. Sed contrà Primò, quia (vt fuſiùs ſuprà) valdè eſt dubium, vtrùm non Euchariſtia, etiam non aduertenter accepta, cauſet gratiam, ſi homo ſit in gratia. Contrà Secundò, quia illam particulam ſaltem cum reliquis ille homo voluntariè ad os poſuit; quòd autem tardiùs intrauerit, non debet illam impedire in cauſatione gratiæ, quia licet applicatio ibi ad os debeat eſſe voluntaria, prout ad comeſtionem ſolutio requirit, non eſt tamen neceſſaria noua voluntas in ordine ad traiectionem illius cibi in ſtomachum.

Replica: *Soluitur Primò.* *Secundò.*

Reſpondebis, Secundò, & melius, Eam particulam pertinere ad præcedentis diei Communionem, ac proinde non cauſare diuerſam gratiam; vti quando finito Sacro accepit Sacerdos particulam aliquam tenuiſſimam in patena repertam; non enim ideò noua ei gratia confertur, quia conſtituit vnam Communionem moraliter cum præcedenti; multo autem maiori iure debet in noſtro caſu cenſeri vna Communio cum præcedenti, quandoquidem etiam in os fuerat ea particula ſimul cum præcedenti hoſtia impoſita, & animo eam ſumendi ſimul cum præcedenti; eſt autem per accidens quòd tam diu durauerit in ore. Adhuc tamen replicari poteſt, quia hæc ratio videtur probare, etiamſi homo ſequenti die notaret illam particulam in ore ſuo eſſe, eamque voluntariè deglutiret, non ſuſcepturum gratiam: id quod videtur abſurdum. Reſpondeo, Satis probabiliter id dici poſſe, quia reuerà etiam tunc ea particula pertinet ad præcedentem Communionem, nec minùs quàm ſi eodem die vna vel altera hora poſt Sacrum notaret ſe habere eam particulam, eamque tunc (vt deberet; neque enim expediret eam ex ore exponere) ſumeret, non tamen cauſaret illi nouam gratiam; quòd autem mora interpoſita ſit duarum vel trium horarum intra eumdem diem, vel ſit intra duos dies, eſt omnino per accidens; quia non ideò in Sacramento eſt diuerſa virtus: neque Chriſtus, quòd hac vel illa hora incipiat ab Eccleſia 14

Statuitur, quid in propoſito caſu probabiliter dici poſſet.

Digitized by Google

cleſia determinati initium & finis diei, propter-eà ipſe maiorem vel minorem cauſat gratiam; ſed ad id attendit, an ſit per modum vnius nócne ea Communio: reliquiæ autem, quæ inaduertenter manſerunt, ſemper cenſentur per modum vnius prandij cum præcedenti comeſtione. Ac proindè concludo, Siue inaduertenter (vt ait Cardinalis) ſiue aduertenter ea particula inter dentes hærens die ſequenti deglutiatur, non impeditura nouam Communionem aut celebrationem Sacri eius diei quo traiicitur.

Concluditur non impedire Communionem.

SECTIO II.

Duæ aliæ quæſtiones circa idem ieiunium.

15 QVARTÒ quæritur, Vtrùm illud ieiunium violetur per traiectionem alicuius rei, quæ non eſt materia comeſtibilis; v. g. ſi quis vnum capillum, globum plumbeum vel ferreum traijciat. Aliqui affirmant, alij negant; quos refert & ſequitur Diana Tomo 1. Tractatu de Celebratione Miſſæ, reſolutione 52. & Tractatu 4. de Sacramentis, reſolutione 38. & Lugo ſuprà; & mihi omnino videtur verum: id quod probatur ex locis Conciliorum, quæ hi Auctores adferunt; in quibus ſolùm fit mentio cibi aut potus.

Sumptio rei non comeſtibilis non frangit ieiunium.

Probatio ex Sotero Papa non ſubſiſtit.

Quod verò ex Sotero Papa dicitur, *Nullus poſt cibum potumque, ſiue quodlibet minimum ſumptum Miſſam facere præſumat*, vbi etiam alia præter cibum includuntur; hoc inquam non vrget (inquit Lugo) quia illud decretum non eſt Soteri, ſed Concilij Toletani, vt ex Gratiano conſtat cauſa 7. quæſt. 1. cap. *Illud*. Ego tamen in illo capite & ſequentibus nec verbum inuenio de ieiunio, ſed quòd debeat ſacrificanti aſſiſtere alius Sacerdos, ne ſi pergere nequit, maneat Sacrificium non abſolutum. Quidquid verò de ea citatione ſit, illud decretum non videtur eſſe authenticum; & in Concilio ipſo non habentur ea verba, *Siue quodlibet aliud*, ſed *Cibum potumque quemlibet minimum*. Ratione ea ſententia ſuadetur; nam ſi quis ad occultandos nummos aureos propter periculum aliquod imminens illos deglutiat, quantumuis in quantitate magna, non cenſetur peccare contra ieiunij Eccleſiaſtici leges, vt poſſet haud dubiè talis hora ordinaria prandere; ergo hæ materiæ non violant naturale ieiunium: patet, quia ſi ex ſe eſſent contra leges ieiunij, eſſent contra Eccleſiaſticum, quando in magna quantitate ſumuntur; quia Eccleſiæ ieiunium non videtur à naturali differre, niſi in hauſtu quia ab Eccleſia non prohibetur, & tamen prohibetur à naturali.

Probatur cõcluſio ratione:

16 *Confirmatur.* Confirmatur, quia in ordine ad intentum Eccleſiæ præceptum illud imponentis planè videtur per accidens ea traiectio talium rerum: vel enim finis præcepti eſt oſtendere Chriſtum eſſe noſtrum primũ cibum, vt aliqui putant; hoc autem non impeditur per traiectionem rei quæ ad rationem cibi non pertinet; vel ne aperiatur via ad ſumendum Chriſtum poſt notabilem cibum ſtomacho turbato, & ad ructationes commoto, hoc item ceſſat, quia tales res nullo modo immutant ſtomachum; vel petitur illud ieiunium per modum cuiuſdam mortificationis ſeu ceſſationis ab omni delectatione cibi, hoc item non impeditur per tales res, quæ non magis palatum afficiunt quàm aër traiectus. Obſeruandum tamen eſt quod benè notauit Cardinalis Lugo, in aſſignandis materiis quæ non ſunt cibus diligenter attendendum: etenim quòd aliqui dicunt, ſanguinem ex vulnere proprio non violare hoc ieiunium, mihi videtur omnino improbabile; quia ſanguis non eſt minùs per ſe cibus aut potus quàm caro & vinum, &c. alij aſſignant papyrum, alij etiam terram, ſeu cretam, quam fœminæ ex apprehenſa ibi fictè neſcio quali delectatione, aut forte ex deſiderio pallidum colorem acquirendi comedunt, meritò tamen alij de his materiis dubitant; nam charta cibus eſt multorum animalium, vti & terra. Optimam regulam puto eſſe, vt ea quæ integra ejiciuntur, vt ſunt lapilli, ferrum, plumbum, &c. dicantur non violare ieiunium: ita Lugo ſuprà. Habet tamen hæc res difficultatem in allio; nam ſi quis vnum dentem, vt dici ſolet, ſeu vnum integrum granum allij deglutiat, integrum etiam omnino eiiciet; non videtur autem poſſe negari, quin per illud violetur ieiunium. Reſponderi tamen poteſt, Allium per ſe eſſe cibum, quòd verò ex defectu maſticationis non digeratur, eſſe per accidens, ac denique etiam eo ipſo caſu, quo integrum ſumitur, operari varias qualitates in homine: inde ergo argumentum deſumi non poteſt ad alias res, quæ natura ſua, ſiue comminutæ ſint, ſiue non, non alterantur.

Regula generalis, vt dignoſcatur quidnam ſit cibus.

Replicabis: Si aurum in pulueres redactum 17 *Replica.*
ſumatur, aliquo modo ſuſtentabit & confortabit ſtomachum, & tamen ſi ſumatur vnus integer ducatus, non cenſetur ſumi cibus vllus, ergo idem dicendum erit de allio. Reſpondeo, Longè probabilius eſſe, neque etiam comminutum aurum ſuſtentare, ac proinde nullam eſſe ex illo ad allium conſequentiam: etiam fortaſſe reſponderi poſſet, Granum allij, ſi diutiùs maneret in ſtomacho, omnino alterandum, per accidens autem, quòd trahatur citiùs cum reliquis cibis: vnde etiam notandum, non debere conſiderari pro hac re debilitatem ſtomachi in hoc aut illo homine, an poſſit concoquere hunc vel illum cibum, ſed, an res ſumpta ſit per ſe cibus.

Soluitur.

Quæritur Quartò, An violetur ieiunium, dum is qui abluit os deglutiens ſaliuam ſimul traiicit vnam vel alteram guttam aquæ. Communiter ferè omnes dicunt, Non violari tunc ieiunium, quia ea actio non eſt potatio. Aduerto tamen, in hoc poſſe eſſe aliquam æquiuocationem; non enim debet cenſeri deglutire ſaliuam ille, qui nimis multùm de aqua imponendo in os, aut nimiùm illam verſando traiicit etiam inaduertenter aliquid notabile aquæ, hic enim nullo modo cenſeri debet ieiunus, quanta autem debeat eſſe ea quantitas, vt non cenſeatur deglutiri ſaliua, ſed aqua bibi, non poteſt à nobis decidi, niſi dicamus, tunc non eſſe ieiunium, quando percipitur quantitas maior quàm ſit ordinaria ſaliua; aut ex frigore aquæ vel alio modo ipſemet qui abluit os format iudicium, ſe plus quàm ſaliuam deglutiiſſe: in quo audiui graues Auctores docentes, non multum eſſe
ſcrupulizandum: quod & mihi placet. Sed 18
quid, ſi dum homo habet os apertum inuolet muſca, & homo antequam aduertat, eam naturali attractione aëris traiiciat? Suarez ſect. 4. §. *Quæres rurſum*, ait non violari ieiunium, ſi per modum reſpirationis aliquid attrahatur quod

Quid ſentiendum de eo qui cum ſaliua deglutit aquam.

Quid de eo qui muſcam attrahit.

Digitized by Google

quod poſſit nutrire; vnde cùm ea muſca attrahatur tunc per modum reſpirationis, non videtur iuxta ipſius ſententiam violatura ieiunium: verùm cùm ibi non explicet, Vtrùm loquatur de re ab extrinſeco in os intrante, non poteſt pro illa ſententia citati: Fagundez tamen, Reginaldus & Diana apud Lugo, quibus ipſe adhæret, dicunt non violari, quia Eccleſia noluit prohibere, ne deglutiamus ſaliuam: eſſet enim id duriſſimum præceptum ſapiens Iudaïcum ſuperſtitionem: deberemus enim perpetuò ſpuere ſaliuam, ne nobis aliquid de pulueribus aut de humore ſimul cum ipſa intraret; vel cogeremur perpetuò os clauſum tenere. Contra hanc rationem occurrit, quid ſi aliquando in mari ex fluctu aliquo violenter in os proiecto homo partem aliquam ſatis notabilem aquæ deglutiret; quam propter naturalem reſpirationem impedire non potuit, deberet adhuc cenſeri ieiunus: id quod eſt difficile creditu.

Qui aſſerant ieiunium eſſe.

Aliqua difficultas contra præcedentem mouetur.

Dices, Concluſionem intelligi de his quæ per ſe loquendo feruntur ab aëre quem reſpiramus; vt puluis, palea & muſca; aliud verò de illis quæ aliunde per accidens intrant in os, vt ſi alicui habenti os apertum aliquis iniiceret amygdalum, vel granum ſaccharaceum, quod ipſa naturali reſpiratione traiiceret, non poſſet dici ieiunus; huiuſmodi autem debet cenſeri etiam illa aqua à mari per fluctum immiſſa in os, quæ non fertur ab aëre quem reſpiramus. Sed contrà, quia licet quoad hoc ſit optima differentia inter aquam ex vna parte, & pulueres ac paleas ex altera, quia hæc per ſe feruntur ab aëre; at muſca non fertur per ſe ab aëre, ſed ipſa ſuo volatu ſe intrudit in os: deinde licet quoad pulueres, paleolas quaſi imperceptibiles locum habeat illa ratio, quòd ſcilicet eſſet grauiſſimum præceptum, maximè cùm moraliter ſæpè nequeat homo diſtinguere, an traiecerit nécne aliquid; in ordine tamen ad rem ita notabilem, qualis eſt muſca, quæque vix alicui ſemel intra centenos annos inuolauit, vt eijci non poſſit; non video cur deberet ea obligatio in tali caſu ceſſandi à Communione intolerabilis, aut præceptum Iudaïcum videri. Vnde (vt verum fatear) magis propendeo eo caſu ad negandum licere Communionem; propter auctoritatem tamen talium virorum poteſt quis opinioni probabili ſe accommodando etiam tunc communicare.

SECTIO III.

A quo puncto illud ieiunium ſit inchoandum?

19 Circa tempus verò, à quo debet computari obligatio ieiunandi, nulla eſt inter Auctores difficultas; omnes enim conueniunt illud incipere à puncto mediæ noctis in ſequentem diem; quia verò hoc punctum non poteſt innoteſcere ex ſe, debet ex horologiis colligi, ita vt cùm primùm incipit ſonare duodecimam iam incipiat dies ſequens: id quod benè notauit Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio diſp. 41. num. 40. & nos agentes Tomo 5. de ieiunio etiam obſeruauimus: & ratio eſt clariſſima, quia ſonus campanæ ſolùm denotat elapſum tempus præcedentis horæ; quòd autem id denotet ſucceſſiuè, eſt per accidens: id enim ſit, quia alioquin non denotaret duodecimam potiùs quam primam; interim tamen tempus elapſum iam eſt, cùm primò ſonare cœpit; vt quando ſonant horam primam, conſequenter non percutit niſi ſemel; non tamen citiùs abſoluitur hora præcedens, quam ſi ſonaret duodecimam, vel quàm hîc in horologio Boëmico vbi ſonat vigeſimam quartam, abſoluitur ea hora vigeſima quarta: & idem eſt de quadrantibus, quia cùm illi primò incipiunt ſonare, eſt finis horæ, vti in his horologiis quæ quadrantibus carent clarè conſtat.

Sanchez rectè definit tempus quo obligatio ieiunij incipit.

Iam verò dices; Quid ſi homo haberet adhuc bolum in ore quando incipit ſonare primus quadrans, poſſetne illum traijcere? Reſpondeo, Non, quia ille non reputaretur per modum reliquiarum præcedentis cibi, vti diximus de particulis hærentibus inter dentes; ſed verè eſſet noua pars cibi; ac proinde ſi communicare quis vellet ea die, deberet illum ex ore eijcere.

Rogabis; Quid ergo faciendum in eis locis, in quibus non poſſunt diſtinguere diem per ortum & occaſum Solis, quia vel tota die Solem habent, vel tota è contrario noctem? Reſpondet Tannerus, In talibus locis oportere lege Eccleſiaſtica eam diuiſionem facere: id quod Suarius docuerat priùs diſput. 68. ſect. 4. Ego verò in primis nullam inuenio difficultatem pro eo tempore quo Sol perpetuò lucet; quia illi habent eodem modo acum magneticam, qua poſſunt notare, quando ſit Sol reſpectu illorum in meridie non aliter quàm nos notemus id ipſum; ac proinde tunc tam facilè illi ſcient quando apud nos ſit media nox, quàm nos ipſi: vel certè ſi ex acu magnetica id non notant, poſſunt ex diminutione vmbrarum id notare, ac proinde poſſunt aduertere, circa horam duodecimam Sol intrat per talem, &c. & poſſunt ſua ſua horologia tam facilè quàm nos dirigere. Difficilius eſt, quando Sole omnino carent, quia tunc & vmbrarum & acus obſeruationes ceſſant, habent tamen ratione ſtellarum Vrſæ maioris, &c. ſuas obſeruationes, ex quibus illi colligunt mediam noctem, & iuxta illas poſſunt ſua horologia dirigere, vti in noſtris partibus ſe dirigunt in hieme, quando longiſſimæ noctes ſunt: adde, ab illis diebus, quibus Sol luceſcit, poſſe ipſos ita diſponere horologia, vt deinceps illa ſemper denotent meridiem, mediam noctem, &c. Video in hac regula poſſe eſſe deceptionem ex eo quòd horologium non ſemper ſeruat ſuum ordinem; ſi autem ſemel errat, non poſſet facilè emendari, niſi ex Sole colligatur. Hoc tamen in hoc puncto ſecundo addo, me non videre quomodo Eccleſia ſpecialiter poſſit illis dare in hoc puncto regulam qua ſe dirigant, quia etiam poſt omnes regulas ſemper illi dubitabunt, quando deberet eſſe meridies, quando media nox: quòd ſi id ex ſtellis ipſi poſſint colligere, aut certè aliunde, tunc non indigebunt vlla alia ſpeciali Eccleſiæ determinatione. Et hæc de illis Regionibus omnino Septentrionalibus.

20 *Quæſtio proponitur.*

Reſponſio Suarez & Tanneri.

Vſus acus magneticæ.

Inſpectio ſtellarum.

SVBSEC

Digitized by Google

SVBSECTIO IV.

Quid dum horologia inter ſe diſcrepant?

21 *Quando ſunt plura horologia quid agendum.*

QVÆRIMVS; Quid ſit faciendum quando ſunt plura horologia inæqualiter incedentia? Reſpondeo breuiter cum communi Primò, Si conſtat aliquod ex illis aberrare, tunc non poſſe nos ei conformari, quia horologium non aſſumitur, niſi quatenus mihi oſtendit mediam noctem v.g. (ſi enim hanc in ſe noſceremus, non poſſemus ad horologia recurrere,) ſi ergo aliunde mihi conſtat illud malè incedere, non poſſum me illi accommodare: in quo puncto nulla eſt ratio dubitandi.

Quomodo quis aduertere poſſit errorem horologij.

Dices; Quomodo ego poſſum noſcere, illud errare, maximè media nocte, quando Sol non comparet? Reſpondeo, Facillimum id eſſe; nam ſi circa occaſum Solis v. g. horologium tardiùs incedat, & poſteà aduertam per clepſydram, vel ex comparatione ad alia horologia, illud horologium facere adhuc iuſtas horas, aut certè longiores, haud dubiè clarè noſcam, illud etiam circa mediam noctem tardè incedere; & eodem modo è contrario poſſum notare, an nimis citò. Reſpondeo Secundò; Si non conſtet vllum ex his horologiis malè incedere, liberum erit cuilibet accommodare ſe vel huic vel illi. Quod tamen ita debet fieri, vt non liceat ſimul & ſemel ſe accommodare diuerſis inæqualiter incedentibus: v. g. primum ſonat duodecimam quadrante citiùs altero; non poſſum accommodando me tardiori comedere carnes, & deinde ante auditam in ſecundo duodecimam rurſus me conformando primo, relicto ſecundo, iudicare iam incepiſſe diem, & communicare mutato animo (vt benè notauit Cardinalis Lugo ſuprà) ſiue ab initio id feciſſet bono animo, ſiue malo. Alioquin (vt notat ibi hic Auctor) ſi ante horam duodecimam noctu in tardiori horologio diceret quis, Volo me ei conformare, & non tam citò orare Completorium; id quod poſſet non peccando facere; liceret eidem, mutato animo, cùm audiſſet in alio horologio citiùs incedente duodecimam, dicere, Ego non teneor orare, quia iuxta illud horologium iam eſt elapſa dies. Rationem reddit Lugo, quia non licet in præiudicium tertij vti opinionibus contrariis, etiamſi quælibet ſit probabilis; vti inquam duabus, vna hoc momento, altera in ſequenti; alioquin ſi teneret Petro ſoluere ſingulis diebus ducatum, poſſem audita media duodecima noctis in vno horologio, in altero verò tertio quadrante, dum Petrus vrgeret ſolutionem, dicere, Adhuc non teneor, quia reſtat media hora; deinde audita in altero horologio duodecima dicere, etiam poſſem, Iam non teneor, quia iam eſt elapſa dies: ego enim me iam accommodo horologio citiùs incedenti; hoc autem eſt abſurdum, ergo.

Tenenda eſt vnius horologij obſeruatio.

Ratio Cardinalis Lugo & instantia.

22 *Inſtantia non vrget.*

Hæc tamen inſtantia non vrget, quia in ea materia debitum videtur tranſire etiam in diem ſequentem, ſaltem quia non ſoluit quando debebat. Quidquid verò de hoc ſit, cùm in noſtro caſu nemini fiat vllum præiudicium, quia nec proximo, nec Deo quidquam auffertur; non videtur ea ratio ſufficere ad oſtendendum, non licere nobis eis horologiis nos accommodare: quod enim vrget hic Auctor, Superiorem tunc habere ius ad exigendum illud ieiunium, ac proinde fieri in præiudicium tertij, ſi non ſeruetur, non multùm premit; quia hæ actiones, quæ purè putè ſunt imperatæ, & nullam aliam vtilitatem Legiſlatori adferunt, quàm quòd in eis fiat ipſius voluntas; quia non eſt actio ſupernaturalis in honorem Dei, &c. vti non eſt ea Communio, quia ſi ſine peccato ea fiat poſt cibum, nihil omnino Deo decreſcit; vti decreſceret, ſi eſſet imperatus actus amotis ipſius v.g. aut recitatio Officij: quæ ſi omittatur, licet id fiat ſine culpa, omittitur non ſolùm obſeruatio præcepti, ſed exhibitio cultus & laudis Dei, &c. in illis ergo actionibus, quæ nullo modo, vt dixi, ſunt in laudem Dei poſitiuam, non poteſt dici eſſe in præiudicium tertij omiſſio, quando hæc fit ſine culpa; ac proinde non poteſt inde inferri, Non licere vti illis duobus horologiis. Denique, ſiue res ſit in præiudicium tertij, ſiue non, non oſtenditur hucuſque ratio, cur in fauorem meum non liceat vti eis opinionibus, eſto afferantur inſtantiæ, quæ non videntur poſſe concedi.

23 *Tota difficultas melius declaratur.*

Ego rem hanc iudico valdè facilem declaratis terminis. Pro quo aduerte, licet quando ſunt duæ opiniones probabiles poſſim quamlibet iudicare fortè eſſe veram, repugnare tamen in terminis, vt iudicem, nec quidem probabiliter vtramque partem contradictionis ſimul & ſemel eſſe veram. Vnde fit, vt ſi actio moralis ad ſuam honeſtatem requirat eſſentialiter vtramque partem contradictionis eſſe veram, repugnet in terminis me poſſe illam actionem bona conſcientia vſurpare, quia non poſſum nec quidem probabile iudicium reflexum de illius honeſtate habere. Hoc ſuppoſito, de quo nemo poteſt dubitare, aſſumo aliam propoſitionem ad rem noſtram etiam euidentem, ſcilicet vt hîc & nunc in caſu obiectionis poſſim communicare licitè, requiri eſſentialiter quodlibet ex illis horologiis benè incedere; id quod omnino repugnat, cùm dicant contradictoria: vnum enim dicit, *Eſt duodecima*, alterum, *Non eſt*; nequit autem ſimul eſſe & non eſſe duodecima; ergo repugnat me eo caſu cum conſcientia probabili operari. Conſequentia eſt optima; ſubſumptam autem minorem facillimè oſtendo; nam vt poſſim tunc communicare, debet eſſe verum horologium quod docet eſſe duodecimam; alioquin adhuc ero intra diem Sabbati v. g. ac proinde non potero communicare, quia die Sabbati iam comederam, vt verò ſim ieiunus requiritur non eſſe duodecimam, quia cùm immediatè comederim, & iam fuit duodecima, ergo comedi poſt duodecimam, requiritur ergo, vt etiam nunc iudicem verum ſimul vtrumque horologium: id quod haud dubiè repugnat. Vnde hanc doctrinam vniuerſaliter trado, tunc licere honeſtè operari iuxta opinionem aliquam probabilem, quando, dum me accommodo vni ex eis contradictoriis opinionibus, non pendet honeſtas actionis à veritate alterius oppoſitæ opinionis, ſeu quando ita poſſum vnam opinionem ſequi, vt alteram tunc reiiciam. At ſi actio ad hoc, vt ſit licita & honeſta, pendet à veritate vtriuſque opinionis, & non poſſum pro meo intento vti vna ſola, profectò repugnat meam actionem eſſe tunc honeſtam, quia repugnat me accommodare licitè opinioni neganti, ſi retinere adhuc debeo vt veram etiam affirmantem. Oſtendi autem ad hoc vt in die Dominico ſim, debere

re

Digitized by Google

re eſſe verum illud horologium quod ſonuit duodecimam ; vt verò ſim ieiunus , oportet vt illud idem horologium ſit falſum;alioquin cùm poſt illud comederim , iam ego comediſſem intra diem Dominicam;ideoque pro ea non eſſem ieiunus.Non poſſum ergo tunc ſucceſſiuè me accommodare vtique pro ea Communione , quia non diuiſiuè,ſed ſimul eſſe deberet vtrumque verum:id quod omnino repugnat.

24 *Declaratur exemplo familiari.*

Declaro id exemplo facili.Si mihi Rex diceret ; Caſu quo debeas Petro centum , accipias tibi alia centum ex meo ærario ; alioquin ſi non debes, nihil accipias. Demus eo caſu ſolùm eſſe probabile quod debeam ea centum Petro;certe etiamſi me accommodando opinioni probabili quòd debeam , ſit mihi licitum ea centum accipere; nullo tamen modo poſſum ea retinere ſequendo deinde contrariam opinionem , quòd nihil Petro debeam ; quia eo caſu illa retentio vt eſſet licita , penderet eſſentialiter à duobus contradictoriis ſimul veris: in primis enim penderet ab eo quod deberem ; alioquin iniuſtè accipio ex regio ærario eam pecuniam Regiam: penderet item ab eo quod non deberem , alioquin iniuſtè retineo illam pecuniam ad Petrum ſpectantem;non poſſum ergo in eo caſu formare probabile iudicium de honeſtate retentionis vtriuſque pecuniæ;quia honeſtas pendens à conditione repugnante eſt honeſtas implicatoria manifeſtè:idem eſt in noſtro caſu.

Replica à ſimili.

Fortè replicabis;Stantibus duabus opinionibus probabilibus,quòd in tali delicto,v.g.ſub talibus circumſtantiis,poſſit reus abſolui licitè, & licitè poſſit condemnari;ſi ſint duo rei in duobus ſimilibus caſibus,licitum eſt Iudici vel vtrumque damnare,vel vtrumque liberare , vel vnum damnare,& alterum liberare: ſi autem faciat hoc vltimum profectò non poteſt id iuſtificare , niſi duo contradictoria in ſe ſint vera:cùm enim det quaſi contradictorias ſententias abſolutionis & condemnationis, non poterit non in vna ſaltem moraliter errare,niſi re ipſa verum ſit , quòd in tali caſu debeant illi abſolui, & non debeant abſolui,& tamen qui nititur duabus opinionibus probabilibus,honeſtè in vtraque ſententia ſe gerit,ergo eodem modo in noſtro caſu.

Reſpondetur replicæ.

Reſpondeo negando conſequentiam,quia Iudex non vtitur ibi pro vna eademque actione duabus opinionibus contradictoriis:hoc enim videtur ſemper per ſe repugnare,quia repugnat duo contradictoria eſſe ſimul vera;ac proinde actio,quæ,vt ſit honeſta,pendet ab eis duabus contradictoriis, non poteſt eſſe honeſta,vt paulò antè dixi : Iudex ergo pro vna ſententia circa vnum reum vtitur vna opinione , quæ poteſt eſſe vera ; ac proinde tota actio ei ſententiæ innitens poteſt eſſe honeſta:quia verò non eſt omnino certus,& potuit re ipſa errare , circa alterum reum vtitur altera etiam ſententia probabili , in qua non ſe exponit moraliter vlli periculo:cùm enim ſit res incerta , profectò ſi vnam tantùm opinionem ſequendo vtrumque reum damnaret , exponeret ſe periculo re ipſa in vtroque caſu errandi ; & idem periculum eſſet , ſi è contrario vtrumque abſolueret : fortaſſe autem maius damnum eſſet circa vtrumque errare,quàm errare in vno,in altero certò tangere.

25 *Diſparitas in caſu propoſito.*

At in noſtro caſu agimus de vna indiuiſibili actione,nempe de Communione, pro cuius honeſtate iam probaui eſſentialiter debere eſſe vtramque contradictoriam veram : id quod omnino repugnat ; ideoque talis homo metaphyſicè eſt certus ſe in ea actione omnino errare , & nullo modo poſſe illam in ſe eſſe hic & nunc non malam materialiter, eo autem ipſo malè formaliter operabitur. Explico autem id magis in noſtro caſu,nam vt liceat mihi hac hora communicare , non ſufficit quòd quando ego comedi , putauerim probabiliter non eſſe duodecimam,& tunc proceſſerim bona fide ; nam ſi re ipſa, antequam ad Communionem veniam , deprehendo fuiſſe id falſum, iam non obſtante tota bona fide præcedenti non potero communicare ; ergo eo ipſo quòd iam dicam , *Dum horologium Collegij v.g. ſonuit duodecimam , verè erat duodecima , ideoque ego iam ſum in die Dominica* , neceſſum eſt me ibi dicere, Ergo ego qui comedi poſt illud horologium ante horologium arcis, re ipſa comedi poſt duodecimam , eſto bona fide proceſſerim: eo autem ipſo iam deprehendo errorem,& communicare non poſſum ; vt ſi circa duodecimam noctis ego euigilarem,& vir Religioſus,ac fide dignus conſtanter aſſeueraret mihi , Necdum eſt duodecima, ſine dubio tunc poſſem ego comedere ; & caſu quo interim obdormirem , & nihil in contrarium intelligerem ea de re , poſſem me ieiunum iudicare , & celebrare, ſeu communicare. At ſi ego ipſe immediatè poſt quàm comedi audirem primam, & agnoſcerem deceptum fuiſſe illum bonum virum ; profectò quantumuis dum comedi habuerim bonam fidem , quia tamen illam depono ante tempus Communionis, iam non licebit mihi communicare;ergo cùm bonam fidem, quòd non eſſet duodecima,ob dictum (vt ſic loquar) horologij Arcenſis , depono antequam communicem, quia tunc dico , Horologium Collegij verum eſt;ac propterea ego iam ſum in die Dominica, eo ipſo deprehendo me quidem tunc etſi bona fide,comediſſe tamen poſt duodecimam,ac proinde me non eſſe actu ieiunum : bonam autem fidem de ieiunio & de die Dominica ſimul non potui habere,quia ea ſunt contradictoria , ergo communicare tunc nequaquam poſſum. Et hæc mihi videtur euidentiſſima huius difficultatis declaratio.

Et repugnantia.

16 *Inſtantiis in contrariam partem allatis ſatisfit.*

Vnde addo,Quoad hoc faciliorem & clariorem eſſe repugnantiam in noſtro hoc caſu, quàm in illis inſtantiis antè allatis de omiſſione Completorij , &c. etenim vt ego iam non teneat orare Completorium die Sabbati , ſufficit quòd ego re ipſa agnoſcam me eſſe in die Dominico , ſiue anteà putauerim me eſſe in die Sabbati , ſiue non. At in noſtro caſu ego ſum metahpyſicè certus , quomodocumque res agatur, me non eſſe ieiunum,vt ſuprà oſtendi , ergo non poſſum formare iudicium probabile , quòd adhuc ſim ieiunus;ergo non poſſum licitè communicare.

Licitum eſt ſequi opinionem mediam inter horologia duo.

Addo tamen , Si in eo caſu velim ſequi opinionem mediam inter ea duo horologia,id omnino fore licitum : vnum v. g. præcedit media hora alterum , eſto poſt auditam in vno duodecimam comederim ad vnum quadrantem , poſſem tamen ſtatim communicare formando iudicium medium inter ea duo,quòd nec tam tardè quàm vnum , nec tam citò quàm alterum , ac proinde quòd tunc ſit duodecima cùm ego ceſſo à cibo. Et verò longè probabilius tunc diſcurram , quàm ſi quodlibet ex illis extremis ſequerer;quòd enim non ſint alia horologia media eſt omnino per accidens, nam ſi vt horolo-

Digitized by Google

gij tardioris poſſum iudicare diem Dominicam incipere media hora tardiùs, à fortiori potero iudicare incipere vno tantùm quadrante tardiùs quo ſuppoſito poſſum dicere, Non incepit dies ea media hora antè qua ego comedi, ſed iam, ac proinde iam poſſum communicare, quia tenerà iam ſum ieiunus. Quo caſu nec muto opinionem quam tenueram, neque vnum idemque tempus facio ante, iam, poſt duodecimam; ſed dico, illo tempore, quo noſtrum horologium ſonuit mediam duodecimam, necdum erat duodecima, ac proinde quòd tunc comederim, non violaui ieiunium: vt verò iam dicam eſſe diem Dominicam vtor ex parte horologio citiori; quia ſi potui ob illud dicere ante mediam horam, Iam eſt dies Dominica, à fortiori nunc potero & cum minori periculo erroris, neque hîc aſſentior duobus contradictoriis; non enim dico fuiſſe tunc duodecimam, & non fuiſſe; ſed ante mediam horam non fuiſſe, fuiſſe verò ante vnum quadrantem: quæ nullo modo ſunt contradictoria; vti ſi eſſent duæ opiniones probabiles, quarum vna diceret me nihil teneri restituere, altera diceret teneri me reſtituere totum; haud dubiè ſequi poſſem mediam, & reſtituere mediam partem.

Neque eſt vlla repugnantia.

Quoad inſtantias illas de recitatione Breuiarij (de quibus in obiectione) reſpondendum eſt, eas huc non ſpectare; nihilominus dico ibi, quia ſunt quaſi in damnum tertij, ſeu Dei poſſidentis ius in eam orationem, non habere locum eam mutationem opinionum, iuxta ea quæ ſuprà diximus ex Cardin. Lugo.

SVBSECTIO V.

Dubium de nocte Natiuitatis Romæ.

27 PRo complemento dubij præſentis ſectionis circa punctum, quo debet inchoari ieiunium, occurrit caſus de Cardinale, qui nocte Natiuitatis coram Pontifice Sacrum cantat: ordinariè enim fit illud Sacrum ante mediam noctem, vt poſſint Cardinales quieſcere, & redire deinde tempeſtiue ad Sacrum ab ipſo Pontifice cantandum. Aliquis diceret, Tunc Pontificem diſpenſare cum Cardinale ſic celebrante vt non ieiunus communicet. In contrarium tamen vrget Cardinalis Lugo fortiter: nam ſi illud Sacrum ſit intra Vigiliam Natiuitatis, ergo Pontifex diſpenſat tunc cum eo Cardinale, vt in Vigilia celebret duo Sacra: eſt autem id omnino falſum, tum quia illud Sacrum non eſt de Vigilia; tum quia ſi noua non accederet prohibitio, Cardinalis ille adhuc poſt illud Sacrum poſſet vti priuilegio diei ipſius Natiuitatis, & celebrare tria Sacra, cùm illud primum non eſſet pro die ipſo Natiuitatis; tum quia ſi ea Vigilia incideret in diem Dominicam, poſſet quis tota die Dominica non audire Sacrum, ſed auditionem differre vſque ad horam illam; tum quia è contrario qui illud Sacrum audirent, non ſatisfacerent præcepto audiendi Sacrum die Natiuitatis: quæ omnia videntur eſſe contra ſenſum omnium, & contra mentem Pontificis ſic diſpenſantis. Ideò reſpondet hic Auctor, Eo caſu cenſeri Pontificem pro eo Sacro anticipare aliquantulùm initium diei: nam inchoatio diei pendet ab hominum placito: aliqui enim illum inchoant ab occaſu Solis, alij ab ortu, alij à media nocte: poteſt ergo optimè Pontifex pro illa die & pro illo ſolo Sacro anticipare initium diei; hoc eſt, vt perinde ſe habeat illud tempus pro eo Sacro, ac ſi eſſet iam inchoata dies Natiuitatis.

Dubium de Sacro quod in Vigilia Natiuitatis fit coram Pontifice.

Ratio dubitandi ab abſurdis.

Reſponſio Card. Lugo.

Hæc eſt probabilis explicatio eius dubij; meo autem iudicio vix aliquid poſitum eſt in eo, quòd hoc aut illo modo res explicetur: ſemper enim debet interuenire Pontificis diſpenſatio, & quidem non vniuerſalis: quòd autem dicatur eſſe diſpenſatio in ieiunio, vel in anticipatione diei, nullius eſt momenti. Neque abſurda ſuprà illata hoc in puncto quidquam oſtendunt; nam ea quidem haberent locum ſi diſpenſatio illa in ieiunio eſſet vniuerſalis; & vt Sacrum illud valeret pro die Vigiliæ; at cùm ea diſpenſatio ſit limitata, non licet inferre ea abſurda: & verò eodem modo ferè tenetur hic Auctor ſimilibus obiectionibus reſpondere: liceret enim inde inferre, Poſſe tunc comedi carnes ante duodecimam; quia iam eſt inchoata dies Natiuitatis; liceret etiam aliis communicare in eo Sacro, eſto immediatè ante comediſſent: vt ergo hic Auctor debet dicere, Pontificem non anticipare per ſuam diſpenſationem diem, niſi purè putè in ordine ad Sacrum illud, etiamſi inchoatio diei ſit per ſe vniuerſalis in ordine ad omnia quæ ſunt propria eius diei; ac proinde dicit nihil inferri de aliis conſequentiis quæ videbantur inde deduci; ita poſſent Auctores prioris opinionis dicere, Etiamſi Pontifex cum eo Cardinale pro eo Sacro tanquam pro nocte Vigiliæ diſpenſet in ieiunio & in anticipatione vnius ex tribus Sacris, non ideò ſequi diſpenſationem generalem vt alij ſatisfaciant per illud Sacrum pro altero, quod die ipſo Vigiliæ, ſi in Dominicam incideret, tenebantur audire, nec ſequi poſſe eum Cardinalem tunc ſumere ablutionem, nec ipſo die tria Sacra poſſe celebrare, &c. quia ea diſpenſatio non eſt vniuerſalis: in idem ergo ferè recidunt duæ illæ explicationes. 18

Debet interuenire aliqua diſpenſatio.

Abſurda aeque vrgent in reſponſione Lugo.

SECTIO III.

Quomodo ratione morbi liceat homini non ieiuno communicare?

PRIMA exceptio à regula ſectione ſecunda tradita eſt neceſſitas accipiendi Viaticum in periculo mortis; vbi Primò quæri poteſt, à quo ſit data ea licentia? Afferuntur quidem aliqui Canones; verùm (vt benè ponderat Lugo ſectione tertia) vix vllus quidquam ea de re dicit; minùs tamen placet, quòd dicat, in Concilio Conſtantienſi nihil hac de re ſtatui: etenim cùm ibi Concilium approbet conſuetudinem Eccleſiæ Euchariſtiam non dandi laicis non ieiunis niſi in periculo mortis; profectò eo ipſo dat licentiam communicandi eo caſu, etiamſi non ſit quis ieiunus: ſed quidquid ſit, vtrùm dicenda ſit approbatio licentia necne, ex eodem Concilio conſtat id licitum & laudabile eſſe, idque in vniuerſa Eccleſia vt licitum obſeruari; ac proinde non poteſt in hoc caſu vlla eſſe difficultas. His poſitis, 29

SVBSECTIO I.

Proponitur primum dubium, & variæ ſententiæ circa illud.

SVPPOSITA hac certa veritate primæ quæſtioni occaſionem dedere nonnulli, qui non 30
ſolùm

Digitized by Google

ſolùm putauerunt licitam eſſe non ieiuno eam Communionem in articulo mortis, ſed ex eo quòd Chriſtus id præceperit intulerunt, Eccleſiam eam impedire non poſſe, nec in ea diſpenſare; vnde vlteriùs collegerunt, etiamſi quis hodie v.g. optimè valens communicet, vel celebret manè, ſi ſtatim repentè tactus graui morbo periclitetur hodie de vita, eum teneri ſecundò communicare, etiamſi media hora v.g. tantùm ſit elapſa à prima Communione, & etiamſi non ſit ieiunus: id quod extendunt etiam ad alia pericula extrinſeca vitæ; ſi v.g. adiudicetur morti, &c. vel ab hoſte repentè ingruente immineat mors, &c. Fundamentum huius doctrinæ hoc eſt, quòd vti præcepto audiendi Sacrum die Dominico, & tunc recitandi Officium Diuinum, non ſatisfacit quis audiendo Sacrum, & orando illud Officium die Sabbati, aut die Lunæ, ita præcepto Diuino de Communione in mortis periculo non ſatisfit, ſi communicetur ante illud periculum; ergo tenebitur communicare tunc, eſto communicauerit eodem die extra periculum illud. Ita Gaſpar Hurtadus diſp. 10. difficult. 2. adducens Patrem Vaſquez diſput. 214. num. 14. vbi reuerà (etſi contrarium dicat Lugo) fauet clarè ei ſententiæ; nam licet mentionem non fecerit omnino expreſsè de eo, qui eodem die quo incidit in præſens periculum vitæ, ſed ſolum de eo qui pridie communicauerat, omnes tamen eius rationes & aliæ inſtantiæ id manifeſtè ſignificant, hæc enim habet num. 13. formalia verba: *Ego neque cum hac limitatione Soti prædicta ſententiæ acquieſco, ſed in articulo mortis inchoata iam ægritudine, huius præcepti obligationem ita incipere cenſeo, vt intra illud tempus ſolum ei ſatisfieri poſſit, primùm, quia ſi ſemel admittamus ante articulum mortis huic obligationi ſatisfieri poſſe, non poſſet aſſignari ratio, ob quam potiùs ſufficiat pridie quam ante duos aut plures dies ei ſatisfieri.* Hæc ille: quibus apertè oſtendit non ſufficere communicaſſe ante periculum inchoatum; id autem etiam habet locum eodem die, ſi manè quis communicauit optimè valens, & poſt prandium incidit in periculum illud. Ratio item Vaſquez eodem modo vrget de vno die, ait enim inauditum eſſe, præceptum aliquod poſſe ſeruari per opus exhibitum ante tempus obligationis: reiicit item à num. 15. ſolutionem eorum qui dicunt per Communionem vicinam ei periculo habuiſſe hominem animum ſatisfaciendi præcepto; vnde iterùm inculcat, tempus præcepti computandum ab ipſo puncto ægritudinis: clarè ergo ſtat pro ſententia Hurtadi, qui addit, etiam in manuſcriptis relictam eſſe ab eodem Vaſquez eam ſententiam expreſsè traditam. Vnde vlteriùs dico, meritò etiam citari pro ea ſententia Ochagauiam, cùm planè ſequatur doctrinam P. Vaſquez in ea obligatione communicandi ab inchoato periculo; quæ haud dubiè non minùs habet locum, ſi inchoetur à prandio poſt matutinam Communionem, quàm ſi inchoetur hora prima noctis poſt Communionem præcedentis diei. Adducit etiam Hurtadus aliquos graues Theologos Salmanticenſes & Complutenſes, quos dicit interrogatos ea de re omnino ei ſententiæ ſubſcripſiſſe: citat etiam factum P. noſtri Generalis Claudij Aquauiuæ, qui cùm manè communicaſſet, & veſperi in graue periculum mortis incidiſſet, iterùm communicauit: quod etiam factum eſſe dicit à P. Vega, Rectore

An Euchariſtia ſumpta paulò ante articulum mortis excuſet ab eadem ſumenda in articulo.

Negat Hurtadus & Vaſquez, quidquid contra aſſerat Lugo.

31

Pro eadem ſententia ſtat Ochagauia.

Complutenſes & Salmanticenſes.

Et facta aliquorum.

Collegij Matritenſis, & à P. Aualos. Circa factum P. Claudij ait Lugo illum non celebraſſe ea die, ſed per multos dies periculosè ægrotaſſe, & iuxta Societatis vſum communicaſſe; ac proinde iuxta doctrinam Hurtadi eum iam ſatisfeciſſe ei præcepto, cùm inchoatus eſſet morbus; quomodo autem ſit in ea turbatione graui factum, vt ſecundò communicaret, ait ſe ignorare.

Contrariam ſententiam ſupponit P. Suarez diſp.69.ſect.3. vbi ait eam, quam ex Hurtado retulimus, eſſe contra omnes Doctores, & contra Eccleſiæ praxim; ibi tamen idem ferè iudicium fert de ſententia dicente; Eſto die præcedenti quis communicauerit, teneri vi eius præcepti communicare die ſequenti, quando inchoatur mortis periculum: id quod tamen longè probabilius eſt quam primum. Aſſentitur eidem ſententiæ fortiter Card. Lugo diſp.16.ſect.2. vbi illud fundamentum Vaſquez, quòd non poſſit ſatisfieri præcepto per opus, antequam obliget ipſum præceptum, oſtendit eſſe falſum; Primò, ſi Nouitius facturus poſt prandium profeſſionem ſuam recitet manè Horas ſine obligatione, non ideò ab vllo cogitur illas repetere poſt prandium, quando iam eſt præceptum: ſimiliter qui diſcedens è loco, vbi nulla eſt obligatio audiendi Sacrum, illud audiuit manè, non tenetur poſteà poſitus in loco, vbi eſt Feſtum, ſecundò illud audire: & idem poteſt vrgeri in aliis diuerſis inſtantiis: ergo fatendum eſt poſſe ſatisfieri præcepto alicui per opus factum antequam ſit obligatio vlla, dummodò opus illud ſit factum intra tempus quod præſcribit præceptum: per quam limitationem reſpondet inſtantiæ P. Vaſquez, quòd ſcilicet non ſatisfaciat quis præcepto audiendi Sacrum cras per auditionem hodiernam; etenim tunc verè non ponitur res præcepta, quia præceptum non erat de auditione vtcumque, ſed de cras audiendo Sacro; quid ergo mirum ſi per auditionem hodiernam non fiat illi ſatis? Secundò id probat, quia ſi quis ex reuelatione ſciret ſe cras tangendum apoplexia, & moriturum repentè, poſſet hodie Viaticum accipere, ſicut accipit ille qui ſcit ſe patibulo in diem ſequentem adiudicatum; ergo hodierna dies iam eſt tempus mortis; quòd autem ego id neſciam, per accidens eſt; ergo ſi ego re ipſa ſum cras moriturus repentè, & neſciam, communicem tamen hodie ex deuotione, iam communicaui re ipſa intra tempus mortis, non minùs quàm ſi id ſciuiſſem; quia ſcientia illa non facit hoc eſſe aut non eſſe tempus mortis, ſed præciſè quòd ego id ſciam: atqui dummodò præceptum obſeruetur intra tempus ad quod obligat, eſto id homo tunc ignoret, non tenetur poſteà iterùm illud explere; ergo neque erit neceſſum vt talis iterùm cras, poſtquam ſcit ſuum periculum, communicet; multò autem minùs erit neceſſe communicare, ſi iam ea die communicauerat.

32

Contrariam opinionem tenet Suarez.

Cardin. Lugo argumenta & inſtantia.

SVBSECTIO II.

Quid ſit in hac quæſtione dicendum?

EGo in hac quæſtione Primùm iudico non eſſe neceſſum ad ſatisfaciendum præcepto, vt homo rem præceptam faciat ſciens eſſe præceptum, aut poſtquam præcepta eſt, dummodò eam faciat intra tempus, quod præceptum requirit: & hoc probant manifeſtè inſtantiæ allatæ 33

Inſtantia pro ſententia Lugo.

Digitized by Google

à Cardin. Lugo; poteſtque multis aliis inſtantiis confirmari. Nam ſi quis omnino inuincibiliter ignorans ſe teneri in Paſchate communicare, nihilominùs communicet ex deuotione, nemo illum obligabit ad ſecundam Communionem. Deinde, ſi quis ignorans eſſe diem Feſtum, audit manè Sacrum, non tenetur audire de nouo aliud, poſtquam ei conſtat eſſe Feſtum.

Dices: In his caſibus præceptum iam erat, eſto ignoraretur; quid ergo mirum, ſi illi ſit ſatisfactum? Sed contrà Primò, quia quòd in ſe præceptum illud fuerit, eſt omnino per accidens reſpectu mei, ſi ego illud ignoraui. Contra Secundò, quia in eo ſenſu etiam præceptum communicandi in articulo mortis iam eſt latum, quando ego communico ea die, qua re ipſa ſim moriturus, eſto ignorem me moriturum; ergo ex hoc capite eadem eſt vtriuſque ratio.

Inſtantia Cardin. Lugo non euertunt ſen entiam Vaſquez.

Secundò tamen dico; Ex hoc capite nondum ſufficienter reſponſum argumento P. Vaſquez; ille enim non tam contendit non poſſe ſatisfieri præcepto per opus factum ante ſcientiam præcepti, ſeu ante prolatum præceptum, quàm non poſſe ſatisfieri per opus factum ante tempus pro quo obligat præceptum. Etenim nos iam ſcimus eſſe præceptum Euchariſtiam ſuſcipiendi ante mortem, & à fortiori illud præceptum iam eſt latum ante eam Cumunionem noſtram factam ante periculum mortis. Contendit ergo Vaſquez, Intra tempus, quod illud præceptum præſcribit, debere poni actû. Quæ propoſitio veriſſima eſt, & probatur manifeſtè inſtantiis quas ipſe Vaſquez adducit; nullo autem modo id impugnatur contrariis quas affert Lugo; nam in illis præceptum ſolum eſt orandi Officium, audiendi Sacrum, &c. intra eam diem; cùm ergo & ille Nouitiùs (de quo in obiectione) & reliqui ibidem poſiti poſuerint rem præceptam intra eam diem, pro qua præcipitur actus, eſto ipſis adhuc non innotuerit præceptum, non eſt mirum, ſi perfectè illi præcepto ſatisfecerint. Inde autem nihil infertur contra Vaſquez, qui omnino contendit, tempus, quod præſcribit illud præceptum, eſſe articulum mortis. Contendit etiam Secundò, eum articulum nullo modo inchoari ante morbum; ſicut præceptum hodie latum de Sacro cras audiendo præſcribit præcisè diem craſtinam; vnde eſto ex licentia Pontificis ego poſſem celebrare ante mediam noctem pro hodierno die, non ſatisfaceret vllus præcepto audiendi cras Sacrum, etiamſi illud audiret immediatè ante duodecimam; quia licet tempus illud fuerit viciniſſimum duodecimæ, non erat tamen duodecima, à qua, vt diximus, incipit tempus obligationis. Ait ergo Vaſquez, Etſi hodierna dies, in qua benè valeo, ſit viciniſſima craſtinæ, in qua malè valebo, quia tamen obligat non pro tempore vicino, ſed pro craſtino die, non ſatisfieri illi præcepto per Communionem hodiernam craſtinæ diei vicinam, ſed debere inchoato die craſtino, ſeu morbo, communicare.

34 *Quis ſit articulus mortis.*

Vnde Tertiò dico totam eam quæſtionem reduci ad hanc, Vtrùm tempus illud, in quo adhuc ego optimè valeo, & nihil penitus de morte imminente ſcio, debeat in præſenti iudicari articulus mortis: ſi enim non iudicetur, argumenta P. Vaſquez omnino conuincunt; ſecùs ſi iudicetur. Pro hoc autem ipſo puncto vlteriùs cenſeo, ad concipiendum illum articulum nequaquam debere conſiderari, vtrùm multi aut pauci dies reſtent ad mortem ipſam. Nam ſi quis hodie incipiat grauiter infirmari, & communicet, cenſetur communicare in articulo mortis, eſto duret in eo periculo per duos menſes; ſi autem ſanus hodie communicat, & poſt occiduum incurrit periculum vitæ, ex quo eadem die moritur, ſine dubio hæc Communio eſt longè vicinior morti quàm illa: prior enim duobus menſibus præcedit, hæc octo tantùm diebus; & tamen ab omnibus (excepto vno aut altero) hæc cenſetur non eſſe intra articulum mortis; ideóque per eam non ſatisfit præcepto; illa verò cenſetur; ergo articulus mortis non iudicatur ex phyſica vicinitate cum die mortis. Ex quo capite optimè poſſet dicere P. Vaſquez, Intra eamdem etiam diem poſſe ante morbum iudicari, nondum articulum mortis acceſſiſſe, poſt morbum verò iam eſſe, ac proinde iam inchoari tempus pro quo præceptum obligat. Et verò niſi etiam mors poſſet venire homini ſano, vt cùm afficitur extremo ſupplicio; vel hoſtis, à quo ſe occidendum putat, iam imminet, quibus caſibus etiamſi homo optimè valeat, nihilominùs cenſetur incepiſſe articulus mortis; niſi hoc inquam obeſſet, omnino putarem dicendum, articulum mortis non debere inchoari niſi à puncto quo morbus incipit periculum oſtendere. Iam verò propter eam rationem inſinuatam eſt aliqua difficultas: ſi enim articulus mortis incipere poteſt quando homo ſanus eſt, & ſcit ſibi ab extrinſeco imminente mortem; ergo ſi re ipſa ea mors immineat, etiamſi homo id ignoret, iam erit re ipſa articulus mortis, & conſequenter Communio tunc facta erit re ipſa intra articulum mortis: patet, quia illa ſcientia non facit articulum mortis, ſed, vt ſic dicam, illum manifeſtat, ſeu declarat ipſi homini, ſicut ſi vicinus eſt hoſtis meus, etiamſi ego id ignorem, re ipſa tamen ſum in periculo graui; quod periculum nequaquam augebitur propriè per meam ſcientiam; ergo cùm articulus mortis & periculum mortis videantur eſſe idem, dicendum omnino videtur, articulum mortis non debere conſiderari ex mea ſcientia, ſed ex imminente re ipſa morte. Cumque ad ſatisfaciendum præcepto (iuxta dicta) non ſit neceſſum hominem ſcire ſe iam illo teneri, ſed ſufficiat facere illud opus præceptum intra tempus, intra quod reuerà eſt præceptum; ſufficiet omnino ea Communio etiam ab ignaro periculi facta, quia re ipſa periculum tunc eſt.

Quæ Communio dicatur fieri in articulo mortis.

Articulus mortis poteſt incipere in homine ſano, & id ignorante.

35 *Obiectio.*

Dices Primò; Si ego ſum omnino etiam interiùs ſanus, non poſſum propriè dici eſſe in periculo vitæ, eò quòd paulò pòſt ex mea libertate facturus ſim hauſtum v.g. tam potentem, vt ex eo intra horam moriar: periculum enim tunc ſolùm cenſetur inchoari, quando malum imminet independenter à mea libertate; ergo ſaltem in eo caſu non iudicabor communicaſſe in articulo aut periculo mortis; ac proinde tenebor, poſtquam periculum illud incurri, iterùm communicare, etiam eadem die; licet quando iam interiùs ipſi humores ſunt diſpoſiti ad cauſandum morbum, eſto ego id non notem, cenſear in vitæ periculo re ipſa eſſe. Idem argumentum fieri poteſt, caſu quo ego hodie manè v. g. omnino ſim extra omne periculum vitæ, & veſperi ſuborta rixa inopinatè occiderem aliquem; ob quod homicidium ſtatim adiudicarer gladio pro die ſequenti; non enim poſſem manè ante commiſſum delictum, & ante datam vllam cauſam mortis dici

dici fuiſſe in articulo mortis, aut in periculo vitæ; ergo Communio facta eo tempore non poteſt dici facta in articulo mortis. Reſpondeo huic obiectioni, Ad articulum mortis neceſſariò requiri aliquid de facto aliquo modo habens connexionem cum ea morte, ſiue quia iam eſt data à me cauſa illius, ſiue quia eam mihi alij iam machinantur; ſiue quia naturalis diſpoſitio interior iam eſt vitiata, eamque re ipſa tacitè molitur; ſiue quia morbus ipſe eam prænuntiat; ſiue quia ex reuelatione ego eam præſcio vicinam: hæc enim præſcientia, tanquam habens iam connexionem aliquam cùm morte, ponit in me aliquid, quod (vt ſic dicam) vocari poteſt mortis prodromus: ſi autem omnia hæc deſint, non video cur debeat dici iam re ipſa inchoatus articulus mortis. Confirmo hoc meo iudicio valdè efficaciter; nam cùm Chriſtus Dominus poſuerit præceptum de Communione in articulo, neceſſariò debuit nomine articuli mortis aliquid comprehendere, quod eſſet ab ipſo homine agnoſcibile, vt ſciret quando deberet illud præceptum implere: quomodo enim poneret præceptum pro tempore quod noſci non poſſit, ac proinde in quo non poſſit præceptum impleri? ergo nomine articuli mortis debet intelligi tempus, quod poſſit ab homine more humano agente agnoſci vt articulus mortis. Atqui ſi nec morbus in me inchoatus, nec cauſa mortis à me eſt data, nec alij de ea mihi infligenda cogitant, vnde ſaltem per alterius manifeſtationem ego de illa poſſum ſcire; nec eam ego ex reuelatione noui; non eſt tempus reſpectu hominis, in quo poſſit præceptum illud impleri; ergo adhuc humano modo non eſt inchoatus articulus mortis, quidquid ſit de vicinitate temporis ob cauſam liberam futuram paulò pòſt; de cuius futuritione ſoli Deo adhuc conſtat.

Reſponſio.

Confirmatio.

36 Obiicies: Hæc ratio nimiùm probat, ſcilicet, etiamſi homo cadat in morbum, in quo iamiam ſit moriturus, ſi tamen amiſit omnem ſenſum, nõ eſſe adhuc articulum mortis; quia ille ſcire non poteſt ſe eſſe in articulo, & ſe eſſe obligatum ad Communionem; valdè autem eſt abſurdum id aſſerere. Secundò ſi humores interiùs iam ita ſint turbati, vt mediatè pòſt cauſaturi ſint mihi mortem, admiſimus ſuprà iam incepiſſe re ipſa articulum mortis, eſto ego adhuc nihil ſentiam; & tamen etiam tunc non poſſum ego cognoſcere tempus illud eſſe mortis, & obligationem meam per Communionem illi præcepto ſatisfaciendi; ergo. Reſpondeo in illo primo caſu, Saltem alios poſſe agnoſcere illud periculum; & ſi talem hominem ſupponunt benè eſſe diſpoſitum, & aliunde nihil obſtet, poterunt illi dare Communionem: in ſecundo autem fortè habere locum obiectionem. Vnde ſuprà non dixi abſolutè, iam tunc non eſſe inceptum articulum mortis, ſed etiamſi ibi dicatur inchoatus, non tamen ideò poſſe in reliquis caſibus dici; abſolutè autem valdè probabile mihi videtur, nequaquam tunc eſſe inchoatum articulum mortis, ob rationem paulò antè à me factam. Vnde dico quoad hoc punctum probabiliſſimè diſcurrere P. Vaſquez & Hurtadum, maximè ſi quando communicaui nihil re ipſa exteriùs erat poſitum, vnde potuerit formari iudicium de eo articulo aut periculo mortis. Nihilominùs iudico longè probabilius videri, non teneri communicare, imò nec poſſe eo die quo ante periculum vitæ quis communicauerat. Moueor, quia (quidquid ſit, vtrùm tunc

Obiectio altera proponit duos caſus.

Reſponſio ad primum caſum.

Reſponſio ad ſecundum.

inchoatus fuerit nécne articulus mortis) non poſſum mihi perſuadere Chriſtum Dominum voluiſſe eo caſu ad ſecundam Communionem obligare: quòd ſi noluit obligare, ergo non licet contra Eccleſiæ præceptum, de non communicando bis eodem die, accedere ad Communionem, quòd verò Chriſtus Dominus non voluerit ita ſtrictè obligare patet, quia finis illius præcepti videtur eſſe, vel hominem per Sacramentum illud armare contra tentationes diaboli in mortis hora; ad quod omnino ſufficit ea Communio facta etiam ante articulum mortis, etiam præcedenti die, maximè verò eodem.

37 Dices: Si ea facta eſt in peccato, vel ſi peccatum ſubſequitur, iam eſt homo redditus indignus eorum auxiliorum. Reſpondeo Primò, Probabile eſſe ablato obice deinde redire effectum eius Sacramenti. Reſpondeo Secundò, Fortè in eo caſu Communionem poſſe iterari; quia reuerà illa prior facta indignè, perinde eſt ac ſi nulla fuiſſet. Reſpondeo Tertiò, Si dicamus per Communionem etiam in peccato factam ſatisfieri præcepto communicandi, ita vt ibi non ſit nouum peccatum ex eo capite diuerſum ab indigna Communione, quodque eſſet, ſi extra eum articulum communicaret quis in peccato; ſi inquam dicatur tunc fieri ſatis præcepto, conſequenter dicendum erit, finem proprium præcepti non fuiſſe eas gratias actuales obtinere, ſed aliquem alium, ac proinde obiectionem non eſt contra eam doctrinam noſtram; quòd ſi dicatur finem præcepti in ea Communione circa finem vitæ eſſe, vt ſignificetur coniunctio hominis Chriſtiani cum Chriſto ſuo capite, quæ maximè proteſtanda eſt circa horam mortis; eodem modo dicimus ad id ſufficere, ſi ea Communio fiat vno aut altero die ante mortem, à fortiori ſi eodem, ac proinde vi præcepti Chriſti non eſſe eodem die repetendam.

Replica: Soluitur Primò,

Secundò,

Tertiò.

Dices Secundò: Si hæc doctrina vera eſt, ſequitur, non ſolùm non obligare eo die præceptum Chriſti, ſed nec poſſe hominem, qui heri ſanus communicauit, hodie communicare non ieiunum, eſto ſit iam in periculo vitæ; quia eo caſu obſtabit præceptum Eccleſiæ prohibentis ne communicemus non ieiuni, ſicut pro eodem die obſtare diximus præceptum non communicandi bis de die. Reſpondeo negando conſequentiam, quia Eccleſia ſine limitatione in præcepto requirente ieiunium diſpenſauit, quando quis non accepit Communionem per modum Viatici, quæ ſine dubio non eſt accepta in prædicto caſu: attamen in præcepto non communicandi bis eodem die non conſtat diſpenſaſſe pro infirmis, vt benè obſeruauit Pater Suarez. Neque verum eſt quod ait Vaſquez, Eccleſiam ſolùm diſpenſaſſe eo caſu in ieiunio propter præceptum Chriſti, dicimus enim illam diſpenſaſſe in fauorem infirmi non attendendo ad Chriſti præceptum: multi enim negant illud eſſe, vt infrà videbimus; nemo tamen negat eam licentiam communicandi infirmo non ieiuno.

Obiectio.

Reſponſio.

SVBSECTIO III.

Aliæ quæſtiones circa caſum morbi.

Rogabis Primò; Quamdiu debet præceſſiſſe Communio extra periculum mortis, vt per eam non cenſeamur ei præcepto ſatisfacere, ac proinde poſſimus etiam non ieiuni 38

Digitized by Google

communicare? Ob hoc dubium Pater Vaſquez ſuprà vrget fortiter ſuam ſententiam; quia ſi non determinetur pro obligatione tempus quo incepit morbus aut periculum, non poteſt magis dici illud incipere vna die antè quàm tribus quatuorve, & ſic de maiori etiam numero. Verùm reſpondeo, Hoc eſſe moraliter iudicandum: tempus enim mortis communiter dicuntur duo tréſve dies ante illam; non tamen ideò totus mẽſis totúſve annus antecedens poteſt vocari tempus mortis. Ego quidem ægrè id extenderem vltra tres quatuórve dies. Nec ideò alicui debet videri hæc opinio rigida, quia ea obligatio communicandi non eſt vllo modo iudicanda oneroſa, ſed potiùs ſummè fauorabilis; nam ponere ſe in ſtatu gratiæ, ſeu ſe ad eam Communionem diſponere (in quo eſt difficultas) tenetur ille homo independenter à Communione: ſuppoſito verò illo ſtatu ipſa Communio nullam adfert infirmo moleſtiam, maximè cùm nequaquam cogat ad præmittendum ieiunium, ſed ſummam vtilitatem.

Articulus mortis duo vel tres dies dici poſſunt.

Quando licitum ſit infirmo ſæpius non ieiuno communicare in eodem morbo:

Secundò rogabis, An inchoato iam morbo, & accepto ſemel Viatico, poſſit quis ſecunda vice intra eumdem morbum communicare non ieiunus? Fusè de hac quæſtione Auctores. Negat Vaſquez diſput. 211. cap. 4. & Ochagauia apud Hurtadum diſput. 9. difficultate 16. quia cùm iam ſit ſatisfactum præcepto Communionis, ceſſat ratio, ob quam ea diſpenſatio eſt conceſſa. Diſtinguunt alij; Vel enim periculum illud vitæ durat idem moraliter; & tunc negant omnino licere communicare non ieiunum; vel illud periculum aliquantulùm remiſit, & ſecundò vrgere de nouo cœpit; & eo caſu dicunt licere eam Communionem. Aliter alij diſtinguunt; Vel enim quis in eo morbo Viaticum accepit non ieiunus, vel accepit ieiunus: ſi ieiunus, dicunt licere deinde communicare non ieiuno, quia adhuc non fruitus eſt priuilegio ſeu licentia Eccleſiæ; ſi verò communicauit non ieiunus, dicunt ei non licere ampliùs, quia iam eſt vſus facultate ſibi conceſſa. Hi tamen non videntur valdè conſequenter diſcurrere, quia licentia communicandi ſine ieiunio non conceditur niſi ratione Viatici; ſi autem iam illud accepit, parum eſt, quòd acceperit ieiunus, aut non ieiunus; neque ea diſpenſatio conceditur, vt poſſit dici infirmus fruitus illa, quia in hoc parum eſt, dummodò Viaticum accipiat.

39 His ergo ſententiis reiectis, communior & longè probabilior eſt, poſſe intra eamdem ægritudinem, & intra idem periculum, ſi aliquantulùm protrahatur, communicari ſecundò ſine præuio ieiunio: ita Tabiena verbo *Communicare*, num. 48. Armilla ibi num. 18. Sà verbo *Euchariſtia*, num. 5. Gaſpar Hurtadus paulò antè citatus, Suarez diſput. 68. ſect. 5. Cardinalis Lugo diſput. 15. ſect. 3. Toletus in Summa lib. 10. cap. 15. Diana 1. Tom. Tractatu de Celebratione Miſſæ reſolut. 75. Coninck quæſt. 80. art. 3. vbi etiam Nunnius; & Tannerus quæſt. 8. num. 85. qui alios etiam refert. Ratio huius deſumitur maximè ex conſuetudine fidelium, quam Summus Pontifex non ignorat; ac proinde tacitè approbare videtur. Eſt autem optima congruentia pro ea diſpenſatione, quòd cùm præceptum hoc ſit Eccleſiaſticum, & ſolùm ob reuerentiam debitam huic Sacramento; contra quod, ſi ſanis liceret communicare ſine ieiunio, graues committi poſſent irreuerentiæ; cumque hæc ratio in infirmo maiori ex parte non habeat locum; deinde infirmus in eo periculo graui conſtitutus indigeat maximè hoc Sacramento, non videbatur æquum vt Eccleſia eam diſpenſationem faceret cum tanta limitatione, præcisè ad vnam Communionem intra eumdem morbum.

Sententia communis & vera, licitum eſſe.

Iam verò eſt magna difficultas, nec minor inter Auctores diſſenſio, quàm frequenter id liceat: quidam enim requirunt interponi triginta dies, alij octo, alij ſeptem, alij ſex, alij tres, alij quinque: denique ſequenti proxima die poſſe id fieri affirmat Layman l. 5. Tract. 4. c. 6. num. 20. quando infirmus ſolitus erat ſingulis diebus communicare, & ſit illi difficile ob deuotionem abſtinere. Inter has ſententias mihi ea placet, quæ vnius ſeptimanæ ſpatium requirit; non tamen condemnarem eum qui intra quatuor dies id faceret; quia debemus præſumere Eccleſiam non velle, infirmis maximè (vt ait Layman) frequenti huius Sacramenti vſui aſſuetis hanc ingentem, & qua maior eſſe non poteſt, conſolationem in eo periculo inuidere; vt tamen duobus diebus id fiat ordine id non auſim aſſerere. 40

Quoties licitum ſit.

Eligitur octo dierum ſpatium, niſi aliud circumſtantia perſonarum petat.

Quæ tamen omnia ita intelligenda ſunt: Primò, vt infirmus non poſſet communicare ſine incommodo ieiunus; nam dato quòd ei ſit id facile, ſine dubio etiam prima vice debebit ieiunus communicare, & multò magis, ſi eam Communionem velit repetere. Habet autem hoc maximè locum apud Religioſos, qui cùm domi habeant Venerabile, facilè eſt vt aliquis Sacerdos etiam immediatè poſt mediam noctem infirmum ieiunum communicet. Secundò circa dicta notandum eſt, non ſolùm intelligi pro præſenti quæſtione ægrotos, ſed etiam ſanos, qui ſint in mortis vicinæ periculo; vt damnati ad mortem, ſi Iudex eis non det tempus vt communicent ieiuni: vbi placet mihi doctrina Cardinalis Lugo, qui docet, ex hoc capite nequaquam teneri Iudicem ad differendam executionem in ſequentem diem: Iudex enim vtitur ſuo iure: quòd autem inde reus fruatur diſpenſatione communicandi ſine ieiunio, nec prohibitum eſt Iudici, nec in ſe vllam includit vel materialem indecentiam; ergo.

SVBSECTIO IV.

Appendix de Sacerdote communicaturo moribundum.

VLTIMVM dubium circa infirmos eſt, Vtrùm è contrario Sacerdos non ieiunus poſſit celebrare ad dandum infirmo Viaticum; aut etiam vt ille ipſe illud accipiat, ſi mortem ab hoſte vicino aut aliunde certò ſibi timet. De hoc ſecundo caſu vix agunt Auctores, ſed ſolùm de primo. 41

Status quæſtionis.

In hoc ergo puncto DICO PRIMO, Sicut licet homini non ieiuno accipere Euchariſtiam in eo periculo, ita omnino licere, vt ſeipſum communicet, in ſimili caſu celebrare. Hoc punctum, vt dixi, non tractant Auctores, videtur tamẽ omnino certum ex dictis hucuſque, quia Sacerdos nõ alia de cauſa tenetur ieiunus celebrare, quàm quia tenetur ieiunus communicare: atqui periclitanti de vita licet communicare non ieiuno, ergo & Sacerdoti celebrare. Non video autem vllam rationẽ quæ poſſit ſpecialiter obijci cõtra celebrationem, quæ non ſit Cõmunioni ordinariæ cõmunis.

Sacerdos poteſt ſeipſum communicare.

Dico

Ad dandum Viaticum poteſt celebra re non ieiunum. Dico Secvndò; probabile eſt Sacerdotem, etiam vt alteri Viaticum det, poſſe non ieiunum celebrare, quia valdè multi & graues Auctores abſolutè iudicant id licere: ita Maior in 4. diſt. 19. q. 3. Zanardus in Director. Confeſſ. Par. 1. Tract. de Euchariſtia, cap. 7. Philiarchus de Officio Sacerdotis Tomo 1. pag. 1. lib. 2. cap. 2. Fernandes de Heredia in Diſputationibus mixtis de Sacramen. titulo de Euchariſtia, diſtinct. 2. puncto 8. dub. 2. num. 8. & Petrus Matth. in Adnotationibus ad Rubricas Miſſalis p. 1. cap. 9. num. 1. eamdem autem reputant probabilem Suarez diſput. 68. ſect. 5. *Secundum dubium.* Filiucius Tomo 1. Tract. 4. nu. 242. Layman ſuprà nu. 21. & Cardinalis Lugo ea diſput. 15. ſect. 4. Quia quoad reuerentiam Sacramento debitam videtur eſſe eadem ratio, quòd Sacerdos, vel quòd ipſe infirmus communicet non ieiunus: deinde non cenſeretur Eccleſiæ fauor in gratiam infirmi perfectus, niſi etiam Sacerdoti concederet hanc licentiam; ergo. *Ratio & confirmatio.* Confirmatur, quia multi graues Theologi ſentiunt (& ita audiui non pridem practicatum) licere Sacerdoti non ieiuno celebrare, ne viri graues aliqui optantes Sacrum audire ſine illo maneant: atqui longè maior eſt neceſſitas non defraudandi moribundum Viatico quàm ſanos auditione Sacri, vt per ſe conſtat; ergo.

42 *Contraria ſententia.* Nihilominùs tamen abſolutè non videtur id licere: ita enim reliqui Doctores ferè vt certum omnino ſupponunt; eos referunt & ſequuntur Suarez ſuprà, Tannerus quæſt. 8. num. 87. Vaſquez diſp. 211. cap. 5. num. 62. Cardinalis Lugo ſuprà; & Gaſpar Hurtadus difficultate 17. ſupponit id eſſe inter Auctores indubitatum. *Argumentum Cardinalis Lugo pro illa ſententia debile.* Fundamentum, quo Lugo cum aliis vtitur, eſt; nam præceptum dandi Viaticum debet intelligi, quando dari poteſt iuxta ritum & ordinem ab Eccleſia præſcriptum in hoc Sacramento conficiendo & miniſtrando. Vnde ſicut non poteſt Sacerdos celebrare abſque veſtibus ſacris, abſque altari, abſque azymo pane ad dandum Viaticum infirmo; ita non poteſt celebrare abſque ieiunio. Vt verum fatear, hæc ratio mihi videtur nullius efficaciæ, quia ieiunium ex parte Sacerdotis non tenet ſe per modum cæremoniæ ad celebrandum requiſitæ; nam, vt dixi paulò antè, ſolùm in eo requiritur propter Communionem: vnde ſi ille communicaturus non eſſet, poſſet ſine ieiunio celebrare: atqui diſpenſare vt ipſe infirmus communicet ſine ieiunio, non eſt minoris aut diuerſi momenti, quàm diſpenſare vt ipſe Sacerdos communicet non ieiunus, vt per ſe patet; ergo ſi diſpenſatur in vno ob neceſſitatem infirmi, etiam cenſebitur diſpenſatum in altero. Confirmo: Sæpè Eccleſia diſpenſat; vt Sacerdos celebret non ieiunus, nunquam tamen vt celebret ſine veſtibus ſacris; ergo argumentum ab his veſtibus ad ieiunium non eſt bonum. Videamus iam quomodo Secundò probetur à Surio eadem ſententia; ait ergo; Sacramentum Euchariſtiæ ſicut longè maioris eſt dignitatis, ita minoris neceſſitatis; ergo in ſimili euentu maior eſt ratio habenda reuerentiæ debitæ ei Sacramento quàm neceſſitatis proximi. Vidit

43 *Suarez argumentum pro eadem non ſatisfacit.* Suarius hoc argumentum etiam poſſe retorqueri ad probandum, nec ipſi infirmo licere communicare non ieiuno, quia etiam ibi eſt Sacramentum mioris neceſſitatis; & debet reuerentia præualere; ideò addit Eccleſiam declaraſſe, reſpectu ipſius infirmi non obligare illud præceptum. Verùm hæc reſponſio deſerit planè rationem allatam, & ſolùm recurrit ad diſpenſationem Eccleſiæ in vno caſu, non in alio. Quæ ratio optima eſt, penitus tamen à præcedenti aliena. Fundamentum ergo huius ſententiæ vnicum eſt, quòd Eccleſia in eo primo puncto diſpenſauerit (vt conſtat ex perpetua ipſius conſuetudine) non verò in hoc ſecundo; vt verò ita factum ſit, eſt optima congruentia; quia pro infirmo per ſe & ordinariè accidere poteſt, vt non poſſit communicare ieiunus; debuit ergo ibi eſſe diſpenſatio: at quòd Sacerdos non ieiunus debeat celebrare pro infirmo, rarò aut vix vnquam contingit: Eccleſia enim prouidit vt ſeruaretur Venerabile in Sacrario ad ſimiles caſus; deinde ſi ſint neceſſaria omnia ad celebrandum, facilè poteſt Sacerdos moneri, vt ieiunium ſeruet: quòd autem & morbus repente incipiat, & omnia alia ad celebrandum requiſita adſint, & in eo loco nec Venerabile repoſitum ſit, &c. rarò aut nunquam continget; ac proinde non fuit neceſſum pro huiuſmodi extraordinario caſu facere diſpenſationem. *Fundamentum petendum eſt à diſpenſatione Eccleſiæ: quæ in hoc puncto nulla eſt.*

Dices Primo: Præceptum tunc communicandi eſt Diuinum, ergo debet præualere præcepto non communicandi niſi in ieiunio. 44 *Obiectio à præcepto communicandi Diuino.* Confirmatur: Præceptum confeſſionem Sacramentalem præmittendi eſt præceptum Diuinum, & tamen cedit ei præcepto communicandi in hora mortis, nam in caſu neceſſitatis ob dandum Viaticum licet Sacerdoti in mortali antè exiſtenti celebrare non præmiſſa confeſſione, ſed tantùm contritione, ergo à fortiori cedet illud præceptum Eccleſiaſticum de ieiunio. *Reſpondetur obiectioni.* Reſpondeo, Præceptum accipiendi Viatici eſto ſit Diuinum, non cadere ſupra Sacerdotem, ſed ſupra infirmum; vnde infirmus illo obligatur ad communicandum, etiamſi non ſit ieiunus: Sacerdos autem non obligatur ad communicandum non ieiunus in gratiam alterius. *Et inſtantia.* Ad inſtantiam de confeſſione dicimus, in primis Eccleſiam ipſam declaraſſe verè in tali caſu non eſſe obligationē præmittendi confeſſionem, non autem declaraſſe in noſtro caſu, poſſe ſine ieiunio celebrari. Deinde neceſſitas confeſſionis præuiæ ante Communionem eſt quodam modo minor quàm neceſſitas ieiunij. Nam confeſſio requiritur præcisè, vt habeatur ſtatus gratiæ, hic autem poteſt eo caſu haberi per contritionem etiam ſine præuia confeſſione, ac proinde poteſt haberi tota interior diſpoſitio neceſſaria pro digna Sacramenti ſuſceptione, exteriùs autem nulla irreuerentia committitur: peccatum enim illud exterius non eſt notum. At in Sacri celebratione ſine ieiunio manet ſemper indecentia, vt Sacerdos, poſtquam ſe iam cibo & potu impleuit, ſurgat à menſa, & celebret, atque communicet in gratiam alterius.

Replicabis fortè: Hæc indecentia nulla eſt, 45 *Replica, quòd non ſit indecens.* nam ſi Sacerdos immediatè ante duodecimam noctis comediſſet & bibiſſet lautè, potuiſſet licitè celebrare cùm primùm audita eſt duodecima in gratiam infirmi: quo caſu non videtur maior indecentia, quàm ſi id feciſſet veſpertino tempore, quia in vtroque caſu Communio eſt immediatè poſt lautum cibum & potum. Quid autem quæſo de indecentia tollitur per hoc, quod id fiat media nocte, vel quòd fiat in meridie aut matutino, vel certè veſpertino tempore? *Reſpondetur replicæ.* Reſpondeo, Hanc replicam non eſſe de re: videtur enim illa probari, etiam independenter à

neceſſitate infirmi poſſe Sacerdotem non ieiunum celebrare. Nam etiam in Vigilia Natiuitatis, quando licet ſtatim à media nocte celebrare, poteſt quis ſine vlla neceſſitate dandi infirmo Viaticum poſt ſumptam lautam cœnam, ſi eam ad illam horam reſeruauit, celebrare immediatè audita duodecima; cur ergo id non potuit facere media die? (vt obiectio dicebat.) *Et inſtantia.* Deinde habet ea inſtantia locum in æſtate in locis valdè Septentrionalibus, in quibus vel tota die eſt Sol, vel ferè crepuſcula, vel denique illa incipiunt ante primam noctis: poteſt enim Sacerdos ante horam benè pranſus celebrare circa primam, & tamen id non poteſt facere circa meridiem, ergo. Abſolutè reſpondeo; Cùm præceptum illud ieiunij debeat neceſſariò inchoari ab aliquo puncto, ab eo ſcilicet quo inchoatur dies, neceſſarium eſt immediatè ante illud punctum fuiſſe ita licitum comedere, vt illa comeſtio non violet ieiunium diei ſequentis; ac proinde non impediat diei ſequentis Communionem: ille autem exceſſus, qui eo caſu fieret, eſſet extraordinarius, & per accidens; quia vix vllus eo modo accedit ad Communionem, ſed interponit morulam inter cibum & Communionem. At ſi propter infirmum id liceret, cogeretur Sacerdos aliquando immediatè poſt cibum ad celebrandum ſurgere; iure merito ergo cenſetur tunc adhuc vrgere præceptum Eccleſiæ. Video has omnes ſolutiones non adeò eſſe ſolidas, vt impugnationem non patiantur; ideò ſolùm dixi *Concluditur, vtramque ſententiam eſſe probabilem.* eam rationem, quam adferunt, non eſſe niſi congruentiam, ob quam Eccleſia in vno caſu fecerit facultatem celebrandi, in altero verò non; ac denique dico, eò quòd non omnino clarè ſatisfiat argumento Aduerſariorum, reddi eorum ſententiam valdè probabilem, vt ſuperiùs dixi.

SECTIO IV.

Alij caſus quibus licet ſine ieiunio communicare?

46 *Caſus primus, quando loco vini aquâ accepit.* EXPLICANDI autem iam ſunt alij caſus independentes à morbo, in quibus licet ſine ieiunio communicare. Primus eſt, quando Sacerdos ſe deprehendit deceptum, & loco vini accepiſſe aquam; aut ſi deprehenderet ſe loco panis triticei accepiſſe hordeaceum; tunc enim ad perficiendum Sacrificium, vt in Rubricis Miſſalis præſcribitur, debet conſecrare de nouo. Vbi quæres, Quid ſi contingeret vt in vtraque ſpecie deprehenderet ſubſtantialem defectum, teneretúrne tunc iterùm vtramque conſecrare? Reſpondeo, Caſum vix moraliter poſſe contingere; ſi tamen contingeret, non fore illi licitum conſecrare; quia ibi ceſſaret tota ratio, ob quam de facto nunc licet: non enim eſſet ibi inchoatum Sacrificium illud; ac proinde nec neceſſitas eſſet vlla illud perficiendi; vrgeret ergo ſuo ordinario modo præceptum non communicandi poſt cibum.

Secundus, poſt conſecrationem recordans ſe non eſſe ieiunum. Secundus caſus eſt, ſi Sacerdos poſt conſecrationem recordetur ſe non eſſe ieiunum; debet enim tunc perficere Sacrificium. Rogabis; Quid ſi ante conſecrationem? Reſpondet Diuus Thomas quæſt. 83. art. 6. tutius eſſe Miſſam tunc omittere. Communis tamen ſententia docet, quando id non poteſt fieri ſine nota (vt ſi coram aliquibus Miſſa celebratur) licere in ea pergere; & verò Diuus Thomas dum dicit contrarium tutius eſſe, non negat hanc ſententiam eſſe tutam, vt bene notauit Suarius ſuprà ſectione 6. quòd ſi priuatim celebret, poterit Miniſtro Sacri declarare ſe non eſſe ieiunum, & ſic ceſſare à Sacro: fortaſſe aliquando Miniſter eſſet tam ſtupidus, vt rem non caperet, & poſſet grauem infamiam Sacerdoti apud alios cauſare; & tunc non poteſt præſumi, Eccleſiam voluiſſe talem obligare ad ceſſandum à Sacro inchoato.

Tertius caſus eſt, ſi Sacerdos celebrans poſt conſecrationem ante Communionem incidat in grauem morbum, ita vt non poſſit abſoluere Sacrum, & alius non adſit ieiunus Sacerdos; tunc enim ad perficiendum Sacrificium adhiberi debet alius Sacerdos etiam non ieiunus. 47 *Tertius, ſi Sacerdos ante Communionē grauiter infirmetur.*

Quartus eſt, ſi poſt ſumptionem ablutionis deprehendantur aliquæ paruulæ particulæ; quia illæ vt pertinentes ad complementum Sacrificij poſſunt ab eo Sacerdote ſumi. Circa quem caſum eſt aliqua diſſenſio inter Auctores: quidam enim diſtinguunt inter particulas tum conſecratas ab eodem Sacerdote, & inter conſecratas præcedenti die, & primò poſt ablutionem inuentas: hæ enim non pertinent ad conſummationem Sacrificij præſentis, ac proinde non poſſunt tunc ſumi poſt ablutionem, vti pertinent illæ priores: ita Caietanus, quem ſequitur Vaſquez diſp. 211. cap. 5. qui vlteriorem rationem eius diſparitatis adhibet, quòd quando ſumptio pertinet ad eamdem actionem, ſufficit ſi ad totam illam præmittatur ieiunium, etiamſi non ad ſingulas illius partes: adıtque, quando quis ſimul cum vino non conſecrato accipit particulam conſecratam, non fieri eam Communionem ab homine ieiuno; quia neceſſum eſt vt priùs intrent aliquæ guttæ eius vini quàm ipſa particula; ac proinde neceſſum eſt vt ea Communio non fiat à ieiuno. *Quartus, ſi poſt ablutionem particulæ ſumantur. Diſſenſio inter Auctores.*

Meritò hæc duo vltima puncta diſplicuerunt Cardinali Lugo, Primum, quia ſi ſufficit ad totam Communionem præmittere ieiunium, etiamſi non ad ſingulas eius partes præmittatur, ergo ſi quis poſt ſumptam hoſtiam comederet amygdala, aut faceret hauſtum aquæ vel vini non conſecrati, eſſet adhuc ieiunus pro calice: id quod videtur valdè abſurdum. Secundò eadem abſurditas clariùs oſtenditur in laïco, qui poteſt ſine dubio accipere duas hoſtias paruas per modum vnius Communionis, eſto vnam priùs & deinde alteram accipiat, & tamen nemo dicet illum poſſe inter eas duas hoſtias interponere hauſtum vini & aquæ, & adhuc ſecundam accipere non peccando contra præceptum præuij ieiunij. Quod ſecundo loco addidit etiam diſplicet; licet falſitas eius non poſſit tam clarè oſtendi quàm præcedentis. Etenim quando olim in Eccleſia ſub vtraque ſpecie communicabatur, vinum conſecratum miſcebatur cum non conſecrato, & ex eo dabatur laïcis; quo caſu neceſſum erat vt multi priùs ſumerent aliquas guttas vini non conſecrati quàm conſecrati, & tamen non ideo Eccleſia putauit Communionem dari eo caſu non ieiunis. Porrò eam fuiſſe conſuetudinem ipſe Vaſquez agnouit diſp. 195. num. 64. ex ordine item Romano c. 4. id ipſum patet ex Concilio Matiſconenſi II. cap. 6. quod ipſe Vaſquez diſputat. 211. num. 60. contra ſe ad aliud propoſitum obiicit: in eo enim præcipiebatur, vt reliquiæ ex hoſtiis conſecratis Feria 4. vel 6. darentur infantibus ieiunis permixtæ vino; & tamen *Cardinalis Lugo impugnat Vaſquez ab abſurdo.* 48 *Impugnatur Vaſquez Eccleſiæ conſuetudine.*

eo

eo caſu fuit omnino neceſſarium priùs eos pueros deglutire ſæpè guttas vini non conſecrati quàm particulas conſecratas: neque propterea Eccleſia iudicauit illos communicare non ieiunos. Ratio eſt etiam clara contra Vaſquez, quia quando ſimul particulæ ſumuntur cum vino non conſecrato, cenſentur per modum vnius planè ſumptionis, ac proinde non intelligitur violari ieiunium per hoc, quòd priùs intret aliqua pars non conſecrata. Tertiò diſplicet etiam quod idem docet, ſumere particulas ab alio Sacerdote conſecratas non pertinere ad eamdem Communionem cum conſecratis ab ipſo ſumente: etenim ſi id verum eſſet, ſequeretur non poſſe Sacerdotem nec quidem ieiunum ſumere eas particulas poſtquam ſumpſit hoſtiam à ſe conſecratam, conſequens autem eſt expreſsè contra ipſum Vaſquez; ſequela verò probatur, quia ſi illarum particularum ſumptio facit diuerſam moraliter Communionem; ergo cauſabit nouam gratiam diſtinctam à priore Communione; vti cauſatur, quando in duobus Sacris ſumuntur duæ hoſtiæ: etenim quòd multæ particulæ cauſent vnam tantùm gratiam, oritur ex eo quòd faciant vnicam Communionem: quòd ſi ſemel dicatur eas eſſe duas moraliter, debet admitti, diuerſas gratias ab illis cauſari; id quod Vaſquez negat, & meritò; quia ſi id eſſe verum, non liceret eas particulas accipere: non enim licet etiam Sacerdoti, niſi in die Natiuitatis dum ter celebrat, vel in caſu aliquo neceſſitatis grauis, iuxta ſuprà dicta, facere duas moraliter diſtinctas Communiones hoſtiæ; ergo dicendum eſt, eam ſumptionem tunc ſiue ex conſecratis ab ipſo ſumente, ſiue ex aliis, eſſe per modum vnius Communionis; ac proinde ex hoc præciſo capite non poſſe ſumi vllam differentiam in ordine ad has vel illas accipiendas ſine ieiunio.

Alia Vaſquez opinio oppugnatur.

49 Abſolutè igitur in hoc puncto aſſerendum eſt ex dictis Primo, reliquias ex hoſtiis conſecratis ab ipſo Sacerdote inuentas antequam ex altari recedat, poſſe ab eodem etiam poſt ablutionem ſumi. Ratio communis & bona eius doctrinæ eſt, quia Sacerdos inchoans illud Sacrificium habet obligationem illud conſummandi, etiamſi iam non ſit ieiunus: vnde eſto ei Sacerdoti poſt conſecrationem aliquis per vim intruderet hauſtum, & conſequenter iam non eſſet ieiunus, deberet adhuc ſumere hoſtiam, & finire Sacrificium; ergo eodem modo poterit particulas relictas ab eo Sacrificio.

Concluditur, poſſe ſumi particulas poſt ablutionem.

Dices, Si abſolutè non ſumat hoſtiam, non erit integrum Sacrificium; quid ergo mirum, quòd tunc teneatur illam ſumere etiam non ieiunus? at etiamſi non ſumat eas reliquias, ſed eas altero die ſumendas relinquat, perficiet Sacramentum; ergo tunc non erit ratio, cur debeat non ieiunus eas ſumere. Reſpondeo, Etſi ad conſummandum abſolutè Sacrificium non ſit neceſſarium eas omnes ſumere, ſed ſufficiat aliquas; ac proinde fateamur hinc optimè inferri, neceſſarium eſſe aliquas ſumere, non tamen eſſe neceſſarium omnes; nihilominùs tamen benè ſequi, poſſe eum omnes accipere, quia omnes reducuntur per modum partis ad conſummationem eius Sacrificij; ac proinde includuntur ſaltem quoad licentiam eas ſumendi, licet obligatio non ſit.

50 Dices Secundò; Ergo ſi conſecrauit pro aliis communicandis hoſtias paruulas aliquot, & poſt ſumptam ablutionem deprehendat ſibi vnam vel alteram eſſe ſuperfluam, poterit adhuc eas non ieiunus ſumere; hoc autem videtur valdè durum. Patet Vaſquez proponit hunc caſum expreſsè, & concedit ſequelam, ego tamen illam nullo modo iudico admittendam, quando commodè poſſunt illæ hoſtiæ ſeruari, nec enim mihi perſuadeo Eccleſiam in ſimili caſu dediſſe poteſtatem ad Communionem non attento ieiunio. In rigore etiam non poſſunt illæ hoſtiæ vocari reliquiæ ad Sacerdotem pertinentes, quia vti ab initio conſecratæ ſunt eo animo vt darentur populo, non vt eas Sacerdos ſumeret, ita cùm primùm ſuam hoſtiam accepit, reliquæ iam ad eam Communionem non ſpectant, nec credendum eſt Eccleſiam feciſſe Sacerdoti poteſtatem eas ſumendi violato iam ieiunio: hæc enim ſumptio non requiritur vllo modo ad eam integritatem, imò nec ad eam pertinet; nec iuxta dicta eſt vlla alia ratio, cur debeant tunc ſumi, quia iam ſupponimus ſeruari commodiſſimè poſſe in alium diem, vel fortè reponi inter alias conſecratas & in Sacrario conſeruatas. Alia longè ratio eſt de particulis minutiſſimis, de quibus nunc loquimur: hæ enim Primò poſſunt cenſeri cecidiſſe ex ipſa hoſtia maiore, quam Sacerdos ſumpſit; ac proinde ex hoc capite poſſunt reputari vt pars Sacrificij. Secundò, eſto ceciderint ex hoſtiis minoribus, non cenſentur tamen ab Eccleſia quaſi deſignatæ vt dentur populo, quia reuerà nec poſſunt commodè dari. Item vt pro talibus quaſi imperceptibilibus recurratur ad Sacrarium, vt ibi reponantur, non videtur eſſe ex Eccleſiæ voluntate; in calice verò eas vſque ad diem ſequentem ſeruare eſt validè difficile, quia vel facile ad inuerſionem calicis adhærebunt pallæ, vel ob paruitatem die ſequenti non videbuntur, vel non recordabuntur alij illarum: quæ omnia incommoda, quando eſt hoſtia integra, aut planè notabilis pars, qualis eſſet media hoſtia paruula, ſine dubio ceſſant. Et ſanè ſi ex ſenſu communi volumus argumentari, praxis pro nobis eſt; ſæpiſſimè enim vidi Sacerdotes doctos hoſtias eas reponere in Sacrarium; nunquam verò audiui eas ſumpſiſſe poſt ablutionem; ſupponunt ergo id non licere; at particulas illas minutiſſimas ſemper conſumunt; iudicant ergo hoc licere, illud verò non.

Quid dicendum ſit de hoſtiis paruis relictis ex communicatione laicorum.

Diſparitas aſſignatur inter has hoſtias & particulas.

Fauet praxis Eccleſia.

Secundò dicendum eſt, eam facultatem ſumendi eas particulas ſolùm extendi ad tempus, quo Sacerdos adhuc in altari manet; nam cùm primùm ab eo recedit, iam non cenſetur moraliter vna Communio, quia videtur iam prior omnino perfecta: ex quo capite communiter docetur, etiamſi tunc agnoſcat ſe non conſecraſſe in vino, ac proinde non feciſſe ſimpliciter integrum Sacrificium, non tamen ideò poſſe iterùm conſecrare (quod tamen potuiſſet ac debuiſſet facere, ſi in altari poſitus errorem agnouiſſet) quia tunc non cenſeretur vnum Sacrificium cum præcedenti. In hoc autem ipſo puncto de particulis ſcio aliquos viros valdè doctos, quis etiam iam in Sacriſtia exiſtentes eas acceperunt, ſi caſu deprehenſæ ſunt. Verùm puto ea ratione id ab illis factum, quòd adeò leuis eſſet particula, vt non poſſet moraliter decenter ſeruari. Vnde,

51 *An iſta particula poſſint in Sacriſtia ſumi.*

Tertiò dicendum eſt; Si particulæ, quæ reperiuntur poſt ablutionem, non ſint ex conſecratis ea die à Sacerdote illo, non poſſunt ſumi poſt ablutionem; quia etiamſi illarum ſumptio ſit vna cum præcedenti (vnde paulò antè contra Patrem Vaſquez diximus per ſumptionem illarum

Quid dicendum ſit de particulis ab alio relictis.

tum particularum non cauſari gratiam, neque Sacerdotem cenſeri bis communicaſſe) quia tamen illæ particulæ non ſpectant ad Sacrificium à Sacerdote inchoatum, ideò non habet ius illas ſumendi poſtquam non eſt ieiunus: vnde ſi vult eas ſumere, debet id ante ablutionem facere, aut certè ſimul dum accipit ablutionem; quia iam oſtendimus cum Cardinale Lugo: verè dici ieiunum communicare illum, qui per modum vnius hauſtus ſumit Venerabile cum aliquo alio liquore. Circa quod tamen aduertendum eſt, ſi illæ particulæ non poſſint reuerenter ſeruari in alium diem, poſſe tunc à Sacerdote etiam non ieiuno ſumi; quia ieiunium, quod ſolùm propter reuerentiam Sacramenti requiritur, non debet obligare quando maior irreuerentia timetur.

Quid ſi aliquid ſimile contingat in Paraſceue.

52 Dices; Ergo ſi in Officio Paraſceues aliqua particula hoſtiæ adhæreret calici poſt ſumptum totum vinum, non poſſet illa accipi, quia iam non eſt ieiunus ille Sacerdos; & ea particula non eſſet pars Sacrificij ab eo Sacerdote inchoati. Cardinalis Lugo putat etiam ſumptionem illam tunc eſſe partem Sacrificij inchoati pridie ſiue ab eo Sacerdote, ſiue ab alio, cuius loco hic ſuccedit; vnde non aliter de eis diſcurrit, ac ſi ab eodem ea die ſacrificatum fuiſſet. Hæc ſolutio eſt probabilis; tangit tamen difficultatem infrà diſcutiendam, vtrùm ſcilicet tunc ea Communio ſit Sacrificium, an verò ſit purè laïcalis: in quod vltimum ego magis propendeo, vt ibi dicam. Melius ergo reſpondetur, Aliunde licere eam tunc ſumere; tum quia Eccleſia cenſetur diſpenſare cum eo Sacerdote, vt eo modo ibi conſumat particulas, ac feciſſet ſi celebraſſet; tum quia reuerentia Sacramenti id exigit: difficulter enim particula illa iam madefacta ſeruari poſſet in aliam diem: quam ſecundam ſolutionem etiam tradit Lugo ſuprà.

Vltimus caſus, quando irreuerentia timetur hoſtiæ.

Vltimus caſus, quo poteſt à non ieiuno ſumi Euchariſtia, eſt, quando timetur grauis in hoſtiam conſecratam irreuerentia; vt ſi hoſtis infidelis inuaſurus credatur Eccleſiam, vel ob incendium timeatur comburenda, vel aliunde ſimile quid immineat; tunc enim ſi fuerint laïci aut Sacerdotes ieiuni, & ad Communionem diſpoſiti, eis primò dandum Venerabile: in eorum verò defectum Sacerdoti aut laïco etiam non ieiuno, ſi non poſſit illi periculo aliter prouideri.

DISPVTAT. QVADRAGESIMAQVINTA.

Quomodo requiratur gratia ad hoc Sacramentum?

1 EXplicuimus diſpoſitiones quaſi phyſicas præuias pro ſuſceptione Sacramenti; iam ad morales, inter quas præcipua eſt ſtatus gratiæ, qui etiam ad alia Sacramenta requiritur, ſpecialiter autem ad hoc, quòd ob ſui ſuprà reliqua excellentiam longè maiorem requirit puritatem; quòd verò ſtatus hic gratiæ ſit neceſſarius, definitum eſt in Tridentino Seſſione 13. cap. 7. & Paulus id priùs expreſſerat illa omnibus nota ſententia 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Teſtimonia Patrum & Conciliorum pro hac veritate congerunt Auctores in præſenti & Controuerſiſtæ, Suarez diſput. 66. ſect. 1. Vaſquez diſput. 206. cap. 10. Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 17.

SECTIO I.

Quædam præmittuntur.

Non eſt licitum in peccato mortali cõmunicare.

VARIÆ difficultates circa neceſſitatem eius ſtatus gratiæ poſſunt moueri. Prima eſt, Vtrùm poſſit aliquando homo licitè cum conſcientia mortalis hoc Sacramentum ſumere ratione alicuius occurrentis circumſtantiæ; v.g. ſi hoſtis hæreticus inuadat iam Eccleſiam, & homo in mortali exiſtens non poſſit in ea turbatione ſe ſtatim diſponere ad contritionem. Affirmat Vaſquez diſp. 207. num. 13. cui Lugo ſubſcribit diſp. 14. ſect. 1. ſuprà, vniuerſaliter agens de Sacramentis viuorum. Similem quæſtionem tetigi, & dixi, mihi cum Patre Suario diſp. 66. ſect. 1. contrarium videri probabilius; & id ipſum ſentiunt aliqui viri graues & docti, quos ea de re interrogaui: quia vti ſi eo caſu quæreretur ille homo ad necem, non poſſet aduertens ſe excuſare (excludo ignorantiam inuincibilem) ab habenda contritione, ideoque ſi ſine illa moreretur, nouum committeret peccatum; ita non video cur debeat ſe excuſare, quòd non poſſit habere eam contritionem antequam accipiat Venerabile.

Grauius peccatum communicare in multiplici peccato.

Secunda difficultas eſt, Vtrùm ſit multiplex peccatum communicare cum multis mortalibus: quòd ſi vnum tantùm ſit, an ſit grauius cum maiori quàm cùm leuiori mortali, cum pluribus maius, quàm cum paucioribus? 2 Ratio dubitandi ea eſt, quòd in mortali communicare in tantum eſt peccatum, in quantum impeditur fructus Sacramenti, nempe gratia: atqui hæc tam per vnum impeditur quàm per multa, & tam per leuiſſimum inter mortalia quàm per grauiſſimum inter illa; ergo. Reſponſio tamen communis & certa eſt, omnino creſcere peccatum ex eo capite: ratio eſt clara, quia non ſolùm ob impedimentum effectus eſt mortale accedere ad Euchariſtiam in peccato; quæ ratio eſt communis aliis Sacramentis; ſed quia independenter ab effectu omni, ob ſolam irreuerentiam debitam tanto hoſpiti, requiritur ea munditiēs. Sicut ergo grauior eſt longè indecentia, ſi Imperator aut Rex excipiatur in cubiculum vehementer ſordidum, quàm ſi in ſordidum quidem, non tamen adeò grauiter, ita in præſenti dicendum eſt.

Simili declaratur.

Explicatur Paſchaſij locus.

Obiici ſolet communiter Paſchaſius lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 22. aſſerens nullum peccatorem periculoſiùs communicare quàm luxurioſum & inceſtuoſum; & tamen luxuria non eſt grauiſſimum peccatum. Valdè laborant multi in explicando hoc loco, & quidam in

Digitized by Google

in maius periculum incidendi in deteſtabilem conſuetudinem communicandi in peccato, alij in maius impedimentum feruoris dilectionis. Alij, vt Cardinalis Lugo, in eo ponunt maius periculum; quòd cùm Euchariſtia ordinetur ad concupiſcentiam inhoneſtam frænandam, ille qui accedit cum hoc peccato, maximè contrarietur intentioni Sacramenti; ac proinde ei in pœnam Deus neget non ſolùm auxilia, quæ propter Euchariſtiam erant ei danda, ſi illam ſanctè ſuſcepiſſet, ſed etiam alia, quæ Deus ex ſua miſericordia ſolet concedere; ſicut qui non miſeretur ſui proximi maximè irritat Deum, ne miſereatur ipſius.

3 *Examinatur exilicatio.* Hæc omnia tamen mihi videntur omnino incerta, tum quia hoc Sacramentum non ordinatur præcipuè ad caſtitatem cauſandam, ſed vniuerſaliter ad conſeruandam vitam ſpiritualem in omni materia; vnde infertur, maximè ordinari ad vitanda peccata grauiora, quæ grauius eam vitam ſpiritualem auferunt. Secundò, cùm ſit Sacramentum pacis, maximè videtur ad pacem & mutuam concordiam conſeruandam; ac proinde magis opponetur fini eius Sacramenti, qui cùm odio in fratres communicat, & tandem eò periculoſiùs communicabit. Denique, eſto ad caſtitatem illud ſpecialiter ordinetur, non continuò ſequitur Deum magis negaturum auxilia ob illud peccatum; quia ſi ea negantur in pœnam, quis ſcit an non Deus ea magis neget in pœnam grauioris peccati quàm in pœnam leuioris, eſto hoc ſit magis directè oppoſitum fini Sacramenti quàm illud; quia hac ipſa expoſitione non obſtante adhuc illud eſt grauius peccatum, ac proinde maior illi debetur pœna? Quòd verò Deus aliquando neget in pœnam peccati vnius leuioris auxilia, quæ non negat propter grauius, non poteſt trahi in regulam generalem; quia etiam aliquando maiores peccatores vocat ad pœnitentiam relictis minoribus; nec inde ilicet inferre, in periculoſiori ſtatu eſſe leuiores quàm maiores; his ergo conſiderationibus relictis vt planè incertis, cur quæſo Deus negabit magis auxilia homini cum ſimplici fornicatione accedenti, quàm accedenti cum hæreſi & odio Dei?

4 *Reſponſio vera ad locum Paſchaſij.* Puto reſpondendum, illum modum loquendi eſſe concionatorium magis & pro plebe, quàm pro rigore Scholaſtico; vti enim peccata luxuriæ ſunt quidem magis turpia, & homines magis per ea pudefiunt, non tamen ideò magis grauia; ita pro Venerabili hoc Sacramento eo ipſo apprehenditur ab hominibus quaſi magis alienum hoc peccatum, quia quò turpius concipiunt hoſpitium pro Deo, eò magis indignum ſibi illud imaginantur. Vnde fit Primò, vt cùm certiſſimum ſit grauius eſſe peccatum odium Dei, aut periurium, vel blaſphemiam, quàm ſi ſimplex fornicatio, iudicetur tamen à multis non poſſe hominem ea die, qua fornicatus eſt, accedere ad Communionem, etiamſi ſeriam egerit pœnitentiam, & confeſſionem præmiſerit, quo caſu iam de peccato nihil eſt; non reputetur autem indignum illum qui peierauit, aliúdve peccatum commiſit, accedere etiam eodem die, poſt confeſſionem tamen. Secundò, quod grauius eſt, ipſa copula licita maritalis cenſetur eſſe impedimentum pro Communione eiuſdem diei. Ratio huius communis apprehenſionis eſt: Nam cùm in hoc Sacramento recipiatur corporaliter Chriſtus Dominus, ea quæ in corpore ipſo aliquam indecentiam cauſant, cenſentur maximè contraria illi; cumque luxuriæ peccatum id efficiat præ aliis, ideò apprehenditur ſpecialiter repugnans, cùm tamen re ipſa apud Deum ea peccata, quæ in ſe ſunt grauiora, eò etiam magis huic Sacramento contraria cenſeantur.

Quæri tamen circa hoc poteſt, Vtrùm ea grauitas indignæ Communionis ita creſcat ex magnitudine mortalium, cum quibus acceditur, vt neceſſariò debeat in confeſſione declarari, an verò ſufficiat dicere, *Acceſſi in mortali.* Reſpondeo, Probabilius eſſe non teneri hominem ad eam declarandam, quia eſto faciat quaſi numericè maius illud peccatum; non tenemur tamen in confeſſione declarare niſi circumſtantias quæ ſpeciem mutant, vel numerum, vel certè quæ ex parte materiæ augent valdè malitiam. Vnde dixi alibi, eum, qui furatus eſt vna vice millionem non ſatisfacere dicendo Furatus ſum materiam peccati mortalis, in hoc autem caſu non multiplicatur hic materia, quia peccata illa non ſunt materia, ſed Communio quæ vnica eſt. Addo tamen non carere ſua probabilitate contrarium, quia tenera valdè diuerſum conceptum videtur formaturus de conſcientia pœnitentis Confeſſarius, ſi audiat poſt grauiſſima peccata, & longam conſuetudinem illorum, ſine vllo dolore communicaſſe pœnitentem, quàm ſi audiat id feciſſe poſt vnum tantùm mortale in ſuo genere leue. 5 *Quomodo indigna Euchariſtiæ ſumptio ſit in confeſſione exprimenda.*

An ſit duplex peccatū communicare contra duo præcepta. Secunda quæſtio eſt, Vtrùm qui contra præceptum humanum communicat, committat duo peccata; vnum contra ipſam prohibitionem, alterum communicandi in peccato, & indignè. Suarez ſect. 1. dicit eſſe circumſtantiam valdè aggrauantem, ideoque in confeſſione explicandam. Vaſquez dicit vnicum eſſe tunc peccatum, quia tunc duo illa præcepta ſunt ex eodem motiuo.

Quòd ſi dixeris Prohibitionem Eccleſiæ non procedere ex eodem motiuo cum prohibitione Chriſti; quia motiuum prohibitionis Chriſti eſt, ne impediatur effectus Sacramenti ob ſtatum peccati; at prohibitio Eccleſiæ habet alia diuerſa motiua; vt patet, dum prohibet excommunicato communicare: poteſt enim contingere vt talis ſit in gratia, & tamen Communio ſit illi prohibita: Reſpondet Lugo, Etiamſi præceptum humanum non habeat totum motiuum quod habet Diuinum, è contrario tamen Diuinum habere adæquatum motiuum quod habeat humanum, nempe remouere ab eo Sacramento indignos; ob quam rationem etiam Eccleſia remouet excommunicatum, licet iam ſit in gratia; quia adhuc retinet indecentiam illam cenſuræ, à qua non eſt abſolutus. 6

Reſpondetur cum diſtinctione, Iudico tamen adhuc eſſe diſtinguendum; nam Eccleſia ſolet ſæpè prohibere Communionem non ob vllam indignitatem perſonæ, ſed ob diuerſas cauſas; vti prohibet ne quis eadem die communicet bis, ſi eo caſu lapſus quis in peccatum poſt primam Communionem, communicet ſecundò, ſine dubio faciet contra duo planè diuerſa præcepta, ac proinde duas continebit malitias quas debebit in confeſſione declarare: non enim ſufficiet dicere, Communicaui in peccato, ſed debet addere, Cùm iam eadem die communicaſſem. *Ab exemplo.* Idem eſt ſi quis celebraret die Paraſceues in peccato; non enim ſufficeret dicere, Celebraui vna die in peccato, ſed tali die, qua etiam his qui ſunt in gratia eſt prohibita celebratio. Quòd ſi tamen prohibitio ſit communicandi

picandi ob indignitatem moralem ſuſcipientis, hinc habet locum doctrina Vaſquez & Lugo, quòd ſcilicet ſit vna malitia.

7 Dixi *propter indignitatem moralem*, nam ſi prohibitio fieret propter indignitatem aliquam phyſicam, v. g. ſi ab Eccleſia, vt poteſt fieri, prohiberetur grauiter Communio eo die, quo homo ſe voluntariè polluiſſet, eſto iam egiſſet pœnitentiam; aut certè eo die quo ad vxorem etiam licitè acceſſiſſet, & ille habens aliud peccatum communicaret, non videtur mihi dubium, quin duplicem ibi malitiam contraheret.

Sitne duplex peccatum cõmunicare contra prohibitionem.

Grauior quæſtio eſſe poteſt, An talis, eſto alioquin ſit in gratia, peccet duplici peccato; primo, communicando contra præceptum; ſecundo, quia eo ipſo communicat in peccato, pone ad Communionem non eſſe neceſſarium accedere in gratia, ſi tamen prohiberetur alicui Communio, haud dubiè peccaret communicando, non quia in peccato, ſed quia contra prohibitionem; ergo nunc quando ipſum communicare in peccato eſt peccatum, erit ibi duplex malitia; vna, quòd tenet vnam actionem grauem contra præceptum; altera, quòd cùm ex ipſa illa voluntate iam ſit in peccato mortali, recipiat indignè Euchariſtiam. Neque obeſt, quòd hîc & nunc illæ actiones non ſint ſeparabiles; per hoc enim non ſequitur non eſſe malitias diſtinctas: adde, realiter eſſe ſeparabiles; ſi Deus non requiſiuiſſet ſtatum gratiæ pro Communione, fuiſſet prior malitia, & non eſſet ſecunda; ſi etiam homo haberet aliud peccatum, eſſet ſecunda, non eſſet prima, Non caret difficultate hæc obiectio, & haud dubiè probat grauius eſſe peccatum tunc communicare, quam ſi contra pohibitionem audirem Sacrum, quia auditio illa non petit ſtatum gratiæ; vnde omnino putarem eo caſu in confeſſione dicendum, Communicaui contra prohibitionem grauem, quia per hoc declaratur vtraque malitia, nec ſufficere dicere, Communicaui in peccato, quia per hoc non explicat prohibitionem ipſius Communionis.

8 Vltimum dubium in hoc puncto eſt; Quàm graue peccatum ſit accedere ad hoc Sacramentum cum mortali. Hanc difficultatem mouet Diuus Thomas quæſt. 8. artic. 5. & Pater Suarez diſputat. 66. ſect. 2. ait autem Sanctus Doctor; & quidem meritò, illud eſſe in ſpecie ſacrilegij; eſt enim contra virtutem religionis: vnde ſequitur, illud ex genere ſuo eſſe grauius quàm alia peccata inferioribus virtutibus oppoſita.

Quàm graue ſit peccatum accedere ad Communionẽ in peccato mortali.

Dico *ex genere ſuo*, quia iam non contendo, illud eſſe omnibus penſatis maius quàm ſint alia peccata contra inferiores virtutes; nam fusè Tomo 3. oſtendi, peccatum ex ſuo genere inferius poſſe ex aliquo capite reddi abſolutè grauius, quàm aliud ex ſe in altiori in ordine conſtitutum. Nec enim dubitare poſſum, quin peccatum Sodomiticum ſit grauius quàm omittere Sacrum die Dominico, eſto hoc ſit contra religionem, & illud contra temperantiam, quæ eſt infima virtus inter morales: & idem eſt de furto vnius floreni, quod eſt contra iuſtitiam; & tamen ſine dubio eſt leuius quàm eadem Sodomia, & à fortiori quàm beſtialitas. Hoc ergo ſuppoſito difficillimum eſt dicere, omnibus penſatis, quanta ſit huius indignæ Communionis grauitas; & an ſit maior quàm homicidij, aut periurij, Sodomiæ, &c. Multi Patres cum magna exaggeratione de hoc puncto loquuntur, comparantes illud peccato Iudæ tradentis Chriſtum, & peccato crucifigentium, meritò tamen D. Thomas ait hæc ſolùm intelligenda ſecundùm aliquas ſimilitudines criminis, quia nec phyſicè nocetur corpori Chriſti magis quàm ſi in gratia ſuſciperetur; nec habet ex ſe ea Communio directam iniuriam in Chriſtum, ait ergo Diuus Thomas illud eſſe contra religionem, non tamen in eo genere maximum, nam blaſphemia eſt ex ſe grauior, quia eſt immediatè contra Deum in ſe, item eſſe minus quàm peccata contra ipſam humanitatem Chriſti in ſe immediatè; vt fuère peccata crucifigentium: in tertio tantùm ordine ait hoc eſſe, quatenus eſto ſit contra corpus Chriſti, eſt tamen contra illud in ſpecie aliena; per quod redditur in ſe leuius quàm duo ea priora: cui rationi addenda eſt ea quam immediatè antè tetigi, ſcilicet nec ſic propriè ei humanitati noceri phyſicè, ſed ſolùm moraliter, ponendo eam in loco minùs moraliter decente. Vbi illud etiam pondero, ſi res benè examinetur, totam irreuerentiam, 9 quæ in ea Communione reperitur, ferè non eſſe, niſi quatenus homo Sacramentum, quod Deus inſtituerat pro augmento gratiæ, concedendo reddit inutile: quæ malitia quodam modo poteſt vocari omiſſiua, ſeu priuatiua: priuat enim ſe homo gratia quàm ei offerebat Deus per eam actionem. Vnde ſi Deus ad ſuſceptionem huius Sacramenti (vt ſine dubio potuit) non requiſiuiſſet ſtatum gratiæ, ſed attritionem, vel dolorem aliquem naturalem, nullum fuiſſet ex natura rei peccatum ad illud in peccato accedere; ergo de facto ideò eſt peccatum, quia non ponit homo diſpoſitionem neceſſariam ad cauſationem gratiæ, & quam Chriſtus pro hoc Sacramento petit. In quo puncto eadem eſt ratio de acceſſu ad alia Sacramenta viuorum in ſtatu peccati; & ex hoc capite dico irreuerentiam non eſſe adeò grauem, quia eſt tantùm priuatiua; ac proinde hinc colligo, cur proiicere hoc Sacramentum ad locum immundum, illudque conculcare ſit ex ſe grauius peccatum, quàm communicare in mortali, quia ibi eſt irreuerentia poſitiua, hîc autem ſolùm negatiua. Infero etiam, Cur hoc ſit minus peccatum quàm periurium & blaſphemia; quia hæc poſitiuam irreligionem continent, Deo malum aliquod vel mendacium affingendo. Addo tamen, quia in hoc Sacramento eſt etiã realiter Chriſtus Dominus, in quo longè præcellit alia Sacramenta, eo ipſo quòd Chriſtus requiſierit pro illius ſuſceptione gratiæ ſtatum, haud dubiè ipſam omiſſionem eius diſpoſitionis eſſe grauius peccatum quàm in reliquis Sacramentis; non tamen vllo modo crediderim ex eo capite fieri maius quàm ſit homicidium, vt benè cum Durando & Paludano (quos ſuprà refert) docet Suarez, licet cum aliqua formidine id tradat; probatur autem ſatis clarè ex dictis, quia homicidium eſto ex ſe ſit contra leuiorem virtutem, affert tamen proximo damnum graue & irreparabile: eſt item ex ſe eſſentialiter malum, & contra naturam rationalem; Communio autem in mortali non eſt ex ſe mala. Dixi enim potuiſſe Chriſtum pro ſuſceptione huius Sacramenti non exegiſſe ſtatum gratiæ; quo caſu ſine dubio non fuiſſet mala. Deinde ſolùm conſiſtit in priuatione diſpoſitionis debitæ, vnde moraliter reſul-

Eſt contra religionem.

Continet malitiam omiſſiuam.

Minor periurij & blaſphemiæ malitia.

Item homicidij.

tat

tat illa irreuerentia in Chriſtum, quæ non videtur adæquare deformitatem homicidij iniuſti.

Dico ſemper, *Non videtur æquare*, quia, vt alibi notaui, eſt difficillimum nobis decidere, quod peccatum in particulari ſit grauius, quod leuius; & idem de bonis operibus è contrario: vti in rebus ipſis phyſicis inter multas diuerſas ſpecies impoſſibile eſt dicere, quæ ſit altera nobilior; vnde non iudico debere nos ampliùs in hoc puncto diuinando fatigari.

SECTIO II.

Quid de accedente in veniali?

10 SECVNDA præcipua difficultas eſt, Vtrùm communicare in peccato veniali ſit ſaltem veniale, ſicut eſt mortale communicare in mortali. *Sententia Vaſquez, non eſſe peccatũ.* Pater Vaſquez diſput. 207. cap. 2. conatur oſtendere, nunquam peccatum veniale etiam commiſſum in ipſa Communione eam reddere venialiter malam, aut efficere vt inde ratione Communionis nouum ſit veniale. Fundamentum illius eſt quia cùm veniale non impediat effectum gratiæ, non poteſt eſſe cauſa, vt in Communione peccetur venialiter. *Suarez contraria opinio.* Pater Suarez è contrario diſput.66. ſect. 1. rem breuiter attingens docet, ſi quis ſit in vana cogitatione dum communicat, aut ſi aliunde ſe ſentiat variis peccatis venialibus oppreſſum, peccare venialiter; ſecùs ſi antecedenter habeat vnum vel alterum veniale, eſto de illo non doleat. *Cardinalis Lugo ſententia media.* Cardinalis Lugo diſput. 14. ſect.2. conſentit quidem Patri Suario in ſubſtantia opinionis; ait tamen non ſemper ipſam Communionem ideò reddi peccaminoſam venialiter; aliud enim eſt, illam ipſam vanam cogitationem eſſe peccaminoſam; quia eſt irreuerentia in Euchariſtiam; aliud verò Communionem eſſe malam: ſi enim Sacerdos ſit iam in puncto Communionis, & ſe diſtractum ſentiat, non tenetur, imò neque debet differre Communionem; ergo hæc non eſt tunc mala, nec quidem venialiter, alioquin teneretur ab ea ceſſare: eſt tamen tunc ea vana cogitatio ex duobus capitibus mala, Primò ex ſe; id quod haberet, etiamſi homo non eſſet communicaturus; Secundò ex eo quod eſt irreuerentia contra Communionem. Addit tamen, aliquando ipſam Communionem eſſe malam venialiter ratione ipſius peccati venialis, ideoque hominem tunc teneri ſub veniali ipſam Communionem relinquere; nam licet non ſemper homo ob circumſtantias aliquas leuiter malas teneatur omittere actionem præceptam, tamen quando actio non eſt præcepta, & homo agnoſcit ſe eſſe indiſpoſitum, debet tunc ceſſare ab ea actione; quod ſi non faciat, peccabit venialiter.

11 *Sententia Lugo videtur repugnantia aſſerere.* Ego tamen in hac doctrina difficultatem grauem inuenio; nam ſi velimus rem ad ſolum modum loquendi reducere, videtur planè in terminis repugnare, eam Communionem in vno caſu vitiari à peccato veniali adiuncto, in altero verò non; videtur etiam repugnans dicere, in vno caſu veniale adiunctum contrahere duas malitias, in altero verò non niſi vnicam. Pro quo aduerte, quadrupliciter nos poſſe concipere in vno homine duas illas voluntates; vnam communicandi, alteram conſentientem diſtractionibus. Primò, ſi vnico actu velit vtrumque, & tunc volitio communicandi tota erit mala: id quod etiam fatetur hic Auctor. *Explicatur tota difficultas.* Secundo modo poteſt res contingere, vt volitio communicandi ſit prior natura quàm ipſa diſtractio libera; & tunc admitto libenter eam non reddi malam ex ſubſequente diſtractione. At id verum ſemper eſt in omni caſu, etiamſi Communio non ſit præcepta; ac proinde diſparitas nulla erit inter eos duos caſus. Probo autem ſubſumptum, quia cùm in eis duobus caſibus voluntas communicandi ſit de obiecto bono, & pro eo priori nihil habeat quo vitietur ſine dubio potuit concipi meritoriè. Quòd verò poſteriùs natura adueniat actus malus, non poteſt vitiare bonitatem actus alterius priùs natura exiſtentis, & tunc merentis coram Deo gratiam. Tertiò modo poteſt res è contrario contingere, vt priùs natura ſit diſtractio venialis, ſeu aduertentia ad multitudinem venialium, & voluntas non deteſtandi eam ſaltem per attritionem, ac deinde ſit voluntas communicandi, ſi res hoc modo contingat, non capio quomodo non vitietur hæc voluntas à mala diſpoſitione præuia, cùm hic Auctor dicat eſſe obligationem ſub veniali non accedendi cum ea indignitate ad illud Sacramentum: euidenter enim inde infertur, Si priùs natura eſt ea indignitas, & voluntariè non tollitur tunc, voluntariè accedi cum indignitate, ac proinde peccari venialiter; & ſuppoſito quòd non tollat eam indignitatem, teneri non communicare. 12 *Occurritur replicæ.* Nec huic rationi quidquam obſtat, quòd in obiectione dicebatur, ſcilicet illum Sacerdotem tunc teneri non omittere Communionem, vt propterea inferatur, illum non peccare venialiter in Communione: etenim etiamſi eſſet in mortali, teneretur abſoluere Sacrificium; & tamen peccaret mortaliter communicando in mortali, quia teneretur tunc mortale illud deteſtari, & ſic reddere bonam eam Communionem; ergo à fortiori poteſt obligari ad communicandum, & tamen peccare venialiter in ea Communione. Pro quo, ne fortè putes me velle dicere aliquem eſſe obligatum ad actum moraliter malum, aduerte duo ibi eſſe, & Communionem externam, & voluntatem illam internam communicandi cum ea mala diſpoſitione. Communio externa eſt præcepta in eo caſu; hæc autem ex ſe bona eſt, volitio autem interior, qua hîc & nunc ille communicat, eſt mala: & hanc nequaquam dicimus eſſe ſub præcepto, ſed potiùs prohibitam, quia tenebatur habere volitionem deteſtandi ea peccata, ſiue expellendi diſpoſitionem illam malam pro Euchariſtia: quia verò volitio illa mala imperat Communionem illam externam, ideò in illam deriuat denominationem malitiæ; quo pacto ſæpè fit, vt per actionẽ extrinſecè malam ſatisfaciamus alicui præcepto: & verò id in ipſa Communione conſtat, nam qui iam in morbo conſtitutus etiam in mortali communicat, ſatisfacit præcepto Communionis, iuxta communem ſententiam, ita vt ſi ſtatim per confeſſionem doleret, nequaquam tamen teneretur ad ſecundam Communionem in eo morbo. Quarto denique modo poſſunt illæ voluntates concurrere, vt neutra ſit priùs natura quàm altera, ſed ſe habeant planè concomitanter, & tunc etiam eſt dicendum, ſi ipſa diſtractio actualis vana tunc reddatur mala noua malitia, eo quòd per accidens habeat adiunctam Communionem, eodem modo è contrario ipſam etiam Communionem reddi malam, quia habet adiunctam malam diſpoſitionem, ſeu quia non

ſit iuxta modum qui ad eam requiritur: ſi enim præceptum Communionis dignæ exigit carentiam eorum venialium, ergo neceſſum eſt vt communicare etiam in venialibus ſit contra illud præceptum, ac proinde ſit peccatum veniale.

13 *Concluditur, mediam ſententiam non ſubſiſtere.* Concludo ergo vt dixi initio, Me nullo modo capere, quo pacto, ſi eſt obligatio ſub veniali ad habendam eam diſpoſitionem, poſſit tamen voluntariè & aduertenter fieri vt homo eam non habeat, & tamen non peccet formaliter in ipſa Communione, ſeu quòd non deriuetur malitia in ipſam Communionem. Et hæc quoad ſententiam mediam illius Auctoris.

Sententia vera proponitur. In ſubſtantia verò totius quæſtionis omnino puto cum Suario & eodem Lugo Primò non eſſe, nec quidem ſub veniali, obligationem auferendi omnia venialia ante Communionem. In quo puncto Vaſquez a fortiori conuenit. Ratio eſt, quia cùm venialia non impediant abſolutè & ſimpliciter præcipuum fructum gratiæ, non reddunt ex conceptu ſuo hominem indignum eo Sacramento; nam ad maiorem gratiam, quam Sacramentum poteſt cauſare, non tenetur ſe homo diſponere, alioquin peccaret venialiter, ſi non haberet quam poſſet intenſam diſpoſitionem, quia per hanc recepiſſet maiorem gratiam; hoc autem haud dubiè falſum eſt. Confirmo hanc doctrinam ex aliis Sacramentis viuorum; *Confirmatur à ſimili de aliis Sacramentis.* nam & alia etiam requirunt ſtatum gratiæ ſicut Euchariſtia; licet hæc aliquo maiori titulo id exigat; & licet, caſu quo præceſſit mortale, non ſufficiat pro Euchariſtia habere de illo contritionem, ſed requiratur confeſſio Sacramentalis (de quo ſtatim) pro aliis verò Sacramentis ſufficiat contritio: quæ differentia in ordine ad punctum venialium nulla eſt inter Euchariſtiam & alia Sacramenta. Atqui nemo dicit venialiter peccare eum qui ad Confirmationem v.g. aut Matrimonium accedit cum aliquo veniali, etiamſi de illo non ſit attritus; ergo neque etiam erit veniale ad Euchariſtiam accedere cum memoria alicuius mendacij leuis v. g. de quo tamen homo tunc non doleat: patet conſequentia, quia in ordine ad venialia vix eſt vlla differentia inter Euchariſtiam & alia Sacramenta; quod ſi tamen ſit, ſolùm conſiſtet in eo, quòd faciliùs aliqua collectio venialium, v.g. 20. aut 30. potuit cauſare indignitatem pro Euchariſtia quàm pro aliis Sacramentis: at verò vt vel ex vno aut altero cauſetur, nulla eſt apparens ratio.

14 *Quid dicendum ſit reſpectu diuerſarum perſonarum.* Illud tamen in præſenti dubitari poteſt, Vtrùm ſaltem reſpectu diuerſarum perſonarum in hoc ipſo puncto ſit maior obligatio; v. g. An Religioſus profitens perfectionem peccet venialiter contra reuerentiam Euchariſtiæ debitam accedendo v. g. cum 20. venialibus, alius verò ſimplex laïcus cum tot accedens non peccet. Affirmat Lugo ſuprà; quia vti ad hoc Sacramentum requiritur aliqua præparatio & gratiarum actio poſt illud, non tamen eadem in laïco & ruſtico, quæ in Religioſo; ita eodem modo de carentia venialium dicendum eſt: & confirmat id exemplo ſancti Romualdi, de quo legitur, Monachos, qui inter orandum dormirent, ſolitum eſſe illa die Communione priuare vt indignos, cùm tamen ab homine ruſtico non ſolùm vigilantiam, ſed nec præuiam orationem poſſimus exigere.

Sententia Lugo reijcitur. Ego quidem licet hæc videantur plauſibiliter dicta, non tamen iudico vera, quia tota ea maior exigentia ſolùm eſt intra terminos perfectionis, non autem intra obligationem peccati venialis; alioquin eodem modo etiam deberemus de omnibus aliis Sacramentis viuorum diſcurrere; quod tamen nemo dixiſſet. Ratio verò à priori eſt, quia vti in his materiis, in quibus religioſa Regula nullo modo obligat, nec quidem ſub veniali, etiamſi Religioſus non excedat laïcum; non propterea peccet venialiter, eſto committat imperfectionem aliquam moralem dignam aliqua pœnitentia; vt ſi in Societate v. g. frangat ſilentium, aut ſine licentia faciat hauſtum aquæ v. g. quia Regula non obligat ſub veniali, facit quidem contra perfectionem religioſam, & puniri à Superiore poteſt, non tamen peccat, venialiter: ita in præſenti dicendum eſt; nam generalis obligatio pro omnibus hominibus ſub veniali non accedendi cum venialibus hîc non eſt, vt ſupponimus; alioquin etiam laïci peccarent tunc venialiter; ſpecialis autem pro Religioſis non eſt poſitiua vlla; quæ autem ex ipſo perfectionis ſtatu oritur non cauſat peccatum veniale; vt in aliis materiis oſtendimus; ergo. *Exemplum de S Romualdo.* Quod verò dicebatur de ſancto Romualdo non vrget, quia ille vti tunc puniebat ea, quæ nec quidem peccata venialia erant; ita poterat ex Regula maiorem illam perfectionem exigere à ſuis Monachis, per quod nullo penitus modo oſtenditur, ſi illi Monachi non fuiſſent prohibiti, peccaturos venialiter ea die communicando. Conſtet ergo, per ſe loquendo, quoad peccatum veniale nullam eſſe in præſenti differentiam inter Religioſos & ſæculares. Dico *per ſe loquendo*; nam aliquando ratione ſcandali poteſt eſſe aliqua difficultas, nam homines minorem requirunt diſpoſitionem in ſæculari. Et hæc quoad primum punctum.

15 *Probabilius eſt accedentē in venialibus peccare venialiter.* Secundò dicendum eſt, Longè probabilius videri, aliquando vel multitudinem venialium, de quibus homo non atteritur, vel illud, quod actu tunc committit, eſſe irreuerentiam venialiter malam contra hoc Sacramentum: vti enim ſi quis non flexis genibus, vel cooperto capite, vel indecenter indutus accederet, haud dubiè redderet venialiter malam illam Communionem, nónne à fortiori ſi mente (in qua maximè exigitur deuotio) valdè diſtractus, vel valdè venialibus defœdatus accedat, dicendus eſt accedere indecenter, & venialiter peccare? Et ſanè hæc ratio non ſolùm in ordine ad Euchariſtiam, ſed etiam in ordine ad alia Sacramenta, quæ etiam ſanctè tractari petunt, probat ſæpè poſſe committi veniale peccatum ob veniales culpas accedentis. Neque in contrarium quidquam Vaſquez obiicit, quod vllam difficultatem ingerat.

Dices, Si ille tunc peccat in ea ſuſceptione, ergo nullam gratiam recipiet, ergo peccabit mortaliter, quia impediet omnino effectum Sacramenti. Reſpondeo negando conſequentiam, quia licet ex opere operantis non recipiat per illum actum gratiam, recipiet tamen ex opere operato vi Sacramenti, pro quo tamen moueri tertia difficultas poteſt.

SECTIO

SECTIO III.

Vtrùm, vt Euchariſtia cauſet gratiam, requiratur actualis deuotio?

16 QVÆRIMVS, Vtrùm ad hoc, vt Euchariſtia cauſet gratiam, requiratur aliqua deuotio actualis in ſuſcipiente, an ſufficiat non eſſe in mortali. Ratio dubitandi eſt; nam ſi ea requiratur, videtur eum, de quo immediatè egimus, quandoquidem in ſuſceptione Sacramenti peccat venialiter, non poſſe habere deuotionem ad gratiæ cauſationem neceſſariam, ac proinde nullam gratiam recepturum. Id quod eſt valdè durum. Non defuêre qui eam deuotionem actualem requiſierint, quos refert Vaſquez diſputat. 206. capite 1. & videntur fundari in Diuo Thoma in 4. diſtinct. 12. quæſt. 2. artic. 20. ad quæſtionem 3. vbi expreſsè docet, per eam diſtractionem, ſine mortali tamen peccato, poſſe impediri augmentum gratiæ. Contrariam tamen ſententiam priori reiecta tenuit idem Sanctus Doctor hîc quæſt. 79. art. 8. in corpore, vbi expreſsè ait, Per ea venialia & per defectum deuotionis non impediri augmentum gratiæ, ſed actualem refectionem ſpiritualis dulcedinis: eumdem ſententiam tenent Thomiſtæ omnes & reliqui Interpretes Diui Thomæ ad hunc locum.

Sententia D. Thomæ negatiua:

Probatur.

Probatur Primò, quia (vt ſuperiùs fuſiùs oſtendi) Sacramenta viuorum ad cauſandam gratiam non requirunt niſi eiuſdem gratiæ ſtatum, & ſummùm voluntariam ſuſceptionem eius Sacramenti: id quod addo propter nonnullorum doctrinam, de qua ſuprà, docentium, ſi caſu hoc Sacramentum ſumatur, non cauſare gatiam, habet autem vniuerſalis hæc doctrina fundamentum in Conciliis, quæ ad horum Sacramentorum dignam receptionem non aliud requirunt quàm ſtatum gratiæ: & ſpecialiter de hoc Sacramento videtur ita loqui Tridentinum Seſſione 13. c. 3. ſolùm ex Paulo requirens, vt probet ſe homo per confeſſionem, ſi in mortali ſit. Confirmatur, quia paruulis olim dabatur ab Eccleſia hoc Sacramentum, quæ ſupponebat haud dubiè in illis cauſari gratiam, alioquin illos inutiliter communicaſſet; & tamen abſque omni actu illorum ea cauſabatur; ergo.

17 Dices; Illi etiam ſine ſuſceptiône voluntaria accipiebant hanc gratiam, & tamen adultus debet habere ſaltem volitionem; ergo non eſt bonum argumentum ab infantibus ad adultos. Ideò vrgent aliqui; Saltem in phreneticis, qui priùs, vſum rationis habuerunt, poteſt cauſari gratia, ſi detur Euchariſtia, ergo. Verùm hæc confirmatio non ſatisfacit; dicit enim Caietanus, qui contrariam ſententiam tenet (vt reuerà dicit) neque in eis cauſari gratiam, vel certè eos præſupponi habuiſſe olim affectum & deuotionem circa hoc Sacramentum. Quidquid igitur de hac replica ſit, nos, qui ſuprà diximus probabile eſſe, etiam in adulto iuſto caſu ſuſcipiente hoc Sacramentum cauſari gratiam, faciliùs poſſumus reſpondere, nullam eſſe allatam diſparitatem. Secundò dicimus, Longè aliam rationem eſſe de voluntate ſuſcipiendi hoc Sacramentum quàm de deuotione actuali: voluntas enim illa ſi requiritur, ideò ſanè vt Sacramentum more humano ſuſcipiatur, vel etiam adminiſtretur; in infantibus autem eſto more humano non ſuſcipiatur, adminiſtratur ſaltem, ac proinde cauſatur gratia: at ſi homo ſanus putans ſe aliquid aliud comedere, comedat hoſtiam conſecratam, nec ſuſcipit Sacramentum more humano, nec ei etiam adminiſtratur; quid ergo mirum ſi tunc non cauſetur in eo gratia? At deuotio actualis non eſt neceſſaria ex eo capite, neque aliunde, ergo. Denique id ſuadetur, quia ſi defectus deuotionis impediret omnino effectum gratiæ, non poſſet facilè excuſari à peccato mortali qui eo modo communicaret; nam impedire totum effectum gratiæ, & reddere Sacramentum illud omnino inutile, ſine dubio graue peccatum eſt; & vix alia de cauſa accedere cum mortali ad Matrimonium, reliquaque Sacramenta, eſt peccatum mortale, niſi quia impeditur hic effectus gratiæ, & inde reſultat, quòd ſit irreuerentia contra Sacramentum.

Reſpondetur ad replicam.

18 Contra hanc ſententiam communem obiicit Caietanus, qui contrarium ſentit, Primò, Cùm videamus experientia multos Sacerdotes, qui per plurimos annos celebrant, vix tamen quidquam in virtute proficere, neceſſum eſt dicere, eos non accipere ſingulis diebus gratiam; alioquin habere deberent ingentem cumulum gratiæ, qui eo ipſo neceſſariò foras deberet ſe effundere, ſeu ſe oſtendere. Quòd ſi dicas, Virtutes infuſas & habitus gratiæ non facilitare hominem ad benè operandum, ac proinde non poſſe exteriùs eam intenſionem gratiæ dignoſci; ſi inquam id reſponderis, vrgebit adhuc; Nam cùm per hæc Sacramenta non ſolùm acquiratur gratia habitualis, ſed etiam ius ad auxilia abundantiora pro operibus bonis, ſaltem ex hoc capite deberet, foris agnoſci valor illatum omnium Communionum. Vnde obiter noto, non benè à Cardinale Lugo retorqueri argumentum Caietani contra ipſum ratione gratiæ habitualis, quam illi iidē Sacerdotes accipiunt ſaltem per alia bona opera, quæ illi ſingulis diebus faciunt dum orant ſuas Horas Canonicas, dum aliquando ſe diſponunt ad Sacrum, dum alia bona opera faciunt; quod tamen augmentum etiam non apparet foris, vti contra nos dicebat Caietanus de augmento Euchariſtico: colligo inquam non benè retorqueri hoc modo illud argumentum; nam cùm bona opera eſto augmentum gratiæ obtineant, non tamen cauſent ius ad noua auxilia, ſicut cauſatur per Sacramenta (vt diximus ſuprà) non eſt vnde ſe prodat gratia illa obtenta ab eis Sacerdotibus per diuerſa opera illa acquiſita, ſicut ſe debet prodere quæ per Euchariſtiam; non ergo ex eo capite retorquetur ſufficienter argumentum contra Caietanum.

Obiectio Caietani contra ſententiam communem.

Cardinalis Lugo retorquet argumentum in Caietanum.

Non benè.

Quidquid ergo de ea inſtantia ſit, reſpondeo abſolutè, Illa auxila maxime in hoc oſtendi, quòd (vt ſupponit ipſe Caietanus) illi Sacerdotes in gratia conſeruentur: hoc enim eſt maximus effectus huius Sacramenti: porò eos in gratia conſeruari à Caietano ſupponi facilè probatur; nam alioquin ſi illi in peccato communicarent, nullum inde formaretur argumentum, aut formari poſſet contra nos quia tunc ratione peccati, non verò ex defectu deuotionis, illi non acciperent gratiam, vnde non eſſet mirum, ſi ſe hæc non oſtenderet, ergo. Secundò reſpondetur, Auxilia illa actualia ſæpè ex diuerſis capitibus impediri, etiamſi alioquin fructuosè ſit ſuſceptum Sacramentum. Deinde, vt ſuprà dixi, ius collatum ad illa non eſt ad auxilia efficacia quà talia, alioquin qui ſemel Sacramentum acciperet, non caderet deinde vnquam, quod 19

Reſpondetur argumento Caietani. Primò,

Secundò,

Digitized by Google

quod eſt contra manifeſtam experientiam; ſed ad vberiora & fortiora phyſicè; quæ tamen ſæpiſſimè ſuo effectu defraudantur. *Tertiò.* Tertiò, Neque eſſe in perpetuum maximè in hoc Sacramento quod iterari poteſt: non enim ſemel ſuſceptum dat vires ad totum v.g. annum, aut ad menſem, ſed fortè ad vnum vel alterum diem. Denique, nobis eſſe incertiſſimum quæ ſint ea auxilia reſpondentia eis Sacramentis, & pro quibus actibus illa dentur; vnde ex defectu eorum actuum bonorum non poſſumus quidquam inferre, Vtrùm in eis Sacerdotibus illæ Communiones habuerint effectum gratiæ nécne. *Examinatur, quam deuotionem exigat Caietanus.* Hoc tamen addere meritò poſſumus contra Caietanum, etiamſi requiratur, vt contendit, deuotio aliqua in ſuſcipiente, vix poſſe moraliter contingere, vt tales Sacerdotes, etiamſi non nimis magnam, non tamen habeant aliquam deuotionem; neque enim puto tam ſcrupuloſum eſſe Caietanum, vt deuotionem eam intelligat, quæ eſt cum lacrymis, cum magno aliquo ſenſu aut corporis commotione, vt non putet ſatis eſſe, ſi quis habeat actus aliquos liberos Fidei, amoris Dei, aliquos bonos affectus erga illud Sacramentum, petat aliquid per illud à Deo, ſe agnoſcat indignum tanto myſterio, &c. quomodo autem poteſt moraliter contingere, vt licet non ſemper, frequentiſſimè tamen illi Sacerdotes, maxime iuſti (vt iam dixi eos debere ſupponi pro argumento) non habeant aliquos ex illis actibus, quando vel Pater & Aue ante Sacrum orant, quando in ipſo Sacro alias orationes dicunt vel in ipſa Communione, vel certè poſt illam, dum ſpecies ſunt in ſtomacho: id quod ſufficit iuxta ipſum Caietanum ad hoc, vt Euchariſtia cauſet ſuum effectum.

20 *Argumentum alterum Caietani.* Secundum argumentum Caietani eſt, Euchariſtiam non operari ſuum effectum niſi per modum cibi: atqui cibus non nutrit niſi ipſum viuens cooperetur; ergo nec Euchariſtia nutriet, niſi homo ipſe per actualem deuotionem cooperetur. Reſpondeo, Me ſæpè dixiſſe, quæri ſine vllo fundamento in hoc Sacramento omnes ſimilitudines cum cibo; alioqui in hoc ipſo puncto euidenter reiici poſſet ipſe Caietanus: etenim cibus naturalis non plus nutrit ex eo, quòd homo magis illum velit, magis afficiatur cibo: ſæpè enim cibi cum ſummo guſtu manducati hominem interficiunt; ergo Euchariſtia, ſi in omnibus debet accommodari cibo naturali, non cauſabit maiorem gratiam ex eo, quòd homo ei magis afficiatur: deinde, quòd reliqui cibi requirant cooperationem ipſius ſuſcipientis, eſt omnino per accidens; quia videlicet non eſt alia cauſa naturalis quæ eos cibos conuertat in ſubſtantiam aliti: per quam ſolam conuerſionem fit nutritio. At in Euchariſtia homo ipſe non producit gratiam habitualem, in qua formaliter ſita eſt tota ratio nutritionis: hæc enim à ſolo Deo producitur, etiamſi requiratur quæcumque deuotio; non eſt ergo cur ob tam leue fundamentum in eam ſententiam propendeamus. *Notatur Caietanus.* Et miror vehementer Caietanum, qui profitetur ſe à Sancto Thoma nolle vllo modo diſcedere, tam apertè ſe illi in hoc puncto oppoſuiſſe; & quod grauius eſt, ne videretur ei oppoſitus, explicuiſſe Sanctum Doctorem, vt non de augmento gratiæ, ſed de aliis effectibus fuerit locutus: miror inquam, cùm Sanctus Doctor ea qu. 79. art. 8. ſuprà citatus ponat duos effectus huius Sacramenti; vnum, adeptionem gratiæ habitualis, alterum, refectionem quamdam ſpiritualem, hoc eſt dulcedinem & conſolationem actualem, & addat hanc impediri per diſtractionem actualem, non illam, vnde in reſponſione ad primum, agens de accedente cum ea diſtractione, ait eum percipere habitualem effectum huius Sacramenti, hoc eſt gratiam habitualem, non verò refectionem illam actualem, eſto, vt & ſuprà notaui, in quarto Sententiarum contrarium docuerit.

DISPVTAT. QVADRAGESIMASEXTA.

De neceſſitate confeſſionis præuiæ in habente conſcientiam mortalis.

1 HAc de re fusè Auctores; eam ego breuiter perſtringam, quia poſt Tridentinum vix poteſt eſſe vllum dubium.

SECTIO I.

Diſcutitur ſententia Caietani, & ſtatuitur certa doctrina.

Caietani ſententia ſingularis. CAIETANVS in Summa verbo *Communio Sacramentalis*, & in illud 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo*, & in articulo 4. huius quæſtionis 80. (quem tamen Commentarium Pius V. curauit expungi) docet non eſſe neceſſariam eam confeſſionem, quia ex verbis Pauli ea neceſſitas colligi non poteſt; nam ſeipſum probare non dicit confeſſionem, ſed potiùs eam videtur negare, cùm Chryſoſtomus Homilia 28. in citatum Pauli locum dicat, ibi non *Communis & vera ſententia ex Concilio Tridentino.* præcipi, vt alter alteri probetur, ſed vt ipſe ſine traductione faciat, &c. id quod etiam inſinuat Theophylactus ibi. Nihilominùs tamen confeſſionem Sacramentalem eſſe per ſe neceſſariam, eſt de Fide ex Tridentino Seſſione 13. c. 7. vbi ait Eccleſiaſticam conſuetudinem declarare, eam probationem talem eſſe, vt quicumque ſe deprehendit mortalis reum, præmittat confeſſionem Sacramentalem, vnde clarè colligitur non eſſe hoc mandatum nouum Tridentini, ſed antiquitus in Eccleſia ita fuiſſe receptum, alioquin non dixiſſet, *Eccleſiaſtica conſuetudine id declaratum.* Vide Vaſquez diſp. 207. cap. 3. Suarez diſput. 66. ſect. 3. Lugo diſp. 14. ſect. 4. qui adferunt aliqua teſtimonia antiquorum Patrum pro eadem veritate, vt Leonis Primi Epiſtola 91. cap. 2. *Et Auctoritate Sanctorum Patrum & Doctorum.* Cypriani lib. 3. Epiſtola 10. Auguſtini Epiſtola 118. cap. 3. Anſelmi ad citata verba Pauli, Chryſoſtomi, Richardi de Sancto Victore, qui clariſſimè rem hanc tradidit lib. de Poteſtate Eccleſiæ ligandi atque ſoluendi cap. 21. & aliorum, qui apud citatos videri poſſunt: neque in re certa oportet diutiùs immorari.

Quod verò Caietanus obiiciebat non eſt vllius momenti; nam, quidquid ſit, Vtrùm illud 2 *Caietani argumenta nulla ſunt.* præceptum ſit Diuinum nécne, de quo ſtatim, ipſa conſuetudine Eccleſiæ, teſte Tridentino, con

conſtat olim illud fuiſſe, & etiam nunc durare. Quod item dicebatur, Paulum non exigere confeſſionem, nunc tranſeat; certum tamen eſt, illam ab ipſo non negari. Nam τὸ *Probet ſeipſum* ſolùm denotat, quemlibet videre debere in ſe, Vtrùm habeat mortale nécne: & hanc probationem ipſe ſolus facere poteſt, & debet; quia ipſe ſolus eſt conſcius ſuorum factorum: at ſi poſt eam probationem deprehendat ſe eſſe in peccato, tunc debet illud per confeſſionem Sacramentalem expurgare: & hoc eodem modo explicari debet Chryſoſtomus reliquique Patres, ſi quando ad hoc Sacramentum non videntur exigere expreſsè confeſſionem Sacramentalem.

Explicatur locus Sancti Pauli.

Dices: Si probatio illa (de qua loquitur Concilium) non fit per ipſam confeſſionem, ſed antecedenter, quomodo potuit Tridentinum eam colligere ex verbis illis Pauli? Reſpondeo, Tridentinum intelligere eam diſpoſitionem dignam, quam Paulus eis verbis requirit pro τὸ *Et ſic de pane illo edat: qui enim manducat indignè*, &c. debere eſſe per confeſſionem, quando poſt probationem deprehenditur mortale; & hoc docet Eccleſiaſtica conſuetudine declaratum; per quod non dicit ipſam probationem eſſe confeſſionem. Adde, ſi conſcientiam habet quis peccati mortalis, iure optimo dici, debere ſe probare per confeſſionem, vt à Confeſſario iudicetur, ſitne dignus qui ad Euchariſtiam accedat: & ad hoc induci poteſt Sanctus Leo Papa ſuprà citatus, vbi hæc habet; *Mediator Dei & hominum hanc Prapoſitis Eccleſia dedit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatiſfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum, ad ianuam reconciliationis admitterent.* Quæ verba etſi non ſpecialiter de Euchariſtia loquantur, debent tamen maximè de illa intelligi; nam ad reliqua Sacramenta non eſt neceſſaria per ſe confeſſio.

Alia argumenta Caietani ſoluuntur.

Tertiò pro Caietano obiici poteſt, cõtritionem ſufficere vt homo iuſtificetur; ergo vt recipiat effectum Euchariſtiæ. Reſpondeo, Hinc ſummùm probari ex ſuo conceptu hoc Sacramentum non petere eam confeſſionem; at non oſtendi, Chriſtum Dominum aut Eccleſiam non petiiſſe per ſpeciale præceptum eam confeſſionem, vti petitur ieiunium.

3 Quartò, quia Innocentius Tertius in cap *Omnis vtriuſque ſexus*, de pœnitentia & remiſſione, præcepit confeſſionem annuam & Communionem; ergo Communio non exigit eam confeſſionem, alioquin præcepta Communione præciperetur ibi confeſſio. Reſpondetur, Ea duo ideò diſtinctè præcipi, quia aliqui ſunt pœnitentiæ capaces, non Euchariſtiæ, deinde aliqui cenſent etiam eos, qui non habent mortale, teneri tunc confiteri non ratione Euchariſtiæ: de quo alibi. Denique, quòd diſtinctè duo præcipiantur, non probat vnum ſine altero licitè anteà potuiſſe fieri.

An confeſſionis vſus fuerit ab initio Eccleſia.

Rogabis, Qua certitudine tenendum ſit fuiſſe anteà ab initio Eccleſiæ obligationem præmittendi confeſſionem. Ratio dubitandi oritur ex verbis ipſius Tridentini, nam Canone 11. hæc habet: *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* Ex quibus Primò oritur dubium, an ibi loquatur de toto tempore præcedenti, ac proinde ſi quis dixerit non fuiſſe aliquando neceſſariam confeſſionem ad hoc Sacramentum, eo ipſo ille eſſet excommunicatus. Alterum dubium, cur ibi vtatur verbo *excommunicatus*, & non addat *Anathema ſit*, vti addit in omnibus Canonibus: & in hoc eodem dixerat in priori eius parte contra aſſerentes, ſolam Fidem ſufficere pro ſuſceptione huius Sacramenti. Pater Vaſquez circa primum dubium putat omnino eſſe definitum vt certum de Fide, fuiſſe ab initio Eccleſiæ eam confeſſionem neceſſariam; nam cap. 7. ait, *Hanc præparationem eſſe confeſſionem Eccleſiaſtica conſuetudo declarat*, ergo definit Concilium id fuiſſe in conſuetudine: pro qua ſententia citat ille Sixtum Senenſem, Canum, Dominicum Sotum, & Alphonſum à Caſtro. Alij verò putant præcisè eam ſententiam Caietani nunc reiici vt improbabilem, non tamen damnari vt hæreticam; Suarez autem non ſatis clarè in hoc puncto loquitur. Ego iudico neceſſariam eſſe aliquam diſtinctionem pro hac quæſtione; aliud enim eſt loqui de neceſſitate confeſſionis poſt Concilium ipſum, aliud tempore Concilij & paulò ante; aliud verò loqui de toto tempore antecedenti ab initio Eccleſiæ. Hoc ſuppoſito, 4

Quid circa hoc definiat Concilium Tridentinum.

Dico Primò; Valdè probabile eſt non definiiſſe Concilium, ab initio Eccleſiæ eam confeſſionem fuiſſe neceſſariam; etenim Concilium non dixit *hanc diſpoſitionem fuiſſe*; multò minùs dixit *ab initio Eccleſia*, ſed tantùm de præſenti locutum eſſe, ac ſi diceret, Conſuetudo, quæ iam eſt introducta; declarat hanc diſpoſitionem requiri; per quod nihil penitus dicitur, vtrùm ea conſuetudo inceperit ſimul cum hoc Sacramento nécne: eodem omnino iure potuit Concilium, ſi de ieiunio ageret, dicere, *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat diſpoſitionem corporalem neceſſariam pro hoc Sacramento eſſe, accedere ieiunium*, per quæ tamen verba, nullo modo definiret eam conſuetudinem fuiſſe ab initio Eccleſiæ. Ratio à priori eſt; nam conſuetudo Eccleſiæ habet latitudinem magnam, poteſt eſſe ducentorum annorum & mille annorum, non tamen ab initio. Confirmatur, quia cùm in ordine ad mores, & ad obligandum præſentes ad eam Communionem, non multum faciat, quòd ſit conſuetudo ab initio Eccleſiæ, dummodò iam ſit talis; quæ iam obliget ſub mortali; difficulter credi poteſt Concilium fuiſſe ſolicitum vt definiret tanquam dogma de Fide, ſemper hanc fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem.

An Paulus intelligendus ſit de confeſſione.

Dices; Concilium ibi vult oſtendere, ab Apoſtolo Paulo intellectam eſſe eam probationẽ, quæ fit per Sacramentalem confeſſionem; atqui id non poteſt oſtendi, niſi perpetua conſuetudine & traditione Eccleſiæ ſit ita obſeruatum. Reſpondeo, Concilium non definire ibi, Paulum fuiſſe locutum de confeſſione Sacramentali, ſi enim hoc feciſſet, haud dubiè eo ipſo oſtendiſſet ab initio Eccleſiæ fuiſſe re ipſa obligationem præmittendi confeſſionem; ſolùm ergo docet, volenti communicare proponenda eſſe Pauli verba vt timeat, vt ſe probet ante Communionem, ne accedat indignè; quomodo autem ſe debeat probare, non dicit Concilium fuiſſe ab Apoſtolo traditum, ſed Eccleſiaſtica conſuetudine declaratum: potuit autem Eccleſiaſtica conſuetudo iam declarare requiri confeſſionem, eſto olim eam non requiſierit, ſed ſolùm contritionem exiſtimatam. 5

Dico Secundò: Concilium manifeſtè decla

declarar, hanc obligationem non eſſe primò à ſe impoſitam, ſed eſſe antiquam, eſto gradus antiquitatis non explicet. Hoc ipſamet verba Concilij præ ſe ferunt; vnde in hoc ſenſu non dubitarem hæreticum eſſe nunc dicere, Primò à Concilio Tridentino incepiſſe obligationem, & in hoc acquieſco Patri Vaſquez & aliis, quos pro ſe citat: & quia Concilium fortè fuit circa tempora Caietani, non dubito à Concilio definitum, hæreticam eſſe re ipſa Caietani ſententiam, quia Caietanus de ſuo tempore, non de antiquo dixit, non eſſe obligationem confitendi: & in hoc etiam acquieſco Patri Vaſquez, vti ſi quis iam diceret, non eſſe per ſe obligationem ieiunium præmittendi ad Communionem, eſſet hæreticus, inde tamen non ſequitur fore etiam hæreticum illum, qui diceret, ad Eccleſiæ initium non fuiſſe eam obligationem ieiunij. Quod autem dico Concilium definere, eſſe hæreticum docere, tempore ſuo & Caietani non fuiſſe obligationem Sacramentalis confeſſionis præmittendæ, non volo dicere Caietanum damnatum ibi fuiſſe vt hæreticum: ſæpè enim damnantur ſententiæ, quæ antea fuere à Catholicis licitè defenſæ.

Hæretica Caietani ſententia.

6 DICO TERTIÒ: A fortiori erit hæreticum iam velle aſſerere, non eſſe neceſſariam eam confeſſionem, cùm Tridentinum eam conſuetudinem approbauerit, & quaſi nouo mandato firmauerit. Et hæc circa primum dubium.

Vaſquez explicatio refutatur.

Circa dubium ſecundum, cur Eccleſia prohibeat ſub excommunicatione, & non ſub anathemate contrarium ſentientes, Pater Vaſquez putat eam eſſe cauſam, quòd anathema non dicatur à Concilio niſi contra eos qui manifeſtas hæreſes docent, cùm autem non fuerit hæreſis manifeſta id dicere, non eſt vſum Tridentinum niſi voce illa, *Excommunicatus eo ipſo ſit.* Hæc explicatio mihi non placet, nam cùm poſt declarationem Concilij iam ſit manifeſta hæreſis (ipſo etiam Vaſquez teſte) dicere, non requiri confeſſionem, & cùm Concilium eam pœnam imponat in eo qui poſt eam definitionem contrarium velint docere, profectò eam pœnam ponit in eos qui manifeſtam hæreſim attentauerint docere, ergo iuxta doctrinam Vaſquez debuit in illos etiam anathema dicere: vt enim anathema in aliquem dicatur, non eſt neceſſarium vt doceat hæreſim, quæ iam, antequam anathema diceretur, erat manifeſta hæreſis; ſed ſufficit, ſi quando ab illo docetur, iam ſit hæreſis, & vt talis agnita.

Solutio vera dubij ſecundi.

7 Ego faciliùs putarem reſponderi poſſe, ſi dicamus Concilium pro eodem vſurpare ibi *Excommunicatus ſit* atque *Anathema ſit*; fortaſſe quia in eodem Canone anathema iam ſemel dixerat, noluit eodem verbo ſecundò vti: vel poteſt etiam dici, Concilium in eo Canone non agere directè contra reſiſtentes ipſi Concilio in materia Fidei, quia ibi in eo Canone propriè non definit, ſed mandat, ſeu ſtatuit, vt in futurum præmittatur confeſſio; licet enim cap. 7. dixiſſet, Eccleſiæ conſuetudinem eſſe vt præmittatur confeſſio; in hoc tamen Canone nihil de ea conſuetudine docet, ſed omnia in futurum mandat. Nota illa verba, *Et, ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò mortem & condemnationem ſumatur*, (vide de futuro illud agere;) *ſtatuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem*, &c. Vides omnia hìc ad mandatum vergere; ideò ergo mitiore pœna agit in contrarium docentes, quia grauius eſt negare veritatem ab Eccleſia definitam, quàm dicere, Hoc aut illud præceptum Eccleſiæ non vrgere: poſſent enim ad hoc prætendi excuſationes non hæreticæ; vt ſi quis diceret, Non valere illud præceptum, vbi non eſt receptum Tridentinum, aut ob alium quæſitum colorem. Hoc tamen addo, Licet fortaſſe vi huius Canonis non eſſet de Fide dari eam obligationem ob immediatè dicta, ratione tamen definitionis capitis 7. quæ etiam eſt de Fide, non poſſe nunc ſine manifeſta hæreſi ſententiam Caietani defendi, vt dixi paulò antè.

SECTIO II.

A quo ſit impoſitum præceptum confeſſionis pro Communione?

8 ILLVD pro complemento præcedentis difficultatis quæri poteſt, A quo ſit hoc præceptum impoſitum? Ioannes de Medina & Nauarrus apud Vaſquez putant non eſſe de iure Diuino nec Canonico ſcripto, ſed ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ eam obligationem induxit. Contraria tamen ſententia eſt ferè omnium Recentiorum, qui præceptum hoc omnino iudicant ab ipſo Chriſto latum eſſe, & per Apoſtolum Paulum promulgatum loco citato; vbi ait ſe ea, quæ circa hoc myſterium tradit, accepiſſe ab ipſo Chriſto. Id quod valdè confirmant aliqui Patres, quos refert obiter ex Couarruuia Vaſquez cap. 4. & Cardinalis Lugo ſect. 4. Secundò eadem veritas ſuadetur ex eiuſdem Pauli verbis, non ita vt in eis contineatur expreſsè illud præceptum; quia (vt ſuprà diximus) in toto rigore poſſent illa verba eſſe vera, etiamſi de confeſſione non explicarentur, quia non requirit ibi Apoſtolus, niſi quòd homo dignè accedat, & probet ſe, vtrùm inueniat in ſe peccatum mortale; vbi non determinatur quidquam de confeſſione; quia tamen hæc verba intellecta ſunt ab Eccleſia (vt Tridentinum declarat) de confeſſione, conſtat eam fuiſſe Apoſtoli mentem. Poteſt enim ſæpè contingere aliquem locum Scripturæ non petere pro ſui veritate explicationem aliquam, quam tamen Spiritus ſanctus intendit; vti ſi Scriptura dixiſſet, *Occidit Dauid quatuor beſtias*, non eſſet neceſſarium dicere vi huius verbi eas fuiſſe leones; poterant enim eſſe vrſi, lupi; ſi tamen illa verba de leonibus fuiſſent perpetua Eccleſiæ traditione intellecta, deberent procul dubio de illis intelligi.

Sententia Medinæ & Nauarri, non eſſe iuris Diuini.

Contraria ſententia communis & certa.

Pro hac ſententia intelliguntur verba S. Paulis

Replicabis; Concilium nullibi dicit, Hoc præceptũ eſſe à Chriſto, ſed ſummùm ab Apoſtolo Paulo. Reſpondeo Primò, Me iam dixiſſe, eo ipſo quòd Paulus dicat ſe à Chriſto accepiſſe quæ nobis tradit, ſatis probabiliter oſtendere, illud præceptum eſſe Diuinum; ſufficiebat ergo Concilium probare, Paulum de confeſſione intelligendum, vt inde colligeret id eſſe præceptum Diuinum ſuppoſitis prioribus Apoſtoli verbis. Secundò poſſet reſponderi, Præceptum à Paulo impoſitum non potuiſſe inducere obligationem in totam Eccleſiam, quia Paulus non erat Eccleſiæ caput: ita Lugo ſuprà adducens ſuarium

Quidquid Aduerſarij repugnent.

Digitized by Google

Suarium, qui diſp. 10 de Fide ſect. 1. num. 26. ait à ſolo Petro potuiſſe imponi præceptum vniuerſale pro tota Eccleſia; ergo cùm hoc de confeſſione ſit vniuerſale, neceſſarium eſt illud ab altiori poteſtate, hoc eſt ab ipſo Chriſto, impoſitum.

9 *Arguitur Suarez in cõſequentia.* Ego tamen hanc ſolutionem non iudico ſufficientem; & fortè in ea nec Suarez loquitur conſequenter; ipſe enim docet, omnes Apoſtolos habuiſſe iuriſdictionem in totam Eccleſiam, eſto vnus in alium non haberet; ſed in hoc puncto ſolus Petrus in omnes, potuerunt ergo habere illi poteſtatem imponendi præceptum, quod vbique obligaret, niſi ab aliis habentibus æqualem poteſtatem tolleretur.

Fortaſſe dicere poſſent, Id quidem verum eſſe in duodecim Apoſtolis, quibus Chriſtus immediatè eam conceſſit poteſtatem, non tamen in Paulo, qui illam non habuit. Sed contrà, quia non eſt credibile minorem habuiſſe Paulum poteſtatem quàm reliquos; vti neque minorem habuit Mathias, etiamſi à Chriſto non fuerit immediatè deſignatus. Secundò, ea ſolutio ideò non placet, quia eſto in vnam tantùm prouinciam poteſtatem habuerit Paulus; potuit tamen in eo loco, vbi eam habebat, præceptum imponere; quod deinde acceptatum à tota Eccleſia fieret vniuerſale; ergo ex eo capite non eſt cur inferatur, Illud eſſe ab ipſo Chriſto. Sufficiat ergo noſtra prima ſolutio.

Dices: Concilium Tridentinum loco citato ait, *Communicare volenti reuocandum eſſe in memoriam eius præceptum*; τò autem *eius* non poteſt ſupra Dominum appellare, quia de illo immediatè non fuerat facta mentio, ergo ſupra Apoſtolum; ergo Concilium dicit illud eſſe Apoſtoli præceptum. Reſpondeo, Sæpè præcepta & legem denominari ab ea perſona quæ illam immediatè promulgat; vti dicitur lex Moyſis; & ipſemet Chriſtus cum Phariſæis loquens dicit: *Nónne Moyſes dedit vobis legem*, &c. & tamen certiſſimum eſt eam legem Diuinam eſſe, & Moyſem tantùm fuiſſe promulgatorem ipſius; ergo eodem iure potuit Pauli præceptum appellari à Concilio, quod per Paulum promulgatum, à Chriſto Domino fuerat immediatè latum.

Præcepta à quibus denominari ſoleant. Ioan. 7.

10 *Eruitur ex verbis Apoſtoli, eſſe præceptum Diuinum.* Secundò obiicies: Licet Paulus dixerit 1. Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino*, &c. ſolùm videtur ibi agere de inſtitutione illius Sacramenti, ſeu de admirabili conuerſione panis in Chriſtum; poſt illam autem enarratam dum ait, *Itaque quicumque manducauerit panem hunc*, &c. iam videtur ſuo nomine loqui, & per modum illationis ex narratione facta, ac ſi dixiſſet; *Chriſtus mihi reuelauit, ſe ipſum verè tradere ſe nobis ad manducandum ſub ſpeciebus panis, & ad bibendum ſub ſpeciebus vini: vnde ego dico neceſſariam eſſe magnam puritatem, & homini in mortali exiſtenti præmittendam eſſe confeſſionem ad recipiendum hunc panem, & hunc ſanguinem bibendum.* Hic videtur eſſe contextus eius loci: vnde nihil omnino infertur, quòd præceptum illud ſit Paulo à Chriſto Domino traditum vt promulgaretur. Reſpondeo, Verum quidem eſſe, hanc explicationem cadere optimè poſſe in verba Apoſtoli, ac proinde non eſſe omnino certum, hoc præceptum eſſe Diuinum, ſed intra terminos opinionis probabilioris ea continetur. Addo, etiamſi ea explicatio cadat in verba Apoſtoli, etiam cadere poſſe alteram; quòd ſcilicet & ipſius myſterij narratio, & diſpoſitio neceſſaria ad illud ſuſcipiendum ei fuerint à Chriſto ſignificata. Imò cùm illa verba, *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*, non includant vllam limitationem, ſed videantur ſe extendere ad totam doctrinam de eo myſterio tradendam; profectò non videtur poſſe probabiliter dici, vnam partem à Chriſto, alteram ab Apoſtolo emanare, niſi graue ſit pro ea diſtinctione fundamentum; quale non datur ab obiiciente: quòd enim dicat id omnino non eſſe neceſſarium, fatemur; at cùm ſit noſtra explicatio connaturalior, debet maius aliquod argumentum adferri vt negetur.

SECTIO III.

Variæ exceptiones ab ea obligatione.

NVNC oportet videre, an liceat aliquando communicare non præmiſſa confeſſione. 11
Et quidem in genere id videtur docere Tridentinum eo loco citato; ibi enim obligationem illam dicit ſolùm eſſe, quando eſt copia Confeſſarij: & verò niſi adderet paulò pòſt, *Quòd ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſſione*, &c. fortaſſe aliquis dixiſſet, vi eius prohibitionis nullatenus eſſe neceſſarium Communionem differre ob defectum Confeſſarij, etiamſi nulla alia neceſſitas eſſet quàm deuotio communicandi, quia tamen dicitur *ſi neceſſitate vrgente*, conſtat oportere eſſe neceſſitatem aliquam: vnde duo debent concurrere ad honeſtandam eam carentiam confeſſionis; primum eſt defectus Confeſſarij; ſecundum neceſſitas communicandi: quæ duo ſunt iam à nobis explicanda.

SVBSECTIO I.

Quæ ſit cenſenda carentia Confeſſarij?

CIRCA carentiam Confeſſarij in primis ex terminis notum eſt tunc illam eſſe, quando nullus planè eſt: deinde etiamſi aliquis ſit, ſi tamen ille ſit mutus, aut nolit audire confeſſionem, eo ipſo moraliter non eſt illius copia: præterea ſi ego timeam mihi graue malum, ſi illi detego meum peccatum, cenſeor carere Confeſſario, an verò teneatur quis confiteri alia peccata, vel mortalia, ſi quæ habet, vel certè venialia, conſtabit ex dicendis paulò pòſt. 12

Sed quid ſi ſit abſens ad duo triáve milliaria? *Si Confeſſarius diſtet 1* Aliqui putant tunc perinde eſſe ac ſi non habeatur eius copia, alij verò dicunt, ſi multis diebus Sacerdos debeat celebrare, teneri tunc ſaltem ſemel adire illum: alij denique dicunt id non poſſe certò definiri, ſed debere ponderari circumſtantias loci, perſonæ, temporis, &c. ita Suarez ea diſp. 66. ſect. 4. & Vaſquez diſp. 208. cap. 2. quibus videtur etiam Cardinalis Lugo ſect. 5. adhærere.

Omnino iudico, non poſſe dari regulam generalem pro omnibus caſibus, puto tamen debere magis declarari hoc dubium. Igitur ſi Parochus ſanus eſt, ſi commodè ea duo vel tria milliaria conficere poteſt. & diu alioquin deberet ſine confeſſione celebrare, non dubitarem illum tunc omnino teneri, quia illud iter trium milliarium quaſi per modum recreationis poſſet

ſumi;& in præcepto, quod tanti momenti iudicatur à Concilio, non debet reputari grauis ea obligatio.

13

Si non poſſit à reſeruatis abſoluere.

Maior eſt difficultas; An ſi adſit alioquin Confeſſarius, qui tamen non poſſit ab omnibus peccatis abſoluere;vel quia ille,qui communicaturus eſt, habet aliqua reſeruata; vel quia Confeſſarius non habet poteſtatem niſi vt abſoluat à venialibus,teneatur tunc quis non reſeruata confiteri, vel etiam venialia, vt ſic indirectè abſolutus à reliquis poſſit accedere ad Euchariſtiam. In quo caſu adhuc noua poteſt eſſe quæſtio; Vtrùm ille teneatur tunc vel poſſit ipſa reſeruata dicere.

Sententia Vaſquez, non poſſe dimidiari confeſſionem.

P. Vaſquez abſolutè negat tunc poſſe hominem confiteri ea reſeruata, aut dimidiatam facere confeſſionem:ita n.7.& Tomo 4.quæſt.91. art.3.dub.3. ac proinde cenſet talem carere moraliter Confeſſario;iudicat enim non poſſe validè abſolui à non reſeruatis, ſi ſimul dicat reſeruata: non enim habet Sacerdos poteſtatem diuidendi abſolutionem. Verùm hoc argumentum ſolùm probat (vt benè docet Lugo) non teneri eum dicere ea peccata;at eum abſolui non poſſe indirectè ab omnibus à non reſeruatis verò directè,nequaquam probat.

Impugnatur à Lugo authoritate Doctorum.

Dicendum ergo Primò,Poſſe tunc fieri dimidiatam confeſſionem: ita Lugo ſuprà,vbi benè oſtendit eſſe id probabiliſſimum; citatque pro hac doctrina Antoninum, Gerſonem, Alenſem, Petrum Soto, Ledeſmam, Nunnium,& nouiſſimè Dianam Tom. 2. Tract. 4. reſol. 104. ac Ferdinandum de Caſtro Par. 1. Operis moralis Tract.4.diſput.4. Par.3. §. 6. quam dicit etiam traditam à Patre Ioanne de Salas in manuſcriptis, & inſinuari à Bonacina. Primò ergo probatur ex doctrina communi,quam & ipſe Vaſquez admittit; quòd ſi quis habens peccatum reſeruatum. & illius oblitus accedat ad Sacerdotem non habentem poteſtatem abſoluendi ab eo peccato, nihilominùs indirectè ab eo abſoluatur; non eſt autem explicabile, cur quando omittitur per obliuionem, poſſit indirectè dari valida abſolutio, & non poſſit dari quando explicatur in confeſſione, cùm ea explicatio non auferat Confeſſario indirectam iuriſdictionem abſoluendi.

14

Argumentum pro communi ſententia à pari.

Probatur Secundò eadem doctrina ex alia communiſſima, ſcilicet quando pœnitens timet ſibi malum graue à Confeſſario, ſi certum aliquod peccatum illi detegat, poſſe illud tacere & reliqua confiteri;ergo potero idem facere quando eſt alioquin obligatio confeſſionis, & Confeſſarius me non poteſt ab omnibus abſoluere. Probo conſequentiam, quia argumentum quod ſolet adferri, ſcilicet confeſſionem de iure Diuino debere eſſe integram eodem modo in vno ac in altero caſu, aut vrget, aut potiùs in neutro vrget, quòd verò illa neceſſitas oriatur ex timore damni proprij,aut ex obligatione confitendi,parum eſt.

Dices: Poteſt tunc ille ſine periculo confiteri etiam illa reſeruata. Reſpondeo; Eſto poſſit ſine periculo, non tamen teneri: vt quid enim tenebitur, ſi ab illis non abſoluitur directè? pro abſolutione enim indirecta non eſt neceſſarium ea dicere:& reuerà nullam ego in hoc video vtilitatem,niſi grauare vehementer hominem vt bis teneatur confiteri idem peccatum.

Obiectiones ſoluuntur.

Dices Secundò: Actus interior nunquam eſt reſeruatus; ergo ſaltem tenebitur illum confiteri. Reſpondeo, Antecedens eſſe falſum, & contra ſenſum omnium ferè Doctorum, qui dum dicunt hominem indirectè tantùm abſolui à reſeruatis, non loquuntur de ipſo actu externo, ſed de interno, in quo eſt tota malitia; in externo enim non eſt niſi denominatiuè ab interiori; & caſu quo homo ab interno ſit indirectè abſolutus, parum eſt non eſſe abſolutum ab externo. Dicimus ergo internum eſſe reſeruatum quando iungitur cum externo,ac proinde nec ab interno poſſe tunc directè abſolui; ac denique non eſſe tunc obligationem confitendi internum.De quo puncto fuſiùs Tomo ſequenti in materia de Pœnitentia.

Nunc ſuppoſita probabilitate eius confeſſionis dicimus Secundò Magis videri rationi conforme, & magis iuxta mentem Concilij, aſſerere, talem teneri tunc eam inadæquatam materialiter confeſſionem præmittere, quàm ſine vlla omnino ad Communionem accedere. Hæc eſt contra Vaſquez ſuprà.Pro nobis tamen ſtat Lugo ſuprà, oſtendo autem clarè ex Tridentino maiorem noſtræ concluſionis probabilitatem. 15

Tenetur dimidiatam confeſſionem facere.

Nam Concilium eis locis citatis directè videtur requirere confeſſionem ante hoc Sacramentum, ne illud in condemnationem ſumatur, ſeu vt ſit ſecuritas ea moralis,quæ poteſt eſſe de ſtatu gratiæ: néve homo dum putat ſe habere contritionem, illa tamen careat, & re ipſa minùs benè diſpoſitus accedat: haud enim ſine myſterio ad inſinuandum hoc periculum dixit Concilium, *Quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment*, quaſi diceret, *Nam quantumcumque exiſtiment, poſſunt facilè in hoc errare, & interim re ipſa in peccato accedere*: *id quod ſaltem moraliter eſſet contra reuerentiam huic Sacramento debitam.*

Colligitur ex Concil. Tridentino.

Hoc eſt Tridentini intentum, cui adæquatiſſimè & perfectiſſimè ſatisfit per eam confeſſionem dimidiatam; nam eo caſu homo abſoluitur ab omnibus mortalibus, etiam ab illis quæ reſeruata ſunt; abſoluitur inquam indirectè, ſicut Concilim ait abſolui ab his quæ homo per inculpabilem obliuionem omiſit; & quidem certiſſimè abſoluitur, vt habeat tantam certitudinem moralem,quantam ſi ea confeſſus fuiſſet habenti iuriſdictionem abſoluendi ad omnibus, ergo per eam confeſſionem ſatisfit ex integro Concilij intento; ergo tenetur quis eam tunc adhibere.

16

Obiectio: An extra neceſſitatem poſſit dimidari confeſſio.

Dices tamen Primò;Si tunc ob eam Communionis occaſionem tenetur eam confeſſionem præmittere,ergo etiam ablata ea occaſione,licet non teneatur, poterit tamen eo modo confiteri inadæquatè materialiter; hoc autem videtur eſſe contra praxim Eccleſiæ: non enim niſi in graui neceſſitate quiſquam habens caſum reſeruatum confitetur non habenti poteſtatem ab eo abſoluendi. Vrgetur, quia ſi inſtantia,quam attulimus de eo qui poteſt reticere aliquod peccatum, quando timet ſibi ex eius confeſſione graue damnum,aliquid valeat pro noſtro caſu, probat ſanè poſſe ſine vlla neceſſitate eam confeſſionem fieri ſolùm eo animo,vt quis iuſtificetur à ſuis peccatis.

Soluunt obiectionem Suarez & Cardinal Lugo.

Benè de hac obiectione agit Cardinalis Lugo ſect. 5. vbi ex Suario & aliis Primò oſtendit, etiam ad dimidiandam eam confeſſionem in caſu inſtantiæ allatæ eſſe neceſſariam aliquam cauſam; Secundo,minorem longè requiri quàm ad dimidiandam,quando ſunt caſus reſeruati. Ratio eſt manifeſta, quia quando iudici habenti alioquin iuriſdictionem integram confiteor, ſi ob periculum imminens reticeo vnum

vel

Digitized by Google

vel alterum peccatum, tantùm videor facere contra præceptum faciendi integram confeſſionem, quod non adeò grauiter obligat: at in noſtro caſu in primis eſt etiam tota ea obligatio; nam etiam ibi fit confeſſio non integra, & aliunde obſtat nouum præceptum Eccleſiæ, vt nemo confiteatur niſi legitimo Confeſſario, & habenti ex integro iuriſdictionem; eſt ergo hîc duplex obligatio, ibi verò vna tantùm. Deinde hæc ſecunda videtur eſſe maior, quia magis graue videtur eſſe comparere coram Iu-
6 dice non ſufficiente, quàm ob iuſtas cauſas occultare proprio Iudici vnum peccatum. Dicimus ergo, etiamſi debeat maior cauſa aliqua eſſe in noſtro caſu, ſufficere tamen illum quæ ex obligatione non communicandi cum mortali ſine præuia confeſſione deſumitur.

17 *Obiectio altera ex Concilio Tridentino.* Obiicies Secundò: Tridentinum Seſſ. 14. cap. 7. ait Sacerdotem inferiorem extra mortis articulum nihil poſſe in caſibus reſeruatis. Reſpondeo ex dictis à me in prima probatione noſtræ ſententiæ. Certum eſſe indirectè poſſe aliquid, vt quando quis illud peccatum ex obliuione omittit; tunc enim ab omnibus abſoluitur, ergo etiam quando illud dicit, aut reticet, ex eo quòd ab eo non poteſt abſolui, dicturus illud quando habuerit legitimum Confeſſarium.

Obiectio tertia: An teneatur confiteri venialia. Cardinalis Lugo, Suarez & Coninck negant. Affirmatiua ſententia defenditur. Tertiò obiicies; Ergo etiam qui non habuerit vllum mortale, excepto eo reſeruato, tenebitur confiteri ſola venialia, vt indirectè abſoluatur ab illo peccato mortali reſeruato. Cardinalis Lugo pro ſe citans Suarium & Coninck omnino negat eum teneri, quia confeſſio venialium non videtur obligare ſub præcepto niſi per accidens, quando aliquis putaret ſe non habiturum aliàs ſufficientem contritionem. Ego tamen conſequenter ad ea quæ diximus puto neceſſariò debere admitti, etiam hunc teneri ad confeſſionem venialium, vt indirectè abſoluatur ab eo mortali reſeruato. Fateor quidem libentiſſimè his Auctoribus, venialium confeſſionem non eſſe per ſe ſub præcepto; dico tamen, hîc & nunc ratione illius reſeruati omnino eſſe: etenim Concilium Tridentinum pro Communione requirit non ſolùm eam certitudinem ſtatus gratiæ, quæ eſt dum quis putat ſe eſſe contritum; iam enim dixi in illo ipſo iudicio poſſe eſſe errorem; vnde ille qui habet mor-*Debet reddi certus ſtatus gratiæ.* talia reſeruata & non reſeruata, non ſolùm videtur teneri confiteri ratione non reſeruatorum, vt ab eis abſoluatur directè, ſed etiam ratione reſeruatorum, vt abſoluatur indirectè, & ſic reddatur quaſi omnino certus de ſtatu gra-
18 tiæ. Demus enim poſſe vnum peccatum mortale tolli ſine altero, & poſſe remitti peccata non reſeruata ſine reſeruatis; profectò eo caſu non obligarem ego ad confeſſionem non reſeruatorum: quid enim ad intentum Concilij prodeſſet accedere ſine tribus mortalibus, ſi accederet cum duobus: quandoquidem iam eo ipſo accederet in mortali, & Apoſtolus Paulus non ab vno aut altero, ſed ab omnibus mortalibus voluerit communicantem eſſe liberum? ergo ille qui habet duo mortalia, vnum reſeruatum, alterum non reſeruatum, non ſolùm confitetur, vt abſoluatur à non reſeruato, ſed etiam vt certò etiam abſoluatur à reſeruato, licet indirectè, & ſic abſolutè ſit per confeſſionem Sacramentalem modo illi in ea occaſione poſſibili maximè certus de ſtatu gratiæ; ergo qui habet tantùm vnum mortale, illúdque reſeruatum, debet etiam procurare eam certiſſimam quam poteſt abſolutionem indirectam ab illo; hoc autem fit, ſi confitendo venialia, & dolendo de reſeruato, accipiat etiam abſolutionem indirectam ab eo reſeruato; ergo tenebitur confiteri non quidem ratione venialium, ſed ratione reſeruati. Hæc ratio meo iudicio clarè oſtendit, ſi diſcurrendum ſit conſequenter, æqualem eſſe obligationem in vno caſu ac in alio; & ex parte videtur præſenſiſſe hanc difficultatem Lugo dum addit, Eſto non teneatur tunc confiteri venialia, meliùs tamen facturum ſi confiteatur. Vnde conſequenter dico; Si eſſet aliquis ſimplex Sacerdos, qui ſolùm poſſet abſoluere à venialibus, vellemque communicare, deberem illi confiteri, ſi haberem aliquod mortale, vt eo modo abſolueret ſaltem indirectè à mortali. Hæc enim omnia dicuntur conſequenter; ſi autem in vno caſu ponatur obligatio, & negetur in alio, planè deſeritur conſequentia argumenti.

Iam verò nouum inde oritur dubium, Vtrùm ſi quis ſubiaceat excommunicationi reſeruatæ, 19 *Quid ſi excommunicatio ſit reſeruata.* nec adſit qui abſoluat, teneatur tamen ſimplici Sacerdoti confiteri, vt ſaltem à peccatis abſolutus accedat. Sotus, Syluester, Couarruuias *Variæ ſententiæ.* & Roſella apud Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 47. §. 4. cenſent excommunicatum etiam occultum niſi in articulo mortis communicare non poſſe; ipſe tamen Henriquez ibi ait poſſe ſemel aut bis, ſi ſit periculum grauis infamiæ aut ſcandali; Suarez verò Tomo 4. diſput. 32. ſect. 3. & Coninck diſput. 8. de pœnitentia num. 107. cum alijs affirmant poſſe vrgente neceſſitate; ſicut poteſt audire Sacrum, etiamſi excommunicatio eam auditionem prohibeat; confirmántque id ex D. Thoma hîc quæſt. 83. a. 6. ad 2. & in 4. diſt. 27. docente, Sacerdotem, ſi poſt conſecrationem recordetur ſe eſſe excommunicatum, debere adhuc proſequi; ſi ante conſecrationem, tutius eſſe ceſſare, niſi timeatur ſcandalum; ergo non eſt intrinſecè malum celebrare ſub excommunicatione. Vaſquez Tomo 4. q. 9. art. 3. dub. 9. & alij apud Suarez ſuprà ita tali excommunicato faciunt poteſtatem celebrandi cum contritione, vt negent illum poſſe tunc confiteri; Suarez verò & Coninck dicunt etiam poſſe confiteri, quia cenſent excommunicatum poſſe validè abſolui à peccato antequam à cenſura: id quod etiam docet Pater Thomas Sanch. lib. 2. in Decalogum cap. 8. num. 26. & videtur eſſe probabilius. Quo ſuppoſito dico omnino conſequenter ad *Sententia vera, teneri eum confiteri.* præcedentem doctrinam eum teneri tunc confiteri, vt poſſit ſaltem indirectè abſolui ab eo peccato; quia per hoc acquirit quam poteſt ſecuritatem de ſtatu gratiæ. In quo puncto habemus etiam contrarium Lugo; quia cùm eo caſu etiam illud peccatum, & non ſola excommunicatio (vt Cajetanus & Durandus putant) ſit reſeruatum, non poteſt homo abſolui à peccato directè, niſi ab eo qui etiam poteſt à cenſura; ergo ſolùm indirectè abſoluitur: atqui ob abſolutionem ſolùm indirectam non tenetur quis confiteri; ergo. Verùm hanc rationem in præcedenti illatione reiecimus, vbi oſtendimus etiam ob indirectam abſolutionem teneri hominem ad confeſſionem, quia per hoc acquirit ſummam quam poteſt de ſtatu gratiæ certitudinem.

Priùs verò quàm huius concluſionis limitationem

Digitized by Google

tionem aliquam proponam, quæres, Quanta debeat eſſe neceſſitas, vt poſſit ille communicare, qui eſt excommunicatus, ante abſolutionem à cenſuris? Reſpondeo Primò, Hanc interrogationem non eſſe huius loci, quia hîc ſolùm diſputamus de defectu Confeſſarij ad abſoluendum; de puncto autem neceſſitatis communicandi dicemus paulò pòſt. Reſpondeo Secundò, Etſi Coninck ſuprà numero 107. dicat maiorem cauſam requiri vt quis ante abſolutionem ab excommunicatione poſſit communicare, quàm vt communicet ſine confeſſione; probabile tamen eſſe quod Vaſquez docet hîc diſput. 208. num. 13. eamdem ſufficere in vtroque, imò fortè minorem requiri pro primo caſu; quia prohibitio Communionis poſt excommunicationem eſt de iure Eccleſiaſtico; at neceſſitas confeſſionis ante Communionem, ſuppoſito mortali, videtur eſſe de iure Diuino. Vbi aduerte ſermonem eſſe de excommunicato non habente mortale, vt poteſt aliquando eſſe; nam ſi habeat mortale, tunc ex vtroque capite prohibetur à Communione. Hoc poſito,

Coninck opinio refutatur.

Circa concluſionem poſitam dico, Fortaſſe hîc ex alio capite poſſe ceſſare eam obligationem confitendi ante Communionem, nam cùm ſit ſolùm ſub opinione, an à peccatis abſolui quis poſſit validè ante abſolutionem à cenſurâ, poteſt conſequenter ille ea opinione probabili vti, dicens gratis Confiteor, cùm nequaquam abſoluatur, nec quidem indirectè à peccato; ſufficiet ergo mihi nunc contritionem habere.

Limitatur noſtra ſententia.

Dices; Ergo idem erit in præcedenti caſu, quando quis habet vnum tantùm mortale, & illud reſeruatum; quia etiam tunc videtur eſſe ſub opinione, vtrùm abſolui poſſet indirectè ab illo per abſolutionem directam à veniali. Reſpondeo negando id ita eſſe ſub opinione; nam licet fortè vnus vel alter id neget, reliqui tamen in eo conueniunt; vnde quaſi moraliter certa debet ea ſententia iudicari. At quòd peccatum non tollatur niſi ablata priùs excommunicatione, videtur valdè eſſe ſub dubio. Et ſatis de caſibus in quibus poteſt dubitari, vtrùm requiratur confeſſio ante Communionem ex defectu Confeſſarij habentis iuriſdictionem perfectam, vel certè ex defectu omnis Confeſſarij.

Et occurritur obiectioni.

SVBSECTIO II.

Quid quando in confeſſione non occurrit mortale vnum ex commiſſis?

21 PRIVS tamen quàm ad neceſſitatem communicandi veniamus, moueri poteſt hîc quæſtio, Vtrùm ille qui confeſſus eſt legitimè, ſed per obliuionem inculpabilem omiſit vnum mortale, de quo deinde recordatur, poſſit tunc accedere ad Communionem ſine noua confeſſione illius mortalis, cum ſolo propoſito illud confitendi ſuo tempore. Quæ quæſtio poteſt duplex eſſe: Prima, An omnino ſit liber ab eâ obligatione, eſto habeat Confeſſarium, cui commodè & ſine nota confiteri poſſit: Secunda, An ſaltem quando iam eſt ad cancellos cum reliquis vt communicet. Verùm in hoc ſecundo ſenſu quæſtio pertinet ad punctum ſequens de neceſſitate Communionis: in primo ergo eſt propria huius loci, & videtur eſſe maiori longè digna conſideratione: nam ex parte tetigit Henriquez lib. 8. de Euchariſtiâ cap. 46. §. 3 vbi obſcurè loquitur, vt ſtatim videbimus; tetigit etiam Suarez eam diſput. 66. ſect. 4. & paulò fuſiùs Cardinalis Lugo diſput. 14. ſect. 6.

In quo puncto dico, Stando rationi videtur valdè probabile eum per ſe non teneri; id probo Primò ponderando Concilij verba loco citato, vbi præceptum hoc præuiæ confeſſionis tradit; etenim Seſſione 13. c. 7. ait: *Vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur.* Nota hæc vltima, quibus ſimilia omnino repetit Canone 11. *Quantumcumque ſe etiam contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſario eſſe confeſſionem præmittendam.* Ex his verbis ſic argumentor: Nemo poteſt dicere, vi horum verborum includi eum hominem, cui eſſet diuinitus reuelatum ſe habere contritionem; in illo enim eſſet plus quàm *ſibi videri*, eſſet plus quàm *exiſtimare* ſe eſſe contritum; eſſet enim ſumma certitudo contritionis: ergo vi eorum verborum non obligaretur in tali caſu ad confeſſionem. Confirmo id, quia Concilium non dixit, Quantumvis certiſſimò ſciat ſe eſſe contritum, ſed, *Quantumvis exiſtimet*, *Quantumvis videatur ſibi.* In quibus caſibus (vt ſuprà etiam notaui) facillimè poteſt contingere, vt putet quis ſe eſſe contritum, re tamen ipſa nullo modo ſit; quia hæc iudicia ſunt ſæpiſſimè expoſita errori; meritò ergo Concilium etiam ibi requiſiuit confeſſionem, eam non requiſiturum, ſi ex reuelatione certâ Dei ſciret quis ſe eſſe contritum. Deduco id magis efficaciter ex toto Tridentini contextu, & ex teſtimonio Pauli, quo probat ſuum intentum, ſic igitur habet cap. 7. *Quo magis ſanctitas & diuinitas cæleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia*, &c. *accedat.* Hinc argumentor: Concilium infert neceſſitatem confeſſionis præuiæ, ex eo quòd magis homo debeat cauere ne ſit in peccato: atqui quando iam eſt confeſſus, & per inculpabilem obliuionem peccatum illud omiſit, tam perfectè cauit, ne ſit in peccato mortali & inimicitia Dei, quàm ſi illud fuiſſet confeſſus; cùm de Fide ſit, æquè illud eſſe remiſſum, ac ſi illud dixiſſet: ita enim ipſum Tridentinum definiuit: ergo tunc non tenetur magis cauere, ergo nec nouam confeſſionem præmittere. Id ipſum vrgetur ex verbis Pauli, quibus vtitur Concilium: *Probet autem ſeipſum homo; & ſic de pane illo edat*, &c. *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* His verbis ſolùm vult Apoſtolus, vt homo ita ſe probet ad hoc Sacramentum, vt habeat (ſic liceat dicere) quam poteſt ſummam certitudinem de ſtatu gratiæ, ſeu de eo quòd non ſumat indignè hoc Sacramentum. Vnde meritò intulit Tridentinum, non ſufficere, exiſtimare ſe eſſe contritum, vel ſibi videri contritum, quia in his iudiciis poteſt contingere frequenter error ob magnam contritionis difficultatem. Atqui, vti oſtenſum eſt, qui per inuincibilem obliuionem in præmiſſa confeſſione peccatum omiſit, eſt tam benè probatus, quòd non ſit in peccato, & conſequenter quòd non ſit indignus, quàm ſi illud dixiſſet in confeſſione; quia eſt de Fide, æquè eſſe remiſſum ac cætera quæ dixit; ergo æquè eſt probatus de hoc ac de aliis; ergo iuxta totum intentum Apoſtoli ſufficit illa præcedens confeſſio eius mortalis, qua fuit illud deletum, non minùs quàm reliqua quæ dixit.

Quid ſtando rationi videatur probabile ex Tridentino.

22 *Confirmatio.*

Fortiùs idem vrgetur ex Tridentino.

Et ex verbis D. Pauli 1 Cor. 11.

Probatur

Digitized by Google

23 Probatur denique, quia talis homo non communicat grauatus conſcientia mortalis, nec ſine confeſſione implicita eius peccati; non enim magis ille grauatur eo peccato iam, quam ſi fuiſſet eius recordatus, & illud dixiſſet; ergo.

Reiicitur reſponſio prima. Reſpondebis huic vltimæ confirmationi, Eum hominem grauari eo peccato, quatenus illud poſtea debet explicare, & ſubiicere clauibus Eccleſiæ. Sed contrà; licet enim ea obligatio poſſit dici aliquod grauamen, vti etiam poſtquam illum abſoluit Sacerdos dicitur grauatus propter obligationem explendi pœnitentiam; hæc tamen conſideratio in ordine ad punctum recipiendi Euchariſtiam dignè non debet vllo modo reputari grauamen; quia de præſenti non poteſt illud peccatum reddere hunc hominem anxium magis quàm alia peccata, de quibus confeſſus eſt; anxium inquam ſiue de odibilitate ipſius reſpectu Dei, ſiue de periculo æternæ ſalutis, ſiue de animæ puritate. Quid ergo, talis homo debet dici grauatus mortali? ergo non tenetur tunc illud confiteri.

Secunda. Reſpondebis Secundò; Per τὸ *quos conſcientia mortalis grauat* non intelligi à Concilio eos qui ſunt in peccato; vt patet ex verbis ſequentibus. *Quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment.* Si enim contritus eſt, non eſt iam in peccato. Nomine ergo conſcientiæ ſolùm intelligit, quòd non ſit expiatum mortale per confeſſionem: ita reſpondet Lugo ſuprà, qui obiter eam confirmationem tetigerat.

Tertia. Aliter reſponderi poteſt toti noſtro argumento ex Patre Suario ſuprà docente, Confeſſionem non requiri ob maiorem ſecuritatem diſpoſitionis; ſed vt omnia peccata ſubiiciantur directè clauibus Eccleſiæ; quod cùm ille non præſtiterit, non excuſabitur à confeſſione ſtatim ante Communionem facienda. Neutra tamen ſolutio ſatisfacit: non prima; quia per illa verba, *Quantumcumque ſe contritos exiſtiment*, non excluditur propriè ſtatus peccati; iam enim dixi poſſe (& verò ſæpiſſimè ita fieri) vt cogitet homo ſe eſſe contritum, & tamen re ipſa non ſit. Si dixiſſet Concilium, *Quantumcumque re ipſa ſit contritus*, habuiſſe aliquam vim illa reſponſio; at per τὸ *Quantumcumque ſibi videatur*, aut *ſe exiſtimet*, non tollitur grauamen; quia facillime ſubeſt ibi error. Solutio etiam P. Suarez non videtur eſſe ſufficiens; aſſumit enim id quod negatur ab aliis; aut ſaltem quod eſt in controuerſia, an ea confeſſio requiratur ob directam ſubiectionem peccatorum clauibus Eccleſiæ, an verò ob maiorem certitudinem de ſtatu gratiæ: & reuerà hoc ſolum videtur intendi, cùm Concilium neceſſitatem confeſſionis intulerit ex magnitudine huius Sacramenti, & (vti iam diximus) ad hunc finem parum, ſi non omnino nihil conducere videatur ea ſubiectio clauibus, quando per eam non affertur certitudo vlla noua de remiſſione eius mortalis, & conſequenter nec de diſpoſitione meliori ad Sacramentum; ob quam diſpoſitionem ſuprà diximus à Concilio intellecta eſſe verba Pauli de examine per confeſſionem: in quo examine, vt clarè probatum eſt, tam includitur illud peccatum, cuius eſt oblitus, quàm alia; ergo.

24 Nec etiam ſufficit dicere, illum habere ſcientiam mortalis, & quòd per confeſſionem non ſit deletum; hoc inquam non ſufficit, quia falſum eſt: etenim illud peccatum in ordine ad omnes effectus maculandi, reddendi indignum, &c. eodem modo remiſſum eſt per Sacramentum ac cætera; nam obligatio illa ſubiiciendi clauibus peccatum nullam fœditatem, nullum reatum pœnæ cauſat magis, quàm reatus implendi pœnitentiam impoſitam; ante quam tamen ſine dubio poteſt communicare.

Quòd ſi dicatur debere quem eſſe certum de remiſſione per confeſſionem expreſſam illius, tunc aſſumitur, & non probatur id, de quo eſt tota quæſtio. Hæc tota doctrina confirmatur inſtantia à Lugo poſita, cui non videtur ſufficienter reſponſum, ea autem eſt, quia non minùs eſt præceptum confitendi ſingulis annis omnia mortalia, quàm ſit præceptum ante Communionem confitendi mortalia: & tamen ſi quis poſt annuam confeſſionem recordetur ſe oblitum eſſe alicuius mortalis, non tenetur illud confiteri, iuxta multorum probabilem ſententiam; ergo neque in noſtro caſu tenebitur. *Confirmatio ex inſtantia.*
Reſpondet hic Auctor negando conſequentiam, quia præceptum confeſſionis annuæ eſt tantùm de vnica confeſſione iuxta Pontificum præcipientium declarationem ſaltem ſemel in anno. At in noſtro caſu non iubentur confiteri ſemel, ſed confiteri ſimpliciter omnia peccata mortalia eo modo, quo eſt obligatio ea confitendi in mortis articulo; ergo ſicut ſi homo ante mortem recordetur ſe oblitum eſſe alicuius peccati, tenetur illud confiteri, ita in præſenti. Declaratur autem maximè ea differentia ex acceptione fidelium. Sed contrà Primò, quia etiam præceptum confitendi ſemel in anno eſt præceptum non vtcumque de vna confeſſione, ſed de omnibus omnino mortalibus eo anno commiſſis; ergo ex hoc capite nulla penitus eſt diuerſitas. *Reſponſio.* *Reiicitur ea reſponſio.*
Quòd verò additur, Hoc præceptum eſſe ſicut confitendi in hora mortis, diſtinguendū eſt: Nam 25
ſi dicat hic Auctor eſſe cum obligatione etiam illud, cuius eſt homo oblitus, declarandi, ſicut eſt in hora mortis, tunc petit principium; id enim nos negamus, aut ſaltem de hoc eſt tota difficultas. Quòd ſi dicat eſſe obligationem abſolutè confitendi omnia quorum recordatur, poteſt concedi quoad primam confeſſionem; nego tamen eſſe obligationem eam repetendi ratione Communionis: eſt autem magna diuerſitas inter caſum mortis & noſtrum quoad eam obligationem: nam aliunde ſupponimus eſſe obligationem in vita deducendi ad claues Eccleſiæ omnia peccata grauia. Cùm ergo in eo caſu immineat mors, idcòque in aliud tempus nequeat expectari, neceſſum eſt tunc confiteri illud peccatum. In noſtro verò caſu ea neceſſitas omnino ceſſat; illa enim obligatio poſteà habebit locum. Aliunde autem non eſt, vnde dicere debeamus illum teneri; ergò. Quod vltimò addebatur, Ex vſu fidelium id maximè colligi, non vrget; quia ſtatim oſtendam quid is vſus probet. Conſtet ergo eam ſententiam ſtando rationi, etiam ſuppoſita tota deciſione Concilij, videri valdè probabilem; eam tradit Henriquez ſuprà, etiamſi (vt benè aduertit Lugo) loquatur aliquantulùm obſcurè: dum enim ait, Eum qui ad altare iam flectit, & recordatur ſe oblitum in confeſſione vnius mortalis, excuſari ab obligatione illud confitendi, etiamſi id poſſit ſine nota & ſcandalo facere, quandoquidem iam accedit iuſtus & probatus per confeſſionem; dum inquam hæc ait, clarè videtur ſtare pro ea ſententia; è contrario verò dum loquitur *Qui eam ſententiam tradant.*

Digitized by Google

loquitur tantùm de eo, qui iam eſt ad linteum altaris, videtur planè deſerere conſequentiam doctrinæ: quid enim quæſo facit ad rem, quòd ad linteum flectat, ſi tamen poteſt ſine vlla nota aut infamia ſurgere & confiteri? vel quod ius, quod priuilegium dat illi ea genuflexio, vt ratione illius poſſit eſſe liber ab ea confeſſione, ſi, vt hic Auctor docet, ſine infamia & ſine nota poteſt ſurgere? vnde quando addit, Pœnitens tamen noui peccati memor antequam ad altare accedat, tenetur quæſito Confeſſario id aperire; ſi loquitur de peccato commiſſo ante confeſſionem, videtur mihi planè contraria additio toti doctrinæ quam tradiderat; ſi verò nomine noui peccati intelligat (quod fortaſſe vox illa *nouum* ſignificat) peccatum commiſſum recenter poſt confeſſionem vltimam, ei omnino acquieſco; & res eſt planè extra controuerſiam. Eamdem ſententiam audio traditam à Cornejo Salmanticenſi, quem videre non potui; intelligo tamen eam in Hiſpania non eſſe permiſſam.

26 *Prima obiectio,* Obiicies ergo: Praxis & conſuetudo fidelium videtur aliter explicare hoc præceptum; nam etiam poſt legitimam confeſſionem non audent communicare, niſi priùs confiteantur ea, quorum de nouo recordantur, ſi commodè id poſſunt facere. Reſpondeo, Eſſe quidem eam fidelium praxim, inde tamẽ nõ multùm colligi, quia ordinaria ea praxis poteſt eſſe vel ad maiorem ſecuritatem, vel certè quia homines vulgares, in quibus præcipuè ea praxis eſt, eſto ſpeculatiuè, vt ſic dicam, apprehendant ſe eſſe abſolutos ab eis peccatis, quæ per obliuionem inculpabilem omiſerunt; in praxi tamen vix ſibi id perſuadent, etiam independenter à puncto Communionis: etenim ſi confitentur, & etiam poſt Communionem recordentur alicuius peccati, quod obliti ſunt, non videntur habere poſſe pacem donec illud confiteantur; imò, quod grauius eſt, etiam quando faciunt confeſſionem generalem eorum quæ aliàs iam ſunt confeſſi, non videntur quieſcere, ſi deinde recordentur alicuius peccati, donec illud confiteantur; certiſſimum autem eſt tunc non teneri eos ad illius confeſſionem; in ſecundo quidem caſu nullo modo, in primo verò non tam citò; ſed primò quando deinde fuerit occaſio Confeſſarij: non eſt ergo cur ex ea praxi quidquam inferamus de obligatione hac Theologicè loquendo, prout nunc diſcurrimus.

Secunda, Secundò obiicies: Si ratio à nobis facta quidquam valeret, illud ſanè, quantumuis homo deinde ſæpè vellet communicare, poſſe id præſtare ſine confeſſione eius peccati: id quod videtur abſurdum. Reſpondeo, Iam non adduci nouam difficultatem; nam ſi ad primam Communionem non tenetur, quid mirum ſi nec ad ſecundam & tertiam, quouſque occurrat alia obligatio illud confitendi?

Tertia, Tertiò obiicies, Illud peccatum eſſe indirectè ablatum non magis iuuat, quàm ſi eſſet per contritionem deletum; ergo ſicut contritio non tollit obligationem confeſſionis, ita neque ea remiſſio indirecta. Reſpondeo Primò, Fortaſſe, ſi certum omnino eſſet nos habere contritionem, non teneremur eam confeſſionem præmittere: Secundò, Quidquid de hoc ſit, conſequentia non eſt bona; quia Chriſtus Dominus, qui inſtituit hoc Sacramentum, potuit requirere per modum diſpoſitionis præuiam confeſſionem, cui iam videtur ſatisfactum; eſto in confeſſione non occurrerit inuincibiliter vnum mortale.

Quartò & vltimò obiicies ex immediatè data ſolutione: Potuit etiam Chriſtus requirere explicitam planè omnium occurrentium memoriæ ante Communionem; ergo eam requiſiuit. Reſpondeo negando conſequentiam; quia etiam è contrario potuit eam non requirere; ergo dum non adfertur poſitiuum argumentum probans eam requiſiuiſſe, non eſt adſtruenda: quia non eſt inducenda obligatio ex natura rei alicui operi non annexa, niſi poſitiuo argumento ea perſuadeatur. 17 *Quarta.*

Hæc ſunt, quæ ſpeculatiuè loquendo faciunt eam ſententiam probabilem, maximè cùm ex terminis vix eam reiecerint Auctores Scholaſtici, cùm eam pauciſſimi tractauerint. Certe Suarez ea diſp. 66. cap. 4 ſolùm duos vel tres citat, & quidem non expreſse id docentes; ait enim: *Ita vel docent, vel ſupponunt ſuprà citati*: non oſtendit autem quomodo probetur eos id ſupponere, ſolus ipſe Suarez & Lugo id expreſſè negant: oppoſitum autem Henriquez videtur docere, item Cornejo, iuxta dicta ſuprà.

Iudicium de tota quæſtione. Quidquid tamen de hoc ſit, non cenſeo abſolutè defendi poſſe eam ſententiam, ſed ſtandum communi; quia praxis ea Fidelium, & acceptio obligationis declarandi illud peccatum, licet non omnino conuincat, magnum tamen ei pondus addit: agimus enim de re à voluntate ſola Chriſti pendente: certiſſimum enim eſt, illum potuiſſe, non obſtantibus omnibus quæ diximus, requirere explicitam confeſſionem omnium mortalium, quorum ante ipſam Communionem homo recordatur; quod autem ita requiſierit vnde probari meliùs poteſt, quàm ex vſu communi & praxi Fidelium? Poteſtque non contemnenda congruentia adduci: Nam fieri poteſt, vt quis oblitus alicuius mortalis habuerit dolorem ſolùm ſe extendentem ad mortalia, quorum recordatus eſt; ac proinde nec illud cuius eſt oblitus, imò nec alia quæ dixit ſint ei remiſſa, iuxta ſententiam Suarij & aliorum admittentium poſſe dari confeſſionem validam & informem. Quam ſententiam etſi iudicem non eſſe veram, non tamen dico improbabilem: quidquid autem de ea ſit, certum tamen eſt, ſi attritio illa, ſeu dolor, ſolùm extendatur ad peccata mortalia in confeſſione dicta, non remitti nec illa nec aliud cuius eſt oblitus; ſiue dicenda ſit tunc ea confeſſio valida & informis, ſiue omnino inualida & informis; poteſt ergo fieri, vt ratione illius peccati memoriæ non occurrentis homo maneat in mortali, hoc autem periculum ceſſat, ſi deinde illud confiteatur, quia tunc moraliter loquendo habebit dolorem vniuerſalem; ergo ratione periculi huius potuit Chriſtus petere ad maiorem certitudinem ſtatus gratiæ eam confeſſionem peccati omiſſi per obliuionem, occurrentis tamen ante Communionem.

Video poſſe obiici contra hanc rationem, ea probari debere, ſecundò dici omnia peccata præcedentia, nam ſi non dicantur, contingere etiam poteſt, vt attritio ſit ad illud ſolum omiſſum determinata, ideóque nec per eam confeſſionem ſecundam remittantur ea peccata. Video inquam hoc poſſe obiici; reſpondeo tamen, ideò me cum reflexione dixiſſe, moraliter id non poſſe contingere, quia cùm ille tunc & præcedentium in confuſo ſaltem recordetur, & addat confeſſionem eius omiſſi, vt compleat confeſſionem præceden- 28

Digitized by Google

cedentem, habitualiter ſaltem manet in dolore antiquo; ac proinde habet dolorem ſufficientem; vt & illud & cætera peccata ei remittantur; non ergo eſt illud periculum, quod paulò ante diximus poſſe in priori caſu obuenire.

Concludendum ergo, omnino debere præmitti eam confeſſionem, niſi aliqua alia cauſa excuſet, de quo nunc non agimus. Illud tamen addendum, ſi non poſſit tunc confiteri, non teneri tamen ad contritionem de eo peccato, cùm iam indirectè ſupponatur remiſſum, & per contritionem non ſatisfiat obligationi illud expreſsè ſubijciendi clauibus Eccleſiæ: in quo vltimo puncto nulla eſt inter Auctores diſſenſio.

SVBSECTIO III.

Quæ ſit cenſenda neceſſitas communicandi?

29 *Neceſſitas dandi Viatici cum infirmo excuſat à præuia confeſſione.*

IAM ergo ad neceſſitatem communicandi, quæ excuſare poteſt ab obligatione confeſſionis. Et quidem Primò conueniunt Auctores eum eſſe articulum mortis, in quo poteſt quis communicare non præmiſſa confeſſione; ſi enim ſupponatur habere, vel putet ſe habere contritionem, poterit & tenebitur communicare. Vbi quæri poteſt, An ſufficiat neceſſitas dandi alteri Viaticum, vt poſſit Sacerdos habens mortale ſine confeſſione celebrare? Communiter reſpondetur, Omnino poſſe.

Dices: Non poteſt tunc Sacerdos celebrare non ieiunus, multò autem minùs ſine veſtibus ſacris: atqui grauius præceptum eſt de præmittenda confeſſione, quia eſt Diuinum, quàm de ieiunio & veſtibus ſacris, quæ ſunt de præcepto ſolùm Eccleſiaſtico. Reſpondet Cardinalis Lugo ſect. 5. Poſſe aliquando præceptum Eccleſiaſticum obligare cum tanta vniuerſalitate, vt etiam intuitu obſeruandi præcepti Diuini non poſſit omitti quod præcipit Eccleſia.

Ratio Cardinalis Lugo impugnatur.

Ego tamen in hac propoſitione ſic prolata maximam habeo difficultatem; nam cùm Eccleſia non habeat poteſtatem diſpenſandi in præcepto Diuino, non video vnde poſſit Eccleſia habere auctoritatem ad impediendum ſuo præcepto, ne obliget, ſeu ne ſeruetur præceptum Diuinum; vndè fruſtrà tunc meo iudicio dicetur eam vniuerſalitatem pendere ex voluntate Eccleſiæ mandatis.

Aſſignatur alia ratio.

Reſponderi ergo faciliùs poſſet; Si Chriſtus Dominus ſuo præcepto Diuino abſolutè ſine vlla poſita exceptione mandaſſet præmitti eam confeſſionem, tunc nullum penitus præceptum humanum illi præiudicaturum; quia tamen in ſuis præceptis Diuinis Chriſtus Dominus ſæpè vel reliquit Eccleſiæ determinationem, quando illa eſſent obligatura, vel ipſemet fecit aliquas exceptiones illorum præceptorum, quales putamus factas in hoc præcepto præmittendæ confeſſionis, inde conſtare, poſſe fieri vt Eccleſia habeat poteſtatem ponendi præceptum quod obliget magis vniuerſaliter quàm illud Diuinum; non quia Eccleſia ſua auctoritate in Diuino diſpenſet, ſed quia determinat tempus, pro quo Chriſtus voluit vt illud obligaret: remiſit enim Eccleſiæ eam determinationem, vel quia Eccleſia ipſa declarat ex traditione perpetua Chriſtum ipſum feciſſe per ſe eas expoſitiones in illo præcepto.

Propoſito dubio applicatur.

Vnde ad rem noſtram, cùm ipſa Eccleſia in Concilio Tridentino, dum declarat neceſſitatem huius præcepti, ſimul definiat in caſu neceſſitatis illud non obligare, poſſumus inferre, declarari ab eadem Eccleſia, Chriſtum ipſum feciſſe eam exceptionem, & Eccleſiæ remiſiſſe declarationem eius neceſſitatis. In ſuo autem præcepto de non celebrando ſine veſtibus ſacris certum eſt illam ipſam Eccleſiam nunquam voluiſſe diſpenſare, ſeu voluiſſe vt ſem per ſine vlla exceptione obligaret. Secundò fortaſſe reſponderi poteſt, Non eſſe omnino certum, illud præceptum eſſe Diuinum; ſanè Tridentinum ea de re nihil definiuiſſe iam oſtendimus ſufficienter. Hæc autem ſolutio non eſt omnino bona, quia licet non ſit omnino certum, eſt tamen probabilius: id quod deberet ſufficere, vt difficiliùs in hoc puncto quàm in altero de veſtibus ſacris diſpenſaretur, ſi cætera eſſent paria.

30 *Dubium aliquod expeditur.*

Rogabis tamen; Cur Eccleſia cum maiori rigore, ſeu cum maiori vniuerſalitate prohibeat, ne celebretur ſine veſtibus ſacris, quàm ne ſine præuia confeſſione, cùm videatur longè maioris eſſe momenti accedere in gratia, quàm accedere cum eis veſtibus. Reſpondeo, Quia diſpoſitio illa gratiæ poteſt obtineri per contritionem, at reuerentia illa, quæ in modo celebrandi Sacri conſiſtit, non poteſt per aliud ſuppleri. Addo, iure merito Eccleſiam in his, quæ ad exteriorem decentiam & maieſtatem Sacramenti pertinent, eſſe ſolicitam, quia quodammodò magis faciunt ad reuerentiam Sacramenti quàm occulta interior Celebrantis diſpoſitio: vt enim agentes de cæremoniis Sacramentorum ſuprà diximus, quia Sacramenta quoad ſubſtantialia conſiſtunt in pauculis rebus & verbis, vileſcerent illa valdè, ſi non cum cæremoniis aliquibus externis & maieſtate aliqua conficerentur: & licet in Baptiſmo, quia ſummè neceſſarius eſt, Eccleſia permittat, imò etiam mandet, vt in caſu neceſſitatis conferatur etiam nulla expectata exteriori cæremonia; in celebratione tamen Sacri quia Euchariſtia non eſt adeò neceſſaria, & eſt Sacramentum longè maioris dignitatis, meritò non permittit, niſi vt debito modo cum veſtibus ſacris, & in altari conſecrato, &c. conficiatur, etiamſi declarauerit poſſe aliquando confici ab eo qui mortale habuit, eſto non præmittatur confeſſio. Neque per hanc doctrinam intendo dicere, omnia Eccleſiæ præcepta circa hoc Sacramentum obligare cum eo rigore & ea vniuerſalitate. Nam ſuprà diximus Sacerdotem poſſe non ieiunum celebrare, vt in periculo vitæ ſe communicet; & probabile etiam eſſe, quòd vt communicet proximum animam agentem, eodem modo non prohibet, quò minus excommunicatus ante acceptam abſolutionem celebret, vel vt ſibi, vel vt alteri det Viaticum. Et hæc quoad primum caput, vnde eſt neceſſitas communicandi ſine confeſſione.

31 *Quando timetur infamia non obligat confeſſio.*

Secundum eſt, Quando timetur infamia non communicantis: id quod maximè contingere ſolet quando Sacerdos iam eſt in Altari, vel laïcus iam flectit inter reliquos ad cancellos, & ſurgere inde non poteſt ſine aliqua nota.

Dices; Si ſurgat etiam ante tempus Communionis, incurret etiam notam; & tamen tunc debet, ergo. Reſpondeo, Quando quis ſurgit ante illum quaſi vltimum articulum Communionis, faciliùs ſibi alios homines perſuadere, id fecere ob ſcrupulum aliquem leuem alicuius leuis etiam peccati, ac proinde non ſequi inde vllam notam; at quando id facit iam iam communica

municaturus, ſemper creditur facere ob ſcrupulum mortalis peccati, ac proinde id non poteſt moraliter fieri ſine periculo aliquo infamiæ; vti in Sacerdotibus, quòd confiteantur antequam ſe induant, &c. non arguit niſi ordinariam conſuetudinem reconciliationis, vt vocant, etiam ob venialia; at ſi iam indutus & volens exire, inciperet detrectare, & nollet, niſi priùs confiteretur, haud dubiè oſtenderet ſe habere conſcientiam mortalis; quia ob veniale non eſſet, cur in ea occaſione tantam faceret difficultatem. Vnde in Sacerdote, vt ſit periculum infamiæ, non eſt requirendum, quòd ille iam ſit in altari; & è contra infero (quòd benè Vaſquez & Lugo docent) ſi poſt conſecrationem poſſet ſine nota confiteri, debere id facere: dicunt autem id vix moraliter fieri poſſe; puto tamen aliquando ſatis frequenter contingere, vt v. g. inter Carthuſianos, quando Sacerdos Sacerdoti miniſtrat, & alij non adſunt; aliquando etiam in itineribus Religioſi duo concurrunt ſoli manè ad celebrandum, & alter alteri miniſtrat, cur quæſo ibi id non habebit locum? nam apud ſolum Confeſſarium non poteſt eſſe infamia vlla; quando verò alij ſunt, apud quos etiam periclitaretur nomen Celebrantis, eſſet ſine dubio excuſatus ab ea confeſſione. Hinc etiam colligitur à fortiori ſufficere illud periculum infamiæ, quando ſimul coniungitur neceſſitas vel vtilitas aliorum volentium audire Sacrum.

Diff rentia inter Sacerdotem & laicum.

32 Difficilius eſt, Vtrùm ob hanc ſolam vtilitatem, ceſſante omni periculo infamiæ, quia v. g. poſſet facilè ſe excuſare Sacerdos quaſi malè valeret; nihilominùs, ne alij ſine Sacro abeant, liceat illi celebrare ſine confeſſione. In Parochis, qui ex officio tenentur celebrare, id concedit Suarez; Vaſquez verò differentiam nullam inter Parochum & ſimplicem Sacerdotem agnoſcit: id quod Cardinalis Lugo videtur etiam iudicare eſſe probabilius, eò quòd populus non teneatur audire Sacrum, quando eius copia non eſt. Mihi tamen ſententia Suarez videtur longè probabilior; & argumentum Vaſquez non videtur eſſe vllius momenti; fatemur quidem populum non audientem Sacrum, ſi non ſit Sacerdos, non peccare; nihilominùs tamen non inde ceſſat in Parocho neceſſitas celebrandi; quia non ſolùm debet Parochus aſſiſtere ſuis ouibus, ne peccent, ſed ne defraudentur fructu ſpirituali; ad quem eis concedendum Parochus ſubſtituitur; alioquin ob eamdem rationem poſſet Parochus ſummo manè die Feſto in loco, vbi aliud Sacrum non eſt, pro ſuo guſtu celebrare, eſto relinqueret ſuas oues ſine Sacro: dicet enim cum Auctoribus his, Quid refert, ſi alij non audiant Sacrum, quando per illos non ſtat? Sequeretur item poſſe Parochum tempore Paſchali abire, & ſine confeſſione ſuas oues relinquere; quid enim ſi tunc non confiteantur, ſi per illas non ſtat? Vides hanc rationem in ordine ad Parochos eſſe nimis duram. Cùm ergo populi Catholici vehementer apprehendant, die Feſto manere ſine conſolatione Sacri, etiamſi id fiat ſine propria culpa, imò multi etiam tunc ſe accuſare ſolent, quòd ſine Sacro manſerint; profectò non video cur Vaſquez & Lugo ſint tam ſcrupuloſi, vt talem Parochum obligent ad non celebrandum. Difficilius mihi ſanè videtur, an non etiam in ſimplici Sacerdote debeamus fateri eam eſſe ſufficientem neceſſitatem; & verò ſi multitudo ſit vtcumque magna volentium audire, omnino id admitterem, vt admittit Diana de celebratione Miſſarum reſolutione 63. & reſolutione 64. qui id adeò extendit, vt, ne ipſe Sacerdos ſine Sacro maneat, putet id licere; quod etſi ſua probabilitate non careat, quam etiam agnoſcit ibi Cardinalis Lugo, non tamen pro vno aut altero volente audire Miſſam, multò minùs pro ipſo ſolo Sacerdote iudicarem id ſufficere: eo enim caſu ſibi Sacerdos imputet, quòd eo Sacro priuetur.

Differentia inter Parochum & alium Sacerdotem.

Suarez ſententia probabilior contra Vaſquez & Cardinalem Lugo.

Diana ſententia extenditur ad Sacerdotem ſimplicem.

Ad eamdem neceſſitatem reducunt meritò Henriquez lib. 8. de Euchariſtia cap. 46. §. 4. cum multis aliis, quos ibi refert, Coninck item in præſenti art. 4. dub. 2. num. 17. & Cardinalis Lugo contra Suarez, tempus Communionis Paſchalis; quia ea obligatio eſt de iure Diuino, licet determinata ab Eccleſia: vt ergo ei ſatisfiat, poterit Sacerdos celebrare, vel laïcus communicare ſine præuia confeſſione. 33

Præceptum Communionis Paſchalis excuſat à confeſſione.

Quæres, An ſi quis ad communicandum ſit obligatus ratione voti aut præcepti, poſſit communicare vt voto ſatisfaciat. Negat Lugo; quia alioquin poſſent omnes voto ſe obligare ad communicandum, & tunc ratione illius communicare. Hæc ratio non multum vrget; tum quia ſe rari ob eam cauſam obligabunt voto; tum quia tale votum in fraudem eius obligationis factum deberet excludi à præſenti caſu; & ſolum illud votum, quod bona fide omiſſum aliàs eſſet, deberet dici ſufficiens. Deinde in præcepto non habet locum hoc abſurdum, quia nullus Superior mandabit alteri vt communicet, ſi intelligat illum eſſe in peccato; licet ergo hoc inconueniens ceſſet, ſatis probabile eſt in talibus caſibus non eſſe neceſſitatem vllam communicandi; quia vota & præcepta Superiorum ſemper cenſentur eſſe, ſaluis maioribus præceptis ab altiori poteſtate impoſitis.

Rogabis, An quando dicitur neceſſitatem communicandi non præuia confeſſione oriri ex infamia aut ſcandalo, ſit aliqua diuerſitas inter infamiam & ſcandalum. Pater Suarez ea Sect. 4. nomine ſcandali intelligit occaſionem, quæ ex ſimilibus ceſſationibus à Communione ſolet dari ſimplicioribus hominibus, vt detrahant & murmurent. Lugo verò non agnoſcit hanc vt ſufficientem neceſſitatem; nam vel illa occaſio, quæ datur, eſt ſufficiens ad eas murmurationes, vel non; ſeu, vel illud ſcandalum eſt paſſiuum, vel eſt actiuum: ſi ea omiſſio præbet ſufficiens fundamentum, ergo ſine peccato poterunt illi ſuſpicari eum, qui Communionem omittit, eſſe in peccato; ſi ea omiſſio non præbet fundamentum ſufficiens, ſibi imputent illi, qui inde temerariè iudicant. Vnde probabilius videtur ſcandalum in præſenti propriè ſumptum non poſſe habere locum, ac proinde debere accipi impropriè pro eodem ac diffamatione eius ſic omittentis. Quæ doctrina mihi etiam placet, licet ſua non careat probabilitate explicatio Suarij; quia eſto illud ſcandalum ſit aliquo modo paſſiuum, debet vitari quantum fieri poteſt. Et de hoc puncto ſatis.

Periculum ſcandali non excuſat à confeſſione.

Circa punctum autem habendi contritionem, caſu quo homo accedat ſine confeſſione, duo ſolent in dubium verti: vnum eſt, An ſi quis confeſſus eſt, & oblitus vnius peccati, teneatur deinde de eo conteri. Iam dixi ſuprà nec teneri de eo confiteri, multò minùs conteri; nam ea contritio nec eſt neceſſaria, vt ille ſit in ſtatu gratiæ; 34

De contritione ſupplente defectum confeſſionis.

Digitized by Google

gratiæ; quia eodem modo eſt, ac ſi fuiſſet in particulari de eo peccato confeſſus; neque requiritur, vt illud peccatum ſubiiciatur clauibus Eccleſiæ, ergo nullo modo neceſſaria. Aduerte, meritò reijci Dianam à Cardinale Lugo ſect. 6. eò quòd citet pro contraria ſententia Valerium Reginaldum, cùm tamen de ea nihil hîc Auctor dicat; citat etiam alios, non tamen dicit vbi: quòd verò Ioannes Medina id doceat, prouenit ex quodam principio vniuerſali independenti à præſenti puncto, quòd ſcilicet contritio delens peccata debeat omnia in particulari deteſtari: de quo nos alibi. Aduerte Secundò, hanc doctrinam intelligendam quando homo habuit dolorem vniuerſalem, & non fecit confeſſionem, eſto validam, informem tamen: ſi enim fecit informem ex defectu motiui vniuerſalis in dolore (quæ an ſit poſſibilis, dixi ſuprà fusè) ait Lugo debere habere de illo peccato contritionem; ego verò dico non ſolùm de illo, verùm etiam de aliis omnibus, quia reuerà tam non ſunt remiſſa coram Deo, vt & hîc Auctor fatetur, quàm ſi non eſſent in confeſſione declarata; etiamſi ceſſauerit obligatio ea confitendi. Aduerte Tertiò (quidquid aliqui minùs conſideratè dicant) caſu quo ſine confeſſione accedatur, non ſufficere exiſtimatam attritionem: de quo fuſiùs ſuprà. Aduerte denique, in Sacerdote eo modo accedente incipere obligationem habendi contritionem non ſolùm ante Communionem, ſed etiam ante conſecrationem; quia (vt in materia de Sacramentis in communi diximus) etiam Miniſter conficiens Sacramentum, eſto illud non ſuſcipiat, tenetur eſſe in gratia: id quod in hoc Sacramentorum maximo locum habet.

Cardinalis Lugo reijcit Dianam.

Non ſufficit attritio exiſtimata.

Obligatio contritionis in Sacerdote celebrante.

SECTIO IV.

De præcepto confeſſionis poſt Communionem, quando ante illam non eſt præmiſſa.

35 Tridentinum eo capite citato hoc præceptum ſtatuit his verbis; *Quòd ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuiâ confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur*: vbi, exceptis Petro Ledeſma in Summa 1. Par. Tractatu de Euchariſtia cap. 11. & Henrico Villalobos in Summa Tomo 1. Tract. 7. dub. 37. reliqui omnes verum agnoſcunt præceptum; & Pontifex in Miſſalis Rubricis magis illud declarat dum dicit, *Debet confiteri.* Vbi aduerte Primò, etiamſi detur hæc obligatio, & quidem grauis, non tamen ideò ante ipſam Communionem eſſe neceſſarium expreſſum propoſitum confeſſionis: ſufficit enim propoſitum, quod in ipſa contritione virtualiter includitur, vt in vniuerſum diximus alibi de propoſito ſeruandi omnia præcepta; quod non neceſſariò debet eſſe explicitum cuiuſque materiæ. Aduerte Secundò, hoc præceptum nequaquam eſſe Diuinum, etiamſi nonnulli Auctores apud Suarium ſect. 6. ita opinati ſint; quorum fundamentum eſt, quia præceptum eius confeſſionis ante Communionem eſt Diuinum, debet ergo impleri; ſi non poteſt ante Communionem, certè immediatè poſt; vti ſi præcepto annuæ confeſſionis non fiat ſatis ſuo tempore, debet cùm primùm. Verùm hæc ratio nullius eſt momenti, quia cùm præceptum ſit de præmittenda confeſſione ante Communionem ob reuerentiam illius, & pro meliori ſuſcipientis diſpoſitione, non poteſt ex eo capite obligare deindè ſtatim; quia iam ceſſat tota ratio obligationis, ceſſat etiam tempus; vti ſi quis non præmiſit ieiunium ante Communionem, ridiculum eſt dicere, vt eius præcepti teneri ieiunare poſt Communionem. Inſtantia verò allata de Communione annua non eſt ad rem, quia non præſcribitur ibi ea confeſſio, vt ſic dicam, in gratiam eius temporis, ſed ne nimiùm differatur; vnde qui eam tunc neglexit, tenetur ſtatim confiteri, ne diutiùs adhuc eam differat. Tertiò obſerua, non comprehendi eo præcepto illum qui ex malitia communicauit in peccato; quia cùm Concilij verba expreſsè loquantur de eo qui ex neceſſitate omiſit confeſſionem, ac proinde qui iuſtè acceſſit, non debemus in rebus odioſis præceptum magis extendere; nam etſi fortaſſe maior longè neceſſitas eſſet in tali, quàm in altero qui iuſtè acceſſit, non tamen fuiſſet expediens tali nouum præceptum obtrudere: quomodo enim ille curaret hoc ſecundum præceptum, qui primum longè grauius non curauerat? Fateor aliquando etiam perditos homines terreri ſi videant ſe contra duo præcepta grauia facturos, qui fortè quodlibet ſeorſim non curarent; id tamen non ſemper accidit, maximè quando ſecundum illud quod additur eſt minoris ponderis; tunc enim per ſe daretur occaſio vtrumque tranſgrediendi. Quartò obſerua, hoc præceptum non comprehendere laicos, cùm verba Legiſlatoris expreſsè de ſolis Sacerdotibus loquantur. His itaque poſitis,

Non est Diuinum.

Quidquid alij contrà ſentiant.

Non obligat indignè communicantem.

Neque laicos.

Primò quæritur, An ille qui bona fide incepit Sacrum, & deinde recordatur ſe habere mortale, de quo tunc conteritur, teneatur cùm primùm deinde confiteri? Affirmat Pater Suarez ſect. 7. & alij apud Dianam reſolutione 61. Vaſquez verò diſput. 208. cap. 3. negat, eò quòd Tridentinum loquitur de eo qui habet copiam Confeſſarij; in hoc autem caſu ille non celebrat ſine confeſſione, eò quòd non habeat copiam Confeſſarij, ſed ne incurrat notam infamiæ. Meritò reiecit Lugo hanc rationem: vt enim aliquis pro confeſſione dicatur non habere copiam Confeſſarij, ſatis eſt quòd moraliter illum non poſſit habere; non poteſt autem eum habere, quando incurreret grauem notam, ſi eum peteret. Deindè ſæpè poteſt fieri, vt nec phyſicè adſit Sacerdos qui eum abſoluat; ergo ea ratio non eſt ſufficiens. Secundò idem probat, quia in Rubricis Miſſalis de eo, qui ante celebrationem recordabatur, dicitur, *Debet cùm primùm confiteri poſt Sacrum*; de altero ſolùm dicitur, quòd habeat contritionem cum propoſito confitendi. Quæ ratio placuit Cardinali Lugo; mihi tamen non videtur ſolida, quia puto τὸ *propoſitum confitendi*, referri ad id quod in primo caſu dictum erat, *Confiteatur cùm primùm*; vt hic ſit ſenſus. *Debet habere propoſitum confitendi cùm primùm*; alioquin ſi ad rigorem Scholaſticum attendamus, non eſt neceſſarium vt habeatur expreſsè illud propoſitum, ſed ſufficit prout includitur in contritione: quando ergo propoſitum expreſſum confeſſionis requiritur, ſermo eſt de confeſſione ſtatim facienda; quia reuerà non videtur eſſe aliqua cauſa, ob quam diuerſimodè ea obligatio duos illos Sacerdotes afficiat, cùm veriſſimum ſit, quòd ambo ex defe-

36 *Benè tamen Sacerdotem non confeſſum, cum poſſet.*

Suar. & contra Vaſquez.

Cuius argumenta reiicit Lugo.

Non ſatis validè.

Digitized by Google

ctu Sacerdotis communicent, & celebrent confeſſione non præmiſſa cum ſola contritione; quòd autem vnus totum Sacrum eo modo, alter mediam partem, eſt per accidens, maximè cùm ante ſubſtantiale, id eſt ante Communionem, eodem modo recordentur peccati. Vnde obiter reiicitur ponderatio quædam horum verborum Tridentini, *Qui abſque præuia confeſſione celebrat*; quaſi ſolùm loquatur Concilium de his qui omittunt confeſſionem ante totam celebrationem. Hæc inquam ponderatio reiicitur, quia non eſt credendum τὸ *celebrat* vſurpari ibi eo rigore pro tota omnino celebratione, cùm habeat alioquin ſenſum facilem de eo qui verè celebrat non præmiſſa confeſſione, atqui etiamſi medium Sacrum tantùm faciat, eſt veriſſimum dicere, Hic homo conſcius mortalis celebrat non præmiſſa confeſſione. Vnde propter hanc rationem etſi ſententia Vaſquez ſuam habeat probabilitatem; longè iudico probabiliorem primam affirmatiuam, quæ non ponit limitationes verbis Concilij, quæ reuera non exiguntur ab illis: ſi enim Concilium dixiſſet, *Qui totum Sacrum facit conſcius*, &c. haberet locum ea expoſitio, at verbum illud *celebrat* vniuerſale eſt tam ad integram quàm ad mediam celebrationem. Hinc infertur, Eum qui Primò recordatur mortalis poſt Communionem non teneri hoc præcepto, quia hic nec celebrat conſcius mortalis (vt benè Suarez, Cardinalis Lugo & alij notarunt) nec communicat, ratione cuius Communionis maximè imponitur illud præceptum.

Qui recordatur mortalis poſt Communionem excuſatur.

37 Quæri autem vlteriùs poteſt, Si oblitus alicuius peccati grauis in confeſſione, recordetur tamen illius immediatè ante Communionem, quando non poteſt illud confiteri, tenebitúrne cùm primùm poſſit deinde illud ſubiicere clauibus? Reſpondeo iuxta dicta à nobis ſuprà, A fortiori non teneri, quia ſi data etiam Confeſſarij copia ante Communionem non tenetur peccatum illud dicere, multò minùs tenebitur poſt Communionem cùm primùm de eo confiteri. Quòd ſi admittamus ſententiam eum ante Communionem obligantem, adhuc tamen putarem in caſu noſtro non obligandum; quia reuera ille non celebrat non præmiſſa confeſſione formaliter aut materialiter integra, quam Concilium requirit, nam communicare non cenſetur eſſe idem quod celebrare. Imò conſequenter dico, Eo modo non obligari eum, qui ob aliquam cauſam iuſtam (de quibus ſuprà) fecit confeſſionem, formaliter quidem integram, retieuit tamen vnum vel alterum peccatum, ſiue quia illud erat reſeruatum: nec aderat Sacerdos habens iuriſdictionem, ſiue quia tutò non poterat illud ei Confeſſario aperire. Etenim cùm hic non accedat conſcius peccati, ſed ſuo modo certus ſe in gratia eſſe per confeſſionem Sacramentalem, non videtur teneri vllo pacto ad complendam materialiter eam confeſſionem cùm primùm poſſit. Id autem à fortiori locum habet, ſi dum confeſſus eſt non recordabatur eius peccati; illud tamen ei occurrit in Sacro ante Communionem, quia hic maiori iure dicendus eſt feciſſe confeſſionem formaliter integram, quàm ille qui peccati recordabatur, ob cauſas tamen alias illud in ea confeſſione non dixit. Ratio etiam paulò ante facta hîc habet locum, nam confeſſio præuia ſolùm requiritur ob reuerentiam debitam Sacramento, vt ſcilicet maxima, quæ poteſt eſſe in hac vita, de ſtatu in gratia certitudo habeatur, iam autem oſtendi hanc certitudinem haberi eo caſu, cùm ſit de Fide ex Tridentino, illud peccatum eſſe non minùs remiſſum quàm illa de quibus eſt confeſſus. Deinde Tridentinum loquitur, quando acceditur ſine confeſſione vlla, in qua ſaltem indirectè ſint remiſſa peccata: licet enim expreſsè id non dicat, ait tamen, quando non potuit confiteri; & re ipſa non eſt confeſſus, hic autem eo caſu potuit confiteri, & re ipſa confeſſus eſt, licet vnius peccati fuerit oblitus; ergo non debemus illud præceptum ad hunc caſum extendere.

Caſus varij ſoluuntur.

Et inter aliquos diſparitas aſſignatur.

Iam ſolùm oportet explicare, quomodo ſit intelligendum *cum primùm*. Aliqui putant eſſe obligationem quærendi Confeſſarium ſtatim poſt Miſſam, quia rigor vocis id videtur denotare. Alij è contrario dicunt ſolùm obligare vt ſuo deinde tempore Sacerdos confiteatur. Verùm ſi hoc ſenſu præceptum illud accipiatur, planè eſt nullius momenti, quia ea obligatio communis eſt etiam non Sacerdotibus & non communicantibus, omnes enim tenentur deinde ſuo tempore confiteri illud peccatum, vnde in Rubricis Miſſalis dicitur, *Cum primùm poterit*. Alij Tertiò τὸ *cùm primùm* extendunt ad triduum. Ita Diana eo Tractatu de Celebratione Miſſarum, reſolutione 60 qui quidem multos adducit pro ſe, quos Cardinalis Lugo oſtendit loqui in aliis materiis ab hac diuerſis, addit tamen probabilem eſſe hanc ſententiam, ſi duo addantur: Primum eſt, ſi immediatè poſt confeſſionem ſit copia Confeſſarij, cuius deinde non tam citò eſt futura, eo enim caſu obligatur talis ſtatim confiteri, ne poſteà cogatur diu eam confeſſionem protrahere. Secundum, ne ſi differatur confeſſio ad triduum, ſit periculum aliquod celebrandi ſecundò ſine confeſſione, tunc enim ad hoc periculum vitandum debet confiteri ſi ſit copia Confeſſarij, etiam immediatè poſt Sacrum. Quæ doctrina mihi etiam placet, & eam confirmo ex ipſo præcepto, quia etſi ratione Communionis non ſit maior ratio, cur Sacerdotibus ſit impoſita ea obligatio ſtatim confitendi quàm laicis, his tamen Concilium non impoſuit præceptum, quia ſuppoſuit illos nec communicare tam frequenter, nec pro illis occurrere occaſiones quæ poſſint inducere communicandi neceſſitatem; non ergo fuit neceſſarium per ſe loquendo eos obligare, vt ſtatim poſt Communionem confiterentur, ſecùs Sacerdotes; ergo quando periculum illud iterùm celebrandi ſine confeſſione omnino ceſſat, quia Sacerdos eſt in loco, vbi multi alij ſunt Confeſſarij, quibus poſſit quando voluerit confiteri, non eſt cur ea obligatio non poſſit ad triduum protrahi, maximè cùm interim non appareat, quòd inde graue damnum adferatur conſcientiæ illius, cùm iam ſupponatur per contritionem eſſe in gratia, & pro diſpoſitione ad ſuſceptionem præcedentem dignam iam omnino ſit per accidens ea confeſſio. Id ipſum declaratur ex eo qui in articulo mortis abſolutus eſt ab excommunicatione reſeruata, qui debet, ſi conualuerit, cùm primùm commodè poſſit ad Superiorem recurrere, relapſurus alioquin in eandem cenſuram: ita cap. 22. *Eos qui*, de ſententia excommunicationis, in ſexto; nullus tamen docet talem, ſi intra triduum à conualeſcentia non recurrat, ideò iudicandum non recurrere quàm primùm.

38 *Explicantur verba Concilij.*

Dianæ ſententia.

Probatur à Cardinale Lugo cum limitatione.

Dices;

Digitized by Google

19 *Obiectio.* Dices; Eſto in hac vel illa occaſione videatùr ceſſare inconueniens, quod Eccleſia intendit ſuo illo præcepto vitare, non tamen ideò ceſſare illius obligationem, vt diximus vniuerſaliter in materiâ de Legibus; ergo etiamſi periculum illud ſecundò celebrandi ſine præuia confeſſione, quòd vult vitare præceptum Tridentini, videatur ceſſare, quando Sacerdos habet copiam Confeſſarij pro ſequentibus diebus; non tamen ideò debebit ceſſare obligatio confeſſionis, etiã immediatè poſt Sacram, ſi adſit commoditas; hoc eſt, ſi ſine nota id poſſit facere; quia alioquin incurreret infamiam; putarent enim omnes illum habere mortale; ceſſante ergo ea nota debebit cùm primùm confiteri. Confirmatur, quia eſto credatur futura talis copia Confeſſarij, poteſt tamen aliunde occurrere ea neceſſitas præter expectationem Sacerdotis; debet ergo opportunè prouideri per confeſſionem factam in toto rigore, cùm primùm commodè Sacerdos poteſt. Conſequentia videtur bona; antecedens patet, quia aliquando deprehendi poteſt Sacerdos in Sacriſtia, & à magno viro vrgeri vt ſtatim celebret, nec poſſit tunc ſine nota abire ad quærendum Confeſſarium, poteſt item iterùm obliuiſci & accedere ad altare. *Speculatiuè reddens contrariam opinionem probabilem.* Reſpondeo, Propter has rationes mihi, ſpeculatiuè loquendo, probabilius eſſe quòd obliget illud præceptum cùm primùm in toto rigore; quia verò verba illa ad hoc, vt abſolutè iuxta communiorem loquendi modum ſint vera, non requirunt totum illum rigorem, non eſt cur in praxi ad illum coarctentur. *Reſponſio.* Ad obiectionem ergo dicimus illud antecedens habere locum, quando conſtat clare de re aut tempore de quo loquitur lex: tunc enim etſi ratio legis ceſſare videatur, non tamen ceſſat obligatio illius; cùm autem in præſenti non conſtet mentem Concilij fuiſſe obligare cum eo toto rigore, ſeu pro eo tempore, per ſe verò loquendo illud periculum, quod in obiectione inſinuatur, non ſit timendum, non debere nos legem interpretari in ſummo eo rigore. Ad confirmationem dicimus illum caſum eſſe rariſſimum, & cui poteſt facilè obuiari; quia in Sacerdotibus, quòd ad reconciliationem ante Sacrum accedant, non facilè mirantur homines; ac proinde etiamſi iam ſit in Sacriſtia, optimè poterit tunc confiteri: quòd ſi tamen daremus aliquando præter omnem humanam prouidentiam occurrere ſecundò in eis circumſtantiis neceſſitatem illam celebrandi abſque præuia confeſſione, non ideò ob caſum, vt dixi, extraordinarium debet poni aliqua vniuerſalis obligatio adeò anticipandæ confeſſionis; alioquin ob idem periculum Sacerdos, qui adhuc non celebrauit in mortali, tenebitur cùm primùm labitur in illud ſtatim confiteri, ne fortè ei occurrat aliqua neceſſitas ſine confeſſione celebrandi. Non ergo debent caſus hi extraordinarij in vniuerſalem legem transferri. Ad illud de obliuione reſpondeo, Eam eſſe moraliter in tali caſu impoſſibilem, quia poſtquam quis ſemel adeò potenter eſt recordatus peccati, & præcedentis obliuionis illius, inſuper quòd debuerit contritionem præmittere de illo, eſt quaſi moraliter impoſſibile, quòd illud ſecundò in obliuionem veniat.

Agere ſolent Auctores in hoc loco de obligatione non dandi Euchariſtiam indignis: verùm ad nos ſuprà vniuerſaliter agentes de Sacramentis dedicimus.

DISPVTAT. QVADRAGESIMASEPTIMA.

De præcepto ſumendi Euchariſtiam.

1 QVÆRIMVS, An re ipſa ſit præceptum ſumendi Euchariſtiam; item an Diuinum, an humanum, quando, & ad quid obliget?

SECTIO I.

An detur præceptum Diuinum de Euchariſtia?

NON defuerunt aliqui, quos refert Vaſquez diſput. 213. cap. 10. qui negarunt vllum eſſe de Euchariſtia ſumenda præceptum Diuinum: *Sententia negans Diui Thomæ.* id quod expreſsè docuit D. Thom. in 4. diſt. non ſexta (vt eum citant Vaſq. & Lugo) ſed nona, quæſt. 1. ar. 1. quæſtiuncula 2. item diſt. 12. quæſt. 3 artic. 2. quæſtiuncula. 1. *Eius fundamentum.* Fundamentum eius ſententiæ eſſe poteſt, quòd hoc Sacramentum ex inſtitutione ſua ſupponit hominem in gratia; ergo non eſt neceſſarium ex hoc capite ad ſalutem, ad quam ſola gratia ſufficit; aliunde autem non eſt vnde probetur illud *Contraria & communis ſententia eiuſdem Diui Thomæ.* eſſe iure Diuino præceptum. Contraria tamen ſententia communiſſima eſt, quam retractata priori tradidit D.Thom. hîc quæſt. 80. art. 11. pro qua & Vaſquez diſput. 213. cap. 2. & Suarez diſput. 69. ſect. 1. multos referunt Auctores; illius autem probatio vnicè deſumenda eſt ex voluntate ipſius Chriſti illud præceptum imponentis: *Aliquorum argumenta reijciuntur.* quod enim nonnulli conatur id ex inſtitutione & fine ipſius Sacramenti probare, eò quòd illud ſit ad cauſandam gratiam ordinatum, & quidem per modum cibi, qui alioquin ſimpliciter neceſſarius ſolet eſſe ad ſuſtentationem vitæ; hoc inquam nullius eſt momenti, tum quia non omnia quæ ad gratiam cauſandam ſunt inſtituta, ſunt de neceſſitate præcepti, alioquin etiam dicendum eſſet de neceſſitate præcepti Diuini eſſe Matrimonium, Ordinem, Confirmationẽ, & Extremam-Vnctionẽ, quæ ſunt ad gratiam cauſandam inſtituta: & idem argumentum etiam fieri poſſet in ipſis bonis operibus ſupernaturalibus, quæ ſunt de ſe cauſatiua gratiæ; non tamen omnia ſunt de præcepto Diuino, ſed multa de ſolo conſilio, tum quia ea comparatio huius Sacramenti cum cibo non eſt omnino exacta, alioquin, quia ſine cibo tribus quatuórve diebus eſſe non poſſumus, teneremur ſub Diuino præcepto ſingulis minimùm octo diebus communicare. Relictis ergo omnibus rationibus in ipſa natura rei fundatis, vnicè, vt dixi, ex Dei voluntate probandum eſt hoc præceptum.

2 *Probatur ex S. Ioanne.* Pro quo duo afferuntur loca Scripturæ: primum eſt tritum illud de hoc myſterio Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: in quo loco & ſermonem eſſe de ſumptione

ptione eiuſdem Sacramenti, & per τὸ *Niſi & non habebitis vitam in vobis* denotari neceſſitatem huius Sacramenti, non minùs quàm dum dixit Chriſtus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, probant optimè & Suarez & Vaſquez ſuprà; vbi tamen adducto ab eodem Suario inſinuari poſſe hunc locum cum Cyrillo, de neceſſitate tantùm morali explicari; Vaſquez verò ait Cyrillum nihil de ea re dixiſſe; & verò Suarez ibi non determinat locum, nec quis è duobus Cyrillis, Alexandrino an Hieroſolymitano, id dixerit; refert quidem ſe ad diſputationem de neceſſitate Euchariſtiæ quæ eſt 40. eius Tomi; in illa tamen potiùs adducit verba Cyrilli Alexandri, quibus neceſſitatem medij tribuere videtur Euchariſtiæ. Quidquid ergo de Cyrillo ſit, in quo eam non inuenio ſolutionem, facilè ea euaſio, cuiuſcumque ſit, reiicitur; quia cùm verba Chriſti præ ſe ferant eam neceſſitatem ſimpliciter, non debent in alio ſenſu explicari, niſi ex aliquo alio loco Scripturæ vel ex ſolidiſſimo fundamento conſtet hîc & nunc ea verba non eſſe eius expoſitionis capacia; in præſenti autem nihil poteſt adduci, quod id vel leuiter oſtendat.

Poteſt locus explicari de neceſſitate morali.

3 *Probatur ex S. Luca & S. Paulo.*

Secundùs locus pro ea veritate eſt ex Lucæ 22. & ex 1. Corinth. 11. vbi Chriſtus dicitur mandaſſe diſcipulis, vt hoc facerent in ſui commemorationem. Huic loco ſolet reſponderi, ibi non mandari abſolutè vt Euchariſtiam ſumant, ſed vt, caſu quo illam ſumant, id faciant in memoriam Chriſti. Ita Caietanus. Quæ euaſio videtur habere fundamentum in explicatione Eccleſiæ, quæ in Canone ſic refert verba Chriſti, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hanc euaſionem & Suarez, & deinde Vaſquez & Lugo reiiciunt ex Tridentino Seſſione 13. cap. 2. vbi hæc habentur: *Ee in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuámque annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat: ſumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur*, &c. Ecce Concilium dixit Chriſtum præcepiſſe vt ipſa ſumptione commemoremus paſſionem; & non tantùm præcepit, vt quoties illud ſumeremus, paſſionem ipſius in memoriam reuocaremus; nam qui præcipit vt opere aliquo commemoratio fiat beneficij accepti, ex modo ipſo præcipiendi haud dubiè præcipit opus ipſum. Vaſquez autem ex illo verbo Concilij, *Sumi voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem cibum*, &c. putat nequaquam probari præceptum Chriſti, ſed inſtitutionem Sacramenti, maximè cùm poſſit quis nihil cogitare ob diſtractionem in ipſa ſumptione de cibo animarum, &c. Verùm hæc ratio videtur nimium probare & contra ipſum Vaſquez; quia etiam poteſt quis in ipſa ſumptione eius Sacramenti immemor eſſe paſſionis Chriſti & gratiarum actionis: quod tamen fuiſſe à Chriſto præceptum ipſe conſtanter aſſerit. Quòd ſi propterea dicat ſe non admittere aliam memoriam paſſionis Chriſti, quàm quæ in actu exercito fit dum communicatur; eodem omnino modo dicemus nos, non aliam peti reflexionem de cibo animarum, quàm quæ in ipſa Communione reperitur, ac proinde non minùs in hoc ſecundo loco quàm in primo contineri præceptum Communionis; non ergo in hoc puncto loquitur conſequenter. De primo item loco dubitari poſſet, an ſit pro noſtro intento ſufficiens: ea enim verba, *Vt in ea actione memoriam faciatis*, non videntur ſignificare, Mando illam vobis abſolute, ſed caſu quo eam actionem ſitis facturi, mando vobis vt ſitis in ea mei memores. Vt ſi Pontifex diceret Cardinali alicui; *Mando tibi vt in gratiarum actionem, quòd te promouerim, mei memoriam facias in Sacro*; quis diceret illi mandatum eſſe abſolute vt celebret? idem eſt ſi voueo in Sacro facere alicuius memoriam; non enim ideò voueo celebrare. Supponebat Chriſtus independenter ab omni præcepto multos futuros, qui non ſolùm ſemel in anno, ſed etiam ſingulis diebus communicarent, aliósque innumeros, qui vel ſingulis hebdomadis, vel ſingulis menſibus, &c. meritò ergo potuit, eſto illis verbis non mandaret abſolute Communionem, mandare tamen vt ſui in ea mentionem facerent. Sed contrà, quia nullum eſt præceptum, vt illi, qui communicant, faciant id in memoriam paſſionis Chriſti, alioquin cùm ſimplices homines maiori ex parte non cogitent, quando communicant, de morte Chriſti, non ſatisfacerent ei præcepto, & quod grauius eſt, ſi aduertenter negligerent in Communione eam intentionem, peccarent mortaliter contra hoc præceptum. Id autem non poteſt dici probabiliter, cùm ad ſatisfaciendum præcepto ſufficiat abſolutè communicare, non ergo reflexa ea intentio, caſu quo communicetur, præcipitur, ſed ipſa Communio directè mandatur, quæ eſt quaſi in actu exercito memoria paſſionis Chriſti. Hæc replica non caret magna vi contra datam ſolutionem, facitque valde probabilem deductionem eius præcepti ex prædicto loco, quia, vt ipſo exemplo in contrarium allato vtar, ſicut dicitur ille, qui vouit memoriam alicuius in Sacro facere, non vouere celebrationem abſolutè, ſed, caſu quo celebret, recordari illius, ſicut inquam hoc dicitur, ita conſequenter dicendum talem hominem non ſatisfacturum voto illi celebrando, ſi non faceret eam commemorationem; ergo ſi præceptum Chriſti non eſſet abſolutè de Communione, ſed de memoria, non ſufficeret communicare, ſed deberet addi ea commemoratio, & quidem ſub obligatione grauis peccati: quod tamen nemo docuit.

Caietani reſponſio reiicitur à Suarez & Lugo ex Tridentino.

Vaſquez impugnatur.

4

5 *S. Auguſtinus à Lugo citatus.*

Pro eadem ſententia citatur Auguſtinus à Lugo, eò quòd Epiſtola 118. ad Ianuarium cap. 1. probans ſuauitatem Chriſti Legis ait: *Vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione praſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis*, &c. Vbi Auguſtinus videtur loqui de præcepto Baptiſmi, Communionis, &c. puto tamen hunc locum non eſſe ſufficientem, quia Auguſtinus dedit doctrinam non ſolùm de his quæ Chriſtus fieri mandauit, ſed quibus colligauit populum ſuum. Deinde non ſolùm Auguſtinus duo hæc Sacramenta, ſed omnia ſeptem intellexiſſe ibi credendum eſt; quia per illa ſocietatem noui populi colligauit: certum eſt autem non eſſe de omnibus Sacramentis præceptum Diuinum. Neque obſtat, quòd paulò inferiùs Auguſtinus dicat eſſe ex præcepto Eccleſiæ, quòd aliqui quotidie communicent, alij certis diebus, alij Sabbato & Dominico, &c. quaſi Auguſtinus diſtinctionem faceret

Non aſſerit præceptum Diuinum.

Digitized by Google

ret inter præceptum abſolutum ſumendi Euchariſtiam, & inter tempus quo illud obligat; ergo illud debet eſſe à Chriſto, hoc ab Eccleſia: hæc inquam confirmatio non obſtat, quia iam dixi Auguſtinum in primo loco non de obligatione ſumendi Euchariſtiam, ſed de eius inſtitutione agere, ſicut de omnibus aliis Sacramentis; quæ etſi expreſsè non numerauerit vbi, virtualiter tamen cenſetur enumeraſſe; & verò nemo negabit, ſalua veritate eius propoſitionis Auguſtini, poſt illa verba, *obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis*, potuiſſet accedere & Confirmationem, & Ordinem, & Extremam Vnctionem; quia reuerà hæc ſunt Sacramenta numero pauciſſima, obſeruatione facillima, & tamen omnino non ſunt ſub præcepto Diuino; ergo verba priora non denotabant vllum præceptum. Adde, eſto Chriſtus non dederit præceptum de hoc Sacramento, meritò tamen potuiſſe illud vocari iugum Chriſti, & ab ipſo Chriſto quaſi remotè mandatum, quatenus præuidebat Eccleſiam mandaturam vſum illius tanquam Sacramenti valdè vtilis, & in cuius præcepto nullum incommodum eſſet, ſicut eſt in præcepto Ordinis & Matrimonij; & maior longè vtilitas quàm in Extrema Vnctione & Confirmatione, & tamen hæc non ſunt ſub obligatione: non ergo Auguſtinus eſt ibi pro ea ſententia.

Sed inſtitutionem Sacramenti.

6 Citari potiori iure poteſt ex Tractatu 26. in Ioannem circa finem, vbi explicans verba illa, *Niſi manducaueritis carnem*, &c. expreſsè ait, ſine ſumptione huius Sacramenti omnino non poſſe haberi vitam æternam; ergo ſentit per illa verba à Chriſto fuiſſe impoſitum præceptum, imò quaſi neceſſitatem medij videtur ibi ſignificare voluiſſe; ad hoc tamen ſtatim.

Alia probatio ex eodem Sancto Auguſtino.

Obiici poteſt contra teſtimonium, quo ea ſententia nobis eſt probata, Primò, illo probari etiam neceſſitatem medij, quia eiſdem verbis declaratur quibus neceſſitas Baptiſmi; quem neceſſarium eſſe vt medium certò conſtat. Verùm reſpondetur, Etiamſi tenor verborum videatur eſſe idem, aliunde tamen colligi, in vno eſſe neceſſitatem medij, in altero ſolius præcepti, quia ad rigoroſam veritatem illius *Niſi* ſufficit obligatio ex præcepto: poſſumus enim dicere, *Niſi ſeruaueritis præcepta, non ſaluabimini*, & tamen ibi non eſt neceſſitas medij: quia ergo Euchariſtia non eſt inſtituta ad dandam primam gratiam vti Baptiſmus, ſed potiùs eam iam ſupponit, ideò non poteſt eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, iuxta ea quæ ſuo loco ſuprà diximus.

Ex citato iam S. Auguſtino obiectiones ſoluuntur.

Secundò obiicitur, ex eo loco probari etiam neceſſitatem vtriuſque ſpeciei. Reſpondeo, Me ſuprà de hoc puncto egiſſe, & oſtendiſſe, poſſe illud & accipi disiunctiuè, vt ſenſus ſit, *Qui vel corpus vel ſanguinem non ſumpſerit, non ſaluabitur*; aut iure meritò dici de eo qui ſub vna tantùm ſpecie ſumit, ſumere & carnem & ſanguinem. Et hæc circa exiſtentiam eius præcepti.

SECTIO II.

Ad quos extendatur hoc præceptum?

7 QVÆRITVR, Quas perſonas obliget hoc præceptum Chriſti? De infantibus & rationis vſu carentibus diximus ſuprà non obligari, quia præcepta cadunt propriè ſupra eos qui ea poſſunt liberè obſeruare. Difficultas ergo eſt circa non baptizatos, vtrùm illi teneantur hoc præcepto; non quòd debeant communicare ante Baptiſmum, ſed quòd peccent ſpecialiter contra hoc præceptum, non ſe reddendo capaces illius per Baptiſmum. Communis ſententia affirmat, de qua Vaſquez diſput. 214. cap. 4. & Suarez ſuprà ſect. 2. Fundamentum eſt, quia illa verba Chriſti dicta ſunt etiam ad non baptizatos; deinde ex ſe ſunt vniuerſalia, & Chriſtus habuit poteſtatem obligandi etiam non baptizatos; cur ergo dicemus illos non obligatos? neque enim repugnat obligationem eſſe ad aliquem actum qui non poteſt fieri in eo ſtatu, ſi tamen ille, in quo eſt obligatio, poſſit ex eo ſtatu exire, & reddere ſe proximè capacem eius actionis; vt qui eſt in peccato mortali habet obligationem communicandi in Paſchate, non quia debeat in peccato communicare; abſit; ſed quia tenetur ex peccato exire, & ſic communicare.

Non baptizati obligantur præcepto Diuino.

Dices; Præceptum confeſſionis non obligat ante Baptiſmum, ergo neque præceptum Communionis. Negatur conſequentia, quia præceptum confeſſionis non eſt quouſque detur materia ipſius confeſſionis vnde iuſtus non obligatur abſolutè ad confeſſionem, ante Baptiſmum autem non ſunt peccata capacia confeſſionis: vlterior ratio ex dictis proximè deſumenda eſt, quia vt de facto ſit obligatio ad aliquam actionem efficiendam, neceſſarium eſt vel me de facto eſſe proximè capacem illius actionis, vel debere me reddere capacem illius, ſi enim non teneor eſſe capax illius, ergo non teneor ad illam, vt autem ego me reddam capacem confeſſionis committendo peccata, non poteſt eſſe vlla obligatio, quia potiùs eſt ſumma obligatio non peccandi. Hinc infideles & catechumeni, cùm illi nec tunc ſint capaces confeſſionis, nec peccata vſque ad illum diem commiſſa ſufficiant pro confeſſione, non poſſunt teneri ad confeſſionem, niſi tenerentur ad peccandum poſt Baptiſmum, ad quod haud dubiè non tenentur, ergo abſolutè nulla eſt in eis obligatio confeſſionis: vt verò ſe reddant capaces Communionis ſuſcipiendo Baptiſmum, poſſunt optimè obligari de præſenti; ergo poſſunt de præſenti abſolutè teneri eo præcepto. Aliæ etiam inſtantiæ obiici poſſunt de præceptis Eccleſiæ, quibus non eſt infidelis ſubiectus; ſed hæ non habent vllam difficultatem, quia tunc non ſunt Eccleſiæ ſubiecti, iam autem dixi ſubiectos etiam eſſe infideles Chriſto, vt teneri poſſint eius præceptis.

Disparitas, quare obligentur ad Communionem, ad confeſſionem non.

Verùm hîc obiicies Secundò, Saltem determinatio temporis, quo præceptum hoc obligat, eſt de iure Eccleſiaſtico, ergo non peccabunt infideles ſaltem extra periculum vitæ, quando probabile eſt ex Chriſti voluntate obligare illud præceptum. Huic obiectioni benè reſpondet Lugo ſuprà, Etiamſi determinatio temporis ſit Eccleſiæ, ea tamen poſita per modum conditionis, iam obligare verè & propriè illud præceptum Diuinum, ita vt tunc tota obligatio planè ſit à Chriſto, vt ſi ego vouerem aliquid donare Petro, cùm ipſe id à me peteret, poſteà poſita petitione tenerer ego dare, & immediatè obligarer voto non ex petitione, quæ purè putè eſſet conditio. Vbi aduerte, quæ dicta ſunt de peccato infidelium contra præceptum communicandi intelligenda eſſe, quando illi habent iam notitiam fidei noſtræ & huius Sacramenti & obligationis 8

Non obſtante determinatione temporis ab Eccleſia facta.

Digitized by Google

communicandi, notitiam inquam ſufficientem vt peccent, ſi non credant; nam alioquin ob inuincibilem ignorantiam excuſabuntur.

Quæres, Vtrùm ſi catechumenus vel infidelis ſumeret Euchariſtiam, ſatisfaceret præcepto Communionis; ſicut qui in peccato audit Sacrum ſatisfacit præcepto audiendi; & verò etiam peccator communicans in Paſchate licet aliunde peccet, tamen præcepto Communionis ſatisfacit. Pater Vaſquez eo cap. 4. putat talem non ſatisfacturum, quia illa Communio non magis eſſet Sacramentalis, quàm ſi à bellua acciperetur. Idem Lugo docet confirmans eam ſententiam; nam ſi quis grauiter infirmus ſumat Extremam Vnctionem in peccato, ſatisfacit præcepto, ſi quod eſt de illa ſuſcipienda, ita vt iam non poſſit in eodem omnino periculo, etiamſi de peccato doleat, iterùm Extremam Vnctionem accipere, at ſi perfectè ſanus eam acciperet, quia tunc eſſet ſubiectum incapax, nequaquam ſatisfaceret præcepto. Secundò idem probat, quia ſi quis in Paſchate caſu ſumeret hoſtiam re ipſa conſecratam, putans ſe aliam communem accipere, non ſatisfaceret præcepto, quia ea Communio non eſſet Sacramentalis, ergo neque in præſenti.

Catechumenus & infidelis non ſatisfaciunt præcepto communicando.

9 Quidquid de ſubſtantia ſententiæ ſit, hæ inſtantiæ parum valdè vrgent, præcipuè prima: etenim in homine ſano Extrema Vnctio non eſſet Sacramentum, non minùs quàm Baptiſmus in adulto nolente baptizari non eſſet Baptiſmus; quid ergo nimirum ſi non fieret tunc ſatis illi præcepto? At in Euchariſtia eſt longè diſpar ratio, quia illa in ſe eſt Sacramentum: ac proinde homo ille verè ſumit Sacramentum, & verò idem omnino quod baptizatus iuſtus ſumit, cum ea ſolùm differentia, quòd hic etiam effectum ſumeret, ille verò non: at vt quis ſatisfaciat præcepto, non requiritur quòd cum fructu Sacramentum recipat, vti iam ſupponimus; nam peccator Chriſtianus communicans æquè nullum accipit fructum ac ille catechumenus, & tamen ſatisfacit; ergo. Secunda item inſtantia non vrget, tum quia dubium valdè eſt (vt ſuprà vidimus) vtrùm talis re ipſa accipiat gratiam; ſi autem accipiat, haud dubiè ſatisfaciet per eam Communionem, tum quia ſi dicatur non accipere gratiam, ea ſuſceptio planè non eſt humana, neque voluntaria, ſed perinde ac ſi oraret quis dormiens Officium; quo caſu non ſatisfaceret; requirit enim præceptum humanam ſaltem Communionem: at in noſtro caſu ſupponitur non minùs humana quàm in peccatore Chriſtiano, ergo. Quod verò dicebatur à Vaſquez, illam Communionem non magis eſſe Sacramentalem quàm ſi à beſtia ſumeretur, debet diſtingui: vel enim dicit non eſſe magis fructuoſā, & hoc libenter admitto; at in hoc ſenſu etiam Communio peccatoris Chriſtiani eſt perinde ac ſi à bellua fuiſſet accepta Euchariſtia, & tamen hæc Communio peccatoris ſufficit pro præcepto, ergo & illa, ſi verò dicat, Non magis eſſe voluntariam Chriſti vt Chriſti Domini ſuſceptionem quàm ſi bellua Chriſtum acciperet, negamus illi antecedens, ergo. Fortaſſe in mea ſententia, docente Euchariſtiam etiam reuiuiſcere, poſſet aſſignari aliqua diſparitas inter peccatorem Chriſtianum & infidelem communicantem, quòd in illo ablato peccato reuiuiſcet Sacramentum, non verò in hoc, qui non ſolùm ex peccato, ſed quaſi ex incapacitate ſubſtantiali ſubiecti vi inſtitutionis non poteſt gratiam recipere: id quod è contrario ſic declaratur, Nam eſto catechumenus ſit in gratia, & bona fide communicet, non habet ex parte diſpoſitionis impedimentum, quia tamen quaſi ſubſtantialiter eſt incapax effectus, non accipiet vllam gratiam. Adhuc tamen non videtur ſatisfieri quæſtioni. Nam quòd peccator Chriſtianus ſatisfaciat per Communionem in peccato, non pendet ex eo, quòd Sacramenta reuiuiſcant.

Vaſquez & Lugo argumenta & inſtantia pro hac ſententia.

Non ſatisfaciunt.

Ego in hac quæſtione iudico planè non ſatisfieri præcepto per Communionem in peccato, ac proinde multò minùs per Communionem catechumeni. Moueor, quia Chriſtus Dominus non ſolùm præcepit Communionem, ſed eam præcepit in gratia: id quod tribus modis probari poteſt, Primò, quia directè mandauit vt Euchariſtia non acciperetur niſi præmiſſa confeſſione omnium mortalium; ergo qui communicat ea confeſſione non præmiſſa, nequaquam ſatisfacit ei præcepto, etiam quatenus reſpicit Communionem. Secundò idem probatur; quia ipſe ex primaria inſtitutione requiſiuit pro diſpoſitione eius Sacramenti gratiam; ergo dum mandauit illud ſuſcipi, mandauit ſuſcipi in gratia: in quo eſt magna diuerſitas ab aliis præceptis audiendi Sacrum, ieiunandi, &c. nam hæc non requirunt pro diſpoſitione gratiam, ſed abſolutè, licitè & honeſtè poſſunt fieri etiam in peccato; ergo poteſt per illas actiones ſic factas ſatisfieri præcepto. At ſi Eccleſia dixiſſet, *Prohibeo ſub peccato ne quis audiat Sacrum in peccato exiſtens*, profectò non poſſemus dicere, quando deinde mandaret auditiones Sacri, quod non mandaret vt audiretur Sacrum in gratia cum ea diſpoſitione, quam ipſa requiſiuit ad auditionem: quis enim dicat per actum directè in eadem materia prohibitum à Legiſlatore fieri ſatis Legiſlatori? Mandat Chriſtus, ne quis in peccato communicet, quomodo ergo ipſi Communionem mandanti ſatisfiet per eam Communionem ab ipſo prohibitam? Probatur Tertiò, Chriſtum directè præcepiſſe eam Communionem in ſtatu gratiæ, quia (vt ait Tridentinum ſuprà) voluit vt ipſum ſumeremus per modum cibi ſpiritualis, ergo dum præcepit Communionem, præcepit vt in gratiæ ſtatu fieret, ac proinde non poteſt ei præcepto ſatisfieri, ſi in peccato accedatur. 10

Argumentum pro ſententia ſuperiùs ſalata triplex: Primum;

Secundum:

Tertium.

Hæc ratio poteſt fortè pati aliquam inſtantiam in reliquis Sacramentis viuorum, quæ etiam ex inſtitutione ſua requirunt gratiam; & tamen etiamſi in peccato ſuſcipiantur, fiet ſatis: poteſt etiam in Baptiſmo vrgeri, vt enim ille ſuſcipiatur ex Chriſti inſtitutione, in adultis habentibus peccatum mortale actuale requiritur dolor de illis peccatis, vel ſaltem ne apponatur ei Sacramento aliquis malus finis, & tamen per Baptiſmum in peccato & indignè ſuſceptum fit ei præcepto omnino ſatis, ergo argumentum à me factum nullum eſt. Nihilominùs reſpondeo, Adhuc non debilitari omnino meum argumentum, & quidem quod ad Baptiſmum attinet, diſparitas eſt facillima, nam cùm Chriſtus voluerit tum, vt Baptiſmus etiam in peccato ſuſceptus validum eſſet Sacramentum; imprimeret characterem, & induceret hominem in Eccleſiam, Secundò etiam voluerit, ne Baptiſmus validè ſuſceptus ſecundò recipi poſſet, debuit profectò, ne duo contradictoria ſimul præcepiſſe deprehenderetur, eſſe contentus cum 11

Patitur inſtantiam in aliis Sacramentis.

Aſſignatur diſparitas inter Baptiſmū & Euchariſtiam;

illa

illa ſuſceptione in peccato; ac proinde præceptum Baptiſmi vt ſemel ſuſcipiendi non potuit petere eam conditionem gratiæ. At in ordine ad Euchariſtiam duo illa penitus ceſſant; nam & iterari poteſt; & in peccato ſuſcepta nullum omnino effectum cauſat, neque eſt cibus animæ, &c. quid ergo mirum, ſi poſſit adhuc Chriſti præceptum obligare ad ſecundam Communionem in gratia? Quæ ſolutio poteſt etiam applicari aliis Sacramentis, quæ iterari non poſſunt, & characterem imprimunt: (cætera non ſunt ſub præcepto:) quæ vltima ratio etiam comprehendit Ordinem & Confirmationem; manet ergo adhuc integrum noſtrum argumentum.

Item inter illam & Sacramenta quæ iterari non poſſunt.

De aliis Sacramentis ſatisfit.

Dices: Si pœnitentia non eſt informis, non eſt obligatio nouæ confeſſionis. In primis nego eam poſſe eſſe informem & inualidam. Secundò dico, in eo caſu non ſumi indignè & peccaminosè, ſed ex oblitione omitti vnam partem a Chriſto petitam; quæ poſteà debet adhiberi.

12 Vrgebis in Extrema Vnctione, quæ etiam in peccato ſuſcepta non poteſt iterum repeti. Reſpondeo, Eam non eſſe ſub præcepto. Secundò, ſi eſſet licitum eam in eodem morbo ſuſcipere, me dicturum, tunc fore obligationem eius ſuſceptionis; quòd ſi non licet eam ſecundò ſuſcipere vt ſupponere videtur obiectio; quid quæſo mirum, ſi non ſit obligatio eam ſuſcipiendi? inde enim colligimus, Legiſlatorem ita eam præcepiſſe fieri in gratia, vt tamen ſi in peccato fieret, adhuc non poſſet repeti; multò ergo minùs obligabit ad repetitionem. At in Euchariſtia ceſſat hæc ratio. Denique in Euchariſtia reſpectu aliorum Sacramentorum, quæ in vſu conſiſtunt (excepta confeſſione) eſt notabilis & vniuerſalis differentia, quòd illa Sacramenta verè & propriè, & cum ſua ſignificatione Sacramentali ſuſcipiuntur, etiamſi in peccato ſuſcipiantur, ac proinde poſſumus ibi intelligere duo quaſi præcepta Chriſti Domini; vnum de ſuſceptione valida eorum Sacramentorum; alterum, vt cum diſpoſitione debita id fiat. Primo præcepto ſatisfacit qui validè ſuſcipit, etiamſi non ſatisfaciat ſecundo, ac proinde quia peccatum in ſecundo puncto commiſſum iam non corrigitur, & ſuſceptio fuit valida, non eſt obligatio ſecundò ſumendi. At in Euchariſtia, cùm ipſa non conſiſtat in ſumptione, non poſſumus facilè concipere, quòd Chriſtus illo ſuo præcepto mandauerit ſumptionem quà talem in ea ſiſtendo, eſto fiat in peccato, cùm ea Communio in peccato non ſit magis Communio Sacramentalis, niſi in ordine ad contrahendum peccatum nouum, quàm ſi à mure accepta eſſet hoſtia.

Alia eſt ſuſceptio Sacramenti valida, alia debita.

Dices Primò: Non eſt neceſſum, vt quando obſeruatur præceptum, obtineatur finis præcepti. Reſpondeo, Finem præcepti aliquando eſſe quaſi extrinſecum, & tunc poſſe admitti antecedens; vti ieiunium ordinatur ad paſſiones frænandas; licet autem per prohibitos cibos non augeantur paſſiones, eſt tamen obligatio ab eis abſtinendi, quia illa frænatio eſt extrinſeca planè actioni ieiunandi; aliquando verò finem eſſe quaſi intrinſecum & eſſentialem rei præceptæ; & tunc dico ſine eo fine præceptum non ſeruari: huiuſmodi autem eſt præceptum Chriſti de Euchariſtia vt cibo ſumendo; patet, quia illa ſumptio extra diſpoſitionem planè nihil eſt in genere mortis, & perinde ac ſi à catechumeno ſumeretur; vbi omnes fatentur non fieri ſatis præcepto; & ex hac ſolutione poteſt oſtendi, cur Baptiſmus etiam in peccato ſumptus ſatiſfaciat præcepto, quia reuerà etiam eo modo haber ſuum effectum, & ſuam, vt ſic dicam, ſubſtantiam in genere motis; quia & characterem imprimit, & hominem conſtituit in Eccleſia, & conſtituit capacem Sacramentorum, vt dixi paulò ſuperiùs.

Duplex finis præcepti extrinſecus & intrinſecus.

Secundò obiicies: Etiamſi quis malo fine audiat Sacrum, ſatisfacit præcepto; & tamen etiam tunc actio ipſa exterior audiendi eſt mala: ergo argumentum ſuprà factum, quòd per actum prohibitum non poſſit ſatisfieri præcepto, nullum eſt. Reſpondeo, In præceptis Eccleſiæ, quæ non poteſt præcipere actus internos, id poſſe habere locum, at in præceptis Diuinis difficulter id intelligi, niſi aliunde conſtet Deum voluiſſe ea duo ſeparare, vti oſtendimus in Sacramento Baptiſmi & aliis imprimentibus characterem; vbi, eo ipſo quòd non poſſint iterari, euidenter inferimus, Deum fuiſſe contentum ſuſceptione illa prima, ita vt ſecundam non exigat: id quod in Sacramento Euchariſtiæ non habet locum ob dicta. 13

Præceptum Diuinũ vult actum internũ & externum.

Dices Tertiò, Chriſtum duo præcepta poſuiſſe, vnum communicandi, alterum verò dignè communicandi; optimè ergo poteſt fieri ſatis vni ex illis, licet alteri non fiat. Reſpondeo, Licet fortè potuerit ita fieri, probabilius tamen eſſe, Chriſtum ſuo ipſo præcepto communicandi mandaſſe vtrumque; id eſt, Mando tibi vt communices iuſtè, vt ex dictis conſtat.

Chriſti præceptum vult Cõmunionem, & dignam.

Vltimò ad hoc obiicies: Si non ſatisfit Chriſti præcepto per Communionem in peccato; ergo qui circa horam mortis communicat in peccato, tenebitur deinde ſecundò communicare in gratia, vt ei præcepto ſatisfiat, cùm illud obliget pro eo tempore. Reſpondeo, Etiamſi pro eo tempore obliget illud præceptum, eam tamen obligationem relictam eſſe Eccleſiæ determinationi quoad modum illud implendi. Vnde ſi Eccleſia prohibeat non communicare bis eodem die, non tenetur iam præcepto Chriſti ille qui ſemel communicauit; ac proinde quòd hîc & nunc non ſatisfaciat illi præcepto, non eſt culpabile, ſi de ſequenti die intra modum loquamur, & non vrgeat præceptum communicandi ante cibum, ſed poſſit infirmus expectare, valdè eſt probabile illum teneri. De quo puncto fuſiùs dixi ſuprà.

SECTIO III.

Pro quo tempore obliget hoc præceptum?

VARII varia in hoc puncto dicunt, meo tamen iudicio magis diuinando quàm ſolidè diſcurrendo; cùm enim neſciamus qua forma à Chriſto ſit latum, ſed ſolùm illud colligamus ex verbis illis, *Niſi manducaueritis carnem*, &c. & ad rigorem horum verborum ſufficeret ſemel in vita illud Sacramentum ſumere, non ſcio vnde poſſimus determinata tempora obligationis illius colligere. Vnde non omnino improbabiliter diſcurrunt Caietanus, Ledeſma, Victoria & Paludanus apud Suarez ea diſput. 69. ſect. 3. qui ſemel tantùm in vita illud præceptum obligare dicunt. Hinc autem colligitur, in eo qui nunquam communicauerat obligationem eſſe inſtante 14

Caietanus, Ledeſma, Victoria & Paludanus aiunt ſemel tantùm in vita illud præceptum obligare. Varia aliorum ſententia.

Digitized by Google

ſtante morte communicandi;alioquin nec ſemel in vita ſatisfaceret ei præcepto. Non diſcurrunt etiam improbabiliter Bonauentura, Syluester, Armilla apud eumdem Suarez dum dicunt; Eſto ex Diuino præcepto teneatur homo aliquoties in vita communicare, nullam tamen eſſe ſingularem obligationem communicandi tempore mortis; quia reuerà ex illis teſtimoniis Chriſti id nullo modo colligitur. Alij dicunt, Ideò hoc præceptum obligare aliquoties, quia eſt per modum cibi; cibus autem non tantùm ſemel aut bis in vita ſumi debet. Iam dixi hanc comparationem eſſe inefficacem; & ſanè ſi valeret, debuiſſet Chriſtus pluries quàm ſemel in anno ad id obligare:difficile enim valdè eſt,quòd cibus ſemel acceptus pro toto anno ſufficiat: id quod maiorem habet vim contra Cardinalem Lugo,qui hac vtitur comparatione:nam reſpondens ipſe argumento Caietani requirentis ad cauſationem gratiæ per hoc Sacramentum deuotionem actualem, quia alioquin Sacerdotes ſingulis diebus communicantes deberent eſſe valdè ſancti; quod eſt contra experientiam; huic inquam argumento reſpondens ait hoc Sacramentum, cùm detur per modum cibi, probabiliter ſemel acceptum non dare auxilia ad longum tempus, ſed ad octo decémve dies; iam hinc argumentor manifeſtè;Ergo cùm ratione horum auxiliorum illud ſit quodam modo neceſſarium;profectò ſingulis octo diebus minimùm deberet obligare Diuinum præceptum; & nequaquam ſufficeret ſingulis annis:vel certè ceſſat tota ratio probandi illud obligare pluries in vita, proptereà dixi in his comparationibus multùm eſſe de diuinatione, eas enim pro libitu aliqui dilatant, aliqui conſtringunt, vt cuilibet neceſſarium videtur ad obiectionis ſolutionem.

Res tota eſt incerta.

15 Vt autem hi iidem declarent, quoties in vita obliget,recurrunt ad determinationem Eccleſiæ; dicunt enim Sacramentum hoc ita inſtitutum eſſe,vt fideles in eius vſu debeant omnino pendere à propriis Paſtoribus,iuxta illud D.Thomæ de Sacerdotibus in Hymno,

——— *Quibus ſic congruit,*
Vt ſumant,& dent cæteris;

ergo determinatio temporis debuit Eccleſiæ ſeu Pontifici, qui eſt Paſtor, committi.Conſideratio hæc non valdè ſubſiſtit; Primò, quia non obſtante quòd etiam à Paſtoribus debeat in articulo mortis hoc Sacramentum ſuſcipi, determinauit tamen Chriſtus illud tempus, ergo etiam potuit determinare aliud cum eadem congruentia qua determinauit hoc. Secundò, aliud eſt, quòd fideles debeant petere à Sacerdotibus Communionem,aliud,quòd non teneantur eam petere, niſi quando Eccleſia mandat hoc ſecundum,ego,vt verum fatear, non video quomodo inferatur ex illo. Vides ergo rem hanc eſſe totam incertam. Vtrùm autem ab ipſa Eccleſia olim fuerit mandata Communio quotidiana, mihi non videtur nunc diſcutiendum, quia res fuit facti; quod de præſenti ad mores noſtros nihil facit. Vide Cardinalem Lugo ea diſp.16. ſect.2. vbi benè probat cum Patre Suario ſuprà ſect.3. & diſput.70 ſect.2. non fuiſſe in Eccleſia vnquam eam obligationem, & explicat aliquos textus, quos Vaſquez adducit pro contraria ſententia, quam etiam defendit ſuprà cap.3.

Quotidiana Communionis obligatio nunquam fuit in Eccleſia.

De præcepto Diuino Communionis in articulo mortis argumentum ex Concilio Niceno non urget.

Circa primum autem præcipuum de articulo mortis,propter multorum Scholaſticorum conſenſum puto probabile pro eo determinatè obligare hoc præceptum Diuinum: in qua ſententia Suarez, Vaſquez,Lugo & alij multi conſentiunt: probant id ex Concilio Niceno can. 13. relato in cap. *De iis* 26. quæſt. 6. vbi dicitur, *Cum eis qui vita eruduntur diſceſſuri antiqua lex ſeruetur,nempe vt vltimò & neceſſario Viatico non priuentur.* Non videtur autem Eccleſia loqui de neceſſitate ex præcepto Eccleſiaſtico, quia lex Eccleſiaſtica non benè redderet pro ratione neceſſitatem prouenientem ex eadem vel ſimili lege Eccleſiaſtica,ergo debet intelligi de neceſſitate proueniente ex lege Diuina.Hæc tamen probatio leuis eſt,quia ſi a prædeceſſoribus Eccleſiæ Capitibus erat mandata ſub graui peccato ea Communio in fine vitæ, rectiſſimè potuit Concilium, nolens eam legem abrogare, dicere illud Viaticum eſſe neceſſarium;ſicut iam poteſt Pontifex iure merito dicere;*Ne quis neceſſaria quotannis Communione priuetur, ego diſpenſo vt in Paſchate poſſint etiam excommunicati communicare, ſi tamen conterantur & confiteantur*, ex eo autem quòd diceret,*neceſſaria quotannis Communione*,non oſtenderet eam neceſſitatem ſingulis annis communicandi eſſe à Chriſto traditam. Secundò alij id probant, 16 quia Eccleſia in articulo mortis diſpenſat cum excommunicatis vt communicent; ergo quia cenſet illo tempore obligare præceptum Diuinum. Benè reiicit eam rationem Lugo,quia iuxta aliquos ex eius Auctoribus etiam obligat hoc præceptum pluries in vita;& tamen Eccleſia priuat aliquos tota vita Communione. Secundò, quia Eccleſia ex pietate & deſiderio conſolationis ſpiritualis morientis diſpenſat in eo excommunicato, vt Euchariſtiam ſumat, non quia præceptum Diuinum obliget. Tertiò probant eamdem obligationem ratione inſtitutionis Sacramenti;nam cùm illud ſit per modum nutrimenti,debet ſumi quando neceſſarium reputabitur;non poteſt autem magis eſſe neceſſarium quàm in articulo illo à quo pendet æternitas; in quo eſt lucta grauiſſima cum ſummo hoſte. Probabilis ratio, quæ tamen ſuam patitur difficultatem;nam cùm pro eo tempore Chriſtus inſtituerit aliud Sacramentum Extremæ Vnctionis,vnicè & directè ordinatum ad illam luctam, non videtur eſſe tunc ſpecialis obligatio ſumendi Euchariſtiam; quæ non tam contra mortis pericula quàm ad diuturnam conſeruationem gratiæ ordinata eſt; vnde accepta iam per pœnitentiam in eo articulo gratia, non videtur adeò neceſſarium hoc Sacramentum; quidquid tamen de hoc ſit, illud certum, ſuppoſito præcepto eo Diuino non poſſe nos commodius & vtilius tempus determinare, quo illud obliget, probabile ergo eſt tunc ex Chriſti inſtitutione obligare.

Alia ratio reiicitur à Lugo.

Tertia ratio etiam ſuam habet difficultatem.

Quæri iam poſſet,quando cenſeatur incipere articulus mortis,& an ei,qui adhuc ſanus & ignarus periculi vitæ ea die communicaui, liceat ſecundam Communionem accipere. Verùm de hoc dixi ſuprà fuſiùs,agens, Vtrùm liceat non ieiunus communicare. Et de præcepto Diuino Communionis iam ſatis, quia reuerà tota quæſtio eſt valdè incerta.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

De præcepto Eccleſiaſtico Communionis.

17 OLIM Fabianus Papa obligauit ad ter in anno communicandum: quod præceptum Innocentius Tertius limitauit ad vnicam Communionem in Paſchate, vt refertur in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de pœnitentia & remiſſione; intelliguntur autem nomine Paſchatis duæ hebdomadæ à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè; in aliquibus autem locis latiùs extenditur illud tempus, vt hîc in Bohemia ob defectum Parochorum ordinariè ab Annuntiatione B. Mariæ vſque ad Dominicam Trinitatis incluſiuè.

SVBSECTIO I.

Ad quid teneatur qui in Paſchate non communicauit?

PRIMA difficultas eſt, Verùm qui omiſit Communionem eo tempore, teneatur adhuc illo anno communicare; an verò vti qui hodie neglexit Officium, non tenetur illud cras repetere, ita ille commiſſo ſemel peccato in ea transgreſſione iam ampliùs non teneatur communicare.

Non teneri ampliùs communicare affirmant multi.

Communis valdè ſententia affirmat eum iam non teneri: ita D. Antoninus, Sylueſter, Tabiena, Medina, Soto & Victoria apud Suarez diſput. 70. ſect. 2. Ledeſma, Ioannes de la Cruz, Toletus, Valentia & Sa; quos refert & ſequitur Diana 2. Tomo Tract. 4. de Sacramentis, reſolutione 41.

Teneri affirmant multi.

Secunda ſententia eum abſolutè obligat: Suarez ibi, Vaſquez Tomo 4. de Pœnitentia, quæſt. 90. art. 3. dub. 2. num. 13. Coninck, Nunnius, Pitigianus, Fagundez, Azor, Syluius & Graffius apud Dianam loco citato, Nauarrus, Paludanus & Viguerius apud Suarez. Mediam viam tenent Armilla & Tabiena apud eundem Suarium; dicunt enim, Si omiſſa ſit Communio ob iuſtam cauſam, tunc adhuc durare obligationem; quia ipſum præceptum dat facultatem ex conſilio Confeſſarij, ob iuſtam aliquam cauſam illam Communionem differendi; quo caſu ſemper durat obligatio; quòd ſi verò ex malitia ſit omiſſa Communio, cenſent tunc omnino eam obligationem perire, quia eſt alligata illi tempori, & non eſt vnde colligatur eam durare.

Mediam ſententiam tenet Cardinalis Lugo.

Cardinalis Lugo ſuprà ſect. 4. ita ſequitur hanc ſententiam, vt ea obligatio communicandi non ſit ſtatim, ſed intra illius anni reſiduum, hoc eſt vſque ad Ianuarium; ſententiam hanc probat, quia ea obligatio communicandi quæ remanet non eſt ex præcepto, quatenus deſignauit Paſchæ tempus: ex hoc enim capite cùm elapſo Paſchate non poſſit iam in Paſchate communicare, ceſſat omnis obligatio; ea ergo deſumitur ex aliis verbis præcepti, in quibus, ſaltem ſemel in anno præcipitur Communio: quæ verba obligant, eſto in Paſchate omiſſa ſit Communio; atqui ea non obligant iam niſi intra illum annum qui in Ianuario excluſiuè finitur; ergo.

Sententia probabilior, teneri ſtatim poſt Paſcha. Ratio ſententiæ.

18 Huic difficultati reſpondeo, Probabilius longè eſſe hominem, ita teneri ad communicandū in Paſchate, vt debeat cùm primùm communicare poſt Paſcha, ſi tunc id neglexit. Ratio huius eſt, quia illud præceptum, præter aſſignationem temporis Paſchalis pro Communione, vult ne differatur vltra annum, id eſt, vt homo non maneat abſque Communione longiori tempore quàm ſit annus; ergo quò diutiùs ille eam differt, eò grauiùs peccat, ergo tenetur quàm primùm:

Probat Suarez ab inſtantia de ſolutione debitorum.

id quod optimè declarat Pater Suarez inſtantia deſumpta è ſolutione generali debitorum, pro qua aſſignatur in Hiſpania Feſtum ſancti Ioannis, in aliis partibus alij diuerſi Sancti. Vnde ſi ea die non ſoluantur debitum, non ſolùm non ceſſat obligatio, ſed magis creſcit, quia (vt Iuriſtæ dicunt) non deſignatur ille terminus, vt in illo obligatio extinguatur, etiamſi non impleatur, ſed vt ſolutio vſque ad illam diem differri poſſit, non ampliùs.

Argumentum Vaſquez.

Quòd autem obligatio hæc ſtatim communicandi duret, etiam tunc conatur Vaſquez probare ex eo, quòd duret ſemper excommunicatio, niſi quis communicet; ea autem excommunicatio non eſt ob peccatum præcedens, ſed ex eo quòd ſemper ſit obligatio communicandi.

Illi reſpondet Cardinalis Lugo.

Huic argumento benè reſpondet Cardinalis Lugo, Eſto iam non ſit obligatio ſtatim communicandi, optimè potuiſſe Eccleſiam in pœnam peccati præcedentis mandare, ne ab excommunicatione præcedenti abſoluatur, niſi communicet; non quia mandat vt ſtatim communicet, ſed quia non vult ſtatim illum abſoluere, niſi ponat illam conditionem. Illo ergo argumento omiſſo, ratio vnica eſt, quam ex Suario tetigimus; quia reuerà illud videtur eſſe intentum directum Eccleſiæ. Conſideratio verò Cardinalis etſi ſit probabilis, non vrget tamen vt ab hac ſententia diſcedamus, Primò, quia licet computatio anni in rigore ſit à Ianuario ad Ianuarium, non tamen inde ſit etiam in præſenti caſu eodem modo annum vſurpandum. Ratio eſt, quia in ea computatione eſt multùm de arbitraria conſideratione, & eadem Eccleſia quoad Officia diuina annum inchoat aliter, ſcilicet ab initio Aduentus vſque ad aliud initium, & inde ponderat vtrùm omnes Dominicæ anni habeant locum in Officio, ergo eodem modo nos dicere iure optimo poſſumus, quidquid ſit in ordine ad alias varias conſiderationes, pro Communione tamen annuali Eccleſiam inchoare & finire eum annum non à Ianuario ad Ianuarium, ſed à Paſchate ad Paſcha. Hæc conſideratio maximè eſt conformis menti Eccleſiæ.

Obiectio ab elapſo iam Communionis termino.

19 Hinc tamen obiicies, quia ex ea potiùs ſequitur hominem iam nullo modo teneri, quia ſi iam elapſus eſt totus annus; cùm iam in eo non poſſit communicare, non tenebitur ampliùs. Reſpondeo, Inde ſolùm inferri, vi præcepti communicandi anno 45. v.g. non teneri, qui tamen præceptum illud etiam obligat, ne diutiùs differam, quia Eccleſia directè vult eo præcepto longam omiſſionem Communionis prohibere; ideò nequaquam iudicatur ceſſaſſe obligatio ex ea omiſſione, imò potiùs magis augetur, vti oſtendimus ex inſtantia die aſſignati pro ſolutione debitorum.

Obiectio: Quid ſentiendum de eo qui ante Paſcha communicauit.

Secundo dices, Ergo ſi quis eo anno ante Paſcha communicauit ex deuotione, & poſteà in Paſchate non communicet ex malitia, iam ampliùs eo anno non tenebitur communicare, quia iam partem illius præcepti ſaltem ſemel in anno expleuit. Deinde illud ſecundum inconueniens; quòd ſcilicet differat Communionem vltra annum, non habebit locum, nam ille non manebit vno anno ſine Communione. Reſpondeo, Hanc

Digitized by Google

Hanc obiectionem eſſe communem etiam Cardinali Lugo: vnde miror eum poſuiſſe concluſionem (quaſi ante finem anni communicare debuiſſet) vniuerſalem; quod qui non communicauit in Paſchate, teneatur poſteà ſaltem ante finem anni communicare; debuiſſet enim excipere, niſi iam communicaſſet à Ianuario ante Dominicam Palmarum. Reſpondeo ergo obiectioni, Meo iudicio omnino conuincere intentum, quia reuerà ſi Eccleſiæ intentioni, qua parte petit intra annum Communionem, ſatisfit per Communionem poſt Paſcha, non capio, quare non ſatisfiat per Communionem ante, ſiue inſiſtamus fundamentis Suarez & Vaſquez, ſiue Cardinalis Lugo; vnde ambo debuiſſent hanc exceptionem facere. Dices fortè: Ille qui communicauit antè, non fecit id vt ſatisfaceret præcepto, ergo non ſatisfecit. Nego conſequentiam, quia ſufficit efficere actum præceptum, eſto non eo animo faciat, alioquin qui intra duas illas hebdomadas Paſchatis immemor præcepti communicaret, teneretur adhuc ſecundò id facere: id quod abſurdum eſt.

Reſpondetur obiectioni.

SVBSECTIO II.

An teneatur quis anticipare tempus, ſi prævidet futurum impedimentum: & an per Communionem in peccato ſatisfiat huic præcepto?

20 CIRCA primam partem quærimus, An qui ſcit ſe in Paſchate non habiturum opportunitatem Communionis, teneatur eam anticipare. Negat Pater Suarez ſuprà, quia per eam anticipationem non ſatisfaceret præcepto: etenim ſi poſteà etiam anticipata ea Communione habeat præter opinionem commoditatem communicandi in Paſchate, tenebitur communicare; ergo per anticipatam non ſatisfacit: quòd ſi non ſatisfecit, non tenebitur anticipare: nemo enim vi præcepti facere tenetur actum, per quem non ſatisfacit præcepto. In hoc puncto non videtur Suarez conſequenter diſcurriſſe ad præcedentem doctrinam; cum enim dixerit (& quidem valdè benè) præceptum Eccleſiæ duo dicere, & ſubſtantiam illam non tamdiu protrahendi Communionem vltra annum, & ſimul communicandi in Paſchate; ex quo capite intulit, Eum, qui non communicauit in Paſchate, eſto iam ſecundæ parti præcepti non poſſit ſatisfacere, teneri tamen deinde communicare, vt ſatisfiat primæ parti; non video cur eum non obliget ad communicandum ante Paſcha, quando prævidet ſe deinde non poſſe, quia per hoc ſaltem ſatisfacit primæ præcepti parti; ergo eodem modo debuiſſet in vno ac in altero caſu diſcurrere. Argumentum verò illius ex hac parte doctrinæ ſolutum eſt; negamus enim per eam anticipationem non ſatisfieri præcepto quoad priorem partem, vti ipſe dicit ſatisfieri communicando poſt Paſcha, quando neglecta eſt Communio in Paſchate. Hæc quoad conſequentiam eius doctrinæ.

Negat Suarez, & probat.

Arguitur Suarez inconſequentia.

21 Abſolutè autem cenſeo diſtinctione duplici vtendum; vna, quam adhibet Lugo, teneri ſcilicet talem anticipare, ſi prævideat non ſolùm ſe non habiturum occaſionem in Paſchate, ſed nec in reliqua parte anni; quia tunc ratione eius primæ partis præcepti; de qua diximus, tenebitur communicare, ne maneat ſine Communione toto eo anno. Altera diſtinctio, quam ego adhibeo, eſt, vt non communicauerit iam alioquin eo anno ex deuotione. v. g. communicauit quis in Februario, poſteà octo diebus ante Dominicam Palmarum cogitur ire, quò non poterit communicare circa Paſcha, non tenetur anticipare; quia per illam priorem Communionem iam ſatisfecit pro eo anno etiam iuxta diſcurſum Lugo: addo etiam circa illius limitationem, non ſufficere ad excuſandum hunc ab anticipatione, quòd videat ſe ante finem illius anni, hoc eſt ante Decembris finem, habiturum opportunitatem communicandi. Nam ſi ille iam à præcedenti Paſchate non communicauerat, profectò eſto eam opportunitatem videat, tenebitur anticipare, ne manere cogatur anno & nouem menſibus ſine Communione; iam enim oſtendi ſubſtantiale intentum Eccleſiæ non eſſe, vt intra Ianuarium & Decembrem communicet, ſed ne inter Communionem & Communionem longius tempus interponatur quàm annus; ſi ergo videt ſe iam interpoſuiſſe annum, & non habiturum commoditatem, niſi circa finem Decembris, vel octo menſibus aut etiam nouem poſt Paſcha; profectò tenebitur anticipare, ne viginti menſibus ſit ſine Communione.

Diſtinctio adhibetur.

Quod ſit Eccleſiæ intentum.

Ex dictis oritur noua quæſtio ſuprà in obiectione tacta, Vtrùm qui putans futurum impedimentum tempore Paſchatis anticipat Communionem, teneatur poſteà in Paſchate communicare, caſu quo præter opinionem habeat opportunitatem. Negat Diana reſolut. 42. citans pro ſe Suarium ſect. 2. circa finem: verùm ibi contrarium docet Suarez, dum ait ſe non audire talem excuſare. Conſequenter ad ea quæ diximus puto eum teneri, quia præceptum hoc (vt oſtendimus) eſt virtute duplex, & non differendi diu Communionem, & communicandi in Paſchate: huic ſecundæ parti ſatisfit per primam Communionem; ergo ſi poſteà ſit opportunitas eis ſatisfaciendi, tenebimur ad id. Secundò idem ſuadetur, quia eſto quis communicauerit ante Paſcha ex deuotione, tenetur tamen in Paſchate communicare; ergo etiamſi communicauerit ex eo motiuo, quòd non habebit poſteà opportunitatem, tenebitur tamen poſteà communicare, ſi re ipſa detur opportunitas. Probo hanc conſequentiam, quia ea intentio ſatisfaciendi præcepto per accidens omnino ſe habet ad ſatisfactionem, vti ſæpè diximus, & paulò antè inſinuamus; ergo ſi communicando ſine eo fine non ſatisfecit, neque ſatisfaciet, etſi apponat eum finem: vnde fit, vt eſto quis ex pura deuotione, & cogitando etiam communicare deinde in Paſchate, vt deinde ſatisfaciat præcepto, communicet Dominica Palmarum, non teneatur tamen poſteà in Paſchate communicare; quia iam re ipſa ſatisfecit, & Eccleſia non iubet vt communicet cum ea reflexione, ſed vt ſimpliciter communicet: vti qui Sacrum audit neſciens eſſe diem Dominicam, non tenetur deinde audire quando ſcit eſſe Dominicam. Tota ergo ea intentio eſt per accidens ad ſatisfaciendum re ipſa illi præcepto; ergo ſi communicans ſine ea intentione non ſatisfacit, nec ſatisfaciet per eam intentionem.

22

An qui anticipat ex præuiſo impedimento, teneatur poſteà in Paſchate.

Diana negat.

Contraria ſententia probabilior.

Obiicies tamen; Pontifex ipſe in eo præcepto Communionis hæc habet verba; *Niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*; ergo qui ex rationabili cauſa anticipat, erit etiam liber: patet con 23

Obiectio ex verbis Pontificis.

conſequentia, quia idem eſt in genere moris anticipare ac poſtponere; imò tutius ac perfectius eſt anticipare quàm poſtponere. Reſpondetur, Pontificem ideò cenſeri contentum ea anticipatione, quia ſupponit eo tempore, quod alioquin deſignatum eſt, fore impedimentum; inde è contrario potiùs infertur bene, Ergo ſi re ipſa nullum in Paſchate ſit impedimentum, obligabit me ad communicandum, ſiue anticipauerim, ſiue non; quia illud præceptum, quoad ſecundam partem de confeſſione in Paſchate, eſt fixum, ſicut præceptum die Dominico audiendi Sacrum; quod ſemper obligat, ſi eo die Dominico homo nullum impedimentum habeat, ſiue pridie audiuerit Sacrum, ſiue non.

Per Communionem in peccato ſatisfit præcepto. Circa ſecundam difficultatem in titulo poſitam, Vtrùm per Communionem in peccato in Paſchate ſatisfaciat quis præcepto Eccleſiaſtico. Affirmant communiter Auctores, vt videre eſt apud Suarez ſect. 3. Lugo ſuprà & Dianam Tomo 2. Tractatu de Sacramentis, reſolutione 45. Non deſunt tamen multi qui id negent, vt Durandus, Capreolus, Adrianus, Nunnius, Syluius, & Recentiores aliqui apud eumdem Suarez & Lugo. *Sententia probabilior diſtinguit.* Ego diſtinguendum puto: vel enim hoc præceptum annuæ Communionis eſt Eccleſiaſticum, quia fortè nullum eſt Diuinum de Euchariſtia; vel quia, licet ſit, non determinat aliud tempus quàm mortis, vt docet Vaſquez: vel eſt Diuinum, quatenus Chriſtus determinationem obligationis ſui præcepti commiſit Eccleſiæ; vnde poſita hac determinatione cenſetur immediatè obligare ipſum præceptum Diuinum, vt ſuprà inſinuauimus.

24 Hoc poſito DICO, Si præceptum hoc ſit Eccleſiaſticum, omnino ei fieri ſatis per talem Communionem, vt dicit communior ſententia. Ratio eſt, quia Eccleſia non præcipit niſi actum ipſum exteriorem; quòd autem ille fiat ex malo fine, aut ex circumſtantia aliqua alia vitiante, eſt ordinariè extra præceptum Eccleſiæ; vt patet in auditione Sacri: poteſt enim ſatisfieri præcepto audiendi Sacri, etiamſi homo in peccato ſit, & malo animo Sacrum audiat. *Suarez arguitur inconſequentiæ.* In quo quidem puncto non admodum conſequenter videtur locutus Pater Suarez, dum ait attentionem in Horis eſſe de ſubſtantia recitationis Officij, ac proinde eam præcipi ab Eccleſia; at ſtatum gratiæ non eſſe de ſubſtantia Communionis præceptæ ab Eccleſia; non inquam loquitur conſequenter, quia reuerà ſi actiones ipſas exteriores conſideremus, tam benè ſtat ſubſtantia illius recitationis exterioris voluntariè facta, quantumuis non ſit illa interior attentio, quàm ſtat Communio voluntaria ſine ſtatu gratiæ: ſi autem actio illa recitandi conſideretur vt fructuoſa, vel ſub aliqua voce, in qua iam includatur ipſa interior attentio, tunc facile quidem eſt dicere, de eſſentia illius actionis ſic conſideratæ eſſe eam attentionem; at eodem modo ego tunc dicam, de eſſentia Communionis vt reficientis animam eſſe quòd non ſit in peccato, addamque, eam hoc modo præcipi ab Eccleſia, ſicut hic Auctor dicit, vel ſupponit ab Eccleſia præcipi eam orationem non ſolùm ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm illum modum, ſeu illam denominationem orationis. Quòd item addit idem, non ſufficere ad ſatisfaciendum præcepto huic, quòd homo caſu accipiat hoſtiam conſecratam putãs non eſſe; quia voluntas ſumendi Sacramentum eſt de eſſentia Sacramẽtalis ſumptionis; hoc inquam eſt etiam ſatis difficile, quia (vt ſuprà dixi) dubium eſt, Vtrùm non ea Communio cauſet gratiam; ſi autem cauſat, haud dubiè erit Sacramentalis. Deinde, cùm hic Auctor non requirat in Communione præcepta ab Eccleſia actualem cauſationem gratiæ, non video vnde eam ſcientiam conſecrationis requirat in ſuſcipiente, cùm reuera eſto id ignoret, accipit totum Sacramentum non minùs quàm peccator; neſcio autem ad quid aliud ea ſcientia requiratur, ſi in præcepto Eccleſiæ non requiritur ſtatus gratiæ. Fortaſſe dicet quis, Requiri vt homo profiteatur ſe eſſe Chriſtianum. Verùm cùm finis huius præcepti Eccleſiaſtici non ſit ea profeſſio, ſed præcipuè quòd homo ille non careat tam diu cibo tali; ad quod maximè requiritur ſtatus gratiæ; nam peccatori non eſt cibus, ſed potiùs venenum; fateor, re benè ponderata, me non capere, cur magis vt conditionem eſſentialem huius præcepti Eccleſia requirat eam ſcientiam conſecrationis quàm ſtatum gratiæ, cùm potiùs multò magis hic videatur neceſſarius. Et ſatis de conſequentia doctrinæ.

DICO SECVNDÒ: Ob rationem immediatè factam eſt valde etiam probabilis ſententia prior, quòd etiam præcepto huic Eccleſiaſtico non ſatisfiat per talem Communionem, quia, quidquid ſit de aliis actionibus exterioribus ab Eccleſia præceptis, in quibus eſt vel exterior actus religionis, mortificationis &c. ideoque cenſetur præceptum illarum non niſi eam ſubſtantiam attingere; in Communione tamen longè alia ratio eſſe videtur: pone hominem ſcientem hanc hoſtiam, quam inuenit in Sacriſtia, eſſe conſecratam, ille in peccato exiſtens eam accipit, vt ſatisfaciat præcepto; quæ quæſo vtilitas, quis actus religionis, quod bonum poteſt eſſe ibi morale, vt cenſeatur Eccleſia contenta quoad ſuum præceptum, quæ tamen non eſſet, ſi ille non ſciuiſſet eſſe conſecratam; Certè vel ex hoc capite re prudenter conſiderata valdè probabilis, ſi non probabilior eſt ea ſententia negans talem ſatisfacere. 25 *Probabile eſt per Communionem in peccato non ſatisfieri præcepto.*

Dices; Ergo talis incurret excommunicationẽ impoſitam non communicantibus. *An talis incurrat excommunicationem.* Reſpondeo Si peccatum ſit occultum, non incurret; quia ob delictum purè occultum non incurritur excommunicatio; nam licet abſolutè non faciat ſatis Eccleſiæ, in foro tamen externo ſatisfacit. Vti ille qui reticet occultum peccatum in confeſſione annua, aut qui ſine vllo dolore confitetur, ſine dubio non ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico? quia ille non conficit Sacramentum; & tamen excommunicationem non incurrit, quia ille defectus eſt ſecretus. Quòd ſi peccatum, quod habet dum communicat, ſit publicum, adhuc diſtinguendum eſt: vel enim eſt per ſe notorium, illum in ea Communione peccare; & tunc concedi poteſt eum incurrere eam excommunicationem, vel eſto peccatum ſit publicum, eſt tamen occultum, vtrùm alicui confeſſus ſit, & tunc probabile eſt non incurrere Denique dico, cùm ſub lite ſit, Vtrùm per talem Communionem ſatisfaciat præcepto, & probabile ſit ſatisfacere, eo ipſo abſolutè poterit iudicare, ſe non incurriſſe eam excommunicationem

DICO TERTIÒ: Si præceptum illud reipſa ſit Diuinum modo paulò antè explicato, conſtat iam ex dictis ſuprà ſectione ſecunda non ſatis fieri per eam Communionem; quia Chriſtus

Digitized by Google

Dominus eodem indiuiſibili præcepto Communionem vt cibum animæ,& vt reuerenter & in gratia faciendam imperauit. Vide ſuprà dicta; nihil enim amplius in hoc puncto occurrit addendum.

SECTIO V.

Quàm frequens vſus Euchariſtiæ ſit conueniens?

26 *Recentiorum quorumdam ſententia de quotidiana Communione.* DE hac quæſtione benè agit Cardinalis Lugo diſput.17.per totam occaſione duorum Auctorum modernorum,qui concedunt, dummodò homo non habeat conſcientiam mortalis, meliùs facere, ſi accedat ſingulis diebus; neque debere expectare iudicium Confeſſarij, aut Patris ſpiritualis. Quam doctrinam & pro ruſticis, & pro ciuibus & nobilibus, & vxoratis & continentibus, & poſt copulam maritalem, & poſt pollutionem etiam voluntariam ea die admiſſam indifferenter tradunt; ſunt autem hi ambo Benedictini, Petrus Vincentius de Marzilla in Memoriali quodam ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, & in Additionibus ad Memoriale, & Maurus de Valderas in Theologico certamine; qui tamen cum maiori limitatione eam doctrinam defendit: ruſticis enim & ignaris non dat tam amplam facultatem, qui putat illos ſæpè poſſe decipi iudicando ſe non eſſe in peccato, cùm tamen re ipſa ſint; vnde illos à Confeſſarij iudicio dependentes facit; ſi autem ſemel confiteantur, non videtur ab eis exigere pro Communione iudicium eiuſdem Confeſſarij: præter hos duos Auctores quos Lugo citat,tenet recenter eamdem ſententiam quidam.

Huius ſententiæ fundamentum. Quorum præcipuum fundamentum eſt, quòd homini in gratia exiſtenti hoc Sacramentum confert gratiam:cur ergo debet ſe homo ea gratia priuare? Confirmatur vſu primitiuæ Eccleſiæ, in qua omnes ſingulis diebus communicabant. Confirmatur Secundò teſtimoniis multorum Patrum, qui ad eam quotidianam Communionem paſſim cum magna exaggeratione verborum adhortantur; maximè autem adducunt aliqua quæ priùs à noſtro Salmerone allata fuerant Tomo 4.Homilia 5. Tract. 41. quibus Patres dicunt diſpoſitionem ad hoc Sacramentum non ex temporis dilatione, ſed ex ſinceritate animi deſumendam eſſe.

Ex Chryſoſtomo, Chryſoſtomus Tomo 4. Homilia 5. *Ignoras, quoniam indignè accedere, etiamſi ſemel tantùm communices, te ſupplicio tradis;dignè verò, etiamſi ſæpè accedas, ſalutem inde conquiris?* & Homilia 3. in Epiſt.ad Epheſios: *Tempus non efficit dignos tanti aditu Sacramenti, ſed ſola animi ſinceritas atque expurgatio, cùm tali puritate accede ſemper, ſine hac ne præſumas vnquam.*

Auguſtino, Auguſtinus Sermone 28. de Verbis Domini; *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.*

Bonauentura. & Diuus Bonauentura de Proceſſu Relig. proc.7. cap.10. ait; *Licet tepidè, accedas fiducialiter, confidens de miſericordia Dei, quia quò magis ager, magis indiges medico.*

Oratione Dominica, Denique Chriſtus Dominus in Oratione Dominica hunc cibum vocat Panem quotidianum.

Et Concilio Tridentino. Et Tridentinum Seſſione 22.c.6. optat in ſingulisMiſſis fideles adſtantes communicare. Declaratio Cardinalium in 4.Volumine Deciſionum Rotæ id confirmat; dicitur enim ibi, *Epiſcopum non debere limitare tempus Communionis ad octauum diem*, &c. in qua deciſione; quæ in aliquibus Tridentini impreſſionibus habetur, additur Canon ex cap. 14. *Si quotieſcumque.* de conſecratione, diſtinct.2. vbi hæc ex Ambroſio habentur: *Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur, qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* Hæc ſunt præcipua fundamenta eius doctrinæ.

Oppoſita tamen adeò eſt communis tum apud Scholaſticos,tum apud eos qui tractant res ſpirituales, tum apud Caſiſtas, tum apud Patres, vt planè cenſeri deberet ſuperuacaneum in ea re diutiùs hærere. 27 *Sententia oppoſita communis eſt.* Vnde Pater Suarez diſp. 69. ſect. 4. vbi hanc quæſtionem optimè tractat, ſupponit pro certo, raro videri alicui conſulendum, vt ordinaria conſuetudine frequentiùs quàm octauo quoque die communicet;& addit, Et ita ſignificant Doctores citati,& ita ſentiunt prudentes & experti viri in hac materia,& communis vſus Eccleſiæ non parum fauet.Eamdem ſententiam tradidit D. Thomas expreſsè hac quæſt.80. à numero 10. vbi ad communicandum quotidie magnam deuotionem & reuerentiam requirit, vnde concludit his verbis: *Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.*id quod clariùs docuit in 4. diſtinct. 12. art. 2. quæſt. 1. vbi ait: *Si homo ſit in ſtatu primitiuæ Eccleſiæ, communicet quotidie, ſi verò ſit tardus & frigidus, vt in Eccleſia fine, laudandum quòd raro accedat.* & concludit: *Omnes ergo rationes pro frequentia intelliguntur ſalua debita præparatione quæ in pauciſſimis eſt.* & lib. 2. de Profectu religionis cap. 77. vbi ait: *Vix aliquis ita religioſus eſſe videtur & ſanctus* (exceptis Sacerdotibus) *quin ſemel in ſeptimana ſifficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque vel ratio plus ſuadeat,infirmitas ſuperueniens, vel ſingulariter feſtiuitas ſolemnis:*Scholaſticos reliquoſque fusè citatos vide apud Lugo. Inter Sanctos Patres clariſſimè idem docet Chryſoſtomus; qui tamen maximè citatur pro aduerſa parte:Homilia enim 27. in Epiſt.ad Hebræos hæc habet: *Quando dicit ſancta ſanctis, hoc dicit, Si quis non eſt ſanctus, non accedat non ſimpliciter dicit, A peccatis mundus, ſed ſanctus: ſanctum enim non mundatio peccati tantùm facit, ſed etiam præſentia Spiritus & bonorum operum opulentia. Non enim inquit volo à cœno vos mundos eſſe, ſed etiam albos & pulchros eſſe.* Ex hoc loco intelligendus eſt hic auctor dum alibi frequentiam ſuadet, vt non loquatur cum illis omnibus qui peccato carent(vt volunt hi)ſed cum illis qui vltra eam carentiam habent ſpecialem virtutem, pietatem, deuotionem, &c. & Ambroſius in Oratione ante Miſſam declarat cum quanta deuotione ſit celebrandum, quanta contritione & lacrymarum fonte,&c. 82 *Probatur ex inſtitutione Religioſorum Ordinum.* Idem ego probo vlteriùs, & valdè efficaciter, ex omnium Religioſorum Fundatoribus, qui licet ad perfectionem maximè voluerint ſuos dirigere;nullus tamen, quod ſciam,Regulam fecit non dico iam ſub peccato, ſed nec ſub ratione conſilij obligantem, vt omnes non Sacerdotes Religioſi communicent ſingulis diebus, & tamen extra omnem contro-

uer

Digitized by Google

uerſiam eſt, eos Religioſos per ſe eſſe meliùs diſpoſitos quàm ruſticos, ſutores, ſartores, poſt matrimonialem actum, &c. Sentiebant ergo Sanctiſſimi Fundatores, à Spiritu ſancto ſpecialiter etiam illuminati pro conficiendis Regulis non eſſe vtiliorem eam Communionem quotidianam non Sacerdotibus; imò (vt ſuprà vidimus) etiam ipſis Sacerdotibus prohibet Carthuſianorum Regula celebrare, ſi ea die paſſi ſunt etiam inuoluntariam pollutionem. Hanc vltimam inſtantiam tetigit Auctor ipſe oppoſitæ ſententiæ, & coactus eſt contra ſuum vniuerſale principium, quòd ſcilicet nihil amplius quàm ſtatus gratiæ requiratur, fateri ob diſtractionem mentis, & quando delectatio non eſt ſedata, melius eſſe non communicare. Vnde ergo argumentor: Nam ſi ſemel deficit à regula ſua generali, profectò tota doctrina corruit; quia ſimiles diſtractiones aliunde paſſim quàm ex pollutione proueniunt, maximè in ſæcularibus, qui negotiis bonorum, honoris, &c. adeò ſunt ſæpè occupati, vt diſtractiſſimi deberét accedere ad Communionem. Conſtet ergo totius Eccleſiæ ſenſum eſſe, eam quotidianam Communionem non eſſe ſuadendam omnibus omnino hominibus eo ipſo quòd mortali careant. Iam ea veritas ſuadenda eſt duabus rationibus. Prima, quia communis Theologorum doctrina tradit, gratiam ipſam Sacramentalem creſcere ex meliori & maiori diſpoſitione ſuſcipientis; imò (vt ſuprà vidimus) Caietanus putat non dari vllam gratiam per hoc Sacramentum, niſi adſit deuotio actualis: quidquid tamen de Caietano ſit, prior nobis opinio ſufficit; inde enim argumentor ſubſumendo certam aliam propoſitionem; ſcilicet per ſe loquendo & vniuerſaliter in frequentioribus Communionibus non eſſe tam nobilem diſpoſitionem, quàm in eo qui non ita frequenter communicat; tum quia, vt commune eſt in pleriſque hominibus, frequens eiuſdem rei vſus eius æſtimationem & affectum minuit; vnde ſolent dici Sacerdotes prima vice, quia nouum id eſt, celebrare ſicut Angeli, ſecunda vice vt homines, tertia autem ſicut bruta. Vnde etiam D. Bonauentura in 4 ſuprà dixit; *Maiorem efficaciam recipit homo in vna Miſſa vel manducatione cum bona præparatione, quàm in multis, ſi ſe non præparat diligenter.*

Et Eccleſiæ totius ſenſu.

Probatur ratione à diſpoſitione communicantis neceſſaria.

29 Huic argumento poſſet fortè Marzilla reſpondere dupliciter; Primò illud retorquendo, quatenus eodem modo videtur probare Sacerdotes non debere quotidie celebrare; id autem eſt contra communem vſum. Secundò poſſet reſpondere, Eſto ex ea meliori diſpoſitione creſcat valdè gratia, non poſſe tamen in eo, qui ſolùm ſingulis menſibus v.g. communicat, ſemel tantum eſſe exceſſum eius deuotionis, vt compenſet defectum triginta Communionum, etiamſi fortè aliquos compenſet. Sed contrà, quia eſto prima reſponſio oſtendat etiam ſuo modo habere locum in Sacerdotibus, ſunt tamen in eis valdè multa, quæ in contrarium præponderant, & quæ non ſunt in laïcis. Primò, Sacerdotes per ſe ſunt quaſi conſecrati Deo; quaſi ex præcepto coguntur ſe meliùs diſponere per Officium Diuinum, quod ſingulis diebus orant; ſunt homines docti; ipſa celebratio Sacri eos vehementiùs diſponit: denique, illorum Sacrificium præter vtilitatem Communionis habet ingentem vtilitatem pro tota Eccleſia & pro animabus Purgatorij, vnde Beda ait *Sacerdotem non legitimè occupatum, qui celebrare omittit, iniuriam facere ſibi, Deo, Eccleſiæ & animabus Purgatorij.* Secunda item reſponſio facilè reiicitur, Primò, quia (vt ex Bonauenturæ verbis immediatè allatis conſtat) vna Communio cum bona præparatione æquiualet multis, ſi homo ſe non præparet diligenter, quot autem ſint illæ vices non poſſumus ſcire, quòd ſi Aduerſariis videantur eſſe nimis multæ, triginta medium eſt inter communicare ſingulis diebus, & communicare ſingulis menſibus ſemel, communicet ſingulis quatuordecim diebus, communicet ſingulis hebdomadis ſemel. Secundò item eadem ſolutio ideò non placet, quòd eſto fortè ea æquiualentia non ſemper detur, ideoque aliqui plures gratiæ gradus darentur huic, ſi tam frequenter communicaret, attendendum tamen eſt ad reuerentiam debitam ipſi Euchariſtiæ, certè ſi homo bis vel ter communicaret ſingulis diebus, vt ſaltem ea die qua homo habet diſpoſitionem maximam, plures duplo gradus gratiæ acquireret quàm ſemel tantùm communicando, & tamen iuſtiſſimè, ob reuerentiam Sacrameto debitam, ne ſcilicet per eam frequentiem veniret in contemptum, Eccleſia Catholica prohibuit binas Communiones eodem die. Idem confirmatur, quia etiam amentes baptizati & infantes multò plures gradus gratiæ acciperent, ſi daretur eis Communio; & tamen non ſolùm ſingulis diebus, ſed nec ſemel eis datur, niſi amentibus circa horam mortis: de quo ſuprà. Alij multi caſus adduci poſſunt, in quibus negatur Communio ob ſolam reuerentiam Sacramēto debitam, vti etiam pro morientibus nequaquam permittitur Sacerdos ſine ſacris veſtibus celebrare: quid igitur mirum, ſi ob eamdem reuerentiam diſſuadeamus vniuerſaliter pro omnibus eam quotidianam Communionem? fortaſſe etiam vtilitas ſuſcipientium inde creſceret, quòd ab his omnibus hominibus facillimè multa venialia committerentur in ipſa ſuſceptione, quæ vitantur per dilationem. Deque, ſi reuelationibus credere volumus, Ludouicus Bloſius Benedictinus, cui fidem ex hoc capite ſpecialiter debent hi Auctores adhibere, in Monili ſpirituali cap.6. refert ſanctæ Gertrudi reuelatum à Deo, *Eos, qui vitam ſuam ſecundùm Dei præcepta & ſanctæ Eccleſiæ decreta dirigere volunt, & peccata ſua Sacerdoti humili corde confitentur poſſe in ſolemnitatibus & diebus à Patre ſpirituali deſignatis communicare*; additurque ibi, *Aliquos tam puros, ſanctos & feruentes inueniri, qui quotidie Sanctam Communionem percipere poſſint.* Hæc ibi verba Domini Dei. Nota *aliquos*, non *omnes*, & quidem extra illos qui à mortalibus abſtinent, de quibus iam anteà dixerat, *Qui vitam ſuam ſecundùm Dei præcepta*, &c Item nota *τὸ tam ſanctos, tam puros, tam feruentes.* Putántne hi Auctores, omnes quantumuis peccatores, eo ipſo quòd confiteantur, iam eſſe tam ſanctos, tam feruentes, &c. 30

Differentia inter laicum & Sacerdotem.

Reuerentia Euchariſtiæ Sacramento debitur.

Quòd verò hi velint facere omnes etiam ruſticos independentes à Confeſſarij conſilio, in hoc puncto eſt quodam modo grauius abſurdum, quia magis eſt contra omnem Eccleſiæ ſenſum: ſemper enim ipſimet fideles interrogant ea de re Confeſſarios, & ab eis dirigi volunt, & in citata reuelatione id ipſum Deus inſinuauit, & ipſi ita ſummè ſancti laïci & ſanctè affecti huic Sacramento paſſi ſunt ſe dirigi à Confeſſa- 31

Debet accedere conſiliō Confeſſarij vel Parochi, in Communione percipienda.

Cõfeſſariis. Et ratio eſt clara, quia in hominibus his idiotis ſæpè ſunt variæ cauſæ, quas ipſi diiudicare ſufficienter non poſſunt; ob quas meritò debent remoueri à Communione. Vnde etiam Eccleſia non permiſit vt laici ſibi acciperent Sacramentum hoc, ſiue id iam ſit ratione iuriſdictionis (vt probat Lugo ſuprà) ſiue quocumque alio ex capite, vt Sacerdos poſſit diiudicare: etenim ex iure communi, exceptis his qui habent priuilegium non poteſt dari Communio niſi à proprio Parocho: & licet id neget Marzilla, videtur tamen plus quàm certum, cùm Pontifices multis Religioſis eam facultatem dandi Communionem omnibus conceſſerint extra tempus Paſchale; per Bullas etiam Cruciatæ è contrario ipſi fidelibus concedatur facultas accipiendi à quocumque Venerabile extra tempus Paſchale: ſi autem id eſſet per ſe licitum (vt vult hic Auctor) eſſet ſanè inutilis ea conceſſio. Ratio autem, cur id per ſe ſpectet ad Paſtores, eſt, vt illi ſciant quibus ſit neganda, & quibus concedenda: non debent ergo vllo modo fideles extrahi à iudicio Confeſſarij & Patris ſpiritualis in ea Communione. De quo vide Lugo ſect. 3.

32 *Reſpondetur argumentis aduerſæ ſententiæ. Ex S. Paulo.* Nunc ad argumenta diuerſa. Ad præcipuum, quòd ſolùm requiratur gratiæ ſtatus: vt licitè quis poſſit communicare; & quòd ſanctus Paulus nihil amplius requirat, quàm vt probet ſe homo; id eſt, ne ſit in mortali; fatemur libentiſſime id omnino ſufficere, vt homo mortaliter non peccet communicando. At quæſtio præſens non eſt niſi, Vtrùm talis Communio ſit magis expediens néc ne; multa enim poſſunt fieri ſine mortali, quæ tamen non ideò ſunt magis vtilia, aut magis expedientia. Quòd verò ea quotidiana Communio non ſit magis expediens, ſatis eſt à nobis oſtenſum. *Ex Patrum teſtimoniis.* Secundum argumentum è teſtimoniis Patrum nihil probat; hortantur enim Patres paſſim ad illam frequentiam; at ſimul hortantur ad eam puritatem & deuotionem, ac feruorem, &c. qui eſt ad Communionem quotidianam neceſſarius, vti ex Chryſoſtomo oſtendimus, qui maximè videtur eſſe pro Aduerſariis: Auguſtinus item eodem modo debet intelligi, qui tractans eam quæſtionem lib. de Eccleſiaſticis Dogmatibus c. 53. ea habet verba; *Quotidie Euchariſtiæ Communionem percipere nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen diebus Dominicis communicandum ſuadeo, & hortor; ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* An liber hic ſit Auguſtini, ſcio in dubium verti, eſt tamen magnæ auctoritatis; vnde eſto non ſufficiat hoc teſtimonium ad probandum, Auguſtinum eſſe pro nobis; ſufficit ad confirmandam alioquin noſtram ſententiam. *Ex S. Auguſtino:* Quòd item aliquando inſinuet, eum, qui non meretur quotidie communicare, non mereri vnquam, ita intelligendum eſt, vt ratione diſpoſitionis debitæ tanto Sacramento, qui eſt dignus vt ſemel in menſe, ſit etiam dignus vt ſingulis diebus; quia etiam ille qui ratò communicat cum diſtractione, & ſine deuotione, non communicat vt deberet, neque cum diſpoſitione debitâ; negamus tamen inde ſequi, talem, vti abſtinet à quotidiana, ita debere abſtinere ab annua, nam, ad annuã tenetur ex præcepto. Deinde, quia hoc Sacramẽtum eſt valdè vtile ad conſeruandum hominem in gratia, non expedit tam diu illo carere. Denique Sancti Patres ſæpè in his exhortationibus vtuntur aliquibus exaggerationibus, habet autem id locũ in noſtro caſu, quia ibi volebant hortari ad deuotionem magnam in Communione, vnde vt eos, qui ſine vlla accedunt, terrerent quaſi indignos qui vnquam accedunt, vſi ſunt ea phraſi, ac ſi dicerent, *Si cum tam exigua deuotione & præparatione accedis, vix es dignus qui vnquam accedas.* De Bonauentura ſatis dictum ſuprà. 33

Ex vſu primitiuæ Eccleſiæ: Conſtat etiam ex dictis, à primitiua Eccleſia non trahi benè argumentum ad noſtrum tempus, certè tunc cùm Chriſtiani eſſent pauci, & ſemper à Gentilibus paterentur graues perſecutiones, erant inter ſe & cum Deo longè magis coniuncti, ac proinde magis ad Communionem ſe præparabant, propter pericula etiam vitæ magis illa indigebant. *Ex Oratione Dominica:* Ad vltimum de pane quotidiano dico Primùm, dubium eſſe, Vtrùm ibi de Euchariſtia ſit ſermo. Secundò dico, peti quidem illum quotidie; ſed tamen ita vt ſimus verè digni ea frequentia: *Ex Concilio Tridentino.* & idem dico ad Tridentinum, ſcilicet illud optare nos ita eſſe dignos, vt poſſemus communicare in Miſſis quas audimus; non quia optaret Tridentinum eum, qui audit eodem die ſex vel ſeptem Sacra ſucceſſiuè: communicare in omnibus illis; hoc enim eſt ab ipſa Eccleſia prohibitum; non cupit autem Eccleſia fieri id quod ipſa prohibet grauiſſimè ne fiat; optat ergo ibi Concilium talem deuotionem circa hoc Sacramentum, talem affectum, vt homines ex ſe & digni eſſent, & , ni aliud obſtaret, vellent communicare in omnibus Sacris. Id quod Concilium dixit propter exiguam frequentiam huius Sacramenti eo tempore; declinabatur enim planè in extremum contrarium. Nec tamen ideò volumus dehortari homines à frequentia, ſed potiùs maximè cupimus vt communicent quotidie, ſi cætera adſint; ac proinde hortandi ſunt, vt ſe ad id reddant dignos; quòd ſi tamen diſpoſitionem hanc negligant, non poteſt vniuerſaliter frequentia ſuaderi maior, quàm vt ex Auguſtino. Bonauentura & Suario ſuprà vidimus, ſingulis ſcilicet octo diebus per ſe loquendo; etiamſi aliquando ob aliquam occurrentem ſolemnitatem bis in ſeptimana ſuaderi poſſit.

DISPVTAT. QVADRAGESIMAOCTAVA.

De Miniſtro Euchariſtiam diſtribuente.

1 MINISTRVM conſecrantem Euchariſtiam eſſe ſolum Sacerdotem, eſt de Fide certum; de quo tunc non diſputo; agimus ergo de Miniſtro dante aliis hoſtiam conſecratam.

SECTIO I.

Quomodo ea poteſtas conueniat Sacerdoti & Diacono?

ORITVR in præſenti difficultas ex comparatione Sacerdotis cum Diacono. Ratio verò *Ratio dubitandi.*

verò dubitandi eſt ea, nam ſicut Diacono non conuenit niſi ex commiſſione Sacerdotis eam aliis adminiſtrare, ita neque Sacerdoti ordinatio niſi ex conceſſione Parochi: eſt enim hæc ipſa adminiſtratio actus Paſtoris oues paſcentis, vnde requirit aliquam iuriſdictionem, vti actus abſoluendi à peccatis. Ergo non magis ſimplex Sacerdos erit proprius Miniſter eius Sacramenti reſpectu Parochi, quàm Diaconus reſpectu ſimplicis Sacerdotis, imò quàm Subdiaconus reſpectu laïci; quia etiam Subdiacono in defectu Diaconi poſſet id communicari, & laïco in defectu Subdiaconi. Vnde apud Euſebium lib. 6. Hiſtoriæ cap. 36. legitur Euchariſtia per laïcum ad infirmum miſſa. De hac difficultate fusè Scholaſtici, Suarez diſput. 72 ſect. 1. Vaſquez diſp. 219. c. 1. Lugo diſput. 18. ſect. 1. & alij.

2 Nos ſimilem quæſtionem tractauimus ſuprà agentes de ordinario Miniſtro Baptiſmi; ferè enim omnia quæ ibi diximus poſſunt hîc locum habere. Dicimus ergo Diaconum eſſe à Chriſto Domino conſtitutum vt præcipuum Miniſtrum Sacerdotis in ordine ad Euchariſtiam, hoc eſt tum ad aſſiſtendum Sacerdoti celebranti, tum ad Euchariſtam diſtribuendam aliis; non quaſi id nomine ſuo faciat, ſed Sacerdotis; Subdiaconus verò ſolùm ſit Miniſter in defectum Diaconi. Quoad Sacerdotem autem non Parochum dicimus illum etiam propriè eſſe Miniſtrum huius Sacramenti; quòd verò indigeat licentia Parochi, oſtendit duo ad eam adminiſtrationem eſſe neceſſaria, & poteſtatem iuriſdictionis; quia etiam illa diſtributio eſt actus Paſtoris; vt dixi, oues paſcentis; & ſimul poteſtatem ordinis ad conficiendum, tractandum & diſtribuendum hoc Sacramentum; vti in ordine ad confeſſionem audiendam requiritur & poteſtas ordinis & iuriſdictio: & licet iuriſdictionem Sacerdos accipiat à Parocho, non tamen abſoluit vt Miniſter illius, ſed nomine proprio.

Officium & miniſterium Diaconi.

Sacerdotis nō Parochi.

Dices; Si contingat Diaconum eſſe Epiſcopum, aut habere iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vt paſſim euenit, & miniſtret Euchariſtiam in caſibus, in quibus poſſint Diaconi hoc Sacramentum miniſtrare, videtur tunc miniſtraturus non minùs nomine proprio quàm Sacerdos miniſtrat non habens iuriſdictionem: quia ſicut Sacerdos hic habet vnam poteſtatem à ſe, & alteram iuriſdictionis accipit à Parocho; ita Epiſcopus Diaconus iuriſdictionem habet à ſe, alteram verò facultatem accipit à Sacerdote, ergo

Epiſcopi Diaconi.

3 eſt eadem ratio de vtroque. Quòd ſi dixeris Diaconum etiam illo caſu non habere vllam poteſtatem immediatè dandi Euchariſtiam; vti Epiſcopus non Sacerdos etſi det iuriſdictionem alteri Sacerdoti ad audiendam confeſſionem, nunquam tamen poteſt ipſe abſoluere: ſi hoc inquam dixeris, adhuc facilè reiicieris, nam in ordine ad abſolutionem res eſt clara; quandoquidem ille Epiſcopus non Sacerdos nec nomine proprio nec alieno poteſt validè abſoluere, at in præſenti poteſt validè & licitè Epiſcopus Diaconus Euchariſtiam dare; ac proinde dabit ſuo nomine media ex parte, vt ſic dicam, & media ex parte nomine alieno: vti etiam è contrario Sacerdos dat media ex parte nomine proprio, & media ex parte nomine alieno.

Reſpondeo, In hoc puncto poſſe aliquid de nomine ſeu modo loquendi miſceri; certum enim eſt ex duabus rebus, quas diximus ad adminiſtrandam licitè Euchariſtiam eſſe neceſſarias, ſcilicet iuriſdictionem & poteſtatem Ordinis, vnam habere illum Epiſcopum non Sacerdotem, alteram Sacerdotem qui iuriſdictione caret; quis ergo eo caſu dicendus ſit alterius nomine concurrere, & cuius nomine ad vocem ſpectat? Dicunt aliqui (inter quos eſt etiam Lugo) eo caſu priùs debere intelligi Epiſcopum dantem iuriſdictionem illi Sacerdoti quæ illi deeſt, ac proinde debere Sacerdotem priùs reddi potentem adæquatè miniſtrare Sacramentum; & tunc primò ipſum Sacerdotem iam potentem, ſeu iam habentem adæquatam poteſtatem, eam totam delegare illi Epiſcopo Diacono; ac proinde hunc ſolum operari nomine Sacerdotis. Ego tamen nullo modo puto neceſſum eſſe eo modo procedere, ſed immediatè poſſe Sacerdotem, alioquin occupatum legitimè, conferre Diacono, aut Epiſcopo, qui iuriſdictionem ſpiritualem habet, poteſtatem adminiſtrandi Euchariſtiam eis qui ea tunc indiguerint: quo caſu ſi accedat Petrus, in quem ille Diaconus habeat iuriſdictionem, & Paulus, in quem non habeat, poterit ille dicere, Vnam poteſtatem Sacerdotis iam ego habeo ex delegatione; alteram à meipſo habeo in Petrum, non verò in Paulum; ergo poſſum Petro dare, & non Paulo: imò ſi eo caſu illam iuriſdictionem in Paulum haberet alius Parochus, aut Epiſcopus non Sacerdos, & verò nec Diaconus, ſine vllo dubio poſſet eam conferre priori Diacono; & tamen eo caſu nullo modo Sacerdos ille, qui Diacono Epiſcopo dedit licentiam dandi Communionem, habuiſſet vllam in Paulum iuriſdictionem; ergo non eſt neceſſum dicere, Sacerdotem permittentem Diacono vt adminiſtret Euchariſtiam debere recipere in ſe iuriſdictionem, & tunc adæquatam poteſtatem ordinis ac iuriſdictionis iterùm communicare Diacono Epiſcopo, vnde adhuc eſt veriſſimum quod dixi in eo caſu, Diaconum vti inadæquatè nomine proprio, inadæquatè alieno, eo modo quo Sacerdos non Parochus; eſtque quæſtionem de nomine, cur potiùs vnus quam alter dicendus ſit nomine alterius operari. 4

Ad Euchariſtiam adminiſtrandam neceſſaria eſt iuriſdictio & poteſtas.

Faciliùs fortaſſe dici poſſet, ideò cenſeri principaliorem eam poteſtatem quam habet Sacerdos, quia oritur ex nobiliori actu, nempe ordinis; & magis abſolutè neceſſaria ad Euchariſtiam, quia illa ſola, vt Euchariſtia conficiatur, neceſſaria eſt; & ratione illius (ſic liceat loqui) Sacerdos cenſetur quaſi dominus eius cibi: licentia autem in recipiente requiſita non tam eſt, vt ille diſtribuat, quàm vt alij licitè accipiant. Id quod ſatis apto exemplo poteſt declarari: Quilibet ſæcularis v.g habens pecuniam, aut aliquid ſimile, eſt verus dominus eius pecuniæ; vnde ſi illam donet Petro, aut cuilibet alteri, eam donat nomine proprio, ſi tamen accedat Religioſus, qui per votum paupertatis nec licitè nec validè poteſt eam rem ſine licentia accipere, non poteſt tunc ſæcularis dare eam illi, non quia ipſe non ſit dominus eius rei, ſed quia alter, vt dixi non eſt capax: det igitur Superior Petro Religioſo licentiam recipiendi illam rem, certè non ideo Ioannes illam donans operatur nomine Superioris; ſed verè dicitur eam dare ſuo nomine. & quidem non minùs quàm dum eam dat alteri ſæculari; quantumuis in vno ſit neceſſaria licentia Superioris eius perſonæ quæ acceptat, in altero non. Ita videtur dicendum in præſenti, Chriſtum Dominum reliquiſſe Sacerdotes vt dominos Euchariſtiæ; quia ipſis dedit 5

Exemplum ad rem præſentem.

Sacerdotes domini ſunt Euchariſtiæ.

Digitized by Google

integram poteſtatem eam conficiendi; aliunde tamen illis, qui eam eſſent recepturi, omnino prohibuit, ne id facerent ſine licentia ſuorum Superiorum; quando ergo data ſemel ea licentia petunt à Sacerdote Euchariſtiam, eam donat Sacerdos nomine proprio.

Dices: Id habet locum in Euchariſtia confecta à me Sacerdote qui eam adminiſtro, non autem in confecta ab alio Sacerdote; nam reſpectu illius non videor ego maius quaſi dominium habere, quàm ſi non eſſem Sacerdos. Reſpondeo; Licet durante Sacrificio & Sacro ſpeciale habeat Sacerdos ille qui celebrat dominium in hoſtias à ſe conſecratas; quia poteſt illas conſumere, poteſt pro arbitrio relinquere quas velit; eo tamen Sacro abſoluto, & relictis iam in tabernaculo hoſtiis, non maius eſſe in illas dominium in hoc Sacerdote quàm in quolibet alio, ſed in omnibus eſſe æquale; quia Chriſtus æqualiter omnes conſtituit vt diſtributores & adminiſtratores cibi. Et hoc ſufficiat pro hac quæſtione, quæ multùm habet de voce.

SECTIO II.

Quomodo ea poteſtas conueniat Subdiacono & laïcis in caſu neceſſitatis?

6 *In caſu neceſſitatis poteſt Subdiaconus miniſtrare Euchariſtiã,* QVÆRIMVS Primùm, An de facto poſſit Subdiaconus, vel inferior Clericus, aut etiam laïcus, miniſtrare Euchariſtiam ex licentia Sacerdotis. Reſpondetur Primò, Extra caſum neceſſitatis id non licere: in quo puncto omnes conueniunt. Vide Suarium ſuprà ſect. 1. §. *Vltimò dicendum*, & Vaſquez ſuprà nu. 12. & 13. qui pro ea ſententia citat Concilium Rhemenſe in cap. *Peruenit.* de Conſecratione, diſtinct. 2. *Etiam ſibi, ſicut & laïcus.* Reſpondetur Secundò, In caſu extremæ neceſſitatis poſſe Subdiaconum, vel etiam laïcum, ſeipſum communicare: ita expreſsè docet Suarez diſput. 72. ſect. 3. in fine; vbi pro ſe citat Caietanum in cap. 26. Mathæi: idem docet Layman. lib. 5. Tract. 4. cap. 7. Filliucius Tomo 1. Tract. 4. cap. 9. & Diana Tractatu 4. de Sacramentis, reſolutione 47. qui minimùm faciunt hanc ſententiam probabilem, quam etiam ego probabiliorem iudico. Nam (vt benè notauit Suarez) nullum ius eſt nec Diuinum nec Eccleſiaſticum id prohibens; ex inſtitutione autem huius Sacramenti id per ſe non ſequitur, *Maria Scotiæ Regina ſibi ipſi miniſtraſſe refertur.* cur ergo id non licebit? In cuius confirmationem Suarez & Diana referunt, Mariam Reginam Scotiæ inſtante hora martyrij ſeipſam communicaſſe. Reſpondet huic inſtantiæ Cardinalis Lugo, Id factum vel ex ſpeciali commiſſione Summi Pontificis, non tamen addit Auctorem vnde id probetur: Secundò reſpondet, Id factum, ne ad manus hæreticorum veniret hoſtia conſecrata. Verùm cùm non ſit morale vnicam tantùm hoſtiam ab ipſa in Sacrario ſeruatam, ſed plures, vt ſemper fit; nec dicatur eam conſumpſiſſe totum Sacramentum, ſed præcisè ob deuotionem ſe communicaſſe, non videtur ea ſolutio ſufficere; ac proinde ſatis probabilis manet ea confirmatio ex illa hiſtoria.

7 *Contrariam opinionem ſuadet Cardinalis Lugo ex vſu Eccleſiæ;* Verùm contra totam ſententiam obiicit hic Auctor vſum totius Eccleſiæ, qui videtur contrarium ſuadere: paſſim enim contingit, vt vel hoſte imminente timeat quis ſibi de vita abſente Sacerdote; vel certè peſte infectus de eadem periclitetur; nunquam tamen eſt auditum, niſi ſummùm in caſu relato Reginæ Scotiæ, quòd laïci ſeipſos communicauerint. Reſpondeo, Hoc argumentum debile eſſe, quia laïci vt in plurimum ſunt in hoc puncto ignorantes, reputantque peccatum id quod nullo modo eſt. Certè ordinariè ſupponunt laïci intra tres dies, imò intra octo non licere infirmo ægrotanti communicare, Secundò, niſi ieiunus ſit, cùm tamen hominibus doctis videatur contrarium omnino certum. Vnde ſi ratione eius vſus ſit aliqua communis apprehenſio, ob quam res putatur illicita, attendi debet ne detur ſcandalum. Quam limitationem ſcilicet ſecluſo ſcandalo benè appoſuerunt & Suarez & Diana ſuprà.

Secundò ex defectu licentiæ Parochi; Obiicit Secundò à priori, quia nemo poteſt ſumere ſibi Euchariſtiam, niſi de conceſſu expreſſo vel præſumpto Parochi: atqui nullus talis eſt, quandoquidem nullus expreſsè de ea re textus exſtat non præſumptus; quia id deberet fundari in vſu eius Communionis viſo, & ab Eccleſia permiſſo; cùm autem vſus nullus ſit, non poteſt ſufficere ad præſumendum eum conſenſum. Reſpondeo, Cùm ex ipſa inſtitutione huius Sacramenti non ſit neceſſarium, vt illud adminiſtretur à ſolis Sacerdotibus, aut Diaconis, & aliunde iuxta probabiliorem ſententiam ſit præceptum Chriſti de ſuſcipiendo eo Sacramento circa horam mortis, & conſenſus Eccleſiæ quoad ſubſtantiam ſuſcipiendi illud Sacramentum eo tempore accedat, & de poſitiua prohibitione quoad modum illum ſuſcipiendi tunc temporis nihil omnino conſtet, rectiſſimè poſſe colligi, Eccleſiam benè eſſe contentam in eo modo ſuſcipiendi.

Dices: In Concilio Rhemenſi ſuprà citato reprehenditur vt intolerabilis & abominabilis 8 *Tertiò ex Concilio Rhemenſi;* conſuetudo dandi Euchariſtiam laïcis, vt eam ad infirmos deferant. Vnde colligitur Eccleſiam non facere eam licentiam niſi ſolis Sacerdotibus Diaconis & Subdiaconis, fortè etiam habentibus minores Ordines. Vrgeturque hæc auctoritas, nam in rigore connaturalius eſt, Sacramentum accipere per alienas manus, quàm ſibi ipſi illud miniſtrare, (excipio Sacerdotem celebrantem,) ergo ſi Eccleſia non permittit laïcum accipere Euchariſtiam ſuis manibus vt eam det alteri, multò minùs permittet eam ſumi immediatè pro ſeipſo à laïco. Reſpondeo Primò, Longè maiorem eſſe indecentiam in eo, quòd laïcus Venerabile ferat ad domos infirmorum, quàm in eo, quòd immediatè ipſe pro ſe illud accipiat, & ſtatim ibi ſumat. Quod autem obiicitur, Melius eſſe vt accipiatur Euchariſtia de manu alterius quàm de propria, habet locum, ſi loquamur reſpectu Sacerdotum; id eſt, connaturalius eſſe, illam accipere de manu Sacerdotis quàm de manu propria; at ſi qui dat eſt etiam laïcus non video quare id ſit connaturalius, cùm etiam tunc eodem modo Venerabile attingatur manibus non conſecratis, ſeu laïcis, ideoque ex hoc capite eadem ſit in vtroque caſu minor reuerentia; aliunde verò dum quis pro ſe immediatè accipit cibum iam à Sacerdotibus vt Miniſtris Eccleſiæ in menſa præparatum, cùm nullius proprium officium vſurpet, non videtur eſſe vlla indecentia noua; ſi autem laïcus, ad quem nullo modo ſpectat eſſe diſpenſatorem eius cibi, vſurpet ſibi officium eum diſpenſandi aliis (pro quo munere nullo modo eſt conſtitutus) maior longè erit peruerſio, vt ſic dicam, ordinis debiti circa hoc Sacramentum,

Digitized by Google

mentum, quàm ſi pro ſe ſolo, vbi non exercet munus diſpenſatoris, ſibi illum accipiat laïcus; non eſt ergo bona conſequentia ex vno ad alterum. Secundò reſpondeo, Ex eo Concilio nihil omnino colligi; nam ibi non agitur de caſu neceſſitatis, quia Concilium ſupponit Preſbyteros fuiſſe præſentes, qui Sacramentum ad infirmos portare poterant; ideò contra illos maximè agitur, quia paruipendentes hoc ſummum Sacramentum committebant fœminis & laïcis illud portare ad infirmos: vnde in illos imponitur ibi pœna degradationis: de caſu ergo extremæ neceſſitatis nihil inde deducitur.

9 *Quartò ab indecentia.*

Dices vltimò; Indignum eſt hominem graui morbo decumbentem, fortè etiam peſte infectum, ſuis manibus Euchariſtiam ſumere; ergo. Reſpondeo, Concluſionem noſtram poſſe ſaltem habere locum in aliis caſibus, quando aliquis benè valens timet violentam mortem ſibi ſtatim inferendam; vel ſi anteà grauiter ſit læſus, & de vita periclitatur; poteſt tamen decenter ſuis manibus Euchariſtiam ſumere: quòd ſi alioquin infirmus nec ſurgere, nec ſine indecentia aliqua aliunde orta quàm præciſa acceptione hoſtiæ ad ſuas manus ea repugnantia proueniat, non erit id contra nos, qui non loquimur de ſimilibus caſibus.

Secundò quæritur; An de facto Sacerdos poſſit committere Diacono, & in quibus occaſionibus, adminiſtrationem Sacramenti. Reſpondetur, Omnino poſſe quando Sacerdos eſt impeditus. Occaſio verò committendi non ſolùm eſt periculum vitæ, ſed etiam ſi populus vellet communicare, & Sacerdos non poſſet Euchariſtiam diſtribuere. Dico *Sacerdos non poſſet*, quia ſi hic poteſt, non debet committi Diacono: Concilium enim Carthaginenſe, quod maximè fauet Diaconis, eſto dicat eos poſſe præſente Sacerdote, requiri tamen aliquam neceſſitatem; non eſt autem neceſſitas, ſi adſit Sacerdos qui poſſit.

Quando Sacerdos poteſt miniſtrare, non poteſt committere Diacono.

SECTIO III.

Vtrùm poſſit ſeipſum Sacerdos non celebrans communicare?

10 *Negat Cardinalis Lugo.*

CARDINALIS Lugo diſp. 18. à n. 30. fusè probat Sacerdotem extra Sacrum communicantem ſe habere vt laïcum, ac proinde non minùs pendere à licentia Parochi quàm laïcum; imò per accidens ſe habere quoad illam Communionem, quòd ſit Sacerdos: vnde tandem infert, Tunc non poſſe, niſi ſaltem de præſumpta licentia ſui Paſtoris, eam accipere; quo poſito ait dubium ad hoc reduci, Vtrùm de facto Sacerdotes habeant ſaltem præſumptam eam licentiam; in qua quæſtione cenſet probabile eſſe, Sacerdotem eam habere vrgente neceſſitate; fundamentum autem deſumit ex Canone 14. Concilij Nicæni, in quo conceditur Diacono, vt abſente Sacerdote det aliis, & ſumat ſibi Euchariſtiam ex Sacrario: quæ facultas non inuenitur reuocata, & à fortiori competit omnibus Sacerdotibus, cùm & ipſi ſint Diaconi. Addit tamen, faciliùs poſſe contingere eam neceſſitatem ſeipſum communicandi Diacono quàm Sacerdoti; quia hic poteſt celebrando ſeipſum communicare. Secundò addit, eam neceſſitatem non debere ſolùm intelligi de neceſſitate mortis inſtantis, ſed etiam poſſe deuotionis cauſa propter Feſtum aliquod ſolemne, vel quid ſimile, communicare. Excipit denique Summum Pontificem, qui ſicut poteſt ſibi ipſi dare Indulgentias; ita etiam poteſt in quocumque caſu ſine vlla alia licentia ſeipſum immediatè communicare, etiam non celebrando.

Niſi vrgente neceſſitate.

11 Putarem in hac quæſtione Primò, totum illud punctum, quòd fusè hic Auctor ibi tractat, non eſſe ad quæſtionem præſentem; quia licet concedamus Sacerdotem extra Sacrum communicantem indigere licentia ſui Paſtoris, vel Prælati, adhuc tota quæſtio noſtra manet intacta: quærimus enim, Vtrùm Prælatus ſicut poteſt dare laïcis omnibus licentiam vt communicent, ita poſſit Sacerdoti dare licentiam vt ſeipſum communicet; quam tamen licentiam non poteſt de facto niſi ſolus Pontifex dare laïcis extra caſum neceſſitatis. Differentia autem inter Sacerdotem ouem, & inter ouem non Sacerdotem, quoad punctum præſens eſt maxima; nam Sacerdos habet iam vi ordinis & conſecrationis poteſtatem tangendi Venerabile, etiamſi non celebret; vt dum alios communicat, dum ex vno in alterum ciborum transfert hoſtias, &c. ad id enim muneris ſpecialiter ei conſecrantur manus; ac proinde cùm primùm habet licentiam à ſuo Prælato vt communicet, non videtur vlla eſſe ratio, cur non poſſit ipſe ſuis manibus hoſtiam accipere, eamque ſumere in quo caſu etiam ea cibatio dicetur venire à Paſtore, quia eſt de illius licentia. At laïcus eſto habeat licentiam communicandi, habet tamen impedimentum, ob quod ſibi non poteſt hoſtiam ſumere; quia nec pro ſe, nec pro aliis tangere illam poteſt; ergo quòd ea Communio Sacerdotis extra Sacrum ſit laïca, vnde fortè infertur, debere eſſe de licentia Paſtoris, non attingit difficultatem præſentis quæſtionis.

Differentia inter Sacerdotem & laicum.

12 Secundò propterea cenſeo eam ſuppoſitionem minùs eſſe ad rem præſentem, quia ſi res benè ponderetur, habet eamdem omnino difficultatem in Sacerdote vt celebrante: etenim Sacerdos etiam dum Sacrum celebrans ſe communicat, verè paſcitur; ac proinde id facere debet ex licentia Paſtoris. Pro quo aduerte, aliud eſſe quærere, Vtrùm Sacerdos, ex ſuppoſitione quòd habeat licentiam celebrandi, indigeat noua licentia Pontificis ad communicandum; aliud verò, Vtrùm abſolutè ad communicandum in Sacro indigeat licentia Paſtoris, quatenus etiam indiget licentia ad ipſam celebrationem; ſicut aliud eſt, Vtrùm, vt ego paſcar à Petro, abſolutè indigeam beneplacito ipſius inuitantis me; aliud, Vtrùm ex ſuppoſitione quòd me inuitauit ad menſam, adhuc noua indigeam licentia accipiendi in menſa ex propoſitis cibis. Dico ergo Sacerdotem, ſi habeat licentiam celebrandi, adeò non indigere noua licentia communicandi, vt nec Pontifex poſſit illum impedire à Communione; quia de iure Diuino eſt, vt qui conſecrat communicet; quia in conſecratione gerit ſe tanquam perſona Chriſti, & perſona publica: & id præciſè probant omnia quæ hic Auctor adducit. Hinc tamen nullo modo infertur, non eſſe ad totam illam actionem neceſſariam licentiam Prælati; debet enim illa concurrere non minùs quàm pro laïco. Ad Paſtorem enim, ſeu Pontificem, maximè pertinet dare licentiam ad celebrandum Sacerdoti; ex quo capite, iuxta omnium ſententiam, ad eum ſpectat determinare ritus, veſtes, quibus in Miſſa

Lugo requirit licentiam Paſtoris etiam in Sacerdote.

Examinatur, quæ ſit ea licentia.

Digitized by Google

teneamur vti, item tempus, quo ea ſit celebranda, an ſemel tantùm, an pluries de die; ergo quoad punctum præſens ſemper eſt Sacerdoti neceſſaria licentia Prælati ad communicandum tam laïcè quàm ſacerdotaliter, quatenus eſt ei neceſſaria licentia celebrandi; in qua etiam conceditur ei vel expreſsè vel implicitè licentia ſe
13 paſcendi, ſeu communicandi. Fateor libenter, ordinariè fieri Sacerdoti facultatem, eo ipſo quòd conſecratur, vt celebrare poſſit ſingulis diebus, niſi aliud impedimentum ei de nouo adueniat; per hoc tamen non oſtenditur eum celebrantem & ſe in Sacro paſcentem non id facere ex licentia Prælati ipſum mediatè paſcentis, dum dedit ei generalem licentiam celebrandi: ex hoc ergo capite oritur tota difficultas præſens; nã cùm Sacerdoti ex vna parte facta iam ſit poteſtas ratione ordinis pro ſe contingendi ſuis manibus hoc Sacramentum etiam extra Sacrum, ad quod, vt dixi, illius manus ſunt ſpecialiter conſecratæ; & aliunde ſi impedimentum nouum non adueniat, facta etiam ſit ei licentia ſe ſingulis diebus eo Sacramento cibandi, dum data eſt ei poteſtas ſingulis diebus celebrandi: cùm inquam hæc duo ita ſint, eo ipſo ſine noua licentia, caſu quo celebrare non poſſit, aut fortè eſto poſſit, nolit; iam videtur ea licentia conceſſa, vt poſſit ſuis manibus ſe communicare; ſicut habet licentiam vt petat ſibi ab alio Sacerdote dari Communionem. Et ſi vis, pro maiori efficacia argumenti ſupponamus id, quod re ipſa de facto ita eſt in vſu ex præſumpto conſenſu Prælatorum, liberum ſcilicet eſſe cuilibet extra tempus Paſchale communicare in quacumque Eccleſia non petita licentia à Parocho; vnde infertur, Sacerdoti etiam extra Sacrum eſſe iam liberum communicare nulla petita noua licentia, quidquid ſit, an dicendus ſit ſeipſum paſcere, an verò ſuo Paſtore: id quod ad quæſtionem de voce pertinet. Hoc ergo ſuppoſito redit iterùm fortiùs difficultas tacta; quandoquidem ille quoad ſubſtantiam vtendi eis paſcuis habet iam Paſtoris licentiam, & alioquin vi ordinis habet poteſtatem tractandi ſuis manibus eum cibum; cur non eo ipſo intelligi debeat habere poteſtatem ſeipſum communicandi, eſto dicatur tunc ſe paſcere nomine Paſtoris,
14 qui ei dedit licentiam ad communicandum? Hic eſt totus ſtatus difficultatis, & (vt ex dictis conſtat) omnino independens ab eo puncto, quòd Sacerdos extra Sacrum communicans ſeipſum paſcat, aut quòd à proprio Paſtore; quandoquidem etiam, dum ipſe ſuis manibus ſumit Euchariſtiam, dici poteſt nomine Paſtoris dantis ei licentiam illam ſumere.

An distincta à licentia celebrandi.

In hac ergo quæſtione Primò videtur certum ex dictis, niſi ſpecialis prohibitio Eccleſiæ accedat, quæ ſpecialiter prohibeat Sacerdotem, habentem alioquin licentiam communicandi ab alio, ne ſibi det Communionem, id nequaquam eſſe illicitum; quis quoad decentiam Communionis, cùm ipſe ſit iam conſecratus ad hoc Sacramentum contrectandum manibus extra Sacrum, non eſt vlla differentia in eo, quòd ipſe reuerenter accedens cum ſuperpelliceo & ſtola ad illud dandũ aliis, ſibi etiam illud ſumat; vel in eo, quòd ab alius Sacerdotis eodẽ modo præparati manibus illud accipiat. Secundò dicendum, neque exſtare vllam talem prohibitionem; nulla enim proferri poteſt; ac proinde probabilius videri id per ſe eſſe licitum ſecluſo ſcandalo; quod tamen facilè vitari poteſt. Et ita abſolutè hanc ſententiam defendunt Fagundez, Homobonus, Syluius & Suarez, quos refert & ſequitur Diana Tractatu de Celebratione Miſſæ, reſolutione 53. idem docet Vaſquez diſput. 219. cap. 1. pro ſe citans Cajetanum & Armillam; qui duo tamen requirunt abſentiam alterius Sacerdotis, qui ei det Communionem, & caſum neceſſitatis: quam limitationem non ponit Suarez, & meritò, quia, vt ex his quæ diximus conſtat, non eſt cur minùs poſſit ſuis manibus aliis hoſtiam dare quàm ſibi, ſuppoſita licentia communicandi: vnde ſolùm ſcandalum putarem cum Suario eſſe cauendum.

Concluditur, licitum eſſe Sacerdoti ſeipſum communicare

ſecluſo ſcandalo.

Vnde obiter colligo cum Suario & Diana contra Fagundez multò minùs teneri, ſi adſit Diaconus, ad recipiendam de manu Diaconi Euchariſtiam, cùm multò decentius ſit eam tractari manibus Sacerdotis quàm Diaconi.

Etiam in præſentia Diaconis

SECTIO IV.

Obiectiones contra dicta ſoluuntur.

CONTRARIAM ſententiam tenet Filliucius, Villalobos apud Dianam ſuprà, 15
Cajetanus item & Armilla; quia, vt paulò ante vidimus, ſolùm dicunt id licere Sacerdoti in caſu neceſſitatis: pro quorum doctrina obiici poteſt ex Cardinale Lugo ſuprà Primò id, quod in declaratione ſtatus quæſtionis diximus, Sacerdotem extra Sacrum communicantem ſe gerere vt laïcum. Verùm iam oſtendi eam ſuppoſitionem non eſſe omnino veram, quia tunc Sacerdos poteſt vti facultate quam habet ſuis manibus Euchariſtiam etiam extra Sacrum tangendi; quòd verò debeat habere licentiam à ſuo Paſtore vt communicare poſſit, oſtendi non eſſe contra ſtatum quæſtionis noſtræ: & verò eo ipſo quòd ſupponamus illum habere licentiam celebrandi, ſupponimus habere licentiam communicandi; ergo eſto celebrare non poſſit, poterit communicare: qui enim dedit ei facultatem ad id quod plus eſt, dedit ad id quod minus, & quod eſt incluſum in illo primo, niſi contrarium oſtendatur.

Contrariam opinionem tenent Filliucius, Villalobos, Cajetanus & Armilla.

Dices Primò; Ergo laïcus habens licentiam communicandi eo ipſo poterit non minùs quàm Sacerdos non celebrans ſeipſum communicare; quia ſuppoſita ea licentia iam ambo ſunt pares. Reſpondeo negando conſequentiam, quia Sacerdos habet per ſe licentiam ad tangendam manibus Euchariſtiam; ob quem finem hoſtiæ ſunt conſecratæ: vnde etiam non celebrans poteſt illam aliis miniſtrare, poteſt tangere: id quod laïco nequaquam eſt licitum. Poteſt item Sacerdos reuerenter ad Altare accedere cum ſuperpelliceo & ſtola, laïcus autem non: & verò etiam olim permittebantur laïci ſuis manibus Euchariſtiam ſumere, & ad hunc finem in domos ſuas eam accipere; & licet id ſit reuocatum, non eſt tamen quidquam quoad Sacerdotes, ne ex ipſo altari etiam ſibi reuerenter accipiant.

Probant Primò.

Reſpondetur.

Dices Secundò, Ex hac doctrina ſequi, etiam 16
ſine vlla neceſſitate, & verò in præſentia aliorum Sacerdotum, poſſe ſeipſum Sacerdotem extra Sacrum communicare: id quod Auctores non admittunt communiter. Ex quo capite in contrariam ſententiam propendet Lugo, quia aliàs non videntur poſſe combinari duæ illæ partes

Probant Secundò:

Digitized by Google

Reſponſio Suarez. partes communis doctrinæ. Reſpondeo tamen cum Patre Suario, Eo ipſo quòd res non ſit in vſu, non debere fieri, niſi quando non eſt alius Sacerdos qui adminiſtret. Addo iuxta dicta, fortaſſe etiamſi adſit, dummodò tamen res fiat ſine ſcandalo, poſſe licitè fieri: v. g. eſt Sacerdos qui non poteſt celebrare ob defectum aliquem virium; poteſt tamen accedere ad altare, & dare aliquibus Communionem; poteſt etiam hic, ſi ſine nota id faciat, ſeipſum communicare.

Probant & obiiciunt Tertiò. Obiicies tamen cum eodem Auctore Tertiò; Ergo quilibet Sacerdos poteſt hoc Sacramentum cuilibet alteri Sacerdoti volenti communicare etiam repugnantibus eorum Paſtoribus aut Parochis tribuere: ſi enim ipſe Sacerdos habeat licentiam communicandi extra Sacrum ſine licentia Parochi; ergo habebit etiam licentiam petendi Communionem à quolibet alio. Reſpondeo; *Sed nimiùm probant.* Hanc obiectionem nimiùm probare, ſcilicet & celebrare poſſe quemlibet Sacerdotem repugnante etiam proprio Paſtore, quia ſaltem celebrando poteſt ſeipſum communicare; celebrare autem non eſt actus vllius iuriſdictionis neque actiuè neque paſſiuè. Quòd ſi tamen dicas Paſtorem habere poteſtatem vt impediat Sacerdotem, qui eſt propria ouis, ne celebret; etiam dicam ego illum à fortiori poſſe impedire Sacerdotem, qui eſt propria ouis, ne communicet ſeipſum, ſeu ne ab alio Sacerdote laïcè communicet; nullo ergo modo ſequitur repugnante Paſtore poſſe Sacerdotem communicare laïcè.

17 *Probant Quartò ex ſenſu fideliũ & Theologorum.* Quartò obiicies, vel replicabis contra dicta; Ergo ſaltem quando poſitiuè non contradicit Prælatus, poterit quilibet Sacerdos ab alio accipere Euchariſtiam in articulo mortis; id quod eſt contra ſenſum fidelium & communiorem Theologorum, qui vniuerſaliter docent omnes fideles debere accipere Viaticum vltimum de manu, vel certè ex conſenſu ſui Parochi, vel *Opponitur inſtantia.* Prælati, nulla facta exceptione. Verùm neque hoc argumentum vrget, & in primis patitur manifeſtam inſtantiam; nam ſi ipſe Parochus infirmetur ad mortem, & ſit ibi alius Sacerdos, quis dicet non poſſe tunc Parochum petere ſibi dari ab illo Euchariſtiam? iam autem ille communicaret ſine licentia ſui Parochi, aut Prælati: quòd ſi ille Sacerdos tunc non habuiſſet alium apud ſe, & tamen morbus eum permiſiſſet accedere ad altare, & decenter communicare, cur quæſo id non poſſet? Deinde rogo, An talis Sacerdos poſſet tunc licitè ſine vlla licentia celebrare, & in Sacro communicare, an non? Si poteſt, cur quæſo non poterit communicare etiam non celebrando; quia in ordine ad rationem vltimi Viatici idem omnino eſt intra Sacrum communicare ac communicare extra? ſemper enim illa Communio eſt Viaticum: id quod hic Auctor dicit debere eſſe ex conſenſu vel de licentia Parochi, aut Prælati ſine vlla ex- *Reſpondetur obiectioni.* ceptione. Abſolutè ergò reſpondeo. Quemcumque Sacerdotem, qui habet licentiam celebrandi, ac proinde communicandi, poſſe à quolibet alio Sacerdote Euchariſtiam petere, & conſequenter etiam poſſe ſeipſum communicare in articulo mortis. Nego autem id eſſe contra Theologos, qui quando loquuntur de Viatico, ſolùm loquuntur de laïcis; nam Sacerdos qui ſciret diuinitus ſe veſperi moriturum, & verò iam infirmus poſſet tamen celebrare; ſicut autem licitè poſſet celebrare, & in Sacro Viaticum accipere, non petita licentia à ſuo Parocho, ſeu Prælato, ita poſſet eodem die manè ab alio Sacerdote celebrante Euchariſtiam petere; poſſet etiam ipſe modo ſuprà dicto, dum aliis Euchariſtiam adminiſtrat, pro ſe illam ſumere ceſſante ſcandalo.

Vrgebis adhuc: Pontifex in Clementina 18 *Religioſi*, de priuilegiis, excommunicat Reli- *Replica ex Clementina.* gioſos, ſi Clericis vel laïcis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare præſumpſerint: nomen autem Clerici vniuerſaliter ibi debet vſurpari; ergo non licet Religioſis dare Sacerdoti Euchariſtiam. Reſpondeo Primò, Nomine Clerici ibi à Pontifice intelligi non Sacerdotes; quia Sacerdotes non præſumuntur communiter accedere ad communicandum niſi celebrando; præterquam quòd Sacerdotes, qui alioquin iam habent poteſtatem communicandi quando celebrant, debent etiam cenſeri habere poteſtatem communicandi etiam non celebrando. Reſpon- *Explicatur Clementina.* deo Secundò, Fortè olim fuiſſe etiam prohibitum Religioſis ne permitterent celebrare Sacerdotes ignotos, niſi oſtenderent licentiam Prælati. Dico ergo, Si illi eo caſu eam licentiam oſtenderent, & celebrare non potuiſſent, potuiſſe licitè in omnium ſententia petere Communionem; quidquid iam ſit, vtrùm ſuis manibus eam poſſent accipere: quis enim dicet, Sacerdotem omnino capacem celebrandi apud Carthuſianos non poſſe etiam ſine facultate noua petere ſibi dari Communionem à Sacerdote, caſu quo celebrare illi non placeret? & idem dico in Societate, & in quocumque Ordine: contra hunc autem caſum maximè videtur vrgere textus ille, non autem contra noſtram doctrinam. Reſpondeo Tertiò, Illud caput ſolùm loqui de Religioſis, quia (vt benè notat Suarez diſput. 72. ſect. 2.) cùm maiora priuilegia habere ſoleant quàm ſæculares Sacerdotes, voluit ſpecialiter prohibere Pontifex, ne ſe in Parochorum iuriſdictionem intruderent: vnde vlteriùs infert idem Suarez, Excommunicationem ibi latam non incurrendam à Sacerdote ſæculari eo modo adminiſtrante Euchariſtiam ſine licentia Parochi; quid ergo quæſo poteſt inde inferri contra Sacerdotem, qui hactenus à ſuo Prælato licentiam habens communicandi, ſibi ipſi reuerenter hoſtiam ſumeret dum aliis diſtribuit?

Verti tamen adhuc in dubium poteſt, Vtrùm *Sacerdos poteſt ſeipſum communicare poſt meridiem.* Sacerdos poſſit ſe communicare etiam poſt meridiem. Reſpondeo, Omnino poſſe; ſuppono eum eſſe ieiunum: etenim etiam in hoc puncto eadem eſt ratio de Sacerdote quæ de aliis; quia licet ad celebrandum ſit aſſignatum tempus antemeridianum ad Communionem, tamen extra celebrationem nulla eſt determinata hora.

SECTIO V.

Quomodo Sacerdos non Parochus ſit Miniſter huius Sacramenti?

CVM dixerimus in ſuperioribus adminiſtrationem huius Sacramenti includere etiam aliquem actum iuriſdictionis, oſtendimus eo ipſo debere aliquam interuenire licentiam ſeu conſenſum Paſtoris eius ouis quæ paſcenda eſt. 19

SVBSE

SVBSECTIO I.

Qualis debeat eſſe conſenſus Parochi; & quid circa diem Paſchatis?

CIRCA primum quæritur, Vtrùm talis conſenſus debeat eſſe explicitus, an ſufficiat præſumptus, cùm ad audiendas confeſſiones non ſufficiat præſumptus. Communiter reſpondetur, Sufficere præſumptum, quia miniſtratio Euchariſtiæ non eſt omnino propriè actus iuriſdictionis. Id quod Lugo ea diſp. 18. ſect. 2. ita ampliùs explicat; nam abſolutio requirit ad ſui valorem voluntatem poſitiuam potentis condonare peccata; inferior autem Sacerdos eam non habet, niſi communicetur à Paſtore: at Euchariſtiæ adminiſtratio valida erit, etiamſi ſine vlla licentia fiat; vt verò licitè fiat, ſufficit voluntas prudenter præſumpta, hoc eſt, ſi ſciret, non eſſet malè contentus: id quod ſufficit ad hoc, vt nihil fiat contra eius voluntatem. Adhuc tamen hæc explicatio non videtur ex integro ſatisfacere, quia in ea ſupponitur idipſum, de quo eſt quæſtio, nempè abſolutionem eſſe talem actionem, quæ requirat poſitiuam voluntatem potentis abſoluere: ſi enim loquatur de ipſo immediatè abſoluente, id eſt veriſſimum, quia ille conficit Sacramentum: at ſi ſermo ſit de dante iuriſdictionem, idipſum vertimus in dubium, cur non præſumpta voluntas dandi ſufficiat, vt immediatus Confeſſarius poſſit habere eam iuriſdictionem.

Conſenſus præſumptus ſufficit.

Cardinalis Lugo ratio non ſufficit.

20 Etenim etiam ad vtendum re aliqua requiritur poſitiuum ius in vtente; & tamen ex ſola præſumpta voluntate domini eius rei ſæpè transfertur dominium, & vt ſic dicam, iuriſdictio in eam rem. Poſſum enim aliquando ex præſumpta voluntate amici vti aliqua re ipſius, & mihi in illam ius acquirere; ergo. Reſponderi fortè poſſet, Aliquas actiones ob maiorem ſui grauitatem non poſſe fieri ex ſola præſumpta voluntate, aliàs verò minoris momenti poſſe: & idipſum in puncto iuſtitiæ conſtat; non enim habet locum ea præſumptio voluntatis in quocumque caſu iuſtitiæ, ſi res ſit conſiderationis magnæ, ſed ſolùm in minoribus rebus: remiſſio autem peccati & reconciliatio hominis cum Deo eſt res maioris momenti quàm ſumptio Euchariſtiæ, quæ ex ſe ſolùm auget collatam iam priùs gratiam; ac proinde præſumptio voluntatis, quæ hìc ſufficit, non videtur illic ſufficere. Secundò, etiam inſiſtendo ei rationi Vaſquez & Lugo fortè dici poſſet, abſolutionem ad ſui valorem requirere voluntatem abſoluendi quatenus abſtrahit à præſumpta & non præſumpta, ſiue vt abſtrahit à poſitiua & præſumpta; ad adminiſtrationem autem Euchariſtiæ eam volitionem & iuriſdictionem nec quidem in tãta vniuerſalitate requiri, quia & Summus Pontifex poteſt eam ſibi accipere, non habens ſuprà ſe vllam iuriſdictionem; & iuxta ſæpè dicta, etiamſi à quocumque adminiſtretur Euchariſtia, poteſt tamen gratiam dare; plus ergo de iuriſdictione & de voluntate in conferente requirit abſolutio; optimè ergo inde concluditur, ad hoc vt validè fiat, plus voluntatis debere interuenire in abſolutione quàm in Communione; non poteſt autem magis requiri, niſi requiratur poſitiua, cùm hìc requiratur præſumpta: ergo.

Aſſignatur diſparitas, cur ad abſolutionem non ſufficiat præſumpta licentia.

21 Secundò quæritur, An ſint aliqua priuilegia, quibus ab ea regula Sacerdotes aliqui excipiantur. Reſpondeo, Omnino eſſe: communiter enim Religioſis ex Pontificum priuilegiis licet dare cuilibet alioquin digno Euchariſtiam ſine licentia Parochi, excepto die Paſchatis.

Religioſi ex priuilegio Pontificum poſſunt miniſtrare Communionem, excepto die Paſchatis.

Circa quam tamen diem dubitatur Primò, quid intelligatur per illam, an ſola prima dies, an omnes quatuordecim dies, qui communiter aſſignantur pro tempore, in quo poteſt ſatisfieri præcepto Communionis annuæ. Nauarrus apud Suarium diſput. 72. ſect. 3. planè putat ſolam excipi primam diem Paſchatis; nihilominùs longè videtur certius non de die materiali Paſchatis, ſed de Paſchali Communione id eſſe intelligendum; quia mens Pontificis ſolùm fuit, illam Communionem, qua ſatisfit præcepto Eccleſiæ, fieri debere apud ipſos Parochos, vel de eorum licentia, fortè vt meliùs ſciretur, quinam ſatisfacerent ei præcepto: quòd ſi iam alio die intra eas duas ſeptimanas in propria Parochia communicauerint, nullum penitus habent ſcrupulum, ſine licentia Parochi etiam die Paſchatis communicare. Quam doctrinam benè confirmat Suarez & reliqui ferè omnes, excepto citato Nauarro; qui addunt, non intelligi obligatos ad eam Communionem in Parochia peregrinos & vagos, qui proprium non habent domicilium.

Paſchalis Communio eſt, qua ſatisfit præcepto.

Duplex tamen adhuc nobis reſtat difficultas circa eam diem Paſchatis. Prima; An aliqui Ordines Religioſi habeant priuilegium, vt etiam ea die dare poſſint omnibus Communionem. Ratio dubitandi deſumitur ex Emmanuele Rodriguez Tomo 1. Quæſtionum Regularium; quæſt. 56. art. 3. *Quantum ad ſecundum*, & poſt ipſum ex Fagund. de tertio præcepto lib. 1. cap. 5. num. 13. qui dicunt Monaſterio Beatæ Virginis de Guadalupe in Hiſpania conceſſum priuilegium ſine ea limitatione à Nicolao V. anno 1458. 4. Calendas Octobris, Pontificatus ipſius anno quarto; cùmque omnia priuilegia eius Monaſterij communia ſint toti Ordini ex ampliatione Pij IV. & Pij V. iam per priuilegiorum communicationem eo priuilegio omnes Ordines Mendicantes gauderent: id quod aſſerit Ludouicus Beja 4. Par caſu 4. Meritò Cardinalis Lugo notat dubiam eſſe illam Bullam; Primò, quia eo citato anno Nicolaus V. iam obierat, & verò tribus annis antè. Secundò, quòd non referatur ea Bulla ab eis Auctoribus: ego eam quæſiui in Bullario, non tamen vel à Nicolao vel à ſucceſſoribus inuenio datam. Addo (quod pro me eſt valdè efficax argumentum) vix eſſe morale de eo priuilegio, alios innumeros Religioſos ad eam domum concurrentes nihil ſciuiſſe, cùm res ſit valdè extraordinaria ad præter conſuetudinem totius Hiſpaniæ; maximè autem debuiſſet aliis eſſe nota, ſi per extenſionem illam fruerentur omnia eius Ordinis ſancti Hieronymi per totam Hiſpaniam Monaſteria; ſi autem Religioſis aliis innotuiſſet tale priuilegium, fuiſſet longè plus proclamatum, & ad praxim reductum. Denique, ſi illud eſt tantum viuæ vocis oraculum, non habet nunc locum poſt reuocationem talium priuilegiorum ab Vrbano III. factam.

Dubium, An aliquibus Religioſis ſit conceſſum Communionem Paſchalem diſtribuere;

Secunda difficultas eſt, An ſaltem deficiente Parocho poſſint Religioſi vel alij Sacerdotes ſæculares adminiſtrare in Paſchate hoc Sacramentum. Et hac occaſione etiam idem de articulo mortis poteſt quæri; nam & hic articulus excipitur 22

An in abſentia Parochi.

Digitized by Google

excipitur in priuilegiis Religioſorum. Circa tempus Paſchatis communiter dicunt Doctores non poſſe, quia tunc non vrget neceſſitas: quid enim refert ſi expectetur Parochus? ſi enim quis ex deuotione communicare velit, poterit id facere, & deinde reduce Parocho tenebitur ſatisfacere præcepto. Ego tamen cum aliqua diſtinctione putarem reſpondendum: Vel enim citò expectatur rediturus Parochus, vel non; ſi citò expectatur, dico locum habere allatam doctrinam; ſi verò non putatur citò rediturus, omnino cenſerem licitum eſſe eam communionem dare. Ratio eſt, quia non eſt credibile malle Pontifices, quòd fideles ad duos tréſve mènſes aut etiam plus differant Communionem Paſchalem, quàm quòd à non Parocho communicentur; cùm longè maioris momenti ſit, ne ea dilatio ſequatur, quàm ne aliena manu communicetur: neque obeſt dicere, ſi ex defectu Parochi eo caſu non communicent, non peccabunt; ac proinde nullum ſequetur abſurdum ex ea dilatione. Hoc inquam non poteſt dici; aliud enim eſt, illos non peccaturos, aliud, non ſatisfacturos præcepto. Secundum hoc cenſeri debet ſufficiens ad præſumendam voluntatem Eccleſiæ: id quod declaro ex doctrina multorum, qui dicunt celebrari poſſe die Feſto duo Sacra ab eodem Sacerdote, ne populus maneat ſine Sacro; cùm re ipſa, ſi maneret ſine Sacro, etiam non peccaret: imò etiam aliqui iudicant à Sacerdote non ieiuno poſſe tunc ob eam cauſam Sacrum celebrari; quis autem non videat maioris momenti eſſe (peccato ſecluſo, quod, vt dixi, vtrobique ſecluditur) non differre Communionem, quàm non audire Sacrum; quia maioris longè vtilitatis eſt Communio quàm auditio Sacri: aliunde verò ſeuerius eſſe præceptum, ne quis eodem die bis, aut non jeiunus celebret; quàm vt Communio Paſchalis ſit apud Parochum proprium; cur ergo non præſumemus faciliùs de voluntate Parochi aut Pontificis in vno caſu quàm in altero? Quod obijciebatur, poſſe tunc populum ex deuotione communicare, eſt quidem verum, non tamen ſatisfacit; quia id eſſet imponere obligationem ſecundò communicandi; non autem debent illi grauari ob abſentiam Parochi.

Poſſunt Regulares & Sacerdotes alij Euchariſtiam miniſtrare.

SVBSECTIO II.

Quid circa horam mortis?

23 *Negant aliqui non licere niſi Parocho.*

CIRCA tempus verò mortis non deſunt qui dicant, etiam abſente Parocho non licere aliis Sacerdotibus Viaticum dare; quia cùm hoc Sacramentum non ſit ſimpliciter neceſſarium, non eſt cur iudicetur licere illud adminiſtrare ſine licentia Parochi: ita ſentiunt Nauarrus, Sylueſter apud Fagundez lib. 3. de Tertio præcepto cap. 2. num. 19. qui immeritò citat Suarium pro ea ſententia (vt benè oſtendit Lugo liberans Suarium à contradictione quam illi objecit Fagundez in hoc puncto:) Suarius enim dum negat Religioſis licere ſine licentia Parochi dare Communionem, etiam in articulo mortis, agit quando Parochus adeſt, vel poteſt eius licentia obtineri: agit enim Suarius ea ſectione 2. §. *Sed inquires*, de excommunicatione quam Religioſi ſic adminiſtrantes incurrunt.

Quidquid verò de hoc puncto ſit, contraria ſententia eſt longè communior & verior; neque eſt credibile voluiſſe Eccleſiam priuare morientes tanto auxilio & Sacramento, etſi non omnino neceſſario, ſummè tamen vtili pro illo puncto mortis: id quod confirmo efficaciter, quia ob eamdem rationem permittitur eo caſu, vt Diaconus adminiſtret hoc Sacramentum; permittuntur etiam alia quæ grauiùs ſunt prohibita; cur ergo non permittetur & hoc? habet autem hæc ratio maiorem vim in ſententia eorum qui dicunt Sacerdotem extra Sacrum communicantem non minùs indigere licentia ſui Prælati, ſeu Parochi, quàm alios laïcos; & tamen omnes illi dant licentiam in articulo mortis etiam abſente Parocho ſe communicare; cur ergo & laïco non dabitur licentia petendi à quolibet Sacerdote in ſimili occaſione Viaticum?

Contraria ſententia eſt verior & communior.

24 Circa quod ea in præſenti moueri poteſt difficultas, Vtrùm in Bulla Cruciatæ fiat eam habentibus facultas accipiendi Viaticum à Sacerdote quolibet, qui alioquin non habet priuilegium illud, quod in Mendicantibus Ordinibus diximus eſſe. Ratio dubitandi pro affirmatiua parte eſt duplex: Prima, quia datur in ea Bulla facultas eligendi quemcumque Confeſſarium ex approbatis; à fortiori autem videtur eo ipſo facultas fieri accipiendi hoc Sacramentum à quolibet Sacerdote. Verùm hæc ratio nihil probat; duo enim illa ſunt inter ſe diſparata, ac proinde ex conceſſione vnius non datur facultas pro altero. Adde, potuiſſe eſſe iuſtam cauſam vt diſpenſaretur in vno, non in altero; quia onus accipiendi Communionem à ſuo Parocho non eſt vllius momenti; ac proinde non fuit neceſſum illis facere huiuſmodi gratiam: at obligatio confitendi omnia ſua peccata ſuo Parocho grauis eſt; ideò opportunum fuit in ea diſpenſari. Hac ergo ratione omiſſa, ſecunda eſt fortior, quia in textu Hiſpanico eius Bullæ videtur concedi illis verbis ea licentia, *Que puedan recebir el Sacramentò de la Euchariſtia, y los demas Sacramentos, ſaluo en el dia de Paſqua, aunque ſea tiempo de entredicho*; hoc eſt, Etiamſi ſit tempus interdicti, poſſint recipere Sacramentum Euchariſtiæ, & reliqua Sacramenta, excepto die Paſchatis; illa autem pericula, *Etiamſi ſit tempus interdicti*, videtur ampliatiua, & concedens à fortiori pro tempore non interdicto; ſi autem pro eo concedit, debebit haud dubiè concedere facultatem accipiendi Euchariſtiam à quocumque Sacerdote; nam à ſuo Parocho etiam ſine vllo priuilegio Bullæ poteſt accipere, quando non eſt interdictum: & confirmatur, quia illa exceptio, *Saluo die Paſchatis*, ſupponit pro aliis diebus datam licentiam.

Quæſtio de Bulla Cruciatæ.

Textus Bullæ.

Quòd ſi objicias, Inde ſequi, etiam Extremam-Vnctionem, Matrimonium, Ordinem & Confirmationem poſſe accipi ſine licentia Prælati & Parochi; qui in ea clauſula dicitur, *Et omnia alia Sacramenta*; Reſpondet Vaſquez, De Extrema Vnctione id poſſe concedi; de Confirmatione & Ordine negat; quia hæc Sacramenta non à Parocho, ſed ab Epiſcopo adminiſtrantur: de Matrimonio etiam negat; quia illud Sacramentum non adminiſtratur à Parocho; hic enim habet ſe tantùm tanquam teſtis.

Sententia Vaſquez.

Quòd ſi vrgeas, Iuxta hanc explicationem ſolùm

Digitized by Google

ſolùm intelligi ibi Extremam Vnctionem, quæ cùm vnicum ſit Sacramentum, non poteſt intelligi per illud verbum. *Et alia Sacramenta*; Reſpondebat Vaſquez, Intelligi etiam Pœnitentiam. Facile tamen id reijcitur Primò, quia de Pœnitentia iam anteà erat conceſſa licentia; ergo non fuit neceſſe eam ibi repetere. Contrà Secundò, quia ibi non datur facultas eligendi quemcumque Sacerdotem pro Pœnitentia, ſed approbatum ab Ordinario, vt dicitur expreſsè, dum agitur de facultate eligendi Confeſſarium; ergo eodem modò non dabitur hîc licentia accipiendi à quocumque alia Sacramenta, ſed à Miniſtro debito.

25 Denique ea ſolutio de Matrimonio nulla eſt, quia ſiue Matrimonium dicatur in rigore Scholaſtico conferri à Parocho, ſiue non; in vulgari tamen modo loquendi omnino dicitur ab eo conferri, quatenus ad eius præſentiam confertur. Denique altera ſolutio pro Ordine & Confirmatione multò minùs placet; nam in ea clauſula nec verbum eſt quo inſinuetur ſermonem tantùm eſſe de Sacramentis quæ à Parochis, non verò de his quæ ab Epiſcopis conceduntur; ergo gratis ad fugiendam vim argumenti traditur ea diſtinctio.

Probabilior ſententia Suarez, Emmanuelis Rodriguez, Nunny & Cardinalis Lugo,

Propter hæc videtur longè probabilior ſententia Patris Suarez, Emmanuelis Rodriguez & Nunnij, quos refert & ſequitur Cardinalis Lugo, docentium nequaquam dari eis verbis licentiam, ſed τὸ *etiam*, ſeu *aun* Hiſpanicum, ſolùm denotare tempus interdicti; ac ſi diceret, *Vt à ſuo ordinario Miniſtro poſſint etiam tempore interdicti accipere Euchariſtiam & alia Sacramenta.* Hoc enim modò τὸ *etiam* habet totam ſuam adæquatam ſignificationem, & explicantur naturaliſſimè alia verba. Nam omnia Sacramenta poſſunt ratione Bullæ accipi tempore interdicti, à proprio tamen competente Miniſtro, Extrema-Vnctio à Parocho, vel de licentia illius; Ordo & Confirmatio à proprio Epiſcopo; licet fortè pro Confirmatione non fuerit hoc priuilegium neceſſarium: quod autem obijciebatur de exceptione diei Paſchatis non nocet; quia ſi data fuiſſet ea licentia ſine interdicti additione, cùm aliunde omnes ferè Regulares ex priuilegio ſint Miniſtri legitimi Euchariſtiæ, putaret quis etiam in Paſchate durante interdicto poſſe quemlibet à Regularibus accipere Euchariſtiam; id quod voluit impedire Pontifex, vt ſcirent omnes etiam tempore interdicti pro Communione Paſchali eſſe Parochi licentiam expectandam.

Nunc poterat tractari, Vtrùm Sacerdos adminiſtrans in peccato, vel adminiſtrans indignis, peccet mortaliter; ſed de his nos egimus ſuprà; item; quomodo debeat eſſe præparatus quoad veſtitum, vt eam adminiſtret: verùm ſi ſit in Sacro, iam ſupponitur habere veſtes Sacerdotales; extra Sacrum verò ſufficit ſuperpelliceum & ſtola. In caſu tamen grauis neceſſitatis, v. g. mortis, non video cur non poſſet etiam ſine his eam accipere & adminiſtrare. Alios caſus morales magis particulares vide apud Auctores morales. Et ſatis modò de Euchariſtia vt Sacramento.

In neceſſitate ſine ſtola & ſuperpelliceo accipi & miniſtrari poteſt Euchariſtia.

TRACTATVS QVARTVS, DE SANCTISSIMA EVCHARISTIA VT EST SACRIFICIVM.

1 De Euchariſtia vt eſt Sacrificium agit D. Thomas hac 3. Par. quæſt. 83. vbi omnes Interpretes fusè; agunt etiam Controuerſiſtæ contra huius temporis hæreticos, qui primi auſi ſunt negare in Miſſa offerri Deo verum & proprium Sacrificium. Nos rem totam dilucidè & breuiter comprehendemus.

DISPVTAT. QVADRAGESIMANONA.

Præuia ad Sacrificium Euchariſticum. De Sacrificio in communi.

Hac de re fusè diſputant Auctores, immeritò tamen; quia magna ex parte res reducitur ad vocem, vt ex dicendis conſtabit.

SECTIO I.

Quædam neceſſaria obſeruatio.

Ea eſt, totam hanc quæſtionem eſſe de nomine; & niſi inde penderet deciſio quæſtionis alterius circa Sacrificium Euchariſticum, nullius planè eſſet momenti. Pro quo aduertendum 1

Quæſtio tota de nomine.

Digitized by Google

dum eſt, quod ad rem ipſam attinet, negari non poſſe, varia eſſe poſſibilia ſigna, ſeu opera noſtra in Dei obſequium exhibita. Primò enim poſſunt eſſe actus purè interni Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum moralium; Secundò, opera etiam ipſa externa eleemoſynæ, miſericordiæ & mortificationis, &c.

Varia oblationes.

Tertiò, poſſe in Dei honorem offerri dona; vt olim obtulêre Caïn & Abel: & paſſim in Lege veteri innumera talia offerebantur.

Oblationum intentiones.

Quartò, rurſus ea dona poſſe offerri vel in gratiarum actionem Deo pro acceptis beneficiis, vel ad noua beneficia impetranda, vel in ſatisfactionem pro commiſſa in Deum iniuria, vel ad proteſtandam Dei infinitam bonitatem, quatenus amabilis eſt à nobis, vel ad ſignificandam ipſius in creaturas poteſtatem, ſeu, vt dici ſolet, dominium ſupremum vitæ & necis in nos. Quintò, hæc eadem ſigna poſſe eſſe vel priuata, vel publica: priuata, quæ ſcilicet ab vna aut altera perſona ad eam proteſtationem fiunt: cùm enim Deus etiam interiores voluntates & cogitationes noſtras, quantumvis priuatæ ſint, optimè agnoſcat, eo ipſo quòd ego etiam omnibus aliis hominibus inſciis vellem aliquid ad Dei honorem exteriùs proteſtandum facere, profectò Deus id optimè agnoſceret; ac proinde eas actiones vt in ſui honorem exhibitas approbaret. Publica ſigna erunt ea, quæ in Republica ad eam ſignificationem communiter vſurpata ſunt, vel à Reipublicæ capite ad eum finem deſtinantur.

3 *Ritus.*

Sextò nota, ea ſigna poſſe vel in ſolis verbis conſiſtere, vt ſi ego dico, *Deus eſt ſupremus Dominus vitæ & necis*; poſſe in actione aliqua, vt ſi genuflexio, inclinatio capitis ad idipſum vſurparetur; poſſe item in re aliqua permanenti conſtitui, vt ſi in oblatione animalis alicuius, aut fructuum, auri argentíque, &c. ea ſignificatio conſtituatur. Septimò, poſſe fortaſſe aliqua ſigna talia ex natura rei habere vel omnimodam repræſentationem eius intenti, vel certè maiorem proportionem quàm alia; alia verò non niſi putè putè ex impoſitione hominum: vt in vocibus conſtat:

Nomina.

voces enim ex ſe poſſunt eſſe ſine vlla phyſica ſimilitudine ſpeciali cum re ſignificata; vti hæc vox *Deus* non magis phyſicè repræſentat naturam infinitam Dei, quàm hæc vox *lapis*, aut hæc *homo*; & tamen non ideò re ipſa deſinit eſſe ſignum ad placitum Dei; poſſunt tamen etiam è contrario dari, & de facto dantur aliquæ voces, quæ aſſumptæ ſunt ad ſignificandum ex ſimilitudine aliqua, licet remota, cum re ſignificata; vt vox hæc *mugitus* haud dubiè cum bouis mugitu phyſicam habet aliquam ſimilitudinem; & in interjectionibus doloris aut lætitiæ ſignis idipſum conſtat.

Cæremonia.

Denique poſſunt dari talia ſigna, quæ dum offeruntur ad Dei dominium proteſtandum, conſumantur omnino, vel mactentur; alia verò quæ maneant intacta, vt ſi ouis quæ offertur iugulatur, vel è contrario relinquatur libera, vt olim Leuit. 16. *hircus pro*

4 *peccato dimittebatur liber.* Hæc & fortè alia diuerſa ſigna dominij & aliorum attributorum Dei poſſunt re ipſa excogitari; iam autem an omnia hæc, an aliqua illorum tantùm, & quæ ex illis ſint dicenda Sacrificia, ſine dubio eſt pura puta quæſtio de voce; quia vnus eam vocem vſurpat non pro quocumque ſigno, ſed pro tali quod ſit publicum, quod conſumatur, &c. è contrario autem alij dicunt; Vox *Sacrificium* non tam multum requirit: hanc verò litem nullis

Varij ſenſus de voce Sacrificij.

rationibus decidere poſſumus, ſed recurrendum erit omnino ad eam acceptionem, quæ comprehendat ea omnia quæ communiter dicuntur Sacrificia, & è contrario eijciat ea quæ Sacrificia non dicuntur; & hinc fit, quod ſuprà dicebam ſecundo loco, quæſtionem hanc nullius momenti in ſe eſſe iudicandum: illa enim omnia ſigna, aut tantùm aliqua ex illis, vel certè vnicum tantùm dici Sacrificium, non video quid damni, quid vtilitatis adferat, quid rei eis ipſis ſignis adferat adimátve. Dico *in ſe nullius momenti iudicandam*; quia (vt ſuprà inſinuaui) cùm debeamus in Miſſa ſaluare rationem veri & proprij Sacrificij (vt infrà dicemus) debemus etiam talem ſignificationem ei voci tribuere quæ aptari poſſit Miſſæ. Verùm neque hoc quidem ſolum ſufficit, nam ſi nomine Sacrificij vellemus ſignificare quamlibet ex actionibus ſuprà enumeratis, declararemus quidem Miſſam eſſe Sacrificium; quia ſine dubio Miſſa participat vnam ex diuerſis rationibus ſuprà poſitis. At quia ita Miſſam debemus dicere Sacrificium, vt ſimul excludamus à ratione Sacrificij alias actiones, alioquin nihil penitus diceremus ad rem noſtram, cùm Eccleſia Catholica ita rationem Sacrificij dicat in Miſſa contineri, vt nullum aliud admittat in Lege gratiæ Sacrificium; debemus ergo talem ſignificationem dare, quæ ſoli Miſſæ, non aliis rebus conueniat; hoc autem obtento, quidquid aliud circa Sacrificium in communi vertitur in dubium, nullius eſt ferè momenti: hoc poſito ſit,

Et quomodo Miſſa aptari poſſit & debeat.

SECTIO II.

Variæ acceptiones vocis Sacrificium *refelluntur.*

PRIMA ſententia eſt, Omne bonum opus eſſe verè & propriè Sacrificium, maximè ſi cæremonia externa, per quam Deo honorem tribuimus. Hanc ſignificationem amplexi ſunt hæretici libenter, vt eò faciliùs negarent in altari veram & propriam rationem Sacrificij, vt ab aliis operibus condiſtinctam; licet in hoc ipſo non ſint ſibi conſtantes: ſi enim admittunt Chriſtum in morte verum Sacrificium obtuliſſe, neceſſarium omnino eſt vt aliam definitionem Sacrificij tradant, ne cogantur fateri, eam Chriſti mortem non alia ratione fuiſſe Sacrificium quàm mors Martyrum fuerit, & quàm ſit ipſa celebratio Miſſæ; cui tamen ipſi acerrimè negant rationem proprij Sacrificij quam tribuunt morti Chriſti: ſed de hoc paulò inferiùs contra ipſos. Quidam etiam ex Catholicis eam definitionem admittunt apud Vaſquez diſp. 220. num. 2. Vniuerſaliter autem fundari ea explicatio poteſt in verbis Dauidis Pſalmo 50. & in Auguſtino lib. de Ciuitate Dei cap. 6. etenim Propheta docet Sacrificium eſſe ſpiritum contribulatum; Auguſtinus verò hæc ait: *Proinde verum Sacrificium eſt omne opus quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni*, &c. Hoc ipſum tradiderat cap. 5. & cap. 4. dixerat nos, dum vſque ad ſanguinem reſiſtimus, offerre Deo Sacrificium & hoſtiam. 5

Qua ratione hæretici negent rationẽ Sacrificij in altari.

S. Auguſtini verba, vbi dicit omnia opera bona Sacrificia.

Hæc ſententia reijcitur manifeſtè Primò ex illo eodem Pſalmo 50. vbi Propheta condiſtinguit alia opera bona tum interiora, tum exteriora, in quæ oſtendit Deum magis affici quàm 6

Digitized by Google

in Sacrificia; ideò ait cum Deo loquens; *Quoniam ſi voluiſſes Sacrificium, dediſſem vtique.* item Pſalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi.* Idipſum multis aliis Scripturæ locis oſtenditur; in eis enim Deus contraponit Sacrificia operibus bonis, miſericordiæ, iuſtitiæ, humiliationis, &c. quibus oſtenditur eſſe aliquas actiones exteriores quæ ſolæ ſunt propriè Sacrificia, quæ Deus etſi æſtimauerit olim, non tamen præpoſuerit aliis bonis operibus aliarum virtutum. Secundò eadem ſententia reijcitur ex communi ferè omnium hominum ſenſu; certiſſimum enim eſt tam apud Chriſtianos quàm apud Iudæos olim, quàm apud Gentiles omnes, non quæcumque opera bona dicta eſſe Sacrificia, ſed fuiſſe actiones aliquas ſpeciales quibus hoc nomen tribuebatur, in ordine ad quas conſtituebantur Sacerdotes. Nam Sacrificium dicit ordinem ad Sacerdotem, vti Sacerdos ad Sacrificium. Pro Sacrificio item requirebatur ara, victima, ſeu hoſtia; ergo negari nequit, aliquid ſpeciale nomine Sacrificij fuiſſe ſignificatum; de cuius definitione nunc nos agimus. Quod obiiciebatur ex Scriptura & Auguſtino non obeſt; & quidem ex Scriptura potius oſtendimus contrarium; quòd autem opera bona dicat Propheta Sacrificium, debet intelligi figuratè; quia ſicut Sacrificia propria ordinabantur ad placandum Deum, ad obtinenda ab eo beneficia, ad illum laudandum, &c. ita voluit ibi Dauid ſignificare, hæc obtineri per ſpiritum contribulatum, humiliatum, &c. ac proinde quaſi æquiualenter dixit eſſe Sacrificia: quo etiam ſenſu Auguſtinus loquitur vocans ea opera vera Sacrificia, imò perfectiora, quia magis Deo placent, &c. Vti ſi diceremus;

Intelligendus eſt figuratè, ſicut & Dauid.

7 *Simili declaratur.*

Vera meditatio & oratio eſt benè ſemper operari; per quod non negamus eſſe actus aliquos orationis & meditationis bonos diſtinctóſque ab aliis actibus charitatis, humilitatis, &c. Sed quia finis orationis eſt obtinere gratiam ad benè operandum, eo ipſo quòd aliquis benè operatur, dicimus illum optimè meditari & orare, id eſt æquiualenter. Hac ergo & duabus aliis parum diuerſis Caluini & Kemnitij definitionibus omiſſis, quas Pater Vaſquez eo cap. 1. reijcit, tres aut quatuor aliæ traduntur à Catholicis; vna valdè longa; *Sacrificium eſt oblatio externa ſoli Deo facta, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem Diuinæ maieſtatis, à legitimo Miniſtro res aliqua ſenſibilis & permanens ritu myſtico conſecratur, & immutatur.* In qua definitione illud difficile, quòd requirat tranſmutationem rei oblatæ: de quo nos paulò pòſt: cæterùm illa poteſt vtcumque ſuſtineri. Pater Suarez ea diſput. 83. ſect. 6. tradit duas definitiones breuiores, quas ſuppreſſo nomine Auctoris refert & reijcit Vaſquez eo cap. 2. Prima eſt; *Sacrificium eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum legitimè inſtitutum Diuinæ excellentiæ*; & hanc vocat definitionem phyſicam per materiam & formam. Altera, quam dicit metaphyſicam, eſt; *Sacrificium eſt ſignum ſenſibile ad Diuinam excellentiam & cultum illi debitum immediatè ſignificandum, impoſitum per immutationem alicuius rei.* Duo contra has objicit Vaſquez; Primùm, quòd vtraque æqualiter ſit phyſica aut metaphyſica, cùm vna detur per oblationem, altera verò per ſignum: quæ duo ſunt genera Sacrificij, licet vnum ſit remotius altero: quæ

Sacrificij eiuſdem definitio quorundam Catholicorum.

Vaſquez alias ex Suarez definitiones affert.

8 *Et refutat.*

impugnatio mihi etiam placet. Secundò objicit, quòd Suarez ſui immemor inferiùs dixerit, agens de Sacrificio altaris, non eſſe neceſſarium ad rationem Sacrificij vt res quæ offertur immutetur, etiamſi id frequentiùs accidat. Hæc tamen objectio ſoluitur facilè à Suario, quia immutationem illam non requirit phyſicam, ſed moralem, ſeu myſticam; Pater autem Vaſquez putat eum hîc de phyſica immutatione locutum. Tertiam definitionem tribuere ibidem videtur Vaſquez Patri Suario; quàm tamen in eo non inuenio; *Sacrificium* ſcilicet *eſſe externum actum religionis, continentem ſupremum cultum latriæ vni Deo debitum*: pro qua etiam refert Gabrielem Lectione 22. in Can. & 85. objicit autem contra illam, quòd ad rationem Sacrificij non ſit neceſſarium vt ſit maximus cultus latriæ. Verùm, ſalua reuerentia huic Auctori debita, videtur ibi paſſus aliquam æquiuocationem: etenim Auctores τὸ *maximum cultum latriæ* non intelligunt facta comparatione ob diuerſos cultus latriæ; quaſi dicerent; Cultus, qui inter omnes latriæ cultus ſit maximus, eſt Sacrificium; ſed intelligunt quaſi appoſitiuè, id eſt continens cultum latriæ; qui in ſe maximus eſt reſpectu aliorum cultuum, duliæ, hyperduliæ, &c. Quidquid verò de hoc ſit, ea definitio vltima Gabrielis diminuta eſt valdè; nam adoratio exterior verbis, aut genuflexione, &c. poteſt eſſe latria, & ſoli Deo debita, vt alibi docuimus; & tamen non ideò erit Sacrificium.

In refutatione tertiæ definitionis æquiuocationem patitur Vaſquez.

SECTIO III.

Sacrificij definitio traditur.

DIXI ſuprà, eam futuram bonam definitionem Sacrificij, quæ complectatur ea omnia quæ ordinariè vocata ſunt Sacrificia, & reliqua excludat: vnde priuſquam definitionem eam tradamus, breuiter aliqua dubia ſunt decidenda. 9

SVBSECTIO I.

Quomodo Sacrificium debeat eſſe ſignum publicum?

QVÆRIMVS, Vtrùm ad rationem Sacrificij requiratur, quòd ſit ſignum publica auctoritate inſtitutum ad proteſtandum dominium Dei vitæ & necis in nos. Pater Vaſquez citata diſput. 220. cap. 3. ait; Etiamſi in Lege ſcripta, imò apud pleraſque nationes inſtituta fuerint communia ſigna pro Sacrificiis, & conſtituti fuerint peculiares homines ad id munus deſtinati, qui Sacerdotes dicebantur; cùm tamen ad alios ſimplices actus adorationis non conſueuerint deſignari, ſed quilibet potuerit Deum adorare variis modis; nihilominùs Sacrificium ex ſe non petere eam auctoritatem & inſtitutionem publicam, ſed poſſe quemlibet priuatum pro ſuo libitu Sacrificia inſtituere; præſertim verò ſi homines more Barbarorum non in oppidis & ciuitatibus, ſed quiſque per ſe habitaret: addit autem, poſſe hanc facultatem impediri per Rempublicam vel per Deum; vnde infert, fruſtrà ab Auctoribus poni in definitione eam particulam *in ſignum legitimè inſtitutum*, & alteram *à legitimo Miniſtro*. Huius verò opinionis

Singularis ſententia Vaſquez.

Digitized by Google

nionis ſingularis nullam ipſe adfert rationem; ſed ſolùm videtur eam vt certam ſupponere.

10 *Arguitur inconſequentia.* Opinor tamen eum minùs probabiliter diſcurrere, & verò non ſatis conſequenter tum ad illa quæ dixerat primo cap. eiuſdem diſput. ad probandum non omnia opera adorationis eſſe Sacrificia; ibi enim ait, *Stultum eſſe aſſerere, non omnes eſſe Miniſtros idoneos ad offerenda quædam Sacrificia & victimas, niſi auctoritate publica deſtinentur; ad alia verò Sacrificia omnes eſſe idoneos Miniſtros; quia ſi omnia ſint Sacrificia, habere debent Miniſtrum eiuſdem ordinis*: adduxerá que ibi teſtimonium Pauli; *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus*; & illud; *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem*, &c. Hæc autem omnia manifeſte probant de ratione Sacrificij apud ipſum eſſe, quòd auctoritate publica conſtituatur Sacerdos. Nam Paulus de omni Pontifice id dixit. Et verò ſi propoſitio ea non eſſet vniuerſalis, nullo modo potuiſſet inferre Paulus, Chriſtum non ſibi accepiſſe hanc poteſtatem. Deinde, quomodo Paulus dixiſſet, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem*, &c. ſi ex ſe & ex natura rei omnes viri, & etiam fœminæ, ſine vlla alia electione eſſent Sacerdotes, id eſt, poſſent ſacrificare? Profectò inde clariſſimè conſtat, independenter ab omni ſuperueniente prohibitione non eſſe quemlibet hominem Sacerdotem. Præterea, ſi in vna aliqua Republica Sacerdotes eſſent pro libitu quilibet, quia nihil in ea prohibitum eſt; in altera verò Republica eſſent ex publica auctoritate, iam ſequeretur illud, quod apud Vaſquez citatis verbis eſt abſurdum, nempe illa duo, quæ vera ſunt Sacrificia, habere Miniſtros diuerſæ rationis, electos publicè & nullo modo electos.

Hebr. 5. Ibid.

Pugnat contra Vaſquez teſtimonium S. Pauli.

11 *Secunda Vaſquez inconſequentia.* Secundò, non videtur conſequenter à Vaſquez doceri, poſſe publica auctoritate impediri quemlibet priuatum, ne offerat vera Sacrificia, quæ aliàs poſſet. Etenim ſi ad Sacrificium verum non requiritur ſignificatio communis neque Miniſter publicus (vt Vaſquez docet) profectò cùm Reſpublica quantumuis velit prohibere me, priuatum v.g. ne ea Sacrificia offeram, efficere quidem ſuo præcepto poſſit, ne licitè vtar eis ſignis; non tamen obtinere poſſit, ne ego priuatim meam demiſſionem reſpectu Dei, & eiuſdem poteſtatem in vitam & mortem meã ſignificem occidendo in altari priuato ouem, eámque conſumendo: nec vllo modo capio quomodo poſſit efficere, vt ea mactatio non ſit verum Sacrificium; aliud enim eſt hominem peccare ſacrificando; vt ſi quis contra prohibitionem celebret Sacrum; aliud non ſacrificare verè & propriè; ergo cum rationem ſigni priuati Reſpublica impedire non poſſit, profectò non poterit impedire rationem Sacrificij. Imò addo, etiamſi Deus mihi diceret, *Nolo vt ſacrifices*; ſi tamen mihi libertatem phyſicam non adimit, non poterit per eam prohibitionem efficere quò minùs ego ei iterùm non dicam; *Domine ecce tibi agnum offero, & iugulo, oſtendens ſeriò me ecce tibi ſubiectum, & me tibi debere vitam meam; téque eſſe Dominum vitæ & necis meæ*: quo caſu ea oblatio priuata veriſſimum eſſet ſignum priuatum ſubmiſſionis mei animi & dominij Dei, &c. ergo neceſſariò eſſet verum Sacrificium, ſi per vocem *Sacrificium* non requiritur *ſignum commune legitimè inſtitutum*, &c. ergo duæ illæ partes concluſionis non cohærent inter ſe. Denique, cùm ipſe fateatur ſemper apud fideles & infideles nationes Sacrificia fuiſſe ſigna communia, & à Miniſtro publicè ad id deputo, & nunc ſimus in quæſtione de voce, quæ ab acceptione communi vnicè dependet (vt ſuprà notaui) non video, cur non debeamus dicere, nomine Sacrificij ea ſola publica ſigna comprehendenda.

Dicendum igitur, Sacrificium debere eſſe ſignum commune & publicum: id quod ferè omnes docent, ſolo excepto Vaſquez. Nam in omnibus ferè definitionibus, quæ ex diuerſis adducuntur, ea particula *à legitimo Miniſtro*, ſeu *ſignum publicum*, repetitur; éſtque id ex immediatè dictis contra Vaſquez ſufficienter à nobis probatum. Denique, vt explicemus quo pacto in Lege gratiæ non ſit, nec poſſit eſſe niſi Sacrificium Euchariſticum, ea doctrina eſt valdè vtilis (vt inferiùs oſtendemus:) & ita Pater Suarez ex propoſito hanc doctrinam defendit ea diſput. 75. ſect. 4. per totam, & Lugo ſuprà ſectione 1. 12 *Sacrificium debet eſſe ſignum commune & publicum.*

Quòd ſi obijcias; Olim priuatæ perſonæ & priuata auctoritate Sacrificia obtulerunt, vti Abel, Abraham, Iacob, &c. Reſpondeo, Eos fuiſſe perſonas publicas, & ſaltem ſuarum familiarum & tribuum capita, ac proinde habuiſſe auctoritatem inſtituendi ea Sacrificia. Ob quam rationem Chriſtus Dominus etſi vnica perſona fuerit, & vnica vice mortem obierit, potuit auctoritate ſumma qua pollebat efficere, vt ipſius mors eſſet ſignum commune, ac proinde verum etiam ex hoc capite Sacrificium. Neque enim ad has ſignificationes expectanda eſt neceſſariò acceptatio communis, quæ deinde ſequatur, ſed ſufficit inſtitutio eius qui poteſt rem illam conſtituere in ratione veri & communis ſigni. Ad quod propoſitum benè ponderat Cardinalis Lugo, cùm primùm Adamus impoſuit nomina animantibus, eas voces fuiſſe vera & propria ſigna communia; quia licet alij homines nondum eſſent, pro quibus dicerentur communes, erant tamen iam inſtitutæ ab habente iuriſdictionem inducendi eam ſignificationem, & eam faciendi communem apud futuram communitatem. Hinc etiam conſtat, potuiſſe Abrahamum, Iſaac, Iacob, &c. ex ſpeciali commiſſione Dei (quæ eo ipſo erat ſine dubio ab auctoritate plus quàm communi) ea Sacrificia inſtituere. *Obiectio à priuatis Sacrificiis Patriarcharum.*

Replicabis: Illi non inſtituebant eam actionem vt ſæpiùs repeteretur, ſicut repetuntur voces; per quod quaſi vltimò fiunt ſigna communia; ſed ſemel tantùm eas actiones exercuerunt; ibi autem non facilè intelligitur, quomodo fuerint ſigna publica. Reſpondeo, Eo ſenſu dici illa ſigna publica, quatenus apud omnes deinde futuros & illas voces audituros eſſent futuros ſignum Dominij Dei, &c. Quo ſenſu mors Chriſti vnica vice exercita eſt commune ſignum; intelligunt enim per illam omnes Dei dominium ſupremum, vt ad Sacrificium requiritur. 13 *Replica, quòd ea Sacrificia non repetierint.*

Replicabis adhuc: Eo ſenſu quælibet perſona quantumuis priuata poteſt facere ſignum publicum; nam ſi ſimplex quælibet perſona mactet & offerat Deo ouem v. g. vt eius ſupremum dominium vitæ & necis in nos proteſtemur, procul dubio omnes qui deinde audiuerint narrari factum hoc, per illud deuenient in cognitionem eius dominij vt ſignificati ab illo homine: vnica enim hac ratione explicare nos videmur, quomodo mors Chriſti ſit ſignum ad placitum vniuerſale & commune, quatenus ſcilicet ſcimus *Replica altera.*

Digitized by Google

Chriſtum per eam proteſtatum fuiſſe illam Dei poteſtatem, &c. Hæc obiectio non tangitur ab Auctoribus; videtur autem habere ſatis grauem difficultatem. Reſpondeo tamen Primò, Concedi ab omnibus debere, mortem Chriſti eſſe ſignum publicum dominij Dei, ſiue hoc requiratur ad rationem Sacrificij in communi, ſiue non; (de quo iam agimus) ea autem ſigna, de quibus in obiectione, eſſe tantùm priuata, ac proinde obiectionem nimiùm probare. Reſpondeo. Secundò, Aliud eſſe, venire indirectè & remote in notitiam alicuius rei per aliquod ſignum; aliud verò, quaſi directè & immediatè. Explico rem; Si ego audio Petrum dicentem, *Ego per hanc vocem lapis ſignifico Antonium,* procul dubio tunc excitatur mihi cognitio Antonij; quòd ſi id coram aliis dicat, eodem modo excitabitur ea ſpecies in illis omnibus; ac denique quoties illud dictum Petri cum ea reflexione narratum fuerit, ſemper excitabitur in audientibus ſpecies Antonij, non tamen proptereà illa vox *lapis* fiet publicum ſignum Antonij; ſignificat enim Antonium non abſolutè prolata, ſed narrata tota hiſtoria, ſeu quatenus dicitur expreſsè, *Petrus voluit ſignifiare Antonium hanc vocem lapis*: quid ergo mirum, ſi tunc mihi excitetur Antonij ſpecies, non quia audio vocem, ſed quia audio fieri mentionem expreſſam Antonij ratione volitionis illius? Vnde (vt proprie loquamur) ea excitatio ſpecierum non à voce, ſed à deſiderio illius, qui ea vſus eſt, prouenit. At quando vox aliqua verè & propriè ſignificat, ſufficit eam ſolam proferre, vt excitetur ſpecies rei ſignificatæ; neque neceſſium eſt ipſam volitionem inſtituentis explicitè in memoriam reuocare, ſed ea per ſe excitatur ratione vocis. Hoc ergo vltimo modo dicimus Chriſti mortem eſſe ſignum vt ad Sacrificium requiritur; hoc eſt, non quia ea ſolùm ratione excitat ſpecies illas, in quantum dicitur ipſum Chriſtum voluiſſe affectiuè id ſignificare per mortem; ſed in quantum re ipſa tribuit ei morti talem ſignificationem: & idem ſuo modo debet dici de aliis Sacrificiis de quibus in obiectione.

Reſpondetur replicæ.

14

Ex rei tota ſimilitudine explicatur.

SVBSECTIO II.

Cuius rei ſit ſignum Sacrificium?

15 SECVNDÒ circa Sacrificium in communi quæri poteſt, cuius rei debeat eſſe ſignum. Paret Vaſquez eo cap. 3. non videtur eſſe contentus, quòd Sacrificium ſignificet affectum noſtrum erga Deum tanquam ſupremum & primum principium & vltimum finem, ac Dominum omnium rerum; putátque Auctores, qui hoc dicunt, non poſſe reddere differentiam inter ſimplicem oblationem, quæ fit Deo vt ſupremo Domino, & inter Sacrificium; cùm omnis adoratio fiat Deo tanquam ſupremo Domino: additque, eam differentiam nequaquam ſufficienter exprimi per hoc, quòd in Sacrificio res oblata immutetur; nam hæc differentia (inquit) non ſe tenet propriè ex parte ſignificationis, ſed ex parte materiæ, per quam ſignificatur; differentiá autem Sacrificij à ſimplici oblatione debet conſiſtere in ipſa deſignatione. Vt igitur id explicet ait num. 22. *Sacrificium eſſe notam diuinæ omnipotentiæ, quæ eſt Auctor vitæ & necis; & cuius nutu res omnes eſſe & deſtrui poſſunt.* Et ideò ait, Ex parte rei, quæ pro nota aſſumitur, requiri immutationem vt ea denotemus; ita nos à Deo pro nutu voluntatis deſtrui & conſeruari poſſe, ſicut res oblata in Sacrificium à nobis immutatur. Id quod non ita exprimeremus, ſi ſimpliciter rem illam Deo offerremus, ſicut offertur argentum & aurum. Pro quo adducit Diuum Thomam 2. 2. quæſt. 85. art. 3. ad 3. vbi ait, Res tunc ſacrificari, quando circa ipſas oblatas aliquid fit; ſicut cùm occiduntur animalia, & panis frangitur; è contrario autem ad denotandum Deum eſſe ſupremum Dominum rerum omnium, ſatis eſt res noſtras illi ſine immutatione offerre.

Vaſquez ſententia proponitur.

Ego (vt verum fatetur) non capio facilè differentiam quam Vaſquez hîc conatur adſtruere inter eas duas ſignificationes; etenim Deum eſſe ſupremum omnium rerum Dominum, formaliſſime dicit eum eſſe Auctorem vitæ & necis, quia denotat poſſe vti ſua voluntate omnibus rebus eas deſtruendo, producendo, immutando, &c. Imò addo, plus dicere ſupremum dominium quàm poteſtatem vitæ & mortis; quia poſſumus concipere vim occidendi & producendi, non tamen cum eis operandi, eas determinandi ad hoc vel illud; in conceptu autem ſupremi dominij omnia eà includuntur; ergo ex hoc capite non eſt cur reijciatur à ratione Sacrificij illa ſignificatio, quam ponit Suarez & alij Auctores communiter. Quòd item addit Vaſquez, Eam proteſtationem vitæ & necis non ſignificari ſufficienter per hoc, quòd rem Deo offeramus, ſed per eam oblationem ſolùm ſignificari eum eſſe ſupremum Dominum, etiam mihi non placet; quia iam dixi ſupremum dominium plus dicere quàm eſſe Dominum vitæ & necis; ac proinde plus debet requiri ad illud proteſtandum quàm ad hoc. Deinde cùm hic Auctor dicat, Sacrificium non eſſe minus ſignum potentiæ Diuinæ ad nos creandos, quàm potentiæ ad nos omnino è contrario deſtruendos, profectò per ſolam conſumptionem rei non ſufficienter declarabitur vtraque illa poteſtas; quia per hoc, quòd deſtruamus rem, ſolùm intelligitur, quòd Deus tam facilè poſſet nos deſtruere, quàm nos deſtruimus eam; nullo autem modo per hoc oſtenditur, quòd Deus poſſit nos creare; eſt autem valdè diuerſum poſſe deſtruere, & poſſe producere. Rex enim & quilibet alius homo habet poteſtatem phyſicam occidendi alterum, non habet autem poteſtatem aut vim illum conſeruandi; ſimiliter quilibet poteſt deſtruere res artificioſas ab alio factas, non tamen poteſt eas producere, aut efficere: ſi ergo ad rationem Sacrificij requiritur duplex illa ſignificatio potentiæ producendi & conſeruandi vitam noſtram, & potentiæ eam deſtruendi, illa conſumptio rei ſola non erit ſufficiens ſignum, ſed debebit intercedere ſignum & productionis & deſtructionis: quòd ſi propterea dicatur, hac obiectione euidenter conuinci, per ſimilitudinem phyſicam ex parte rei ſacrificatæ verè non exprimi niſi potentiam deſtructiuam, per ſignificationẽ verò ad placitum haberi vtramque, etiamſi non ſit in re vlla phyſica ſimilitudo; ſicut ſuprà diximus vocem *Deus*, etſi nullam habeat phyſicam ſimilitudinem cum Deo, nihilominùs tamen ex placito hominum eum ſignificare; ſi inquam hoc dicatur, tunc è contrario ego argumentabor; Ergo ad rationem Sacrificij ſufficiet è contrario aliquod ſignum habens phyſicam ſimilitudinem cum vi productiua Dei, ſeu cum poteſtate

16 *Eadem ſententia redarguitur.*

17

Doctrina Vaſquez non benè ſibi cohæret.

teſtate creatiua, licet cum ſecunda deſtructiua non habeat phyſicam, ſed ſolùm ad placitum; ac proinde vel per accenſionem candelæ, vel per productionem odorum, non quatenus tunc conſumitur materia, ſed quatenus producitur odor ille, poterit eſſe ſignificatio ad placitum requiſita; quandoquidem Vaſquez ad formale Sacrificij non exigit eam immutationem materiæ, ſed eam expreſſam ſignificationem. Vides ergo eam doctrinam non omnino eſſe ſibi cohærentem.

18 Dicendum igitur in hac quæſtione, Sacrificium eſſe ſignum ex parte Dei ſupremi illius dominij, & ibi includi poteſtatem illius in vitam & necem noſtram, ſiue ea ſignificatio fundetur in ſimilitudine aliqua phyſica rei oblatæ cùm ea virtute, ſiue non: de quo paulò poſt.

Sacrificium non differt ab adoratione latriæ.

Vnde ex hoc capite Sacrificium non differt ab adoratione latriæ. Dico *latriæ*; nam adoratio ſimpliciter dicit ſuperioritatem eius qui adoratur, non autem requirit illud ſupremum dominium, in quo adoratio latriæ vt talis fertur, ſicut de Sacrificio diximus; niſi dicamus adorationem etiam latriæ ſecundùm ſe nihil aliud denotare quàm ſupremam Dei excellentiam ſupra omnes creaturas: in quo conceptu formaliter non includitur dominium vllum ſupremum in illas, quia optimè poteſt concipi, aliquem me eſſe longè nobiliorem & perfectiorem, eſto in me nullum habeat dominium. Et hæc de perfectione ſignificata ex parte Dei per Sacrificium.

Sententia Cardinalis Lugo contra Vaſquez.

Vbi obiter noto, Cardinalem Lugo num. 2. reijcere Patrem Vaſquez, eò quòd hic dicat, Ad rationem Sacrificij requiri rem oblatam eſſe ſignum ſupremi dominij Dei in nos vitæ & necis: ait enim ibi Cardinalis; Ad hoc ſignificandum poſſet homo producere vel extinguere ignem, vel aliquid aliud, proteſtando ſe fuiſſe etiam à Deo productum, & poſſe à Deo deſtrui ſicut ille ignis; & tamen illa actio non eſſet Sacrificium. Vt verò hanc accenſionem candelæ à Sacrificio excludat, nihil amplius ibi dicit, quàm quòd Sacrificium ſignificet dignum eſſe Deum, in cuius honorem vita noſtra conſumatur; & quòd hoc ex parte modi ſignificet per deſtructionem illius rei, per quam declaramus animum deſtructionis noſtræ, ſi ad cultum Domini licita vel neceſſaria eſſet. Hæc ille ibi.

Sed non ſatis Vaſquez per eam refutatur.

19 Ego verò nequaquam capio, quo pacto per hoc refutet ſufficienter hic Auctor Patrem Vaſquez; aut quo modo excludat à ratione Sacrificij illam accenſionem & conſumptionem candelæ: etenim quoad conſumptionem, quam pro Sacrificio requirit, nulla eſt ſolutio; nam ſaltem extinctio candelæ eſt deſtructio ignis habens proportionem cum noſtro interitu in honorem Dei: quoad rem verè ſignificatam in primis idem videtur ſignificare, Deum eſſe ſupremum Dominum vitæ & necis noſtræ, & ſignificare, æquum eſſe vt nos pro illo vitam ponamus; quòd ſi tamen in hoc eſt aliqua differentia, certè ſicut hic Auctor contra Vaſquez obiicit, poſſe aliquem animo ſignificandi illud ſupremum dominium accendere & extinguere candelam; ita etiam ego dicam poſſe eumdem hominem eamdem extinguere candelam animo ſignificandi deſiderium ſuum de ſubeunda morte pro Deo; ergo tunc habebit ea extinctio candelæ omnia quæ Lugo addit pro Sacrificio neceſſaria; ac proinde ipſius impugnatio contra Patrem Vaſquez nulla eſt; ergo ex eo capite non poteſt Vaſquez reijci.

Verba non ſufficiunt rationem Sacrificij.

Tertiò dubitatur, An hæc ſignificatio poſſit in ſolis verbis conſiſtere. Cui breuiſſime reſpondeo, Significationem quidem in verbis poſſe dari, & verò longè clariorem quàm in rebus ipſis; illam tamen non ſufficere ad Sacrificium, niſi adiuncta ſit oblatio alicuius rei: etenim hanc proteſtationem verbis poteſt quilibet facere, ſiue Sacerdos ſit, ſiue non; neque vllus vnquam dixit, Sacrificij rationem reperiri dum homo dicit, *Ego me humilio Deo ſupremo meo Domino & Auctori vitæ ac mortis meæ.*

SVBSECTIO III.

Deſtructio rei oblatæ non eſt de eſſentia Sacrificij.

QVARTÒ quæritur principaliter, Vtrùm res illa, quam immediatè ante diximus ad Sacrificium requiri, debeat conſumi in Dei honorem. Quæſtio hæc (vt dixi de reliquis omnibus ſuprà) eſt etiam de ſola voce, an ſcilicet vox hæc *Sacrificium* ſignificet conſumptionem rei oblatæ: in qua quæſtione ſi Auctores Scholaſticos conſulamus, plures ſunt qui eam conſumptionem requirunt; licet hi ipſi non omnino in eo puncto conueniant. Nam nonnulli omnimodam rei deſtructionem petunt; alij verò, qui difficulter eam deſtructionem in Sacrificio Miſſæ inuenire poſſunt, ideò non abſolutam, ſed aliqualem deſtructionem exigunt; inter quos eſt Cardinalis Lugo ſect. 1. & 7. vbi refert Bellarminum, Alanum, Henriquez, Victoriam, Malderum & Vaſquez. Alij autem plus videntur requirere quàm hic Auctor; non enim ſolam aliqualem deſtructionem petunt, ſed abſolutè loquuntur: adducit etiam D. Th. 2. 2. q. 86. artic. 1. in corpore; ibi tamen non ita clarè loquitur, ac è contrario pro nobis locutus eſt quæſtione præcedenti: de quo ſtatim. Eamdem tenet Pater Tannerus diſp. 51. quæſt. 4. num. 31. Fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt primum; quia ſi talis conſumptio non eſſet neceſſaria, dici deberent Sacrificium conſecratio Sacerdotis & conſecratio altaris. Secundò, quia ſine aliqua deſtructione rei non apparet, quæ peculiaris proportio ſit in Sacrificio ad ſignificandam illam ſupremam Dei poteſtatem. Tertiò, quia in omnibus veterum Sacrificiis tam ſacris quàm profanis interuenit deſtructio rei oblatæ; nam animalia vel homines occidebantur; idcòque idem erat dicere *mactare* ac *ſacrificare*; cætera verò vel comburebantur, vel, ſi erant liquida, effundebantur: id quod dicebatur libare. 20

Varia Doctorum ſententia.

Sententia aſſerens deſtructionis neceſſitatem cum ſuis argumentis.

Contraria ſententia probabilior D. Thom.

Ego, licet in quæſtione de nomine videatur tenenda ſententia communior, ob dicenda tamen puto longè probabiliorem contrariam, quæ non requirit phyſicam immutationem, ſed ſolùm moralem rei ſignificatæ. Quæ ſententia grauibus non caret Auctoribus; & in primis eam tradidit Diuus Thomas; nam 2. 2. quæſt. 85. art. 3. ad 3. explicans ex propoſito differentiam ſimplicis oblationis à Sacrificio, docet circa res oblatas nihil fieri; circa ſacrificatas ait aliquid ſacrum fieri; illud autem ſacrum non requirit, vt ſit mactatio vel conſumptio victimæ; ſed disiunctiuè dicit eſſe vel mactationem, vel con- 21

ſumptionem, vel benedictionem victimæ; qua benedictione illa res fit ſacra iuxta etymologiam nominis Sacrificij, id eſt Sacrum facio. Vnde eo ſenſu intelligendus eſt Sanctus Doctor quæſtione ſequenti, ex qua citatur pro ſententia contraria, vt non petat neceſſariò conſumptionem rei, ſed vel conſumptionem, vel aliquid aliud ſacrum, quod fiat circa illam. Eamdem ſententiam tenet expreſsè Suarez ſupra ſectione quinta, imò & Pater Vaſquez pro ea ſtat Primò, quatenus abſolutè docet, ſaltem in Sacrificiis commemoratiuis id non requiri; inde enim optimè infertur, id non eſſe de ratione communi Sacrificij. Deinde, cùm ipſe toto cap. 3. formale Sacrificij in ipſa ſignificatione conſtituat, reliqua, quæ ad materiam ſpectant, dicat eſſe materialia; profectò cùm tota ſignificatio Sacrificij exactiſſimè poſſit ſtare abſque mutatione phyſica; quia cùm hæc ſignificatio iuxta dicta ſit ad placitum; certè ſi homines inſtituant pro ſigno proteſtationis dominij ſupremi Dei in vitam noſtram & necem noſtram, & in ſignum noſtræ ſubmiſſionis in illum, oblationem aliquam, vbi nulla eſſet conſumptio, ſaluabitur ibi quidquid hic Auctor requirit tanquam formale Sacrificij. Quidquid verò de eius conſequentia ſit, probatur noſtra ſententia Primò, quia (vt videbimus infra) multò commodiùs per eam oſtenditur, quo pacto Chriſtus in altari ſacrificetur.

22 *Probatur hæc ſententia ex Scriptura* Numer. 5.

Secundò id probatur, quia in Scriptura videntur eſſe aliqua Sacrificia ſine ea immutatione; vti Numerorum 5. manifeſtè videtur admitti Sacrificium zelotypiæ ſine vlla phyſica conſumptione, hæc enim habentur verba: *Adducet eam* (hoc eſt fœminam de adulterio ſuſpectam) *ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem ſati farinæ hordeaceæ: non fundet ſuper eam oleum, nec imponet thus: quia Sacrificium zelotypiæ eſt, & oblatio inueſtigans adulterium. Offeret igitur eam Sacerdos, & ſtatuet coram Domino, aſſumétque aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cùmque ſteterit mulier in conſpectu Domini, diſcooperiet caput eius, & ponet ſuper manus illius Sacrificium recordationis.* Ecce clariſſimum Sacrificium ex Scriptura ſine vlla conſumptione. Qui locus nobis eſſe debet ſufficientiſſimus contra Aduerſariorum obiectiones.

Forè diceret quis, Paulò inferiùs dari fœminæ ad bibendum aliquid de amariſſimis illis aquis. Sed contrà Primò, quia illæ aquæ amariſſimæ non erant ibi pars Sacrificij, ſed tantùm ad excipiendas maledictiones. Contrà Secundò euidentiùs, quia fœmina non ſacrificabat: non enim erat Sacerdotiſſa. Auctores autem ipſam actionem ſacrificandi, quæ eo ipſo à ſolo Sacerdote oriri debet, volunt eſſe conſumptionem.

Reſponſiones aduerſæ ſoluuntur.

Reſpondebis Secundò; poſtquam ſemel mulier biberat, Sacerdos debebat eleuare Sacrificium zelotypiæ coram Domino; ita tamen vt priùs pugillum Sacrificij tolleret, & incenderet ſuper altare: vbi iam eſt aliqua conſumptio. Verùm neque hæc ſolutio ſatisfacit, quia omnino antecedenter ad eam partialem conſumptionem videtur Scriptura ſupponere iam perfectum Sacrificium citatis ſuprà verbis; *Offeret igitur eam* (id eſt farinam aqua ſancta & pauxillo terræ mixtam) *Sacerdotes, & ſtatuet coram Domino, & ponet ſuper manus illius Sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ.* Vides ante conſumptionem iam fuiſſe perfectum Sacrificium. Vrgeo id Secundò, quia paulò inferiùs vt de Sacrificio iam perfecto dicuntur ea verba, quæ pro reſponſione adhibentur; *Ita vt priùs pugillum Sacrificij tollat de eo quod offertur, & incendat ſuper altare.* Vbi pondera, nan dici, *Offerat tunc Sacrificium*, ſed, *De Sacrificio iam facto & oblato aliquid comburat*; ergo clarè ſupponit Scriptura totam rationem Sacrificij iam fuiſſe ante perfectam, & illud ipſum quod manet integrum eſſe Sacrificium; alioquin debuiſſet dicere; *Sumat oblationem, & eam ſacrificet.* Conſtet ergo inde 23
valdè efficaciter deduci, totam rationem Sacrificij in oblatione illa ſuper caput mulieris, oſtendendo dominium Dei in vitam aut mortem illius per manifeſtationem delicti, ſitam eſſe.

Panes propoſitum verum Sacrificium.

Secundum Sacrificium eſt è panibus propoſitionis; nam licet Azor & Malderus relati à Lugo ſuprà negent illam oblationem fuiſſe Sacrificium, communiter tamen Sacrificium reputatur. Miror autem Cardinalem Lugo docere, Nihil eſſe quod nos obliget ad dicendum eam oblationem fuiſſe Sacrificium. Legatur caput 21. Leuitici, & ibi pluſquam magnum reperietur fundamentum: agens enim Deus de Sacerdotibus (ij autem qua tales, etiam iuxta Auctores nobis hic contrario, ordinem dicunt ad Sacrificium formaliter) ait: *Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium ſuorum, &c. Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius: incenſum enim Domini & panes Dei & panes Dei ſui offerunt*, & paulò inferiùs: *Quia conſecrati ſunt Deo ſuo, & panes propoſitionis offerunt.* Vidéſne teſtimonium clariſſimum? Ecce quaſi præcipuum officium Sacerdotis, & ad quod Scriptura inſinuat maximè illos eſſe conſecratos, eſt offerre panes propoſitionis; ergo actus Sacerdotis debet iudicari ea oblatio ad illos ſolos ſpectans, ac proinde Sacrificium; ibi autem nulla fuit conſumptio, ſed ſola immolatio moralis, ſeu ſanctificatio panum illorum, iuxta id quod ex Suario & Diuo Thoma diximus.

Argumentũ Vaſquez ſoluitur.

Quòd verò inſinuare videtur Vaſquez numero 24. illos panes iam in clibano fuiſſe immutatos; hoc inquam optimè à Lugo reiicitur, quia non ſacrificabat populus dum coquebat panes, ſed Sacerdos eos offerens. Deinde, panis qui ſacrificabatur non fuerat in clibano conſumptus, ſed potiùs ibi productus, ibi, ſic dicam, generatus. Tertiò, quia eo ſenſu dicam ego etiam per oblationem nummorum, candelarum, &c. ſine vlla alia deſtructione fieri Sacrificium; quia etiam nummi malleo tunduntur; candelæ ad ignem reſolutione ceræ formantur; imò hoc ſenſu ipſum triticum, ipſa animalia viua offerre eſſet Sacrificium; quia ea omnia vel in terra dum generantur, vel in materno vtero mutantur; quis autem non videat hæc omnia alieniſſima eſſe à ſenſu præſenti? ſolùm enim agimus de conſumptione quæ fit ipſa actione ſacrificandi, ac proinde quæ formaliter intret conſtitutionem Sacrificij.

24 *Sacrificium Melchiſedech.*

Tertiò, Melchiſedech obtulit ſanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam; & tamen non conſtat quidquam de conſumptione illius; non eſt ergo neceſſaria ea conſumptio. Vaſquez recurrit ad concoctionem panum in clibano: verùm

Digitized by Google

verùm quàm improbabiliter ex dictis conſtat, an piſtor debeat dici illos ſacrificaſſe; in vino autem maiorem habet difficultatem, vbi Vaſquez obſcuriſſimè reſpondet his verbis: *Reſpondeo ergo, Vno ex duobus modis illud offerri potuiſſe, primùm, non tanquam libamen & condimentum alterius Sacrificij, ſed per ſe, ita vt mutatio illius ac proinde Sacrificium eius fieret ante oblationem; vel ita vt vinum ſimul cùm pane per modum libaminis obtulerit.* Verùm his nequaquam declarat Vaſquez vllam mutationem, & id Scriptura non requirente, ad mutationes incognitas recurrere, ne opprimatur argumento, non habet magnam probabilitatem, faciliùs, ſicut recurrit ad coctionem panum in clibano, potuiſſet ad expreſſionem vini in torculari recurrere. Quæ omnia ſunt valdè improbabilia, ea autem ideò fuſiùs noto, quia non debuiſſet poſt tam debilem ſolutionem argumenti Patris Suarez inferre hic Auctor, *Suarium & ſibi non conſtare, & falſum docuiſſe.*

Reſponſio Vaſquez refutatur.

Reijcitur ſimiliter reſponſio Lugo.

Quòd autem Lugo reſpondet, Scripturam omiſiſſe vt rem notam eam conſumptionem Sacrificij Melchiſedech; ego, vt verum fatear, non capio: vnde enim id eſt per ſe notum? Certè eodem modo hic Auctor, etiamſi in aliis Sacrificiis nihil diceretur de conſumptione, reſpondere poſſet; *Id omiſſum tanquam per ſe notum.* Quæ ſolutio cùm addat textui Scripturæ ea quæ textus nullo modo requirit, haud dubiè eo ipſo nulla eſt, & ſolet dici *miſera expoſitio*, & ſaltem ego oſtendo falſum eſſe principium omnino vniuerſale horum Auctorum, ſcilicet nullibi fieri mentionem Sacrificiorum, niſi etiam dicatur de eorum conſumptione: iam enim hic contrarium oſtendo. Faciliùs ſanè recurrere potuiſſet hic Auctor ad comeſtionem eius panis & hauſtum eius vini ab Abrahamo factum, quia comeſtionem rei iudicat Lugo eſſe tranſmutationem ſufficientem pro Sacrificio. Verùm quia Abrahamus ibi non ſacrificauit, & (iuxta ſtatim dicenda) ea comeſtio videtur eſſe ad rem præſentem inutilis, non poteſt etiam ea ſolutio vllo modo ſuſtineri.

Sacrificium pro peccato.

Id ipſum probari poteſt Quartò ex Sacrificio pro peccato, in quo duo hirci ſacrificabantur, & vnus quidem priùs altero, vnus quidem mactabatur, alter verò per aſperſionem ſanguinis ex priori effuſi ſanctificabatur, offerebatur, & liber dimittebatur in ſolitudinem: huius autem ſecundi ſacrificatio ſine dubio non conſtituebatur per prioris necem, ſed per eam quam dixi ſanctificationem, ac proinde optimè infertur, Ibi fuiſſe Sacrificium ſine ea phyſica deſtructione ab his Auctoribus requiſita.

SVBSECTIO IV.

Idipſum magis roboratur, & concluditur quæ ſit definitio Sacrificij?

25 *Probatur, ad rationem Sacrificij non requiri conſumptionem.*

DEINDE ratione à priori deſumpta ex Aduerſariorum ſuppoſitione probo noſtram hanc concluſionem, quia illi ſolùm videntur requirere eam conſumptionem ad hoc, vt illa materia, quæ aſſumitur pro Sacrificio, habeat aliquam ſaltem analogam ſimilitudinem cum eo dominio Dei in vitam & mortem. Atqui ſimilitudo hæc longè maior poteſt eſſe ſine deſtructione rei. Deinde cùm hic ſolùm ponamus ſimilitudinem ad placitum, ſeu ex inſtitutione hominum, & hæc per ſe non requirat proportionem phyſicam, cur eam in Sacrificiis requiremus? Probo nunc priorem partem, quia ab hac ſecunda faciliùs ſe expedient dicendo, ea ſola ſigna quæ habent talem ſimilitudinem dici Sacrificia. Pro probatione ergo obſeruo, ſubiectionem veram noſtram in Deum & dominium Dei in nos non ſolùm eſſe quoad mortem, vt ſcilicet teneamur pro illo mori, ſed & teneamur ei tota vita inſeruire; & verò etiamſi immortales eſſemus, vt eſt Angelus, teneremur Deo Sacrificium offerre ad proteſtandam eam obligationem ei perpetuò inſeruiendi. Secundò obſeruo, ex duabus illis poteſtatibus vitæ & necis quodammodò nobiliorem & maiorem eſſe vitæ quàm necis, quia ex terminis videtur eſſe notum, difficilius eſſe efficere rem, quàm eam deſtruere. Vnde in humanis facilius longè eſt deſtruere rem aliquam, quàm eam producere. Hinc infero; Si intentum ſeu finis Sacrificij eſt oſtendere duplicem illam poteſtatem Dei vitæ & necis; idcóque cum eo complexo debet habere aliquam proportionem actio ſacrificandi; item ſi debet oſtendere ex parte noſtra nos teneri Deo inſeruire, connaturalius fore ſi habeat proportionem cum poteſtate vitæ, item cum obligatione quam nos habemus tota noſtra vita perpetuò ipſi inſeruiendi, quàm ſi habeat ſimilitudinem cum poteſtate Dei ad nos occidendos, & cum obligatione noſtra pro illo moriendi. Atqui ad eam poteſtatem ſignificandam connaturalius eſt, ſi res integra offeratur, vt tota maneat in poteſtate Dei; item ſi illa, dum Deo offertur, producatur; vt cùm accenditur candela in conſpectu Dei, &c. Et ad hoc obſeruo id quod ad aliud propoſitum tangit Tannerus diſput. 5. quæſt. 9. dub. 2. debuiſſet tamen inde in noſtram ſententiam abiiſſe; licet in multis Sacrificiis legis Moſaïcæ interuenerit conſumptio rei, non tamen propriè illam conſumptionem fuiſſe ſacrificationem, ſed poſitiuum id quod poſt conſumptionem reſultauit: gratior enim fuit Deo in ratione Sacrificij flamma & nidor ex conſumptione victimæ proueniens, quàm ipſamet victima ſeu animalis occiſio. Hinc ſunt verba illa Leuit. 1. *Omnia adolebis Sacerdos ſuper altare in holocauſtum & odorem ſuauiſſimum Domino.* Pondera, *holocauſtum & odorem ſuauiſſimum*; ac proinde Sacrificium Deo gratiſſimum non fuiſſe bouis mactationem, ſed odorem & flammam inde reſultantem; hæc autem productionem ſignificant formaliter, non deſtructionem. ibidem verſu 17. *Adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito. Holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domini*, & cap. 17. *Adolebit adipem in odorem ſuauitatis Domino.* Similia multa habentur Num. 15. 18. & alibi. Vnde hanc colligo doctrinam, quòd ſi thus & reliqua, quæ Domino offerebantur, eum odorem ſine ſui corruptione dediſſent, fuiſſet oblatio illorum verum Sacrificium ſine vlla conſumptione.

Tanneri ſententia.

26

Deinde infero, Eſto præceſſerit deſtructio rei, formaliter tamen loquendo non in ea conſtitiſſe Sacrificium, ſed in poſitiua actione inde reſultante; ac proinde magis propriam videri actionem poſitiuam quàm deſtructiuam pro Sacrificio, vel certè æqualem eſſe; vnde ibidem notat Tannerus non legi de materia præſuppoſita Sacrificio eas approbationes diuinas, quæ leguntur de rebus inde poſitiuè reſultantibus.

Digitized by Google

Reſpondetur argumentis contrariis, Primò. Iam ad argumenta in contrarium adducta facillimè reſpondetur. Ad primum de conſecratione aræ & Sacerdotis, quod ex Vaſquez accepit Lugo, reſpondeo, Eam conſecrationem non eſſe acceptam in ſignum communc ſupremi dominij Dei in vitam & mortem, prout ad Sacrificium requiritur, ſed ſanctificari, vt deinde *Secundò.* inſeruiant Sacrificio. Ad ſecundum, Quòd ſi res non deſtruatur, non apparet vlla ſpecialis proportio ad ſignificandum ſupremum Dei dominium, reſpondemus Primò, In rigore eam proportionem non requiri; quia ſigna ad placitum & ex inſtitutione communi nullam talem requirunt proportionem. Secundò iam oſtendimus clarè in productione rei interuenire eam inadæquatam proportionem cum poteſtate Dei ad viuificandum, ſicut in deſtructione eſt proportio cum poteſtate Dei ad occidendum. Vide quæ dixi in ratione à priori pro noſtra ſententia.

27 *Tertiò.* Ad tertium, Quòd in omnibus veteribus Sacrificiis inueniamus interueniſſe deſtructionem rei, iam oſtendi eam propoſitionem eſſe manifeſtè falſam; nam in Sacrificio Melchiſedech non inuenitur ea conſumptio, ſed additur ab his Auctoribus, vt ea propoſitio vniuerſalis ſit vera; & quod lepidius mihi videtur, vt probent etiam ibi fuiſſe deſtructionem, eſto Scriptura nihil de ea dicat, aſſumunt propoſitionem vniuerſalem, quòd id habeant omnia Sacrificia; vniuerſalem autem propoſitionem probant poſtea ex hoc, & ex aliis Sacrificiis. Deinde alia adduxi Sacrificia, in quibus de ea conſumptione nihil eſt. Quòd verò Gentiles vt plurimum occiderint victimas, ea fuit ratio, quòd inter alias ſtultitias hanc habuerint, quòd ſæpè putauerint deos ſuos eis cibis delectari ac veſci. Deinde, nos non negamus per eam deſtructionem fieri poſſe commodè Sacrificia, ſed dicimus, id non eſſe in omni Sacrificio neceſſarium. Quòd verò, quando ex adulatione ſacrificabatur Principibus, etiam mactaretur victima, cùm tamen vtilius eſſet pro eis Principibus rem integram offerre, hoc inquam non probat aliud, quàm quòd adulatores illi voluerint imitari frequentiorem modum Sacrificiorum pro diis qui tunc erat in vſu.

Deniquè addo, fortaſſe multa fuiſſe apud illos Sacrificia ſine mactatione. Certè quæ ſingulis diebus Sacerdotes Bel apud Danielem vltimo capite offerebant idolo, probabiliſſimè per modum Sacrificij offerebant; ideóque ad Sacerdotum officium id pertinebat, & tamen non omnia illa conſumebantur, ſed panes & alia integra relinquebantur ante Bel; animalia autem etſi ponebantur mortua, non tamen in ipſa oblatione ſeu Sacrificio mactabantur, ſed priùs mactata (quod longè aliud eſt) ſacrificabantur ſine noua conſumptione. Et ſatis de hoc puncto, quod etſi ad vocem ſpectet, ideò fuſiùs à me deductum eſt, quia ab aliis non ita ſufficienter tractatum eſt; & vt faciliùs in Sacrificio Euchariſtico diſcurramus, valdè nos hæc ſententia iuuabit.

Iam tamen antequam definitionem Sacrificij concludamus, Quartò in dubium vertimus, Vtrùm Sacrificia falſis diis oblata fuerint vera, an tantùm ficta, quæſtio eſt de ſolo modo loquendi. Pater Suarez negat, quia nomine Sacrificij intelligit ſignum verum, hoc eſt, non ſolùm illud quod realiter ſignificat diuinitatem, ſed quod in hoc ipſo verum dicit. Pater Vaſquez & Cardinalis Lugo aliique dicunt eſſe vera Sacrificia: id quod etiam mihi magis placet, quia Deitas ſignificata non eſt pars Sacrificij; Deus enim eſt id cui ſacrifico; non eſt autem ipſum Sacrificium; ergo Sacrificium ſolum dicit ſignum ſupremi dominij in vitam & necem, &c. vt ſuperiùs explicatum eſt. Atqui rationem ſigni verè & realiter habuerunt illa Sacrificia, vti propoſitio falſa verè & realiter ſignificat curſum Petri v. g. ac proinde eſt reale ſignum realis curſus, & tranſcendentaliter vera propoſitio. Et ſatis de hac quæſtiuncula de nomine, & nullius planè momenti. 28 *Dubium, An Gentilium vera fuerint Sacrificia: Negat Suarez. Affirmant Vaſquez & Cardinalis Lugo.*

Quintò tandem quæri ſolet, Vtrùm Sacrificium ſit de iure naturæ; hoc eſt, Vtrùm iure naturæ ſit obligatio ad Sacrificium inſtituendum. Quæſtio hæc pro intento noſtro de Sacrificio Euchariſtico nullius eſt momenti, quia ſiue ea obligatio ſit, ſiue non ſit, ſatis nobis eſt, quòd huiuſmodi Sacrificia ſint omnino licita & honeſta, poſſimique honeſtè aſſumi, & quod de facto Chriſtus tale inſtituerit. Abſolutè autem ei quæſtioni reſpondeo breuiſſimè, Me non videre obligationem vllam, cur cogantur homines talia Sacrificia habere, quia poſſunt aliis modis proteſtari ſuam ſubiectionem reſpectu Dei; præterea, quia rariſſimæ ſunt obligationes ad hos actus poſitiuos adorationis, niſi per accidens quando aliter honor Dei apud homines periclitetur; hoc autem non facit obligationem per ſe de qua nunc agimus. *Non eſt obligatio iure naturæ ad ſacrificandum.*

Ex his quæ diximus circa præcedentes quæſtiones formari poteſt breuiter definitio Sacrificij, *vt ſit oblatio rei alicuius Deo facta in commune ſignum ſupremi dominij Dei in vitam & necem noſtram*: in cuius explicatione nihil aliud occurrit dicendum; facileque iam erit dicere, quid ſit circa Euchariſticum Sacrificium ſentiendum. *Definitio Sacrificij aſſignatur.*

DISPVTAT. QVINQVAGESIMA.

Eſſentia Sacrificij Euchariſtici declaratur.

1 *Vox Miſſa quid indicet.* NON eſt animus fusè agere de nomine Miſſæ, an ſit vox Hebraica, an Græca, an verò Latina, vt communior ſententia tenet: id enim parum eſt ad intentum noſtrum: eſt enim ea vox iam ab Eccleſia recepta ad ſignificandum altaris Sacrificium ſimul cum cæremonis pro illo ab ipſa Eccleſia conſtitutis, vti aliæ voces nouæ ad nouas res inuentæ. Vtrùm verò orta ſit ex eo, quòd per Sacerdotem populus mittit ad Deum preces; an verò quia olim finito Symbolo mittebantur foras catechumeni ante conſecrationem, & finito toto Sacro etiam Fideles, parui momenti eſt. Hoc vltimum videtur probabilius & communius. Vide de nomine Bellarminum Tomo 2. lib. 2. de Miſſa, Vaſquez diſp. 220. cap. 10. Suarez diſp. 74. cap. 3. & alios apud ipſos. Suppoſita ergo voce,

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

Quæ certiora ſunt præmittuntur.

Hæreticorum error de Miſſa Sacrificio

QVÆSTIO grauiſſima cum hæreticis huius temporis eſt, Vtrùm in Miſſa offeratur verum & proprium Sacrificium; illi enim non niſi improprium agnoſcere volunt: contra quos fusè egerunt huius temporis Controuerſiſtæ, præcipuè verò noſter Cardinalis Bellarminus Tomo 2.lib.1.de Miſſa fusè.à c.6. Valentia in præſenti diſput.6.Vaſquez diſput.220.cap.2. Suarez diſput 84 ſect 3.Tannerus, & alij; Tridentinum etiam contra eoſdem hæreticos Seſſione 22. eamdem veritatem definiuit. Apud citatos autem videri poſſunt varia alia teſtimonia ex antiquo Teſtamento, quibus prædicitur futurum vltimis temporibus Sacrificium Deo grauiſſimum,vt Malachiæ 2. Danielis verò 12. dicitur temporibus Antichriſti auferendum iuge Sacrificium. Ex Patribus item ab Eccleſiæ exordio id ipſum fusè illi probant. Ac denique Eccleſiæ perpetua traditio id manifeſtè oſtendit.

2 *Argumenta illorum. Primum:*

Potiſſima in contrarium hæreticorum argumenta hæc ſunt; Quòd in Euangelio, dum de inſtitutione huius Sacramenti ſermo fit, nihil dicatur de Sacrificio. Verùm cùm ipſi hæretici admittant Chriſtum in cruce obtuliſſe ſe Deo Patri in Sacrificium, & etiam tunc nihil dicant Euangeliſtæ de Sacrificio, potuiſſent aduertere ſe eo vti argumento quo & ipſi petuntur. Dicimus ergo, Ex verbis Chriſti & ex traditione Eccleſiæ conſtare, Chriſtum ſe in Sacrificium incruentum in Cœna Deo Patri obtuliſſe; cumque dixerit Apoſtolis, *Hoc facite in meam commemorationem*, dedit eis poteſtatem ipſum offendi eo modo, quo ipſe ſe obtulerat; & verò mors Chriſti non ita apparebat ſacra, ac proinde non ita videbatur ad Sacrificium pertinere quàm conſecratio in Cœna; quæ ex benedictione & aliis circumſtantiis ſtatim apparebat eſſe oblationem ſactam,& ex eo capite pro Sacrificio aptiorem.

Secundum.

Secundò argumentantur; Quia commemoratio Sacrificij non eſt Sacrificium, ſicut commemoratio natiuitatis non eſt natiuitas. Reſpondetur; Si in Miſſa eſſet commemoratio pura,& non offerretur verè & propriè ipſe Chriſtus Deo, non futurum verum Sacrificium:eſt ergo ibi verum Sacrificium, non quia eſt commemoratio alterius,vt hæretici putant.

Replica eorũdem.

Replicant:Euchariſtia eſt Sacramentum tenens ſe ex parte Dei nobis promittentis gratiam;ergo non eſt Sacrificium tenens ſe ex parte noſtra. Reſpondemus, Optimè poſſe eamdem actionem eſſe ſignum ex parte Dei, & ſimul ex parte noſtra. Eodem modo ſoluenda alia obiectio, quòd Euchariſtiæ ſit Teſtamentum, vt Chriſtus ipſe ait; ergo non eſt Sacrificium; quia teſtamentum tenet ſe ex parte teſtatoris, at Sacrificium ex parte noſtra: dicimus enim, In ſignis ad placitum optimè poſſe vtramque eam rationem concurrere.

3 *Tertium argumentum:*

Obiiciunt Tertiò, Nos in altari non facere commemorationem Sacrificij cruenti vt futuri, ſed vt præteriti,Chriſtum autem in Cœna illud repræſentaſſe vt futurum.Reſpondeo,Hanc eſſe ridiculam obiectionem; quia commemoratio non eſt niſi quoad ſubſtantiam actionis, non quoad tempus. Deinde iam negaui paulò antè, Euchariſtiam ea ſola ratione eſſe Sacrificium, quòd ſit repræſentatiua paſſionis; ſed quia in ea verè offertur ipſe Chriſtus vt hoſtia Deo, modo à nobis inferiùs explicando. Quòd verò addunt, debere hoſtiam in Sacrificio mactari, iam eſt à nobis ſuprà reiectum.

Quartum.

Quartò obiiciunt, Derogari per hoc paſſioni Chriſti. Confirmant; Quia ſi dicamus Chriſtum Dominum in Cœna ſacrificaſſe, tunc illud Sacrificium fuiſſet ſufficientiſſimum pro noſtra ſalute; ergo non eſt neceſſarium aliud. Facilè tamen reſpondetur huic obiectioni (quæ etiam ab his hæreticis fieri ſolet contra bona opera, iuxta alibi dicta) Chriſtum ita ſe in ſua paſſione & Sacrificio Cœnæ pro noſtra ſalute obtuliſſe; vt licet quoad ſufficientiam obtulerit pretium non ſolùm pro illa, ſed pro infinitis hominibus ſufficiens, noluerit tamen eam vltimò perfici niſi adhibitis aliis mediis ex parte noſtra (qualia ſunt bona opera)& repetito hoc ipſo Sacrificio; alioquin ſi conſequentia hæc hæreticorum legitima eſſet, inferri ſanè debuiſſet, Neque quidem vlla Sacramenta eſſe in Eccleſia, quia per illa fieret iniuria paſſioni Chriſti.

Replica eorumdem ex S. Paulo.

Replicant, Paulum ad Hebræos 7. dicere, Chriſtum non habere neceſſitatem quotidie offerendi Sacrificium: ſi autem per nos vt per Miniſtros illud offerret, iam eam haberet neceſſitatem. Reſpondemus, Paulum agere ibi de Sacrificio cruento crucis, item negare repetitionem Sacrificij ob defectum valoris, ſicut olim repetebantur Sacrificia; quia vnum non ſufficiebat pro omnibus peccatis, & pro omnibus gratiis obtinendis; Chriſtus autem voluit repeti non ex defectu valoris, ſed in bonum noſtrum.

4 *Quintum argumentum.*

Quintò obiiciunt,Quòd in Miſſa non ſit cultus externus,prout ad Sacrificium requiritur:quia quæ circa Chriſtum exercentur ſunt inuiſibilia.Huic tamen ſatisfaciemus infrà explicando eſſentiam huius Sacrificij.

Dubiũ, Quomodo Eccleſia poſſit inſtituere Sacrificia.

Quæri ſolet hac occaſione,Vtrùm ſi Chriſtus hoc Sacrificium non inſtituiſſet, Eccleſia potuiſſet illud inſtituere.Quæſtio ſupponit Chriſtum dediſſe poteſtatem ponendi ſuum corpus ſub ſpeciebus(alioquin nulla eſſet quæſtio, quia Eccleſia id non potuiſſet ſua auctoritate facere) non tamen eam actionem inſtituiſſe in Sacrificium;quo poſito dico Niſi Chriſtus illi prohibuiſſet eam inſtitutionem,haud dubiè potuiſſe:ſi enim communitas habet poteſtatem inſtituendi Sacrificia, cur tunc non potuiſſet Eccleſiæ communitas eam poſitionem corporis Chriſti, quæ ex ſe habet ſummam proportionem cum Sacrificio, in ſignum ſupremi dominij Dei,&c. aſſumere?

Dices, Ergo de facto poteſt Eccleſia pro ſuo libitu alia Sacrificia inſtituere. Reſpondeo negata conſequentia; quia etſi ex natura rei id ſit liberum cuilibet communitati; id tamen ita intelligendum, niſi Deus ſpecialiter id Eccleſiæ prohibuerit;quia data ea prohibitione iam ceſſat in ipſa vis conſtituendi publicum ſignum, prout ad Sacrificium requiri diximus ſuprà: eo autem ipſo, quo ex perpetua Eccleſiæ traditione conſtat non ordinari in Eccleſia Sacerdotes niſi ad Euchariſticum Sacrificium, item quòd non niſi vnicum detur in Eccleſia Sacrificium, colligimus Chriſtum ita Sacerdotes conſtituiſſe in

ordi

ordine ad Euchariſtiam, vt ſimul prohiberet omnia alia Sacrificia inſtituere, quæ eſſent in minorem æſtimationem huius incruenti. Et hæc obiter contra hæreticos quoad veritatem Sacrificij Euchariſtici.

SECTIO II.

Propoſitis variis ſententiis reiicitur à ratione Sacrificij Euchariſtici oblatio hoſtiæ eiuſque fractio.

5 IAM, in quo illud formaliter conſiſtat, quæ difficultas ad Scholaſticos maximè pertinet, agendum erit. Variæ ſunt in hoc puncto ſententiæ, adeò vt vix vlla ſit in Miſſa actio, in qua ab aliquo non fuerit conſtituta ratio Sacrificij. *Oblatio hoſtia ante conſecrationem.* Primò ergo quidam dixerunt oblationem illam, quam facimus ad Offertorium, eſſe Sacrificium: id quod probari fortè poteſt ex verbis, quibus Eccleſia tunc vtitur; *Suſcipe Sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hoſtiam, quam ego, &c. offero*; ergo iam tunc de præſenti offertur hoſtia; hoſtia autem propriè conſtituit Sacrificium. Pro qua ſententia ſaltem, quòd ea oblatio ſit partiale conſtitutiuum huius Sacrificij, citat Pater Suarez diſp.85. ſect.3 Dominicum Sotum; eamque tenuiſſe videtur Tannerus ſuprà à num.28.

Oblatio hoſtia poſt conſecrationem. Secunda ſententia etſi oblationem hoſtiæ dicat eſſe Sacrificium, non tamen loquitur de hac oblatione, ſed de illa quæ fit poſt conſecrationem, quando ſcilicet Sacerdos dicit, *Offerimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis*, &c. Pro hac ſecunda ſententia Pater Suarez citat Eckium, Clithouæum, Richardum, Scotum, & Gabrielem; Pater verò Vaſquez diſp.222. ait referri etiam pro ea ſententia Henricum Octauum in aſſertionibus Fidei contra Lutherum, item Roffenſem & Albertum; quem vltimum ab ea opinione excuſat.

Fractio hoſtia. Tertiò alij Sacrificium hoc conſtituunt in fractione ſola hoſtiæ, quæ fit poſt Pater noſter. Ita Canus lib.12. de Locis Theologicis cap.13. quia iuxta multorum ſententiam hoſtia debet aliquo modo immutari, & nulla videtur aliunde in conſecratione eſſe immutatio; in fractione verò id optimè ſaluatur, quia denotat mortem Chriſti, ſeu ſeparationem animæ ipſius à corpore; non eſt ergo, cur non dicatur ibi Sacrificij rationem conſiſtere: & verò ex hoc verbo Chriſti idipſum nonnulli colligunt; dum enim poſt fractionem dedit Apoſtolis ſuum corpus, addidit, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: vbi ex Hebræo legunt alij, *quod pro vobis frangitur*.

6 *Communio Sacerdotis.* Quartò alij dicunt in Communione Sacerdotis Sacrificium conſiſtere; quia tunc conſumitur propriè Sacrificium, ſeu hoſtia; & pro hac ſententia ait Lugo citari à Suario ſect.1. Ledeſmam. Verùm Suarez ibi non agit de adæquato conſtitutiuo Sacrificij in conſumptione, ſed de partiali.

Conſecratio & Communio. Quinta ſententia Sacrificium in vtraque actione conſtituit; quam tenet Bellarminus ſuprà capite vltimo, licet (vt paulò pòſt dicam) ſatis obſcurè deinde loquatur: eamdem ex propoſito defendit Lugo ea diſput.19. ſect.5. etiam ei fauere Diuum Thomam ait Suarez. In hac tamen ſententia non omnino conueniunt eius Auctores; nam Bellarminus planè putat ſumptionem Sacerdotalem eſſe partem eſſentialem huius Sacrificij, ac proinde videtur ſentire, ſine illa non dari eſſentiam Sacrificij in conſecratione: item è contrario ſentit ſolam ſumptionem non eſſe Sacrificium; at Cardinalis Lugo abſolutè in conſecratione ſola ponit rationem ſubſtantialem Sacrificij, nec in ſumptione ſola dicit tamen eas partes integrare vnam rationem Sacrificij; vti conſecratio ſpecierum eſt Sacramentum eſſentiale, & Chriſtus ſub ſpeciebus vini eſt Sacramentum eſſentialiter; duæ tamen ſpecies illæ ſunt partes integrantes eiuſdem Sacramenti, & ſicut caput eſt homo eſſentialiter, licet non ſit integer homo. Huius ſententiæ fundamenta paulò pòſt videbimus.

Sexta & vltima ſententia eſt, totam Sacrificij rationem in conſecratione ſola poſitam eſſe, ſiue iam ſit neceſſaria vtriuſque ſpeciei conſecratio, ſiue vnus ſufficiat: de quo infrà pro ea citatur à Lugo Cardinalis Bellarminus, immeritò tamen; nam expreſsè dicit ſumptionem eſſe partem eſſentialem Sacrificij: pro qua opinione etiam citatur ab eodem Lugo. *Conſecratio ſola.* Quidquid verò de Bellarmino ſit, eam defendunt, ipſo etiam Lugo teſte, innumeri apud Suarez & Vaſquez, qui illam etiam ſuprà tenent; Diuus Thomas paſſim, Bonauentura, Leſſius, Turrianus, Alanus, & alij, quos refert & ſequitur Tannerus ſuprà nu.41. Stat etiam pro illa Coninck, & ferè omnes Recentiores. Quam ego etiam longè probabiliorem iudico; rem tamen totam ſequentibus concluſionibus decido.

CONCLVSIO PRIMA ſit: Sacrificium hoc 7
Concluſio prima de oblatione. non conſiſtit in ſola oblatione verbali ad Offertorium facta. Non dico illam oblationem non pertinere ad Sacrificium, ſed in ea ſola illud non conſiſtere; & vix eſt vnus aut alter qui hoc neget. Ratio autem eſt manifeſta quia tunc adhuc non offertur Chriſtus; ac proinde ſi ibi perficeretur Sacrificium, non pertineret ad illud niſi ſola ſubſtantia panis & vini: id quod à nullo Catholico dici poteſt. Secundò, ea ſententia reijcitur à nonnullis, quia Sacrificium non tam in verbis quàm in actione aliqua conſiſtit. Quare dum Abraham ſacrificabat filium ſuum nihil certi ſcimus eum loqui voluiſſe. Hoc argumento vtitur Cardinalis Lugo; circa quod obſeruo, cùm hic Auctor, ex eo quòd Scriptura nihil ibi dicat de verbis, colligat illa verba non eſſe ad Sacrificium neceſſaria, putetque non eſſe liberum Auctoribus contrariis dicere, ea verba omiſſa à Scriptura; cur quæſo non eodem omnino iure, ad probandum conſumptionem victimæ non eſſe de ratione, non licebit nobis argumentari ex facto Melchiſedech? vbi etiam Scriptura nullam facit mentionem conſumptionis, ſicut nec verborum.

Sed iam ad lineam. Abſolutè loquendo cenſeo hoc argumentum non eſſe ſufficiens, quia Auctores, docentes eam obligationem eſſe Sacrificium, non dicunt ratione verborum, ſed ratione rei quæ tunc offertur, Eccleſia etiam tunc videtur inſinuare offerri hoſtiam Deo. Quidquid ergo de hoc argumento ſit, ſufficientiſſimum eſt primum, cui & accedere alterum poteſt. Nam ſi Sacerdos ante conſecrationem decedat, nunquam Eccleſia putauit eſſe confectum Sacrificium altaris, ſed potiùs in rigore neque inchoatum propriè; vnde non obligat tunc ad perficiendum Sacrum, ſed ſummùm vt panis & vinum,

vinum, quia benedictionem aliquam acceperant, poſteà ab alio Sacerdote poſt Sacrum ſumantur; vel certè vt in ſacrario reponantur, vti ſolet reponi aqua, qua corporalia abluuntur. hinc autem.

Concluſio ſecunda, de eadem oblatione.

8 Secvnda conclvsio: Nec quidem partialiter ea oblatio pertinet ad Sacrificium, ſed eſt quædam moralis ſanctificatio materiæ præuia ad Sacrificium. Ratio huius eſt prima, quia non conſtat Chriſtum Dominum vſum eſſe ea oblatione dum tradidit ſuum corpus Apoſtolis; nam licet dicatur benedixiſſe, nihil tamen de vlla alia oblatione, ſed de ipſa conſecratione, fractione & diſtributione dicitur, quo ergo iure, quo fundamento poſſumus nos eam oblationem, quæ ab Eccleſia inducta eſt per modum ſanctificationis moralis eius materiæ, facere iam partem eſſentialem Sacrificij à Chriſto inſtituti? Ad argumentum autem, quod ex verbis Eccleſiæ deſumptum erat, reſpondemus, Eccleſiam ibi per anticipationem vocare immaculatam hoſtiam panem illum, ſcilicet Chriſtum, loco illius paulò pòſt offerendum: id quod vel inde euidenter confirmatur; nam ſubſtantia illa panis ſecundùm ſe conſiderata nihil omnino habet plus quàm alii panes, ob quod Eccleſia cum tanta energia illam vocaret immaculatam hoſtiam, & illam diceret ſufficientem pro innumerabilibus peccatis, &c. Aduerte, me ideò ſuprà citaſſe Tannerum pro ſententia aſſerente eam oblationem eſſe partiale Sacrificium: nam ipſe Tannerus vtitur iis verbis Eccleſiæ pro ſua ſententia; vnde ſatis inſinuat Sacrificium iam tunc inchoari. Puto tamen eum non tam ſentire initium Sacrificij tunc eſſe, quàm quòd etiam panis ipſe pertineat ad rationem Sacrificij. Verùm de hoc infrà nobis erit ſermo; iam enim non tam de hoſtia quàm de actione, qua illa ſacrificatur, agimus. Et contra hanc ſententiam ſatis.

Concluſio tertia, de oblatione poſt conſecrationem.

9 Conclvsio tertia: Oblatio, quæ fit poſt conſecrationem, non eſt Sacrificium, nec quidem partiale. Hæc non eſt tam certa quàm præcedens; nihilominùs tamen facillimè ſuadetur; Primò, quia (vt immediatè antè dixi de oblatione ante conſecrationem) nulla eſt in Scriptura mentio de hac oblatione ſecunda à Chriſto facta; ergo non poſſumus, ſi ſolidè diſcurrendum eſt, eam ponere vt eſſentialem Sacrificio. Secundò argumentor; Quia Eccleſia, ſi in calicis ſumptione deprehendatur non fuiſſe vinum, præcipit nouum apponi, benedici, conſecrari, & ſtatim ſumi; nihil autem penitus de repetitione ſecundæ eius oblationis; ſi autem ea eſſet pars Sacrificij, nullo modo fuiſſet ab Eccleſia prætermiſſa. Tertiò, quia (vt Suarez ait) eſto ſit antiqua cæremonia, non videtur tamen Eccleſia ſemper eam adhibuiſſe; adducitque ſectione 3. teſtimonia Ambroſij, Cypriani & Gregorij, quibus inſinuat, cùm primùm Sacerdos conſecrat, eo ipſo eſſe holocauſtum.

Obiectio: Solutio.

Dices: De eſſentia Sacricij eſt oblatio; hîc autem nulla alia eſt; ergo. Reſpondeo, Ad Sacrificium non eſſe neceſſariam vllam oblationem verbalem, ſed ſufficere oblationem ipſius hoſtiæ; hoſtiam autem dicimus offerri Deo, dum ponitur Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini; obligationem autem illam verbalem non aliud eſſe quàm deprecationem quamdam, quæ fieri olim ſæpè ſolebat ſupra res oblatas; & de facto etiam Eccleſia poſt totum Sacrum finitum immediatè ante benedictionem & Euangelium ſancti Ioannis petit, vt Sacrificium oblatum ſit acceptabile, &c.

Altera obiectio ex Tridentino.

Dices vlteriùs: Tridentinum Seſſione 22. cap. & can. 1. diſtinguit actionem offerendi ab ipſa conſecratione; & quod grauius eſt, in obligatione videtur conſtituere rationem Sacrificij; ait enim *Offertur Euchariſtia vt Sacrificium, conſecratur & ſumitur vt Sacramentum.* Vnde videtur inferri, Sacrificij rationem non in conſecratione, ſed in oblatione conſiſtere. Reſpondeo, Concilium ibi non dixiſſe, eas actiones eſſe realiter diſtinctas, prout debebat dicere, ſi eſſet vera ſententia quam impugno; ſolùm ergo enumerauit quaſi varios conceptus eius actionis, quòd ſit oblatio, ſit conſecratio, &c. 10

Concluſio quarta, de fractione hoſtiæ.

Qvarta conclvsio: Hoc Sacrificium non conſiſtit etiam inadæquatè in fractione hoſtiæ: & quidem contra Auctores eius ſententiæ id probatur, quia illi non volunt conſiſtere eam rationem Sacrificij in fractione, quatenus dicit ordinem ad diſtributionem Sacramenti. Hinc enim argumentor, Chriſtus non aliam fractionem panis feciſſe fertur, niſi vt illum diſtribueret; ergo ſi non conſtituit rationem Sacrificij in ea nulla alia fractio erit, quæ ad rationem Sacrificij pertineat. Vrgeo idem argumentum, nam calicis ſpecies, quia ad diſtributionem non indigebant vlla fractione, non legitur Chriſtus diuiſiſſe, vnde nec de facto eas diuidit Eccleſia, & tamen etiam ſub illis fit Sacrificium. Tertiò idem probatur, quia ſi hoſtia ante fractionem & ſumptionem cadat in ſpecies ſanguinis, Eccleſia præcipit nullam fieri fractionem, ſed vtrumque ſimul accipi. Item eſt, caſu quo ſumpto calice deprehenderetur hoſtia non fuiſſe conſecrata, quia non eſſet ex pane triticeo, tunc enim deberet iterùm alia conſecrari, & ſtatim ſumi ſine noua fractione. Probari etiam ab aliis ſolet, quia in Liturgia ſancti Baſilij nihil eſt de ea fractione: id quod alij negant. Dicimus igitur eam fractionem ſolùm eſſe per modum cæremoniæ, ſicut aliæ multæ actiones in Miſſa ſunt.

SECTIO III.

Excluditur ſumptio Sacramenti à ratione Sacrificij.

Communio Sacerdotis nõ eſt pars Sacrificij.

Conclvsio: Sumptio Sacramenti, etiam vt à Sacerdote fit, non eſt nec quidem partialis eſſentia Sacrificij. Hæc eſt contra Auctores quartæ ſententiæ ſuprà citatos, eſt tamen communiſſima in Scholis, & (vt dixi ſuprà) ipſi Aduerſarij fatentur eam ab innumeris teneri, & quidem quòd ſumptio non ſit adæquatum Sacrificium probatur à Suario, quia alioquin Sacerdos extra Sacrum communicans ſacrificaret: id quod apertè falſum eſt. Huic argumento reſpondet Cardinalis Lugo, Si Sacerdos ille habeat animum ſacrificandi, omnino ſacrificaturum, grauiter tamen in ea actione eum peccaturum: ita ſectione 6. num. 79. Ego verò in hac ſolutione duo vehementer miror; Primum eſt, quòd cùm hic Auctor, agens ſæpiùs, Vtrùm Sacerdos extra Sacrum ſeipſum poſſit communicare, fortiſſimè id neget, & ad id probandum dicat, ad eam Communionem extra Sacrum per accidens omnino ſe habere Sacerdotium, ac proinde eam Communionem eſſe purè purè laïcã, cùm inquam id dicat, miror iam vehementer ipſum 11

Argumentum Suarez.

Reſponſio Cardinalis Lugo impugnatur.

ipſum docere, Sacerdotem tunc, ſi velit, poſſe ſacrificare; quomodo enim ſacrificabit, ſi ſe gerit vt purus laicus? & (vt ibidem docet idem Auctor) laicus ſacrificare non poteſt, ac proinde in ea actione Sacerdos non ſe gerit vt legitimus Miniſter. Secundò, cùm hic Auctor dicat Sacerdotem celebrantem non poſſe abſoluere Sacrificium ſumendo hoſtiam ab alio conſecratam, ſed debere eam ſumere quam ipſe conſecrauit, non video, quomodo ſit in manu eius extra Sacrum communicantis ſacrificare; nec ſufficit reſpondere, eam obligationem ſumendi eam, quam ipſe conſecrauit, ſolùm eſſe vt licitè ea actio perficiatur, non verò vt validè; hoc inquam non ſufficit, quia ſi ſemel Sacerdos validè ſacrificat, ſeu perficit Sacrificium conſumendo hoſtiam ab altero conſacratam, ego non video cur debeat eſſe ea tanta obligatio ſumendi ex conſecratis à ſe; cùm moraliter loquendo iam idem ſit vna ac altera hoſtia conſecrata. Neque ad hoc poteſt adduci vlla inſtantia ex antiquis Sacrificiis, in quibus Sacerdotes debebant participare de Sacrificiis à ſe oblatis: etenim ibi non cenſebatur hoſtia propriè manere ex præcedentibus Sacrificiis; ſicut hîc moraliter eſt eadem omnino hoſtia Chriſtus heri conſecratus, & permanens adhuc in ſpeciebus; eſt inquam eadem cum Chriſto hodie conſecrato in aliis numero diſtinctis ſpeciebus.

12 Dices: Hæc replica non minùs eſt contra me, quàm contra Auctores cum quibus iam diſputo; nam cùm in ea mea ſententia ſumptio Sacramenti non pertineat vllo modo ad valorem Sacrificij, obligatio ſumendi de eadem hoſtia conſecrata oriri non poteſt vllo modo ex ratione Sacrificij, ergo oritur ex præcepto; ergo eodem modo reſpondere poterunt Aduerſarij, eſſe præceptum de ea hoſtia ſumenda; quidquid ſit, Vtrùm ſumendo de hoſtia ab alio conſecrata abſolutè perficiatur validè Sacramentum néc ne. Reſpondeo, Hac obiectione oſtendi ſecundum argumentum poſſe vtcumque ſolui, ſi ea obligatio ſumendi de hoſtia tunc conſecrata non fundetur in eo, quòd ſumptio pertineat vt pars integralis ad rationem Sacrificij: at hi Auctores maximè videntur in eo vim facere; vnde, ex eo quòd docuerint eam ſumptionem eſſe Sacrificium, inferunt contra Henriquez & Fagundez eſſe improbabile, poſſe Sacerdotem licitè relinquere hoſtiam à ſe conſecratam, & aliam ſumere. Quidquid tamen de hoc ſecundo argumento ſit,

Aliter impugnatur

Tertiò principaliter eam ſolutionem reiicio. Nam vel ſumptio Sacerdos extra Miſſam eſt inſtituta à Chriſto Domino in Sacrificium vel non: ſi non, ergo, quantumuis Sacerdos habeat intentionem ſacrificandi, non poterit ſacrificare; quia Sacrificium non poteſt inſtitui auctoritate & voluntate priuata: ſi verò ea Communio eſt inſtituta in Sacrificium, cur quæſo peccabit Sacerdos habens tunc voluntatem ſacrificandi, & non potiùs valdè merebitur, quia ei Communioni tribuit (ſuppoſita voluntate Chriſti) vim obtinendi gratiam, & ſatisfaciendi pro culpis, quam non haberet, ſi non eſſet Sacrificium? ergo duæ illæ partes concluſionis, quòd ſcilicet poſſit tunc Sacerdos, ſi velit, ſacrificare, & quòd tamen in eo peccet grauiſſimè, non cohærent inter ſe, ac proinde non ſit ſatis argumento, quod à Suario & Vaſquez contra hos obiicitur.

Faciliùs tamen reſponderi poteſt, Non quamcumque Communionem eſſe Sacrificium ſed eam quæ fit à Miniſtro publico vt tali; quia Sacrificium (iuxta ſæpè dict.) debet eſſe actio publica, & à Sacerdote vt tali; Communio autem, quæ fit à Sacerdote extra Sacrum, non eſt actio publica, nec per ſe requirit Sacerdotium in eo; quid ergo mirum, ſi non pertineat ad rationem Sacrificij, etiamſi ea, quæ fit ab eodem Sacerdote celebrante, ſit Sacrificium. 13

Reſponſio melior pro contraria opinione.

Secundò alij argumentantur: Quia Feria ſexta Paraſceues non fit Sacrificium, etiamſi tunc Communio fiat à Sacerdote vt perſona publica; ergo. Hoc tamen argumentum non vrget, quia inde ſolùm ſequitur, eam ſumptionem non eſſe adæquatè Sacrificium, at quòd ſimul cum conſecratione non ſit pars Sacrificij, nullo modo probat.

Aliud argumentum debile pro noſtra opinione.

Meliùs ergo Primò id ſuadetur auctoritate multorum Patrum, qui horam immolationis eam ſolam vocant, qua Sacerdos conſecrat. Ita Gregorius 4. Dialogorum cap. 26. Irenæus lib. 4. Contra Hæreſes cap. 32. num. 7. Nyſſenus Oratione 1. de Chriſti reſurrectione, Iſidorus lid. 1. Etymologiarum cap. 16. Ambroſius in Pſalmum 36. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 5. Myſtagogica, Rupertus lib. 2. in Exodum cap. 6. & alij; quorum verba videri poſſunt apud Suarium & Vaſquez ſuprà.

Meliùs probatur teſtimoniis Patrum.

Probatur vlteriùs ex Concilio Toletano XII. cap. 5. & refertur in cap. *Relatum.* de conſecratione, diſtinctione 2. in quo reprehenduntur Sacerdotes, qui cùm ſæpiùs Sacrificium offerant de die, ſemel tantùm communicant; adduntúrque hæc verba, *Quaſi verò non ſit toties illi vero & ſingulari Sacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis immolatio facta conſtiterit.* Quibus verbis clarè ſupponunt, ante ſumptionem eſſe conſummatum Sacrificium per conſecrationem, ſumptionem autem ſolùm eſſe participationem Sacrificij.

Ex Concilio Toletano.

Tertiò probatur ex Trident. Seſſione 22. vbi declarans Chriſti Domini Sacerdotium, quo pacto nocte Cœnæ ſe oſtenderit Sacerdotem, nihil de ſumptione dicit; ſed quòd ſub ſpeciebus panis & vini ſuum corpus & ſanguinem Deo Patri obtulerit; hoc autem haud dubiè factũ eſt per ipſam conſecrationem: & licet videatur Concilium, dum hæc addit, *Ac ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit,* per hæc verba denotare, Apoſtolos conſtitutos eſſe Sacerdotes dum eis tradidit ſumendum corpus, &c. ac proinde ipſam ſumptionem pertinere formaliter ad rationem Sacrificij? nihil tamen id nobis obeſt, nam immediatè pòſt ipſum Concilium explicat, in quo Apoſtolos conſtituit Sacerdotes; *Et eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit.* Ergo Concilium in oblatione poſuit vim Sacerdotij & ſucceſſionis in officio Sacerdotum reſpectu Apoſtolorum. 14

Ex Tridentino Concilio

Confirmo hoc argumentum, quòd licet videatur eſſe ab auctoritate negatiua, eſt tamen in præſenti magni momenti: etenim cùm de ratione huius Sacrificij non conſtet nobis niſi ex ipſo facto Chriſti & Eccleſiæ explicatione, profectò non debemus illud conſtituere niſi in ea actione, quam certò conſtat à Chriſto fuiſſe exercitam, & quam Eccleſia poſitiuè dicit pertinuiſſe ad Sacrificium; cætera verò, de quibus non

Etiamſi argumentum ſit ab auctoritate negatiuà.

Digitized by Google

non fuit vlla facta mentio, non debent poni vt pars Sacrificij: hac enim ratione & oblationem verbalem reiicimus à Sacrificio, quia non conſtat eam à Chriſto factam, & de ea nihil dicit Eccleſia, atqui Chriſtum ſeipſum communicaſſe etſi probabilius ſit, non tamen conſtat ex Scriptura, dum narrat inſtitutionem huius Sacrificij: Eccleſia item nihil dicit, quòd ea conſumptio ad rationem Sacrificij pertineat, ergo. Huic argumento reſponderi poſſet per teſtimonia, quæ pro ſe ij adducunt: verùm paulò pòſt oſtendemus ea eſſe valdè debilia.

Argumentum ad hominem. Vltimò ea concluſio probari maximè ad hominem poteſt ex principiis eorum qui requirunt deſtructionem victimæ, vt habeat proportionem quamdam ad ſignificandum in honorem Dei nos debere vitam noſtram noſtraque omnia profundere. Etenim (vt notauit Pater Coninck) ſumptio hoſtiæ non eſt oblatio Deo facta; ſed vt ſic dicam, potiùs eſt oblatio nobis facta, ergo, &c.

15 *Duplex conſumptio.* Dices: Illa res verè conſumitur in Dei honorem, ergo ſacrificatur, ſicut quando occiditur ouis, &c. Sed contrà manifeſtè, quia dupliciter poteſt res aliqua à me conſumi: Primo modo, vt illa ego non vtar in bonum meum, ſed quaſi à me alienando illam deſtruam in illius honorem quem colo, & hoc modo olim fiebant Sacrificia. Secundo modo poteſt à me res aliqua conſumi, vt maneat ſemper quaſi in meo dominio, & tota inſumatur in vtilitatem meam, in quam natura ſua petit inſumi; vt cibus inſumitur dum eum comedo; veſtis dum eam geſto; & in me lacero ipſo vſu. Hoc ſecundo modo dico prorſus eſſe inutilem eam conſumptionem ad Sacrificium: quis enim quæſo, re moraliter prudenter conſiderata, dicet me ſacrificare in honorem alterius, & me illi offerre veſtem, quam ego pro meis vſibus retineo, quam ego induo, &c. Deinde, ne faciamus hîc quæſtionem de nomine, haud dubiè, ad proteſtandum quòd ego debeam pro illo mori, & mea pro illo amittere (vt dixi ad his Auctoribus requiri ad Sacrificium) quis poterit cum aliqua probabilitate dicere, aptam eſſe eam conſumptionem; quomodo enim ego oſtendo, me pro Antonio v.g. velle mori, dum maximè meam vitam conſeruo comedendo; Secundò quomodo proteſtor me velle pro eo meas veſtes abiicere, dum eas mihi omnino retineo, eaſque in meos ſolos vſus conſumo, Si ad rationem Sacrificij non requireretur ea deſtructio & proportio naturalis cum proteſtatione dominij Dei in vitam & necem, & cum amiſſione omnium noſtratum rerum pro Deo (vt nos ſuprà diximus non requiri) poſſet ea ſumptio facilè admitti ad rationem Sacrificij; at, iuxta doctrinam eorum cum quibus ago, non video vllo modo, quomodo in ſumptione poſſit eſſe Sacrificium, cùm nulla ſit proportio ad ſignificandam eam omnium rerum à me pro Deo alienationem.

SECTIO IV.

Soluuntur aliquæ obiectiones contra dicta.

Pro ſumptione argumentantur Cardinalis Lugo ex S. Auguſtino. VERVM iam videamus quæ pro ſumptione adducuntur. Primò ergo à Cardinale Lugo adducitur Auguſtinus lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 5. circa finem; vbi ait, *Manducare panem etiam ipſum Sacrificij genus expreſſit*, & in fine planè addit: *Ideò hic dicit manducare panem, quod eſt in nouo Teſtamento Sacrificium Chriſtianorum.* Reſpondeo, Legentem illud caput ſtatim clarè intellecturum ibi eſſe ſermonem de manducatione Sacramenti laicæ; ac proinde teſtimonium non eſſe vllo modo ad rem. Id verò patet manifeſtè; nam Auguſtinus toto eo capite tractat locum 1. Reg. 2. vbi reprobatus fuit Heli & filij eius; vbi etiam dicitur, quòd qui ex ipſo eſſent remanſuri, eſſent venturi ad Sacerdotem vt peterent buccellam panis. Quæ omnia transfert Auguſtinus ad populum totum Hebræorum & Chriſtianorum; & oſtendit, quomodo illi pauculi; qui de facto conuertuntur ex Iudæis, veniant ad petendam Communionem Euchariſticam. Vnde ibi addit Auguſtinus, dum dicitur, *Ad partem Sacerdotij*, &c. intelligi plebem Chriſtianam, iuxta illud 1. Petri 2 *Regale Sacerdotium, gens ſancta*, &c. Dicit ergo eos Iudæos petituros partem Sacrificij; & ad hoc intentum ait, *Manducare panem eſſe Sacrificium Chriſtianorum.* Vides ergo eum agere de manducatione plebis, ſeu de vniuerſali omnium? ergo hic locus minus probaret. Quo igitur ſenſu agit; Reſpondeo, Panem ipſum vocari ad Auguſtino Sacrificium: id quod veriſſimum eſt: vnde valde benè ad rem concludit, *Iudæos conuerſos & plebem reliquam Chriſtianam de Sacrificio manducare*: inde autem quid quæſo ad rem noſtram; non enim agimus de re quæ dicitur ſacrificata, ſeu Sacrificium, ſed de actione per quam ſacrificatur. *Explicatur S. Auguſtinus de communione laica.*

Argumentum ex Petro Cluniacenſi ſoluitur. Secundo loco adducitur Petrus Cluniacenſis lib. 1. Epiſtolarum, cap. *Contra id quod dicunt Miſſam nihil eſſe, nec celebrari debere*; vbi ait: *Dicitur autem immolari, cùm licet inuiolabiliter in altari frangitur, diuiditur, comeditur, cum his & quibuſdam aliis ſignis, in quantum fieri poteſt, mors Domini maximè repræſentatur*. Miror ego hunc locum adduci, in quo æqualiter de fractione, diuiſione ac de manducatione loquitur Cluniacenſis, cùm tamen ij Auctores nullo modo velint ad rationem Sacrificij eam fractionem pertinere, vt diximus ſuprà. Reſpondeo ergo, Cluniacenſem ſolùm voluiſſe ibi directè oſtendere Chriſtum per eas actiones nihil pati, ideoque eas vocare immolationes incruentas & ſacrificium impropriè.

Argumentum ex vſu Eccleſiæ confirmatur ex Concilio Lateranenſi. Tertio loco adducitur Eccleſia Latina Feria ſexta Hebdomadæ Sanctæ, vbi ait; *Sic fiat Sacrificium noſtrum hodie, vt placeat*. & infrà: *Orate fratres, vt meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile ſit*, &c. Confirmatur ex Concilio Lateranenſi Canone 49. vbi præcipitur in Quadrageſima fieri Sacrum ex præſanctificatis. Reſpondeo tamen Primò, Ea verba Eccleſiæ Latinæ neceſſariò intelligenda cum aliqua figura; nam etiam vocat Sacrificium populi, cùm certum ſit populum non ſacrificare propriè. Secundò dico, Eccleſiam ibi vſurpare vocem *Sacrificium* Pro hoſtia Sacrificij, quæ præcedenti die fuerat immolata, precari autem vt ea ſit nobis & Eccleſiæ vtilis, vti ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 5. ait: *Poſt factum Sacrificium ſupra ipſa propitiationis hoſtia pro communi Eccleſiæ pace, & pro omnibus qui inter nos vita functi ſunt, oramus.* Quæ Verba ad rem præſentem clariſſima ſunt, & verò adhuc poſt Communionem immediatè ante benedictionem, & ante Euangelium ſancti Ioannis, Eccleſia *Soluitur ex Cyrillo Hieroſolymitano.*

Digitized by Google

Eccleſia petit vt Sacrificium, quod obtulimus ſit Deo acceptabile, & omnibus, pro quibus oblatum eſt, propitiabile; non ergo Eccleſia petit vt Sacrificium ea Feria ſexta fiat; ſed vt Sacrificium præcedentis diei in hoſtia tunc oblata de nouo fiat acceptabile. Et verò eam ſumptionem non eſſe verum Sacrificium probo efficaciter; quia illa ſumptio Sacramenti cum illo ritu eſt ab Eccleſia inſtituta: oſtendi autem ſuprà Eccleſiam non habere poteſtatem inſtituendi Sacrificium; oſtendi etiam contra hunc Auctorem; non poſſe probabiliter dici Sacerdotem more laico communicantem, poſſe validè ſacrificare: ea autem Sacerdotis Communio re ipſa eſt laica; ſoliſque ſolemnitatibus ad Eccleſia, vt dixi, inductis differt à reliquis Sacerdotum extra Sacrum Communionibus, ſeu à laica Sacerdotis Communione. Ex hac ſolutione reſpondetur etiam clarè alteri argumento, Quòd ſcilicet ſi Sacrificium perficeretur in conſecratione, fruſtrà poſteà fieret applicatio pro defunctis in ſecundo *Memento*. Verùm huic argumento & ipſe Lugo tenetur reſpondere; ita enim ille Sacrificium ponit in ſumptione, vt hæc non ſit pars eſſentialis, ſed integralis illius; ac proinde conſecratio cùm primùm fit, iam ſit Sacrificium, iam cauſet effectus Sacrificij, eſto poſteà alij noui cauſentur per ſumptionem. Hinc ego argumentor; Ergo qui Sacrificium ſeu Miſſam offerre tenetur pro defunctis non ſatisfacit offerendo ſumptionem, cùm iam maior & magis præcipua pars Sacrificij peracta ſit, eſto aliqua adhuc reſtet: ſi diceretur, Sacrificium indiuiſibiliter eſſentialiter compleri per ſumptionem, procul dubio ſufficeret ea oblatio tunc; at data illa ſententia non ſufficit. Reſpondeo ergo abſolutè; Oblationem Sacrificij antecedenter ante conſecrationem eſſe faciendam, vti eam facit Eccleſia illis verbis ad Offertorium, *Pro innumerabilibus peccatis meis*, &c. vbi illud offert tam pro viuis quàm pro defunctis: quòd verò deinde ſpecialiter oretur pro viuis in primo *Memento*, & pro defunctis in ſecundo, non pertinet directè ad directam Sacrificij oblationem, ſed ad ſpeciales preces iis perſonis; nam ſi extra omne Sacrificium orationes ſunt bonæ & vtiles, à fortiori etiam peracto Sacrificio adhuc tamen victima ipſa præſente, iuxta ea quæ ex Cyrillo paulò ante diximus

18 *Aliud argumentum ſoluitur.*

19 *Quartum argumentum pro ſumptione.*

Quartum fundamentum eſt, quia ſi ſumptio non eſſet de eſſentia Sacrificij, nulla eſſet ratio, cur tam ſeuerè præciperetur ſumptio. Reſpondetur, Fuiſſe olim frequens in Sacrificijs ſumere de immolatis, eſto ea ſumptio non fuiſſet pars Sacrificij; Secundò, Chriſtum id præcepiſſe: quia enim hoc Sacrificium inſtituebat ſimul per modum Sacramenti, iure merito, vt in ipſo ſacrificante cauſaret gratiam, iuſſit illum de eo Sacrificio participare. Et ſanè eſto oblatio illa prior verbalis hoſtiæ, *Suſcipe ſancte Pater*, &c. non ſit de eſſentia Sacrificij (vt & hi fatentur) nihilominùs Eccleſia eam grauiſſimè præcipit; ac proinde caſu quo deprehendatur error aliquis in calice, aut pane, & noua debeat hoſtia conſecrari; neceſſariò eſt ea benedictio præmittenda. Denique, cùm hic Auctor dicat, Ita conſecrationem eſſe Sacrificium, vt ſumptio nouum tantùm addat valorem, eo modo quo ſecundæ ſpecies ſumptæ plus cauſant gratiæ quàm prima; & eodem modo ſumptio ſecundæ partis hoſtiæ addit nouum valorem etiam in ratione Sacrificij rogandus eſſet, Cur Eccleſia eſt contenta, etiamſi homo ſumat vnam tantùm hoſtiam, & non cogit Sacerdotem ad ſumendas plures; etiamſi eo modo Sacrificij valor augetur, non minùs quàm per ſumptionem augetur ſupra conſecrationem; Certè ego etiam dicerem, Niſi ſumat Sacerdos omnes hoſtias quas conſecrauit, non eſſe integraliter totam rationem Sacrificij perfectam; ob cuius perfectionis defectum putant hi tam ſeuerè præcipi ſumptionem.

20 *Aduerſarij ex D.Thoma argumentantur Primò.*

Vltimò obiici ſolet Diuus Thomas, qui quæſt.80. art.12.ad 3. ait; Sacerdotem in perſona omnium ſumere hoc Sacrificium; ergo ſentit, eam non eſſe actionem priuatam, ſed communem, ac proinde eſſe Sacrificium. Reſpondeo, Hoc argumentum nullum eſſe, quia non omnis actio, quæ fit nomine omnium, eſt Sacrificium: nomine enim omnium Sacerdos dicit publicas orationes in templo; quæ tamen non ſunt conſtitutiuæ vllo modo Sacrificij.

Secundò.

Secundò obiicitur idem Sanctus Doctor quæſt.83. art.6. ad 3. vbi ait, ideò debere nouum vinum conſecrari, ſi quod eſt conſecratum non poſſit ſumi; quia alioquin Sacrificium maneret imperfectum. Reſpondeo, Dupliciter dici rem imperfectam; Primò quia deeſt illi aliqua pars integralis, ſicut homo ſine brachio, ſine manu, pede, &c. dicitur imperfectus: alio modo poteſt res dici imperfecta ſine ornatu illo etiam accidentali quo perficitur hoc modo eſſentiæ ſine paſſionibus dicuntur in rigore Scholaſtico imperfectæ: hoc modo homo cæcus, ſurdus, ſtultus, &c. dicitur, & eſt re ipſa imperfectus, eſto nihil ſubſtantiale illi deſit. Dicimus ergo, Sacrificium hoc exigere Communionem per modum ornatus & perfectionis accidentalis, non verò per modum complementi ſubſtantialis (vt bene notauit Tannerus ſup. numer. 44. poſt Suarez ſect.5.& alios;) & ipſe D. Thomas expreſsè dicit quæſt.83. art. 4. ſumptionem Sacramenti ſe habere omnino conſequenter ad rationem Sacrificij, etiam ſit participatio illius. Certè cùm ibi D. Thomas ageret, cur teneatur Sacerdos communicare, ſi ipſe putaret eam ſumptionem eſſe partiale Sacrificium, primo loco debuiſſet afferre hanc rationem; quam cùm non inſinuauerit, non ſcio quo iure poſſit quis eum pro ea adducere.

21 *Tertiò.*

Tertiò adducitur idem Sanctus Doctor q.83. art.2.ad 2. vbi ait, Ne Feria ſexta in Paraſceue careat Eccleſia fructu Paſſionis Chriſti, ſumi à Sacerdote corpus conſecratum; ergo ſentit Sanctus Doctor per ipſam ſumptionem communicari fructum huius Sacrificij. Reſpondeo, Si legatur D. Thomas, ſtatim appariturum malè ipſum adduci: etenim eo loco cum reflexione dixit; *Ne priuetur Eccleſia fructu huius Sacramenti*, non nominauit *Sacrificium*, ſed *Sacramentum*, quia tunc per modum tantùm Sacramenti prodeſt Sacerdoti, & ratione Sacerdotis cenſetur non eſſe tota Eccleſia excluſa ab eo fructu. Adde, ſicut paulò antè diximus, hanc hoſtiam præſentem iuuare, licet non per modum Sacrificij, vt preces ſint efficaciores, maximè quando illæ nomine Eccleſiæ funduntur, vt fit ea Feria ſexta.

Quartò.

Vltimò adducitur Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 85. art.3. ad 3. vbi ait, Panem in tantum ſacrificari, in quantum frangitur, comeditur, & benedicitur. Reſpondeo, Etiam hanc citationem non eſſe ad rem; Primò, quia probaret

Digitized by Google

ret nimis multùm & contra hos ipſos Auctores; nam fractionem illi negant eſſe de ratione Sacrificij, ſicuti benedictionem. Secundò, quia D. Thomas ibi non agebat de Sacrificio Euchariſtiæ, in quo non panis, ſed Chriſtus ſacrificatur, ſed de Sacrificio in communi; & volebat probare, debere ſupra rationem oblationis fieri in re oblata ad hoc, vt eſſet Sacrificium, aliquod Sacrum ſiue per benedictionem, ſiue per gratiarum actionem, &c. in quo autem Euchariſticum Sacrificium conſiſteret, ibi nec per vmbram tetigit; alioquin, quia de conſecratione nihil ibi dixit, deberet à ratione Sacrificij iuxta D. Thomam ea excludi. Conſtet ergo Sanctum Doctorem nec apparenter quidem ei ſententiæ fauere; contrariam verò, quò in ſola conſecratione hoc Sacrificium conſiſtat, paſſim docere. Et de Diuo Thoma ac de fundamentis eius ſententiæ hactenus.

SECTIO V.

Hoc Sacrificium conſiſtit in conſecratione, & quomodo?

22 EX dictis conſtat ſolam conſecrationem eſſe propriè & formaliter Sacrificium, iuxta ſententiam ſuprà vltimo loco allatam; in qua duo adhuc ſunt nobis declaranda; Primum, quomodo ad rationem Sacrificij pertineat conſecratio. Ratio autem dubitandi oritur ex multorum doctrina, quòd ſcilicet ad rationem Sacrificij neceſſaria ſit victimæ mactatio, ſeu conſumptio; non apparet autem quomodo Chriſtus in conſecratione conſumatur. Secundum dubium eſt, An ſola vnius ſpeciei conſecratio habeat rationem Sacrificij, an verò neceſſariò vtraque includatur: de hoc Sectione ſequenti.

SVBSECTIO I.

Duæ ſententiæ reijciuntur.

Prima ſententia reijcitur. CIRCA primum non defuère qui dixerunt, Ratione deſtructionis panis & vini fieri immolationem. Verùm hi Auctores, ſi dicant panem & vinum ſolùm eſſe hoſtiam quæ ſacrificatur, facillimè reijciuntur; quia inde ſequeretur Chriſtum non ſacrificari: id quod valdè abſurdum eſt, & contra omnes ferè Theologos ac Patres, qui vnanimiter docent, hoſtiam quæ immolatur eſſe Chriſtum; ac proinde vlteriùs aſſerunt idem eſſe Sacrificium quoad rem oblatam crucis & altaris: ſi verò dicunt Chriſtum etiam eſſe hoſtiam, deberent oſtendere, quomodo ille in conſecratione deſtruatur. *Secunda ſententia.* Secundò alij indicant de ratione Sacrificij abſoluti (hoc eſt, quòd non habeat Sacrificij rationem, quatenus ſignificat aliud Sacrificium) eſſe mactationem victimæ; ad Sacrificium autem, quod eſt commemoratiuum, id non requiri. Rationem diſparitatis dant, quia de ratione Sacrificij in genere eſt ſignificare dominium Dei in vitam & necem: id quod non poteſt congruè ſignificari, niſi in Sacrificio abſoluto ſit mactatio. Quando verò Sacrificium eſt alterius 23 commemoratiuum, eſto in ſe non includat victimæ mactationem, repræſentando tamen alterum Sacrificium, in quo reperitur ea mactatio, poteſt ſaltem mediatè denotare Dei poteſtatem in vitam & necem: Chriſtus ergo in cruce obtulit Sacrificium abſolutum, ideóque debuit ibi interuenire mactatio victimæ; at in altari offertur Sacrificium ſolùm rememoratiuum. Hanc ſententiam inſinuauit Suarez ſect. 5. fuſiùs autem eam docuit Vaſquez cap. 7. qui fundatur in eo, quòd Patres dicant altaris Sacrificium eſſe commemoratiuum Sacrificij crucis. *Suarez & Vaſquez impugnantur.* Verùm ea probatio eſt valdè inſufficiens: aliud enim eſt eſſe repræſentatiuum Sacrificij crucis; aliud verò ea ſolùm ratione eſſe Sacrificium. Primum admittimus à Patribus doceri; ſecundum tamen negamus: vti antiqua Sacrificia ſine dubio erant figura Sacrificij crucis, non tamen ea formali ratione conſtituebantur in ratione Sacrificij: ſed quia erant vera oblatio in ſignum dominij Dei in vitam & necem, &c. & verò Algerus, quem maximè citat Vaſquez pro ſe, non illi fauet; quia nihil aliud docet, quàm quòd Chriſtus in altari non verè occidatur, ac proinde, quatenus immolatio ſolet ſignificare occiſionem, non verè immoletur; id quod veriſſimum eſt; nihil tamen dicit, quòd Sacrificium altaris in ea ſola figura ſeu repræſentatione conſiſtat. Ratio à priori contra eam ſententiam eſt; nam ſignum qua ſignum alicuius rei non participat formaliter verè & propriè conceptum illius rei; ſic imago hominis non eſt verè & propriè homo; ſic voces, quæ ſunt ſigna & repræſentatio conceptuum aut rerum ipſarum, non ſunt realiter conceptus, nec ſunt res ipſæ ſignificatæ: vox enim *homo* non eſt homo, nec vox *Deus* eſt Deus; ergo ſignificatio Sacrificij qua talis non erit Sacrificium, niſi aliunde propriè & abſolutè habeat in ſe prædicata, quæ alioquin definitio Sacrificij in communi requirit.

Dices, Hoc argumento euidenter oſtendi, Sacrificium altaris non eſſe Sacrificium abſolutum; at non propterea ſequi, non eſſe Sacrificium ſignificatiuum. 24 *Replica. Soluitur.* Sed contrà, quia dicere Sacrificium repræſentatiuum, ſeu ſignificatiuum, eſt idem ac dicere repræſentationem ſeu ſignificationem Sacrificij; ſicut dicere hominem repræſentatiuum eſt dicere repræſentationem & ſignificationem hominis; ac proinde eſt dicere hominem ſecundùm quid; quia homo pictus etſi verè ſit homo pictus cum eo addito, non eſt tamen verè & propriè homo; ergo Sacrificium repræſentatiuum eſto ſit verum in ratione repræſentatiui, non erit verum & proprium Sacrificium.

Reſpondebis adhuc: Cognitio quæ repræſentat aliam cognitionem, eſt tamen vera & propria cognitio, eſto non ſit illa ipſa cognitio quam repræſentat; ergo Sacrificium, quod eſt imago alterius, erit verum Sacrificium. *Soluitur.* Reſpondeo, Me non dixiſſe, Id quod eſt imago alterius non poſſe vniuocè conuenire cum illo, ſeu, non poſſe abſolutè & propriè dici tale; ſolùm ergo dixi, Ex eo præciſè capite, quòd ſi alterius ſignum, non habere propriè conceptum rei cuius eſt ſignum. Cognitio ergo reflexa alterius cognitionis ideò eſt propria & vera cognitio, non quia eſt imago alterius, ſed quia eſt actus vitalis obiectum ſuum proponens intellectui immediatè, non minùs quàm ipſa cognitio directa proponit ſuum obiectum, & eſt actus vitalis, &c. Vnde etiam dixi paulò antè. Antiqua Sacrificia fuiſſe ſimul ſigna Sacrificij crucis; non tamen ideò ea excluſi à ratione Sacrificij, quia habebant duos illos conceptus repræſentandi Sacrificium Chriſti; & per ſe immediatè erant oblatio

Digitized by Google

tio in ſignum dominij Dei in vitam,&c. & idem dico de Sacramentis antiquis, quæ fuêre ſimul vera & realia Sacramenta, & ſimul repræſentatiua noſtrorum; non tamen dicimus Ideò fuiſſe Sacramenta, quia erant ſigna noſtrorum (vt ſuprà ſuo loco fuſiùs deduxi) ſed quia in ſe erant vere pignora gratiæ; in quo realem Sacramenti conceptum conſtituimus.
25 Hoc ergo ſuppoſito rogandus eſt Pater Vaſquez, quis ſit conceptus verus & proprius Sacrificij vt ſic, prout abſtrahit à particularibus conceptibus, ſiue iam illi inter ſe vniuocè conueniant, ſiue non; ſicut datur conceptus entis abſtrahens à differentiis; etiamſi multi dicant poſteà ipſas differentias non conuenire vniuocè in ratione entis; vel ergo conceptus Sacrificij vt ſic dicit mactationem ſeu deſtructionem victimæ, vel non: ſi non dicit, ergo etiam Sacrificium abſolutum poterit eſſe verum Sacrificium ſignificando immediatè dominium Dei in vitam & necem; ac proinde iam conſentiet in ſententiam noſtram ſuprà poſitam, quòd ea deſtructio vniuerſaliter non ſit neceſſaria, nec quidem ad Sacrificium abſolutum: ſi verò Sacrificium vt ſic eam requirit, profectò cùm in Sacrificio altaris ea deſtructio non ſit verè & realiter, non participabit verè & realiter rationem communem Sacrificij: ſed ſolùm erit figura veri Sacrificij.

Obiectio ex D. Thoma.

Dices; D. Thomas hac quæſt. 83. art. 1. docet, Sacrificium altaris appellari Sacrificium & immolationem; quia imagines rerum ſolent iiſdem nominibus appellari quibus res ipſæ repræſentatæ. Verùm hic locus duplici ex capite nimiùm probat, & pluſquam Vaſquez velit; quia reuerà videtur à proprio conceptu Sacrificij excludere Euchariſtiam: vti imago Ciceronis & Salluſtij (quo exemplo ibi vtitur Diuus Thomas) etſi dicatur per figuram Cicero, ibi eſt Cicero, ibi eſt Salluſtius; propriè tamen & in rigore non eſt Cicero. Secundò, ideò plus dicit D. Thomas quàm Vaſquez velit; quia ibidem ait Sanctus Doctor, Ea ratione potuiſſe etiam dici in Sacrificiis antiquis (quia erant figura Sacrificij cruenti Chriſti) immolatum fuiſſe Chriſtum; hoc autem Vaſquez non dicet, qui ſine dubio docet in altari verè ſacrificari Chriſtum; qui tamen non fuit verè ſacrificatus, dum hirci, oues, boues, &c. ſacrificabantur in Lege veteri in figura Chriſti; vnde concludo retorquendo argumentum; Sicut non poterat in antiquis Sacrificiis dici eſſe verè ſacrificatum Chriſtum, eſto fuerint figura Sacrificij Chriſti; ita nec Sacrificium altaris ea ſola ratione poſſe dici verum Sacrificium, quòd ſit ſignum Sacrificij cruenti crucis.

Solutio Vaſquez non ſatisfacit.

26 Neque ſatisfacit euaſio Vaſquez ad hanc vltimam obiectionem, quòd in Sacramentis antiquis non fuerit Chriſtus realiter præſens, ideóque non potuerit dici ſacrificatus; hoc inquam non ſufficit; Primò, quia Diuus Thomas tota hac differentia non obſtante nihilominùs dixit, In Sacrificiis antiquis dici eodem iure ſacrificatum Chriſtum: & quidem id conſequenter valdè dictum eſt, ſi ſolùm conſideretur ratio figuræ, ſeu imaginis, in qua Vaſquez ponit Sacrificij Euchariſtici rationem, & pro qua adduxit Sanctum Doctorem. Secundò, ea ſolutio ideò non placet, quia quantumvis Chriſtus ſit in Euchariſtia realiter præſens; ſi tamen re ipſa non immolatur, prout ad rationem Sacrificij requiritur, non eſt cur debeat dici magis ſacrificari, quàm ſi præſens non eſſet.

Reſpondetur ad D. Thom.

Ad auctoritatem ergo D. Thomæ abſolutè reſpondetur, Illum (vt ſuprà oſtendimus) non requirere ad rationem Sacrificij vt ſic veram deſtructionem rei; vndè ſtrictiùs vſurpat immolationem quàm Sacrificium; Chriſtum ergo negat immolari, niſi in figura; de alio verò modo ſacrificandi ibi non agit Sanctus Doctor: & ſanè multi cùm admittant verùm Sacrificium in Miſſa, non tamen volunt admittere veram immolationem.

Fortaſſe poſſet quis dicere, ideò conſecrationem eſſe Sacrificium, non quia eſt imago Sacrificij quà talis; quandoquidem eſſe rei alicuius imaginem (vt oſtenſum eſt) non conſtituit veram & propriam rationem eius rei ſignificatæ; ſed quia conſecratio illa, dum repræſentat mortem Chriſti, habet iam aliquam ſimilitudinem & analogiam naturalem cum dominio Dei in mortem & vitam noſtram: qua ſimilitudine data optimè poteſt illa conſecratio aſſumi ad immediatè ſignificandum illud dominium, & per hoc conſtitui in ratione immediatè Sacrificij, & non ſolùm quatenus eſt figura alterius; quomodo videtur Pater Vaſquez immediatè declarare ſuam ſententiam, dum infrà agens, Vtrùm conſecratio vtriuſque ſpeciei ſit ad Sacrificium neceſſaria, ait non potuiſſe in vnius ſpeciei conſecratione congruè Sacrificij rationem conſtitui, quia non fuiſſet tunc ſignificata clarè mors Chriſti; vbi etiam ait; Pro ſignificatione ad placitum, quæ rebus ipſis imponitur (vti fit in Sacrificio) debere præcedere ſimilitudinem aliquam naturalem ex parte ipſarum rerum. Reſpondeo; Si Vaſquez hoc modo velit ſuam ſententiam exponere, omnino illum euaſurum argumentum, quod maximè vrgetur contra ipſum; quia verè & realiter poneret immediatam rationem Sacrificij, & non figuratiuam tantùm, eſto ſimul noſtrum Sacrificium eſſet repræſentatiuum alterius, vt diximus de Sacrificiis Legis antiquæ.

Verùm non videtur velle hic Auctor huiuſmodi explicationem ſequi: quod patet Primò, 27
Explicatur mens Vaſquez.
quia iuxta illam dicere etiam deberet Euchariſtiam eſſe Sacrificium abſolutum, & non ſolùm figuratiuum, ſicut Sacrificia antiqua; cùm tamen totus in hoc videatur eſſe, vt oſtendat illud non eſſe niſi figuratiuum, & qua ratione eſt figuratiuum eſſe Sacrificium. Secundò, quòd maximè ille ſubterfugit, deberet etiam fateri, eſto Chriſtus ſuam mortem non inſtituiſſet in Sacrificium, adhuc conſecrationem potuiſſe eſſe Sacrificium; quia eſto non repræſentaſſet tunc Sacrificium, repræſentaſſet tamen mortem Chriſti, eo autem ipſo habuiſſet illa conſecratio proportionem cum proteſtatione dominij Dei in vitam & mortem, in hac autem proportione ſola, accedente Dei inſtitutione ad placitum, poneretur Sacrificium iuxta datam ſolutionem independenter ab eo, quòd mors illa fuiſſet Sacrificium néene. Tertiò, non poteſt ea ſententia etiam ſic explicata defendi, quia in ea reditur ad ſententiam Patris Leſſij, quòd Chriſtus ideò in hac conſecratione dicatur deſtrui (prout hi Auctores dicunt eſſe de ratione victimæ) quia vi verborum ſeparantur partes, ideóque vi verborũ quodam modo occiditur Chriſtus. Quam explicationem reiiciemus efficaciter immediatè poſt, & infrà agentes, Vtrùm vnius ſpeciei conſecratio ſufficere poſſit pro congrua materia Sacrificij, aliquid etiam dicemus, quo magis roborabimus huc

hæc vſque dicta. Quartò, non videtur habere locum hæc expoſitio; quia differentia illa inter res & verba ad placitum ſignificantia nulla eſt, vt & infrà oſtendemus.

SVBSECTIO II.

Tres aliæ ſententiæ diſcutiuntur.

28 *Tertia ſententia Leſſij.*

ALII Tertiò in tantum dicunt per conſecrationem fieri Sacrificium, in quantum vi verborum ſeparatur corpus à ſanguine; nam licet per accidens de facto vtrumque ponatur ſimul ob naturalem connexionem earum partium, id tamen eſt per accidens conſecrationi: verba enim, quantum eſt ex ſe, ſeparant corpus à ſanguine: ita Pater Leſſius lib. 12. de Perfectionibus diuinis num. 94. vbi ita ait; *Iuxta hunc modum peragitur Sacrificium non malleo vel gladio materiali, vt olim vetera Sacrificia, ſed gladio verbi Dei, qui eſt omnipotens; quando vi verborum conſecrationis corpus & ſanguis Chriſti ponerentur ſeorſim tanquam res occiſæ & immolatæ.* Hanc ſententiam tenuêre etiam alij, quos ſuppreſſo nomine refert Bellarminus eo

Impugnatur hæc ſententia Primò.

lib. 1. cap. 27. §. *Alij volunt.* Quæ tamen meritò diſplicuit duobus noſtris Cardinalibus, Bellarmino & Lugo ſuprà num. 6. Tannero eo dubio 2. num. 38. & aliis communiter; quia quidquid dicatur de vi verborum, re tamen vera nulla datur ſeparatio corporis à ſanguine. Aliud enim eſt verba habere vim ad ſeparandum, aliud verò, quòd re ipſa ſeparent; illud veriſſimum eſt, nequaquam tamen ad rationem Sacrificij ſufficit: vt ſi ego habeam gladium potentem occidere victimam, illam tamen non occidam, procul dubio non ideò dicar ſacrificare;

Secundò.

vt ex terminis conſtat. Secundò argumentor eadem ferè ratione, qua paulò pòſt argumentabor contra Bellarminum, Lugo & alios; quia etiamſi de facto verba ponerent corpus ſine ſanguine, & è contrario ſanguinem ſine corpore, nequaquam tamen poſſent dici ea ſeparare: nam verba relinquunt Chriſtum in cœlo cum tota ſua conjunctione, quam ex ſe habebat; ac proinde nec vmbram habent ſeparationis: quòd autem in alio loco ponant ſanguinem ſine corpore, non eſt ſeparare conjuncta, ſed relicta tota quanta antiqua conjunctione, ac proinde relicta tota antiqua vita Chriſti, ponere quaſi ex ſupererogatione in alio loco corpus ſine ſanguine; id autem non eſt occidere, ſed potiùs dare, vt

Tertiò.

ſic dicam, nouam inadæquatam vitam. Vnde vlteriùs argumentor: Vel conſecratio ſupponit partes corporis Chriſti inter ſe ſeparatas, vel ſupponit è contrario eſſe vnitas; ſi ſeparatas, iam non ſeparat, ac proinde nec vllo modo occidit: ſi ſupponit conjunctas, eas relinquit in ſua conjunctione; ergo non efficit quidquam, quod ad veram rationem Sacrificij pertineat.

29 *Sententia Turriani, Tanneri & Cabaſilæ.*

Quintò alij dicunt: Sicut tunc ſacrificatur ouis, quando ex non mactata fit ouis mactata; ſic quando ex pane non mactato fit corpus Chriſti, quod pro nobis fuit mactatum. Ita hanc ſententiam defendit ferè iiſdem verbis noſter Franciſcus Turrianus lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 14. cuius verba refert & ſequitur Tannerus: pro eadem etiam refertur à Vaſquez cap. 5. Nicolaus Cabaſila Græcus in Expoſitione Liturgiæ cap. 32. Facilè tamen reijcitur, quia videtur eſſe æquiuocatio in *τὸ Corpus Chriſti mactatum*: accipitur enim *mactatum* quaſi de præſenti, & in ipſo Sacrificio; cùm tamen ibi reuera nullo modo ſit mactatum. Mactatum ergo ſolùm dicitur per denominationem extrinſecam, quòd olim fuerit mactatum; at de præſenti omnino eſt viuum, & vt tale ponitur; ergo nullo modo ſacrificatur, niſi ſummùm (vt dixit Vaſquez) in figura.

Explicatur ſententia Tanneri.

Fortaſſe hæc ſententia, quam dixi eſſe Patris Tanneri, poſſet ex eodem explicari, vt tria ſint in hoc Sacrificio quæ offeruntur (id quod etiam Bellarminus ſuprà & Suarez diſput. 75. ſectione 1. docuerunt) panis ſubſtantia, accidentia, & Chriſtus; quo ſuppoſito dicitur, ad rationem Sacrificij non requiri vt tota res, quæ denominatur ſacrificata, conſumatur, ſed ſufficere, ſi ſecundùm aliquam partem deſtruatur. Panis ergo ſubſtantia eſt terminus qui deſtruitur, ſeu eſt materia præſuppoſita Sacrificio; & ratione cuius dicitur ibi eſſe victimæ conſumptio; corpus verò Chriſti eſt terminus ad quem productus; quod tamen verè & propriè ſacrificatur: vti dum thus ſacrificabatur erat materia præſuppoſita, nempè ipſa thuris ſubſtantia, quæ in eo Sacrificio deſtruebatur; erat item terminus qui producebatur, ſcilicet fumus & odor qui producebatur: vti dum bos & adeps ſacrificabantur producebatur inde igne ignis, nidor, qui maximè videbatur Deo placere, iuxta ea quæ ſuprà diximus nos, oſtendentes ipſam rei oblatæ productionem Deo ſæpè in Sacrificiis fuiſſe gratiorem: id quod ex nonnullis Scripturæ locis probauimus, vt Leuit. 1. verſ. 13. *Oblatá omnia adolebit Sacerdos ſuper altare in holocauſtum & odorem ſuauiſſimum Domino*, & verſ. 17. *Holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino.*

30 *Inſinuat illam Suarez; defendit Coninck.*

Hanc ſententiam ſic explicatam inſinuauit Pater Suarez ſectione 5. & præter Tannerum ſuprà citatum eam tenuit Pater Coninck in præſenti, dubio 5. & Leſſius lib. 2. de Iuſtitia & Iure cap. 38. dub. 2. eſto loco ſuprà citato aliam deinde tenuerit.

Reijcit Cardinalis Lugo inefficaciter.

Eam tamen reijcit Cardinalis Lugo, quia inauditum eſt, quòd victima per productionem ſui dicatur ſacrificari; alioquin templi vel alterius rei conſtructio in cultum Dei eſſet verum Sacrificium. Hæc tamen ratio iam eſt ſuperiùs à nobis reiecta; & verò, ſi hi Auctores tantùm faciant vim in puncto deſtructionis, ſaltem ſequeretur candelæ deſtructionem vel combuſtionem in honorem Dei eſſe Sacrificium; quia ſicut thus, dum conſumebatur, & in odorem vertebatur, dicebatur ſacrificari, ita candela, dum ardendo conſumitur, & vertitur in flammam, dici poteſt Sacrificium: vnde poſſumus cum eadem exaggeratione, quâ hic Auctor vſus eſt, nos contra illum dicere; Quis dixit accendere candelas eſſe ſacrificare? Quòd ſi independenter à puncto deſtructionis inueniant hi Auctores aliam rationem, ob quam eam ſolemnem candelarum accenſionem à ratione Sacrificij excludant; profectò etiam Tannerus excludet ab eodem Sacrificio conſtructionem templi, eſto ea repugnantia non ſumatur ex puncto deſtructionis.

Aliter reijcitur ſententia.

Denique, paulò pòſt oſtendam re ipſa hos Auctores non niſi in productione conſtituere rationem Sacrificij: addunt hi, falſum eſſe quòd ſuffitus ille fuerit ſacrificatus, ſed thus ipſum; quia res ſacrificata debet eſſe permanens; at ille ſuffitus erat quid valdè tranſiens. Verùm cùm Scriptura de ipſo igne reſultante ex cadauere combuſtio, & de odore

inde prouenìente dicat, *Holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino*; non video cur nidor ille ignis, & ſuffitus ille, etſi ſint tranſeuntia, non debeant dici ſacrificata, vt totum illud ſit materia Sacrificij, & res conſumpta & altera quæ inde reſultat. Denique (vt notaui ſuprà) cùm hi Auctores requirant ad rationem Sacrificij aliquam proportionem in materia cum dominio & poteſtate Dei in vitam & necem; profectò incomparabiliter congruentius ſignum eſt complectens & productionem, vt ſignificet poteſtatem Dei ad viuificandum, & deſtructionem rei, vt ſignificet poteſtatem Dei ad deſtruendum, quàm ſola deſtructio. Quæ ratio ſuppoſito fundamento, propter quod hi dicunt corruptionem eſſe de ratione Sacrificij, mihi videtur eſſe demonſtratio. Conſtet ergo ex hoc capite defendi optimo iure poſſe eam ſententiam Tanneri; & quidem ſi aliunde cenſerem eſſe neceſſariam deſtructionem rei ſacrificatæ, non dubitarem eo modo quæſtionem ſoluere: dico tamen non eſſe neceſſarium ad eam rationem concurrere, vt conſtabit ſtatim.

SVBSECTIO III.

Reÿcitur ſexta ſententia.

31 *Sententia Cardinalis Lugo.*

SIT ergo ſexta ſententia, quæ docet, ad rationem Sacrificij requiri quidem deſtructionem hoſtiæ, non tamen talem quæ ſit rigoroſa eius corruptio, ſed eam corruptionem, vt hoſtia prout eſt in termino Sacrificij, habeat ſtatum peiorem quàm anteà habuerit & decliuiorem; vel certè reddatur ad vſus humanos inutilis. Ita Cardinalis Lugo ſuprà ſectione 5. vnde ait; Quia Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus inutilis ad humanos vſus, ideò eum dici in conſecratione deſtrui, prout ad Sacrificium requiritur. Parum ab hac ſententia abeſt Cardinalis Bellarminus ſuprà, dum ait, Ideò Chriſtum in conſecratione dici deſtrui, quia ponitur in ſtatu, in quo poſſit deſtrui per ipſam. Ego tamen ſalua reuerentia tantis viris debita iudico hîc ſola verba adferri, nullo autem modo explicari eam deſtructionem. Non quidem, vt ait Bellarminus, quia aliud eſt rem poni in ſtatu, in quo poſſit deſtrui, aliud verò eam deſtrui, hoc ſecundum nequaquam ibi reperitur, ſed primum: id quod nullo modo ſufficit, vt humano modo res dicatur deſtrui; multò minùs vt dicatur ſacrificari, iuxta definitionem Sacrificij ab hoc Auctore traditam. Probo autem id meo iudicio manifeſtiſſimè: Nam dum quælibet res, alioquin in ſe corruptibilis, producitur, ponitur in ſtatu, in quo poſſit deſtrui; homo dum generatur ponitur in ſtatu, in quo poſſit occidi: & vt ad rem noſtram de ſumptione magis accedamus, dum pomum v. g. generatur in arbore, & ad ſuam perfectionem perducitur, ponitur in ſtatu vt poſſit comedi, & per comeſtionem deſtrui; eodem planè modo quo Chriſtus ponitur in altari vt poſſit comedi, & per comeſtionem quodammodò deſtrui.

Vti & Cardinalis Bellarmini.

Impugnatur ſententia Bellarmini.

32 Quis autem dixit pomum deſtrui dum in vltima perfectione conſtituitur? item, hominem deſtrui dum generatur? Ne verò per voces & modum loquendi rem inuoluamus, ſi ea generatio, ex eo quòd poſteà poſſit ſequi deſtructio, dicitur deſtructio; profectò gratis omninò requiritur pro Sacrificio ab hoc Auctore actio deſtructiua; quia omnis actio eo ſenſu eſt deſtructiua; & templum dum erigitur poterit eſſe materia Sacrificij, quia ponitur in ſtatu capaci vt deſtruatur: quis autem non videat, quàm id ſit alienum tum à modo loquendi, tum ab interno horum ſemper clamantium, non ſufficere actionem productiuam pro Sacrificio? Alterum argumentum contra hanc ſententiam formabo impugnando priorem Cardinalis Lugo. Prò quo aduerte, per conſecrationem ita Chriſtum poni in altari vt retineat in cœlo totam ſuam præſentiam & capacitatem ad omnes actiones, quaſcumque ante conſecrationem poterat habere in cœlo, & ad omnes vſus ad quos anteà erat aptus. Inde argumentor meo iudicio euidentiſſimè; Eſto Chriſtus ponatur in Euchariſtia inutilis ad vſus humanos (vt hi loquuntur) ea tamen actio non poteſt vllo modo dici deſtructiua Chriſti. Probo clarè, quia non reddit Chriſtum inutilem ad eos vſus; relinquit enim illum omni omnino vtilitate, quam anteà habebat: quomodo enim dicetur deſtruere domum ad vſus humanos ille, qui eam relinquit cum omni vtilitate quam anteà habebat, eſto ſimul eam ponat in alio ſecundo loco, vbi habitari non poſſit; cùm per eam multiplicationem vbicationis nihil adimatur, ſed potiùs aliquid, licet parum, augeatur de præcedenti vtilitate? Id ipſum efficaciùs in pecunia oſtendo; quis enim cum vlla probabilitatis ſpecie dicet, Si in mea ciſta relinquatur mea pecunia cum tota quanta vtilitate priori vt poſſim eam donare, ea emere, eam transferre, &c. eodem omnino modo quo anteà, ſi Deus miraculosè dando illi ſecundum vbi eam proiiceret in mare; quod ſecundum vbi ego non poſſem inuenire; ideóque dici poſſet ratione eius vbi illam pecuniam eſſe vſibus humanis ineptam; quis inquam poterit dicere, eo caſu mihi vllo modo deſtructam meam pecuniam, ac vſibus meis humanis eam redditam inutilem, & in ſtatu ad deſtructionem apto magis quàm anteà, eſto illud marinum vbi duraturum non eſſet niſi ad mediam horam, vel ad centum annos? Ratio à priori huius manifeſtiſſimæ veritatis ea eſt; quàm actio purè putè poſitiua, quæ nihil formaliter vel conſecutiuè tollit de his quæ anteà erant, non poteſt vllo modo dici deſtructio; ſed omni omnino iure debet dici productio. Da, neque meam materiam, neque vnionem, neque animam fuiſſe anteà in rerum natura; creet Deus ſolà materiam; creet ſolam animam; poteritne vllo modo ea actio, quæ ex me nihil deſtruxit (quia, vt ſuppoſui, nihil mei præcedebat in rerum natura) dici deſtructiua mei? potiùs debet omni iure dici productiua ſaltem inadæquatè. Cùm igitur actio conſecratiua nihil omnino tangat ex his quæ Chriſtus habet in cœlis, vt dixi, ſed eo relicto cum omni vtilitate, capacitate, &c. quam habebat, tantùm addat aliam præſentiam ſecundam, potiùs addet vtilitatem etiam in ordine ad vſus humanos, quàm minuet; habebitque omnibus omnino modis rationem actionis productiuæ potiùs quàm deſtructiuæ; neque poteſt dici, eam productionem ideò dici deſtructionem, quia ex ſe illud vbi exigit, ne alterum ſit. Etenim in ſententia aduerſa hoc principium eſt falſum; nam illud vbi eſt in ſubſtantia ſupernaturale non pugnans cum naturali præcedenti. Secundò, eſto repugnaret; cùm tamen hîc & nunc non deſtruat alterum, non poteſt dici per illud deſtrui Chriſtus:

Vti & ſententia Lugo.

33 *A ſimili.*

Ratione à priori.

Ex Aduerſariorum doctrina.

Chriſtus: id quod clarè oſtendo ex Aduerſariorum doctrina; qui, vt dicatur victima immolari, iudicant non ſufficere quòd apponatur cauſa ex ſe potens ad cauſandam ipſius mortem: ſi tamē diuinitus impediatur à Deo effectus illius cauſæ, quia tunc inquiunt; Eſto debuerit immolari, de facto tamen non eſt immolata; ergo idem debent de Chriſtò dicere. Tertiò, ea ſolutio ideò non habet locum, quia cùm vbicatio Chriſti in Euchariſtia ſaltem ratione conſecrationis & decreti Dei ſupponat priùs natura Chriſtum in cœlis exiſtentem, non poterit ea petere deſtructionem prioris, ſed potiùs è contrario illa prior petet, ne ſit ſecunda: habet enim prior ſufficientem exiſtentiam, vt contra poſterioris productionem (ſic dicam) valeat reclamare; id quod non habet ſecunda; nam id quod ſupponitur iam fuiſſe in priori ſigno rationis, non poteſt deſtrui in ſecundo. Conſtet ergo eam actionem conſecratiuam nec quidem eo modo eſſe deſtructiuam hoſtiæ, ſed (vt dixi ſuprà) hos Auctores verbotenus ponere deſtructionem; re autem ipſa per ſolam realem productionem conſtituere eſſentiam noſtri Sacrificij; cúmque aliunde probare multis conentur deſtructionem eſſe de eſſentia Sacrificij, non ſeruare in hoc puncto conſequentiam. Habet autem hoc argumentum ſecundum vim etiam contra Bellarminum; nam quantumvis eo ſenſu, quòd Chriſtus iam ſit aptus pro manducatione, dici poſſit eſſe in ſtatu capaci corruptionis, id tamen ſolùm poſſet habere locum, ſi omnino Chriſtus etiam in cœlo eſſet ceſſaturus; at cùm per eam productionem in altari Chriſtus non accipiat vllam capacitatem, vt in cœlo deſtruatur, profectò non poteſt ea actio dici deſtructiua Chriſti; ſicut in exemplo pecuniæ ſuprà poſito cùm per illud vbi marinum non reddatur pecunia in mea ciſta vllo modo deſtructilis, non poteſt dici ea actio ponere illam pecuniam in ſtatu deſtructionis; eſto in mari illud vbi ſit breui ceſſaturam. Et ſatis contra hanc ſententiam.

Eodem argumento impugnatur Bellarminus.

SVBSECTIO IV.

Quid ſit tandem dicendum?

35 *Explicatur ſententia vera.*

HIs ergo omnibus rejectis, in mea ſententia docente, non eſſe omnino neceſſariam deſtructionem vllam victimæ ad rationem Sacrificij, facile explicatur, quomodo in conſecratione Chriſtus ſacrificetur; quia ſcilicet offertur Deo Patri in ſignum publicum Diuini dominij in vitam & necem noſtram; addit autem ſupra ſimplicem oblationem ipſam phyſicam productionem, ſeu poſitionem localem Chriſti ſub eis ſpeciebus; in quo includitur quædam moralis ſanctificatio ipſiúſmet Chriſti, & totius illius complexi ex Chriſto & ſpeciebus; quia (vt ſtatim dicam) totum illud pertinet ad rationem Sacrificij, ſeu victimæ; quandoquidem victima & Sacrificium debet eſſe res ſenſibilis mediatè vel immediatè.

Tanneri ſententia de deſtructione habet locum.

Secundò dico; Si requiratur in Sacrificio aliqua deſtructio (vt multi tenent) tunc poterit res explicari eo modo, quo ex Tannero & aliis diximus paulò antè. Pro quo aduerte, eſto requiratur deſtructio, non tamen eſſe neceſſariam talem, quæ totam victimam conſumat, ſed ſufficere ſi partem aliquam illius. Hoc poſito, cùm victima, iuxta eam ſententiam, dicat ea omnia tria, panis ſubſtantiam, ſpecies & Chriſtum, & panis ſubſtantia deſtruatur, ſufficit id, eſto circa Chriſtum nulla ſit deſtructio, vt abſolutè Chriſtus dicatur ſacrificari. Vrgebis: Panis non habet connexionem vllam cum Chriſto, vt ratione deſtructionis illius dicatur corpus Chriſti deſtructum: in quo puncto magna eſt differentia inter ea duo, & inter vinum v. g. quod ſacrificatur; nam cùm omnes partes vini ſint inter ſe connexæ, rectiſſimè, eſto vna ſola pars conſumatur, dici poteſt, totum vinum ſacrificari; at cùm nulla, vt dixi, inter Chriſtum & panem ſit connexio, non poteſt ex eo, quòd panis deſtruatur, dici Chriſtus deſtructus, ac proinde nec ſacrificatus. Reſpondeo, Si res benè conſideretur, non eſſe vllam in hoc puncto diſparitatem: etenim licet quoad denominationem illam figuralem, ſeu tropicam, in qua pars pro toto accipitur, dici ſoleat *vinum deſtrui*, eò quòd vna pars eius deſtruatur; at loquendo rigoroſè, & non metaphoricè, certiſſimum eſt non poſſe tunc dici, *Hæc altera pars vini deſtruitur*, ſeu, *Totum vinum eſt deſtructum*; id enim falſiſſimum eſt; & tamen verum ac veriſſimum eſt, ſine vlla omnino figura tunc totum vinum ſacrificari: non enim illa pars, quæ intacta remanet, dicitur per ſolam figuram & denominatiuè tantùm ſacrificata, ſed verè & propriè ſacrificata. Inde rectè infero, Non eſſe ad rationem rei, quæ dicitur ſacrificata, vt ipſa deſtruatur, ſed ſufficere, ſi aliqua alia pars rei tunc ſacrificatæ deſtruatur. Nunc addo, Eſto illæ partes phyſicè non fuerint vnitæ, ſufficere tamen quòd vna deſtruatur, vt altera verè ſacrificetur; nam ſi vinum poneretur in duobus vaſis, & vtrumque ſimul offerretur Deo in ſignum, &c. non eſſet neceſſarium deinde ex vtroque vaſe accipere vinum, & effundere, aut bibere; ſed ſufficeret, ſi ex vno acciperentur v. g. duo ſextarij; & tamen vtrumque vas diceretur immolatum: eſſet enim cæremonia planè materialis accipere ex quolibet vaſe vnum ſextarium, vel ex eodem vaſe duos; cùm, ſiue ſit vnio phyſica, ſiue non, eo ipſo quòd accipiuntur per modum vnius victimæ, ſufficit ex quacumque parte aliquid deſtrui, vt iam dicatur victima illa conſumpta ſaltem partialiter, & ſic tota dicatur ſacrificata. Hinc clariſſimè reſpondetur; Etiamſi Chriſtus non ſit vnitus cum pane phyſicè, eo tamen ipſo quòd ex illo & ex pane ſit vna integra victima, ex intentione eiuſdem Chriſti Domini ſufficere ad hoc, vt illa victima dicatur deſtructa, quòd panis deſtruatur: & licet, ſi ſolitariè accipiatur Chriſtus, non poſſit dici deſtructus, non propterea tamen negandum illum verè & cum omni rigore ſacrificatum; ſicut etiam illa eadem pars vini, de qua dici non poteſt, quòd ſit deſtructa; ſeu illud ipſum vas vini, quod non eſt deſtructum, nec vllo modo tactum, dici poteſt ſacrificatum; & ad hoc nihil iuuat, quòd illa vaſcula habeant idem nomen vini, aut ſint eiuſdem rationis; neque è contrario obeſt, quòd Chriſtus & panis ſint diuerſe ſpeciei, quia iam oſtendi per hoc non habere maiorem in ſe vnionem, quàm ſi eſſent diuerſa ſpecie vina, aut diuerſa omnino entia: quando enim ſimul per modum vnius hoſtiæ accipiuntur, id ſufficit, vt tota hoſtia dicatur verè ſacrificari, etiamſi vna tantùm illius pars, quæcumque illa ſit, deſtruatur; ergo ſufficien

Explicatur.

36

Sufficit panis deſtructio.

Digitized by Google

cientiſſimè per eam explicationem ſaluatur ratio Sacrificij in conſecratione.

37 *Sententia Suarez illuſtratur.* Quòd verò ſpecies etiam debeant dici pars rei oblatæ, benè probat Pater Suarez ea diſp. 79. ſect. 1. quia hoc Sacrificium debet eſſe formaliter ſenſibile; non poteſt autem eſſe, niſi ſpecies pertineant vt materia illius, per quam Chriſtus reddatur nobis ſenſibilis. Secundò, quia Chriſtus dicitur ſacrificatus quatenus offertur Deo Patri per modum panis; debet ergo includere ſpecies panis tanquam id à quibus dicitur panis. Hoc tamen intelligendum eſt, vt præcipua pars quæ ſacrificatur ſit Chriſtus, non ſpecies, neque panis: de quo benè agit idem Pater Suarez eo loco; & res videtur ex terminis nota. Quòd verò aliqui obijciunt, ſi panis & ſpecies Sacramentales dicantur etiam partialis hoſtia, fore vt in hoc Sacrificio non ſit eadem hoſtia quæ in Sacrificio cruento crucis: id quod videtur eſſe contra Tridentinum ſuprà Seſſione 22. cap. 2. vbi ait, Vnam eſſe eamdémque hoſtiam, quæ in altari offertur, & quæ oblata fuit in cruce. *Concilium Tridentinum explicatur.* Hoc inquam argumentum non multum vrget, quia Concilium ibi agit de hoſtia præcipua, & quæ propter excellentiam dicitur offerri; panis autem & ſpecies non cenſentur moraliter hoſtia, etiamſi rem ſcholaſticè conſiderando dicere debeamus, verè eſſe hoſtiæ partem; quia, vt paulò antè dixi, Sacrificium hoc debet eſſe ratione alicuius partis viſibile; non eſt autem ratione ipſius Chriſti; ergo debet eſſe ratione ſpecierum, quæ per modum formæ reddunt Chriſtum viſibilem, vt de Euchariſtia quatenus eſt Sacramentum diximus ſuprà. Fortaſſe huic argumento reſponderet quis, Sufficienter per ipſa verba conſecrationis fieri Chriſtum viſibilem. Verùm hæc ſolutio non ſatisfacit; nam etiam ipſa materia, quæ offertur, debet habere aliquid viſibile, quod reddat alteram materiam etiam viſibilem. Conſtet ergo ea tria debere dici hoſtiam in hoc Sacrificio oblatam.

Sed tamen hinc ad conſtitutiuum Sacrificij obijcies; Ergo ego non differo iam vllo modo à ſententia Tanneri & aliorum ſuprà relata; quos tamen ibidem reieci. *Oſtenditur, quomodo noſtra ſententia à reliquis differat.* Reſpondeo, In hoc me ab illis differre, quòd licet admittam ea quæ illi, cenſeo tamen illam deſtructionem panis non eſſe neceſſariam ad conceptum Sacrificij, prout illi putant; ac proinde potuiſſe Chriſtum ſacrificari, etiamſi voluiſſet ipſe poni ſimul cum pane. Et ſatis de hac tota difficultate.

SECTIO VI.

Quomodo ad rationem huius Sacrificij requiratur vtriuſque ſpeciei conſecratio?

38 QVÆRIMVS, Vtrùm ita Sacrificium in conſecratione conſiſtat, vt ſufficiat cuiuſlibet ſpeciei conſecratio, an verò requiratur vtriuſque, & quidem eſſentialiter. Variæ fuere in hoc puncto ſententiæ; & fusè valdè de ea nonnulli diſputarunt. Mihi videtur res poſſe breuiùs decidi.

Concluſio prima. DICO ergo PRIMÒ; Potuit ſufficienter ratio Sacrificij ſaluari in vnius tantùm ſpeciei conſecratione. Ita Pater Suarez diſp. 75. ſect. 15. Bellarminus lib. 4. cap. 22. Lugo ea diſp. 9. ſect. 8. Tannerus ſuprà num. 46. & Recentiores communiter contra Patrem Vaſquez diſp. 223. cap. 7. Fundamentum huius concluſionis eſt primum; quia ſiue Sacrificium hoc conſiſtat in ſeparatione corporis à ſanguine, ſiue in eo quòd Chriſtus ponat ibi inutilis ad vſus humanos (vt dicebat Lugo) ideóque dicatur quodammodo deſtructus, ſiue quia ponitur in via vt comedatur (vt ajebat Bellarminus ſuprà;) ſiue denique, vt nos diximus, non requiratur vllo modo ex parte Chriſti vlla deſtructio, quia ea ad rationem Sacrificij in communi nullatenus eſt neceſſaria; ſiue quia ſufficit vt aliqua pars hoſtiæ conſumatur (vt in Euchariſtia deſtruitur panis, qui eſt partialis hoſtia, vt vidimus ex Tannero) omnia hæc poſſunt ſaluari in conſecratione vnius ſpeciei: nam & tunc fuiſſet Chriſtus poſitus inutiliter ad vſus humanos, & in ſtatu vt ſumeretur; ſpecies item illæ fuiſſent deſtructæ; & denique fuiſſet ſignificata ſeparatio corporis à ſanguine; ergo potuiſſet eſſe tunc verum ac rigoroſum Sacrificium.

Contra hanc tamen ſententiam obijcit Vaſquez: Conſecratio corporis etſi ſignificet corpus ſolum vi verborum, non tamen ſignificat poſitiuè & expreſsè ſeparationem ſanguinis à corpore; aliud enim eſt ſignificare corpus, aliud ſignificare illud ſeparatum à ſanguine. 39 *Obiectio Vaſquez.* Hæc tamen ratio (vt benè aduertit Lugo) nimium probat, & quidem contra ipſum Patrem Vaſquez; *Nimium probat, vt oſtendit Lugo.* nam ſi verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, ſolùm ſignificent corpus, non ſignificant ſeparationem illius à ſanguine; ergo neque illa alia, *Hic eſt enim ſanguis*, ſignificabunt ſanguinem ſeparari à corpore: ſi enim ſignificando ſolum corpus non ſignificant ſeparationem illius à ſanguine; ergo neque alia ſignificando ſanguinem ſignificabunt huius ſeparationem à corpore; ergo neque vtriuſque ſpeciei conſecratio ſignificabit eam ſeparationem. Confirmatur; Quia vel conſecratio vtriuſque ſpeciei ſignificat poſitiuè ſanguinem ſeparatum à corpore, vel non; ſed vna conſecratio ſignificat corpus, altera ſanguinem: de ſeparatione verò nihil dicunt, ſed præſcindunt: ſi primum dicatur, ergo de facto verba eſſent falſa; (quod eſt hæreticum:) ſequela patet, quia verba poſitiuè dicunt eſſe ſeparationem; quæ tamen non eſt à parte rei; ergo ſunt falſa. Quòd ſi ſolùm ſecundo modo ſe habeant præciſiuè, profectò non ſolùm vnius ſpeciei conſecratio, ſed neque ambæ ſimul ſignificabunt eam ſeparationem, ſed præſcindent ab illa. Denique, ſi ſignificare & ponere vi verborum expreſsè corpus ſine ſanguine, & ſanguinem ſine corpore, eſt ex modo ſignificandi præciſiuo denotare ſeparationem corporis à ſanguine, haud dubiè vnius ſpeciei conſecratio ad id ſufficiet; quia vt aliquis oſtendat ſanguinem eſſe ſine corpore, non eſt neceſſum dicere corpus ſine ſanguine, & ſanguis ſine corpore, ſed quodlibet ex his ſufficit; quia, vt denotem Petrum eſſe ſine capite, non eſt neceſſum depingere in vno loco caput ſine corpore, & alio corpus ſine capite, ſed ſufficit, ſi in vno ponatur corpus non depicto capite: id quod benè notauit Lugo ſuprà.

Abſolutè ergo reſpondendum cenſeo ei argumento Vaſquez: Etiamſi nullo modo per eam conſecrationem ſignificaretur mors Chriſti, non tamen ideò eam conſecrationem vnius ſpeciei excludendam à ratione Sacrificij; quia (vt ſuprà oſtendimus contra Patrem Vaſquez) conſecratio etſi de facto ſit figura Sacrificij cruenti crucis, 40 *Reſpondetur argumento Vaſquez.*

crucis, non tamen in hac ratione figuræ conſiſtit eius eſſentia vt Sacrificium eſt, ſed in hoc quòd Chriſtus vt hoſtia offeratur Deo cum ea deſtructione morali, quam multi Auctores volunt, vt ſuprà vidimus; quæque tota quanta ſaluaretur (vt paulò ſuperiùs oſtendi) in vnius ſpeciei conſecratione; vel certè quia deſtrueretur panis; vel quia denique ſine vlla omnino deſtructione ratio Sacrificij ſumi poteſt. Vnde addo, Eſto re ipſa Chriſtus non fuiſſet mortuus, & tamen (vt Pater Suarez & aliqui opinantur) inſtituiſſet hoc Sacramentum altaris, potuiſſe fortè tam perfectè quàm iam inſtitui in ratione Sacrificij: cuius ratio à priori deſumenda eſt ex his quæ diximus ſuprà, Sacrificium ſcilicet conſtitui in ratione talis per ſignificationem ad placitum ſupremi dominij Dei in necem & vitam noſtram; ad quod nonnulli requirunt aliquam naturalem ſimilitudinem, ſeu proportionem naturalem in re aſſumpta cùm ea ſignificatione; vndè fit vt etiam requirant deſtructionem victimæ: quam tamen rationem nos ſuprà retorſimus, ad probandum æquè benè poſſe per productionem rei conſtitui Sacrificium. Denique, quidquid de eo puncto ſit (vno excepto Patre Vaſquez) omnes negant poſſe dici Chriſtum in altari mactari, eò quòd conſecratio ſit verè figura mortis; ac proinde aliunde tentant Auctores hi explicare, quomodo Chriſtus vt victima mactetur, ſeu aliquo modo deſtruatur, vt dici queat ſacrificata. Vnde ad rem præſentem obiter colligo, minùs benè iſtud punctum de duplici aut vna ſpecie pro inſtitutione Sacrificij fieri dependens à Lugo, Suarez & aliis, ab hoc, quòd vtraque ſpecies maiorem habeat repræſentationem mortis Chriſti quàm vna ſola: ſed de hoc ſtatim dicetur fuſiùs in ſecunda concluſione.

Altera obiectio Vaſquez expeditur. Obijcies Secundo cum Patre Vaſquez: Debet ſignificatio, quæ eſt in rebus, habere aliquam ſimilitudinem cum re ſignificata; in hoc enim differunt verba à rebus, quòd verba nullam talem conuenientiam ſeu ſimilitudinem requirunt, ſecùs res ipſæ. Reſpondeo (vt dixi paulò ante) nullatenus eam ſimilitudinem requiri: etenim de facto in multis locis ramus ante tabernam denotat vendi ceruiſiam; quam quæſo habent hæc duo ſimilitudinem inter ſe? alibi ſtupam ponunt pro eo ſigno ad placitum: alibi vtuntur diuerſiſſimis ſignis & planè diſparatis. Deinde, iam eſt etiam oſtenſum in vnius ſpeciei conſecratione eſſe ſufficientem proportionem cum ea ſignificatione. Conſtet ergo non poſſe dubitari, quin congruentiſſimè etiam in ſola vnius ſpeciei conſecratione potuerit conſiſtere tota eſſentia Sacrificij, ſi Chriſtus ita voluiſſet.

41 *Concluſio ſecunda.* Secundò ergo Dico, Etſi ex Scriptura nequaquam colligatur, quid de facto Chriſtus voluerit, Vtrùm ſcilicet eſſentialiter requiſierit vtriuſque ſpeciei conſecrationem, an verò eodem modò quoad Sacramentum quamlibet conſtituerit tanquam partiale Sacrificium, eſſentialiter tamen integram; ideòque etiam non ſit omnino certum, in quo reipſa ea eſſentia conſiſtat: nihilominùs tamen ob communem ferè omnium auctoritatem dicendum eſt vtriuſque ſpeciei conſecrationem eſſentialiter eſſe requiſitam. Ita Diuus Thomas quæſt. 80. art. 12. ad 3. reliqui Auctores videri poſſunt tum apud Suarez ea diſput. 75. ſect. 6. tum apud Vaſquez diſput. 223. cap. 3. tum apud Tannerum eo dubio 2. num. 46. & hinc formanda eſt ratio pro ea doctrina, quia in quæſtione ſolùm dependente à voluntate Chriſti, ſi ea nobis ex Scriptura non manifeſtetur, neque aliunde poſſimus illam ſufficienter colligere, ſtandum erit communiori Doctorum ſenſui; hic enim debet cenſeri per modum cuiuſdam reuelationis probabilis eius voluntatis. Hæc meo iudicio eſt vnica huius puncti probatio: nam aliæ rationes congeſtæ à diuerſis non multùm valent, vt breuiter oſtendo. *Ratio concluſionis.*

Prima eſt Patris Suarez ea ſect. 6. §. *Dico Secundo*; quia hoc Sacrificium conſiſtit in myſtica mactatione hoſtiæ, ſeu in expreſſa repræſentatione mortis Chriſti; quæ non poteſt ſaluari in vnius ſpeciei conſecratione. Verùm huic argumento facillimè reſpondebunt qui contrarium ſentiunt; Primò, fortè in vnius ſpeciei conſecratione eſſe tam expreſſam ſignificationem quàm in vtráque, quoad eam myſticam ſignificationem; nam in ordine ad mortem videtur ea clariſſimè explicari, ſi ponatur corpus ſine ſanguine; licet ſanguis non ponatur ſine corpore: quòd enim ſanguis alibi ſit ſine corpore, non propterea magis arguit corpus eſſe mortuum, quàm ſi nullibi eſſet ſanguis, ſeu quàm ſi poneretur ſanguis ſolus vi verborum. *Suarez ratio pro ea concluſione reijcitur.*

Dices Primò, Quoad mortem quidem Chriſti, abſolutè loquendo, verum eſſe, eam clariſſimè repræſentari, ſi corpus ponatur ſine ſanguine, in ordine tamen ad ſignificandam mortem violentam Chriſti per ſanguinis effuſionem fuiſſe valdè vtilem eam poſitionem ſanguinis ſeorſim; quia alioquin potuiſſet corpus eſſe exſangue & mortuum, eò quòd interiùs ſine effuſione violenta fuiſſet ſanguis conſumptus; & fortaſſe ad id denotandum addidit Chriſtus Dominus, *Hic eſt ſanguis, qui pro vobis effundetur*; ac ſi dixiſſet, Hoc do vobis in ſignum, quòd effundendus ſit pro vobis ſanguis. Reſpondeo Primò, Ad hoc vltimum τὸ *qui pro vobis effundetur*, poſitum eſſe ad denotandum eumdem numero ſanguinem ibi poni, qui effundendus erat, non ob aliud myſterium: id quod vrgeo clarè; nam etiam in conſecratione corporis dixit, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: per hoc autem non voluit oſtendere, denotari per verba poſitionem corporis ſine ſanguine. Etenim optimè tradi poterat corpus ad mortem etiam ſine vlla ſeparatione à ſanguine, ſi igne, ſi laqueo, ſi aliis tormentis occiſus fuiſſet Chriſtus. Reſpondeo Secundò ad obiectionem ipſam, Illum modum mortis per defectum intrinſecum ipſius ſanguinis eſſe inexplicabilem: nunquam enim ſanguis interiùs conſumitur, ſed vel violenter, vel per euacuationem vi morbi factam ſolet conſumi. Quidquid verò de hoc ſit; cùm immediatè poſt verba conſecrationis ſpecierum panis dixerit Chriſtus: *Quod pro vobis tradetur*, iam eo ipſo denotauit violenta morte ſe moriturum; ac proinde cùm ad id denotandum ponat corpus vi verborum ſine ſanguine, oſtendit eam ſeparationem futuram violentam, non ex eo quòd morbo aliquo interiùs ſit conſumendus ſanguis. Denique, eſto demus eſſe aliquo modo magis expreſſam eam ſignificationem in conſecratione vtriuſque ſpeciei; vnde conſtat Chriſtum Dominum neceſſariò requiſiuiſſe eam maiorem expreſſionem, & non fuiſſe contentum minori? vel certè, vnde ſcimus Chriſtum eam magis expreſſam ſignificationem

42 *Obiectio.* *Soluitur Primò.* *Secundo.* *Tertiò.*

cationem requiſiuiſſe ad eſſentiam Sacrificij, & non ad integritatem tantùm? vti in eadem Euchariſtia conſiderata vt eſt Sacramentum conſtat: eſt enim etiam per modum conuiuij; conuiuium autem apertè dicit cibum & potum; & tamen Chriſtus Dominus etiam ſub qualibet ſpecie poſuit totam rationem eſſentialem Sacramenti, etſi non totam integritatem illius; cur ergo non eodem modo de Sacrificio diſcurremus non obſtante ea maiore expreſſione mortis Chriſti Domini? Conſtet ergo inde non poſſe colligi de facto vtriuſque ſpeciei conſecrationem eſſe neceſſariam.

Aliorum ratio.

43 Secunda aliorum ratio eſt, & quam Vaſquez inſinuat ea diſputat. 223. num. 17. quia Sacramentum hoc eſt inſtitutum ad refectionem ſpiritualem inſtar conuiuij; conuiuium autem dicit cibum & potum; ergo quando præparatur, debuit ſub vtraque ſpecie præparari; etiamſi deinde laïci non niſi ſub vna illud ſumant. Verùm hæc ratio retorqueri potiùs debet in Auctores; quia ſi in vſu huius conuiuij non eſt neceſſum ad vtramque ſpeciem recurrere, profectò etiam videtur poſſe illud in vna ſola præparari; quia rectè paratur conuiuium eo modo, quo deinde ſumitur: quòd enim ipſe Sacerdos de illo ſumat ſub vtraque, iam diximus ſuprà cum eodem Vaſquez, eſſe per accidens ad rationem Sacrificij. Secundò ea ratione ſummùm oſtenditur, ad integritatem Sacrificij requiri vtriuſque ſpeciei conſecrationem, vti ad integritatem Sacramenti, vt paulò antè diximus contra primam rationem. His ergo rationibus omiſſis vnica probatio deſumenda eſt ex paulò antè dictis.

Retorquetur in Auctores.

Obiectio contra concluſionem ex licentia Noruegorum.

Contra illam tamen obijci poteſt id quod ſuprà agentes de Euchariſtia vt Sacramento ex aliquibus tetigimus, ſcilicet à Pontifice Innocentio VIII. datam fuiſſe licentiam in Noruegia ob defectum vini celebrandi ſolùm ſub ſpeciebus panis; ergo non eſt de eſſentia Sacrificij vtriuſque ſpeciei conſecratio. Reſpondeo (vt ibidem diximus) Non conſtare vllo modo de ea licentia:& quidem eſto diceremus, Sacrificium poſſe ſaluari in vnius ſpeciei conſecratione, adhuc tamen non videtur habitura locum ea diſpenſatio, nam independenter à conceptu Sacrificij videtur eſſe præceptum Diuinum de conſecratione vtriuſque ſpeciei, ac proinde indiſpenſabile etiam à Pontifice. Hoc autem præceptum nonnulli probant ex varijs canonibus, quibus præcipitur ſeriò, ne vnquam omittatur conſecratio vtriuſque ſpeciei; ſed caſu quo Sacerdos ob ægritudinem non poſſit abſoluere, vt ab alio ſuppleatur; quia tamen in his canonibus nihil dicitur de præcepto diuino, ſummùm inde infertur, vt benè notauit Vaſquez numero 14. eſſe præceptum Eccleſiaſticum. Meliùs ergo ex Tridentino hoc præceptum colligitur; nam ea Seſſione 22. cap. 1. cùm de vtriuſque ſpeciei conſecratione locutum fuiſſe, hæc habet: *Ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Vbi Concilium dum ſub earumdem rerum ſymbolis dicit præceptum eſſe à Chriſto, oſtendit ſanè ſe de vtriuſque ſpeciei conſecratione loqui; ergo non poteſt Pontifex in hoc puncto diſpenſare, ſaltem vt licitè fiat, quidquid ſit de valore Sacrificij. Non eſt ergo credendum de facto diſpenſaſſe Innocentium VIII.

SECTIO VII.

Vtrùm validè vna ſpecies ſine altera poſſit conſecrari?

Ex dictis oritur hoc dubium propter nonnullos, qui dicunt, nec quidem validè poſſe 44
vnam ſpeciem ſine altera conſecrari. Id quod dupliciter intelligi poteſt; Primò, vt ſi caſu aliquo erratur, dum vinum, quod reuerà non eſt, iudicatur eſſe, aut Sacerdos poſt conſecrationem hoſtiæ moritur ante conſecrationem calicis, non ſit conſecrata validè hoſtia. In hoc autem ſenſu planè eſſet hæretica ea doctrina. Conſtat enim ex ſenſu totius Eccleſiæ cùm primùm proferuntur prima verba conſecrationis ſupra panis ſpecies, iam eo ipſo ibi eſſe Chriſtum Dominum, ideóque à Sacerdote ex Eccleſiæ mandato proponitur adoranda populo; eſt ergo iam ibi ante conſecrationem calicis; ergo etiamſi deinde ob aliquam cauſam calix re ipſa non conſecretur, adhuc manebit ibi Chriſtus, quia non deſinit eſſe ſub illis ſpeciebus, ſub quibus ſemel poſitus eſt, niſi quando illæ corrumpuntur. In hoc ergo ſenſu illa ſententia tolerari non poteſt. Alius ſenſus illius eſſe poteſt, quòd ſi Sacerdos antè non habebat animum conſecrandi vtramque ſpeciem, non poſſit validè vnam conſecrare. Quam ſententiam veram putat Cardinalis Lugo num. 103. eámque inde probat, quòd Chriſtus Dominus inſtituerit hoc Sacramentum in ratione Sacrificij, ita vt noluerit Sacramentum hoc eſſe ſine Sacrificio: non enim dedit duas poteſtates diſparatas, vnam ad conſecrandum, alteram ad ſacrificandum, ſed vnam indiuiſibilem, ita vt conſecrare non poſſint niſi ſacrificando (vt docet Suarez diſputat. 43. ſect. 3. §. *Dico Primò*) hinc infert hic Auctor: Si Sacerdos volens conſecrare vellet ſimul non ſacrificare,& hæc ſecunda voluntas eſſet potentior quàm illa prima eum non conſeraturum, Ergo ſi de eſſentia huius Sacrificij eſt vtriuſque ſpeciei conſecratio, vt diximus, neceſſum eſt eum, qui non vult vtramque conſecrare, velle etiam non ſacrificare; ergo talis non conſecraret validè. Addit tamen, de facto omnes Sacerdotes conſecrantes tantùm ſub vna, ſiue id per errorem ſiue alio modo faciant, validè conſecrare, quia non excludunt omnino efficaciter intentionem ſacrificandi, ſed volunt conſecrare meliori modo quo poſſunt, atque ideò volunt per conſecrationem hoſtiæ ſaltem inchoare Sacrificium taliter, vt quantum eſt ex ſe poſſit compleri per conſecrationem calicis, ſi apponatur: quòd ſi tamen Sacerdos præuidens non poſſe offerri Sacrificium abſque conſecratione vtriuſque ſpeciei, & præuidens non poſſe conſecrari vtrmque, velle conſecrare vnam, excludens omnino intentionem offerendi etiam partialiter vel inchoandi Sacrificium, ait hic Auctor eum non conſecraturum vnicam illam ſpeciem, quia minimùm requiritur voluntas implicita partialiter inchoandi Sacrificium.

Status quæſtionis proponitur, & diſcutitur.

Sententia Cardinalis Lugo deducitur.

Ego tamen hîc aliqua aduerto quæ indigent 45
maiori conſideratione, & in primis illud principium quod abſolutè ponit hic Auctor, ſcilicet Chriſtum non dediſſe Sacerdotibus duas poteſtates, vnam validè conſecrandi, & alteram validè

Examinatur.

Digitized by Google

dè ſacrificandi, ſeu non dediſſe illis poteſtatem validè conſecrandi, niſi ſimul ſacrificandi: hoc inquam principium in toto rigore eſt valdè falſum, ne quid amplius dicant, nam re ipſa ſæpè Sacerdotes conſecrant vnam ſpeciem; & tamen re ipſa non ſacrificant; ergo dedit illis talem potentiam. Conſequentia eſt optima ab actu ad potentiam, quia Sacerdotes talem actum non faciunt niſi ex potentia à Chriſto eis data. Antecedens verò patet euidenter, quia ſiue ex errore, ſiue quocumque alio modo contingat: quando tamen re ipſa conſecratur hoſtia, & non calix, eſt vera & eſſentialis conſecratio, & tamen tunc non eſt verum & eſſentiale Sacrificium; ergo habent Sacerdotes poteſtatem re ipſa conſecrandi, eſto re ipſa non ſacrificent; eſt ergo ea poteſtas re ipſa manifeſtè ſeparabilis. Nec ſufficit quod retulimus ex eo Auctore, debere ſcilicet Sacerdotem etiam tunc habere aliquam voluntatem conficiendi Sacrificium quantum eſt ex ſe, ſeu de eo inchoando: hoc inquam non ſufficit, quia aliud eſt dicere, *Non dedit illis Chriſtus poteſtatem conſecrandi, niſi haberent voluntatem ſcrificandi*; aliud, *Non dedit eis poteſtatem conſecrandi, niſi ſimul ſacrificarent.* Hoc ſecundum poſitum erat vt omnino certum principium ab hoc Auctore, quod tamen iam oſtendi eſſe falſum, ideo dixi ſupra, eam propoſitionem abſolutè prolatam veram non eſſe, eſto nunc admittam illam alteram, quòd ea voluntas eſſentialiter requiratur.

Contraria ſententia ſtabilitur. Iam verò infero, Etiamſi illicitè Sacerdos faceret non habendo eam voluntatem ſacrificandi; nihilominùs validè conſecraturum. Id autem ex iacto fundamento efficaciter meo iudicio oſtendo; quia ſi ſemel admittimus, Sacerdotem re ipſa poſſe validè conſecrare, eſto re ipſa validè non ſacrificet, procul dubio poterit dicere, Volo re ipſa conſecrare, eſto re ipſa non ſacrificem; tunc autem cur quæſo non conſecrabunt? Certè iam non poteſt dici ideò eos non conſecraturos, quia vnum ſine altero confici non poteſt; oſtendi enim manifeſtè contrarium poſſe fieri, ergo.

46 *Replica: Soluitur.* Dices, Chriſtum ab eis exegiſſe vt haberent ſaltem voluntatem ſacrificandi, vel certè ne haberent voluntatem contrariam. Sed contrà, quia cùm effectus illi re ipſa ſeparari poſſint in ſe quoad valorem, non poteſt oſtendi Chriſtum inſtituiſſe, ne in voluntate quoad eumdem valorem ſeparentur, quoad præceptum quidem vt licitè Sacerdotes operentur; facilè intelligitur, quomodo vtrumque præceperit: at quòd in ordine ad valorem vnius requiſierit voluntatem alterius, non tamen requiſierit re ipſa alterum, non poteſt facilè ſuaderi; vti, iuxta omnium ferè ſententiam, de iure diuino eſt Sacerdotem celebrantem communicare; quia tamen pro valore conſecrationis non requiſiuit Chriſtus, quòd re ipſa ſequatur Communio, inde fit, vt Sacerdos, eſto habeat animum non communicandi, poſſit tamen validè conſecrare. Et hîc apparet exemplum, quod ab eo Auctore adducitur de homine baptizato, qui vellet matrimonium contrahere; & tamen nollet Sacramentum efficere; quo caſu re ipſa non contraheret matrimonium: apparet inquam non eſſe ad rem noſtram, quia ab eo ſubjecto neque ex ignorantia, neque alio modo poteſt re ipſa contrahi matrimonium, niſi conficiatur Sacramentum. Si ergo ea duo re ipſa in homine Chriſtiano ſunt inſeparabilia, quid mirum, ſi voluntas poſitiuè & efficaciter excludens vnum excludat etiam alterum; at in noſtro caſu iam oſtendi re ipſa ea duo non eſſe connexa, ſed re ipſa poſſe conſecrationem eſſe ſine Sacrificio propriè; cur ergo ibi voluntas excludens Sacrificium excludet etiam conſecrationem? Adde, multos Auctores valdè probabiliter docere, poſſe talem hominem contrahere matrimonium non confecto Sacramento. Dixi *Sacrificium propriè*; nam ea conſecratio vnius ſpeciei non eſt re ipſa Sacrificium, ſicut corpus non eſt re ipſa homo, ſed ſolùm pars eſſentialis illius.

Secundò argumentor; Aliquando contigit Sacerdotem ex nequitia conſecraſſe panes obuios ſibi, quando vinum non habebat, quod poſſet velle conſecrare; ac proinde quando non poterat habere voluntatem abſolutam ſacrificandi, nec quidem implicitam, ſed ſummùm conditionatam, habuit tamen efficacem abſolutam conſecrandi, & validè conſecrauit: Eccleſia enim panes eos vt conſecratos recepit. Vnde etiam ſolet inquiri, quid ſit faciendum, ſi Sacerdos ex nequitia in cellario magnum aliquod vas vini conſecraret. Conſtat ergo conſecrari poſſe vnam ſpeciem, etiamſi Sacerdos habeat expreſſum animum non conſecrandi alteram; ac proinde ex hoc capite non habeat animum offerendi Sacrificium. *Argumentum alterum pro noſtra ſententia.*

Quod verò vltimo loco addidit hic Auctor de Sacerdote præuidente ſe non habere niſi vnam ſpeciem; & tamen eam volente conſecrare validè conſecraturum, habeat animum ſaltem partialiter ſacrificandi; quòd ſi tamen tali animo careat, non conſecraturum; hoc inquam non videtur mihi cum præcedenti eiuſdem Auctoris doctrina cohærere poſſe, ſed duæ illæ partes doctrinæ videntur ſibi eſſe contrariæ. Etenim ſi (vt in priori propoſitione dixerat hic Auctor) poteſtas conſecrandi eſt indiuiſibilis poteſtas ſacrificandi, in terminis repugnat, vt qui videt ſe non habere materiam pro Sacrificio, velit vti poteſtate conſecrandi, non autem poteſtate ſacrificandi: vnde eſto habeat ex ignorantia ſacrificandi voluntatem, nihil tamen efficiet; quia ſicut non obſtante ea voluntate ſacrificandi re ipſa non ſacrificat, quia deeſt illi vna eſſentialis pars Sacrificij; ita etiam non conſecrabit; quia conſecratio & Sacrificium iuxta hunc Auctorem ſunt inter ſe ex voluntate Chriſti eſſentialiter connexa; ergo ſicuti ea voluntas eſt inefficax quoad vnum punctum, ita erit quoad alterum; ac proinde eo ipſo quòd videat ſe non habere niſi panem quem conſecret, de vino autem nullam habet ſpeciem, non capio, quomodo poſſit ille velle ſacrificare, quantum eſt ex ſe; perinde ac ſi certò ſcilicet Confeſſarius pœnitentem non habere vllum dolorem de peccatis, velle tamen ponere alteram partem, nempè eorumdem confeſſionem; eo ipſo quòd ſciat de Fide ſine dolore non remitti per abſolutionem peccata, non poſſet Confeſſarius ille velle dare abſolutionem Sacramentalem, nec poſſet velle conficere Sacramentum; quia vna ſola parte eſſentiali deficiente repugnat in terminis totum produci, ſeu fieri; quid ergo eo caſu quæſo poteſt illum Sacerdotem conſecrantem iuuare ea voluntas ſacrificandi ſupra voluntatem conſecrandi? ergo ſiue ea adſit, ſiue non, eodem modo ſequetur, vel non ſequetur conſecratio. Denique vocari eo caſu inchoationem Sacrificij illam conſecrationem vel pertinet ad ſolum modum

47 *Cardinalis Lugo inconſequentia arguitur.* *Oppugnatur à ſimili.*

Digitized by Google

dum loquendi; ſicut poteſt dici, Deus primo die quo creauit materiam primam, quæ eſt prima pars eſſentialis hominis, inchoaſſe creare hominem: qui modus loquendi eſt valdè metaphoricus, & ad rem noſtram inutilis, quia non agimus de metaphorica phraſi, ſed de reali. Et verò eo ſenſu etiamſi ille homo haberet expreſſam voluntatem non ſacrificandi, poſſet tamen dici inchoaſſe Sacrificium; quia illa conſecratio ſemper eſt ex ſe pars aptitudinalis, ſeu capax quæ poſſit ad Sacrificium pertinere. Et ſatis de hoc puncto.

48 *Aliud dubium diſcutitur.* *Ratio dubitandi.*

Illud tamen ſpeculatiuum magis poſſet in dubium verti, An ſi Sacerdos haberet voluntatem quidem conſecrandi vtramque ſpeciem, non tamen ſacrificandi, re ipſa tamen conſecraret? Hæc quæſtio ideò addit nouam difficultatem ſupra præcedentem, quòd ratio ſacri Officij eſt in ſe ſeparabilis à conſecratione vnius ſpeciei, vt dictum eſt; ac proinde poteſt eſſe voluntas vnam ſolam conſecrandi ſine voluntate ſacrificandi: at conſecratio vtriuſque non videtur poſſe eſſe ſine vero Sacrificio; ergo qui vellet vtramque conſecrare, & non ſacrificare, intenderet impoſſibile; ſicut in eo exemplo hominis baptizati qui nollet ſuſcipere Sacramentum, vellet tamen contrahere matrimonium, duo, quæ inter ſe habent ex voluntate Chriſti neceſſariam connexionem, vellet inter ſe ſeparare; ac proinde ſi eſſet fortior voluntas non ſuſcipiendi Sacramentum, non contraheret; ergo eodem modo volens vtrámque ſpeciem conſecrare, & nolens ſacrificare, vellet impoſſibilia; ideóque ſi voluntas non ſacrificandi eſſet fortior altera, nihil omnino effecturus videretur. *Reſpondetur.* Reſpondeo, In hoc caſu ob rationem datam maiorem eſſe (vt dixi) rationem dubitandi; vnde ſatis probabiliter dici poteſt eum omnino non conſecraturũ. Iudico tamen probabilius, eſto talis grauiſſimè peccaret, nihilominùs conſecraturum, quia voluntas ibi ponendi Chriſtum ex ſe diſtincta eſt à voluntate ſignificandi ſupremum dominium Dei in vitam & necem noſtram; & licet Deus præceperit vtramque eſſe ſimul, non tamen vllo modo conſtat quoad valorem alligaſſe eas duas poteſtates; non debemus autem nos magis eas connexas inter ſe facere quàm ex Scriptura & Patribus deducere poſſimus. Et ſatis in re omnino dubia.

SECTIO VIII.

Aliquæ quæſtiones minoris momenti explicantur.

49 *Prima quæſtio, An ad conſecrationem & Sacrificium hoc requiratur per ſe Chriſtum eſſe viuum.*

PRIMA ſit, Vtrùm ad conſecrationem & Sacrificium hoc requiratur per ſe Chriſtum eſſe viuum? Cardinalis Lugo in vtramque partem quæſtionem tractat, & magis videtur propendere in affirmantem Primò; nam Tridentinum ſuprà docet, quia Chriſti Sacerdotium erat æternum, &c. ideò inſtituiſſe hoc Sacrificium; vbi inſinuat nullum Chriſto Sacerdotem ſuccedere, ſed ipſum eſſe principalem Sacerdotem; ergo hoc Sacrificium ſemper offertur nomine Chriſti; ergo dum Chriſtus non exiſtit, non poteſt offerri; atqui quando non erat viuens, non poterat offerre; ergo. Vnde Bonauentura in 3. diſtinct. 22. quæſt. 1. ait Chriſtum in triduo non fuiſſe Sacerdotem; & confirmatur Primò, quia Sacerdotes non conſecrant niſi per verba Chriſti. Confirmatur Secundò, quia ideò illo biduo, quo mors Chriſti repræſentatur, non celebratur ab Eccleſia, quia ſublatus eſt verus Sacerdos. Pater Coninck ad hanc quæſtionem Diui Thomæ a. 1. dub. 4. num. 79. ait Chriſtum non dediſſe Apoſtolis poteſtatem celebrandi, niſi ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus poneretur. Ego tamen etſi putem hoc eſſe probabile, probabilius tamen in re dubia, & quæ ſolùm pendet ab intentione Chriſti Domini, contrarium iudico. Et verò non capio, quo modo inducatur Tridentinum, vt probetur in hora Cœnæ Chriſtum voluiſſe oſtendere ſuum Sacerdotium nunquam periturum: cùm tamen dicatur ſtatim poſt eam inſtitutionem periiſſe ad tres dies; ergo ſaltem pro illis tribus potuit habere Sacerdotem ſucceſſorem ſui. Dico ergo eam poteſtatem Sacerdotalem manſiſſe in anima Chriſti, ac proinde etiam nomine illius potuiſſe eo triduo confici Sacramentum. Neque obeſt, quòd nos, quando morimur, non ſimus Sacerdotes; etiamſi in anima maneat character Sacerdotalis. Etenim cùm Chriſtus nos conſtituerit Sacerdotes; vt viſibiliter ſacrificaremus, non debuit ſoli animæ ſeparatæ eam poteſtatem concedere. At ipſe Chriſtus ita eſt de facto præcipuus offerens, vt id non faciat viſibiliter, ſed vel per ſolam inſtitutionem præcedentem moraliter perſeuerantem, vel certè inuiſibiliter in cœlo; ad quod non fuit neceſſarium eum eſſe viuum. Quod addit Coninck vti nullo nititur fundamento, ita negandum eſt. Conſtat enim Chriſtum dediſſe poteſtatem, de ea autem limitatione ſeu exceptione non conſtat; non ergo ea eſt aſſerenda. Et hinc deſumo rationem pro contraria parte, non enim debemus in ea poteſtate limitationem ſine ſufficienti fundamento ponere, maximè cùm communiter ſupponant Theologi contrarium, dum cum Diuo Thoma docent, ſi in triduo Apoſtoli ſacrificaſſent, fore vt corpus poneretur in hoſtia ſine ſanguine, & hic ſine corpore in calice.

Concluditur Chriſtum etiam mortuum fuiſſe Sacerdotem.

Secunda quæſtio, quæ tamen ferè iam eſt expedita, eſt, Vtrùm Chriſtus ſit principalis offerens? Vaſquez diſp. 225. cap. 1. putat Chriſtum ſolùm ratione inſtitutionis, & quia voluit vt ſuo nomine offerretur, dici nunc de facto offerre. Suarez verò & communiter alij docent, Chriſtum etiam actu verè offerre per Sacerdotem tanquam per miniſtrum, ſicut dum Rex per Legatum præbet Pontifici obedientiam. Verùm (vt benè notauit Lugo num. 93.) non poteſt hæc quæſtio eſſe niſi de modo loquendi, nam quod dicit Vaſquez eſſe ex ſola inſtitutione, hoc Suarez iudicat ſufficere, vt moraliter cenſeatur Chriſtus actu offerre; etiamſi nullam de facto nouam voluntatem habeat in cœlo diuerſam à prima. 50

Secunda quæſtio, An Chriſtus ſit principalis offerens.

De re tamen hoc poteſt quæri, Vtrùm Chriſtus in cœlo habeat voluntates nouas ſacrificandi quoties Sacerdotes ſacrificant? Hæc quæſtio non diſcutitur ab Auctoribus, nec video vnde poſſit ea decidi. Satis probabile eſt Chriſtum habere aliquam voluntatem, qua id approbet; dubium tamen, ac proinde nihil de eo decido.

Tertia quæſtio ex præcedenti orta, quæ aliquibus videtur ad rem ſpectare, eſt, Vtrùm ita actio noſtra ſacrificandi pendeat à Sacrificio, ſeu Sacerdotio Chriſti, vt licet actu Chriſtus non eſſet Sacerdos, poſſet tamen dici nunc per nos offerens; eò quòd dum inſtituit hoc Sacramentum,

Tertia quæſtio de Sacerdotij noſtri dependentia à Sacerdotio Chriſti.

tum, & nos conſtituit ſui Miniſtros, fuit verus Sacerdos. Reſpondeo, Fortè in eo rigore poſſe ſaluari, Chriſtum iam offerre; eò quòd tunc habuit vim ſacrificandi & conſtituendi ſui ſucceſſores, etiamſi de facto non eſſet actu Sacerdos. Imò cùm paulò antè dixerimus, etiamſi de facto nullam haberet in cœlo nouam voluntatem, imò neque ſciret quid apud nos fiat, poſſe vi prioris voluntatis dici de facto offerre, videtur ad quæſtionem de nomine pertinere, Vtrùm dicendus ſit de facto Sacerdos.

51 Replicabis; Ad hoc, vt de facto nos cenſeamur nomine ipſius offerre, & ipſe per nos moraliter, oportet quòd illa præcedens voluntas moraliter maneat, ſeu non ſit retractata; ſi autem iam non habeat poteſtatem Sacerdotalem, non poteſt cenſeri moraliter manere illa voluntas, perinde ac ſi omnino fuiſſet deſtructus; quia eſto maneat voluntas, non manet vt Sacerdotis, ſed vt priuatæ perſonæ: deinde, ſi non eſt actu Sacerdos, nos non poſſumus dici actu Miniſtri illius. Reſpondeo, Hîc etiam multum miſceri de nomine. Videtur enim ſufficere Sacerdotium præcedens pro ea ſubſtitutione, vt nos dicamur delegati ipſius vt tunc Sacerdotis; ſicut ſi ponamus in Republica Magiſtratus annuos, v. g. Conſules, & Cicero Conſul miſiſſet Legatum ad dandam alteri obedientiam ſuo nomine vt Conſulis; certè eſto, quando Legatus veniret, iam eſſet Cicero functus officio, poſſet tamen ea obedientia dici data nomine Ciceronis: non enim reuocatur per ceſſationem Conſulatus, ſi voluntas contraria non accedat. Nec dubium, quin potuerit Deus humanitati Chriſti dare hoc modo poteſtatem conſtituendi Sacerdotes, vt Chriſtus ipſe non niſi in nocte Cœnæ potuerit ſacrificare; iam verò eſto vellet, non poſſet per ſe immediatè id præſtare. Quod item dicebatur, eam voluntatem de facto futuram perſonæ priuatæ, habet duplicem ſenſum; *priuatæ nunc*, concedo, *priuatæ quando fecit deſignationem*, nego. Vt autem cenſeatur moraliter per nos ſacrificare, ſufficit Deum ipſum adhuc approbare actionem pro illo tempore: vti enim quando nos non exiſtebamus phyſicè, potuimus moraliter transferri in voluntatem Adami, vt quæ ille phyſicè fecit, reputarentur noſtra moraliter; cur è contrario non poſſunt Chriſto tribui actiones noſtræ ratione ſubſtitutionis factæ olim ab ipſo, & iuxta dicta à Deo etiam nunc approbatæ; quantumvis iam Chriſtus dignitatem Sacerdotij non haberet? Hæc poſſunt, vt dixi, ita ſubſiſtere abſolutè. Probabilius tamen cenſeo 52 manere de facto in Chriſto verum Sacerdotium, ac proinde ſine noua petitione à Patre poſſe eum, ſi vellet, etiam immediatè validè ſacrificare, & conſecrare. Inducor in hanc doctrinam. Primò, quia cùm Chriſto ſit abſolutè à Deo conceſſa ea dignitas Sacerdotalis, & non ſit vlla ratio, cur dicamus eam ablatam, imò è contrario multa ſunt, vt adhuc eam in ipſo manere aſſeramus: nam id videtur exigere Scriptura Pſalmo 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: id ipſum videtur definire Tridentinum ſuprà: id etiam pertinet ad maiorem dignitatem Chriſti Domini: meliùs item per hoc ſaluatur, quomodo nos de facto nomine ipſius offeramus Sacrificium: cur ergo id negandum erit? Vtrùm autem ea dignitas Sacerdotij vltra diem iudicij dicenda ſit in Chriſto manere, & an hæc loca citata omnimodam æternitatem requirant, dixi fusè Tomo 6. diſput. 42. ſect. 6. tota autem ea diſputatione alia nonnulla diſcuſſi, quæ circa hoc Sacrificium ſiue Sacerdotium Chriſti Domini poſſunt in dubium verti.

Res declaratur ſimilitudine.

Manet in Chriſto verum Sacerdotium.

Quarta difficultas poteſt in præſenti eſſe, quo pacto Chriſtus det valorem actioni noſtræ ſacrificatiuæ: verùm hæc relabitur omnino in illam, quam de valore Sacramentorum diſcuſſimus ſuprà hoc Tomo agentes de Sacramentis. Videantur ibi dicta.

DISPVT. QVINQVAGESIMA-PRIMA.

De effectibus Sacrificij Euchariſtici.

1 EXPLICATA eſſentia huius Sacrificij agendum nunc de illius effectibus, qui triplices poſſunt excogitari: vnus eſt remiſſio peccati ſiue venialis ſiue mortalis; alter infuſio gratiæ; tertius auxilia ſeu inſpirationes ſupernaturales; quartus alia dona etiam temporalia, vita, ſalus, pluuia, &c. quintus eſt remiſſio pœnæ temporalis in Purgatorio debitæ: & de his omnibus dubitari poteſt, an cauſentur ab hoc Sacrificio, an per modum impetrationis; eo modo quo omnis oratio impetrare poteſt id quod petit; an verè per modum ſatisfactionis: qui modus ſaltem circa aliquos effectus, etſi non circa omnes, poteſt habere locum, vt videbimus. Poteſt denique circa eoſdem effectus inquiri, pro quibus perſonis applicari illi poſſint. Præter effectus verò verti in dubium poteſt, vnde Sacrificio huic valor ſeu vis ad eos ipſos proueniat, an à ſolo Chriſto, an etiam à ſolo Sacerdote offerente, an etiam ab Eccleſia? Hæc quæſtiones breuiter à nobis expediendæ ſunt.

Varij effectus Sacrificij Miſſæ.

SECTIO I.

Quid de remiſſione peccati mortalis?

EVCHARISTIAM vt eſt Sacramentum cauſare gratiæ habitualis augmentum in ſuſcipiente, & verò in aliquo caſu etiam remiſſionẽ peccati mortalis & primam gratiam, diximus ſuprà agentes de Sacramentis; nunc ſermo eſt 2 de eadem vt eſt Sacrificium, an ſcilicet cauſet immediatè gratiam & remiſſionem peccati, maximè mortalis. Dixi *immediatè*; nam obtinere auxilia ad bona opera ſupernaturalia, quibus deinde homo promereatur augmentum gratiæ, & ad actus contritionis, quibus obtineat remiſſionem mortalis, non eſt immediatè obtinere eam remiſſionem & infuſionem gratiæ, ſed mediatè: de quo modo operandi paulò pòſt dicemus. Eſt ergo quæſtio de immediata cauſatione; in qua non defuère Recentiores nonnulli, quos ſuppreſſo nomine refert Vaſquez diſputat. 228. cap. 1. qui omnino ita cenſuerint; & videtur eis fauere D. Thomas in 4. diſt. 12. quæſt. 2. a. 2. quæſt

Status quæſtionis.

Sententia affirmatiua tribuitur D. Thomæ.

quæſt. 2. ad 4. vbi de hoc Sacrificio loquens concludit; Et ideò ſi eos (hoc eſt peccatores) diſpoſitos inueniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit, & per conſequens peccata mortalia in eis delet: & Tridentinum eo loco ſæpè citato ait hoc Sacrificium verè propitiatorium eſſe; quia nimirum huius oblatione placatus Dominus, ingentia quoque peccata & crimina dimittit. In quem etiam ſenſum multi Patres loquuntur, dum dicunt Chriſtum nunc offerri, vt peccata noſtra dimittat: quorum verba fusè refert Suarez diſput. 79. ſect. 3. & poſt ipſum Vaſquez eo cap. 1. Rationem verò addunt, quia cùm hoc Sacrificium ſit infiniti valoris, ſine dubio debet habere vim dimittendi peccata, maximè cùm ratio Sacrificij Euchariſtici ſit potior quàm Sacramenti.

3 *Negatiua ſententia communis & vera.*

Concluſio tamen certa inter Scholaſticos ferè omnes negat Sacrificio altaris hanc vim tam quoad remiſſionem mortalis quàm quoad augmentum gratiæ habitualis etiam in iuſtis. Scholaſtici Auctores videri poſſunt apud Suarez ſectione 3. & 4. & Vaſq. cap. 2. & 3. Eam ego dico eſſe de mente omnium Catholicorum quoad remiſſionem mortalis; nullus enim vnquam putauit ſe à peccato mortali liberari, & ſibi gratiam habitualem infundi, eò quòd pro ſe curet offerri Sacrificium Miſſæ, etiamſi ſimul habeat attritionem; ſed omnes ſupponunt teneri confiteri, vel conteri, vt peccatum deleatur; eodem modo Sacerdos, qui recordetur dum eſt in altari ſe eſſe in mortali, non putat per attritionem & conſecrationem differendo pro ſe Sacrificium ſibi remitti mortale, aut ſe iam eſſe in gratia, ſed vt certum ſupponit ſibi eſſe neceſſariam contritionem, ſi confiteri non poſſit; eſt ergo ea veritas de ſenſu omnium ferè Catholicorum. Eamdem probat optimè Pater Suarez ſuprà, quia hic effectus non eſt vllo modo per ſe connexus

Argumentũ Suarez pro hac ſententia.

Sacrificio etiam quà tali, vt ex terminis conſtat, & præterea in ſe valde ſupernaturalis; ergo non debet concedi, niſi conſtet illum ſpecialiter à Chriſto Domino huic Sacrificio annexum: hoc autem nullo modo probari poteſt neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Patribus; ergo non debemus illum ei concedere. Qui diſcurſus etiam probat pro hoc Sacrificio non eſſe tribuendam cauſalitatem gratiæ habitualis ſeu augmenti illius in iuſtis.

Quòd autem ex Patribus nihil de ea voluntate Chriſti ſuadeatur facilè oſtendo, & ſimul reſpondeo præcipuo argumento, ſeu fundamento aduerſo; deſumpto à ratione; nam Patres non tribuunt maiorem vim huic Sacrificio quàm Sacrificio crucis, ſed ſemper cum eo illud comparant: atqui Sacrificium crucis etſi ex ſe infiniti valoris, non tamen immediatè remiſit vlla peccata, nec immediatè cauſauit gratiam hominibus; ergo Sacrificium altaris, eò quòd ex ſe ſit infiniti valoris, non ideò cauſat gratiam immediatè; neque ex eo quòd de illo dicant Patres, quòd remittat peccata, ideò ſequitur ea remittere immediatè.

4 *Suadetur eadem ſententia ex Concilio Tridentino.*

Tertiò ſuadetur eadem ſententia, quia ipſum Tridentinum loco pro prima ſententia citato valdè clarè inſinuat eam remiſſionem peccatorum per hoc Sacrificium fieri non immediatè, ſed quatenus obtinentur auxilia ad pœnitentiam agendam; ita enim eo loco citato, explicans modum quo ea remiſſio fiat, ait: *Huius quippè oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Vides per hoc Sacramentum concedi donum pœnitentiæ; hoc eſt, concedi auxilia ad eliciendum actum pœnitentiæ?

Obiectio ex eodem Tridentino.

Reſpondebis, In verbis prioribus dixerat Tridentinum, *Si accedamus contriti & pœnitentes ad Deum, miſericordiam nos conſequi, & gratiam inuenire in auxilio opportuno*; ergo ſupponit Tridentinum nos accedere ad hoc Sacrificium cum pœnitentia; ergo, dum addit eo caſu nos miſericordiam conſequi, & gratiam inuenire, non loquitur de gratia ad ipſam bonam diſpoſitionem, quia hæc iam ſupponitur, vt dixi; ergo agit de immediata infuſione gratiæ & immediata remiſſione peccati. Reſpondeo retorquendo argumentum; Etenim ibi non poteſt agere Tridentinum de vera contritione, vt ab attritione

Retorquetur.

diſtinguitur: hæc enim ſi ſupponatur, iam delet peccata; vnde non eſt cur dicatur, tunc nos miſericordiam conſequentes, ergo debet Concilium loqui de attritione & aliis diſpoſitionibus; obtinere verò dicit nos tunc remiſſionem & gratiam, quia Deus dat noua auxilia ad hoc vt ad contritionem perueniamus, vel certè vt ad confeſſionis Sacramentum cum ea attritione accedamus, & recipiamus gratiam.

5 *Replica diſcutitur.*

Objicies tamen adhuc Secundò; Ad obtinenda auxilia per modum impetrationis opus non eſt accedere cum attritione: vis enim impetratiua huius Sacrificij extenditur etiam ad peccatores actu de ſua conuerſione non cogitantes; nam & illis poſſumus promereri auxilia vt incipiant conteri; ergo dum Concilium requirit diſpoſitionem ex parte noſtra, agit non de conceſſione auxiliorum, ſed de infuſione ipſius gratiæ habitualis & remiſſione peccatorum.

Hæc replica oſtendit locum hunc Concilij non eſſe adeò facilem, vt communiter putant Auctores. Reſpondeo tamen, Concilium ibi requirere eam contritionem, ſeu diſpoſitionem, non quia ea ſit ſimpliciter & abſolutè neceſſaria; ſed quia per eam facilior redditur impetratio. Secundò, quia ibi Concilium agit maximè de his qui recurrunt pro ſe hoc Sacrificium offerri; in quibus ſupponit ſerium deſiderium conuerſionis ſuæ; alioquin quaſi per irriſionem illud peterent offerri; & conſequenter exacerbarent magis Deum contra ſe quàm eum ad pœnitentiam concedendam prouocarent. Denique poteſt dici, in hoc vltimo loco agi non de auxiliis ad exeundum ex peccatis, ſed ad non cadendum è gratia: & hoc videntur inſinuare illa verba, *Et gratiam inueniamus in auxilio opportuno*; id eſt, inueniamus deinde auxilia gratiæ tempore opportuno, quando eſt aliquod periculum ex eadem gratia cadendi.

Argumentis contrariæ ſententiæ ſatisfit.

Ad argumenta pro contraria parte ſufficienter iam eſt reſponſum; dicimus enim Patres & Tridentinum agere de remiſſione per viam impetrationis modo hucuſque explicato. Ad rationem iam dixi; Eſto hoc Sacrificium ſit infiniti valoris, non ideò eam exercere de facto; vti eam non exercuit Sacrificium ipſum crucis, quod non fuit minoris valoris; imò eſto ex parte perſonæ principaliter offerentis non fuerit maius; ex parte operis tamen haud dubiè fuit maioris valoris. Ratio verò, cur eam vim non habeat hoc Sacrificium, deſumenda eſt vnicè ex voluntate Chriſti Domini, qui noluit hanc vim

cauſandi

cauſandi immediatè remiſſionem peccati niſi Sacramentis applicare. Quòd item dicebatur, rationem Sacrificij eſſe magis præcipuam in hoc Sacramento, nihil vrget, quia etiamſi in ordine ad placendum Deo ſit maior, in ordine tamen ad vtilitatem noſtram immediatam maior eſt in Sacramentis, quæ ſunt in eam vtilitatem directè & immediatè inſtituta. Et hæc quoad mortalia.

SECTIO II.

Quid de venialibus: vti, quo ſenſu ſit propitiatorium hoc Sacrificium?

6 *Non delentur venialia per Sacrificium Miſſæ.* QVOAD venialia fortaſſe putaret aliquis dimitti ea poſſe per hoc Sacrificium, quia per aliquas alias res minoris momenti; vt per aquam benedictam, per benedictionem Epiſcopalem, &c. dicuntur dimitti. Nihilominus tamen inſiſtendo fundamento tacto ſuprà, quòd non debeamus hos effectus tribuere Sacrificio, niſi de Chriſti voluntate conſtet, de hac autem voluntate nullum nos habeamus fundamentum ſpecialius pro veniali quàm pro mortali, nec Patres aut Concilia in hoc puncto aliquam diſtinctionem faciant, non debemus id vllo modo aſſerere. Confirmatur, quia iuxta probabiliorem ſententiam, de qua alibi, venialia non dimittuntur niſi ſimul infundatur de facto aliquis gradus gratiæ, atqui iam probauimus hoc Sacramentum non habere eam vim cauſandi immediatè gratiam; ergo. Obiectio verò in contrarium ex aqua benedicta non eſt vllius momenti, quia aſſumit falſum principium: illæ enim actiones nequaquam remittunt immediatè venialia. De quo ſuis locis fuſiùs.

7 *Sententia Cardinalis Lugo.* Cardinalis Lugo cùm in concluſione præcedenti conueniat nobiſcum, addit tamen numero 150. non poſſe negari quin hoc Sacrificium habeat etiam aliquam aliam vim immediatè circa peccata: ſi enim antiqua Sacrificia non ſolùm fuere impetratoria, ſed etiam propitiatoria, cur hanc excellentiam noſtro longè illis nobiliori denegabimus? maximè cùm Patres dicant hoc Sacrificium ſimul eſſe propitiatorium, ſeu expiatorium; non ergo ea duo, impetrare & propitiare, debent in vnum confundi, ait ergo hoc Sacrificium habere vim placandi Deum, ne peccatori ob præcedens peccatum neget auxilia gratiæ, hoc eſt, quòd iam Deus ratione peccati non habeat titulum poſitiuum ad non concedendum auxilium. Per hoc tamen addit (& quidem in hoc omnino benè) non ſequi, continuò Deum daturum omnibus, pro quibus offertur hoc Sacrificium, illa auxilia, nam eſto placetur, ac proinde ratione peccati iam non habeat ius ea negandi, quia tamen etiam ipſis iuſtis, qui nullo peccato ea auxilia demeriti ſunt, Deus illa ſæpè negat, ſunt enim ex ſe beneficium omnino gratuitum, ac proinde Deus ad illud non tenetur, hinc fit, vt eſto placatus maneat, non tamen teneatur dare ea auxilia, vnde conſequenter infertur, non propter eà illa dari omnibus. Addit

8 Secundò, neque quidem eum effectum placandi Deum habere omnino certum, ſed aliquando Deum placari totaliter, aliquando ſolùm partialiter: quod vltimum ita explicat, vt ſi accedat iterùm oblatio eiuſdem Sacrificij, placetur Deus ex integro, vel quia anteà v.g. erat per peccatum irritatus ad negandum auxilium vt octo & vt quatuor, iam neget tantùm vt octo, concedat verò vt quatuor. Ait etiam hunc effectum propitiationis eſſe in actu exercito finitum, ac proinde ſi pluribus applicetur minùs cuilibet prodeſſe, quàm ſi applicatus fuiſſet pro vno. Denique, declarando in quo differat impetratio à vi propitiatiua, ait impetrationem ferri directè ad aliquid obtinendum à liberalitate Dei, propitiationem ad mouendam clementiam, ſiue ad placandam iram Dei. Hæc ibi Cardinalis; quæ etſi probabiliſſimè dicta ſint, iudico tamen multum valdè habere de modo loquendi, & re ipſa nihil hunc Auctorem dicere, quod Suarez, Vaſquez & alij non dicant: etenim quòd hic vocat *propitiatorium*, illi dicunt *impetratorium*: idem enim mihi videtur omnino placare Petrum iratum Ioanni ne illum puniat, ac impetrare vt illùm non puniat. Fateor quidem libentiſſimè, quod hic Auctor dicit, impetrationem reſpicere liberalitatem, at dico, hoc ipſum, quod eſt Deum nolle iam offendi Petro, nolle punire, &c. debere dici actum liberalitatis; ac proinde nemo negabit hoc ipſum eſſe objectum petitionis: quis enim dicet me non poſſe orare Regem, ne in ordine ad promouendum Petrum ad talem vel talem dignitatem recordetur iniuriæ ſibi ab ipſo illatæ, placetur tunc Rex ad meam petitionem? nónne quæſtio erit purè de voce, an tunc mea illa petitio ſit dicenda impetratio, an propitiatio. Mihi planè videtur res eſſe de ſola voce. *Laborat in modo loquendi.* *A ſimili oſtenditur.*

Fortaſſe in eo poni poſſet differentia huius effectus ab altero, quòd impetratio requirit orationem ipſius Sacerdotis offerentis; ſi enim non oret pro altero, haud dubiè nihil pro illo impetrabit; propitiatio verò poſſit eſſe ſine vlla omnino oratione. Verùm neque hoc ſubſiſtit; nam eo ipſo quòd Sacerdos pro aliquo offert Sacrificium, iam videtur pro illo ſaltem implicitè orare, ac proinde ſi Deus tunc placatur, dici meritò poteſt per impetrationem placari. Secundò, quia reſpectu Chriſti inſtituentis hoc Sacrificium, cuius nomine nunc nos illud offerimus, & à quo accipit ſuum valorem, dici poteſt iure merito ille ipſe effectus cauſatus ſine vlla propria offerentis oratione per modum impetrationis; ergo ex hoc capite non poteſt vllo modo aſſignari ea diuerſitas. Neque poteſt Secundò dici, in hoc ea duo differre, quòd impetratio non ſit infallibilis, ſecùs propitiatio: etenim hic Auctor expreſsè dicit num. 144. hoc Sacrificium non habere ex diuina diſpoſitione infallibilitatem ad certum gradum ad placandum Deum, aliquando enim placat omnino, aliquando ex parte; vnde licet ad placandum aliqualiter concedere videatur infallibilitatem, non tamen ad placandum eodem omnino modo, etiamſi ex ſe ſit eodem omnino modo gratum Sacrificium; ſuppono enim eum in hoc ſolo ſenſu loqui cæteris omnibus paribus; nam ſi ſit melior diſpoſitio, ſine dubio habebit ex ſe maiorem vim ad Deum placandum magis: eam ergo inæqualitatem ponit hic Auctor, eſto Sacrificia ſint in ſe, omnibus penſatis, omnino æqualia. Hinc autem vrgeo, 10 quia ſi inter duo Sacrificia omnino æqualia per vnum placatur Deus inadæquatè, per alterum media ex parte, profectò eodem fundamento dicere poterimus, per tertium omnino æquale huic ſecundo nullo modo Deum placari; quia ſi ſecundo æquali cum primo non dat Deus niſi quatuor, vt ſic dicam, gradus propitiationis, cùm illi det octo, & non facit huic iniuriam; certè *Solutiones Lugo reyciuntur.*

9

certè nec tertio æquali huic ſecundo faciet iniuriam, eſto nullum det propitiationis gradum. Taxare autem ſine fundamento in Scriptura & Patribus eas inæqualitates in volitione diuina mihi videtur valdè arbitrarium, & potiùs dicerem hunc effectum placationis eſſe ſemper æqualem, non tamen, vt & ſuprà diximus, propterea ſequi dandum ſemper auxilium, in ſenſu item eius Auctoris etiam impetrationem eſſe infallibilem, iuxta menſuram quam Deus cuilibet Sacrificio ſtatuit, & poſitis omnibus conditionibus requiſitis. Denique, ſicut impetrationi poni poteſt obex, ita etiam hic Auctor dicit poſſe poni & propitiationi: ergo ex hoc etiam capite redditur æquè fallibilis vtriuſque effectus.

Quidquid verò de hac æqualitate ſit, Secundò principaliter poteſt reiici ea ſolutio, nam vel hæc placatio tanta eſt, vt moueat ad concedendum re ipſa auxilium, vel non: ſi mouet, dicemus impetrationem auxilij, nam (vt hi fatentur) poſitiua auxilia, aut eorum collatio, eſt effectus formaliſſimæ petitionis: ſi verò non mouet, parum profectò conducit nobis ea placatio. Si enim Deus re ipſa non dat auxilium efficax, quid mihi vtilitatis adfert, quòd illud neget placatus potiùs, quàm ſi implacatus negaret? ponitur ergo ibi effectus ipſi homini inutilis.

11 Reſpondebis, Valere eum effectum ad hoc, vt poſteà homo faciliùs per noua Sacrificia, vel per alias preces obtineat auxilia. Sed contrà, quia hoc totum dici poteſt, eſto ſolùm fuiſſet in eo Sacrificio vis impetratoria. Probo euidenter, nam etiam preces ſolent hoc habere, vt licet prima vice fuerint irritæ, ſecunda tamen audiantur, iuxta illud, *Saltem propter importunitatem dabit illi*; ergo ex hoc capite non erit maior vtilitas in placatione quàm in impetratione, vel certè æqualis incertitudo.

Argumenta Aduerſariorum ſoluuntur.

Iam ad ea quæ ſupra obijciebatur. Primum, quòd Patres & Concilia dicant hoc Sacrificium eſſe propitiatorium, admittimus libentiſſimè, negamus tamen id re ipſa eſſe quid diſtinctum ab impetratione, nam qui apud Iudicem rogat ne reus puniatur; vel ſaltem ne adeò grauiter, haud dubiè propitiare vult Iudicem reo; at id non aliter omnino facit quàm per orationem, ſeu impetrationem, non ergo hic Auctor vllum ponit effectum, quem reliqui non admittant; eſto illum non explicent eis vocibus. Ad ſecundum argumentum, quòd debeamus huic Sacrificio in altiori gradu tribuere quidquid conceſſum eſt Sacrificiis antiquis, quorum plurima erant propitiatoria, libentiſſimè id fatemur; dicimus tamen totum hoc fieri per impetrationem modo explicito. Adde, Sacrificia antiqua maiori ex parte fuiſſe propitiatoria in ordine ad aliquas legales irregularitates, à quibus homines per ea Sacrificia infallibiliter liberabantur; & tamen maximè is effectus videtur etiam tribui orationi, nam in Leuitico ſemper dicitur, *Et orabit pro eo Sacerdos*, &c. Denique cùm jam dixerim hunc effectum ab omnibus concedi, parum eſt, quòd vocetur impetratio, vel propitiatio. Et ſatis de quæſtione ad modum loquendi pertinente.

SECTIO III.

Quid de ſatisfactione pro pœna temporali Purgatorij & aliis effectibus.

HOc Sacrificium habere vim ad remittendam pœnam in Purgatorio debitam tam pro viuis quàm pro defunctis, in quo conſtituitur etiam ratio propitiatorij, communis eſt omnium Catholicorum ſententia, vt videre eſt apud Suarez ſect. 6. & Vaſquez cap. 4. idque expreſsè definitum eſt in Trident. Seſſione 22. cap. 2. *Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apoſtolorum traditionem, offertur*: & Seſſione 25. Decreto de Purgatorio definitur, *Purgatorium eſſe, animáſque ibi detentas fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili altaris Sacrificio iuuari.* Quem ſecundum locum putant aliqui clariorem eſſe primo; ego tamen, cùm in primo vniuerſaliter de viuis & defunctis fiat mentio, & ita omnia ſpecificentur, pœnæ pro peccatis & ſatisfactiones, non video cur non ſit æquè clarus, ſi non clarior pro noſtro intento. Ratio à priori huius concluſionis non poteſt alia eſſe quàm Chriſti Domini inſtituentis voluntas nobis cognita ex perpetua Eccleſiæ traditione. 12

Affirmatiua ſententia ex Concilio Tridentino colligitur.

Circa quem effectum verti in dubium poteſt, Vtrùm ſit omnino infallibilis. Affirmant communiter omnes ferè Theologi; vt videre eſt apud Vaſquez num. 29. quem ait Lugo id ibi probare ex Tridentino Seſſ. 22. cap. 1. vbi Concilium per hoc Sacrificium Sacrificij cruenti virtutem in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicari docet; & cap. 2. ait: *Oblationis cruentæ fructus per hanc vberrimè percipiuntur.* Verùm Pater Vaſquez ibi non adducit hæc loca Tridentini ad punctum hoc de infallibilitate; remittit quidem ſe ad diſputationem 221. cap. 4. vbi ea duo loca adduxerat; at ibi non pro infallibilitate huius effectus, ſed vniuerſaliter tam pro impetratione quàm pro ſatisfactione ea adduxit. Certum eſt autem ex eis locis nihil inferri de infallibilitate impetrationis, ergo nec de infallibilitate propitiationis, & verò verba illa Concilij ſiue à Vaſquez pro eo intento adducantur, ſiue non, nequaquam requirunt eam infallibilitatem; non ergo inde ea ſuadenda eſt, ſed maximè ex communi conſenſu Theologorum. Fortaſſe indirectè poteſt 13 Concilium induci, nam ſuffragia alia, quæ pro ſatisfactione offeruntur, pro proximis habent infallibilem effectum, ſi ex parte eius, pro quo offeruntur, non ſit obex. Concilium autem ait hoc Sacrificium multò magis prodeſſe quàm alia ſuffragia; ergo debet à fortiori habere infallibilitatem, quia in hac maximè eſt poſitum. Confirmatur, quia (vt benè ait Lugo numero 155.) Sacrificium Euchariſticum habet in altiori gradu quod habebant antiqua; ſed antiqua infallibiliter purgabant à ſordibus & immunditiis legalibus; ergo hoc debet à pœna illa Purgatorij, quæ eſt quaſi immunditia legalis remouens tantiſper iuſtum à cœtu Beatorum, infallibiliter purgare.

Obiectio.

Obijcies; Ergo ſi hoc Sacrificium infallibilem habet effectum ſatisfactionis in non ponente obicem per peccatum, habebit etiam infalli-

bilita

Digitized by Google

Soluitur per inſtantiam à Sacrificiis antiquis. bilitatem quoad impetrationem, quandoquidem vtraque fundatur in meritis Chriſti. Reſponderi poſſet per inſtantiam ex Sacrificiis antiquis, quæ impetrationem non habebant infallibilem. Verùm hæc ratio non omnino ſatisfacit, quia cùm noſtrum ſit quaſi infinitè nobilius, debuiſſet habere etiam maiorem certitudinem. *Melior ſolutio.* Meliùs ergo reſpondetur Secundò, Non fuiſſe expediens eam impetrationem eſſe infallibilem (vt benè Auctores obſeruarunt;) quia ſi applicaretur ſemel Sacrificium hoc pro ſalute æterna, ſeu pro pœnitentia finali, poſſet quis ſe iam iudicare certum de ſua ſalute, & magna inde daretur hominibus occaſio peccandi: vnde noluit Deus efficax auxilium alligare alicui Sacramento, ſed relinquere nos cum timore & tremore ad operandam noſtram ſalutem. At certitudo ſatisfactionis non habet vlla inconuenientia, ſummum enim inde ſequi poteſt, quòd homo non ſit venialia curaturus, eò quòd ſciat ſe obtenturum ſatisfactionem pro pœnis illis debitis. Hoc tamen nullum eſt inconueniens, quia ſaltem aliis operibus eſt annexa infallibiliter ea ſatisfactio, vel certè leue eſt, & non tanti momenti, quanti eſſet ſecuritas illa ſalutis.

14 Illud hac occaſione in dubium verti poteſt, Vtrùm hoc Sacrificium præter eam extinctionem debitæ pœnæ, quam habet annexam per modum ſatisfactionis, poſſit etiam per modum impetrationis extinguere eamdem pœnam: v.g. per ſe extinguit vnius diei pœnam; ego prætereà rogo Deum dum offero illud Sacrificium, vt dignetur remittere aliquid de pœna; quærimus, vtrùm re ipſa tunc remittatur aliquid de pœna illa? Quæſtio hæc eſt generalis ad omnes orationes; vtrùm ſcilicet præter ſatisfactionem ex ſe reſpondentem orationi, vt eſt bonum opus, aliquid etiam reſpondeat de remiſſione pœnæ; eò quòd à Deo petatur remiſſio: de ea egi in materia de Suffragiis, & in affirmantem opinionem conſenſi, illámque probaui; quia Eccleſia videtur id omnino ſupponere vt certum: ea enim ratione in Sacro pro defunctis habet ſpeciales orationes petentes pro illis eam remiſſionem; ſi autem oratio quà oratio non extingueret immediatè pœnam, ſed quatenus eſt opus pœnale & bonum, non eſſent illæ orationes vtiles ad effectum quem Eccleſia intendit, & tunc potiùs debuiſſet Eccleſia Sacrum aliud longius ponere; vt in eo tanquam in actione magis pœnali maior eſſet ſatisfactio. Et hanc ſententiam tandem defendit Suarez ea diſputat. 79. ſect. 6. poſt agitatam quæſtionem in vtramque partem; eidémque adhæret Cardinalis Lugo numero 158.

Circa alios verò effectus, Primò ex dictis conſtat habere vim impetrandi nobis auxilia ad benè operandum etiam efficacia; quia per hæc obtinetur, maximè iuxta ſuprà dicta, pœnitentia & remiſſio peccatorum; quam diximus mediatè obtineri per hoc Sacrificium. *Habet vim impetrandi auxilia.* Hæc autem vis impetrandi non eſt infallibilis, vt dixi, quia vniuerſaliter loquendo oratio non eſt ſemper infallibilis: etſi enim dixerit Chriſtus Ioan. 16. *Petite, & accipietis*, & Marci 11. *Propterea dico vobis, Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis*, id tamen debet intelligi, quando omnes circumſtantiæ requiſitæ repetiuntur in ea oratione, quales autem illæ ſint, nobis non conſtat; ac proinde non poſſumus dicere, quare non exaudiamur: cur autem Deus noluerit alligare infallibiliter impetrationi eam vim præſcindendo ab aliis circumſtantiis, inſinuatum eſt à me, ne nimia inde in hominibus ſecuritas oriretur; & quia ſæpè multa homines petunt, quæ verè illis non expediunt.

Circa bona verò temporalia poteſt eſſe difficultas, vtrùm etiam illa cadant ſub impetrationem huius Sacrificij. 15 *Etiam bona temporalia, contra Vaſquez.* Certum eſt ea poſſe peti in hoc Sacrificio, ideò ab Eccleſia ſunt inſtitutæ diuerſiſſimæ Orationes & Collectæ pro pluuia & ſerenitate, &c. Pater Vaſquez diſputat. 228. num. 33. putat non licere hæc petere, niſi ea omnia dirigendo ad finem ſupernaturalem; quia Chriſtus non eſt mortuus pro rebus temporalibus ſine reſpectu ad ſupernaturalia; ergo non debemus etiam ea petere ſine eo reſpectu. Mihi tamen longè probabilius eſt, ſi poſſumus licitè petere à Deo aliqua bona temporalia, eſto ea non ordinentur ad Deum, etiam tunc ea licere petere per Chriſtum, ſicut per quemcumque alium Sanctum: id enim quod licet mihi à Deo petere, licet petere à Sancto, vt pro illo intercedat, quidquid ſit; vtrùm ille Sanctus mortuus ſit néc ne propter talia bona; id autem habet longè maiorem locum in Chriſto Domino; cùm ille ſit ſummè Deo gratus, poſſum per illum id petere: & ad hoc facit (quod benè notauit Cardinalis Lugo) licet Chriſtus ſolùm ſit mortuus pro ſalute noſtra ſpirituali, pertinere tamen ad ipſius dignitatem, vt bona etiam temporalia ab ipſo ſicut à Deo & per ipſum petere poſſimus. Vnde in materia de Prædeſtinatione dixi ſæpè, talia bona naturalia nos per Chriſtum obtinere; concludo ergo, omnino poſſe etiam per hoc Sacrificium peti.

DISPVT. QVINQVAGESIMA-SECVNDA.

Pro quibus poſſit applicari valor huius Sacrificij?

1 *Varia perſonarum varia.* VARIA genera perſonarum poſſumus pro præſenti quæſtione diſtinguere. Primo loco ſunt Iuſti baptizati; Secundo baptizati Catholici peccatores; Tertiò Catholici excommunicati; Quartò hæretici baptizati; Quintò catechumeni iuſti; Sexto catechumeni adhuc non iuſtificati per contritionem; Septimo infideles reliqui; Octauo iuſti in cœlo; Nono iuſti in Purgatorio baptizati; Decimo in Purgatorio non baptizati; Vndecimo denique infantes in Lymbo, & damnati in inferno: & de omnibus his moueri quæſtio præſens poteſt; quia non defuerunt Auctores, qui circa hos omnes diſcurrerint variè; moueri tamen poteſt ea quæſtio tam quoad impetrationem quàm quoad ſatisfactionem. Rem totam breuiter expedimus.

SECTIO I.

Neque Beatis neque damnatis prodeſt.

2 *Prima concluſio, de beatis.*

PRIMA CONCLVSIO: Beatis in cœlo nullo modo prodeſt hoc Sacrificium. In hac conueniunt ferè omnes, quia illi iam non indigent hoc Sacrificio: neque enim augeri poteſt illorum beatitudo. Dices, Saltem accidentalis beatitudo creſcere poteſt. Deinde, ſi offero Sacrificium pro beatificatione vel canonizatione alicuius Sancti, offero pro bono ſaltem extrinſeco illius Sancti; ſicut quando offero pro Petro verbi gratia, ne eius merces, pecunia, bona, &c. pereant, dicor verè offerre pro Petro; & tamen ſolùm offero pro bonis extrinſecis illius, Reſpondeo, Hîc miſceri quæſtionem de modo loquendi, & objectionem probare etiam poſſe, dici Sacrificium offerri pro Deo, dum offertur pro gloria ipſius extrinſeca; id quod haud dubiè abſurdiſſimè diceretur; ergo quando dicimus Sacrificium pro aliquo offerri, intelligimus illum eſſe in aliqua intrinſeca indigentia & periculo: Sancti autem etſi gloriam extrinſecam de nouo accipiant, & inde habere etiam poſſint intrinſecum gaudium & voluptatem, non tamen ea indigent abſolutè, non triſtarentur, non dolerent, ſi ea carerent, &c. & hinc deſumitur diſparitas pro inſtantia allata; nam pecunia, merces, bona, &c. ita ſunt extrinſeca bona Petri, vt illis indigeat, ſi eis priuetur, cenſeatur miſer, doleat, angatur, &c. quæ differentia ſufficientiſſima eſt pro modo illo loquendi: nam tenera quoad modum offerendi nulla eſt differentia. Vnde obiter nota, hoc modo debuiſſe intelligi Collectam, ſeu Orationem ſecretam, quæ olim in Feſto Sancti Leonis in Miſſa legebatur; *Vt anima Sancti Leonis hac proſit oblatio*; quæ deinde mutata eſt ab Eccleſia; intelligenda enim hoc ſenſu, vt ad maiorem cultum, honorem & venerationem ipſius illa prodeſſet oblatio; quia cùm res hæc ad modum loquendi præcisè ſpectet, vt dixi, potuerunt antiqui eam phraſim vſurpare, quæ deinde ob malam multorum intelligentiam mutata eſt ab Eccleſia.

Dubium de extrinſeco Sanctorum bono.

3 Hinc etiam conſtat, Eſto Sacrum Deo offeramus in gratiarum actionem pro beneficiis collatis alicui Sancto, imò & pro collatis homini; ſi tamen in ea gratiarum actione ſiſtamus, & non petamus aliquid pro eo homine, multò adhuc minùs poſſe nos dici offerre Sacrificium pro illo; quia (vt benè Suarez & Lugo notarunt, réſque ex terminis eſt clara) gratiarum actio nec quidem in bonum extrinſecum eius, cui collatum eſt beneficium, ordinatur: ſi enim Rex meo fratri beneficium contulit, & ego fratre inſcio Regi gratias ago, nihil inde formaliter accreſcit fratri, ſed Regi ipſi honor extrinſecus, & mihi etiam, fortè nomen grati, &c. vbi benè Lugo num. 193. liberat Patrem Suarez ab objectione Vaſquez, dixerat ille diſp. 78. ſect. 1. Sacrificium hoc, prout eſt honoris & laudis, non offerri pro vllo; Vaſquez verò dixit diſput. 227. num. 1. hoc eſſe falſum; quia actus ipſe gratiarum actionis poteſt eſſe meritorius; ergo & Sacrificium, quod offertur in gratiarum actionem, poterit offerri pro alio. Huic obiectioni benè Lugo reſpondet, Non negatum à Suario materialiter poſſe Sacrificium laudis offerri pro alio; præcisè ergo docet ſub illa conſideratione laudis, ſeu ſub reſpectu laudis & benefactoris non offerri pro vllo; id quod veriſſimum eſt; non enim offertur pro ipſo benefactore, non pro altero qui accepit beneficium; ergo niſi materialiter accedat alia intentio, qua ſimul pro altero applicetur, pro nullo tunc offeretur: & hoc ſolum voluit Suarez, vbi etiam in gratiam eiuſdem hoc ego notare debeo, eum, ad explicandum quo pacto olim aliqui Patres dixerint pro Martyribus offerri Sacrificium, adduxiſſe locum Chryſoſtomi Homilia 21. in Acta: *Pro Martyribus offerri Sacrificium nihil aliud eſſe, quam in illa hora Sacrificij vocari.* In hanc expoſitionem Pater Vaſquez ea diſputat. 227. cap. 5. dupliciter inſurgit; & quia verba non retulit fideliter Suarez, & quia Chryſoſtomus non patitur eam explicationem. Fateor à Suario non citati ipſa formalia verba vt iacent in 4

Lugo defendit Suarez contra Vaſquez.

Chryſoſtomo; puto tamen illum non fuiſſe de verbis, ſed de ſententia ſolicitum, de ſententia verò vehementer admiror Patrem Vaſquez dixiſſe, non poſſe eam tribui Chryſoſtomo: etenim in illis ipſis quæ Vaſquez citat, videtur mihi clariſſima mens Chryſoſtomi, ait enim ea Homilia circa finem: *Quid tibi videtur, quòd pro Martyribus offertur, quòd inuocantur in illa hora? Licet Martyres ſint, etiam pro Martyribus offertur, magnus bonor nominari Domino præſente, dum mors illa celebratur, & horrendum Sacrificium*, &c. Priùs verò quàm pergam, vlteriùs obſeruo iuxta impreſſionem Pariſienſem anni 1588. quam ego habeo, nec quidem ab ipſo Vaſquez fideliter verba citari, vnde fortaſſe habuit Suarez aliam tranſlationem, in qua verba, quæ ipſe retulit, inueniuntur, deeſt ergo in hac impreſſione illud verbum *offertur*, non ponitur etiam punctum ante τὸ *magnus*, ſed poſt interrogationem reſpondet Chryſoſtomus: *Licet Martyres ſint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præſente*, &c. quibus clarè interrogationi illi reſpondet, *Ideò pro Martyribus offerri, quia inuocantur; & quia præſente tanto Domino eſt magnus bonor nominari*: ſicut quando præſente Rege victore nominantur ſocij, vt paulò inferiùs deducit. Idem ſenſus etiam eſt retentis verbis & punctuatione Vaſquez, nam cùm dixerit, *Putas enim pro Martyribus offerri eò quòd inuocentur?* reſpondet dupliciter, Primò, *Offerri pro illis, etiamſi ſint Martyres*; Secundò, *Eſſe magnum honorem quòd inuocentur præſente Domino.* Quæ reſponſio, vt cum præcedentibus cohæreat, facit hunc ſenſum, *Offertur pro iis quia inuocantur, & quia in ipſa inuocatione fit magnus honor, nam nominari præſente Domino eſt bonor illorum.* Vides ergo optimè explicatum à Suario Chryſoſtomum. Et de hoc puncto ſatis.

Vaſquez non citat fideliter Chryſoſtomum.

SECVNDA CONCLVSIO: Neque damnatis, etiam pueris cum ſolo originali, prodeſt hoc Sacrificium. Hæc eſt etiam communiſſima omnium ferè Catholicorum, quia in inferno & Lymbo nulla eſt redemptio, ad quid ergo pro illis offeretur Sacrificium? In contrarium videtur ſtetiſſe Gloſſa in can. *Tempus*, 13. quæſt. 2. docens, ſi eleemoſyna offeratur pro eo qui eſt in inferno, & non eſt ſummè malus, poſſe ei prodeſſe ſaltem ad mitigationem aliquam pœnæ: quod videtur tradidiſſe Auguſtinus in Enchiridio cap. 110. Verùm ibi Auguſtinus per non ſummè malos tantùm intelligit eos qui ſunt in Purgatorio, expreſſe enim affirmat damnatis nihil prodeſſe.

Secunda concluſio de damnatis.

Obiectio ex Gloſſa & S. Auguſtino.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

Quoad ſatisfactionem ſolis iuſtis baptizatis prodeſt.

5 *Concluſio prima.* PRIMA CONCLVSIO: Sacrificium altaris qua parte eſt ſatisfactorium ex opere operato pro pœna, præciſè eis prodeſt qui baptizati ſunt, & in gratia exiſtunt. In hoc puncto Theologi omnes conſentiunt, pauculis exceptis, qui putant catechumenis iuſtis prodeſſe poſſe. *Excluduntur peccatores & catechumeni iuſti.* Ratio autem ad excludendos peccatores eſt clara; quia culpæ dignitas non remittitur niſi remiſſo mortali; quoad catechumenos autem, quia vti illi non ſunt capaces fructuum qui immediatè proueniunt à Sacramentis; ita nec fructus ſatisfactionis qui immediatè prouenit à Sacrificio: ſicut etiam Eccleſia non poteſt applicare Indulgentias niſi pro baptizatis. Huius autem rei vlterior ratio non poteſt eſſe alia quàm Chriſti Domini voluntas, quæ nobis manifeſta eſt ex communi Eccleſiæ ſenſu. Varia poſſunt contra hanc doctrinam obiici; quæ omnia vno verbo ſoluuntur ex ratione inſinuata, quòd ſcilicet Chriſtus ita in hac materia voluerit, non in altera. *Argumenta pro contraria ſententia ſoluuntur.* Dicunt catechumenos eſſe ex familia Chriſti, ac proinde pro illis poſſe offerri Sacrificium: Eccleſia enim dicit, *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ*, &c. Confirmant, quia catechumenus poteſt dare ſtipem Sacerdoti, vt Miſſam pro ſe celebret; ergo. Deinde pro omni natione debet eſſe aliquod Sacrificium, quo Deus colatur; ergo & catechumeni cùm aliud non habeant Sacrificium, poterunt eſſe huius capaces. Reſpondeo ad primum, catechumenos non eſſe ex Eccleſia, ac proinde nec ex familia Chriſti: de quo egi in materia de Legibus. Ad ſecundum dico eos poſſe dare ſtipem ſaltem pro impetratione; de qua ſtatim. Ad tertium reſpondeo, Etiam illo probari, Gentiles eſſe capaces huius Sacrificij; quod tamen apertè falſum eſt. Abſolutè dico, Eſto in omni lege ſit Sacrificium, non inde ſequi catechumenos debere illud habere, quia illi non faciunt legem diſtinctam, ſed ſunt in via ad legem Chriſtianam; ideò ſi curent ſe baptizari, iam eo ipſo erunt capaces eius Sacrificij. Obiicitur etiam caput *Apoſtolicum*, de Presbytero non baptizato, vbi Innocentius ait poſſe pro eo Presbytero, qui ſine Baptiſmo eſt mortuus, cùm ſe baptizatum putaret, offerri hoſtias. Reſpondeo, poſſe tunc illi per modum impetrationis prodeſſe, vt ſtatim dicemus.

Altera concluſio. SECVNDA CONCLVSIO: Animæ baptizatorum in Purgatorio & aliorum iuſtorum etiam baptizatorum viuentium ſunt capaces immediatè huius Sacrificij quoad ſatisfactionem. In hac omnes omnino Catholici conueniunt, & quæ diximus ſuprà, probando per hoc Sacrificium dimitti pœnas debitas, & animas Purgatorij iuuari, id clarè oſtendunt, ac proinde non eſt quòd in hoc puncto vlteriùs hæreamus.

SECTIO III.

Vt impetratorium etiam catechumenis.

CONCLVSIO, Quoad impetrationem poteſt hoc Sacrificium ex ſe prodeſſe omnibus omnino, non ſolùm iuſtis catechumenis, ſed etiam infidelibus. Dico *ex ſe*; abſtraho enim nunc à prohibitione Eccleſiæ (de qua ſtatim.) 6
Hanc ſententiam docet Pater Suarez diſput. 18. ſect. 2. *Dico Secundò*, & 5. *Dico Tertiò*. Fuſiùs eamdem propugnat Cardinalis Lugo ſuprà ſect. 10. contra Patrem Vaſquez diſput. 227. cap. 3. & 4. pro ea ſtat etiam Tannerus. *Auctoritas affirmatiuæ ſententiæ.* Probaturque optimè ab his Auctoribus; & verò ipſemet Pater Vaſquez multa valdè affert loca cap. 2. contra ſe ex Clemente Romano lib. 8. Conſtitutionum cap. 6. vbi agens de precibus quæ in Sacro offerebantur, hæc ait Clemens; *Omnes pro catechumenis Deum obſecremus.* Chryſoſtomus in ſua Liturgia Tomo 5. inducit Diaconum ante conſecrationem dicentem, *Fideles pro catechuminis oremus*; & Homilia de Adam & Eua Tomo 1. Idem habet Gennadius apud Auguſtinum lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, & ipſe Auguſtinus Epiſtola 1. ad Vitalem. *Contrà Vaſquez.* Reſpondet Vaſquez, poſſe quidem in Sacro pro illis orari, non tamen Sacrificium pro eis offerri; ad Clementem autem & Chryſoſtomum ait eam antiquam conſuetudinem pro catechumenis orandi ſolùm ex eis duobus Patribus colligi; nam cæteri nihil ea de re dixerunt. Verùm hæc ſolutio inſufficientiſſima eſt, & quidem quoad vltimum punctum; nam cùm ipſe nullum Patrum antiquorum pro ſe in contrarium adducat, qui aſſerat id non licere, cur quæſo non debet ſummò æſtimari illorum duorum expreſſum pro nobis teſtimonium? *Tertulliani locus pro noſtra ſententia explicatus.* Addo autem clariſſimum teſtimonium Tertulliani lib. ad Scapulam, vbi rem hanc vt indubitatam ſupponit; agens enim de Imperatoribus gentilibus inquit: *Sacrificamus & pro Imperatoribus*: vbi benè notauit Pammelius, cùm priori libro de Apologia cap. 30. Tertullianus ſolùm dixerit, in ſimili quæſtione *Oramus* videri eum iam fuiſſe factum Presbyterum dum ad Scapulam ſcripſit; ideoque Sacrificij mentionem feciſſe (quia illud iam ipſe poterat offerre) anteà verò ſolius orationis. Neque quemquam moueat, quòd hæretici Magdeburgenſes hunc locum obiiciant ad probandum, nullum verum Sacrificium eſſe in Eccleſia, eò quòd immediatè quaſi declarando quod ſit illud Sacrificium, dixerit Tertullianus, *Orare nos prece, non effuſione ſanguinis*, &c. quaſi diceret, non eſſe in Eccleſia aliud Sacrificium quàm orationem. Reſpondeo enim cum Pammelio ibidem, propterea Tertullianum dixiſſe *prece*; quia Sacrificia illa per ſanguinem, qualia erant apud Ethnicos, omnino reiicimus. Addo ergo, non fuiſſe opportunum tunc explicare Gentili Præſidi noſtrum altaris Sacrificium, ſed abſolutè ſuffeciſſe dicere, *Sacrificamus & prece*; quia reuera ipſum Sacrificium pro Gentilibus non niſi per modum precis: ſeu impetratoriè, vt in hac concluſione dicimus, prodeſſe poterat Imperatori. Et hæc contra ſolutionem ſecundam Vaſquez.

Quod ad primam attinet, certè ſi illa valeret, non fuiſſet ei Auctori neceſſarium pro ſua ſententia dicere, *Eccleſiam non facere eam mentio-*

Digitized by Google

nem catechumenorum in Sacro, ſed potuiſſet dicere, *Etiamſi centum orationes in Sacro pro catechumenis fierent, Eccleſiam orare quidem in Sacro pro illis, non tamen pro eis offerre Sacrificium.* Quæ ſolutio nunc planè eſſet improbabilis; ergo & nunc erit improbabilis pro illis teſtimoniis, quibus dicitur olim oratum in Sacro pro catechumenis. Ratio eſt, quia Eccleſia (vt benè notauit Cardinal. Lugo) rarò aut nunquam dicit reflexè ſe offerre Sacrificium pro his aut illis, ſed præcisè in actu exercito orat pro illis in Sacro.

Idem probatur ex ordine Romano.

Secundò eadem veritas ſuadetur ex ordine Romano cap. cui titulus eſt, *Incipit ordo vel denotatio ſcrutinij ad electos*: ibi enim dum catechumeni præparantur ad Baptiſmum ad infra actionem ſic habetur: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, vt placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam vitam & beatum gratiæ donum vocare dignatus es.* Mirabiliter ſe hoc loco torquet Vaſquez; & Primò ait, Si Eccleſia iudicaret eos catechumenos eſſe capaces huius Sacrificij, cur quæſo in eodem libro iuberet eos eiici foras? Secundò; Quid enim eiicerentur ij qui ſint capaces Sacrificij? Reſpondeo cum Cardinali Lugo & aliis, eos reiici, quia offerre non poterant Sacrificium; ſoli enim baptizati ſunt capaces ſimul cum Sacerdote offerendi Sacrificium. Addo ergo vnam inſtantiam ad hominem contra ipſum Patrem Vaſquez manifeſtiſſimam: Nam hæretici etiam denunciati, &c. ſunt capaces huius fructus, & pro eis de facto orat Eccleſia die Paraſceues; & tamen eo ipſo die, quo nimirum pro illis offert illud qualequale Sacrificium, non admittit illos ad templum, vbi pro illis orat & Sacrificium offert.

8 *Reſponſio Vaſquez refutatur.*

Secundò reſpondet Vaſquez, Illos catechumenos fuiſſe infantes, & Eccleſiam oraſſe directè pro illorum Patrinis; alioquin quid poterat petere pro infantibus, qui fructus Sacrificij capaces non erant quoad illuminationem vel inſpirationem internam? Verùm miror vehementer hanc vltimam interrogationem Vaſquez, ac ſi non fuiſſet vtile tunc pro illis orare, vt ſuo tempore haberent eas inſpirationes bonas; an non impetratio poteſt fieri in futurum, & quò magis ex hoc puncto in longius tempus oratur, eò meliùs? Secundò miror, quòd cùm recurrat ad mediatam vtilitatem, fuerit ſolicitus de faciendis eis catechumenis infantibus: eodem enim modo etſi adulti fuiſſent, & habuiſſent Patrinos, explicare potuiſſet id totum de Patrinis. Tertiò (vt benè notat Lugo ſuprà n. 176.) in Officio ſtatim poſt oblationem illam nominantur baptizandi; & additur, *Hos Domine fonte Baptiſmatis innouandos ſpiritus tui munere*, &c. & Oratio poſt Communionem hæc habet: *Adeſto Domine quæſumus noſtræ redemptionis effectibus, vt quos Sacramentis æternitatis inſtituis, eiſdem protegas dignanter aptandos.* Id Quartò clariſſimè ſuadetur ex alia Oratione eiuſdem Officij: *Remedij ſempiterni munera Domine lætantes offerimus, ſuppliciter exorantes, vt eadem nos & dignè venerari, & pro ſaluandis congruenter exhibere perficias.*

Reſpondeo Primò Patri Vaſquez, Eccleſiam tunc ſecutam in praxi ſententiam probabilem, quòd poſſit hoc Sacrificium offerri pro non baptizatis. Hæc tamen ſolutio meo iudicio deſtruit totum fundamentum huius Auctoris, illud enim vnicè deſumebatur ex eo, quòd Eccleſia nunquam oret pro non baptizatis; iam autem fatetur eam oraſſe ſæpè; ergo ea propoſitio iam ceſſat; diuinare autem de mente Eccleſiæ, ob quem finem id fecerit, eſt planè arbitrarium, & eodem modo ego dicerem de facto eandem Eccleſiam non orare, quia iam ſequitur alteram opinionem probabilem, vnde ſaltem hoc euidenter euincam, ex Eccleſiæ praxi nihil contra nos, ac proinde, quod immediatè dicebam, totum argumentum Vaſquez planè corruere, eſto ea teſtimonia non eſſent poſitiuè pro nobis.

Secundò efficaciùs reiicio ſolutionem, quia (vt benè ait Lugo) eo ipſo quòd Eccleſia Romana eum ritum tamdiu ſeruauerit, clarè probatur, in eo nihil re ipſa falſitatis contineri, ac proinde etiam re ipſa vtilem fuiſſe illam Orationem. Vnde enim Tridentinum Seſſione 22. cap. 4 probat Canonem Miſſæ nullum errorem continere, niſi quia à Pontificibus inſtitutus eſt? Alias probationes ex auctoritate adducit ibi Cardinalis; ſed hæ ſufficiant. Ratio autem à priori eſt clariſſima, quia dum ego oro etiam pro altero, ſi exaudiar, Primò & immediatè mihi fit gratia; quia habita eſt ratio meæ orationis; indirectè autem alteri pro quo ego oraui: atqui Sacerdos baptizatus offerens Sacrificium ſine dubio eſt immediatè capax fructus Sacrificij; ergo eſt dignus vt exaudiatur, etiamſi alter, pro quo petit, non ſit capax immediatè eius fructus. Hinc fit, vt hoc Sacrificium, quatenus impetratorium, poſſit offerri pro quacumque re etiam irrationali: poſſum enim offerre pro conſeruatione frugum, pecorum, &c. quis autem dicere audebit, minùs capaces abſolutè Sacrificij eſſe infideles quam pecora, arbores, &c. quòd ſi hæc ſunt capacia, quia tunc immediatè fit gratia non pecoribus, ſed homini pro arboribus & pecoribus petenti; cur non exaudiar petens pro hominibus rationalibus, & quidem petens ipſa dona gratiæ ob quæ maximè Chriſtus venit? Vnde etiam Eccleſia in calicis oblatione dicit, *Pro noſtra & totius mundi ſalute*; vbi certum videtur plus dici quàm pro ſalute Chriſtianorum; alioquin Eccleſia ſi ſuam mentem reſtrinxiſſet ad ſolos Chriſtianos, benè ſciuiſſet illos ſuo nomine nominare, & neque ea voce vniuerſaliſſima *totius mundi* vſa fuiſſet. 9

Eadem reſponſio Vaſquez aliter reiicitur.

SECTIO IV.

Aliquæ obiectiones ſolutæ, & quid de excommunicatis.

IAm breuiter reſpondendum eis quæ pro ſe Vaſquez adducit: Primò, quòd Eccleſia in Sacro non oret pro non baptizatis, iam oſtendimus & oraſſe, & etiam de facto orare verbis immediatè adductis, *Pro noſtra & totius mundi ſalute.* Secundò obiicit Concilium Bracharenſe primum ca. 35. vbi habetur, *Placuit vt catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis ſimili modo neque oblationis ſanctæ commemoratio neque pſallendi impendatur officium.* Iure optimo miratur Lugo hoc teſtimonio adeò niti Vaſquez, cùm in eo aliæ Preces etiam prohibeantur; quarum tamen ipſe agnoſcit capaces catechumenos. Lugo reſpondet ibi, Prohibitum in pœnam, quòd illi diu diſtulerint Bapti- 10

Obiectio Vaſquez ex Concilio Bracharenſi ſoluitur.

ſmum

Digitized by Google

ſmum; vel certè vt terrerentur alij, ne tam diu differrent. Bona ſolutio; ego vix non inducor vt credam, Concilium ibi ſupponere eos mortuos in peccato; quia id videntur valdè clarè inſinuare illa verba, *Moriuntur ſine remedio.* Vnde, quia ſaltem ſub dubio tradit, an fuiſſent iuſtificati, noluit pro eis offerri: quæ ratio non vrget, quando ſunt in viuis; quia tunc eſto ſint in peccato, poteſt illis impetratio prodeſſe. Eodem modo reſpondeo ad Chryſoſtomum in Epiſt. ad Philippenſes Ser. 3. vbi ait, *Eccleſiam non dignari catechumenos illo ſolatio Sacrificij.* Videtur enim Sanctus Doctor ſupponere illos in peccato mortuos, & verò niſi diceret eos aliquo modo iuuari poſſe, licet valdè parum, per eleëmoſynas, omnino crederem illum putare eos damnatos: id enim verba ipſius apertè ſignificant: poterit ergo intelligi, quòd in pœnam eius dilationis non fuerit tunc oblatum Sacrificium pro illis. Abſolutè autem illos eſſe capaces eius Sacrificij ipſe Chryſoſtomus fatetur, dum in ſua Liturgia id expreſsè admittit. Poteſt fortè etiam intelligi Chryſoſtomus de Sacrificio vt eſt propitiatorium, ſeu ſatisfactorium, cuius illi capaces non ſunt; & quia in Sacrificio ea eſt præcipua pars, meritò dixi leue eſſe ſolatium quod pro illis adferri poteſt.

Reſpondetur ad teſtimonium Chryſoſtomi.

11 Vltimò obiicitur Auguſtinus lib. 20. de Anima cap. 9. vbi ait: *Quis enim offerat corpus Chriſti, niſi pro eis qui membra ſunt Chriſti?* Reſpondetur, Auguſtinum agere de oblatione per modum ſuffragij; quo ſenſu non ſunt capaces, niſi qui ſunt membra Chriſti. Denique à ratione obiicit, eos non eſſe capaces ſuffragij, ergo neque impetrationis. Negatur conſequentia quia (vt diximus) impetratio eſt gratia immediatè facta ipſi ſacrificanti; ſatisfactio verò ipſi cui remittitur pœna. Non baptizati autem non ſunt immediatè capaces effectus huius Sacrificij, ſecùs mediatè.

Obiectio ex S. Auguſtino expeditur.

Hinc conſtat à fortiori energumenos eſſe capaces illius tam quoad impetrationem, quia melioris adhuc ſunt conditionis quàm Pagani, quàm ſatisfactionem, quia poſſunt eſſe in gratia; neque video vllam rationem cur debeant excludi.

De excommunicatis.

Dixi ſuprà, poſſe hoc Sacrificium offerri pro omnibus, exceptis excommunicatis. Circa quod aduertendum eſt, ex ſe etiam excommunicatos eſſe capaces impetrationis huius Sacrificij, quia non ſunt peioris conditionis quàm infideles; de facto tamen ab Eccleſia prohiberi ne hoc Sacrificium pro illis offeratur. Vbi notandum eſt, triplicem poſſe eſſe applicationem Miſſæ; vnam nomine proprio & priuato; alteram nomine Eccleſiæ, cuius Miniſter eſt Sacerdos; tertiam nomine Chriſti, cuius nomine maximè offertur Sacrificium. Eccleſia ergo maximè prohibet oblationem Miſſæ pro excommunicatis nomine ipſius Eccleſiæ, quia id maximè ad ipſam pertinet, ac proinde maximè eſt ſub eius poteſtate id prohibere, aut imperare. Vnde ſi Sacerdos nomine Eccleſiæ hoc Sacrificium offerat, & peccabit, & nihil obtinebit, ſed inualidè offerret; quia Eccleſia non habet animum pro illis orandi. Si conſideretur item hoc Sacrificium vt à Chriſto oblatum, Eccleſia quidem prohibet, ne applicetur excommunicatis, eſt tamen magna difficultas in hoc ipſo; nam ea prohibitio ſolùm videtur poſſe locum habere quoad applicationem exteriorem, quæ ſola ſubiacet Eccleſiæ: at cùm hæc non iudicet de occultis, vix videtur poſſe prohibere eam applicationem non ſolùm quoad valorem, ſed nec quantum ad hoc vt licitè fiat. Hæc obiectio mihi videtur difficilis, vnde valdè probabiliter dici poteſt, eum tunc non peccaturum: & ita, eſto non tractet obiectionem hanc, ſentire videtur Cardinalis Bellarminus; nam eo libro ſecundo de Miſſa ſæpè citato, cap. 6. ait multos viros pios offerre totum Sacrificium Miſſæ pro conuerſione hæreticorum, id quod ait ſe non audere reprehendere; & licet non dicat ibi, quòd offeratur nomine Chriſti, non tamen ibi negat; imò dum ait totum Sacrificium offerri poſſe, inſinuare videtur etiam nomine Chriſti poſſe, quia ab illo maximum habet valorem. Fateor illum paucis lineis ante dixiſſe, oblationem nomine Chriſti eſſe publicam, ac proinde eam prohiberi poſſe ab Eccleſia, ego tamen in hoc ipſo habeo difficultatem; nam licet oblatio illa in ſe ſit publica, quoad intentionem tamen illam offerentis omnino eſt ſecreta, vt per ſe conſtat. Et hinc etiam apparet, inſtantiam, qua Pater Suarez Tomo 5. diſput. 9. ſect. 4. id confirmat, quòd ſcilicet Eccleſia prohibere licitè poſſit, ne Sacramentum adminiſtretur excommunicato, etiamſi Sacramentum ſemper conferatur nomine Chriſti: nequaquam eſſe ad rem, quia ibi non prohibetur intentio occulta, ſed tota actio exterior Sacramentalis, in quam haud dubiè habet ius Eccleſia: in noſtro caſu actio ipſa exterior ſacrificandi non prohibetur, quia liberrimum eſt mihi ſacrificare; ſola ergo prohibetur interior oblatio illius Sacrificij nomine Chriſti pro excommunicato: in eam autem intentionem non videtur habere ius vllum Eccleſia ex ea regula generali; *De occultis non iudicat Eccleſia.* Vides ergo noſtram reſolutionem valdè eſſe probabilem. Conſequenter tamen ad eum modum diſcurrendi, quo probauimus eſſe morale, etiam poſt leuiſſimam fractionem ieiunij communicare, poſſet fortè aliter probari ea ſententia Suarez & Lugo, vt Eccleſia, quæ poteſt prohibere abſolutè celebrationem Sacri, non det licentiam celebrandi niſi ſub hac limitatione, vt non offeramus Sacrum nomine Chriſti pro excommunicatis; quia licet non habeat dominium in actionem internam, poteſt tamen prohibere ſub conditione talium aut talium internarum; vel, vt meliùs dicam, poteſt permittere externas, ſi tamen talis interna adiungatur, quo caſu certiſſimum eſt fore obligationem adhibendi eas actiones internas, non quia immediatè ſint imperatæ, ſed quia ſunt poſitæ per modum conditionis. Hoc ergo modo poſſet ea ſententia defendi; dubito tamen vehementer, an eo modo obligandi ad eam interiorem omiſſionem oblationis vſa fuerit Eccleſia; ac proinde omnibus penſatis iudico probabiliorem priorem reſolutionem. Quidquid tamen ſit circa licentiam, certum eſt validam futuram eam oblationem; nam eſto tunc peccet ipſe Sacerdos, quia tamen Chriſti nomine Sacrificium offertur, poteſt optimè habere valorem à Chriſto, eſto habeat à Miniſtro demeritum, vt patet in Sacramentis.

12 *Quomodo pro illis ſacrificium poſſit offerri.*

Inſtantia Suarez refutatur.

13

Hinc à fortiori conſtat, nomine proprio poſſe à Sacerdote offerri Miſſam pro hæreticis; quia de huiuſmodi prohibitione minùs conſtat; & cùm ſit & ſecreta, & concernens tantùm ipſum Sacerdotem, non eſt

Poteſt quis nomine proprio pro hæreticis offerre.

cur

cur ſit prohibita, vti non poteſt Eccleſia prohibere, ne interiùs homo oret pro eiſdem hæreticis.

14 *Quinam hæretici intelligantur.* Illud nunc reſtat explicandum, qui hæretici intelligantur pro præſenti, an tantùm nominatim excommunicati & publici Clerici percuſſores an omnes omnino, etiam tolerati? Hoc vltimum docent Suarez eo Tomo 5. diſput. 9. ſect. 2. & Vaſquez tract. de Excommunicatione dub. 2. Thom. Sanchez lib. 17. de Matrimonio diſp. 9. num. 13. *Sententia Suarez, Vaſquez & Sanchez.* quia Conſtantienſe Concilium dum eam diſtinctionem fecit inter excommunicatos, non voluit illis vllo modo fauere, ſed non excommunicatis, vt ſine ſcrupulo poſſent cum eis communicare: atqui pro illis orare non eſt communicare cum illis; neque ordinatur ea oratio ad commoditatem, vt ſic dicam, eorum qui non ſunt excommunicati: quæ enim difficultas in non offerendo pro eis Sacrificio? *Sententia Lugo:* Contrarium cenſent multi, quos refert & ſequitur Lugo ſuprà ſect. 1. quod Primò probant, quia vi eius Bullæ poſſumus toleratum excommunicatum ſepelire in loco ſacro, vt Suarez admittit eo Tomo 5. diſput. 12. ſect. 4. ergo poſſumus pro illo orare, quia vix fieri poteſt ſepultura ſine Orationibus & cantu. *Nimiùm probas.* Reſpondeo tamen, hoc argumentum nimiùm probare: etenim ea licentia ſepeliendi excommunicatum toleratum in loco ſacro vniuerſalis eſt, abſtrahendo ab eo quòd ille moriatur in ſuo peccato, v.g. in ſua hæreſi, vbi eſt libertas religionis, certum autem eſt pro illo, cùm de eius damnatione apertè conſtet, non poſſe offerri Sacrificium, neque pro illo Preces offerri; quomodo ergo illa ſepultura tunc fiet ſine cantu? Dici ergo poteſt Primò, eam poſſe fieri omnino ſine vllis Precibus. Secundò, eas Preces tunc à Catholicis dirigi ad alios in Purgatorio exiſtentes; quòd verò ſepelire eum poſſimus in loco ſacro, eſt in fauorem ſepelientium; ne teneantur alia loca quærere quàm ordinaria, vbi cæteri ſepeliuntur. At pro eis orare non video quomodo ſit iudicanda actio in fauorem ipſius orantis ordinata; iam autem dixi Concilium Conſtantienſe eum fauorem tantùm conſideraſſe.

15 *Argumentum ſecundum:* Secundò argumentantur: Quia poteſt huiuſmodi excommunicatus admitti ad templum, dum fit Sacrum; in *Memento* autem dicitur: *Et omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, &c. Reſpondeo, Etiam tunc illam oblationem intelligi iuxta capacitatem præſentium. Supponitur enim Sacerdos habere illam virtualem voluntatem, quòd nolit orare pro his, pro quibus ipſi prohibitum eſt orare, vt ſi Sacerdote ignorante ſit ibi aliquis publicè excommunicatus, non tamen orat pro illo, etiamſi dicat, *Et omnium circumſtantium*, &c. Et verò fortaſſe hunc locum poſſemus retorquere pro nobis; nam ibi non dicitur: *Et omnium circumſtantium* abſolutè: ſed additur, *Quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio.* At talis hæretici quæ fides eſt nota Deo, quæ deuotio?

Tertium: Tertiò argumentantur; Quia non eſt dubium quin poſſimus cum tali excommunicato cantare Officium Diuinum, vel recitare; & tunc poſſumus pro eo dicere, *Miſereatur tui omnipotens Deus*, & dicere, *Dominus vobiſcum*, &c. Ergo abſolutè poſſumus pro tali orare. Præterea ſi Sacerdos ei Communionem daret, poſſet dicere, *Miſereatur tui omnipotens Deus*, & *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. Reſpondetur tamen, Neque hoc argumentum vrgere; quia admittere hæreticum ad cantum vel recitandum, &c. ſimpliciter eſt in bonum non excommunicati, ne hic vel tam multùm laboret orando; vel ne cogatur ad alterius aduentum exire ex templo, Sacrum omittere, &c. vnde probabiliſſimè poteſt dici, Concilium etiam permiſiſſe tunc tales Orationes pro illis excommunicatis, quia id eſt annexum illis actionibus; qui autem diſpenſat in aliqua re, cenſetur diſpenſare in cæteris, quæ ſunt illi annexæ. At in oblatione Sacrificij pro eo excommunicato non video vllam connexionem cum actione ipſa exteriori ſacrificandi; vnde non eſt diſpenſatum in ea oblatione, ex eo quòd ſit diſpenſatum in communicatione externa tam corporali quàm ſpirituali.

Quartò & vltimò obiiciunt rationem à priori; Quia orare eſt offerre Sacrificium, &c. eſt communicare cum illo, pro quo oro, ſacrifico, &c. vt conſtat ex Innocentio III. in cap. *A nobis.* 38. de ſententia excommunicationis, ibi enim ait Pontifex: *Nec obſtat quod legitur, Non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum viuo; cùm etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet.* Reſpondeo, Hoc caput non citari omnino fideliter. 16 *Quartum:* Primò enim non fuit quæſitum de Sacrificio Miſſæ, ſed de accipiendis eleëmoſynis nomine defuncti, & de Orationibus; item de ſepeliendo illo in loco ſacro: ea autem acceptio pecuniæ communicatio eſt vera, & in fauorem eorum qui non erant excommunicati. Denique communicatio exterior erat ſepelire in loco ſacro: eratque id in maximum fauorem conſanguineorum, (quibus vrgentibus datum eſt illud reſponſum à Pontifice: Ne ea infamia publica perpetuò laborarent, quòd eorum conſanguineus aſini ſepulturæ traditus eſſet. Ratione ergo iſtarum actionum meritò potuit Pontifex vocare communicationem cum mortuo, quæ eſſet exhibenda viuo, quia à viuo & eleëmoſynæ fuiſſent accipiendæ, & corporalis eius præſentia non fuiſſet vitanda. Non ergo vllo modo hinc deducitur, à Pontifice nomine communicationis intelligi Sacrificium, poſſe nos pro illis offerre. Denique tempore Innocentij III. non erat ea diſtinctio excõmunicati tolerati. Ex his conſtat probabiliorem valdè eſſe ſententiam Patris Suarez quoad Sacrificium de quo agimus. Propter auctoritatem tamen ſatis communem in contrarium poterit quis ſine vllo ſcrupulo pro talibus hæreticis Sacrificium offerre.

SECTIO V.

Quid requiratur ex parte eorum, pro quibus offertur hoc Sacrificium?

QVia hucuſque egimus de his pro quibus offerri poteſt hoc Sacrificium, oportet nunc breuiter diſcutere, quid ex parte ipſorum requiratur ad obtinendum effectum illius; & quidem ſi de ſatisfactione pro pœna in Purgatorio debita agatur, certum eſt non prodeſſe his qui in mortali ſunt, quia pœna debita non remittitur, niſi ſit remiſſum mortale. Hinc autem reiicit Cardinalis Lugo eos qui offerunt de præſenti Miſſas pro his, qui eas deinde petituri, ac daturi pro illis ſunt eleëmoſynam: in cuius confirmationem adducit ex Patre Granado reſponſum 17 *Oblatio Miſſa pro petituris reijcitur à Lugo.*

Digitized by Google

ſum Congregationis Concilij Tridentini ad Cardinalem de Gueuara, Archiepiſcopum Hiſpalenſem, hoc tamen reſponſum ego de facto inuenio impreſſum ſimul cum Concilio Tridentino non ſub Paulo V. (vt ait Lugo) ſed ſub Clemente VIII. ſi tamen ad tempus quo dicitur datum attendamus, probabilius eſt fuiſſe ſub Paulo, vt eum citat Lugo, quia 15 Nouembris anni 1605. non ſedebat Clemens VIII. ſed Paulus V. Quidquid verò de hoc ſit, mihi ex præcedenti reſolutione non videtur ſufficienter inferri ea concluſio Lugo, etenim poteſt eſſe, quòd hodie ſit capaciſſimus remiſſionis ille, qui eſt poſt duas tréſve hebdomadas aut menſes petiturus Sacrum, ac proinde verè illi prodeſſe poſſit Sacrificium hodie. Aliunde ergo quærenda eſt ratio vniuerſalis huius prohibitionis, aliquando quidem poteſt eſſe ea quam Lugo affert; per ſe autem videtur magis connaturalis & ordinaria, quòd ſicut in Sacramentis non poteſt pro eorum valore apponi conditio de futuro, ita neque hîc pro valore Sacrificij, quia cùm pro illo priori quo offertur debeat a Deo applicari valor, non debet apponi vt neceſſaria aliqua conditio, quæ tunc non videtur, ſed tempore & præuiſione diuina eſt poſterior. Deinde (vt ipſi Cardinales in eo reſcripto teſtantur) ea res eſt obnoxia ſcandalis fidelium, & offenſionibus ac multis nominibus periculoſa; quia ſcilicet fideles verè putant non potuiſſe Sacerdotem diuinare ſuam intentionem; ac proinde non potuiſſe tam perfectè iuxta illã offerre Sacrificium; item, quia facillimũ eſt dicere, Iam ego tot & tot celebraui Sacra, ob mihi tantam & tantam eleëmoſynam; cùm tamen longè pauciora, fortè nullum fecerit: & licet in futurum ſimile inconueniens non omnino vitetur, quia etiam de futuro poteſt Sacerdos promittere multa Sacra, & deinde pauca celebrare; tamen quia poſtquàm fideles dederunt eleëmoſynam, magis ſolent etiam attendere, vtrùm Sacerdos celebret, quàm antequam dent, non eſt tantum periculum deceptionis quàm in priori caſu. Et ſatis de hac digreſſione ratione noſtræ ſuppoſitionis.

Ratio prohibitionis aſſignatur.

18 Dixi quoad ſatisfactionem non eſſe capaces, niſi qui actu ſunt in gratia; nam de impetratione aliter dicendum eſt: hæc enim cùm ordinetur ad obtinendum à Deo bonum aliquod pro perſona pro qua oratur, & peccator maximè indigeat fauore & gratia Dei, ſine dubio ille eſt in ſtatu capaci & capaciſſimo, vt pro eo impetretur aliquid; & licet ratione ſui peccati Deum prouocet, ne Sacerdos pro ipſo orans exaudiatur; vnde fortaſſe de condigno pura creatura non poſſit pro peccatore aliquid obtinere; (de quo alibi) id tamen non obeſt merito de congruo, & in Sacrificio, de quo agimus, locum non habet, quia illud eſt infiniti valoris ex operibus Chriſti, quæ quia infinitæ ſunt æſtimationis, poſſunt cuilibet quantumuis maximo peccatori etiam de condigno mereri quæcumque præmia. Eſt præterea alia differentia inter ſatisfactionem & impetrationem, quòd illa (vt diximus) ſemper eſt de præſenti pro pœna, quam iam homo debet; ac proinde etiam pro eo, qui actu eſt iuſtus, non poteſt offerri in futurum; id eſt pro pœna, quam ex venialibus aut mortalibus futuris, & deinde remittendis promeriturus eſt. At impetratio maximè ordinatur in futurum: ita enim tota vita petimus felicem mortem; ac proinde Miſſa, quatenus impetratoria, poteſt offerri etiam pro quocumque remotiſſimò futuro tempore. Hæc certa; illud dubium, vtrùm fructus ſatisfactionis, qui ex opere operato reſpondet huic Sacrificio, creſcat ratione maioris diſpoſitionis ex parte illius, pro quo offertur; eo modo quo communiter dicitur, gratiam Sacramentalem eſſe maiorem iuxta meliorem diſpoſitionem ſuſcipientis Sacramentum. Hac de re agit Suarez diſp. 79. ſect. 10. §. *Decimo inquiri poteſt.* Vaſquez diſp. 231. & Lugo diſp. 19. ſect. 10. n. 196. apud quos alij videri poſſunt. Tres ſunt ſententiæ in hoc puncto; vna negans creſcere: eam defendit Suarez, & pro ea citat Caietanum, Durandum & Diuum Thomam in 2. diſtinct. 45. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 1. Verùm ibi Sanctus Doctor de ſuffragiis ſolùm agit, quæ quis offert pro altero, non de Sacrificio; in quo videtur eſſe ſpecialis aliqua ratio diſparitatis, vt dicemus. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quòd effectus huius ſatisfactionis ſit in ſe determinatus, & ſolùm pendeat à voluntate offerentis, non autem à diſpoſitione alterius; vnde ſi offerens applicet totum, vel tantùm mediam partem, totum vel ſolùm media pars applicabitur, ſiue perſona, cui applicatur, ſit valde benè ſiue remiſsè diſpoſita, imò licet nullam habeat diſpoſitionem poſitiuam, dummodò in gratia ſit.

Quando operetur Sacrificium pro ratione diſpoſitionis.

Sententia Suarez.

Quando requiratur ſtatus gratiæ.

19 Contrarium abſolutè defendit Lugo: pro qua ſententia Pater Suarez citat Diuum Thomam quæſt. 79. art. 5. docentem, Miſſam eſſe ſatisfactoriam illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem deuotionis. Probatur hæc ſententia, quia (vt immediatè diximus) in Sacramentis ita quoad gratiam contingit; ergo idem hîc quoad ſatisfactionem dicendum erit: cùm enim ſatisfactio Chriſti Domini, quæ applicatur huic Sacrificio (ſicut applicantur merita Sacramentis) ſit valoris infiniti, non tamen in actu ſecundo applicetur ſecundùm totam eam infinitatem, potuit optimè Chriſtus iuxta meliorem diſpoſitionem ſuſcipientis plus applicare pro excitandis magis hominibus ad maiorem & meliorem diſpoſitionem, & hinc reiicitur inſtantia, quæ affertur ex ſatisfactionibus propriis hominum, ſeu ex opere operantis: nam hæ ſunt determinati & certi valoris; neque ſiunt maioris vel minoris pro alterius diſpoſitione, at ſatisfactio Chriſti, quia non applicatur ſecundùm totum ſuum effectum, poteſt magis minùſve applicari iuxta maiorem vel minorem diſpoſitionem ſuſcipientis.

Sententia Lugo contraria.

Tertia denique ſententia media via incedit, aitque, Non ex quacumque meliori diſpoſitione creſcere hunc effectum, ſed ex illa tantùm quæ hoc Sacrificium reſpicit, ſcilicet ex maiori deuotione, & reuerentia & affectu circa illud, quia hæc maior deuotio quodammodò concurrit ad offerendum meliùs hoc Sacrificium. Ita Vaſquez ſuprà.

Sententia media.

20 Ego in hac quæſtione DICO PRIMÒ, Rem potuiſſe contingere quolibet ex his tribus modis: potuit enim Chriſtus, à cuius voluntate res hæc tota pependit, vel taxare certam menſuram, vel iuxta maiorem affectum in hoc venerabile Sacrificium, vel denique iuxta quamcumque maiorem diſpoſitionem plus velle applicare de ſua ſatisfactione, quomodo autem de facto ipſe diſpoſuerit, non poſſumus nos vlla ratione oſtendere; quia res eſt ſupra omnem experientiam & rationem naturalem, à ſola, vt dixi, voluntate

Proponitur ſententia tenenda.

Digitized by Google

luntate Chriſti dependens; de qua etiam nihil eſt nobis reuelatum neque in Scriptura, neque in Patribus, neque per ſufficientem Theologorum conſenſum; quia pauci quæſtionem tractant, & inter eos eſt (vt vidimus) magna opinionum varietas.

Vnde SECVNDÒ DICO Minùs benè adduci has, & illas inſtantias tam à Suario quàm in contrarium à Lugo; quia illis omnibus non obſtantibus res tota potuit à Chriſto in quamcumque partem determinari.

TERTIÒ principaliter DICO, Cùm ea maior applicatio ſit ſpecialis poſitiuus fauor, non annexus per ſe inſtitutioni huius Sacrificij, ideóque ex ea inſtitutione probari ille non poſſit, & aliunde, vt dixi, non ſuadeatur ſufficienter (quia inſtantia de Sacramentis nón valet, eſto habeat aliquam probabilitatem, vt ſtatim dicam) & non debeamus nouos effectùs ſupernaturales concedere ſine poſitiuo fundamento, probabiliorem eſſe ſententiam Durandi, Caietani, & Suarij id negantium. Quòd ergo ea inſtantia de Sacramentis non valeat, facilè oſtendo Primò ex regula generali, quòd in his effectibus pendentibus à ſola voluntate inſtituentis non valeat argumentum ab vno ad alterum: vnde & Lugo ipſe cùm omnibus Sacramentis dicat à Chriſto datam eſſe vim reuiuiſcendi ad gratiam, negat tamen id ſoli Euchariſtiæ; & certè ibi maior eſt conſequentiæ vis quàm in præſenti, tum quia eſt in eodem genere gratiæ habitualis & reuiuiſcentiæ; hic autem eſt in genere ſatisfactionis; tum quia ibi inſtantia ſumitur à ſex Sacramentis ad vnum reſiduum Sacramentum; hîc autem ad Sacrificium trahitur argumentum à Sacramentis, quæ ſunt diſparata genera. Eſt item ſecunda ratio, cur ea inſtantia non valet, quia in Sacramentis fuit per ſe valdè vtilis ea differentia. Nam cùm effectus Sacramenti per ſe cauſetur, quando ipſe homo ſe præparat liberè ad illum; (loquor de adultis & rationis capacibus; nam maior aut minor diſpoſitio libera in his ſolùm habet locum;) ſcit enim homo quando ſumit Euchariſtiam, quando baptizatur, quando abſoluitur, quando ordinatur, &c. vtiliſſimum haud dubiè fuit, vt ille homo decentiùs Sacramenta ſuſciperet, ei gratiam maiorem iuxta meliorem diſpoſitionem conferre. At in applicatione Sacrificij hæc ratio non habet locum; quia Sacrificium applicatur mihi ſæpè quando ego nihil de ea re cogito: offert enim pro me Sacrum, dum ego ab eo diſto centum milliaribus, dum aut dormio, aut diſtractus ſum; aut certè neque vnquam cogitaui de tali oblatione; quomodo ergo ſciam me meliùs actu diſponere pro illo effectu? Dico *actu diſponere*. Nam recurrere ad maiorem habitualem diſpoſitionem, hoc eſt ad maiorem gratiam habitualem ſubiecti, mihi eſt valdè durum, quia oſtendi alibi, ex ea maiori gratia nec merita creſcere, nec ſatisfactionem, &c. Denique ideò ea inſtantia non eſt bona, quia illud ipſum quod ea ſupponit habet in ſe magnam difficultatem, & non eſt omnino certum (vt ſuprà vidimus;) & licet admittatur, quia in eam ſententiam multi conſpirant, non ideò debet admitti conſequentia ad hanc materiam, in qua vnus vel alter tantùm ita diſcurrit.

Probatur ſententia Durandi, Caietani & Suarij.

21

Diſcrimen inter effectum Sacramentorum & Sacrificij.

Media illa ſententia P. Vaſquez benè reijcitur à Lugo, quia illa deuotio maior, quam Vaſquez ponit, & quæ concurrit ad meliùs offerendum hoc Sacrificium, pertinet ad augendum effectum ex opere operantis, non ex operato: de quo ſecundo modo nos iam agimus, in quo non video quid amplius ſolidè dici poſſit.

SECTIO VI.

An ex Eccleſia offerente accedat valor huic Sacrificio?

QVia diximus ſæpè Eccleſiam offerre hoc Sacrificium, oportet iam explicare, quomodo valor illius deſumatur ab Eccleſia illud offerente. Ratio autem dubitandi ea eſt, quòd contingere ſæpè poſſit, vt quando ego v. g. celebro, nullus cogitet actu de offerenda ea Miſſa Deo pro me aut pro altero, pro quo eam ego offero, quomodo ergo accipiet valorem ab ipſa Eccleſia? Vnde Vaſquez diſp. 229. nu. 10. haud ſine fundamento dubitat, vtrùm pro maiori vel minori ſanctitate fidelium conſtituentium Eccleſiam creſcat, aut è contrario minuatur valor huius Sacrificij. Nihilominùs tamen abſolutè dicendum eſt accipere etiam aliquem valorem ab Eccleſia in ordine ad impetrandum faciliùs à Deo quia ad id ſufficit quòd ea actio ſacrificandi ſit moraliter actio Eccleſiæ, eo modo quo actio Legati eſt ipſius Regis, etiamſi fortè dum eam exercet Legatus, nihil de ea actu Rex cogitet. 22

Ratio dubitandi proponitur.

Concluſio probatur à ſimili.

Dices, Id habere poſſe locum, ſi in particulari ipſi fideles, Petrus v. g. à me petiiſſent vt ipſorum nomine Sacrificium offerrem, ſicuti Rex conſtituit ſuum Oratorem, qui nomine ſuo Papæ obedientiam præſtet. At quando talis ſubſtitutio non eſt facta, non facilè explicatur ea impetratio: quid enim fideles in Indiis ſciunt, an ſim ego Sacerdos necne? aut quando me conſtituerunt vt ſuo nomine offerrem Deo Sacrificium? Reſpondeo, Omnes fideles virtualiter & implicitè, quatenus volunt eſſe membra Eccleſiæ & ſubditi illius, ratum habere quidquid conſenſu totius communitatis Prælati Eccleſiæ faciunt; dum ergo Prælati auctoritate publica conſecrant aliquem in Sacerdotem, & conſtituunt eum Miniſtrum publicum, eum etiam ſuo modo conſtituunt omnes fideles; etiam conſtitutum approbant, qui de nouo accedunt; ergo nomine ipſorum dici debet oblatum Sacrificium.

Replica ſimilitudine declaratur.

Reſponſio.

Obijcies adhuc: Actio exterior nihil addit de nouo merito ſupra interiorem; ergo hodie, dum ego v. g. celebro, nihil de nouo accedit meæ exteriori actioni ſupra præcedentes volitiones fidelium. Reſpondeo, Nos hîc non agere de merito, ſed ſolùm de impetratione, in ordine ad quam diximus multùm valdè iuuare actionem externam orandi: multa enim quæ homo adhuc non obtinuit, dum habuit volitionem ponendi actionem externam, obtinuit cùm primùm illam poſuit. Quæ doctrina habet locum etiam in ordine ad ſatisfactionem; ea ergo actio exterior moraliter orta ab Eccleſia ob eius ſanctitatem maiorem redditur magis impetratoria; licet enim dixerimus ex maiori gratia non creſcere merita, ad impetrationem tamen maiorem dicendum omnino eſt, multùm iuuare maiorem ſanctitatem orantis, differentiam alibi dedimus, quòd oratio extorquet liberalitatem & beneficium, meritum iuſtitiam; in ordine autem ad liberalitatem extorquendam multum efficit, quòd perſona 23

Obiectio:

Soluitur.

Digitized by Google

na petens ſit gratior; quòd tamen in ordine ad iuſtitiam non conſideratur; ſed de hoc me vide Tomo 6. vbi egi, quomodo actiones Chriſti Domini dignificentur ab eius perſona. Vnde notandum obiter, Sacerdotem excommunicatum, vel etiam ſuſpenſum ad Officio, cui Eccleſia abſtulit poteſtatem celebrandi, nihil omnino impetrare nomine Eccleſiæ, quia non operatur re ipſa illius nomine.

24 *Quid ad ſatisfactionem requiratur.* Aduerte, Effectum, quem diximus ab Eccleſiæ ſanctitate accedere, ſolùm eſſe quoad impetrationem. Nam cùm actio ſatisficandi non ſit propriè doloroſa reſpectu Eccleſiæ, & ad ſatisfactionem requiratur præter interiorem volitionem actio exterior moleſtiam aliquam cauſans (vt ſuo loco dicemus) cumque ea ſatisfactio non creſcat propriè ex maiori gratia habituali ſatisfacientis (vt etiam alibi probaui) non poteſt Sacrificio Miſſe vlla ab Eccleſia offerente accedere vis ſatiſfaciendi, ſed ſolùm impetrandi.

Dubium expeditur. Circa hunc effectum immediatè explicatum moueri poteſt dubium magis ad modum loquendi quàm ad rem ipſam ſpectans, Vtrùm ea vis dicenda ſit ex opere operato, an ex opere operãtis. Si loquamur reſpectu ipſius Sacerdotis, certum eſt non eſſe ex opere operantis; quia non deſumitur ex merito aut oratione ipſius; reſpectu autem Eccleſiæ eſſe ex opere operantis, quia eſt ex volitione illius. Abſolutè puto dicendum ex opere operato; nam Sacramenta dicuntur ab omnibus cauſare ſolùm ex opere operato gratiam ea præcisè de cauſa quòd reſpectu immediatè conferentis & ſuſcipientis non cauſent ob eorum merita, etiam ſi reſpectu Chriſti intelligantur ibi incluſa merita; ergo cùm etiam hîc reſpectu immediatè offerentis ea cauſatio non oriatur ab eius meritis, dicendũ erit ex opere operato; eſto reſpectu Eccleſiæ moraliter & mediatè tantùm offerentis pendeat à meritis.

Aliud dubiũ ſoluitur. Qua occaſione quæri etiam poteſt, Vtrùm vis impetratiua, quam habet à Chriſto hoc Sacrificium, dicenda ſit ex opere operato, eò quòd non ſit infallibilis; quæſtio eſt de nomine, in qua ſatis probabiliter dici poteſt non eſſe effectum ex opere operato, quia communiter hoc nomine intelligimus effectum omnino certum. Et de voce ſatis.

SECTIO VII.

Quantus ſit huius Sacrificij valor?

SVBSECTIO I.

Quæ certa ſunt præmittuntur, & proponitur difficultas.

25 *Quid Sacerdos in peccato offerens mereatur.* E Tribus capitibus, iuxta ſupra, poteſt prouenire huic Sacrificio valor, ab Eccleſia, à Sacerdote ipſo offerente, & à Chriſto: ſi de Sacerdote offerente loquamur, certum eſt, caſu quo in ipſa oblatione Sacrificij mortaliter peccet, non poſſe quidquam mereri, quidquam impetrare, aut vllo modo ſatisfacere pro pœnis, quia actus peccaminoſus non poteſt eſſe vllius præmij meritorius, ſed potiùs è contrario pœna & odio dignus. Quòd ſi tamen in mortali exſtat, & inuincibiliter id ignorat, aut eſto recordetur peccati, ſi tamen putet ſe in ea celebratione non peccare, ſed potiùs bene operari, poterit, ſi actum aliquem ſupernaturalem bonum habeat, impetrare aliquid de congruo, ſicut cæteri peccatores poſſunt per actus ſupernaturales aliquid meriti de congruo, iuxta illud Daniel. 4. ad Nabuchodonoſorem; *Peccata tua eleemoſynis redime*, id eſt exercendo eleëmoſynam obtine à Deo de congruo auxilia, quibus à peccatis reſurgas. De ſatisfactione alia eſt ratio, quia (vt ſæpè diximus) quamdiu homo eſt in mortali, non poteſt ſatisfacere pro pœna debita in Purgatorio; imò quoad hoc ſi ſit in ſolo veniali, non poterit pro pœna debita ei veniali ſatisfacere; quia prius eſt remitti culpam, & deinde ſatisfacere pro pœna debita ex culpa relicta. Denique ſi Sacerdos ſit in gratia, & in celebratione Miſſæ exerceat aliquod opus ſupernaturale, poterit per illud impetrare & ſatisfacere; vtrùm autem augmentum hoc impetrationis cauſet etiam maiorem ſatisfactionem aut impetrationem ex opere operato pro his, pro quibus Sacrificium offertur, dixi præcedente ſectione; vbi negatiuam partem defendi, & ſolùm admiſi poſſe tunc Sacerdotem eis plus prodeſſe applicando illis ſuam ſatisfactionem, ſicut poteſt aliorum ſuorum operum ſatisfactionem applicare. In hoc autem augmento nullam eſſe infinitatem eſt omnino certum; quia ſatisfactio, & impetratio, vt à pura creatura prouenit, ſemper eſt finita, ac proinde quò pluribus applicatur, eò eſt cuilibet minùs proficua. Et hæc de valore à Sacerdote proueniente. *Quid in gratia.*

Si verò de valore ab Eccleſia emanante ſermo ſit, iam oſtendimus ſuprà, ſi Sacerdos ſit excommunicatus aut ſuſpenſus, non poſſe eius Sacrificium vllum accipere ab Eccleſia valorem; quia tunc non operatur nomine Eccleſiæ, cùm potiùs Eccleſia prohibuerit eum, ne tunc oret. 26 *De valore proueniente ab Eccleſia.*

Dices fortè, Etiam tunc Chriſtus eum prohibet ne offerat: ea enim oblatio haud dubiè eſt contra voluntatem Dei, cùm ſit peccaminoſa; & tamen etiam tunc poteſt nomine Chriſti offerre, vt dictum eſt; & habebit tunc valorem à Chriſto; ergo etiamſi Eccleſia prohibuerit Sacerdoti, ne ipſius nomine offerat, adhuc poterit eſſe ea actio ſatisfactoria etiam nomine Eccleſiæ. Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt manifeſta; nam Chriſtus Dominus voluit vt eſto Miniſter Sacramentorum aut Sacrificij eſſet in peccato, & eſto peccando conficeret Sacramenta, aut Sacrificium, nihilominùs validè illa conficeret; eo autem ipſo quòd validè, debuere ibi interuenire merita ipſius Chriſti Domini, ac proinde voluit vt per peccatum Miniſtri ipſius merita non retardarentur; potuit autem id velle, quia (vt ait Concilium) cùm eius merita & dignitas ſit infinita, non poteſt violari aut infringi valor Sacrificij per malitiam Miniſtri; habuit ergo duas voluntates, vnam, quam homini exiſtenti in peccato prohibuit abſolutè ne ſacrificaret, ne adminiſtraret Sacramenta; alteram verò, qua dixit, ſi tamen peccans voluerit facere quod ego feci, Ego volo vt quoad ſubſtantiam actionis repræſentet meam perſonam; & conſequenter dignitas tota eius actionis à me proueniens ibi retineatur. At Eccleſia quia tantùm dat valorem, quatenus vult per illum Sacerdotem orare, & voluntatem iſtam ex integro retractat, dum Sacerdoti mandat, ne ipſius nomine Sacrificium offerat, ideò aufert ab illa actione quidquid impetrationis inde potuiſſet prouenire. Dixi *impetrationis*, quia de ſatisfactione diximus ſuprà nihil ab Eccleſia deriuari; quomodo autem

Digitized by Google

ex eo quòd plures iuſti ſint in Eccleſia,creſcat ea impetratio,ſuprà etiam declaratum eſt.

17 *Obiectio:* Vlteriùs tamen obiicies; Eſto quis ſit excommunicatus, & ſuſpenſus ab Eccleſia, ac proinde eſto non oret nomine Eccleſiæ,ſi tamen ille dum celebrat non peccat actu, adhuc videtur poſſe obtinere aliquid à nomine Eccleſiæ,ſi Deo proponat hoc modo merita Eccleſiæ: *Domine rogo te vt in gratiam Eccleſiæ totius tibi gratiſſimæ mihi hoc aut illud concedas.* *Soluitur.* Reſpondeo,Id quidem fieri optimè poſſe eo modo, quo de facto nos à Deo petimus aliquid per interceſſionem B. Virginis & aliorum Sanctorum: id tamen non eſt ad rem,de qua nunc diſputamus;quia eo caſu non oraret Sacerdos nomine Eccleſiæ,& vt delegatus illiùs: *Exemplo declaratur.* vti dum ego peto aliquid à Deo ob interceſſionem S.Ioan.Baptiſtæ,aut Euangeliſtæ v.g.non oro nomine illius, & vt delegatus illius, ſed vt obiectiuè tantùm, vt ſic dicam, repræſento Deo illius merita,vt per ipſa dignetur moueri ad concedendum id quod peto,quo caſu maioris efficacitatis erit ea oratio, quò plures fuerint in Eccleſia iuſti;quia eo ipſo plus ſanctitatis repræſentabitur à Deo, ratione cuius moueatur. Dixi tamen etiam ad hanc ipſam orationem requiri,ne Sacerdos tunc actu peccet, quia per actionem peccaminoſam non ſolùm non poteſt quidquam immediatè impetrare à Deo, ſed nec poteſt mouere Deum, vt Deus reſpiciat ſingulariter merita alterius Sancti ad concedendum illi homini id quod petit; id enim eſſet annuere petitioni illius malæ;Deus autem non poteſt annuere peccato quà tali, niſi in ordine ad odium & pœnam,vt ſuprà etiam notaui.

28 *Vnde prouenit valor Sacrificio.* Iam ad præcipuum caput,vnde Sacrificio prouenit valor:in quo puncto ex dictis ſuprà conſtat, per illud quà tale non conferri immediatè gratiam habitualem,vti confertur per Sacramenta.Secundò certum eſt valorem illius deſumi ex eo,quòd moraliter actio hæc exterior ſacrificandi ſit actio Chriſti eo modo,quo de Sacramentis diximus; ſiue interim Chriſtus ipſe dicendus ſit per hanc actionem mereri, ſiue orare, ſiue ſatisfacere.Nam licet(vt Tomo 3.fuſiùs deduximus) actio exterior non addat nouum meritum ſupra interiorem, potuit tamen Chriſtus, qui infiniti valoris merita habuit, Deo dicere,Hunc actum tibi offero pro merito gratiæ auxiliorum,ſatisfactionum, &c. ita tamen vt nolim te eo actu moueri ad dandum præmium, niſi poſitam videris meo nomine talem & talem actionem Sacramentalem,aut Sacrificium; per eam enim vt per vltimam conditionem volo compleri hoc meritum;quod alioquin,ſi voluiſſem, poſſet ſtatim independenter ab omni actione externa obtinere ſuum effectum. Si autem hoc pacto Chriſtus applicuiſſet ſuum meritum, ſine dubio poſſet poſteà dici mereri, dum ego v.g. ipſius nomine eam actionem exercere. Potuit tamen (& hoc faciliùs intelligitur, vt & ſuprà de Sacramentis agentes diximus) eam actionem per modum petitionis ſubſtituere; quia licet meritum totum conſiſtat in actione interiori, petitio tamen poteſt habere locum etiã in interiori, ita vt non ſit completa oratio, niſi ea actio exterior ponatur. *Diſparitas inter meritum & orationem.* Diſparitas inter meritum & orationem eſt; quòd meritum totum fundatur in honeſtate libera actus: vbi enim non eſt propria libertas, meritum eſſe non poteſt. At oratio fundatur etiam in aliis titulis,licet non ſint liberi;vnde & per actum neceſſarium honeſtum poteſt quis impetrare,poteſt & per rem quæ ipſius non eſt, vt dum orat per aliorum merita;ac proinde potuit etiam Chriſtus actionem externam ſacrificandi ponere,vt petitionem,ob quam Deus ſiue ad gratiam(vt fecit in Sacramentis) ſiue ad auxilia & alia dona conferenda permoueretur; quocumque ergo ex his modis id fecerit, in ordine ad præſens dubium eſt idem,quia vtroque modo potuit in actu ſecundo finitum vel infinitum valorem pro ſuo libitu concedere, vt mox dicemus. Quæ de merito & impetratione diximus, intelligenda eodem modo ſunt de ſatisfactione 29 pro pœna temporali,quæ eſt ex præcipuis huius Sacrificij effectibus: quia enim opera Chriſti erant infinitæ ſatisfactionis, optimè potuit eam ſatisfactionem applicare eis operibus vel per modum impetrationis: poterat enim per impetrationem totam noſtram pœnam extinguere; vel per modum ſufficientis pretij, ſeu æqualis valoris cum ea remiſſione.

Iam igitur difficultas conſiſtit in eo: Vtrùm *Impetratio & ſatisfactio non eſt ſimpliciter infinita.* Chriſtus, qui applicare poterat ſua merita, vel orationem, vel ſatisfactionem pro impetratione aut ſatisfactione infinita, de facto illa pro finita, an verò pro infinita ſyncategorematicè obtinuerit. Dico *ſyncategorematicè*, quia de facto nihil infinitum actu meretur; non auxilia, quia hæc & finita numero,& pro finitis perſonis,& in ordine ad finitæ bonitatis opera ſunt;non quoad ſatisfactionem pro pœna,quia pœna temporalis Purgatorij finita eſt; non pro remiſſione mortalis, quia ea non fit per Sacrificium; Secundò, quia ea eſt in ſe finita, vt alibi oſtendimus. Eſt ergo difficultas, vtrùm Sacrificium tale ſit,vt etiamſi pro pluribus offeratur, non decreſcat tamen vllo modo valor pro ſingulis, ſi v.g. applicatum pro ſolo Petro valeret vt octo, eodem etiam modo illi valeat, eſto applicetur ſimul pro Auguſtino, Ioanne, &c. an è contrario minùs cuilibet proſit, quò pro pluribus offertur Hoc ſuppoſito,

SVBSECTIO II.

Quid ſit in hoc puncto dicendum: vbi, An liceat duo ſtipendia pro vno Sacro accipere?

SI de valore Sacrificij ad impetrandum loquendum ſit, dicimus, illum talem eſſe vt 30 nunquam pro tot oremus, quin orare poſſimus pro pluribus,& plura ac plura petere beneficia: cùm enim ex parte ipſius Chriſti & eius meritorum ſit infinitas ſimpliciter, etiam poſtquam à Deo per merita Chriſti, & per Sacrificium incruentum, quod etiam ex ſe eſt infinitè Deo placens, peto pro me v. g. vitam æternam,poſſum illam petere pro Antonio, Ioanne, &c. & ſic in infinitum. Hæc tamen petitio non obtinet infallibiliter ſuum effectum, vt experientia conſtat.

Dices, Per hoc non eſſe adhuc ſatisfactum *Proponitur quæſtio.* quæſtioni; quia dubium adhuc manet, vtrùm ſi ego petam pro me ſolo ſalutem, eſto etiam tunc eam non obtineam infallibiliter, nihilominùs tamen me reddam capaciorem, vt exaudiar, quàm ſi illam eamdem peterem pro duobus, tribus, centum, aut mille: ſi enim difficiliùs pro me obtineo, quando pro multis oro,& pro illis ſimul offero Sacrificij impetrationem, quàm ſi totam impetrationem pro me offerrem; profectò

Digitized by Google

fectò iam eo ipſo etiam impetratio erit finita;& eodem modo de illa diſcurrendum erit ac dicemus de ſatisfactione; id autem videtur eſſe contra omnes Auctores,qui infinitatem ſyncategorematicam tribuunt impetrationi, negant verò ſatisfactioni.

Reſpondetur primò, Reſpondeo Primò; Eſto concederemus eam impetrationem eſſe aliquo modo minorem,quando pro multis applicatur Sacrificium, hinc tamen non ſequi,eam eſſe finitam eo modo quo de ſatisfactione dicemus: hæc enim eſt pro pœna v. g. intenſa decem aut centum annorum: quòd ſi Petrus tantumdem promeritus eſt, & ego pro tota pœna illi debita applico Sacrificium,iam nihil omnino manebit,
31 quod pro vllo alio offeram. Non ita in impetratione; licet enim fortè non tam facilè exaudiar, dum pro multis oro, quàm ſi pro paucioribus, ſemper tamen etiam pro omnibus illis poſſum exaudiri;& ſemper eſt in voluntate Dei annuere omnibus illis precibus, poteſtque de congruo concedere quidquid ab illo peto. Reſpondeo, ſecundò, Me orantem pro Petro & Ioanne, ſi æquali affectu id faciam, ita eſſe ex parte mea dignum qui pro vtroque exaudiar, ac ſi oraſſem pro vno ſolo quòd verò re ipſa non exaudiar, æquè facilè: ratio eſt,quia cùm hic effectus non ſit infallibilis, ſed ad libitum Dei, facilius eſt dare vni ſoli quàm omnibus.

Secundò, Secundò ergo dicendum, Satisfactionem eſſe finitam, ita vt applicatum hoc Sacrificium multis, minùs cuilibet proſit, quàm ſi pro vno ſolo applicaretur. Hanc tenent communiter Auctores,quos refert & ſequitur Suarez diſput. 79. ſect. 12. eamdem Lugo defendit diſput. 19. ſect.12. Tannerus eadem diſputat. quæſt. 9. numer. 99. vbi etiam multos pro ea citat.

Ex ſenſu fidelium. In primis autem ea videtur eſſe ex mente omnium fidelium, qui ſoliciti maximè ſunt,vt ſpeciatim, & in particulari, ac pro ſe ſolis Miſſæ applicentur;haud dubiè, quia ſupponunt vt omnino certum, non tantum prodeſſe, ſi eo modo non applicentur. Vnde vlteriùs fit, ſi hæc ſententia non eſſet vera, gratis applicari pro vno aut altero defuncto in particulari; ſed debere ſemper applicari pro omnibus omnino animabus Purgatorij, item pro omnibus iuſtis viuentibus. Tandem, ſi hæc ſententia vera non eſſet,poſſet Sacerdos licitè vno Sacro ſatisfacere etiam pro infinitis (ſi hi exiſterent) qui dediſſent ei Sacerdoti ſtipendium pro vno Sacro;hoc autem plane eſt contra ſenſum omnium tam Doctorum quam aliorum fidelium.

Contrarium tenet Vaſquez & reſpondet Primò: Mirum eſt quàm ſe retorqueat Pater Vaſquez, qui contrarium ſentit,vt huic vltimo argumento ſatisfaciat. Primò ergo reſpondet, Non eſſe certam hanc ſatisfactionis infinitatem, ac proinde teneri Sacerdotem ex iuſtitia pro his, qui ipſi dederunt ſtipendium, ſequi tutiorem ſententiam, hæc tamen ſolutio nulla eſt,quia quilibet etiam in materia iuſtitiæ poteſt ſequi opinionem probabilem,multò autem maximè probabiliorem; ergo cùm Vaſquez dicat ſuam eſſe probabiliorem,cur quæſo non licebit ipſi & aliis ipſum conſulentibus ea opinione vti, & plura illa ſtipendia accipere? Adde, quod benè notauit Lugo; eo ipſo quòd perpetuò in Eccleſia creditum fuerit non fieri ſatis cuilibet per vnum Sacrum, ſi multi dederunt ſtipendium, oſtendi eo ipſo ſenſum fidelium eſſe, non tam multum prodeſſe Sacrum multis applicatum,quàm ſi pro
32 *Secundò,* vno ſolo fuiſſet oblatum. Reſpondet Secundò, Stipendium dari etiam pro impetratione quæ fit nomine Eccleſiæ per Orationes quæ in Miſſa dicuntur; hæ autem impetrationes ſine dubio non ſunt tanti valoris,nec tam multum proſunt cuilibet, ſi offerantur pro multis quam ſi pro vno ſolo. Verùm & hæc ſolutio facilè reiicitur; Primò,quia ſaltem ſatisfaceret Sacerdos, ſi Miſſam pro illis multis celebraret, & pro quodlibet in Sacro Orationem ſpecialem adderet; Secundò,quia illæ Orationes ſunt per accidens ad rationem Sacrificij. Vnde etiamſi quis celebret Sacrum non dicendo Orationem vllam pro eo qui dedit ſtipendium, ſed ei ſoli applicaret ſubſtantiam Sacrificij,vt ſic dicam, ſatisfaceret; ac proptereà etiam in Sacro, quod offero pro alio qui mihi dedit ſtipendium, licitum eſt mihi addere aliquam Orationem pro me & pro aliis, dummodò, vt dixi, ſubſtantiam Sacrificij efferam pro dante ſtipendium. Denique etiam Sacerdos excommunicatus,qui (vt diximus ſuprà) non orat nomine Eccleſiæ,ſatisfacere poteſt pro ſtipendio, ſi celebrat, eſto in ea celebratione peccet, ac proinde nullæ penitus Preces vel Eccleſiæ vel Sacerdotis nomine interueniant.

Reſpondet Tertiò, Stipendium Miſſæ dari pro *Tertiò.* ſuſtentatione; cùm ergo ſtipendium pro ea ſuſtentatione omnino ſufficiat, ſanè contra voluntatem dantis eleëmoſynam ſecundam accipiet. Hæc tamen ſolutio mihi videtur adhud minùs ſufficiens quàm præcedentes; Primò, quia etiamſi Sacerdos ſit ditiſſimus, habeatque plus quàm neceſſe eſt ad ſuſtentationem, poteſt accipere ſtipendium pro Miſſa. Secundò, quia eſto celebret tres Miſſas,vt in die Natiuitatis, poteſt accipere pro qualibet ſtipendium: & idem eſt, ſi quis haberet à Pontifice priuilegium celebrandi ob ſuam deuotionem duo Sacra de die;poſſet enim hic bona fide ſtipendia duo accipere. Denique ergo ſine iniuria dantis ſtipendium potero ſaltem Sacrum æqualiter pro omnibus aliis quibus mihi placet offerre: quæ omnia in praxi ſunt valdè abſurda.

Confirmo; Eò quòd Profeſſor v. g. Iuris aut *Confirmatio contra Vaſquez.* Medicinæ explicãdo leges, aut Galenum,ſi centum auditores habeat,non minùs cuilibet prodeſt, quàm ſi pro vno tantùm eos textus explicaret;ideò iure merito à quolibet poteſt tam magnũ ſtipendium accipere, quàm ſi illi ſoli textus eos declararet, etiamſi ſtipendium illud non ſit ipſi ad ſuſtentationem neceſſarium, ergo ſi iuxta Patris Vaſquez doctrinam tam multùm prodeſt Sacerdos cuilibet, dum pro multis offert quàm ſi pro vno, poterit (quidquid ſit de ſuſtentatione) tam multum tunc à quolibet accipere quàm ſi pro vno ſolo.

Rationem a priori deſumit Cardinalis Lugo 33
ex eo,quòd oblatio huius Sacrificij, prout fit à *Ratio Lugo pro vera ſententia non habet vim.* Chriſto, non eſt actio meritoria,nec ſatisfactoria, Chriſtus enim nunc non meretur,nec ſatisfacit, ſolùm ergo habet vim tollendi debitum pœnæ, quatenus ex inſtitutione Chriſti habet annexam ſatisfactionem præteritam ipſius Chriſti; hæc tamen annexio non debuit ita fieri, vt haberet virtutem infinitam. Hæc ratio mihi videtur aſſumere vnam propoſitionem nec neceſſariam pro intento, neque vtilem ad illud: non neceſſariam, quia eſto per Sacramenta Chriſtus nunc de facto mereretur, aut ſatisfaceret, non continuò ſequeretur, illud meritum aut ſatisfactionem futuram in actu ſecundo infinitam, vt patet manifeſtè in meritis quæ habuit Chri-

Digitized by Google

ſtus viuens: tunc enim ſine dubio meritus eſt; & tamen in actu ſecundo non eſt meritus infinitum, quia noluit merita illa applicare pro infinitis præmiis, cùm tamen potuiſſet; ergo etiamſi in Sacrificio actu mereretur, poſſet determinare illud meritum ad finitam impetrationem ſeu extinctionem pœnæ temporalis; & idem eſt de ſatisfactione dicendum; non ergo eſt neceſſaria ea propoſitio pro intento. Quòd verò neque ſit vtilis, etiam facile ſuadetur; nam eſto non mereatur, neque ſatisfaciat, potuiſſet applicare Sacrificio Miſſæ infinitam vim ex præcedentibus vel meritis, vel ſatisfactionibus; id quod pro intento Patris Vaſquez fuiſſet omnino idem, ac ſi Chriſtus de facto per Sacrificium mereretur, aut ſatisfaceret; non ergo videtur ea ratio vtilis aut neceſſaria pro noſtro intento. Sic igitur, formandum eſt argumentum; Siue Chriſtus ſatisfaciat nunc, ſiue oret, ſiue mereatur, non fuit expediens eum applicare illud meritum, eam ſatisfactionem, eam orationem, &c. pro ſatisfactione pœnæ temporalis ſine termino; ergo non eſt credendus illud applicuiſſe. Ad antecedentis probationem faciunt ea quæ Lugo & alij afferunt, quòd ſcilicet Chriſtus voluerit hoc Sacrificium frequentari, & ſæpiùs offerri; ſi autem habuiſſet valorem illum infinitum, vnum Sacrum ſuffeciſſet pro omnibus defunctis, & pro omnibus viuis; ac proinde inutiliter multiplicarentur Capellaniæ & obligationes illæ, quas piè & laudabiliter fideles inſtituunt. Neque in hoc debuit aſſimilari hoc Sacrificium Sacrificio crucis, quia illud non erat iterandum; ac proinde debuit eſſe per modum cauſæ vniuerſalis ad omnes effectus. At hæc oblatio Miſſæ debuit habere ſolùm finitam ſatisfactionem annexam, vt eò frequentiùs offerretur.

Ratio efficacior aſſignatur.

SVBSECTIO III.

Reſpondetur obiectionibus.

34 IAM videamus quid pro contraria ſententia poſſit obiici: eam Primò docuit Caietanus Tomo 2 Opuſculorum Tract. 3. quæſt. 2. & hîc quæſt. 7. art. 5. quem Syluester & pauci alij apud Tannerum ſequuntur, maximè verò Vaſquez diſput. 231. c. 2.

Primò ergo obiicitur: Res oblata in hoc Sacrificio eſt ipſe Chriſtus infiniti valoris; ergo. Reſpondet Lugo, Chriſtum hîc non ſatisfacere, neque mereri, ac proinde non dare infinitum valorem. Verùm paulò antè oſtendimus, conſiderationem hanc eſſe per accidens ad intentum præſens; vnde eſto non ſub nomine meriti, poſſet tamen adhuc vrgere Caietanus; In hoc Sacrificio continentur Chriſti ſatisfactiones; hæ autem ſunt infinitæ; ergo. Reſpondendum igitur eſt obiectioni abſtrahendo ab illa difficultate, vtrùm Chriſtus mereatur néc ne; & dicendum, Ieſum noluiſſe in actu ſecundo vel mereri infinitum, vel ſatisfacere infinitum, ob rationes ſuprà datas; & eodem modo dicendum de applicatione ſatisfactionum.

Prima obiectio & ſolutio Lugo reiicitur.

Solutio vera.

Vnde etiam reiicitur ſecundum argumentum, ſeu potiùs inſtantia confirmans præcedentem obiectionem, quòd ſcilicet Sol æquè illuminet plures quàm paucos. Dicimus enim, non ex defectu ipſius Solis Chriſti, ſed quia ipſe noluit niſi limitatè lucere in præſenti, totum id prouenire; ac proinde gratis adducuntur inſtantiæ, quia cùm hæc res tota pendeat à voluntate Chriſti, & non obſtantibus omnibus inſtantiis potuerit eam limitationem facere, nihil omnino per inſtantias obtinebitur.

Inſtantia expeditur.

Tertiò poteſt obiici, Sequi ex noſtra ſententia, multiplicatis iis qui aſſiſtunt Miſſæ, minùs eam prodeſſe ſingulis quàm ſi pauci eam audirent; id quod videtur apertè falſum; ſequela verò probatur, quia his qui aſſiſtunt non aliter prodeſt ex opere operato Sacrificium, quàm quia Sacerdos pro reis ſpecialiter illud offert; ergo niſi dicamus eiuſdem eſſe valoris oblatum pro multis ac pro paucis, minùs proderit, dum pro pluribus præſentibus offertur, quàm ſi pro paucioribus. Lugo reſpondet negando ſequelam, quia hoc Sacrificium prodeſt etiam audientibus ex opere operato, quatenus etiam illi ſunt offerentes, ac proinde licet hoſtia ſit vna, oblationes verò ſint multæ. Hæc tamen ſolutio non omnino cohæret cum his quæ idem Auctor contra Patrem Suarez docuerat ſuprà num. 134. ſcilicet auditionem Sacri non prodeſſe ex opere operato, niſi quatenus ſpecialiter pro audientibus Sacrum offertur à Sacerdote. Hac igitur ſolutione reiecta dicimus Primò, Si ſatisfactio etiam ſpecialiter à Sacerdote offeratur pro audientibus præ aliis qui non audiunt, veriſſimum eſt minùs profuturam, ſi plures audiant quàm ſi pauciores, ſicut ſi offeratur pro duobus, minùs cuilibet prodeſt quàm ſi pro vno tantùm, at negamus id eſſe abſurdum, quia Sacerdos non offert ſpecialiter ſatisfactionem pro omnibus audientibus: vnde auditio Sacri cum pluribus non eſt cauſa eius diminutionis fructus, ſed per accidens ſe ad id habet, Sacerdos enim pro libitu, etiamſi præſentes ſint pauci, poteſt Sacrum pro multis offerre, item è contrario, etiamſi multi ei aſſiſtant, poteſt pro paucis offerre. Manet ergo auditio cum pluribus ex hoc puncto omnino æqualis auditioni cum paucis, aliunde autem illa habet vtilitates plures ex opere operantis, quòd ex plurium præſentia deuotio augeatur & fiducia ad petendum à Deo, ſi etiam per præſentium interceſſionem ſeu merita petatur, &c. ac denique ſi maiorem non habeat fructum, ſatis eſt, ſi illum non minuat. 35

Obiectio & eius ſolutio data à Lugo reiicitur.

Reſpondetur obiectioni.

Vltimò obiicitur Hieronymus relatus in cap. *Non mediocriter*. 24. de conſecratione, diſtinct. 50. vbi hæc habet: *Dum igitur pro centum animabus Pſalmus vel Miſſa dicitur, nihil minus, quàm ſi pro vno quolibet ipſorum diceretur, accipitur*. Reſpondeo Primò cum ipſo Vaſquez, Nihil apud Hieronymum ſimile inueniri. Secundò, cùm ibi de Pſalmi recitatione agatur, quæ etiam in ſententia ipſius Vaſquez eſt determinatæ ſatisfactionis, profectò teſtimonium illud explicari debet ab omnibus, explicatur autem à Vaſquez de ipſis cantantibus, quòd ſcilicet ſi centum cantent, non minùs quilibet habeat fructus, quam ſi ſolus cantaret. 36

Obiectio ex S. Hieronymo.

Soluitur.

Duæ adhuc reſtant difficultates circa hunc valorem. Prima eſt, An ſi duo vel plures conſecrent, vti fit in ordinatione Sacerdotum, illud Sacrificium habeat duplicatum vel quadruplicatum valorem iuxta multitudinem conſecrantium. Aliqui videntur affirmare, moti inſtantia Sacramentorum, nam ſi eadem abſolutione duo vel tres abſoluantur, perinde quilibet accipit gratiam, ac ſi quilibet ſeorſim abſolueretur. Ego tamen id nullo modo mihi poſſum perſuadere, nam in tali caſu vnicum planè eſt Sacrificium,

Difficultas alia proponitur.

Reſpondetur difficultati.

quia

Digitized by Google

quia vnica eſt ſuo modo mactatio victimæ, vnica proteſtatio dominij Dei. Neque credendus eſt Chriſtus dediſſe plus valoris vnico Sacro; ex eo quòd plures illud conficiant quam ſi vnus: loquor de valore ex opere operato ab ipſo Chriſto: id quod meo iudicio manifeſtè confirmo retorquendo inſtantiam ex Sacramentis. Nam ſi quis confitetur publicè duobus Sacerdotibus, aut ſucceſſiuè vni, deinde alteri; & vterque Sacerdos ſimul & ſemel ei darent abſolutionem; aut clariùs, ſi duo ſimul eumdem infantem baptizarent; non conficerent duo Sacramenta, nec duplicem gratiam illi conferrent, ſed vnicam, perinde ac ſi ab vno fuiſſet abſolutus, de quo fuſiùs Tomo ſequenti contra nonnullos. *Aſſignatur ratio à priori.* Ratio à priori, quia eſto duæ ibi eſſent cauſæ efficientes Sacramenti, Sacramentum tamen vnicum eſſet; ergo eodem modo licet conſecrantes ſint multi, ac proinde licet cauſa efficiens Sacrificij ſit eo caſu multiplex, Sacrificium tamen ipſum, poſitio ſcilicet corporis Chriſti, mactatio hoſtiæ, hoſtia ipſa vnica omnino erit; ergo effectus Sacrificij etiam debebunt eſſe vnici, perinde ac ſi ab vnico Sacerdote eſſent ea verba prolata. Inſtantia autem ab Aduerſariis allata de duobus eadem abſolutione aut eiſdem verbis Baptiſmi baptizatis & abſolutis non eſt ad rem, imò contra eorum intentum; nam eo caſu cauſa efficiens potiùs eſt vnica, & tamen Sacramentum eſt multiplex; hîc autem è contrario agimus, quando cauſa efficiens eſt multiplex.

37 *Alia reſponſio abſoluta.* Abſolutè ergo reſpondeo, Sacramentum primò & per ſe non conſiſtere niſi in materia & forma prout reſpicit ſubiectum, cui confertur. Vnde fit, vt ſi ſubiecta recipientia ſint diuerſa, eo ipſo materia & forma ſint diuerſæ ſaltē moraliter; ac proinde ſiue ab vno, ſiue à multis applicetur, eſt multiplex Sacramentum; ſicut è contrario etiamſi verba ſint multiplicia, ſi tamen reſpiciant vnum ſubiectum tantùm (vt in exēplo a nobis poſito de duobus abſoluentibus aut baptizantibus ſimul eundem hominem) vnicum ſit Sacramentum; quòd verò quando verba reſpiciunt varia ſubiecta, ſint moraliter diuerſa, patet; quia dicere, *Ego vos abſoluo*, eſt idem ac ſi diceretur bis, *Ego te Petrum abſoluo*, &. *Ego te Ioannem abſoluo*; in Sacrificio autem quando duo conſecrant eadem hoſtiam, verba illa non æquiualent pluribus, ſed vnica ſunt moraliter, quia vnicas ſpecies conſecrant, vnicum panem deſtruunt, vnicè Chriſtum ponunt ſub ſpeciebus eis; ergo vnicum Sacrificium conficiunt; ergo vnum effectum cauſant. Dices; Ergo è contrario Sacerdos eadem prolatione verborum multas ſpecies conſecrans duo faciet Sacrificia. Nego conſequentiam, quia tota illa materia moraliter tunc per modum vnius iudicatur.

Dubium alterum ſoluitur. Secundum dubium in præſenti eſſe poteſt, An ſaltem propter auctoritatem extrinſecam, quæ opinionem Vaſquez reddit probabilem, licitum ſit Sacerdoti pro eodem Sacro varias accipere eleëmoſynas. Reſpondeo cum Lugo, Non licere; quia conſequens illud, quod nos inferimus contra Vaſquez, non admittitur ab illo, multò autem minùs à nobis. ergo circa conſequens nulla eſt probabilitas, quidquid ſit de illatione, quam nos prætendimus contra Vaſquez eſſe bonam; ille autem, quia conſequens eſt abſurdum, negat conſequentiam.

Quæſtiuncula expeditur. Vltimò quæres, Quid ſit Sacrum offerre ex ſecunda intentione pro Petro v.g. quo modo loquendi vti ſæpè ſolemus. Reſpondeo, Eſſe offerre illud pro Petro, caſu quo Ioannes, pro quo primò offertur, eo non indigeat; item offerre pro Petro impetrationem, vt primo loco pro Ioanne Deum oret, ſecundo loco pro Petro.

DISPVTAT. QVINQVAGESIMATERTIA.

De offerentibus hoc Sacrificium.

1 DIximvs tum de effectibus huius Sacrificij, tum de his pro quibus offerri poteſt, nunc de offerente tam Sacerdote quàm Chriſto, qui per Sacerdotem illud offert.

SECTIO I.

Quæ in Sacerdote intentio requiratur; & an à Superiore poßit contra voluntatem offerentis aliò applicari?

DVbitari circa Sacerdotem poteſt, An requiratur in eo intentio actualis, an virtualis; an verò ſufficiat habitualis? Verùm de hoc puncto egi ſuperiùs, dum de intentione pro Sacramenti valore requiſita, & in materia de Satisfactione; vbi dixi, probabilius videri omnino ſufficere pro applicatione Sacrificij habitualem, licet pro Sacramentis requiratur ſaltem virtualis.

Secundò circa eamdem intentionem quærimus, An ea poſſit per alterius Superioris voluntatem impediri. *Sententia, pēdere ab applicatione Prælati.* Quidam putant ita pendere à voluntate Prælati eam applicationem, vt ſi hic mihi mandet offerre Sacrum pro Petro, & ego nolim niſi pro Ioanne, non valeat ea applicatio. Pro hac ſententia citat Diana Tractatu de Celebratione Miſſarum, reſolutione 72. Fraxinellum & Gauantum; ipſe quoque eam dicit probabilem, nullam tamen rationem ádfert; ſed ſolùm ait argumentum à conſecratione ad applicationem non valere, quia ſine valore conſecrationis non ſtat Sacrificium; ſecùs ſi applicatio fiat pro hoc, vel pro illo: citatur etiam Scotus & Gabriel, contrarium tamen omnino tenendum eſt cum *Contraria ſententia verior.* Suario ſect. 9. diſput. 79. Vaſquez diſput. 231. cap. 6. Lugo ſuprà num. 211. & aliis communiter. Ratio eſt, quia in Sacramentorum adminiſtratione & Sacrificij oblatione Sacerdos operatur ex auctoritate à Chriſto accepta, non ab Eccleſia. Vnde ſi Sacerdos etiam excommunicatus, & ſuſpenſus ab Eccleſia, imò degradatus velit conſecrare, validè conſecrabit; & poterit verum Sacrificium conficere, ergo eodem modo de oblatione dicendum erit illam fore validam, etiamſi ſit contra voluntatem Prælati, vti propriam ſatisfactionem poteſt quilibet applicare cui velit, etiam contra Superiorum voluntatem. de hoc tamen vltimo ſubdubitat aliquantum Cardinalis Lugo ſuprà num. 214. immeritò tamen, quia ad has actiones purè internas non habet Superior vllum ius.

Digitized by Google

2 *Obiectio. Soluitur.* Dices: Religioſus poteſt à Superiore reddi incapax ad vouendum; ergo etiam in ordine ad offerendum pro hoc aut illo Sacrificium. Reſpondeo negando conſequentiam; nam poteſtatem circa vota ſcimus à Deo datam Pontifici, à quo poſtea communicata eſt aliis Prælatis Religioſis; poteſtatem autem irritandi oblationem Sacrificij eſſe conceſſam omnino non conſtat. Secundò diſparitas eſt meo iudicio ſumma. Etenim votum per ſe loquendo reſpicit actiones exercendas ab ipſo vouente; vnde quaſi iure naturæ videtur neceſſarium, vt ille qui ſuas actiones ſubiecit alteri, non poſſit contra voluntatem Superioris ſe ad hanc vel illam actionem obligare; quia per hoc poſſet etiam ſe ſubtrahere ab obedientia Prælati: ex quo capite mancipia non habent poteſtatem ſe votis obligandi contra voluntatem dominorum. At in oblatione Sacrificij hæc ratio penitus ceſſat; quia ea Sacrificij oblatio pro Petro potiùs quàm pro Ioanne, non eſt actio exterior, nec ad eam directè ordinatur; ſed ſuppoſita iam celebratione eſt quid purè, vt ſic dicam, internum; ergo non eſt cur debeat Prælato eſſe annexa ea vis irritandi illam oblationem. Vbi aduerte, duo debere ibi diſtingui; vnum eſt ipſa actualis oblatio; alterum, quòd poſtea à Deo applicetur huic vel illi perſonæ: ſi hoc ſecundum conſideremus, clariſſimè apparet non eſſe materiam quæ reſpiciat actiones ſubditi; quia ea vltima applicatio, ſeu (vt ſic dicam) illa vtilitas, neque fit propriè ab ipſo ſubdito, neque per ſe reſpicit ſubditum, ſed quodcumque aliud ſubiectum; ac proinde ſuppoſita iam prima illa voluntate ſubditi, qua offerre voluit contra voluntatem Prælati, nihil amplius in actuali ea vtilitate reſtat agendum, quod pertineat ad Prælatum; quid ergo mirum ſi illud impedire non poſſit? At in voto non ſolùm ipſa actio vouendi eſt actio eius ſubditi; ſed ipſa materia deinde exercenda eſt actio illius; non videtur autem vllo modo expediens, vt ſubditus per vnam actionem contra voluntatem Prælati ſe eximat ab eadem voluntate in aliis actionibus.

Diſparitas aſſignatur inter votum & ſacrificium.

3 *Obiectio altera à poteſtate Prælati.* Dices, Hac ratione nimis probari, nempe neque habere Prælatum poteſtatem vt imperet eam oblationem Sacrificij pro hac vel illa perſona; quia cùm ſit actio purè interna, vt diximus, non videtur poſſe imperari à Prælato. Reſpondeo tamen negata conſequentia, quia Prælatus poteſt ſæpè imperare actus internos, vt poteſt confeſſionem, in qua imperat implicitè actus interiores doloris; vt dum præcipit in Religione meditationem, &c. de quo alibi: eſt item in Sacrificio ſpecialis ratio, quia ad Eccleſiam maximè pertinere videtur, vt poſſit iam pro hoc, tam pro illo ſacrificare medio Miniſtro publico, ac proinde vt ei poſſit mandare, pro quo ſit ſacrificandum: vnde ſi tunc Miniſter publicus id non faciat, peccabit; eſto applicatio pro aliis facta omnino teneat.

Argumentum pro vera ſententia. Secundò principaliter argumentor; Quia ſi ſola voluntas Prælati eam applicationem Sacrificij faceret; vt quid eſſent Prælati ſoliciti de inſinuanda ſubditis voluntate? ſufficeret enim illos ita velle, vt poſteà etiam repugnantibus ſubditis applicatio fieret ad nutum Superiorum.

Reſpondebis fortè, Voluntatem Superioris ſufficere, ne applicatio Sacrificij ſit valida, contra illam voluntatem pro Petro v.g. at non ſufficere, vt valeat illi cui Superior vult prodeſſe, ſi ſubditus ſacrificans diſſentiat. Sed contrà, quia ſi ſemel dicimus, poſſe Prælatum id validè impedire; profectò eadem conſequentia dicere poſſemus, poſſe etiam transferre eum valorem in alterum; iam parum enim conſtat Chriſtum dediſſe Prælatis vnam poteſtatem in hoc puncto quàm alteram; ac proinde eo ex capite iam benè vnum quàm alterum dici poſſet. Vbi tamen aduerte, ſi ab inſtantia voti diſcurrendum eſſet, Prælatum, etſi poſſit impedire ne obliger voto contra ipſius voluntatem, non tamen poſſe efficere vt contra meam voluntatem, aut etiam ſine poſitiua mea voluntate ego obliger voto: ex quo capite poſſet ea ſolutio pro ſecundo argumento ſuſtineri. Verùm inſtantiæ in his materiis ſine aliis fundamentis non ſufficiunt.

Hinc autem conſtat quemdam (quem ſuppreſſo nomine Cardinalis Lugo reiicit ſuprà) aſſerentem etiam quoad ſuſceptionem validam ipſorum Sacramentorum pendere ſubditum à voluntate prælati, ita vt Prælato nolente, etiamſi ego accipiam ſeriò Ordines à vero Epiſcopo, ſeriò volente me ordinare, non ſim verus Sacerdos; conſtat inquam hunc omnino improbabiliter & contra ſenſum omnium fidelium diſcurriſſe, captatum vi conſequentiæ ex oblatione huius Sacrificij ad Sacramentum, inter quæ diſparitatem aſſignare non ſciuit; certè ſi ſemel (vt benè notauit Lugo ſuprà) voluntates ſubditorum fiant dependentes in materia Sacramentorum à voluntate Prælati, etiam deberet dici Sacerdotem degradatum amittere Characterem, nec poſſe conſecrare validè: id quod tamen eſt contra ſenſum totius Eccleſiæ, quæ vt certum ſupponit in talibus manere poteſtatem ad validè conſecrandum, etiam ſi illicitè id faciat. Conſtet ergo tam in Sacramentis quàm in oblatione Sacrificij hominem, alioquin ex ſe capacem ea adminiſtrandi aut offerendi, non pendere quoad valorem à voluntate Prælati: quia in eis actionibus vtitur Chriſti auctoritate & poteſtate ab eodem Chriſto accepta, quæ eo ipſo non poteſt à Superiore creato, ac proinde inferiore quàm ſit Chriſtus, coarctari. Dixi *alioquin capacem*, quia indirectè poteſt Prælatus impedire valorem alicuius Sacramenti; vt ſi Confeſſario non det iuriſdictionem ad abſoluendum, ſine dubio omnino impediet valorem abſolutionis, quia ſine iuriſdictione Sacerdos non habet integram poteſtatem abſoluendi. At ſi Epiſcopus det mihi eam iuriſdictionem in Petrum ſæcularem; non poterit efficere Superior Religioſus ne ego validè Petrum abſoluam. Poteſt item Superior in matrimonio efficere ne validè contrahat quis, ſi à Magiſtratu inualidentur perſonæ ad efficiendum contractum validum; at ſuppoſita capacitate in Sacerdote ad validè celebrandum, non poteſt irritari eius oblatio. Et de hoc puncto ſatis.

4 *Sententia ſingularis à Cardinale Lugo reiecta.*

SECTIO II.

An poſſit Sacerdos ſua intentione diuidere effectum huius Sacrificij, aut aliquem ab eo excludere?

SECVNDA difficultas eſt, An poſſit ipſe Sacerdos diuidere applicationem, vt Ioanni applicet ſatisfactionem, Petro verò impetrationem; vbi etiam dubitari poteſt, An teneatur Sacerdos Miſſam offerre pro omnibus. Vt ab hoc vltimo 5

Digitized by Google

vltimo incipiamus; dico Eccleſiam in Canone ponere verba vniuerſalia; *Sed & pro omnibus fidelibus*, &c. quæ de impetratione intelligenda ſunt. Vnde ſi ille aliquem, qui illius fructus ſit capax, poſitiuè excluderet, ſine dubio peccaret; re tamen ipſa ille excluſus eſſet, iuxta paulò antè dicta. De ſatisfactione verò ait Pater Suarez non teneri pro illis vllam partem ſatisfactionis applicare; Pater Vaſquez è contrario putat vtrumque effectum debere offerri pro omnibus, nec poſſe vnum ab altero ſeparari; nam etſi poſſit pro ſuo arbitrio Sacerdos offerre illud pro hac aut illa perſona, cùm tamen ſemel pro vna offertur, non poteſt impetratio à ſatisfactione aut è contrario ſeparari; quia non poteſt offerri pro aliquo niſi applicetur ad omnes effectus.

Vaſquez ſententia negatiua.

Probabilior ſententia Lugo & Suarez, poſſe diuidi effectum Sacrificij.

In hac quæſtione dicendum eſt cum Lugo & Suario, Omnino id fieri poſſe; Primò, quia (vt benè hi) licitum eſt diuidere tam ſatisfactionem quàm impetrationem inter duos, ſi pro duobus offero Sacrum; ergo etiam licet vni applicare ſatisfactionem v. g. animæ in Purgatorio, alteri verò exiſtenti in peccato impetrationem. Patet conſequentia manifeſtè, quia non eſt maior ratio, cur liceat duos effectus diuidere, ita vt ex quolibet media pars vni, media alteri proueniat. & non liceat vnum totum vni, & alterum totum alteri, cùm vtrobique vna medietas vni, altera donetur alteri. Addo ego, longè maiorem rationem ordinariè ſubeſſe pro hac ſecunda diuiſione noſtra quàm pro illa, vt in exemplo poſito conſtat, nam ſæpiſſimè vna perſona indiget vnius generis effectu, non altero, & è contrario; nam qui eſt in Purgatorio, non tam indiget impetratione quàm ſatisfactione; peccator è contrario neque indiget, imò neque capax eſt ſatisfactionis; valdè tamen indiget impetratione. Denique cùm ex iure naturæ, ſuppoſito Sacerdotio, ea neceſſitas, quàm Vaſquez ponit, nequaquam oriatur; nam etſi Sacerdos ſit Miniſter publicus, ideóque poſſit orare pro omnibus, non eſt tamen neceſſarium vt ſemper id faciat, ſed poteſt iam pro hoc, iam pro illo orare: & verò in Lege veteri id manifeſtè oſtenditur; multa enim erant Sacrificia, quæ non offerebantur pro omnibus, ſed iam pro hoc, iam pro illo, iuxta neceſſitates occurrentes perſonarum; ergo ex natura inſtitutionis Sacrificij ea neceſſitas offerendi pro omnibus nequaquam conſequitur. Non conſtat autem eam impoſitam eſſe à Chriſto, neque ab Eccleſia: quod enim dicitur, *Sed & pro omnibus fidelibus defunctis*, &c. de ſola impetratione debet intelligi; nam cùm ſatisfactionis non ſint capaces peccatores, etiamſi ſint fideles, neceſſum eſt illa verba intelligi de ſola impetratione; de ſatisfactione verò relinqui liberum Sacerdoti, cui velit eam applicare.

6
Probatur vera ſententia.

Obiectio.

Dices: Sacramentum non poteſt pro libitu conferentis applicari, ergo nec Sacrificium. Reſpondeo, Hoc argumentum à Vaſquez etiam debere ſolui: etenim Sacramentum nullo modo pendet ab applicatione conferentis, ſed eo ipſo quòd ſit validum, habet totum ſuum effectum in ſolo ſuſcipiente, non in aliis; quomodo igitur ibi requiretur applicatio aut diuiſio? At Sacrificium non in ſuſcipiente, ſed in diuerſis habere poteſt effectum, poteſt etiam applicari ſpecialiter pro vno, non pro altero, &c. quid ergo mirum; ſi è contrario poſſit vnus effectus applicari vni, alter alteri?

Retorquetur in Vaſquez.

Solitio neutrum dubium.

Hinc oritur dubium; diximus enim impetrationem eſſe vniuerſalem, & fieri etiam nomine Eccleſiæ pro omnibus; quæritur ergo, Quid ſi Sacerdos aliquem excludat ab impetratione, etiam ab ea quæ fit nomine Eccleſiæ, eritne valida ea excluſio? Suarez diſput. 78. ſect. 2. negat, Coninck verò, quem refert & ſequitur Lugo, affirmat; quibus ego libenter aſſentior, quia eſto Sacerdos ſit conſtitutus Miniſter Eccleſiæ, ſi tamen ille nolit Eccleſiæ nomine petere pro aliquo, haud dubiè re ipſa non petetur pro illo nomine Eccleſiæ: Legatus enim non poteſt repræſentare alterius perſonam, quando ipſe eam poſitiuè excludit.

7
Quæſtio, … nullo applicat.

Denique circa eam intentionem ſacrificantis quæri poteſt; Quid ſi ille ſpecialiter nulli applicet hoc Sacrificium, cui ea impetratio & ſatisfactio applicabitur? Vaſquez diſput. 231. numero 10. & 11. ait Sacrificium nulli prodeſſe, nec quidem ſuſcipienti, niſi pro ipſo offeratur, ex quo capite ait Chriſto non profuiſſe Sacrificium cruentum crucis, quia pro ſe illud non applicuit. Quidquid de concluſione ſit, hæc ratio non multùm valet, quia Chriſto non poterat prodeſſe; nulla enim re iam ampliùs indigebat; vti non proderant ipſi opera meritoria, quia pro ſe per illa nihil merebatur; & tamen certo certius eſt ad hoc, vt opera meritoria proſint ipſi operanti, non eſſe neceſſariam applicationem ſpecialem, ſed ex natura rei ipſi prodeſſe. Lugo dicit ſe hanc doctrinam Vaſquez reieciſſe Tomo de Incarnatione diſput. 29. ſect. 1. num. 21. ibi tamen & in ſequentibus numeris de hoc puncto nec verbum dicit; ſolùm enim probat contra eumdem Vaſquez Chriſtum potuiſſe pro ſe offerre Sacrificium vel in gratiarum actionem, vel pro gloria corporis, etiamſi non debuerit placare Deum ſibi offenſum: de quo in præſenti non agimus; ſolùm enim quærimus, An Sacrificium non applicatum à ſacrificante relabatur in ipſum.

8
Reſpondetur Quæſtioni.

In qua quæſtione ex vna parte videtur dicendum relabi vti in ſatisfactione operum: ſi enim quis eam non offerat pro alio, applicatur ipſi operanti; ex alia verò parte, quia eius ſatisfactionis ex opere operato non homo, ſed Chriſtus eſt cauſa præcipua, non videtur eſſe neceſſarium eam relabi in hominem, ſed potiùs in Chriſtum, ſi ea indigeret. Vt ſi famulo commendaſſet dominus dare eleemoſynam, & applicare ſatisfactionem pro quocumque vellet, ille autem obliuiſceretur eius applicationis, tunc tota ſatisfactio prout à domino proueniens deuolueretur ad dominum, non ad famulum: ob hanc rationem iudicat Lugo ex ſe ita fieri; quæ videtur fuiſſe ſententia Suarez diſp. 79. ſect. 9. quia tamen ſemper Sacerdos offert Sacrum pro ſe & pro omnibus per illa verba, *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis, ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis*, &c. *vt mihi & illis proficiat ad ſalutem*, putant, ſi nulla alia ſpecialis oblatio accedat, effectum tam ſatisfactionis quàm impetrationis diuidi æqualiter inter omnes. Quæ doctrina probabilis eſt valdè; & verò certiſſimum eſt Chriſtum potuiſſe rem ita inſtituere. Nihilominùs valdè etiam è contrario eſt probabile, Chriſtum, eſto ipſius ſit ea ſatisfactio, quæ Sacrificio applicatur, eam tamen totam dediſſe Sacerdoti, & feciſſe propriam illius; eodem planè modo quo ſatisfactio ex opere operantis; ac proinde Sacerdotem, ſi

Declaratur ſimilitudine.

velit, poſſe eam applicare cuicumque; ſi autem negligat applicare, manſuram totam in fauorem ipſius Sacerdotis. Quæ opinio eſt magis Sacerdoti fauorabilis, & ad liberalitatem, qua Chriſtus ſuas ſatisfactiones dedit pro Sacramento & pro Sacrificio; videtur ſpectare.

SECTIO III.

De aliis offerentibus hoc Sacrificium.

9 *Status quæſtionis.*

SVPPONENDVM eſt Sacrificium Miſſæ ſuo modo offerri etiam ab audientibus Sacrum, à miniſtrantibus, &c. Vndè Sacerdos in plurali loquitur, *Offerimus tibi Domine*; & de circumſtantibus dicit, *Qui tibi offerunt*, &c. id quod ratione probatur; nam Sacrificium eſt proteſtatio publica ſupremi dominij Dei in mortem & vitam: hæc autem proteſtatio licet phyſicè à ſolo Sacerdote fiat, moraliter tamen fieri poteſt ab omnibus aſſiſtentibus ac cooperantibus in illud Sacrificium. Hoc ſuppoſito quærimus, Vtrùm præter ſatisfactionem, quæ ex opere operato prouenit his quibus applicatur hoc Sacrificium, habeant aliquid ex opere operato ipſi aſſiſtentes, miniſtrantes, &c. ratione illius aſſiſtentiæ. Affirmant Suarez diſput. 79. ſect. 8. Henriquez lib. 9. de Miſſæ Sacrificio cap. 20. & alij apud ipſos: id quod variis rationibus ſuadere conantur; Primò, quia oblatio huius Sacrificij eſt fructuoſa ex opere operato, ergo omnibus qui illud offerunt; iam autem diximus, audientes etiam illud offerre; ergo. Hoc autem argumentum ſupponit vnum antecedens vniuerſale, quod non admittunt aliqui (vt paulò antè de Vaſquez vidimus;) qui etiam ipſi Sacerdoti negant prodeſſe ex opere operato, niſi illud pro ſe offerat; facilè ergo hi negabunt vel antecedens vel conſequentiam huius argumenti, niſi aliundè magis roboretur. Dicetur enim, non quamcumque oblationem, ſed illam, quæ immediatè & propriè fit à Sacerdote Chriſti perſonam gerente, habere eam vtilitatem ex opere operato: eſt enim magna differentia inter oblationem vt à Sacerdote, & vt ab audientibus; hi enim minùs propriè, & quaſi ſolùm affectiuè, at Sacerdos verè & realiter ac effectiuè Sacrificium perficit; ac proinde ille pro ſe eam ſatisfactionem participat, niſi ipſe voluntariè ſe ea priuet eam aliis communicando. Et hinc apparet ex Sacramentis non adferri bonam inſtantiam, quaſi Sacramenta quia in omnibus ea ſuſcipientibus cauſant gratiam, ideò & Sacrificium debeat ex opere operato in omnibus illud offerentibus aliquid cauſare. Etenim in ſuſceptione Sacramenti non eſt vlla diuerſitas, ſed vnicus modus illa propriè & per ſe ſuſcipiendi; quid ergo mirum, ſi in omnibus cauſetur ille effectus? At iam oſtendi in oblatione Sacrificij eſſe maximam diuerſitatem; & verò ſolùm analogicè conuenire eos duos modos offerendi Sacerdotis & aſſiſtentium.

An proſit Sacrificium aſſiſtentibus ex opere operato

Affirmant Suarez & Henriquez.

Probant Primò.

Ea ratio repellitur.

10 *Probant Secundò non validè.*

Secundò argumentantur; Quia ſi talis effectus non cauſaretur, nihil ſpeciale haberet qui audit Sacrum, præ illo qui non audit. Reſpondeo conceſſa ſequela quoad ſatisfactionem. At qui audit habet prætereà omnes actus illos bonos quos audiendo Sacrum exercet; item quòd Sacerdos etiam ſpecialiter applicat impetrationem pro circumſtantibus.

Probant Tertiò.

Tertiò (& ſit replica contra ſolutionem datam;) Quia ſi ex duobus cum æquali deuotione vnus audiat Sacrum Sacerdotis veri verè celebrantis, alter Sacerdotis falſi falsè celebrantis, non eſt credibile illum, qui verum Sacrum audit, non accipere aliquem maiorem fructum, quàm accipiat qui fictum; ergo. Reſpondeo conceſſo antecedente, & negata conſequentia: etenim qui falſum Sacrum audit, non participat de vlla vera impetratione, vti ille qui verum audit, ac proinde participat de oblatione pro omnibus circumſtantibus, &c.

Soluitur argumentum.

Contrariam ſententiam tenet Vaſquez diſputat. 231. numero 12. & Lugo ſuprà numero 233. vbi eam probat; quia tota efficacia huius Sacrificij in ordine ad effectum ex opere operato videtur oriri ex eo, quòd offeratur in perſona Chriſti, ideò enim hæc oblatio eſt munda, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt; prout eſt à Chriſto offerente ſemper eſt munda; ſi autem non eſſet à Chriſto, poſſet eſſe immunda in ordine ad omnes offerentes, ſi omnes immundi eſſent, & malo animo offerrent. Vndè Tridentinum Seſſione 22. cap. 2. fundat efficaciam huius Sacrificij in eo, quòd eadem eſt hoſtia, & idem offerens Sacerdotum miniſterio qui fuit in cruce; ergo ſi præſcindatur, & conſideretur prout eſt oblatio huius vel illius, non habebit valorem ex opere operato.

Contraria opinio Vaſquez & Lugo

Iudico hîc confundi duas quæſtiones, & per hoc argumentum non ſatisfieri ei de qua diſputamus. Pro quo aduerte, aliud eſſe, Sacrificium hoc non accipere eam vim ad ſatisfaciendum ab adſtantibus & offerentibus; id quod directè probat ratio Cardinalis Lugo; aliud verò quærere, Vtrùm ex ipſis meritis Chriſti hoc Sacrificium aliquid cauſet ex opere operato in audientibus Miſſam & in miniſtrantibus. Hoc ſecundum nunc vertitur in dubium, & ad hoc nihil penitus conducit ea ratio. Quòd verò ea duo ſint diſtincta, videtur omnino certum: & facilè declaratur; nam aliud eſt, Sacrificium habere pro Petro v. g. ſatisfactionem ex opere operato ratione meritorum Chriſti; aliud verò, quòd Sacrificium accipit illum valorem ab ipſo Petro: & id clariſſimè cernitur in ipſomet Sacerdote; nam pro illo habet Miſſa valorem ex opere operato, quidquid ſit de aliis offerentibus. (Vnde hic ipſe Auctor meritò pro hac quæſtione ſemouet Sacerdotem.) Atqui hoc Sacrificium non ſolùm non accipit ab audientibus valorem ex opere operato, neque maculari non poteſt ab illis, ſed neque ab ipſo Sacerdote: eſt enim eadem de vtriſque in præſenti ratio; ergo ex illo argumento, quòd hoc mundum Sacrificium non poſſit maculari, &c. nihil ſpeciale probatur de audientibus quàm de Sacerdote, & abſolutè de nullis; quia non quærimus niſi, Vtrùm ipſe Chriſtus ex ſuis meritis aliquam ſatisfactionem ex opere operato annexuerit Sacrificio pro audientibus Sacrum, quam non annexuerit pro aliis fidelibus. Aliunde ergo probanda eſt hæc ſententia, vel defendenda contraria Patris Suarez: in quo puncto, videtur ſibi contrarius Lugo; nam eadem diſputatione infrà num. 252. vt reſpondeat argumento Patris Vaſquez, probantis ſatisfactionem ex opere operato ſyncategorematicè eſſe infinitam; quia alioquin melius eſſet Sacrum cum paucioribus audire quàm cum pluribus; cùm inquam huic argumento reſponderet, videtur inſinuare, eos qui aſſiſtunt eſſe offeren

11. *Ratio illorum duas quæſtiones confundit.*

Et nihil ſpeciale probat.

Lugo arguitur inconſequentia.

Digitized by Google

offerentes, ac multiplicari fructus pro ſingulis, quia oblationes videntur multiplicari. Sicut ſi eadem aqua & aſperſione baptizarentur ſimul duo homines, eſſet duplex Sacramentum, & duplex effectus. Quia doctrina iam deſtruit quod in præſenti dixerat, & tribuit audienti Sacrum eum fructum ex opere operato ſpecialem, quem hîc numero 134. reſpondens argumentis Patris Suarez omnino negauerat, dicens audienti non ſpecialiter prodeſſe hoc Sacrificium, quàm quatenus per modum impetrationis ſpecialiter pro eo offertur à Sacerdote. Quidquid verò de conſequentia doctrinæ ſit,

12 *Melius probatur ſententia Vaſquez & Lugo.*

Non putarem meliùs hanc ſententiam Vaſquez & Lugo (quam ego etiam iudico probabiliorem) poſſe probari quàm argumento quo ſæpè vſi ſumus in hac materia, ſcilicet non debere non extraordinarios effectus, de quibus neque auctoritate neque ratione cóſtat, tribuere aut Sacramentis, aut Sacrificiis; atqui Chriſtum aſſignaſſe eum ſpecialem effectum pro his qui audiunt præ reliquis, nulla planè ratione ſuadetur, vt conſtat ex dictis circa rationes Patris Suarez; ergo non debemus eum effectum illi tribuere. Secundò ſuadetur ex communi quaſi conſenſu omnium Catholicorum, ſupponunt enim ſolum Sacerdotem eſſe, qui poteſt applicare valorem Sacrificij & Miſſæ, audientem verò non aliter Miſſam pro aliis applicare quàm applicant ſua bona opera, orationem, meditationes, auditiones Concionum, Officium Diuinum, &c. Vndè meritò dicit Vaſquez ſolum Sacerdotem eſſe dominum Sacrificij; ideóque in eius ſolius poteſtate eſſe illud applicare pro iis, quibus voluerit; ergo ſupponunt nullam ſatisfactionem reſpondere ex opere operato audientibus & miniſtrantibus, alioquin haud dubiè poſſent eam tanquam ſuam aliis applicare; ergo non eſt tribuenda ea vis huic Sacrificio.

Quæſtio noua dicitur de impetratione ex opere operantis.

Illud pro complemento quæri poteſt, An impetratio, aut ſatisfactio ex opere operantis, quæ creſcere poteſt ratione maioris deuotionis ipſius Sacrdotis, efficiat vt ſatisfactio ipſa, quæ reſpondet Miſſæ ex opere operato, creſcat etiam pro illis omnibus quibus applicatur Miſſa. Negat Suarez, quem ſequitur Lugo, quia vt effectus ex opere operato creſcat, debet conſiderari ipſius ſuſcipientis melior diſpoſitio, non verò conferentis: vti vt Sacramenta dent maiorem gratiam ex opere operato, non conſideratur melior diſpoſitio adminiſtrantis Sacramentum, ſed ipſius ſuſcipientis; ergo idem erit in hoc Sacrificio. Hoc ipſum videtur confirmari ex Tridentino ſuprà citato, vbi ait inquinari non poſſe neque minui valorem huius Sacrificij vlla malitia vel indignitate offerentis, minueretur autem, ſi ex minori Sacerdotis ſanctitate minor eſſet.

Sententia Suarez & Lugo.

13 *Ratio pro illorum ſententia eſt probabilis refellitur.*

Probabilis eſt hæc ratio, non tamen efficax, quia reſponderi facilè poteſt, Concilium agere de diminutione eius ſatisfactionis ac impetrationis, quæ eſt quaſi fixa pro Sacrificio. Explico me: Ponamus Sacerdotem celebrantem quidem in gratia, ſed ſine vlla poſitiua deuotione, Sacrificium Miſſæ habet centum gradus ſatisfactionis, qui non reſpondent vllo modo deuotioni Sacerdotis: ſupponimus enim nullam habere: ex his ergo gradibus nihil minuetur, quantumvis ille in peccato ſit, ſiue inuincibiliter, ſiue etiam in ipſa actione celebrandi peccet de nouo; quia quòd Chriſtus voluit reſpondere Sacrificio quaſi per ſe independenter a diſpoſitione Miniſtri, hoc ſemper manet, per hoc tamen non videtur probari, eum effectum, vti augetur ex maiori diſpoſitione ipſius ſuſcipientis, non poſſe etiam augeri ex meliori conferentis. Inſtantia autem ex Sacramentis non vrget, quia Sacramentum ita cauſat effectum ſuum ex opere operato in ſolo ſuſcipiente, vt omnis applicatio illius ſit penitus independens à conferente Sacramentum. At in Sacrificio aliter ſe res habet; nam ſacrificanti quaſi datur valor, vt ille illum diſpenſet prout vult, & (vt ex Vaſquez dicebamus) ille eſt dominus eius valoris; cur ergo non poterimus probabiliter dicere, eo ipſo quòd ipſi eſt diſtributio valoris commiſſa, etiam eſſe permiſſum, vt ſupra valorem per ſe ei Sacrificio à Chriſto annexum aliquem addere velit Chriſtus eidem, caſu diſtribuens meliùs ſit diſpoſitus? Et ita ſentit Henrîquez lib. 9. de Sacrificio Miſſæ cap. 20. num. 2. Nihilominùs ſententia Suarez & Lugo defendenda eſt, & probanda eodem argumento, quo præcedentem probauimus, vt vtrobique ſeruemus conſequentiam, quia ſcilicet nullum habemus fundamentum ad ponendum hunc effectum; nam diſpoſitio melior facilè iuuare poteſt pro eo qui ſuſceptutus eſt formam; poteſt item ex parte conferentis, quatenus ea actio eſt propria illius; at quatenus diſtribuit bona à Domino ſibi vt ea diſtribuat collata, non videtur iuuare ea melior diſpoſitio. Dico *non videtur iuuare*, quia in rigore ſi voluiſſet Chriſtus, ſine dubio iuuaret; id tamen non videtur valdè connaturale officio diſpenſationis, &c. ſiue id fiat in Sacramentis, ſiue in Sacrificio. De cuius doctrina ſpeculatiua ſatis.

Nihilominùs eadem ſententia tenenda eſt.

DISPVT. QVINQVAGESIMA-QVARTA.

De tempore & loco celebrationis Sacri.

1 Etsi omnia quæ in hac diſputatione & ſequentibus tractanda ſunt videantur purè ad morales Theologos pertinere; ne tamen hic deſiderentur, tangemus ea omnia, licet breuiſſimè.

SECTIO I.

De obligatione celebrandi Sacrum.

Qværimvs, An Sacerdos teneatur celebrare Sacrum aliquando, & quoties?

SVBSECTIO I.

Quædam ſupponuntur.

Primvm eſt: Si detur ea obligatio, illam fore grauem, & conſequenter eius tranſgreſſionem fore peccatum mortale: id quod benè notauit Vaſquez diſp. 232. contra nonnullos Antiquiores; quod tamen non eſt adæquatè probandùm, ex eo quòd celebratio Sacri ſit res grauis, etenim Tomo 3. probaui poſſe Legiſlatorem

tem imperare rem grauem ſub obligatione leui; oſtendendum ergo id erit, ex eo quòd per ſe loquendo, niſi aliunde conſtet de voluntate reſtrictiua Legiſlatoris, ſemper debet præſumi eum iuxta qualitatem materiæ illam præcipere. Cùm ergo ſi ſemel agnoſcamus præceptum de celebratione, quæ, vt dixi, eſt res grauis, non habeamus fundamentum, vt dicamus eam leuiter mandatam fuiſſe ſupponere debemus illius obligationem eſſe grauem, non aliter quàm omnes dicunt obligationem Communionis laïcæ grauem eſſe.

2 Secundò ſupponendum, nos in præſenti non agere de obligatione, quæ ex Capellania, ex ſtipendio, ex pacto aliiſque capitibus extrinſecis prouenire poteſt; ibi enim facillimum eſt cognoſcere cauſam obligationis, eámque determinare; nam ſi habeat Capellaniam obligantem ad ſingulos dies, tenebitur ſingulis, ſi ter in hebdomada, ter tenebitur, &c. Vbi obiter aduertendum, huic obligationi poſſe per alium ſatisfieri, niſi fundator contrarium expreſsè petiiſſet. Secundò ſupponendum eſt, in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus eſſe obligationem ſingulis diebus vnam ſaltem Miſſam celebrandi, ſi conueniens ſit Sacerdotum numerus: id quod ex cap. *Cùm creatura.* de celebratione Miſſarum, probari ſolet; ibi tamen non dicitur expreſsè, id debere fieri quotidie, ſed tantùm vt pro Anniuerſariis Defunctorum, & iuxta Feſtum vel Feriam celebretur; dum tamen de Feria & Feſto fit mentio, videtur præceptum extendi ad Ferias, cúmque non magis vnam quàm alteram determinet, complecti omnes videtur; ac proinde ſaltem implicitè illud præceptum colligitur. Dixi, *Vbi eſt numerus ſufficiens Sacerdotum*; quia ſi vnus aut alter tantùm ſit, eſſet graue onus obligare illos ad tam frequentem celebrationem; & verò contrarium in praxi eſt, quia in talibus locis frequenter non celebratur niſi bis térve in hebdomada. Diebus tamen Dominicis & Feſtis Parochus tenetur celebrare, vt poſſint ſubditi præcepto audiendi Miſſam ſatisfacere.

Obligatio Parochi ad celebrandum.

Dices: Hoc argumentum ſolùm probat id eſſe neceſſarium in locis, vbi aliud templum non eſt, vbi poſſint Parochiani Sacrum audire, hìc tamen Pragæ v. g. vbi eſto Parochus non celebret in ſua Parochia, poſſunt oues Sacrum in multis aliis locis audire; cur quæſo ille obligabitur per ſe vel per alium in ſua Eccleſia celebrare? Reſpondeo, Eſto ea copia Sacrorum alibi ſit, ſemper tamen multos multos inueniri ex Parochianis, qui in ſua Eccleſia, vbi ſuos habent ſepultos, libentiùs audiunt Sacrum quàm alibi. Deinde cùm Parochus alatur ex redditibus eius Eccleſiæ, ſine dubio tenetur illi inſeruire; hoc autem maximè obligat diebus Feſtis & Dominicis, niſi aliunde excuſatio aliqua occurrat. Hac ergo obligatione, quæ ab extrinſeco oritur, omiſſa, præcipua & magis dubia quæſtio eſt, Vtrùm ipſi ordinationi annexa ſit aliqua obligatio celebrandi aliquando in vita, an etiam ſingulis annis, an fortè etiam ſingulis diebus.

SVBSECTIO II.

Duæ priores concluſiones.

3 *Non tenetur* PRIMÒ DICENDVM eſt; Etſi valdè laudabile ſit Sacerdotem non legitimè impeditū ſingulis diebus celebrare, & hoc maximè optet Concilium Tridentinum; quod per ſe deſiderat, vt etiam laici ſingulis diebus ita ſe præparent, vt poſſint communicare, nihilominùs tamen non eſſe obligationem vllam ſub mortali ad celebrandum quotidie, quidquid nonnulli Iuriſtæ minùs rationabiliter dixerint apud Sanctum Antoninum & Syluestrum. Ratio huius doctrinæ deſumitur à fortiori ex dicendis pro ſecunda concluſione; ſuadetur deinde, quia eſto extaret poſitiuum Chriſti præceptum de celebrando, ſi tamen in eo non diceretur *ſingulis diebus*, non continuò ſequeretur obligare ad ſingulos dies, iuxta regulam generalem, quòd præcepta affirmatiua non obligent pro ſemper.

Sacerdos quotidie celebrare.

DICO SECVNDO: Valdè difficulter poteſt efficaciter oſtendi vi ſolius ordinationis, de qua loquimur, dari obligationem ad celebrandum etiam ſemel tota vita. Hanc concluſionem tenent Suarez diſp. 80. ſect. 1. Henriq. lib. 9. cap. 24. num. 3. Tannerus diſp. 5. quæſt. 9. num. 72. & Cardinalis Lugo diſp. 20. ſect. 1. Nam licet tres priores Auctores abſolutè ſentiant dari tamen obligationem, nihilominùs addunt, eam non poſſe ſufficienter & efficaciter probari.

Sententia Suarez, Henriquez, Tanneri & Lugo, de obligatione ad celebrandum.

Vt verò id clariùs conſtet, oportet duplicem obligationem diſtinguere, vnam diuinam ex voluntate Chriſti, alteram humanam à Pontificibus impoſitam; ſi ergo de Diuina loquamur, P. Vaſquez diſp. 232. cap. 1. num. 2. etſi expreſsè non diſtinguat inter præceptum Diuinum & humanum de hac celebratione; in probatione tamen illius videtur omnino de Diuino loqui; vtitur enim loco Concilij, de quo ſtatim, vbi non niſi de præcepto Chriſti ſermo eſt, ait communem ſententiam admittere obligationem hanc grauem aliquando celebrandi; refert autem pro ea D. Thomam, Gabrielem, Durandum, Dominicum Sotum, Paludanum, Richardum, Antoninum, Syluestrum, & alios. 4

Duplex ſenſus quæſtionis.

Ego etſi probabiliſſimum iudicem dari talem obligationem præcepti Diuini, perſiſtendo tamen in concluſione hac ſecunda, addo id vix poſſe efficaciter ſuaderi, quia pro tali præcepto adduci non poteſt aliud teſtimonium quàm ex illis verbis Chriſti in inſtitutione huius Sacramenti, *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus videtur omnino impoſitum præceptum celebrationis: imò, quod grauius eſt, Tridentinum ipſum eo loco de Sacrificio Miſſæ ſæpè citato illa verba de præcepto Apoſtolis & Sacerdotibus eorum in officio ſucceſſoribus intellexit; ita enim ait: *Et eiſdem, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde hunc locum valdè vrget Pater Vaſquez pro eo præcepto. Nihilominus alij citati Auctores meritò illum non adeò æſtimant, quia vel fortè intelligi poteſt non de præcepto celebrandi, ſed caſu quo celebretur, vt id fiat in commemorationem Chriſti, id quod verba ipſa Chriſti Domini innuere videntur: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Nihilominùs tamen ob ea quæ diximus ſuprà diſput. 47. à num. 3. vix poteſt hæc ſolutio defendi. Secundò ergo & meliùs reſpondetur, Eſto ibi ſit impoſitum aliquod præceptum pro tota Eccleſia, vt ſcilicet aliquando in ea celebretur, nihil tamen impoſitum cuilibet Sacerdoti in particulari. Id quod optimè inde deducitur; nam ſaltem Communio laïca eſt de præcepto Diuino; quod

Concluſio.

Nihil obeſt illi ſententiæ Concilium Tridentinum citatum à Vaſquez.

5 *Reſpondetur ei loco.*

Digitized by Google

quod ex eis verbis & aliis probatur, vt diximus citato loco. Vt autem fideles poſſent communicare, neceſſum fuit aliquos veros Sacerdotes facere Sacrum, & hoſtias conſecrare; non fuit autem neceſſum vt omnes celebrarent. Fortaſſe ergo ex hoc loco colligi poſſet, Epiſcopos ſeu animarum paſtores eſſe obligatos ad aliquando celebrandum, quia illi tenentur ſuis ouibus prouidere; non ergo hic locus efficax eſt pro eo præcepto. Cardinalis Lugo è contrario putat poſitiuè etiam ſuaderi poſſe, nullum tale præceptum Diuinum de ea celebratione reperiri; quod probat ad hominem ex doctrina eiuſdem Patris Vaſquez, oppoſitum, vt dixi, ſentientis, Tomo tamen 4. de Pœnitentia quæſt. 90. art. 1. dub. 5. docentis inutile omnino eſſe præceptum Diuinum affirmatiuum non determinans ſuæ obligationis tempus. Quam rationem Patris Vaſquez approbat Cardinalis, & ex ea probat tum contra ipſum Vaſquez, tum abſolutè nullum dari præceptum Diuinum de celebratione Sacri, cum aſſignari nequeat vllum tempus, quo obliget hoc præceptum.

Inſtantia ex præcepto amoris Dei.

Ego quidem etſi argumentum hoc iudicem eſſe efficax contra Vaſquez, cenſeo tamen abſolutè non eſſe bonum, & plus nimio probare; quia communiter Auctores docent dari præceptum naturale amandi Deum ſuper omnia, nec cenſent illud inutile, eò quòd non determinet tempus, quo obligat; aut eò quòd per illud non obligetur Reipublicæ caput ad tempus amoris determinandum. Idem ergo poſſemus dicere de præcepto Diuino celebrationis Sacri. Reſpondebis huic inſtantiæ, Pro amore Dei aſſignari certum tempus, nempè periculum vitæ; hoc autem non poſſe aſſignari pro celebratione, quia in eo periculo non eſt ſæpè commoditas celebrandi. Hæc tamen ſolutio reiicitur facilè: Primò; nam etiam pro Communione laïca non eſt ſemper circa horam mortis occaſio; & tamen dicunt hi Auctores eſſe præceptum Diuinum de illa pro eo tempore; ergo ex hoc capite etiam poſſent idem dicere de celebratione. Contrà Secundò, & magis ad rem noſtram, nam Auctores ferè omnes non ſolùm admittunt præceptum amoris Dei pro hora mortis, ſed etiam ſæpè in vita, & tamen ijdem docent illud tempus non eſſe determinatum per præceptum.

6 *Reſponſio.*

Reijcitur Primò.

Secundò.

Quare non ſit inutile tale præceptum.

Quod autem dicebatur inutile eſſe tale præceptum, non determinans tempus, cùm non ſciatur quando obliget, non vrget; tum quia in multis affirmatiuis præceptis debemus id admittere; tum quia ſeruit tale præceptum ad non differendum diu actionem illam: quòd verò quid ſit *diu differre* pendeat ab hominum iudicio, in quo ſolet eſſe magna varietas, non tollit præceptum, vti quòd ſit magna varietas in determinando, quæ ſit materia grauis furti, non efficit, quò minùs reuerà ſit præceptum ſub mortali, ſeu grauiter prohibens furtum grauis materiæ. Et verò ipſe P. Vaſquez præceptum hoc celebrationis, quod dicit Diuinum, non putat obligare in articulo mortis, nam tunc Communio laïca videtur ſufficere, ſed quater aut ter etiam in anno, nullo tamen determinato die in particulari, nec per hoc debet iudicari præceptum illud inutile. Secundò Cardinalis, vt probet poſitiuè non dari tale præceptum, vrget rationem, quam Vaſquez oppoſitum ſentiens etiam tetigerat, quia cum poteſtate Sacerdotali non eſt connexa neceſſariò obligatio ſacrificandi: datur enim poteſtas ad celebrandum etiam ſingulis diebus, & tamen nulla eſt ad id obligatio. Vti etiam iiſdem Sacerdotibus ſit poteſtas confeſſiones audiendi, nullus tamen inde intulit, Ex præcepto illo Chriſti quemlibet Sacerdotem teneri ad aliquando audiendas confeſſiones, niſi fortè ob extremam proximi neceſſitatem per accidens oriatur huiuſmodi obligatio; ergo Chriſtus inſtituens Sacrificium & deſignans Sacerdotes non eſt præſumendus aliter obligaſſe ſingulos quàm iuxta conditionem materiæ, & prout Sacerdotes alij in Republica ſolent obligari. Reſpondeo, Hac ratione probari quidē poſſe, ea verba Chriſti accipi eo modo; at debere neceſſariò ita intelligi, nequaquam oſtendi, & in hoc maximam inuenio ego differentiam inter noſtrum Sacerdotium & alia Sacerdotia Gentilium, aut etiam Legis antiquæ, quæ erant annexa primogenitis & Principibus: etenim hæc iure primogenituræ & in honorem tantùm aſſumebantur; ac proinde non erat obligatio aliqua exercendi ea officia, maximè cùm, ſi de Gentilibus loquamur, ipſi ſibi faciebant, & tollebant obligationem pro libitu, ſi verò in lege naturæ & veteri de Sacerdotibus pro vero Deo ſermo ſit, non eſt certum, an non in aliquo die ſolemniori fuiſſet quilibet obligatus ad ſacrificandum, vel certè ad cooperandum Sacerdoti. An in noſtro Sacerdotio res aliter contingit, illud enim ordinatur ad ingens bonum ipſius Sacerdotis, confertur cum ſpeciali iure ad auxilia gratiæ, eſt circa materiam Deo gratiſſimam, & infinitè maioris momenti quàm fuerint omnia antiqua Sacrificia; eſt etiam illud pro conſeruatione & augmento Eccleſiæ maximè vtile. Vnde ego dico è contrario, Vix videri credibile Chriſtum voluiſſe Sacerdotes conſtituere, & poteſtatem eam ſupernaturalem eis conferre, & tamen permittere vt tota vita otioſa eſſet ea poteſtas. Et certè ſi (vt ait Beda) Sacerdos non legitimè impeditus celebrare negligens defraudat Sanctiſſimam Trinitatem laude & gloria, Beatos lætitia, animas Purgatorij refrigerio, totam Eccleſiam ſolatio, &c. valdè connaturale eſt Chriſtum Dominum, dum Sacerdotes inſtituit, voluiſſe impedire hæc damna, ac proinde illis impoſuiſſe præceptum ſaltem aliquando celebrandi: & ad hoc facit ratio D. Thomæ in illud 2. Corinth. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis: Vnuſquiſque ergo tenetur vti gratia Dei ſibi data, cùm fuerit opportunum, opportunitas autem Sacrificium offerendi non ſolùm attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrare, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione huius Sacramenti Sacrificium offertur.* Quæ ratio etſi non careat aliqua difficultate, eſt tamen ſatis probabilis, & minimùm oſtendit non poſſe poſitiuè probari, quòd Chriſtus eis verbis nullam cuilibet Sacerdoti in particulari obligationem impoſuerit aliquando celebrandi in vita.

Secundum argumentum Lugo contra nos.

Confirmatur.

7 *Argumentum Lugo, non dari de hoc præceptum Diuinum.*

Non probat.

Et contrarium videtur aliunde poſſe colligi.

8 Quod de audienda confeſſione dicebatur nequaquam vrget, quia confeſſio non auditur niſi ob neceſſitatem proximi, cui neceſſitati ſatis eſt prouiſum per proprios Parochos. Quomodo autem qui non ſunt Parochi teneantur ex charitate audire confeſſiones illorum qui id exigunt, dicemus Tomo ſequenti. Auditio item confeſſionis non ordinatur in bonum Confeſſarij, nec propriè & immediatè in bonum totius Eccleſiæ,

Digitized by Google

Eccleſiæ, ſicut celebratio Sacri; ideóque mirum non eſt, ſi Chriſtus dans Sacerdotibus & poteſtatem audiendi confeſſiones & celebrandi, obligauerit tamen quemlibet ad aliquando celebrandum, non verò ad audiendas aliquando confeſſiones.

Alterum argumentum ab exemplis Sanctorum.

Tertiò argumentatur ad probandum non eſſe tale præceptum Diuinum, quia antiquis ſæculis multi Sacerdotes ſancti degerunt in ſolitudine nullum celebrantes Sacrum, vt ex Vitis Patrum conſtat Parte 2 §.178. de duobus Sanctis Monachis. Sed & noſtro tempore Sanctus noſter Pater Ignatius poſt acceptos Ordines vno anno ſe præparauit ad celebrandum. Denique ſi mores antiqui conſiderentur, conſtabit non fuiſſe facile priuatis Sacerdotibus celebrare adeò frequenter, quia (vt ſignificat Hormiſda Papa in cap. 25. *Nullus*, de conſecratione, diſtinct. 1.) vnicum erat in templis altare, item nullum aliquando fiebat Sacrificium niſi poſt horam nonam (vt Auguſtinus indicat Epiſtola 118) ea autem hora tranſacta non licebat ampliùs celebrare. Vnde colligitur in vna Eccleſia vnicum tantùm oblatum Sacrificium. Concilium enim Antiſſiodorenſe prohibet, ne in eodem altari duplex eadem die offeratur Sacrificium. Ex quibus omnibus colligitur non fuiſſe facile, vbi erat magna copia Sacerdotum, adeò frequenter eos celebrare.

9 *Reſpondetur argumento*

Reſpondeo, Aliqua in hoc argumento miſceri quæ non ſunt certa. Primò enim Hormiſda eo citato capite nihil dicit de vnico tantùm altari, ſed vt nullum ſit altare niſi ab Epiſcopo benedictum. Secundò Auguſtinus ea citata Epiſtola nihil dicit de hora nona, ſed quaſi per modum inſtantiæ, ad oſtendendum ſeruandas eſſe vbique antiquas conſuetudines, ait, Malè facturum eum, qui ſi dum peregrinatur inuenit in aliquo loco manè & veſperi offerri Sacrificium, redux in ſuam patriam, vbi tantùm circa finem diei celebratur, vellet eam conſuetudinem probare. Hinc autem non video quid ad rem noſtram inferatur, maximè cùm nihil ibi de vnico Sacro dicatur. Præterea non debent diuerſæ conſuetudines diuerſorum temporum combinari in vnam pro hac quæſtione. Fortaſſe vbi vnum erat altare, tota die celebrabatur, & è contrario quando in vno altari ſolùm ſemel, multa erant altaria & pauci Sacerdotes, nihil ergo inde contra præceptum Chriſti de celebratione aliquando.

Inſtantia diluuntur.

Denique hîc iam non agimus, quoties obliget, ſed, an aliquando obliget, vnde nec inſtantia Sancti Patris Ignatij obeſt, qui animo celebrandi deuotiùs abſtinuit per annum: nec illa de duobus Monachis, nam fortè aliquoties illi iam celebrauerant, & ſatisfeciſſe ſe præcepto putarunt. Adde ex his caſibus, qui ex ſpeciali Dei reuelatione contingere ſolebant, non eſſe quidquam inferendum ad ordinarium rerum curſum. Alioquin quia Sanctus Paulus Eremita manſit ipſis 98. annis in deſerto ſine Communione, & ſine ea mortuus eſt, liceret inferre, Nec quidem de Communione laïca eſſe Diuinum præceptum; quod tamen nemo admitteret. Ex quibus omnibus concludo, nihil eſſe quod poſitiuè probet à Chriſto non fuiſſe Sacerdotibus impoſitum præceptum aliquoties celebrandi, ſiue iam illud præceptum ſit ſemel intra annum, ſiue intra duos treſve annos, & ſatis eſſe, ſi dicamus ex illis verbis Chriſti non colligi à contrario huiuſmodi præceptum.

SVBSECTIO III.

Quid de præcepto Eccleſiaſtico?

CONcluſio: Etiamſi non extet aliquod præceptum Eccleſiaſticum de ea celebratione, 10

Colligitur præceptum ex traditione.

valdè tamen probabiliter deduci, ſaltem ex traditione, eſſe aliquod: etenim Innocentius III. cap. *Docēte*, de celebratione Miſſarum, inter grauia quorumdam Sacerdotum peccata ponit, quòd ſolùm ter vel quater in anno celebrent, iis autem dictis addit: *Hæc & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus.* Huic auctoritati reſpondet Lugo cum Vaſquez: Ea verba debere intelligi de præcepto, quod ſtatim additur: *Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, vt Diuinum Officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent.* Putant etiam illud præceptum ſolùm dirigi ad Prælatos Eccleſiarum; de quibus priùs dixerat, Eſſe nonnullos qui vix quater in anno celebrent.

Reſponſiones Lugo & Vaſquez diſſoluuntur.

Hæc tamen explicatio nullo modo mihi placet, quia licet præceptum obedientiæ ibi impoſitum non cadat niſi ſupra recitationem Officij, pœna tamen ſuſpenſionis & prohibitio illa grauis neceſſariò debet cadere ſupra præcedentia, id enim requirunt neceſſariò illa verba, *Hæc & ſimilia inhibemus:* ſine dubio enim relatio fit ad omnia numerata, & ad omiſſa ſilentio, de quibus Pontifex ibi dixerat per parentheſim, *Vt de aliis taceamus.* Deinde cùm graui dolore Pontifex & Concilium generale eum abuſum non celebrandi niſi quater in anno retulerint, non dubium quin indicauerint illum eſſe peccaminoſum. Quòd verò ibi dicitur ſolùm eſſe ſermonem de Prælatis, non poſſum etiam probare, quia licet in verbis prioribus dixerit, *quid non ſolùm quidam minores Clerici, ſed etiam aliqui Prælati Eccleſiarum*, &c. poſteà tamen noua clauſula inchoata additur: *Sunt & alij qui Miſſarum ſolemnia*, &c. Vbi vniuerſaliter loquitur Innocentius, neque limitat ad Prælatos, ac proinde de Sacerdotibus etiam inferioribus locutus eſt.

Dices; Etiamſi conſtet eſſe præceptum celebrandi aliquando in anno, non tamen poteſt dici eſſe vllam obligationem frequentiùs celebrandi quàm quater, ergo nimis multum ex hoc loco colligitur. 11

Reſpondeo, Hanc replicam fortè magis eſſe contra Vaſquez & Lugo, quia etiam in ipſis Prælatis habet locum, non enim conſtat illos teneri pluries quàm quater celebrare. Imò adderem, Fortaſſe Prælatos, qui in adminiſtratione Epiſcopatus ſunt occupati, faciliùs excuſari poſſe, ſi non adeò frequenter celebrent, quàm excuſantur ordinarij Sacerdotes, qui ſupponuntur parum habere ad agendum. Reſpondeo ſecundò, Vel ex hoc ipſo loco dicturos Aduerſarios, eam celebrationem debere eſſe frequentem.

Pro obligatione teſtimonium Innocentij efficax.

Abſolutè ergo dico, Teſtimonium illud ex Innocentio eſſe vtcumque efficax; cui addi poteſt aliud à Pio V. qui Commentarium Caietani negantis hoc præceptum ad articulum 10 curauit expingi in noua editione, per quod tacitè eam ſententiam damnauit. Videtur autem in eodem Innocentij teſtimonio inſinuari, iam ante ſua tempora fuiſſe eam obligationem; alioquin non dixiſſet omiſſionem illam celebrationis eſſe adeò malam, ſi non ſuppoſuiſſet anteà prohibitam.

Eſt

Digitized by Google

Eſt ergo ob has rationes longè probabilior opinio, quæ docet omninò eſſe graue peccatum nunquam celebrare. Cuius ſententiæ Auctores vide apud ſuprà citatos, maximè apud Tannerum; ſuadetúrque ſatis probabiliter ratione ex Diuo Thoma ſuperiùs inſinuata.

Quoties in anno Sacerdos celebrare teneatur.

Dico Quartò; In aſſignando tempore quo obligat præceptum hoc, ſiue Diuinum illud ſit ſiue Eccleſiaſticum, & quoties intra annum, eſt magna difficultas; vti ſolet eſſe in aliis præceptis affirmatiuis. Ex teſtimonio quidem citato ſatis probabiliter colligitur plus quàm quater teneri in anno. Vnde non diſplicet ſententia D. Thomæ & nonnullorum, quòd teneantur celebrare in præcipuis ſolemnitatibus, ſi cæteris diebus non celebrauerimus, quia tunc maximè vrgent rationes cultus Diuini, ædificationis populi, &c. Quod verò ſuprà ex noſtro Sancto Patre Ignatio objectum eſt, & adhuc pro hac concluſione non eſt ſolutum, facilem habet explicationem; tum quia potuit ille ſe accommodare contrariæ opinioni, tum quia (vt ſuprà dixi) ea dilatio fuit cum animo celebrandi, & quidem poſteà ſingulis diebus, maior autem aliqua ratio eſt in ea dilatione primi Sacri ob meliorem diſpoſitionem, quàm poſtquam iam ſemel celebratum eſt in dilatione longa.

SECTIO II.

Quando liceat celebrare Sacrum?

13 PRIMA difficultas eſt de triduo maioris Hebdomadæ, An in eo poſſit celebrari.

Feria ſexta maioris Hebdomada non licet.

Reſpondeo, De Feria ſexta nullum eſſe dubium; omnes enim ſupponunt non poſſe in memoriam mortis Chriſti; quoad Communionem tamen laïcam etſi nonnulli dixerint non licere; longè tamen probabilius eſt non eſſe vllo modo prohibitam, vt benè Hurtadus diſput. 4. difficultate 2. cum Suario & alijs obſeruat: imò in Germania eo die maximè ſolent laïci communicare.

Feria quinta licet.

De Feria quinta è contrario certiſſimum eſt poſſe celebrari; & id vſu ſaltem ipſo oſtenditur; nam ferè vbique celebratur aliquod Sacrum præter ſolemne; neque eſt vllum decretum aut prohibitio in contrarium; ſed quia Sacerdotes maximè tunc ſolent eſſe occupati in audiendis confeſſionibus, & ob memoriam Cœnæ Chriſti, in qua Apoſtoli ex manu ipſius communicarunt; vſus obtinuit, vt plerique tunc Sacerdotes laïcè tantùm de manu Epiſcopi aut Prælati communicent.

De Sabbato diſcutitur.

Difficultas eſt de Sabbato ſancto; in quo multi negant licere niſi Sacrum cantatum; id autem confirmant ex eo, quòd olim omnino fuerit id prohibitum, & ſolùm fuerit celebratum vnum Sacrum poſt mediam noctem, in ea autem prohibitione non videtur diſpenſatum niſi quoad Sacrum cantatum, quod nunc anticipatur. Confirmatur Secundò, quia nullus eſt pro ea die aſſignatus ab Eccleſia Introitus; ergo quia ſupponit non debere eſſe vllum Sacrum. Ita Pater Vaſquez diſput. 233. cap. 2. & alij apud Hurtadum diſp. 4. difficultate 12.

Probabilius eſt licere.

Contraria tamen ſententia, quam ipſe ibi cum Suario & multis aliis defendit, eſt longè probabilior. Eam optimè probat Cardinalis Lugo diſput. 20. ſect. 1. oſtendens contra Vaſquez, nunquam Sacrum illud, quod iam Sabbato cantatur, fuiſſe celebratum poſt mediam noctem, ſed ante illam apparente veſperi vna ſtella. In quo puncto & Hurtadus, & Suarez, & alij, etiamſi noſtram ſententiam teneant, minùs benè locuti ſunt. Dico 14 ergo cum Lugo, Incipiente nocte omnibus olim fuiſſe licitum celebrare; paucos tamen id feciſſe, quia nimis diu debuiſſent ieiunare; prohibitionem verò non celebrandi illo biduo comprehendiſſe Feriam ſextam & Sabbatum vſque ad noctis ingreſſum: cùm autem iam ſit Officium anticipatum, cenſetur etiam pro omnibus ea anticipatio facta, & verò vſus id licitum eſſe oſtendit in omnibus ſaltem Epiſcopis, qui extra Officium dici celebrare ſolent, vt conferant Ordines, etiam non expectato fine Prophetiarum, &c. In templo deinde noſtro Romæ fuiſſe ante paucos annos conſuetudinem poſt *Gloria* inchoatam in Sacro cantato alios Sacerdotes celebrare, audiui à Patre noſtro omni fide digniſſimo oculari teſte: quæ conſuetudo etſi ceſſauerit iam, non tamen ob prohibitionem vllam Pontificis. Denique paſſim viri docti & pij eo die priuatim celebrant; non ergo eſt dubium vllum id eſſe licitum.

Soluitur objectio.

Ad objectionem de Introitu reſpondet Hurtadus, poſſe tunc à Sacerdote priuato legi Officium de Sancto occurrente, aut votiuam aliquam Miſſam: id quod tamen mihi valdè diſplicet, quia ea die nec Martyrologium vult Eccleſia legi, multò minùs ergo permittet Sacrum de Sancto. Reſpondeo ergo, Dicendam Miſſam prout ibi ponitur ſine Introitu, vti ipſe cantans dicit ſine Offertorio, quia non eſt tanti momenti Introitus, aut Offertorium, vt ex defectu illius debeat totum Sacrum omitti.

Tempus celebrandi incipit ab aurora ad meridiem.

Secunda difficultas, qua hora poſſit Miſſa priuata celebrari, ſub hac difficultate comprehenditur & tempus matutinum & pomeridianum. Circa primum, id eſt matutinum, præceptum vniuerſale eſt, vt non inchoentur ante auroram. Vnde Pius V. ait in regulis Miſſalis, *Tempus celebrandi eſſe ab aurora ad meridiem.* Nonnulli putant dictum ibi cum hac limitatione *communiter*; verùm ea nequaquam continetur. Ab hac regula excipitur nox Natiuitatis, in qua ſtatim poſt mediam noctem licet celebrare primam Miſſam; de ſecunda & tertia aliqui negant; contrarium tamen, ſcilicet eas duas dici poſſe, eſt longè probabilius. Et ita communiter docent Auctores, & vſus piorum & Doctorum oſtendit id iam eſſe licitum.

Excipitur caſus neceſſitatis.

Excipitur etiam caſus neceſſitatis, vt infirmo 15 detur Viaticum: quam exceptionem ita nonnulli limitant, vt non ſtatim à media nocte, ſed paulò ante auroram liceat, conſequentiùs tamen diſcurrunt alij, quos refert & ſequitur Diana de Celebratione Miſſarum reſolutione 33. quibus accedunt Hurtadus difficultate 4. Lugo ſuprà numero 26. & Tannerus dubio 4. numero 63. aſſerentes etiam à media nocte licere; quia ſi neceſſitas ſemel ſufficit ad infringendam eam legem per vnam horam, cur non per duas horas & tres, cùm nō ſit facta vlla ſpecialis prohibitio?

Excipiuntur regiones Septentrionales.

Excipiuntur etiam Prouinciæ Septentrionales, quæ quia nimis breues habent dies in hieme, celebrare ſolent ante auroram. Certè in his partibus oriri ſolet Sol poſt octauam etiam quadrante integro, & crepuſculum ſeu aurora incipit paulò ante ſeptimam, tamen hora quinta, media ſextæ paſſim celebratur Sacrum, maximè in Aduentu, quando canitur *Rorate.*

Excipiuntur Quartò qui habent priuilegium: vti noſtra Societas habet à Gregorio XIII. vt poſſimus itineris vel alterius impedimenti cauſa vna hora ante auroram celebrare.

Agitur de priuilegio quorumdam Religioſorum. Qua occaſione diſputant multi Auctores, Vtrùm priuilegium, quod habet Monaſterium Benedictinorum Sanctæ Mariæ de Monteſerrato, conceſſum ab Alexandro VI. vt poſſint celebrare duabus horis ante auroram, & ad omnia Monaſteria extenſum eſt implicite à Clemente VIII. dum toti Congregationi conceſſit ea priuilegia; an illud inquam ſit reuocatum per Tridentinum Seſſione 22. Decreto de euitandis in celebratione Miſſæ, cùm inter alia habeantur hæc; *Ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis*
16 *celebrent, non obſtantibus priuilegiis,* &c. Aliqui cenſent reuocatum eſſe: alij apud Dianam ſuprà negant; quia ea prohibitio facta eſt immediatè ipſis Epiſcopis, vt illis rebus omnibus remedium adhibeant; ergo vbi Epiſcopi non repugnant, non eſt cur Regulares amittant ſua priuilegia; id quod ait Cardinalis Lugo traditum eſſe à Doctoribus Salmanticenſibus, & inter eos à Patre Ioanne de Salas & à Diana ſupra dicta reſolut. 33. Ego tamen iudico omnino eſſe reuocatum; nam licet mandatum prohibendi ſub cenſuris omnino dirigatur ad ſolos Epiſcopos, non poteſt tamen illud eſſe vllius momenti, ſi Concilium priùs non reuocauit priuilegia à Pontifice conceſſa: etenim Epiſcopis non fecit ibi Concilium poteſtatem reuocandi priuilegia Religioſorum, ſed eis mandauit, vt curent per cenſuras ſeruari ea quæ ab ipſo Concilio ſtatuta ſunt, & ad quæ ipſum Concilium obligauit Religioſos: & denique hæc eſt Cardinalium interpretum Concilij; nam ad eum locum num. 8. hæc *Qua reuocata videntur.* habentur: *Ante diem & horis indebitis celebrare nulli liceat etiam vigore priuilegiorum à Sede Apoſtolica ante Concilium Tridentinum conceſſorum.* Ex quibus clariſſimè conſtat, non ſolis Epiſcopis mandatum vt prohibeant, ſed immediatè ablatam eam licentiam ipſis quibus data erat ante Tridentinum. Quòd verò Lugo ait ita à Diana ſentit, ego non inuenio in Diana vel mentionem quidem huius dubij ea reſolut. 33. & ne fortè erratum eſſet in citatione, quæſiui in Indice omnium trium Tomorum, nihilque de ea re potui inuenire. Quidquid verò de Diana ſit, cùm ea declaratio Cardinalium Congregationis ſuper Concilium Tridentinum longè ſit maioris momenti quàm quodcumque reſponſum priuatorum Doctorum, miror eam non fuiſſe ab Auctoribus pro præſenti puncto notatam.

17 *Nomine auroræ intelligatur.* Illud iam declarandum, quid nomine auroræ intelligatur. Reſpondeo cum communi, Initium crepuſculorum. Notandum autem eſt, ea crepuſcula non eſſe ſemper & vbique locorum æqualia: etenim aliquando durant duabus horis, aliquando multò minùs; ordinariè autem per horam cum dimidia computantur. Aduerte etiam in hac eleuatione noſtra Pragenſi, 50. circiter graduum, à Patre Clauio in Maio & Auguſto poni perpetua crepuſcula, & ferè tota æſtate ac verè, durantia ad tres horas manè & totidem veſperi; vndè ab hora prima matutina poteſt ſtatim tunc Sacrum inchoari.

Aduerte prætereà, multos graues Auctores, inter quos eſt Suarez, Lugo, Diana & alij, docere, poſſe inchoari Miſſam ita vt finiatur ad initium auroræ. Vbi tacitè miratur valdè Pater Vaſquez diſput. 232. cap. 3. Suarium reprehendens, qua conſequentia dixerit Religioſos habentes priuilegium anticipandi vna hora Sacrum poſſe incipere tribus horis ante ortum Solis, cùm ex ſententia Suarez ſolùm per duas horas cum dimidia videatur poſſe illud anticipari.

Ego tamen magis miror Vaſquez, qui immediatè antè ex eis Recentioribus ea retulerat, ex quibus ſummè conſequenter Suarez poſuit tres horas, ſcilicet horam & mediam pro crepuſculis, vnam pro priuilegio; faciunt duas & mediam; mediam item quæ ſine priuilegio eſt omnibus communis, vt finiatur Miſſa ad ipſum initium auroræ. Vides ergo tres horas, duas, quibus non habentes priuilegium poſſunt præuenire ortum Solis, & vnam inſuper ex priuilegio.

Ego hanc ſententiam de anticipatione, ita vt finis Miſſæ ſit in aurora, probabilem iudico 18 *Aurora tempus rigidiùs examinatur.* propter auctoritatem communem, & quia pro ea deſumitur inſtantia aliqua ex meridie; nihilominùs ſtando rationi non caret ſua graui difficultate. Nam non apparet, cur non debeat ibi ſumi aurora rigoroſè, vt ſumitur media nox: deinde ſi ſemel receditur à puncto fixo, non eſt poſteà determinabile, an medio quadrante, an vno, an media hora ante ſit licitum celebrare recurrere enim ad conſiderationem moralem, vt aurora moraliter cenſeatur id quod ab ea parum diſtat, eſt res valdè incerta & expoſita erroribus; & inter noſtrum caſum & meridiem poteſt aliqua ſumi diſparitas, quòd ſcilicet ſi inchoatum eſt Sacrum ante meridiem, iam habetur punctum certum: at in ordine ad anticipandum Sacrum ante auroram non poteſt eſſe vlla determinatio; nam illud ipſum, quod debeat finiri ad initium auroræ, eſt valdè dubium; quia ille qui celebrat per tres quadrantes poteſt tribus ante incipere, alter verò qui vno quadrante non poteſt, cur autem quæſo cenſendum eſt reſpectu vnius media hora citiùs inchoari auroram quàm reſpectu alterius? Eſt ergo in hoc, vt dixi, magna difficultas in ea ſententia ſtando rationi. Nec facilè etiam poteſt dici, quid commodi inuenerit Eccleſia in eo, quòd cùm totum Sacrum fuerit de nocte factum, incipiat aurora dum Sacerdos dicit *Ite Miſſa eſt*, & Euangelium ſancti Ioannis, & non potiùs pro ipſo conſecrationis tempore diem ſeu lucem requiſierit.

Dubitari autem poteſt, Vtrùm in hoc puncto ſit paruitas materiæ, vt ſcilicet poſſit tantùm ve- 19 *An in hoc puncto detur paruitas materiæ.* nialiter peccari? Aliqui videntur id admittere; Lugo verò docet aliud eſſe quærere, quando debeat cenſeri inchoari auroram, & in hoc dicit eſſe poſſe varietatem, quia vnus vno quadrante, alter media hora citiùs dicit moraliter inchoari, aliud verò eſſe quærere, Vtrùm, ſuppoſito quòd daretur punctum initij, illud anticipando poſſit peccari venialiter & non mortaliter? Hoc ſecundum dicit non poſſe cadere in dubium, vti in præcepto ieiunij, qui die Sabbati etiam vno miſerere ante 12. comedit carnes peccat mortaliter; neque in ea anticipatione locus eſt culpæ veniali: ergo aſſignato iam & phyſico & morali auroræ initio, ſi vel minimùm quis illud anteuertat, eo ipſo peccabit mortaliter, nec erit locus in ea anticipatione peccato ſolùm veniali. Hæc valdè probabiliter dicta. Verùm non eſt cur dicere non liceat etiam probabiliter, eo ipſo

quòd

quòd Eccleſia non ita ſtrictè & mathematicè determinauit tempus auroræ, non prohibuiſſe etiam ſub mortali aliquam anticipationem, ſed ſolùm ſub veniali, niſi ea magna & notabilis ſit, quomodo videtur diſcurrere Facundez in primo Præcepto Eccleſiæ lib. 3. cap. 18. numero 6.

20 *An celebratio meridiem excedere poſſit.* Circa alterum terminum, nempè meridiem, dicendum eſt non licere etiam poſt illum Sacrum inchoare, quia ita in Miſſalis Rubricis traditur. Nihilominùs tamen multi docent ſaltem ob auctoritatem extrinſecam non eſſe mortale celebrare vſque ad horam tertiam poſt meridiem: ita Nauarrus in Manuali cap. 25. num. 85. probari autem id poteſt, quia ea hora maximè apta videtur, cùm circa illam fuerit perfectum Sacrificium crucis; & verò olim (vt ſuprà diximus) fuit prohibitum ante tertiam celebrare. Video hanc ſententiam Nauarri acriter reiici à nonnullis; nihilominùs Pater Tannerus nouiſſimè eo dubio 4. num. 61. affirmat non peccaturum mortaliter qui circa tertiam horam pomeridianam celebraret; adducítque varios Auctores pro ſe, vt Durandum, Scotum, eumdem Nauarrum, Summam Angelicam, Roſellam, Sylueſtrum; aitque conſuetudinem non tamdiu Sacrum differendi introductam potiùs eſſe, ne ieiunare tamdiu cogerentur. Quidquid verò ſit de tam longa protractione, multi ſunt qui mediam horam, alij tres quadrantes, alij horam ferè concedunt. Die autem Feſto Sacerdos iter faciens etiam ſine vllo priuilegio poteſt vna hora poſt meridiem celebrare, iuxta Dianam reſolutione 34. vbi Suarium & alios refert.

Priuilegium Religioſorum in hoc puncto. Aduerte hæc intelligenda ſeclusis priuilegiis: nam Religioſi, teſte eodem Diana, poſſunt circa horam tertiam celebrare: nos quidem habemus pro vna hora tantùm; quæ ſi alteri, quæ omnibus tribuitur, adiungatur, ſolùm faciet duas horas. Nec ſcio de quibus Religioſis loquatur hic Auctor, certè ſi Mendicantes illud haberent, nos etiam illo frueremur.

Habet hîc locum etiam neceſſitas dandi Viaticum ægroto, vti in aurora diximus, & quidem hîc faciliùs; quia faciliùs poſtponatur quàm anticipetur ob dicta.

SECTIO III.

Quoties de die liceat celebrare Sacrum: vbi, An debeat præmitti Matutinum.

21 VLTIMA difficultas circa tempus celebrationis eſt, Vtrùm liceat de die bis térve celebrare. Regula generalis ex cap. *Conſuluiſti.* & cap. *Te referente*, de celebratione Miſſarum, eſt, id non licere regulariter. Excipitur Primò dies Natiuitatis, in quo ter licet celebrare. *Dubium.* Dubitatur autem, Vtrùm Diaconus Cardinalis aſſiſtens Pontifici ea die, & in Sacro communicans ſub vtraque, poſſit duas alias Miſſas celebrare: & idem dubium poteſt vniuerſaliter moueri de quocumque alio Sacerdote ſemel ea die communicante extra Sacrum, vti communicant omnes Diaconi Cardinales, eſto Sacerdotes ſint, in Sacro Pontificis, an poſſit duo alia Sacra celebrare. *Soluitur.* Reſpondeo cum Lugo, Non poſſe, quia diſpenſatio non eſt facta in ordine ad communicandum bis, ſemel in Sacro, & ſemel extra Sacrum, aut ad celebrandum ſemel, & bis communicandum extra Sacrum, ſed præciſè in ordine ad celebrandum; ergo facta iam vna Communione extra Sacrum, manet ordinaria prohibitio non ampliùs celebrandi illa die, niſi ſpecialis accedat diſpenſatio. In Hiſpania in Regno Valentiæ eſt etiam priuilegium celebrandi bis in die Animarum.

Præter has autem ordinarias facultates excipitur in citatis ſuprà capitibus caſus neceſſitatis: circa quam exceptionem dubium eſt, quæ ſit ea neceſſitas. *Recenſentur caſus, quibus celebrare licitum eſt ſæpiùs.* Aſſignantur autem varij caſus, qui tamen vno aut altero excepto vix poſſunt habere locum (vt ſtatim conſtabit) eò quòd ſi Sacerdos iam ſumpſit ablutionem, & non ſit ieiunus, non licet ei bis celebrare. *Primus.* Primus ergo caſus eſt neceſſitas dandi Viaticum infirmo, quia vix poteſt eſſe vlla maior neceſſitas quàm hæc ſit. In hoc tamen habet locum quod diximus, rarò eum caſum poſſe contingere. Nam ſi Sacerdoti ea neceſſitas primò ſignificatur poſt ablutionem, non poteſt iam celebrare, quia non eſt ieiunus; ſi autem ante ſumptionem hoſtiæ, tunc debebit partem illius ſeparare pro infirmo: ſolùm ergo caſus hîc locum habere poteſt, ſi poſt ſumptam hoſtiam ante ablutionem renuncietur illi de ea neceſſitate; quomodo autem liceat tunc communicare non ieiuno, diximus ſuprà, vbi aliquid tradidimus etiam de Sacerdote celebrante.

Secundus caſus eſt, ſi ſuperueniat Princeps aut Epiſcopus, vel funus alicuius defuncti, quem non deceat ſine Sacro ſepeliri; vel ſi eodem die occurrat duplex Officium, de Feſto & Vigilia. 22 *Secundus* Verùm hic caſus nullus eſt; quia ſi Princeps vel Epiſcopus neglexit ad illam horam culpabiliter Sacrum, non tolletur iam peccatum illud per auditionem Sacri: ſi verò inculpabiliter diſtulit, certò non peccabit, eſto iam non audiat Sacrum ex defectu Celebrantis.

Non tamen caret probabilitate ſententia affirmans tunc licere, quia eſto ſine peccato eo die omitteret Sacrum Princeps ille; hoc tamen ipſum, quod eſt ſatisfieri re ipſa illi præcepto & tali perſonæ, videtur conficere ſufficientem cauſam diſpenſationis in lege ea humana, maximè cùm illa ipſa repetitio ſit in ſe (ablata prohibitione) opus honeſtiſſimum; vtpotè includens totam honeſtatem Sacrificij. Et ſcio aliquando hominem doctum ac Religioſum ob ſimilem Principis aduentum imperaſſe Sacerdoti non ieiuno, qui ea die ob acceptam medicinam non celebrauerat, vt celebraret. Quòd ſi ea neceſſitas iudicata eſt ſufficiens ad communicandum poſt cibum, in quo aliqua videtur irreuerentia contineri, à fortiori erit ſufficiens vt repetatur Sacrificium; quia ea repetitio in ſe potiùs eſt honeſtiſſima (ablato præcepto) quàm vllam ſapiat indecentiam. Quoad funus & duplex Officium nullo modo eſt ratio vlla celebrandi bis.

Tertius caſus, & qui ab omnibus admittitur, & in praxi ſeruatur, eſt, quando Parochus habet diuerſas & diſtantes Parochias, & ſatisfacere non poteſt per vnum Sacrum, tunc enim poteſt bis celebrare non ſumendo in primo Sacro ablutionem, vt ſit pro ſecundo ieiunus. *Tertius.*

Quæres; Quid ſi ob ſolemnitatem aliquam nõ poſſit vno Sacro ſatisfieri toti populo, poteritne celebrari bis? Aliqui affirmant, alij negant; quia eſt caſualis neceſſitas, & rara; ob quam non debet fieri illa diſpenſatio. Mihi tamen videtur 23

Digitized by Google

ex hoc capite non debere id negari; quia etiam neceſſitas communicandi infirmum eſt caſualis & rara, & tamen ob eam licet bis celebrare. Imò cùm hîc diſputetur de exceptione extraordinaria, eo ipſo videtur eſſe ſermo de exceptione ob caſualem aliquam neceſſitatem. Meliùs fortaſſe poſſet hoc transferri ratio, ob quam diximus adueniente Principe non licere, quia ſcilicet vel iam eſt commiſſum peccatum, vel non ampliùs committetur: id quod ad eam communitatem transferri poteſt, abſolutè tamen magis propendeo vt affirmem id eſſe licitum; quia ſatisfacere deuotioni magni populi, & tollere illi ſcrupulos (putant enim te ipſa ſe peccaſſe, ſi non audiant Sacrum) ſatis magna eſt neceſſitas. Vnde Laymam & alij eam facultatem faciunt Sacerdotibus, qui occulti in loco hæretico degunt, & vno Sacro non poſſunt ſatisfacere Catholicis omnibus. Quæ ratio etiam hîc habet locum.

Argumentum ad hominem contra Lugo. Vlteriùs idem probo ad hominem ex Cardinale Lugo, qui in præſenti negat nunc licere bis celebrare, infrà tamen num. 63. ait in Eccleſia violata poſſe celebrari, ne populus die Feſto maneat ſine Sacro. Vnde argumentor, Grauius quid videtur celebrare in Eccleſia violata (quia id continet poſitiuam indecentiam) quàm ſecundò celebrare: quod (vt dixi) ex ſe honeſtum eſt: ergo ſi illud licet, ne populus ſine Sacro maneat, etiam licebit hoc vltimum.

24 *Quartus caſus.* Vltimus caſus, qui communiter ponitur, eſt, quando nuptiæ ſunt benedicendæ. Verùm ibi non video vllam neceſſitatem, cur non poſſit ea benedictio differri in in diem ſequentem; ſi tamen fingatur aliquod ex ea dilatione aut omnimoda omiſſione graue incommodum oriturum, & adhuc Sacerdos non ſumpſit ablutionem, poterit comprehendi ſub neceſſitate, de qua Iura loquuntur.

Aduerte circa hæc, ſi bis vel ter neceſſitates hæ eidem Sacerdoti eodem die contingant, poſſe illum etiam ter & quater celebrare, vt benè cum Suario docet Lugo, quia Pontifex dum dicit ob neceſſitatem poſſe Sacrum repeti, non dici poſſe tantùm ſemel repeti, ſed abſolutè: ergo ſi neceſſitas obligat ad tertiam celebrationem, poterit tertiò celebrari. Verum tamen eſt vix poſſe moraliter contingere, vt ea neceſſitas eidem & eodem die ſecundo tertióve contingat, niſi fortè caſu quo Sacerdos haberet tres Parochias.

An præmittendum Matutinum ante Sacrum? Circa ſecundam partem tituli quærimus, Vtrùm teneatur Sacerdos ſub mortali præmittere Matutinum & Laudes. Non deſunt qui affirment; eò quòd in Rubricis Miſſalis dicatur, *Sacrum dici poteſt poſt Laudes*; ergo ſupponit ante illas non licere. Huius doctrinæ Auctores refert Pater Suarez diſput. 82. ſect. 1. Eſt tamen ſecunda ſententia, quæ obligationem aliquam ponit præmittendi Matutinum, non tamen grauem: vnde dicunt; Si ſit aliqua rationabilis cauſa, non erit nec quidem veniale, non præmittere illud, ſi verò ſine cauſa erit veniale. Meritò Pater Suarez citato loco ait Primò, Nullum eſſe præceptum graue de præmittendo eo Officio, quia neque à Chriſto neque ab Eccleſia conſtat eſſe impoſitum. Præthereà Matutinum Officium totum nequaquam eſt inſtitutum per modum diſpoſitionis ad Sacrum, ſed ob alios fines: nam etiamſi Officium illud aliquo modo diſponat hominem ad celebrandum cum maiori deuotione; Eccleſia tamen non obligat ad omnia quæ poſſunt conducere ad deuotionem maiorem, alioquin etiam ad totum Officium præmittendum deberet obligare, maximè ad Primam, quæ etiam ratione temporis deberet præcedere, quia ea omnia conducere poſſunt ad deuotionem. Vndè Secundo docet Suarez probabilius eſſe, nec quidem veniale peccatum eſſe in ea celebratione: id quod etiam mihi videtur omnino certum, quia reuerà neque ea obligatio ſub veniale ſufficienter ſuadetur. Addit tamen quoad Eccleſiam, vbi eſt obligatio cantandi Diuinum Officium, fore peccatum cantare Sacrum ante Primam cantatam, quia per hoc valdè turbaretur ordo: deberet enim vel Sacrum cantatum nimis anticipari, vel Horæ è contrario vltra debitum tempus differri. Ego tamen etiam in hoc ipſo non video, cur debeamus admittere obligationem grauem ſecluſo ſcandalo. 25 *Nulla eſt obligatio ſub peccato.*

Primò, quia neque ipſa hora Sacrum cantandi eſt certa: aliquando enim fit hora decima, aliquando nona; in qua mutatione non ſolùm non graue, ſed nec veniale peccatum eſt. Et paſſim fiunt illæ mutationes ob diuerſas occaſiones ſine vllo planè ſcrupulo; quid ergo, ſi populus vellet manè habere citò Sacrum cantatum, ob aliquam dein occurrentem neceſſitatem, cur tunc Matutinum, quod debebat v.g. hora octaua manè dici, non poterit dici hora nona, è contrario verò Sacrum hora octaua? Ego ſanè, ſecluſo ſcandalo, non video hîc vllam materiam ad graue peccatum ſufficientem; cùm non ſupponamus etiam pro Sacro cantato vllum præceptum Eccleſiæ, vt & ipſe Suarez fatetur nullum eſſe, ſed ſolùm ex vſu ipſo & conſuetudine diſcutere debeamus.

Secundò ideò mihi videtur non eſſe ibi peccatum graue; nam licet ipſa hora Sacri eſſet fixa, & quidem ita, vt eam mutare ſufficeret ad mortale peccatum; adhuc non oſtenditur, cur ſi illa v. g. ſit hora octaua, debeat eſſe mortale Matutinum primò hora nona cantare, cùm, vt iam dixi, nullum habeamus præceptum in contrarium. Et ſanè hæc propoſitio poteſt fieri in locis, vbi nullum planè timeri poteſt ſcandalum, v. g. in Religioſorum ſeparatorum templis. Adde, populum, ſi habeat ſuo tempore Sacrum cantatum, planè non curare, an illo abſoluto poſteà Religioſi cantent Matutinum, an Primam, an Nonam: & verò ſæpè neque ij diſtinguunt quid cantetur. Dico ergo omnibus penſatis, ceſſante ſcandalo, non fore mortaliter grauem eam celebrationem Sacri cantati ante Matutinum.

Iam ad id quod ex Rubricis Breuiarij dicitur reſpondemus, Eſto ibi ſuadeatur Sacerdotibus vt præmittant Laudes, non tamen conſtare, quòd id vllo modo ſub obligatione veniali, multò minùs ſub mortali præcipiatur.

SECTIO IV.

De loco ad celebrandum apto.

EX Concilio Tridentino Seſſione 22. Decreto de euitandis in celebratione Miſſarum, conſtat poſſe celebrari non ſolùm in Eccleſia conſecrata, ſed etiamſi tantùm ſit benedicta, imò in Oratoriis priuatis, quæ ad ſolum hunc vſum ſint deputata ab Epiſcopo, eſto benedicta non ſint. Poteſt præthereà in caſu, quo multi conueniant ad aliquam ſolemnitatem, & Eccleſia eos 26 *Quid Concilium Tridentinum permittat.*

non

Digitized by Google

non capiat, fotis ad muros Eccleſiæ altare erigi, & in eo celebrari: Secundò, in caſtris pro exercitu: Tertiò, in littore maris pro exiſtentibus in manibus. Quartò, Epiſcopus, dum iter facit, poteſt celebrare, aut curare celebrari in loco decenti. Vbi quæri ſtatim poteſt, An hoc priuilegium extendatur extra Epiſcopatum ita, vt quando illi ſunt in alieno, fruantur etiam illo priuilegio. Reſpondeo, Extendi; nam cap. *Quoniam*, quod eſt vltimum, titulo 7. lib. 5. in 6. loquitur maximè quando Epiſcopus à ſua Diœceſi cogitur abeſſe: deinde per terminum illum vniuerſalem *vbicumque* conceditur eis priuilegium.

Dices, Tridentinum ſuprà videtur abſtuliſſe illis hoc priuilegium, cùm nullo modo permittat deinceps fieri Sacrum à ſæcularibus & Regularibus extra Eccleſiam, aut Oratoria; hæc autem prohibitio etiam comprehendit ipſos Epiſcopos. Reſpondet Vaſquez diſputat. 233. eo loci nihil derogatum Epiſcopis circa ſe, ſed circa alios. Hæc tamen ſolutio non caret ſua difficultate; quia cùm ibi dicatur, Non permittat Epiſcopus ab vllo ſæculari aut Regulari celebrari, profectò in primis non videtur poſſe id permittere etiam coram ſe, ſeu vt ipſe audiat Sacrum. Secundò, dum dicitur, Non permittat celebrari, videtur planè dictum, Neque ipſe celebret. Et vrgeo id ratione; nam multò decentiorem locum videtur requirere Epiſcopus celebrans quàm alius ſimplex Sacerdos; ergo cùm Tridentinum ob decentiam loci eam prohibitionem faciat, tam videtur comprehendiſſe Epiſcopum quàm quemlibet alium. Nihilominùs tamen probabilius eſt non eſſe derogatum ei priuilegio; quia Tridentinum maximè voluit ibi euitare indecentias, quæ frequenter & per ſe committi ſolent, ſi in domibus ſæcularium ſit ea licentia generalis celebrandi: quæ ferè ex integro ceſſant caſu itineris; quia & hi caſus non ſunt tam frequentes, & præſentia ipſa Epiſcopi obligat, vt cum maiori decentia tunc celebretur. Denique dignitas perſonæ facit, vt ſit maior titulus ad eam diſpenſationem.

Examinatur mens Concilij Tridentini.

17 Vbi aduerto, in declarationibus eius citati Decreti excipi vnum vel alterum caſum: vnus eſt de quadam Nobili fœmina Luſitaniæ, quam vocat Infantem; (dubito an non fuerit Regis filia;) cui permittitur curare ſibi Sacrum domi, eò quòd exire cum ſua familia commodè domo non poſſit. Alter eſt generalis, quando perſona eſt grauis, vt Marchioniſſa, quæ propter ætatis & valetudinis incommoda curat in ſua domo extrui ſpecialem locum pro Sacro. Additur autem, quòd illud debeat eſſe occluſum, prout dignitas Sacrificij poſtulat. Vnde circa ſimiles perſonas habet Ordinarius etiam poſt Tridentinum poteſtatem concedendi licentiam cum ſimilibus conditionibus. Additur autem ibi alia limitatio; id eſt, vt ſine præiudicio Parochiæ id fiat: id quod debet intelligi, vt non adminiſtrentur ibi Parochialia, Baptiſmus, &c.

Quid de domo vna ſacularium.

Secundò aduerte citari quandam Epiſtolam, anno 1615. à Cardinale Horatio Lanciloto nomine Pauli V. Miſſam, qua auferebatur poteſtas Cardinalibus & Epiſcopis concedendi in domibus priuatis etiàm deſignata Oratoria ad celebrandum: quæ prohibitio extendit ſe magis quàm Tridentina, nam ibi dummodò eſſent deſignata ab Epiſcopo Oratoria, permittebatur in eis Sacrum fieri, nulla exceptione facta, quòd eſſent domus ſæcularium. In hac autem Epiſtola prohiberi id ipſum videtur; circa quod noto, in his partibus Septentrionalibus non videri eſſe receptam eam Epiſtolam, imò nec Tridentini prohibitionem; nam Epiſcopi non ſolùm in Oratoriis, ſed in locis aliis, in Nobilium domibus facilè permittunt Sacra fieri. Circa prohibitionem verò notandum, dum in ea dicitur *in priuatis domibus*, non intelligi domum Epiſcopi, quia hæc non eſt priuata domus; imò ex hoc capite non videtur improbabile, neque magnorum Dominorum domos includi; quia illæ non ſolent vulgariter dici domus priuatæ; & ſanè cùm diximus eas eſſe exceptas in declaratione Concilij Tridentini, non crediderim eas per illam Lanciloti Epiſtolam excluſas eſſe.

Deinde ab ea regula excipiuntur qui habent priuilegia ſpecialia, vt Religioſi ſancti Dominici & ſancti Franciſci, quæ tamen Suarez dicit reuocata eſſe à Concilio per clauſulam ſupra poſitam. Alij dicunt illam clauſulam dirigi ſolùm ad Epiſcopos, vt illi prohibeant; quando ergo illi nihil mouent, Religioſos adhuc manere in ſuo iure: id quod mihi videtur probabiliſſimum. Addiderim ego, eſto Concilium ibi dicat, *Vt Epiſcopi non patiantur à quibuſcumque Regularibus celebrari*, debere eam clauſulam intelligi de Regularibus non habentibus priuilegium à Summo Pontifice; nam ſi Tridentinum ibi huiuſmodi priuilegiis derogare voluiſſet, id profectò declaraſſet, vt alibi facit. Et magis videtur ea clauſula ordinata ad poteſtates ipſorum Epiſcoporum in poſterum coarctandas, & ad abuſus ſine vlla licentia introductos extinguendos, quàm ad priuilegia ab ipſo Summo Pontifice conceſſa reuocanda. Denique ibi non additur, *Non obſtantibus priuilegijs*, &c. ergo non egit ibi contra priuilegia, ſed contra abuſus. Quidquid autem de hoc vltimo puncto ſit, noſtræ Societati poſt Tridentinum conceſſum eſt huiuſmodi priuilegium, ſolùm tamen pro Miſſionibus, vt poſſimus celebrare cum licentia Prouincialium in loco quocumque honeſto. Vbi Pater Suarez benè notat diſput. 81. ſect. 3. Si cum noſtris Miſſionariis ſint ibi alij Religioſi, non poſſe tunc in eo altari ibi erecto eos Religioſos celebrare: priuilegium enim hoc dirigitur ad perſonam, non ad locum. Addítque è contrario, quando vi alterius etiam noſtri priuilegij Prouincialis aut Rector in Collegiis aſſignat aliquem locum pro Sacello ordinario, poſſe in eo quoſcumque Sacerdotes celebrare; quia illud priuilegium eſt loci, non perſonarum. 28

An in hoc puncto Religioſorum priuilegia ſint reuocata.

Quid Societat Ieſu poſſit.

Circa quod quæret aliquis, Vtrùm itinerantes poſſint celebrare ſub dio, ſi non inueniant templum aut locum ſacrum. Ratio dubitandi eſt, nam cap. 3. de conſecratione, diſtinctè conceditur eis expreſsè ſine vlla limitatione facultas celebrandi ſub dio, ſeu ſub tentorio: hæc autem reuocata non eſt per Tridentinum, in quo ſolùm prohibetur, ne in domibus ſæcularium Miſſæ celebrentur. Reſpondeo, Tridentinum etiam addere, *Ne omnino extra Eccleſiam & Oratoria celebretur*: vnde reuocat eo ipſo eam licentiam generalem, imò ante Tridentinum videtur reuocata, cùm in aliquibus capitibus detur ſpecialiter licentia Epiſcopis itinerantibus, vt poſſint celebrare, aut coram ſe curare celebrari in loco decenti. Fortaſſe tamen hæc probatio non videtur efficax, quia ea capita dant licentiam Epiſcopo etiam intra domum; Canon autem ille magis reſtri- 29

De itinerantibus.

reſtrictam eam concedit, ſolùm in campo, & ſub tentoriis: vbi tacitè excipiebantur domus priuatæ, quia maior indecentia eſt celebrare in domibus quàm aperto campo, & ſub tentoriis. Quidquid verò de hoc ſit, iam per Tridentinum tota difficultas eſt ablata.

Quid in caſu neceſſitatis.

Vltimò ab ea prohibitione excipitur caſus neceſſitatis, in quo licitum eſt facere Sacrum in quocumque terræ loco decente, vti declaratur de conſecratione diſt. 1. & cap. *Concedimus*. Et ita notat D. Thomas quæſt. 83. art. 1. & alij apud Suarez vbi proximè; vbi ait ea duo citata capita etiamſi non multùm vrgeant, quia non ſunt Pontificis aut Concilij generalis, iam tamen tranſiuiſſe in uſum communem. Sub titulo autem neceſſitatis dicunt aliqui includi, quando in itinere quis diu non habet commoditatem celebrandi, vt poſſit ſemel celebrare. Puto autem ſub nomine neceſſitatis maximè comprehendi periculum vitæ, ſi v.g. pro iamiam morituro infirmo non ſit hoſtia conſecrata, & Sacerdos habeat omnia neceſſaria ad celebrandum, poterit quis in quocumque loco decenti celebrare; quia ratione huius neceſſitatis permittitur etiam celebrare ante auroram, poſt meridiem, & etiam bis.

30 *Quale peccatum committatur ſecùs faciendo.*

Illa nunc circa dicta reſtat difficultas, Vtrùm celebrare ſine licentia & ſine vlla neceſſitate extra locum alioquin permiſſum ſit peccatum mortale. Dominicus Soto apud Vaſquez diſput. 233. nu. 8. putat ſolùm eſſe veniale ſecluſo ſcandalo. Quam doctrinam Vaſquez ait non probandam vllo modo; quia ſi ſemel eſt peccatum, cùm materia ſit grauis, debuit eſſe mortale. Neque vnquam inuenitur, quòd celebrare Sacrum contra prohibitionem ſit peccatum veniale. Reiicit autem ibi textum ex cap. *Nullus Presbyter*, de conſecratione, diſt. 2. vbi ſub pœna depoſitionis prohibetur celebrare in loco non conſecrato; ait enim illum nihil de celebratione dicere, ſed ne Presbyter nouum erigat altare in loco conſecrato. Ego quidem argumentum P. Vaſquez non iudico efficax, quia aſſumit valdè dubium principium: etenim non ſolùm Sacrum, ſed & quodcumque aliud opus quantumuis in ſe graue poteſt prohiberi aliquando ſolùm ſub culpa leui, ſicut agentes ſuprà de Communione in peccato veniali diximus cum Suario & Lugo contra eumdem Vaſquez poſſe hominem peccare in ea venialiter; poſſet ergo in præſenti ea celebratio in ſe grauis, quia tamen in eo quòd fiat in loco non approbato, dummodò decens ille ſit, non videtur habere grauem indecentiam, eſſe peccatum, non tamen mortale, ſed ſolùm veniale, vt ait Sotus. Abſolutè tamen cenſeo fore peccatum graue, quia non minùs ſeriò hæc res prohibetur, quàm non celebrare poſt cibum, quàm non celebrare bis, &c. licet enim in eo puncto diſpenſare poſſit Epiſcopus, non tamen ideò, dum non eſt diſpenſatio, cenſetur minùs ſeriò prohiberi. Atqui in his aliis caſibus ſine vlla controuerſia eſt materia grauis peccati, ergo & hæc. Confirmatur, quia res illa eſt expoſita grauiſſimis indecentiis, ſi ſine ſcitu & licentia Epiſcopi fiat; ergo debuit prohiberi grauiter.

SECTIO V.

Quid de Eccleſia violata?

EXplicato loco ad celebrandum ſufficienti 31
quantum eſt ex ſe, explicanda eſt alia circumſtantia, ne ſcilicet Eccleſia illa vel locus ille ſit violatus.

SVBSECTIO I.

Quibus modis polluitur Eccleſia.

EX Iure communi ſciendum Eccleſiam pollui quinque modis; primo per effuſionem ſanguinis; vbi ſtatim excluduntur pueri, eſto pugnis ſe vſque ad ſanguinem excipiant; quia vel non peccant mortaliter, vel illa effuſio exterior cenſetur parui momenti ab Eccleſia: quo poſito primum dubium eſt, Vtrùm requiratur vulnerantem eſſe intra Eccleſiam, an ſufficiat ſi ipſe vulneratus ſit intra. Secundum, An requiratur ſanguinem effundi intra, an verò ſit ſatis datam eſſe cauſam intra, eſto ſanguis homine iam foris exiſtente fluat. Reſpondeo quoad primum: Ex communi ſenſu ſufficere, quòd vulneratus ſit intra; quia ibi propriè quis dicitur vulneratus, vbi accipit vulnus, non vbi eſt qui vulnerat. Quoad ſecundum: Per accidens eſſe, quòd tunc ſtatim non effluat ſanguis; vti è contrario non violatur, ſi foris ſit vulneratus, ſanguinem verò intra Eccleſiam effundat.

Quæ effuſio ſanguinis requiratur ad pollutionem Eccleſiæ:

Dices; Violatio hæc Eccleſiæ non videtur inde deſumi, quòd homo vulnerans grauiter peccet, nam eſto alium grauiſſimè percutiat, aut contundat, non tamen ad effuſionem ſanguinis; (id quod poteſt fieri multò etiam grauiùs, quàm ſi vulnus aliquod, ex quo ſanguis effluat, infligat;) non tamen tunc violabitur Eccleſia: ergo ſi (vt ſupponimus) ſanguis primò foris effluit, non debebit Eccleſia violari, licet culpa tota fuerit intus commiſſa. Reſpondeo, Non carere argumentum ſua probabilitate; nihilominùs tamen communiter cenſetur Eccleſia violata, eò quòd Iura maximè loquuntur de vulnere: vulnus autem iam eſt tunc in Eccleſia inflictum, licet ſanguis foris effluat. Quod dicebatur de contuſione nihil obeſt, quia verba Legis requirunt vulnus; contuſio autem non eſt vulnus, non oportet autem, maximè in odioſis, trahere verba ad aliam ſignificationem.

Aduerte cum communi, Eſto iura nihil dicant 32
quòd ea effuſio debeat eſſe peccaminoſa, ſemper tamen id ita ab omnibus intellectum; vnde ſi vel pro iuſta ſui defenſione, vel ioco, vel alio modo caſuali contingat, etiamſi ex actione illicita, vt ſi dum in templo repræſentatur tragœdia, non pollui templum.

Quod homicidium.

Secundo modo polluitur templum per iniurioſum homicidium, circa quod poſſent in dubium verti omnia quæ circa effuſionem ſanguinis, quibus etiam eodem modo reſpondendum, ſcilicet illud debere eſſe peccaminoſum, non ad defenſionem ſui, debere item cauſam dari intra Eccleſiam, nec ſufficere ſi exteriùs dato vulnere moriatur deinde intra templum. Notatur etiam communiter, ſi Iudex reum aliquem intra templum aut ſuſpendi, aut iugulari aliòve modo occidi curet, etiam violari Eccleſiam, quia eſto Iudex potuiſſet abſolutè talem occidere, non tamen

Digitized by Google

tamen intra Eccleſiam : habet enim reus ius ne ibi occidatur. Secundò , ipſi Eccleſiæ fit iniuria, dum in ea talia exercentur : ſi enim Principum domus in hoc puncto ſunt priuilegiatæ,à fortiori Eccleſia & domus Dei.

Pater Suarez diſput.81. ſect.4. putat, ſi cauſa mortis iniuriosè data in Eccleſia non ſit vulnus, ſed contuſio aliqua grauis , ex qua deinde extra Eccleſiam moriatur,non violari Eccleſiam ; quia tunc homicidium non eſt commiſſum in Eccleſia. Cardinalis Lugo putat id non dici conſequenter ; quia ſicut ſufficit in eo caſu dari intra Eccleſiam vulnus , vnde fluat ſanguis foris , ita debet ſufficere,quòd intra Eccleſiam detur mortis cauſa , eſto hæc ſequatur homine iam exiſtente extra Eccleſiam. Ego tamen non video vllum defectum conſequentiæ in Suario , imò mihi videtur ille reſpondiſſe tacitè huic obiectioni ; ait enim in eo caſu de effuſione ſanguinis , Ideò violari Eccleſiam , quia vulnus datur intra Eccleſiam ; Iura autem propter vulnera grauia dicunt violari Eccleſiam; nam lib. 3. Decretalium tit. 4. de conſecratione , cap. *Propoſuiſti.* propter homicidia vel vulnera , nulla facta mentione ſanguinis,cenſetur Eccleſia violata: quo caſu vulnus verè intra Eccleſiam infligitur ; homicidium autem tunc verè non fit in

Lugo Suarez inconſequentia arguit.

33 Eccleſia. Nihilominùs tamen iudico longè probabilius violari etiam eo caſu Eccleſiam , quia moraliter homicidium tunc eſt factum intra Eccleſiam; vtorque alia ratione eiuſdem Suarez ea ſectione §. 2. circa medium , vbi de effuſione ſanguinis ſecuta extra Eccleſiam , à vulnere tamen intra Eccleſiam inflicto, ait tunc violari ea etiam ratione, quòd effuſio, quæ tunc eſt ex parte actionis iniurioſæ , iam ſupponitur facta in Eccleſia : id quod eodem modo de homicidio poteſt dici , ſcilicèt peccatum ex parte actionis iniurioſæ factum in Eccleſia; vel ſanè quoad intentum Eccleſiæ valdè materiale eſſe, quòd exeat foras ille poſt acceptam contuſionem grauem, & immediatè extra portam moriatur ; debet ergo cenſeri tunc perinde,ac ſi moraliter factum eſſet in templo. Notari autem ſolet circa iſtos duos caſus (vti circa tertium , de quo ſtatim)non ſufficere ad eam violationem,quòd illa peccata committantur ſupra tectum templi , vel iuxta murum,aut in turri illius , vel in cubiculis quæ ſolent eſſe pro Sacriſtanis aut cuſtodibus templi , vti neque in Sacriſtia;quia hæc omnia propriè non ſunt templa ; & confirmatur inde, quia ſicut non ſunt loca ad celebrandum ordinata,ita neque ex delicto in eis commiſſo cenſeri debet templum violatum.

Quid nomine Eccleſia accipiatur.

Tertiò Eccleſia violatur per voluntariam effuſionem ſeminis ; ; vbi etiamſi nihil dicatur de effuſione extra copulam,intelligitur tamen communiter de omni effuſione peccaminoſa. Secundò requiritur illam eſſe propriam effuſionem non vnius aut alterius guttæ;quia talis non eſt moraliter effuſio , etiamſi alioquin in cauſa ſit mortaliter peccaminoſa: Tertiò, vt non ſit inuoluntaria: Quartò, vt ſit publica: nam de occultis non iudicat Eccleſia: quæ autem debeat eſſe hæc publicitas dicam ſubſectione 2.

34 Circa copulam verò maritalem & alioquin licitam maior eſt difficultas. Quidam enim omnino iudicant ſufficere vt Eccleſia polluatur, alij abſolutè negant , alij media via incedunt, dicuntque, Si ob irreuerentiam in locum ea copula reddatur peccaminoſa,ſufficere ad polluendam Eccleſiam;non tamen ſi adduc maneat licita ; quia per actum alioquin licitum non poteſt Eccleſia dici polluta. Vtrùm autem ea copula reddatur peccaminoſa néćne,ex eo quòd in templo fiat,dicunt pertinere ad materiam de Matrimonio:interim hanc regulam aſſignant, vt quando diu in templo manere coguntur coniuges, ſiue ob obſidionem,ſiue ob aſylum,ſiue ob aliam cauſam, tunc licitè poſſint ad ſe accedere ; non enim debent diu cum periculo fortè incontinentiæ priuari vſu matrimoniali. Si verò ad vnam vel alteram diem manent,vel exire foras poſſunt noctu,tunc eos peccaturos mortaliter contra loci reuerentiam. Ita Suarez fusè ea ſectione 4. §. *Tertiò violatur.* vbi omnium harum trium ſententiarum Auctores refert. Ego tamen,attendendo ad verba Legis,putarem etiam per licitam copulam violari,quia cap. *Eccleſiis*,de conſecratione,diſtin.1. loquitur planè vniuerſaliter dicendo, *Cuiuſcumque ſemine polluta fuerit.* Vbi cùm non intelligatur ſolùm pollutio eo ſenſu, quo condiſtinguitur à copula; omnes enim Auctores dicunt pollui per copulam illicitam inter ſolutos; aliunde autem nihil dicatur ibi de effuſione peccaminoſa,videtur planè etiam illud caput coniugalem copulam complecti: imò inuoluntariam etiam pollutionem videtur comprehendiſſe textus ille. Denique in eo capite non videtur Concilium Nicænum (cuius illud eſt) ad rationem peccati attendiſſe : cùm ea enim effuſione coniunxit incendium Eccleſiæ ; quòd ſine dubio eſto fiat ſine peccato,nihilominùs eodem modo inducit violationem:poſſet ergo quis dicere,in ea effuſione ſeminis non tam rationem culpæ quàm phyſicam actionem conſideratam.

Qualis copula Eccleſiam polluat.

Examinatur verba Legis.

Neque ſunt alia capita, quæ vllam exceptionem faciant;ſunt quidem nonnulla quæ de pollutione per ſeminis effuſionem loquantur ; ea tamen de ſolo adulterio communiter agunt , ac proinde pro re præſenti nihil faciunt. Neque inde ſequitur etiam in effuſione ſanguinis non attendendū, vtrùm facta ſit culpabiliter néćne:etenim in iis caſibus magis clarè loquuntur Iura,& oſtendunt ſe agere de ſanguinis violenta effuſione;circa ſeminis verò effuſion magis,vt dixi, vniuerſaliter loquuntur. Nihilominùs tamen,quia in his textibus,qui non ſunt omnino clari,optimus interpres eſt communis ſenſus Doctorum, & in præſenti omnes requirunt effuſionem illam eſſe peccaminoſam, nos etiam eam requirimus,& conſequenter dicimus copulam maritalem, quotieſcumque licitè in templo habetur , non ſufficere vt violet illud. Vtrùm autem ob reuerentiam loqui reddatur aliquando peccatum graue , dubium eſt;& non facilè , ſecluſo omni ſcandalo ſi in aliquo angulo fiat,non verò immediatè ante ipſum altare , putarem eſſe mortale : id quod Sotus benè docet : & ad hoc per accidens eſt, quòd diu cogantur manere in templo;& (vt verum fatear)haud facilè capio, quomodo propter eam manſionem diuturnam reddatur licita , vel non : ſi enim ex ſe eſt irreuerentia grauis contra templum,profectò quantumuis diu ibi maneant, erit irreuerentia, quia ratio irreuerentiæ non deſumitur propriè ex longa aut breui habitatione,ſed ex eo quòd coram imaginibus in loco ſoli cultui Dei dicato fiat id,quod per ſe videtur eſſe alienum ab oculis omnium hominum : hæc autem ratio tota quanta eodem modo vrget,ſiue diu ibi maneant,ſiue vna tantùm nocte. Quid ſi dicatur eam copulam non continere grauem 35

Statur Doctorum communi iudicio.

indecentiam ex natura rei, cùm aliunde nullo poſitiuo præcepto videatur prohibita, non video quare etiam, ſi tempore breuiſſimo ibi manentes ad ſe accedant, debeat mortale indicari: ſed hoc (vt dixi) aliò ſpectat. Vltimò dico, Eſto in eo genere habeat indecentiam, & ad mortale peccatum ſufficientem, non poſſum mihi perſuadere à Concilio Nicæno eo Canone factam eſſe talem diſtinctionem; v. g. ſi coniuges prima die ad ſe accedant, polluatur Eccleſia, non tamen ſi poſt quinque aut ſex dies: videtur enim ea differentia valdè materialis ad pollutionē Eccleſiæ.

36 *Per quam ſepulturam pol luatur Eccleſia.* Quæ polluitur Quartò per ſepulturam hominis excommunicati; vbi ſtatim eſt adhibenda limitatio ex Concilio Conſtantienſi, vt non omnes excommunicati, ſed publicè denuntiati, vel notorius clerici percuſſor intelligatur: vnde in locis, vbi eſt libertas conſcientiæ, non violatur Eccleſia per hæreticorū in ea ſepulturas; ideò benè notauit Lugo ea diſputatione 20 ſectione 2. non fuiſſe neceſſarium Patri Suario ad excuſandos Sacerdotes celebrantes, vbi ſunt ſepulti hæretici, & vbi eſt libertas conſcientiæ, recurrere ad hoc, quòd neceſſitate coacti, aut licitè, diſpenſantibus Epiſcopis, id faciant.

Quintò tandem polluitur Eccleſia per ſepulturam hominis infidelis non baptizati: vbi non intelliguntur hæretici, ſi ſint baptizati; comprehenduntur tamen ex communi ſententia infantes non baptizati, ſi extra vterum maternum iam ſint; nam ſi ſimul cum matre ſepeliantur, non cenſentur per ſe ſepeliri, ſeu per accidens. Notant tamen Auctores, ſi matre mortua adhuc viuat in vtero proles, & ſepeliatur, tunc pollui Eccleſiam ratione homicidij, quia per eā ſepulturam occiditur puer: debet ergo in eo caſu mater aperiri, & baptizari infans; vel ſi non baptizetur, ſepeliendus eſt extra locum ſacrum. Dubitari poteſt, Vtrùm catechumenus comprehendatur, cùm non ſit baptizatus. Reſpondetur, Non comprehendi, quia ille iudicatur fidelis. Rogabis, Quid ſit de cœmeterio dicendum quoad hunc caſum. Reſpondeo cum communi, Illud pollui dum polluitur Eccleſia; non autem è contrario dum illud polluitur pollui Eccleſiam, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, non è contrario.

SVBSECTIO II.

Varia dubia circa prædicta: vti, An liceat in mari celebrare?

37 *Quid ſit delictum publicum.* PRimò quæritur, Quæ notitia requiratur, vt cenſeri debeat delictum publicum? Reſpondetur, Non eſſe neceſſum illud videri; id enim in effuſione ſeminis non eſt moraliter poſſibile; ſufficit ergo ſi aliunde reſciatur, vel ex ipſorum reorum confeſſione, vel quia aliunde eſt deprehenſum: non ſufficit autem, ſi duo vel tres illud ſciant, dummodò illi taceant. Quæ doctrina communis eſt ad publicitatem delictorum etiam in aliis materiis; quando ſcilicet agitur, Vtrùm poſſint ita cenſeri ea delicta publica, vt non ſit graue peccatum ea aliis narrare, &c.

Vt dicatur Eccleſia violata. Secundò tamen circa hoc ipſum quæritur, Vtrùm præter delicti publicitatem requiratur, quòd denuntietur Eccleſia illa violata. Pater Suarez ea ſectione 4. §. *Secundò dubitari ſolet.* poſt medium, licet dicat probabiliter id poſſe requiri, quia hæc pollutio videtur eſſe quoddam genus interdicti quod iuxta Concilium Conſtantienſe non incurritur niſi poſt denuntiationem. Pro qua doctrina citat ibi quemdā grauem Theologum Dominicanum Salmanticenſem; eodē tamen loco eam ſententiam corrigit, dum ait hanc violationem non poſſe niſi impropriiſſimè vocari interdictum: id quod ego etiam abſolutè iudico dicendum, quia Iura ante omnem denuntiationem ſupponunt illud impedimentum; eſtque id ex mente Auctorum, dum quærunt, Quid debeat Sacerdos facere, ſi ipſo celebrante polluatur Eccleſia: ibi enim ſupponunt ante omnem denuntiationem incurri violationem; alioquin cur eſſet tunc ille Sacerdos ſolicitus de Sacro?

Quæritur præterea, Vtrùm ſufficiat ad Eccleſiæ violationem, ſi homicidium, aut effuſio ſeminis vel ſanguinis fiat in porta Eccleſiæ. Reſpondetur, Si fiat in limine (quod relinquitur foris dum portæ clauduntur) non violari; quia id cenſetur eſſe extra Eccleſiam, ſecùs ſi fiat in ea parte quam portæ relinquunt intus. *Quid ſi effuſio ſanguinis vel ſeminis fiat in porta Eccleſiæ.*

Quartò quæritur, Vtrùm hoc habeat locum in Eremitoriis aliquibus & Hoſpitalibus nec cōſecratis nec benedictis ab Epiſcopo, vt in illis celebretur. Suarez hac ſectione 4. §. *Quinto violatur Eccleſia.* ſupponit non violari, quia, hæc non veniunt nomine Eccleſiæ: id quod Nauarrus, Scotus & Henriquez ſentiunt apud Lugo ſuprà. Ipſe tamen cum multis aliis putant violari; quia verè huiuſmodi loca etiam ante benedictionem, eo ipſo quòd ſint deſignata ab Epiſcopo ad Officia ſacra, cenſentur iam Eccleſiæ, & gaudent immunitate Eccleſiaſtica. Et verò ipſe Suarez ſupponit Tomo 1. de Religione Tract. 2. cap. 9. Eccleſiam ante benedictionem omnem, & antequam in ea celebrentur Officia Diuina, immunitate gaudere, & eſſe Eccleſiam veram; vnde retorquendo illius argumentum debebit hîc dici, ea Eremitoria violari. 38 *Quid de Eremitoriis & Hoſpitalibus.*

Fateor difficulter Suarium explicari poſſe, quia hîc expreſsè dicit nomine Eccleſiæ non comprehendi niſi templum benedictū aut conſecratum; cuius oppoſitū eo Tomo de Religione docet: quidquid tamen ſit de eius mente, ego putarem Primò, Eremitoria nō intelligi nomine Eremitoria non intelligi nomine Eccleſiæ, vti Oratoria priuata Principum aut aliorum non comprehenduntur eo nomine. Idem dico de aliquibus Oratoriis, quæ ſolent eſſe ad ingreſſum ciuitatum; quia reuerà dum ſolent numerari Eccleſiæ ciuitatis, talia Oratoria nunquam computantur. Secundò dico, In ipſis Eccleſiis magis mihi placere ex duabus illis doctrinis Suarij oppoſitis eam, quæ dicit ad rem præſentem non vocari Eccleſiam, niſi iam ſit vel conſecrata, vel benedicta, vel certè iam inchoata ſint in ea Officia Diuina. Etenim eſto Epiſcopus iam non ſolùm deſtinauerit locum, ſed & ipſe ſuis manibus primū lapidem benedixerit in eo templo; & licet templum ſit iam finitum; ſi tamen adhuc non ſit benedictum, neque inchoata ſint in eo Diuina Officia, nemo cenſet adhuc illum locum gaudere immunitate Eccleſiaſtica: & ſanè cùm cap. *Eccleſiæ*, de immunitate, quando aſſeritur priuilegium immunitatis competere Eccleſiæ non conſecratæ, requiratur, quòd in ea celebrentur Officia Diuina, non video, quomodo etiam, antequam vel conſecratio vel celebratio ſit, debeamus tribuere illi hoc priuilegium; nam τὸ *celebrentur* intelligere pro *poſſint celebrari*, mihi videtur valdè violenta explicatio. *Quid nomine Eccleſiæ veniat.*

Quintò

Digitized by Google

39 *An liceat celebrare in loco non reconciliato.* Quintò quæritur, An ſaltem ex licentia Epiſcopi poſſit in iis celebrari etiam ante reconciliationem; quia cùm Epiſcopus poſſit dare licentiam ex Iure ordinario etiam in locis ante non conſecratis; per violationem autem tantùm videantur hæc loca amittere ſuam antiquam conſecrationem; non eſt cur Epiſcopus nequeat dare licentiam pro eis locis. Quæ eſt doctrina Patris Suarez ſuprà §. *His poſitis*, vbi pro ſe citat Diuum Thomam & Sotum. Verùm hæc ratio nimiùm videtur probare, quia ſi illa Eccleſia nec conſecrata nec violata fuiſſet, dat potuiſſet Epiſcopus etiam extra caſum neceſſitatis facultatem in ea celebrandi, ſaltem vt Oratorium illam deputando; & tamen ipſe Suarez hîc requirit neceſſitatem grauem; ergo non valet conſequentia ab eo, quòd poterat Epiſcopus, ſi conſecrata ea Eccleſia non eſſet, ad id, quod iam poteſt, vt bene notauit Lugo. Ratio a priori eſt, quia illa violatio eſt quaſi macula quædam poſitiua Eccleſiam longè peius afficiens, quàm ſi purè putè ei abſtuliſſet conſecrationem; non ergo ea ratione prohibenda eſt ea poteſtas diſpenſandi, ſed quia Iura quæ adduximus non videntur auferre Epiſcopo hanc poteſtatem in caſu neceſſitatis; imò fortaſſe tanta erit neceſſitas, vt etiam ſine licentia Epiſcopi liceat celebrare: etenim ſi pro infirmo agonizante, ne ſine Viatico decedat, licet contra alia præcepta fortè grauiora facere Sacrum, quia ea non cenſentur hîc & nunc obligare; licebit etiam in præſenti.

Quid ſi quis bona fide celebret. Sextò quæritur circa hos caſus; An ſi Sacerdos bona fide celebret in Eccleſia polluta, eo ipſo eam reconciliet. Affirmant nonnulli; verùm ſine vllo planè fundamento: cùm enim prohibitio hæc ſit ab Eccleſia, & nullo modo conſtet illam eſſe contentam tali reconciliatione, non video, quomodo ea debeat admitti. Et ſanè ſi Sacrificij ſanctitas Eccleſiæ auferret violationem, idem deberet dici de Sacro mala fide lebrato.

40 *Quid ſi inchoato Sacro polluato Eccleſia.* Septimò quæritur, Quid ſi inchoato Sacro contingat Eccleſiam pollui. Reſpondetur communiter, Si iam ſit Canon inchoatus, debere abſolui Sacrum; ſi verò nondum ſit inchoatus, debere Sacerdotem ceſſare. Quòd ſi Eccleſia non ſit conſecrata, ipſum poſſe per aquam benedictam, cum aliquibus aliis cæremoniis quæ habentur in Cæremoniali Eccleſiaſtico, eam reconciliare: quòd ſi ſit conſecrata, debere expectare donec ab Epiſcopo reconcilietur. Priorem partem huius ſententiæ nullo textu confirmant eius Auctores. Et ſanè mihi non videtur Eccleſiam tam rigidè in eis Iuribus id prohibere, vt ſi iam ſit poſt oblationem hoſtiæ & calicis, etiam ante Canonem teneatur Sacerdos deſiſtere; cùm reuerà iam tunc ſit moraliter inchoatum Sacrificium. Vnde ego omnibus penſatis, ſi iam eſſem poſt Offertorium, non putarem me debere ceſſare.

Quomodo Eccleſia reconcilietur. Octauò & vltimò quæritur, Quomodo iterùm Eccleſia reddatur apta celebrationi. Reſpondetur ex dictis paulò ante, Si non ſit niſi benedicta, poſſe à ſimplici Sacerdote per aquam benedictam & aliquas alias cæremonias reconciliari; ſi verò ſit conſecrata, non poſſe niſi ab Epiſcopo vel à Sacerdote ſimplici ex licentia Pontificis. Ita Iura diſponunt.

Quando pereat Eccleſiæ conſecratio. Illud nunc reſtat, An præter caſus ſuprà poſitos violetur etiam Eccleſia per incendium. Videtur enim caput ſuprà à nobis citatum ex Concilio Nicæno docere, per incendium violari Eccleſiam. Reſpondetur, Si maneant muri integri, non violari, ſi autem hi ruant, ceſſare conſecrationem, quia etiam ceſſat ipſum templum. Vnde hæc non debet iudicari poſitiua pollutio, ſed ceſſatio conſecrationis per ablationem ſubiecti.

Circa quod quæres; Quid ſi ex intentione renouandi Eccleſiam paulatim diruantur parietes peribitne conſecratio? Negat Lugo cum Nauarro cap. 17. Summæ, num. 258. rationem addit, quia ciuitas eadem manet moraliter, quantumuis animo eam renouandi & pulchriorem reddendi omnes ædes paulatim diruantur. Hoc ipſum in Collegiis, Monaſteriis, &c. locum videtur habere. Inſtantia hæc probabilis eſt, fortaſſe tamen ſuam patitur difficultatem, qui in ciuitatibus & domibus vt manere dicantur ædes, ſufficit ferè, ſi in eodem loco ſint vbi anteà: & mihi omnino videtur certum eodem modo dicendam eamdem ciuitatem quæ anteà, etiamſi ſimul corruerent omnes domus, dummodò reædificarentur in eodem loco, & vt fuerant anteà; ſi autem templum totum rueret, eſto eodem omnino modo erigeretur, & fortaſſe diceretur idem cum præcedenti, in ordine tamen ad conſecrationem iudicari deberet nouum. Non ergo caret ſua probabilitate contraria ſententia, quam Layman lib. 5. cap. 5. num. 16. defendit, amitti ſcilicet tunc conſecrationem; quia tamen ſaltem ob auctoritatem extrinſecam altera eſt probabilior, poteſt in praxi ea teneri ſine vllo prorſus ſcrupulo. 41

Dices: Si ex alba auferantur manicæ, vel ex calice pes, non retinent conſecrationem; ergo multò minùs duo parietes retinebunt conſecrationem, maximè cùm illi non videantur dici poſſe Eccleſia. Ob hanc rationem valdè propendet Lugo ſuprà ad dicendum, tunc non durare conſecrationem. Ego tamen magnam differentiam inuenio quoad hoc inter albam & calicem ex vna parte & muros ſine tecto ex altera, nam alba ſine manicis non eſt apta ad celebrandum, quia Eccleſia maximè brachia Sacerdotis vult tecta, vt quæ magis immediatè verſantur circa Sacrificium: calix item ſine pede non poteſt vllo modo inſeruire. At muri Eccleſiæ ſine tecto adhuc faciunt locum ſactum & aptum, & clauſum, vt poſſit ibi celebrari. Quòd enim templum tegatur fit potiùs ad arcendam cæli inclementiam, eſtque commune omnibus etiam profanis domibus, quàm ratione conſecrationis & celebrationis. Quidquid tamen de hac diſparitate ſit, ex communiori ſaltem ſententia certum eſt poſſe in illis celebrari. 42 *Obiectio ſoluitur.*

Illud circa hunc caſum aduerto, eum non reduci vllo modo ad pollutionem, aut violationem Eccleſiæ, ſed ad deſitionem illius (vt ſuprà obiter notaui:) vnde ſi de nouo ædificetur, non per reconciliationem, ſed per nouam conſecrationem reſtitui debet: vnde etiam fit, vt tunc non habeat vllam poſitiuam indecentiam, qualis ex violatione conſurgit; ac proinde faciliùs poſſit Epiſcopus dare licentiam vt in ea celebretur quàm in loco violato; ac tandem illi, qui habent facultatem celebrandi vel pro militibus in campo, vel alio modo in itinere, poſſint in talibus locis celebrare ſine vlla benedictione aut reconciliatione.

Vltimò tandem circa locum celebrationis quæritur, Vtrùm liceat in mari celebrare. De hac re ferè omnes Auctores morales diſputant; & licet aliqui antiquiores negauerint poſſe fieri, iam 43 *An in mari liceat celebrare.*

iam tamen affirmatiua ſententia eſt communiſſima, & in praxi ſine vllo ſcrupulo ſeruatur ſcientibus & conſentientibus Epiſcopis,& ſine dubio ipſo etiam Chriſti Vicario ita ſentiente, in nauibus enim Indicis celebratur ſemper, niſi ſit aliqua grauiſſima tempeſtas; & verò quidam ex noſtris Patribus Procuratoribus Indiæ (quem in Congregatione noſtra Generali Romæ interrogaui hac de re anno Domini 1646.) mihi dixit ſe tota ea nauigatione non niſi vnico die Sacrum neglexiſſe, & quidem tunc non ob maris tempeſtatem,ſed ob malam valetudinem. Ratio autem huius licentiæ facilis eſt, quia ex natura rei non poteſt id alia ratione iudicari indecens, quàm quia poſſet eſſe aliquod periculum effuſionis ſanguinis Chriſti: hoc enim ſecluſo Deus non minùs dignus eſt quem adoremus, cui ſacrificemus in mari quàm in terra, imò cùm pericula maris ſint longè grauiſſima, longè maior eſt neceſſitas ſacrificandi, & Deum ibi placandi. Vnde teſtantur multi etiam ex noſtris, à quo cœptum eſt celebrari,quietiora eſſe maria quàm antea: eſt etiam ſpecialiter ibi hoc Sacrificium neceſſarium,ne priuentur Catholici diebus Dominicis & Feſtis Sacro,ne moriantur ſine Viatico; nam accipere ſactum ciborium hoſtiis plenum eſt valdè in praxi difficile,quia citò in mari muceſcerent hoſtiæ,& ſæpiſſimè non ſufficerent, ac denique fortaſſe cum maiori irreuerentia die ac nocte in naui ſeruaretur Venerabile,quàm ea media aut tota Sacri hora colatur. Quòd verò non ſit periculum effuſionis inde conſtat, quia non ſemper eſt inquietum mare; poteſtque præuideri intra breuiſſimum tempus ab Offertorio vſque ad Communionem,an ſit futura tranquillitas:ſunt etiam ordinariè alij Sacerdotes qui poſſunt tenere calicem, caſu quo eſſet aliquod periculum. Poſſunt denique fieri calices pro ea celebratione, qui latiores habeant pedes, cuppam magis profundam & capacem, vt in ordinaria agitatiuncula nauis nullum ſit periculum. Vide Lugo, qui rem fuſiùs tractat.

Probatur à teſtimonio.

DISPVTAT. QVINQVAGESIMAQVINTA.

De Altari & aliis ad celebrandum requiſitis.

SECTIO I.

De Altari.

1 *De altari lapideo.*

CIRCA Altare, in quo debet immediatè offerri Sacrificium, ſupponendum debere illud eſſe lapideum. Pater Suarez ſuprà ſectione 5. putat præceptum hac de re ortum fuiſſe à ſancto Syluestro;nam in Lectionibus de Dedicatione Eccleſiæ Saluatoris 9. Nouembris aliquid ſimile legitur. Miror tamen, cùm ipſe ibi citet Epiſtolam Euariſti, qui fuit ferè ducentis annis ante Syluestrum, qu amandat vt Altaria, niſi lapidea ſint, non conſecrentur ad celebrandum; & ex Cypriano (qui etiam fuit diu ante Syluestrum) Sermone de vnctione Chriſmatis conſtet fuiſſe Altaria lapidea; miror inquam Suarium dicere eam antiquiſſimam conſuetudinem à Syluestro inchoatam. Quod ergo Eccleſia dicit de ſancto Syluestro, puto potiùs fuiſſe priuatum priuilegium, ſeu conſuetudinem Romanorum Pontificum ob graues Romæ perſecutiones introductam, vt celebrauerint in Altari illo ligneo in formam arcæ intus excauato; cùm tamen vniuerſaliter & per ſe iam longè ante Syluestrum fuerit præceptum ſupra Altaria lapidea celebrandi; vt ex Euariſto & Cypriano diximus. Quidquid verò de eo initio ſit, nunc certiſſimum eſt non licere niſi in lapideis Altaribus celebrare. Hoc poſito,

Duplex eſſe poteſt Altare, vnum portatile, fixum alterum;niſi ergo vnum ex his adſit, non poteſt celebrari. Vbi ſtatim aduerte, Altare fixum non requirere neceſſariò quòd totum ſit lapideum; ſufficit enim ſi ſuperior tabula ſit lapidea, eſto corpus ſit ex lateribus aut etiam ex ligno.

Quomodo pereat conſecratio Altaris.

Iam verò Primò quæritur, Vtrùm ſi ab altari fixo pes auferatur,maneat conſecratio Ratio verò dubitandi ea eſt; nam aliqui admittunt poſſe conſecrari menſam vnam lapideam longam mobilem, quæ ſemper retineat conſecrationem; cuius ratio ea videtur eſſe, quòd ſola illa conſecretur, pes verò videatur ſe habere omnino materialiter ad eam conſecrationem, ne ſcilicet Sacerdos genu flectere deberet ſemper, ſed poſſit erectus Sacrificium conficere; ergo ea coniunctio menſæ cum reliquo corpore eſt per accidens ad conſecrationem retinendam.

2 Confirmatur, quia ſi fulciretur ea menſa, ac ſubtractis inferioribus lapidibus noui ſupponerentur,ac coniungerentur cæmento, nulla apparet ratio, cur deberet dici amiſſa conſecratio; igitur ſi amoueatur tota menſa quocumque alio modo, manebit adhuc conſecratio.

Reſpondeo, Hîc debere diſtingui duas quæſtiones; Primò enim quæri poteſt, Vtrùm poſſit aliqua menſa longa lapidea conſecrari inſtar Altaris portatilis. Et in hoc ſenſu nulla eſt penitus difficultas, quia quod portatile ſit paruum, vel magnum, eſt omnino per accidens ad conſecrationem, & ſolùm in ordine ad commoditatem, vt huc illùcve transferatur;iuuat, aut è contrario nocet paruitas & magnitudo. Secundò quæri poteſt, An poſſit aliquod artificioſum Altare fieri, quod habeat mobiles pedes, & totum poſſit diſſolui,& rurſus componi; vti menſæ ligneæ non ſolùm pauperem (vti inſinuat Lugo) ſed etiam ditiſſimorum hominum habere ſolent pedes mobiles. Et de tali menſa poteſt quæri: An ſi conſecretur more Altaris fixi, ſeu cum his cæremoniis quibus Altaria fixa, retineat ſuam conſecrationem. In hoc ſenſu quæſtio eſt difficilior. Lugo ſuprà putat affirmatiuam partem eſſe probabilem. Vti calices tornatiles ita conſecrantur, vt etiam quando remouetur pes, adhuc retineant acceptam conſecrationem. Addit tamen hic Auctor, eò quòd huiuſmodi Altaria videantur eſſe Eccleſiæ alligata, non poſſe ea extra Eccleſiam portari retenta conſecratione. Prior pars huius doctrinæ eſt probabilis; abſolutè tamen(vt oſtendam ſtatim)non eſt tenenda. Secunda verò mihi videtur valdè dubia.

Digitized by Google

bia. Vti enim ait Altaria fixa ſemper eſſe alligata Eccleſiæ, & inde inferi ; non poſſe illa foras transferri, ita planè deberet dicere, neque intra ipſam Eccleſiam poſſe ex vno ad alterum locū moueri, quia conſecrantur Altaria alligatā, vnum vni columnæ v. g. alterum alteri ; vnde ex hoc capite nullam diſparitatem cenſeo eſſe poſſe inter eos duos motus. Et hæc de ſecunda parte.

3 *Sententia Lugo refutatur.*

Quòd verò in primo puncto ſit multò probabilior contraria ſententia patet, quia expreſsè Iura dicunt, ſi Altaria moueantur, debere iterùm conſecrari ; loquuntur autem de fixis, ſeu de his quæ conſecrantur diuerſis cæremoniis, quæ habentur in Pontificali : ita in cap. 19. *Si motum* de conſecratione, diſtinct. 1 nulla autem fit ibi limitatio, ob quam poſſit habere locum doctrina Lugo ; & ſanè cùm in altero caſu, quando Altare fit more ordinario, putet hic Auctor non durare conſecrationem, ſi auferatur menſa à reliquo corpore ; idem planè deberet dicere, eſto ita artificioſe factum ſit Altare, vt ſine violentia poſſit ſeparari: etenim non magis aut non minùs in vno caſu quàm in altero conſecratur pes, ſed vtrobique ſola menſa ſuperior.

Quod de calice tornatili dicitur non vrget; Primò, quia non eſt ius vllum in contrarium ſicuti hîc ; fortè ibi conſuetudo illa introducta eſt ipſis Pontificibus approbantibus ; vnde concedere facile poſſemus, ſi Pontifex eam conſuetudinē toleraret in ordine ad huiuſmodi Altare, non fore vllam difficultatem: idem tamen eodem modo dico de Altari quod magis fixum dicitur. Videtur autem in calice maior ratio ; cur id admittatur, quia facillimum & ordinarium eſt eiuſmodi calices habere tornatiles; ideò operæ pretiū fuit eam facere ibi licentiam, maxime pro itinerantibus ; nam commodiſſimè tales calices portantur. At cùm Eccleſia ſemel fecerit Sacerdotibus eam commoditatem permittendi portatilia, non fuit expediens vt in ipſis Altaribus fixis, ſeu quaſi fixis conſecratis, rurſus idem permitteret. Hinc autem infero, Multò maiorem locum id habere in Altari quod natura ſua eſt immobile, in quo tamen putat Pater Suarez, ſi totum integrum poſſet moueri, retinendam conſecrationem : id quod non caret magna probabilitate. Videtur tamen mihi addendum, eſſe id intelligendum non ſolùm ſi intra eamdem Eccleſiam moueretur, ſed etiam ſi aliò transferretur.

4 *An in quacumque parte Altaris poſſit celebrari.*

Secundò quæritur, An poſſit in quacumque parte Altaris fixi celebrari? Reſpondeo, Omnino poſſe, quia æqualiter totum eſt conſecratum; vnde communiter dicunt Auctores, Eſto frangatur ſuperior lapis, dummodò maneat aliqua pars illius tam magna, quæ poſſit calicem & hoſtiam ſuſtentare, eſto nec totus calix, nec tota hoſtia ſit intra illam partem, poſſe adhuc ſupra illud celebrari. Id quod eodem modo dicendum eſt de portatili.

An Reliquiæ ſint de eſſentia.

Tertiò quæritur, Vtrùm Reliquiæ ſint de eſſentia conſecrationis? Vbi conſequenter quæri poteſt, An ſi auferantur Reliquiæ, ſeu ſi violetur ſepulchrulum Reliquiarum, debeat iudicari violatum Altare, vt non poſſit iam in eo celebrari? Aliqui cenſent requiri neceſſariò illas Reliquias: id quod ex magnis cæremoniis, quibus vtitur Eccleſia ad eas collocandas, ſatis probabiliter colligitur; videtur enim mens illius eſſe, vt pars magna conſecrationis in ea poſitione Reliquiarum conſtituatur; cumque hæc res tota ſolùm pendeat ab intentione Eccleſiæ, non eſt cur negetur ea neceſſitas. Nihilominùs ſaltem propter auctoritatem multorum grauium Theologorum, qui oppoſitum ſentiunt, probabile eſt non requiri; ac proinde tutum eſſe eis deficientibus celebrare. Rationem ſic ego formo ; Frequenter Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum vtitur grauibus cæremoniis, quæ tamen non ſunt eſſentiales pro Sacramento; colligimus autem quæ ſunt in rigore eſſentiales ex ipſo ſenſu verborum : quando enim verba denotant finem Sacramenti, tunc dicimus eam cæremoniam, ſupra quam cadunt talia verba, eſſe neceſſariam ; reliquas verò non ita; in præſenti ergo cùm ad poſitionem Reliquiarum nihil aliud Eccleſia denotare videatur, quàm quòd honoret Sanctos, quòd illis ſepulchrum adornet glorioſum; de conſecratione verò ipſius Altaris nihil dicat, ſed id adæquate denotat, dum imponendo oleum & Chriſma vtitur eis vocibus, *Conſecretur hoc Altare in honorem*, &c. benè colligimus ſubſtantiam conſecrationis ſolùm conſiſtere in eis vnctionibus & in illis verbis, ac proinde reliqua eſſe iuxta dicta per modum cæremoniarum.

Non requiri ratione oſtenditur.

5

Nec verò quia dicatur in honorem talis Sancti, putet quis eſſe neceſſum vt eius Reliquiæ ibi ſint; ideóque vlteriùs inferat, etiam ad valorem eius vnctionis eas Reliquias requiri. Etenim ſæpè conſecratur in honorem Sancti, cuius nullæ ibi Reliquiæ ſunt, & è contrario non dicitur, *In honorem talis Sancti*, etiamſi eius ibi ponantur Reliquiæ. Vnde infero, Quamdiu lapis ille, qui conſecratus eſt, permanet, cenſeri remanere conſecrationem, niſi Eccleſia aliud expreſsè in contrarium diſponat : id quod vltimum addo ad reſpondendum obiectioni quæ fieri poteſt, ſcilicet ex hac ratione inferri, Etiam in Altari fixo debere manere conſecrationem manente lapide, ſupra quem vnctiones factæ ſunt, etiamſi auferatur à pede. Huic enim obiectioni per illam limitationem reſpondetur, Nam Eccleſia (vt vidimus paulò antè) expreſsè ibi diſpoſuit aliter; at circa Reliquias nihil omnino declarauit. Vnde concludo quoad ſecundam partem dubij, non violari Altaria per reſerationem ſepulchri, dummodò, vt dixi, lapis maneat capax ad recipiendum calicem & hoſtiam modo ſuprà explicato.

Non violatum Altare per reſerationem ſepulchri.

Altare portatile ſeparatū à ligno non perdit conſecrationem.

Quartò circa Altare portatile dubitari poteſt, Vtrùm perdat conſecrationem, ſi ſeparetur à ligno, quo ſolet includi? Affirmant aliqui, ſed planè ſine vllo in iure aut in ratione fundamento ; quia lignum ibi potiùs ponitur, vt non frangatur portatile, quàm ob vllam aliam cauſam ad ipſam celebrationem pertinentem.

6 *Circa hoſtias paruas quæſtio notatu digna.*

Vltimò poteſt circa hoc dubitari, Vtrùm hoſtiæ paruulæ poſt conſecrationem ante ſumptionem hoſtiæ maioris poſſint poni extra aram? Cardinalis Lugo putat non poſſe, imò nec licere illas accipere, & ſtatim diſtribuere populo. Fundamentum prioris partis eſt, quòd in Rubricis Miſſalis præcipiatur, vt ponantur ſupra corporale, vel ante calicem, vel in aliquo vaſe conſecrato poſt calicem. Fundamentum alterius partis eſt, quia illæ hoſtiæ faciunt vnum quid cum hoſtia maiori; cumque ante Sacerdotis ſumptionem ea hoſtia non ſit perfectè ſacrificata, non expedit vt alij ante ipſum Sacerdotem de illa ſumant; additque, propterea in omnibus Liturgiis &

Ritualibus

Ritualibus & antiquis regulis ſemper primo loco poni Communionem Sacerdotis. Neque videtur ordo hic facilè peruertendus. Confirmat, quia non poteſt Sacerdos ex illa maiori hoſtia dare aliquid priùs alteri quàm ſibi.

Sententia Lugo reijcitur. Ego tamen puto id non eſſe neceſſarium & quidem videtur hæc doctrina inniti principiis ijs ſuis Cardinalis, quæ non ſunt certa, imò (vt ſuprà diximus) minùs probabilia; quod ſcilicet ſumptio pertineat ad Sacrificij integritatem: diximus enim, Licet fortè ea ſit de præcepto Chriſti, id tamen non ex eo quòd ad complementum Sacrificij pertineat, ſed quia mandauit ipſe Chriſtus, vt Sacerdos fieret particeps ſui Sacrificij, vti antiqui Sacerdotes fiebant, ceſſante autem hoc fundamento ruit tota illa doctrina. Quòd autem illæ hoſtiæ ſint vnum quid cum maiori non obeſt nobis, quia iam oſtendimus, Communionem Sacerdotis non eſſe in rigore complementum Sacrificij. Secundò addo, cùm iam ab ipſa conſecratione ſint deſtinatæ illæ hoſtiæ pro populo, non eſſe inconueniens priùs eas populo diſtribuere quàm Sacerdos hoſtiam maiorem accipat.

7 Quod de Liturgiis & Ritualibus antiquis dicitur admittimus libenter, quia in eis agitur de Sacerdote ipſo celebrante, qui non debet pro danda laicis Communione Sacrum interrumpere; per hoc tamen illæ Liturgiæ non prohibent quò minùs, quando eſt aliqua neceſſitas, quia aliter non poteſt ſatisfieri toti populo, poſſit alius Sacerdos accipere hoſtias paruas ſtatim poſt conſecrationem, eaſque diſtribuere. Quæ praxis valdè eſt frequens etiam inter homines valdè doctos, & ſine vllo planè ſcrupulo. Et verò etiam in ipſo Celebrante ſolemniter habere locum poteſt, quando Muſica nimis longa cogit otiari Sacerdotem, tunc enim etiam ipſe poſſet diſtribuere ante ſuam Communionem. Denique cùm non ſit omnino certum Chriſtum Dominum ſeipſum communicaſſe, ſit autem de Fide dediſſe ex hoſtia à ſe ſacrificata diſcipulis, non video quomodo poſſit tam certò inferri, non licere Celebranti priùs alium quàm ſeipſum communicare ex hoſtiis à ſe conſecratis.

Et eius argumentis reſpondetur. Denique ad id quod dicebatur primo loco, propterea Eccleſiam iubere, vt illæ hoſtiæ poſt conſecrationem adhuc maneant intra ipſum corporale, reſpondetur, Si verba Miſſalis ſolùm vellemus conſiderare, potiùs nobis fauere quàm obeſſe; nam ſub disiunctione tantùm loquuntur, *Vel ſuprà corporale, vel in alio vaſe.* Vnde fortaſſe quis diceret, ibi fieri licentiam vt ponantur ſtatim extra corporale, vel in tabernaculo ipſo, vel alio in loco. Nihilominùs tamen dico, Ibi neque nobis neque Aduerſariis faueri, ſed ideò dici eas debere poni in corporali, quia agitur de caſu ordinario, quando non adeſt alius Sacerdos: ipſe enim Celebrans non debet tunc interrumpere Sacrum, vt aut alios communicet, aut vt aliò portet hoſtias: per quod nihil planè dicitur de caſibus extraordinariis; imò aliquoties vidi viros doctos celebrantes ad magnum Altare peracta conſecratione, ne ciborio impediantur in decurſu Sacri, illud ſtatim recondere in tabernaculo Sanctiſſimi Sacramenti. Non eſt ergo cur ex ea Rubrica vlla ratio vllius momenti contra nos deſumatur.

SECTIO II.

De Altaris ornatu ad celebrandum neceſſario.

PRIMÒ ſupra illud requirunt tres tobaleæ, ſeu tria lintearnina; nam licet Suarez & alij dicant ſufficere duas, ſeu vnam duplicatam, Miſſale tamen expreſsè tres requirit; vnam longiorem ad terram pertingentem, & duas breuiores, ſeu vnam duplicatam. Quòd ſi daremus vnam adeò longam, vt ad terram pertingere, & ſimul bis iterùm ſupra duplicari poſſet, non dubitarem ſufficcturam, maximè quia ſi tunc illæ duæ ſuperficies per medium ſcinderentur à terria maiori, extra controuerſiam ſufficerent; illa autem ſciſſio videtur eſſe valdè materialis pro reuerentia circa Sacramentum. Nec etiam debet cum ſummo rigore intelligi, quod debeant ad terram vſque pertingere; vtrùm autem debeant illæ eſſe benedictæ, dubium eſt, quia Suarez & alij putant nullam eſſe obligationem circa benedictionem; nihilominùs cùm id expreſsè requirat Miſſale, & ponat ſingularem benedictionem pro illis, aliunde autem non ſit ſpecialis ratio, ob quam dicamus eam Rubricam eſſe obligatoriam, quatenus agit de benedictione humeralis cinguli, ſtolæ, &c. non autem quatenus agit de benedictione linteorum; haud dubiè longè probabiliùs diſcurritur, ſi æqualiter dicamus vtrobique eſſe obligationem. Fateor tamen, quia ea lintea magis remotè ad celebrationem concurrunt, poſſe aliquam deſumi diſparitatem, ob quam adiuncta auctoritate extrinſeca oppoſitum ſentientium, poſſet in caſu neceſſitatis excuſari ille qui ſupponeret lintea non benedicta. A fortiori autem dicendum, debere ipſum corporale benedici, vti & pallam, qua calix regitur; in cuius tamen defectu ſufficit corporale, ſi tam magnum ſit, vt & hoſtiam & calicem retinere, & ſimul eleuari ad tegendum ipſum calicem poſſit. 8 *Tria lintea.* *Benedicta.*

Requiruntur præterea duæ candelæ ceteæ; ſæpè tamen vidi celebrare cum vna; & ita audio in multis partibus vſu receptum. In caſu autem neceſſitatis iudicant multi apud Dianum, quibus ipſe ſubſcribit, ſufficere aliud lumen ſecluſo ſcandalo; quia illa materia cum ſit valdè remota ad Sacrificium, & ſolùm videatur requiri ratione ipſius luminis, non debet iudicari adeò grauiter id ab Eccleſia præceptum, vt ſit mortale, ſi oleum aut ſeuum in neceſſitate ponamus loco ceræ. Non declarant autem Auctores quid intelligant hîc nomine neceſſitatis, an præcisè quòd non ſit aliud lumen, an quòd aut infirmus debeat accipere Viaticum, aut alia ſint neceſſitas extrinſeca celebrandi. Ego tamen (ſecluſo ſemper ſcandalo) ob rationem paulò antè inſinuatam omnino putarem non requiri aliam extrinſecam neceſſitatem, ſed deuotionem Sacerdotis ad id ſufficere. 9 *Duæ candelæ ceteæ.*

Præterea requiritur Miſſale, non tamen ita eſſentialiter, vt ſi quis firmiter teneat memoria Sacrum, non poſſit ſine illo celebrare, quidquid aliqui in contrarium dicant. Certè ego noui vnum Religioſum ſenem, qui ob viſus defectum, etiamſi ante ſe materialiter haberet Miſſale, tamen illud non legebat, ſed memoriter celebrabat; nec vllus ea in re apprehendit aliquem ſcrupulum. Dixi materialiter ante ſe tenuiſſe Miſſa- *Miſſale.*

les;

Digitized by Google

le;quia ſi in illo non poterat legere , profectò valde per accidens ibi illud ponebatur, niſi propter ſcandalum vitandum apud audientes.

Crux.

De cruce eſt etiam aliqua difficultas; requiriturquidē illa in Miſſali,Vaſquez verò & Suarez putant non ſub graui obligatione;quia non omnia,quæ in Rubricis Miſſalis ſunt, obligant ſub mortali;multò autem minùs obligabit, quando eſt in Altari Venerabile. In hoc tamen puncto non cenſeo magnam faciendam difficultatem, quia ſi videtur omnino neceſſaria ea crux, facilè erit inuenire duo aliqua lignella, ex quibus formari poſſit,& cùm non indigeat vlla alia benedictione,facillimè adhiberi poteſt remedium.

SECTIO III.

De calice & patena.

Materia calicis.

10 IMMEDIATE autem pro ipſo Sacrificio requiritur neceſſariò calix & patena, vtrumque conſecratum ab Epiſcopo. Circa quod Primò quæritur,Quæ debeat eſſe materia calicis. Rubricæ Miſſalis dicunt debere eſſe ex auro vel argento, vel ſaltem cuppam calicis ex argento inauratam; Theologi tamen communiter dicunt poſſe eſſe ex ſtanno, non autem ex aliis materiis : Lugo verò dicit contrariam experientiam eſſe certam; Romæ enim ſunt multi calices ex cupro inaurato ; ex ſtanno autem nullus;miraturque eam experientiam non eſſe notatam.

D. Thomæ teſtimonium.

Ego tamen video Diuum Thomam ea quæſtione 83. ad 6. omnino ſupponere vt certam eam communem doctrinam ; ait enim : *Vltimò tandem ſtatutum eſt , vt calix & patena fiant ſiue ex auro , ſiue ex argento , ſiue ex ſtanno, ex ære autem & auricbalco non poſſe fieri* , rationemque addit,quia hæc patiuntur æruginem, & cauſant nauſeam. Æs autem ibi,vt diſtinguitur ab aurichalco,puto à D. Thoma cuprum intelligi. Et ſanè cùm æs dicatur ſpecies metalli ad rubeum colorem accedens , non ſcio aliud eſſe quàm cuprum. A tempore autem D. Thomæ non ſcio nouum ab Eccleſia in hoc puncto mandatum prodiiſſe, quo cuprum præponatur ſtanno. Et ſanè homines ordinariiſſimè vtuntur poculis,ſeu canthatis & calicibus ad bibendum ex ſtanno,at cupreis nunquam;cur ergo Eccleſia reieciſſet communem materiam calicum , & admiſiſſet eam quæ extra hoc Sacrificium nuſquam eſt in vſu ad bibendum ? Ego calicem habentem pedem cupreum inauratum vidi frequenter,cuppam autem cupream nunquam;ſtanneam verò & vidi , & in ea celebraui , quia eo loco omnes in ea celebrabant. Fortè Romæ ea conſuetudo quaſi contraria ex ſpeciali indulgentia Pontificum permiſſa eſt , quæ extra Romam non habet locum:ideò fortaſſe non eſt mirum eam non eſſe à Recentioribus notatam.

De deauratione.

11 Secundò circa eam materiam quæritur , An ſub obligatione graui ſit , quòd cuppa & patena ſint inaurata ? Probabile eſt non obligare : ita multi ſentiunt.

Tertiò quæritur,An poſſit cuppa eſſe ex argento,pes verò ex cupro.Pater Suarez dicit ſe nihil inuenire in Iure circa hoc;probabile verò eſſe id licere. Verùm ipſæ Miſſalis Rubricæ,quæ ſunt optimum ius,id expreſsè permittunt,dum dicunt, *Saltem cuppa ex argento*.

Quando amittat calix conſecrationem.

Quæritur , Vtrùm ſi pes frangatur , amittat conſecrationem?Communiter reſpondetur, Omnino amittere ; quia reuerà totus calix benedicitur per modum vnius; fracto autem pede cùm inutilis maneat ad Sacrificium,cenſetur eo ipſo amiſiſſe conſecrationem.

Dices : Poteſt iterùm pes coniungi.Reſpondeo , Hinc probari potuiſſe Eccleſiam eſſe contentam ea conſecratione & reunione,pedis;addo tamen eam voluiſſe vt denuò conſecraretur, quod à potiori ferè conſtat ex dictis circa Altare , quod ex ſola ablatione pedis perdit conſecrationem: certum eſt autem magis per modum vnius conſecrari totum calicem, quàm inferiorem partem Altaris cum ſuperiori menſa.

Replicabis: Si calix ſit tornatilis,non amittit conſecrationem per ablationem pedis ; ergo neque alij.Nego conſequentiam,Primò,quia fortè interuenit Eccleſiæ ſpecialis voluntas circa calicem tornatilem, de qua ex vſu ipſo conſtat. Secundò , quia moraliter calix tornatilis manet idem etiam ablato pede,nec indiget nouo labore artificis; ſecùs quando frangitur. Vnde obiter dicendum eſt, Eodem modo ſi alba, ſi caſula fiat artificiosè diſſolubilis, ac iterùm aptabilis vel per fibulas vel per condilos , ſemper retenturam benedictionem; quia in ordine ad moralem æſtimationem tunc nec iudicatur lacerata, nec deſtructa,nec mutata.

Vtrùm tornatiles calicum pedes permutari poſſint.

Rogabis:Quid ſi tunc duo calices tornatiles 12 ambo conſecrati,dum poſteà remouentur à ſuis pedibus , ita permutentur , vt qui erat pes vnius detur alteri,adhúcne cenſebitur vterque conſecratus ? etenim eo caſu neuter manet idem qui fuerat anteà ; & conſecratio vnius non cenſetur tranſire ad alium;ergo.De hoc caſu nihil dicunt Auctores ; poteſt tamen ſæpè contingere.Ego primùm reſpondeo,Satis probabiliter poſſe admitti, neutrum fore tunc conſecratum , ad eum modum quo ſuprà agentes de Sacrificio diſcurrunt multi,ſi Sacerdos non ſumat de eis numerò hoſtiis , quas ipſe tunc conſecrauit , etiamſi ſumat de aliis alio tempore conſecratis , non poſſe dici abſoluiſſe perfectè Sacrificium ; quia licet ambæ illæ hoſtiæ moraliter iudicentur vna in ordine ad retinendum Chriſtum ; in ordine tamen ad Sacrificium cenſentur valdè diſtinctæ, quia quæ ab alio conſecratur,connexionem non habet cum actione ſacrificatiua hodierna. Idem omnino videtur in præſenti dicendum, nam pes vnius calicis heri benedictus non videtur connecti cum cuppa alterius calicis hodie benedicti, ergo ſi coniungantur non retinebunt benedictionem. Nihilominùs tamen probabilius iudico adhuc eam retenturos , quia cùm illæ partes etiam ſeparatæ retineant conſecrationem, per accidens omnino videtur , quòd mutentur vtriuſque pedes , quia licet phyſicè non maneat idem numero calix,manet tamen moraliter.

Inſtantia de Sacrificio non vrget,quia ibi præceptum eſt expreſſum ſumendi de eadem numero hoſtia , quam ipſemet Sacerdos obtulit, in noſtro autem caſu nihil ſimile habemus, vnde liceat colligere illam coniunctionem non ſufficere.

Replicas.

Replicabis , Quid ſi contingat in eadem omnino forma vnum alium habere pedem cupreum , alterum verò argenteum , & vtrumque eſſe benedictum, profectò ſi loco pedis argentei ponatur cupreus,non poteſt dici quòd tunc maneat idem calix etiam moraliter,ergo non retinebit conſecrationem. Reſpondeo, Licet quoad pretium & alias æſtimationes morales non ma- 13

Solutio.

beat idem; in ordine tamen ad Miſſam eumdem eſſe, quia quoad conſecrationem non eſt varietas, & perinde tunc Sacerdos ille celebrabit in calice conſecrato, ac ſi accepiſſet alteram cuppam argenteam, quæ cum hoc pede conſecrata fuerat.

Ad conſecrationem calicis non ſufficit in eo celebrari.

Quintò quæritur, Vtrùm ſufficiat pro conſecratione calicis, quòd aliquis bona fide in eo celebret? Auila apud Lugo ſupra affirmat. Contrarium tamen eſt omnino certum; quia cùm res pendeat ab Eccleſiæ voluntate, & nullum penitus fundamentum ſit, ex quo colligere apparenter poſſimus Eccleſiam eſſe contentam ea celebratione loco conſecrationis, procul dubio id dicitur improbabiliter.

Vtrùm amiſſa inauratione pereat conſecratio, & redeat?

Sextò dubitatur, Vtrùm calix, qui inauratus conſecratus eſt, amittat conſecrationem per hoc, quòd inaurationem perdat, aut quando è contrario acquirit nouam? Suarez ſuprà ſect. 3. §. *Alij autem.* Vaſquez & alij plures, quos citat Diana 1. Tomo, Tractatu Miſcellan. reſolutione 3. cenſent per detritionem auri non amitti conſecrationem; quia non ſola ſuperficies fuerat conſecrata, ſed totus calix: at ſi de nouo inauretur, eo ipſo egere noua conſecratione, quia illa inauratio eſt per modum vaſculi noui tenuiſſimi impoſiti intra cuppam, quódque immediatè contingit Chriſti ſanguinem; ergo indiget noua conſecratione. Cardinalis Lugo, ſecutus Coninck, Laymannum & Dianam, putat non eſſe tunc opus noua conſecratione, quia reuerà etiam tunc manet idem calix qui fuerat priùs, ad celebrandum autem non requiritur, niſi vt calix ſit conſecratus, vti ſi corporali benedicto, addatur vna parua particula, qua reficiatur, ea etiam manet benedicta, & ſufficiens vt ſupra illam poſſit poni hoſtia; item ſi muri Eccleſiæ conſecratæ rurſum dealbentur, non perit conſecratio. Ad inſtantiam verò de ſubtiliſſimo vaſculo impoſito in cuppam reſpondent, Diſparitatem eſſe magnam, quia ibi ſemper manet nouum vaſculum; ſunt ergo ibi duo diſtincta vaſcula, vnum benedictum, alterum non; at inauratio facit vnum idémque vaſculum cum præcedenti.

14 *Vtraque ſententia probabilis.*

Vtraque ſententia eſt probabilis valdè, & in praxi, propter immediatè dicta, poteſt quis ſine vllo ſcrupulo ſe accommodare huic ſecundæ: attendendo tamen ad principia quaſi intrinſeca probabilior mihi videtur ſententia Suarij & Vaſquez: quidquid enim in contrarium adducitur ferè erat iam à Suario ſolutum. Dico ergo, Verum quidem eſſe, illam inaurationem facere vnum calicem cum præcedenti in ordine quaſi ad politicos vſus, in ordine tamen ad celebrationem moraliter eſſe perinde ac ſi Deus eam inaurationem conſeruaret ſine vnione, & in ea ſubtilitate ſeparabilem; quo caſu ſine dubio non ſufficeret, ergo neque nunc; quia reliqua pars cuppæ nunc ratione vnionis cum auro non aliter concurrit ad ſuſtentandum Chriſtum quàm tunc concurreret.

Inſtantia de corporali non eſt ad rem, quia ibi ſupponuntur per ſe manere artes priùs conſecratæ ſufficientiſſimæ ad recipiendam hoſtiam; quòd autem caſu in eo particula noua aliquando etiam ponatur, eſt per accidens; at in inauratione ex integro quidquid priùs erat conſecratum manet iam incapax attingendi ſanguinem; qui totus quantus debet per ſe in ea noua ſuperficie recipi, quid ergo mirum ſi hîc requiratur conſecratio, ibi verò non?

Illa item inſtantia parietem templi non vrget, quia cùm in illis non celebretur, non eis nocet noua inalbatio: illi enim parietes maximè conſecrantur vt includentes locum, in quo celebrandum eſt, ad id autem per accidens ſe habet ea incruſtatura.

Imò hinc ego retorqueo argumentum: Nam etiamſi omnes parietes ex integro tegantur aſſeribus, imò etiamſi de nouo eis addatur ex marmore noua & ſatis craſſa ſuperficies, adhuc retinent totam conſecrationem, poteſtque tunc celebrari in eo templo haud aliter quàm priùs; tamen certiſſimū eſt, ſi calici ex ſubtiliſſimo aſſere aut marmore tenuiſſimum vaſculum vniretur intus, eo modo quo marmora vniuntur muro, fore vt nullo prorſus modo poſſet celebrari in eo calice, niſi rurſus auferretur illa ſuperficies aut vaſculum; ergo inſtantia templi potiùs eſt contra hos Auctores. 15

Obiectio:

Verùm adhuc obiicies, Ergo etiam quando à contrario deperditur inauratio, ceſſabit etiam conſecratio, quia ceſſat illa ſuperficies quæ immediatè tangebat ſanguinem Chriſti. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt facillima, quia quando eſt benedictus calix, non ſola illa ſuperficies exterior eſt benedicta, ſed totus calix; ac proinde ſemper ea ſuperficies, quæ in calice remanet, eſt benedicta: & quoad hoc eadem eſt difficultas, eſto calix non ſit inauratus; nam etiam attritione ipſa poteſt amittere exteriorem ſuperficiem argenteam, vel, ſi ſit totus aureus, exteriorem auream; & tamen nemo tunc aſſerit amitti conſecrationem; ergo neque eam amittet deficiente inauratione: cuius ratio non poteſt eſſe alia quàm allata, quòd ſcilicet totus calix ſit conſecratus. At quando additur inauratio, additur illa ſuperficies quæ non eſt conſecrata, ſupra quam immediatè recipitur Chriſti ſanguis; ideóque non mirum ſi noua indigeat conſecratione.

Solutio.

Ciborio ſufficit benedictio.

Sexto quæritur, Vtrùm ciborium, in quo ſeruantur hoſtiæ, debeat eſſe etiam conſecratum? Miſſalis quidem Rubricæ requirere id videntur, dum dicunt hoſtias conſecratas pro populo debere collocari aut ſupra corporale, aut ſupra aliud vas conſecratum; nihilominùs tamen ſufficit ex vſu communi, ſi ſit benedictum. Neque eſt neceſſum (prout Pater Vaſquez putat) intra illud eſſe aliquod quaſi vaſculum ex ligno, quod ſimul cum corporali ſit benedictum, id enim nullibi, quantum ego vidi, eſt in vſu; fortaſſe Compluti ita ſit, & inde (vt benè notauit Lugo) intulit Vaſquez eſſe neceſſarium.

SECTIO IV.

De veſtibus Sacerdotis.

Requiruntur etiam pro Sacerdote ſex veſtes, Amictus ſeu Humerale, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta. Circa quæ duo moueri poſſunt dubia: vnum, An ſit mortale ſine aliqua ex his veſtibus celebrare? alterum; An earum benedictio ſit neceſſaria ad non peccandum grauiter? Pater Suarez diſp. 82. ſect. 3. vt certum ſupponit, in hoc puncto non eſſe paruitatem materiæ, ac proinde ſi non adſint omnes illæ veſtes, & quidem benedictæ, eſſe mortale; aitque ita ab omnibus ſentiri. 16

An detur paruitas materiæ in hoc puncto.

Nihilominùs Diana 1. Tomo, Tractatu de Celebratione Miſſæ, reſolutione 37. aliquos refert

Digitized by Google

fert pro ſententia aſſerente, licere celebrare ſine vna aut altera ex leuioribus veſtibus benedictis: id quod Cardinalis Lugo non reiicit; & verò ſi quoad defectum benedictionis res conſideretur, videtur planè leuis materia: cur enim ex defectu vnius orationis, quæ ſupra planetam v. g. dicitur à Patre noſtro Rectore, debet eſſet mortale celebrare in ea planeta non benedicta? In cingulo autem id amplius vrgetur, quia illud non videtur eſſe quaſi per ſe & directè intentum, ſed purè putè ad aptandam albam: vnde multò minùs videtur in eo tanti eſſe momenti ea benedictio, vt non ſit paruitas materiæ eo non benedictio celebrare. Denique in præſenti, vti ſuprà dixi agens de ieiunio prærequiſito, nihil probabimus, niſi recurramus ad eam rationem quam ego ibi tetigi, vt non ſit declarandum hoc peccatum graue ex eo, quòd ſit directè contra præceptum Eccleſiæ; quia eo ſenſu planè videtur eſſe paruitas materiæ; ſed quia Eccleſia, ad quam ſpectat dare licentiam adminiſtrandi Sacramenta, maximè autem conficiendi hoc Sacrificium Altaris, eam non det ſub conditione ieiunij, & ſub conditione, quòd hæ veſtes ſint benedictæ. Item quòd in conditionibus, ſub quibus datur aliqua licentia, non ſit attendendum, vtrùm illæ graues ſint néne, ſed quòd dans facultatem noluerit niſi dependenter ab eis eam concedere: vti ſi Superior non daret mihi licentiam accipiendi aliquid ab alio niſi præmiſſa priùs actione leui, certè ſi ea non præmiſſa acciperem illam rem grauem, peccarem grauiter, non directè ratione omiſſionis, ſed quia ex huius defectu carui licentia: & ita peccaui grauiter contra votum paupertatis. Idem eodem omnino modo dici debet in præſenti, ſi velimus admittere peccatum graue in cuiuſque ex his veſtibus omiſſione, vti in ieiunio admiſimus, id purè prouenire ex eo quòd licentiam celebrandi non det Eccleſia niſi ſub eis conditionibus, ſiue hæ graues ſint, ſiue leues.

Examinatur grauitas præcepti.

17 Puto tamen longè eſſe probabilius in veſtibus, maximè in his quæ videntur minoris momenti, ſcilicet in cingulo humerali, non voluiſſe Eccleſiam cum rigore tanto obligare; ac proinde ſecluſo ſcandalo non eſſe mortale in eis non benedictis celebrare.

Concluditur, dari paruitatem materiæ.

Rogabis, An ſine noua benedictione ex alba antiqua poſſit fieri humerale: cùm enim eadem pro vtroque ſit benedictio, iam ſufficienter cenſetur benedicta alba, vt poſſit humerale fieri, vti communiter dicunt poſſe ex ſtola fieri cingulum. Putarem probabiliter poſſe affirmatiuè reſponderi.

An ex alba fieri poſſit humerale.

Dices: Alba, ſi abſcindantur manicæ, eo ipſo amittit conſecrationem; ergo à fortiori eam amittet, ſi fiat ex ea humerale: longe enim hæc maior eſt mutatio quàm illa. Reſpondeo, Cùm humerale nullam ſpecialem formam requirat, ſed tantùm ſit vna pars illius albæ benedictæ, poſſe retinere adhuc benedictionem, non minùs quàm ſi longum cingulum benedictum diuidatur in duo, aut vna ſtola breuis fiat manipulus. At alba ablatis manicis non retinet formam albæ, nec alterius veſtis ſacræ, quid ergo mirum ſi ſtatim amittat benedictionem? Vnde conſequenter dicendum videtur, Si ablatis manicis tunc primò formetur humerale, non valituram illam benedictionem, quia iam illa alba deſierat eſſe benedicta, ſecùs ſi antequam benedictionem amitteret, acciperetur pars eius pro amictu. Nihilominùs tamen abſolutè dicendum eſt id non ſufficere, quia eſto benedictiones ſint planè communes pro omnibus veſtibus ſacris, intentio tamen benedicentis nec eſt nec poteſt eſſe ex præſcripto Eccleſiæ benedicendi materiam illam paramentorum ſecundùm ſe, ſed albam, caſulam, &c. quando ergo pars illius materiæ deſinit habere formam, ſub qua eſt benedicta, amittit eo ipſo benedictionem, etiamſi nouum artificium non requirat pro faciendo eo humerali: vti ſi ex caſula ad longum abſcinderetur vna pars in latitudinem ſtolæ, ſine dubio non ſeruaret benedictionem, quia ea pars fuerat benedicta, non vt erat talis tela, talis materia, ſed vt erat pars caſulæ; cùm primùm ergo deſinit eſſe pars, deſinit eſſe benedicta.

Neque inſtantia allata de ſtola, quæ poteſt eſſe loco manipuli, quidquam iuuat; nam eo caſu cùm retineat totam formam ſuam, retinet ſuam benedictionem; ergo etiam eo caſu, ſi ſtola eſt apta ad vſum cinguli, rectè dicitur Sacerdos ille cinctus re benedicta, & benedictionem retinente, ſecùs in eo altero caſu, propter immediatè dicta. 18

Circa calceos eſt etiam difficultas quædam; nam aliqui putant eſſe præceptum graue de illis habendis, immeritò tamen, quia cùm illi non niſi propter decentiam requirantur, in primis non videntur neceſſarij, vbi ſolitariè celebraret cum ſocio, v. g. Capucinus miniſtrante Capucino. Deinde illa quæ fortaſſis poſſet eſſe indecentia, iam alioquin eſt vſu ſuperata, quia non ſcandalizatur vllus videndo etiam in ipſo templo Religioſos diſcalceatos, non eſt ergo credibile Eccleſiam eo rigore voluiſſe ibi obligare.

De calceorũ neceſſitate ad celebrandum.

Eſt etiam Rubrica de non tegendo capite, quam ait Cardinalis Lugo à multis communiter dici grauem; quid tamen ipſe ſentiat, non declarat ibi, videtur quidem Eccleſia ſatis grauiter id velle præcipere, quandoquidem diſpenſationem reſeruat Summo Pontifici, vt ex Miſſali ab Vrbano VIII. reformato conſtat. Vnde ego etiam propendeo in eam ſententiam. Nec eſt difficile rationem reddere, quia cùm ex acceptione hominum magna iudicetur irreuerentia, ſi quis coram Rege & Principibus loquatur non detecto capite; in Sacrificio autem Miſſæ loquatur Sacerdos cum Deo immediatè, erit ſine dubio indecentia grauis tecto capite id facere.

De capite non tegendo.

Dices, Id debere intelligi de proprio operimento, non de pileolo paruo, quod non reputatur iam ex vſu per modum operimenti, ſed potiùs defenſionis contra frigus & humorem auræ, qui perinde non ſolet deponi etiam dum ſe ſalutant graues viri. Reſpondeo, Sine dubio eſſe ex hoc capite magnam inter duo ea operimenta differentiam: vnde addendum eſt, ſi locus ſit talis, vbi grauis ſit aura & valdè nociua capiti, ideóque eiuſmodi operimentum in ea neceſſitate vſurpetur, non putarem eſſe peccatum, vt multi docent apud Lugo ſuprà num. 101. qui tamen addunt, ſi fieri poſſit, petendam ab Epiſcopo licentiam. Vbi aduerte, quando in Miſſali reſeruatur Summo Pontifici concedere licentiam, intelligi de generali licentia, quæque etiam non pendeat ab ea neceſſitate, vti eam habent Cardinales vſque ad Offertorium, vtendi pileolis. 19

Quid per operimentum intelligatur.

Aduerto etiam, in Polonia, ob frigora ingentia, in conſuetudine eſſe caput habere tectum vſque ad Offertorium. Neque enim cenſendum eſt Deum malle omitti tale Sacrificium tam neceſſarium, aut quòd grauiter Sacerdotes de ſalute peri

Digitized by Google

periclitentur, quàm quòd habeant tecta capita, cùm hoc ipſum, quod extra neceſſitatem eſſet irreuerentia, deſinat eſſe talis in ſimilibus caſibus.

SECTIO IV.

Cætera quæ ad celebrationem ſpectant.

10 *An Miniſter ſit neceſſarius.* PRIMVM eſt circa Miniſtrum; An ſcilicet ſit graue peccatum ſine illo celebrare: item, An fœmina poſſit eius defectum ſupplere? In quo variæ ſunt opiniones. In primis ego dico, Si adſit qui Sacerdoti ablutionem porrigat, eſto non ſciat reſpondere, facilè poſſe concedi Sacerdoti vt celebret ſine alio Miniſtro; quia Sacerdos ipſe poterit ſibi reſpondere, vti reſpondere ſibi dum dicit Officium diuinum.

An fœmina poſſit eſſe. Secundò dico, Melius fortè eſſe in caſu neceſſitatis celebrare ſine vllo Miniſtro, quàm admittere fœminam; ita Suarez, quem ſequitur Lugo; quia in Iure magis prohibetur ne miniſtret fœmina, quàm ne ſine Miniſtro celebretur. Et verè ſuppoſitis iis quæ paulò ante diximus, quòd non ſit multum poſitum in eo, quòd ſibi reſpondeat Sacerdos, ſolùm reſtat aliqua difficultas, ſi non adſit Miniſter, in ſumenda ablutione & purificatione digitorum; non enim videtur ſibi commodè poſſe Sacerdos ibi miniſtrare; ea tamen non eſt tanta, vt in neceſſitate ſuppleri non poſſit. Quòd autem femina ad Altare accedat, & Sacerdoti miniſtret, eſt valdè indecens, & periculoſum fortaſſe. Dixi *quòd accedat ad Altare*, nam in eo quòd reſpondeat non eſt difficultas; etenim de facto in Choro reſpondent Moniales in cantato Sacro. Vbi benè notat Lugo contra Vaſquez, non eſſe inconueniens fœminam dicere Sacerdoti *Miſereatur tui*, neque è contrario, quòd ei Sacerdos dicat *Orate fratres*, &c. Nam quando Sacerdos ſe vertit ad populum, & dicit *Dominus vobiſcum* & *Orate fratres*, non ſolùm loquitur cum viris, ſed cum omnibus qui ſunt in templo: & eodem modo reſpondent Moniales. *Et cum ſpiritu tuo*; quòd autem reſpondeant cantando, vel alio modo, eſt per accidens ad punctum præſens, &c. Ex hoc ergo capite nulla eſt difficultas.

Vltimò denique dico abſolutè, In caſu neceſſitatis poſſe quem celebrare ſine Miniſtro: ita multi, quos ſequitur Diana Tractatu de Celebratione Miſſarum, reſolutione 43. 11

De Miſſis votiuis. Poſt hæc, quæ in communi ſunt per ſe neceſſaria ad Sacrum, poſſunt Secundò moueri aliquæ difficultates circa ipſas partes Miſſæ, & circa Rubricas, An ſit mortale facere Sacrum votiuum pro Defunctis die Feſti Duplicis? Secundò, An ſit mortale omittere orationes, quæ dici ſolent dum ſe Sacerdos induit? Non deſunt qui affirment ea duo eſſe mortalia: verùm hi videntur in omnibus rebus velle inueniri mortale; nec ſcio vnde ibi probent Eccleſiam hæc ſub mortali prohibere, & materiam adeò eſſe grauem, vt ſit capax mortalis; maximè in illis orationibus, quæ etiam ſimul ſumptæ non faciunt bis Pater & Aue: qui autem hanc dicat eſſe materiam grauem, vt ſi omittatur, eo ipſo homo ſit perpetuò damnandus?

De Gloria & Credo. Tertiò, An omittere *Gloria* vel *Credo* ſit mortale? Reſpondeo, Non eſſe, quia eſt materia leuis, & quæ alioquin in multis Sacris omittitur ſine peccato. Omiſſionem tamen Euangelij vel Epiſtolæ non excuſat Suarez à peccato graui diſp. 83. ſect. 3. quia dicit eſſe partes præcipuas corporis heterogenei. Ego tamen puto etiam hoc eſſe ſatis rigidum; quia aliquando Epiſtola aut Euangelium eſt quatuor vel ſex linearum, quæ ſecluſo ſcandalo non videtur eſſe materia grauis, cùm ad rationem Sacrificij ſatis remotè pertineat. Vti in Canone ipſo, qui tamen magis mediatè pertinet ad Sacrificium, iudicat, & quidem benè, idem Suarez poſſe eſſe paruitatem materiæ contra aliquos, qui valdè ſcrupuloſè dicunt, Omittere vel vnicum verbum eſſe mortale.

Dico *valdè ſcrupuloſè*, nam cur debet eſſe materia grauis omittere nomen vnius aut alterius Martyris vel Apoſtoli? Hoc quidem ego addiderim, hos caſus non eſſe valdè vtiles ad praxim; quia vix eſt mortale eas res omitti omnino aduertenter (vti neceſſarium eſt, ſi debet culpa grauis intercedere;) quòd ſi id fiat ex aliquo contemptu, eo ipſo difficulter liberabitur à mortali.

DISPVTAT. QVINQVAGESIMASEXTA.

De ſtipendio pro celebratione Sacri.

1 IAM agendum de ſtipendo pro Miſſa. In quo puncto quæri poteſt, Quomodo id excuſetur à ſimonia? De hac re agit Suarez Tomo 1. de Religione, lib. 4. de Simonia cap. 2. & Thomas Sanchez Tomo 2. Conciliorum lib. 2. c. 3. & Lugo hîc diſp. 21. ſect. 1. Circa quod duo ſunt præcipua dubia; vnum, Quo titulo poſſit ſtipendium accipi ſine vlla ſimoniæ ſpecie? alterum, Quantum liceat accipere?

SECTIO I.

Diſcutitur primum dubium de titulo ſtipendij.

CIRCA primum variæ fuere opiniones, quæ fusè apud citatos referuntur, & impugnantur; breuiſſimè illas tangemus; ſupponitur autem vt omnino certum Sacerdotes poſſe à fidelibus accipere ſtipendium ſui laboris: id quod Paulus Apoſtolus c. 9. primæ ad Corinth. probat ex propoſito; colligiturque ex Chriſto Domino Matt. 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.*

SVBSECTIO I.

Proponuntur variæ ſententiæ.

2 AD difficultatem ergo circa titulum aliqui dixerunt, Ex obedientia illud dari, iuxta illud Pauli eo cap. 9. *Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Reiicitur tamen hoc, quia Paulus antecedenter ad omne præceptum docet, quaſi ex natura rei eſſe eam obligationem. Secundò, quia titulus obedientiæ non obligat ad reſtitutionem.

Prima ſententia reiicitur à Lugo.

Ita

Digitized by Google

Ita Lugo. Hoc tamen argumentum mihi non placet; nam licet in rebus, quæ conſiſtunt in actione pro tempore aliquo determinato exercenda, non obliget obedientia, tranſacta ea occaſione v. g. ſi mandatur, vt audiam Sacrum hodie,ſine dubio, ſi hodie negligo, non me illud præceptum ampliùs obligabit, quando tamen tempus non eſt præſcriptum, & poteſt ea numero actio, quæ eſt præcepta, adhuc fieri, ſemper obligabit illud præceptum. Id quod in præſenti clare patet; nam ſi ſit præceptum dandi mihi ſtipendium pro Sacro, certè illud præceptum non dicit, *Da Roderico ſtipendium ipſo puncto quo celebrat*;ſed, *Ob celebrationem debes illi hoc dare ſiue hodie,ſiue cras*,&c. hoc autem præceptum ſemper obligat; vti ſi Superior dicat mihi: *Mando tibi vt des Petro pallium*, profectò eſto hodie non dem,debeo dare cras: ac denique ea obedientia obligabit me ſemper;quia cùm ea datio non ſit alligata ad tempus,ſemper eſt factibilis prout eſt mandata. Melius poteſt Secundò reiici ea ſententia, quia ſi ea obligatio ſolùm eſſet ex obedientia, non haberet ius ipſe Sacerdos ad petendam pecuniam; quia eſto ſit obligatus ex alia virtute ille qui de ſtipendio conuenit mecum; quia tamen obedientia illa mihi non dat ius,ego non poſſem eam petere;hoc autem eſt contra omnes;ergo.

3 *Secunda ſententia ſimiliter reiicitur.* Secundò alij dicunt,Non dari eam pecuniam in pretium ſed ſub conditione; vt ſi quis diceret, *Ego dabo tibi centum ſi ſaltaueris*,tunc pecunia non eſt pretium ſaltus,quia hic non valet centum; eſt tamen ſaltus ille conditio. Variè poteſt reiici ea ſententia. Sufficit,quòd ſi ea eſſet vera, nulla penitus vnquam eſſet ſimonia: ſemper enim dici poſſet;non dari pretium ob dignitatem Eccleſiaſticam,ob Ordines, &c. tanquam pretium, ſed ſub conditione; hoc autem dicere eſt planè deſtruere quidquid tota Eccleſia ſentit de Simoniacis.

Tertia ſententia impugnatur. Ideò alij Tertiò dicunt,Stipendium non dari ob Sacrum,ſed ob obligationem illud faciendi: quæ obligatio eſt vendibilis, quia eſt quædam ſubiectio. Verùm & hæc ſententia omnes ſimonias tollit de medio: darem enim ego Petro pecuniam vt me faceret Epiſcopum, dicerenque me non emiſſe Epiſcopatum, ſed obligationem Petri ad illum mihi dandum; quis autem non videat id eſſe abſurdiſſimum? Secundò, quia ſi mihi dicat Petrus, *Si pro me feceris Sacrum, dabo tibi pecuniam*, tunc Sacerdos ad nihil ſe obligat; ſed liberrimè anticipatò facit Sacrum, & poſteà petit ſtipendium pro illo,non pro obligatione,quæ nulla fuit. Ratio à priori contra illã ſententiam reiectis aliis argumentis, eſt; quia in rebus omnibus obligatio ſortitur rationem rei, ad quam eſt;ſi ſit obligatio ad rem ſpiritualem, iudicatur ſpiritualis,ſi ad corporalia corporalis,ſi ad infamiam infamis,&c. Vnde moraliter idem eſt vendere obligationem ac vendere rem illam;neque qui emit curat obligationem, ſed rem ad quam eſt obligatio.

4 *Quartam ſententiam impugnant Suarez, Sanchez & Lugo.* Quartò alij dicunt, Stipendium dari pro labore illo qui in ipſa celebratione reperitur;ſicut venditur calix conſecratus, non quia vendatur conſecratio, ſed aurum. Hanc ſententiam impugnat Suarez, Thomas Sanchez & Lugo;quia ille labor, qui reperitur in celebratione Miſſæ, non eſt dignus eo ſtipendio, eſt enim leuis: & ſaltem ſecluſo præcepto Eccleſiæ potuiſſet Miſſa abſolui vno quaſi momento conſecrando vtramque ſpeciem, eamque ſtatim ſumendo. Vnde ſicut ſi pro calice conſecrato daretur plus quàm calix ſecundùm ſe valeret, cenſeretur id dari pro conſecratione; ita in præſenti. Mihi tamen (vt verum fatear)non adeò diſplicet ea explicatio; neque puto eam ſufficienter ab his Auctoribus reiici;in primis enim labor ille etſi non ſit niſi vnius quadrantis,aut mediæ horæ, non debet ita accipi ac ſi eſſet labor vnius operarij, qui conducitur in foro ad laborandum in vinea, vel ad portandam calcem pro ædificio: ſi enim hoc modo acciperetur, ſine dubio ſtipendium illud eſſet valdè excedens;debet ergo accipi ſimul pro dignitate perſonæ:id quod moraliter valdè ſolet ponderari, nam ſi pro tuo ædificio, caſu quo non reperiretur ſimplex homo qui laboraret, vellet aliquis magni momenti vir ſuas operas locare; profectò longè plus deberet illi dari etiam pro iuſto ſtipendio,quàm ſi ſolueretur vni ſimplici baiulo. Cur ergo, ſecludendo omnem ſpeciem ſimoniæ, quandoquidem ille qui debet laborare eſt Sacerdos, & perſona inde maioris momenti,non poſſet dici eſſe ſtipendium iuſtum vnum regalem,ſiue decem cruciferos,aut decem baiacos? Quòd ſi aliqui plus ſolent dare, id faciunt,quia etiam attendunt ad perſonam ſuam remunerantem, voluntque eò magis alios allicere ad eam celebrationem. Quod dicebatur de calice non vrget; quia ibi aurum non fit in ordine ad venditionem pretioſius per conſecrationem, niſi hæc ipſa vendatur. At non vendito Sacrificio quà tali, iam oſtendi quomodo labor ille poſſit magis æſtimari non ob Sacrificiũ annexum,ſed ob meritum perſonæ. Quod item dicebatur de Sacro facto per ſolam conſecrationem & ſumptionem non vrget;quia conſequenter dicerent Auctores eius rationis, eo caſu non poſſe tale ſtipendium accipi, vel ſi liceret illud accipere,quærendam fore aliam tunc rationem. *Non ſufficienter.*

Dices adhuc, Etiam ille qui eſto non eſſet accepturus ſtipendium, celebraturus eſſet,poteſt tamen, ſi offeratur, accipere ſtipendium: ergo illud non accipit, pro labore. Reſpondeo negando conſequentiam, quia labor ille eſto pro mea libertate alioquin eſſet vſurpandus,non ideò non eſt dignus ſolutione. Et ſanè hæc obiectio habet vim ſuam,ſi quæ in ea eſt, contra omnes ferè ſententias.

Dices Secundò, Ergo ſi Sacerdos non offerat orationem & alia quæ in Sacro ſunt pro eo qui dat eleemoſynam, ſed ſolùm ei applicet Sacrificium,non ſatisfaciet. In primis ego facilè concedam ſequelam,neque video quid poſſit contra obiici vllius momenti. Secundò reſpondeo negando conſequentiam. Etenim cùm Sacerdos iam ex præcepto Eccleſiæ non poſſit conſecrare niſi totum Sacrum perficiat,& conſequenter niſi totum illum laborem ſubeat, meritò qui optat fructum Sacrificij, debet ſoluere laborem hîc & nunc neceſſarium ad illum. 5 *Obiectiones & replica ſoluuntur.*

Replicabis tamen è contrario: Si tunc non ſolueretur Sacerdoti niſi pro illo labore; ergo ſi illum ſubeat, eſto tamen Sacrum non applicet,adhuc merebitur ſtipendium, quia iam ponit totum id, propter quod hoc datur. Vti quia in calice non emitur conſecratio, ſed materia ſola, ſi poſſet auferri conſecratio ab illo calice, adhuc poſſet eodem omnino pretio vendi;hoc autem eſt abſurdum. Reſpondeo negando conſequentiam; quia licet non vendatur applicatio, ſed labor, hic tamen non venditur niſi dependenter

Digitized by Google

denter ab applicatione: vti quando emo calicem ſi ego dicam, Volo habere calicem conſecratum, & non alium, nullo modo mihi ſatisfaceret, qui dederit calicem etiam eiuſdem valoris cum conſecrato. Cuius ratio à priori eſt, quia etiam res, quæ in ſe non eſt vendibilis, poteſt exigi per modum conditionis, vt ſi ego dicam: Ita conuenio tecum, vt ſi Rex venerit cras, dabo tibi centum, tu verò mihi hunc equum, aut talem vel talem rem, certè ibi aduentus Regis non venditur; rei tamen venditio non ſubſiſtit niſi ſub ea conditione. Conſtet ergo eam ſolutionem habere ſuam probabilitatem.

SVBSECTIO II.

Communis ſolutio.

6 *Communis ſententia exemplo declaratur.* SIT tamen alia communis; quòd ſcilicet ſtipendium non detur vt pretium laboris ſeu Sacri quomodocumque accepti, ſed præcisè ob ſuſtentationem Miniſtri, ſeu Sacerdotis. Vt autem hæc duo diſtinguantur inter ſe, vtuntur Auctores, maximè Lugo ſuprà, variis exemplis, pictoris v. g. qui vouiſſet non vendere ſuas picturas, poſſet tamen non obſtante voto petere ſuſtentationem ab eo pro quo pingeret. Confirmat: Qui celebrat pro alio poteſt petere ab eo vinum, candelam, paramenta, quæ ſunt neceſſaria ad Miſſam, inter ea autem maximè eſt neceſſaria vita Sacerdotis; ergo poteſt exigere ea quibus ille indiget pro ſua ſuſtentatione. Hæc explicatio etſi plauſibilis ſit, habet tamen contra ſe ſat grauem difficultatem. Nam totum hoc (ſi res diligenter conſideretur) relabitur in venditionem Sacri; & ex ipſo exemplo pictoris videtur id confirmari. Etenim pictor ſi dum vouit ſuas picturas gratis dare, ſupponebat ſe aliunde habiturum pecuniam, qua ſuſtentaretur, profectò dum ſuſtentationem petiit, iam ſaltem inadæquatè illas vendit: ſi enim ſuſtentatio conſtat centum, & pictura valet ducentis, vendit picturam centum, & medio pretio minùs, vendit tamen, & ſanè nullus in eo caſu dicet, Hic pictor dat ſuas picturas gratis; ergo vendit, vt dixi, licet medio pretio minùs. Quòd ſi è contrario ſuſtentatio plus longè conſtet quàm valeat pictura; profectò nemo dicet tunc illam non vendi, & quidem longè cariùs quàm ſi in foro venderetur. *Impugnatur & vtrumque exemplū.* Cùm ergo (vt hi Auctores argumentantur ſuprà contra præcedentem explicationem) labor ille, qui in Miſſa repetitur, non tantum valeat quantum illa pecunia, profectò ſi hæc datur pro ſuſtentatione, intuitu tamen laboris, labor ille omnino venditur, & quidem cariùs quàm valeat. Vbi obſeruo, ſi vita non debuiſſet conſeruari ab homine, niſi vt celebraret, optimè poſſe dici hinc, id quod dandum foret pro vita, non dandum pro Sacro propriè. Et hinc apparet, quomodo ſine vlla prorſus ſpecie vendendi Sacrum poſſit peti vinum, cādelæ, &c. quia hæc omnia ego Celebrans non tenebar exponere, vnde optimo iure poſſum ea petere ab illo qui cupit me celebrare.

7 Imò eſto eſſem purus Angelus, qui pro me nulla re indigerem ad vitæ conſeruationem, & poſſem Sacrum celebrare, poſſem candelas, vinum, &c. petere ab eo pro quo celebrarem, pro ſuſtentatione tamen vitæ nihil poſſem tunc petere. Cùm ergo iam ſupponamur nos velle vitam noſtram conſeruare ſiue celebremus, ſiue non, & ſiue pro hoc, ſiue pro illo, ſiue etiam pro nobis ipſis celebremus, & offeramus Sacrum; profectò dum accipimus pecuniam, non eam pro ſuſtentatione vitæ, ſed pro Sacro ipſo accipere dicendi ſumus. Ex quo etiam capite apparet, aliam inſtantiam, de illo qui vocatur procul alium curaturus, quique optimo iure poteſt viaticum petere, non eſſe ad rem; quia eo caſu iter illud ego non tenebar alioquin facere, neque facturus eram, conſequenter neque ſumptus illos, ideò iure meritò poſſum exigere quidquid ad illud iter eſt neceſſarium. At vt vitam ſuſtentem, ad quam ſuſtentandam iam ego ſum obligatus, non videor poſſe id petere; ergo ſtipendium non accipio pro illa, ſed pro Sacro.

Reſpondebis, Poſſe quidem me teneri ad ſuſtentandam vitam, hoc eſt ad procuranda media pro ea ſuſtentatione, cùm ergo ratione Sacri omittam alia media quæ potuiſſem applicare, meritò ab illo, in cuius gratiam Sacrum facio, poſſum petere vt me ſuſtentet. Sed contrà, quia *Reſponſio reijcitur.* quidquid ſit de eo caſu conditionali; profectò ſi hîc & nunc ego me aliunde & ob alios fines ſuſtento, non potero petere pro ſuſtentatione offerendo Sacrum, niſi eo ipſo pro Sacro directè petam ſtipendium.

Vrgeri adhuc poteſt contra eam explicationem. Nam ſi ſub eo titulo, quòd vita eſt neceſſaria ad celebrandum, poſſum ego petere ſtipendium pro Sacro, adeóque omnem ſimoniæ effugio ſpeciem; profectò pari ratione dicere poſſumus, etiam licere dare pecuniam Epiſcopo vt concedat mihi beneficium Eccleſiaſticum; quia etiam illa dicetur concedi pro ſuſtentatione vitæ Epiſcopi. Nam etiam ille qui mihi concedit beneficium debet viuere, & ad conferendum illud prærequiritur vita: vti enim non poteſt ſine vita celebrare, ita neque ſine eadem poteſt mihi conferre beneficium; ergo ſi non recurratur ad hoc, quòd in vno caſu Sacrum eſt actio laborioſa, in altero verò collatio beneficij, nullo modo includit laborem; profectò idem debebit vtrobique dici. Imò cùm actio ipſa ſacrificandi habeat longè plus de ſpiritualitate quàm cuiuſcumque beneficij collatio, maior erit ſimonia pro Sacro accipere pecuniam, quàm pro beneficij collatione: & idem dico de aliis actionibus ſpiritualibus; vt de collatione Ordinum, ſecluſo enim labore, pro quo, vti pro Sacro, videtur poſſe peti ſtipendium (iuxta ſolutionem præcedentem) etiam poſſet peti pro ipſa voluntate, & pro ipſa gratia concedendi; quia etiam pro hac gratia prærequiritur vita. Vides hanc ſolutionem, quæ ab illis Auctoribus præfertur præcedenti, eſſe ea difficiliorem?

Vrgeo adhuc contra illam; Quia reuerà quantumuis eius Auctores dicant dari ſtipendium pro ſuſtentatione, re tamen ipſa id pro ſolo Sacro concedunt, vt Pater Suarez & alij; nam diſputantes, vtrùm, ſi illud ſtipendium non ſufficiat pro ſuſtentatione vitæ, ſit licitum accipere pro vno Sacro duo ſtipendia, vel certè vnum & medium, vt ſufficiat ad ſuſtentationem; reſpondent, Nequaquam id licere, quia id eſt per accidens, & debet pretium iuſtum taxari ſecundùm qualitatem miniſterij ita ſæpè docet idem Suarez diſput. 86. ſect. 2. 3. & 4. Vides ergo iam non attendi rationem ſuſtentationis, ſed valorem miniſterij ipſius; quod tamen hi volunt ſubterfugere. Et hîc maximè habet locum ea inſtantia pictoris, per quam hi declarant hanc 8 *Argumentū aliud contra eandem ſententiam.*

ratio

Digitized by Google

tationem; etenim ſi pictor ſuam operam gratis dat Petro, & quod ab eo accipit, eo ſolo titulo accipit, quòd vita ſit neceſſaria ad pingendum; profectò debet illi dare Petrus integram ſuſtentationem, debet illi dare colores omnes, denique omnia quibus indiget: ergo ſimiliter ſicut debet dare pro Sacro totum vinum, quod eſt neceſſarium, ita debet quæ ſunt neceſſaria ad vitam; quia etiam vita eſt neceſſaria ad celebrandum. Vbi aduerte me dicere, ei dandum quidquid eſt ad vitam neceſſarium, non eſt ſuperflua; vnde ſaltem deberet dari quod mediocris conditionis homines debent habere pro ſua ſuſtentatione, per ſe loquendo; quia hoc ſaltem videtur requirere illud principium, *Qui Altari ſeruit, de Altari viuat*: ergo per hanc explicationem non ſaluatur difficultas huius quæſtionis, vel certè reditur ad ſolutionem quam hi reiecerant.

SVBSECTIO III.

Quid probabilius reſponderi poßit?

9 FOrtaſſe ergo ex vtraque ſolutione poterit vna fieri, quæ vicumque ſatisfaciat. Dico ergo. Tunc intuitu actionis alicuius poſſe peti ſuſtentationem, quando illa actio & ſimul eſt laborioſa, & exigit tempus aliquod, quod in ipſam impendatur: etenim eò quòd tempus ex ſe occupet, eſt natura ſua impeditiua (vt ſic dicam) eius ſtipendij, ſeu pecuniæ, quam ego poſſem tunc aliter lucrari pro mea ſuſtentatione vitæ: non enim eſt rationi conſonum, vt ea actio me impediat quærere alibi quo ſuſtenter, & tamen nihil mihi liceat pro illa petere pro ſuſtentatione, eo planè modo, quo in conceſſione pecuniæ mutuo excuſamur ab vſura, ſi aliquid petamus; quia interim poteram ego ea pecunia aliquid lucrari; cui lucro ego cedo in bonum alterius. Secundò, quando ſimul actio habet aliquid de labore, poſſum ſimul pro ea aliquid petere, non vendendo tamen vllo modo ſpiritualitatem, quæ eſt in illa. Ex quo diſcurſu facilè expediemus difficultates ſuprà tactas & alias, quæ occurrere poſſint.

Quo titulo ſine ſimoniæ nota accipi aliquid poßit.

In primis quoad collationem beneficij Eccleſiaſtici facilè conſtat ex dictis diſparitas. Nam illa collatio neque eſt laborioſa, neque tempus occupat, ac proinde ſine nota ſimoniæ non poteſt quidquam pro illa offerri. Quoad collationem Ordinum dicimus, in rigore loquendo ſeu ex natura rei, Non magis eſſe ſimoniam pro iis conferendis ſtipendium petere quàm pro Sacro; quia & æquè abripiunt tempus, & æquè ſunt laborioſæ quàm Sacrum; de ſpiritualitate verò non plus habent quàm Sacrum, quia vtrumque eſt Sacramentum; Sacrum autem cùm ipſum Chriſtum realiter includat, plus habet de re ſpirituali & diuina. Nihilominùs tamen de facto non licere Epiſcopis quidquam petere, quia per ſe illis Eccleſia ſupponitur quæ neceſſaria ſunt pro victu, & pro ſolutione, vt ſic dicam, eius laboris prouidiſſe ſufficienter, ac proinde etiam illis prohibuit accipere quidquam pro illis.

10 *Obiectioni ſatisfit.* Hinc tamen grauis oritur difficultas; Ergo etiam non licebit Epiſcopo pro celebratione Sacri pecuniam illam accipere, cùm iam illi ſit prouiſum ab Eccleſia pro ſuſtentatione vitæ & labore, &c. Reſpondeo negando conſequentiam, quia non videtur Eccleſia hoc prohibuiſſe ſicut illud. In his autem rebus oportet etiam conſiderare Eccleſiæ prohibitionem. Vnde ſi Eccleſia voluiſſet vt Sacerdos, qui vel ex patrimonio vel ex beneficio Eccleſiaſtico poſſet ſe ſuſtentare, nihil poſſet accipere pro Miſſa, non dubium quin eo ipſo non poſſet licitè, eſt etiam alia diſparitas; quia Epiſcopus tenetur ordinare eos quos Eccleſia illi proponit vt idoneos; ac proinde non poteſt aliquid accipere, quia eſt actus officij. Vti Iudices ſæculares non poſſunt propriè pro ferenda ſententia quidquam accipere. At Sacrum non tenetur Epiſcopus celebrare quotidie, imò rarò per annum (iuxta ſuprà dicta) nec tenetur pro altero offerre, ſed poteſt pro ſe; ac proinde, vt inducatur ad illud celebrandum, iure poteſt ei proponi ſtipendium. Hæc tamen ſecunda diſparitas videtur tradi conſequenter ad ſolutionem illam, quæ pro ipſo labore Sacri dicit dari ſtipendium, non pro ſuſtentatione vitæ.

Secundò poſſet obiici: Ergo Sacerdoti habenti beneficium, & ratione illius etiam habenti obligationem celebrandi ſingulis diebus, eſto non habeat obligationem applicandi Sacrum pro vllo, non licebit accipere vllum ſtipendium, quia iam ille habet ſuſtentationem. Hoc autem videtur eſſe contra omnium ſententiam. *Alteri obiectioni reſpondetur iuxta duplicem ſententiam.* Duæ ſunt opiniones in hoc puncto: Vna, quæ omnino admittit conſequentiam illatam: ita Diana Tractatu de Celebratione Miſſæ, reſolutione 80. vbi pro ſe citat Gauantum & Barboſam; videtúrque eis fauere Declaratio Congregationis Concilij anno 1626. edita, vbi planè videtur decidi, talibus Sacerdotibus id non licere. Altera tamen ſententia aſſerit id licere: ita Suarez diſp. 86. ſect. 1. & 3. Vaſquez diſp. 234. cap. 6. Alphonſus de Leon, & alij multi, quos refert & ſequitur Diana mutata prima opinione Tomo 3. Reſolutionum moralium, quem vt proximè edendum citat Lugo ſuprà, qui etiam ibi eam ſententiam defendit vt probabiliorem. Ad declarationem autem Concilij dicunt eam præcisè intelligendam, quando non ſolùm Sacerdos tenetur celebrare Sacrum, ſed etiam determinatè illud offerre pro eo qui beneficium fundauit: Concilium enim vult declarare talem non ſatisfacere per vnum Sacrum duabus perſonis illud pro ſe petentibus, haud aliter quàm non poſſum à duobus duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipere. Ad rationem verò de ſuſtentatione reſpondet Lugo, Reditus beneficiorum non eſſe datos pro ſuſtẽtatione vitæ, ſed vt ille Sacerdos ſit obligatus antecedenter, vt tali loco & tempore paratus ſit ad celebrandum, quæ obligatio eſt pretio æſtimabilis.

Ego tamen non video quomodo hæc ſolutio defendi abſolutè poſſit, & quî cum iis, quæ hic Auctor priùs docuerat, benè cohæreat. Et in primis, quòd abſolutè non poſſit defendi, videtur clarum; nam ille qui fundauit beneficium illud, non dedit reditus ſolùm, vt alter tali loco & tempore eſſet paratus & obligatus, ſed vt celebraret re ipſa, poſſet enim alioquin ille ſatisfacere, ſi eo loco & tempore eſſet ad celebrandum paratus; & tamen re ipſa ex ſua pura libertate non celebraret; quia ſi pro ipſo Sacro non eſt datum ſtipendium, certè omiſſio Sacri non faciet illum incapacem fructuum beneficij, hoc autem dicere planè eſt abſurdum. 11 *Impugnatur ſolutio Lugo.*

Confirmo ex ipſo exemplo pictoris quo illi vtuntur. Nam ſi ego conueniam hoc pacto cum

pictore illo, quem dicunt hi non poſſe vendere ſuas picturas: *Ego habeo guſtum videndo te pingentem, ſiquidem vendere non potes, ego te ſuſtentabo domi hac conditione, vt apud me pingas, faciam tamen tibi adhuc iſtam gratiam, quòd picturas non accipiam pro me, ſed tibi illas relinquam.* Rogo, Poſſetne eo caſu talis pictor dans Ioanni illam picturam dicere, Ego non volo tibi illam vendere, quia nec mihi eſt liberum, peto tamen pro ea quod ad meam ſuſtentationem neceſſarium eſt? Profectò nemo prudens dicere poteſt, cum tunc non propriè vendere eas picturas, cùm iam directè habuerit omnia neceſſaria ad ſuſtentationem, & quidem eo animo & intentione vt pingeret; ergo quidquid vltra petit à Ioanne, eſt per modum pretii pro pictura, licet, vt dixi, fortè non eſſet pretium omnino æquale picturæ; & perinde id tunc eſſet, ac ſi à meipſo, qui eum ſuſtento, peteret duplicem ſuſtentationem, quo caſu certò venderet partialiter imagines: ergo idem erit dicendum in noſtro caſu; cùm enim ille Beneficiarius habeat iam quidquid neceſſum eſt ad ſuſtentationem vitæ datum ratione Miſſarum, iam habet quod Paulus

1.Cor 9. ei concedit, ſcilicet, *Vt qui Altari ſeruit, de Altari viuat*: ergo quidquid vltra hoc petit propter Sacra, iam non poteſt eſſe pro ſuſtentatione vitæ, ſed directè erit vendere Sacra.

12 *Solutio repugnat principiis Auctoris.* Iam oſtendo quod dixi, eam ſolutionem non cohærere cum principiis huius Auctoris, quia (vt ille dixit contra quoſdam, qui ferè eodem modo docuerunt ſtipendium accipi non pro ipſo Sacro, ſed pro obligatione ad celebrandum) ſi ponamus Capellaniam, vel beneficium eſſe tale, vt antecedenter nulla ſit obligatio, ſed fundauerit quis hoc modo beneficium: Cuicumque celebrāti in Eccleſia dentur duo Iulij quotieſcumq; celebrauerit; Sacrum autem liberum ei ſit applicare pro quocumque velit. Ecce in hoc caſu nulla eſt obligatio antecedens; ille tamen qui ibi celebraret, licitè acciperet deinde duos Iulios: ergo hi non pro obligatione, ſed pro Sacro ſunt dati; & tamen hic eodem modo poſſet illud Sacrum offerre pro Petro ita petente & offerente nouum ſtipendium: ergo iam non haberet locum ea ſolutio.

Secundò impugnatur Lugo. Secundò, ſi Lugo negat pro obligatione celebrandi vnum Sacrum accipi poſſe duos Iulios (ſuppono nunc vnum eſſe æquale ſtipendium) ergo conſequenter debebit negare, etiam poſſe pro obligatione dicendi trecenta Sacra per annum accipi ſexcentos; quia ſicut de habent duo ad vnum Sacrum, ita ſex ad tria, & ſexcenti ad trecenta Sacra. Denique contra eam obligationem habet, quod ipſe dixerat ſuprà, obligationem eſſe eiuſdem rationis cum re, ad quam illa eſt, imò moraliter non reputari aliud quàm ipſam rem; ergo ſicut qui accipit à Petro vnum ſtipendium pro vno Sacro, non poteſt accipere aliud à Ioanne pro eodem: ita neque Beneficiarius, qui cùm habeat ſtipendium pro omnibus Sacris totius anni, eſto cum obligatione toto anno celebrandi, non poterit admittere vllum ſtipendium nouum, vt dicebat prior opinio.

13 *Obiectio à pari.* Dices: Sacerdos habens proprium patrimonium, quo ſe ſuſtentet, poteſt adhuc velle ei parcere, & petere ſtipendium pro Sacro vt ſe ſuſtentet, quia poteſt adhuc nolle ſe ſuſtentare ex propriis, ſed viuere ex Altari, cui ſeruit; ergo eodem modo ille qui beneficium aut Capellaniam habet, poterit nolle ſe ſuſtentare ex eis, ſed ex Sacro, quod pro hoc aut pro illo offert.

Reſpondeo negando conſequentiam: eſt enim maxima diſparitas inter vnum & alterum caſum. *Diſparitas aſſignatur.* Nam qui habet Capellaniam cum obligatione dicta celebrandi, eſto non teneatur offerre Sacrum pro fundatore Capellaniæ, iam tamen accipit ſuſtentationem intuitu ipſiuſmet celebrationis, ſeu vt poſſit celebrare, ſeu vt celebret: ergo iam intuitu eiuſdem celebrationis non poteſt accipere nouam ſuſtentationem vitæ, ſeu nouum ſtipendium, quia id eſſet quaſi velle bis ex Altari viuere. At patrimonium habet ſe diſparatè ad Sacrum. Ego, vt verum fatear, grauem in hoc puncto ſentio difficultatem, & magis propendeo in priorem ſententiam præcisè attentis principiis intrinſecis rei; quia verò tot ac tam graues Auctores defendunt ſecundam, non auſim illam in praxi reprobare. Ad argumentum ergo contrarium reſponderi poteſt. *Solutio argumenti contrarij.* Fundatorem talium beneficiorum, eo ipſo quòd ſolùm obligauerit ad celebrandum in tali loco v. g. non autem ad offerendum Sacrum pro ſe aut pro vllo alio determinatè, reliquiſſe liberum ipſi Beneficiato aut Sacellano, vt queat offerre pro aliis Sacrum, eo modo quo ſolent alij Sacerdotes, id eſt accipiendo nouum ſtipendium; ideóque illam fundationem feciſſe, ſeu illam ſuſtentationem aſſignaſſe, non pro Miſſa ipſa, ſed pro gloria ipſius templi in eo conſiſtente, quòd habeat Capellanum ordinarium; ex ſuperabundantia autem dediſſe illud ſtipendium, vti illi qui vltra ordinarium ſtipendium dat duplo plus pro quolibet Sacro; vbi ſine dubio liberalitas intercedit; ita ergo ille, qui reliquit ſuo Sacellano liberum offerre pro quo vellet Sacrum, cenſendus eſt dediſſe ſtipendium pro Sacro quaſi liberaliter, id eſt, Ita do tibi, vt ſi aliunde inueneris alimentum, adhuc poſſis liberè retinere hoc: & hìc apparet differentia inter hunc caſum & alterum, quo non licet duobus dantibus ſtipendium æquale ſatisfacere per vnum Sacrum; nam in hoc caſu ita quilibet dat ſtipendium, vt tamen totum Sacrum pro ſe petat, ac proinde non manet iam Sacerdos liber, vt pro altero offerat vnum idémque Sacrum. At ſi quis mihi dicat, Do tibi hoc ſtipendium, vt hodie facias mihi Sacrum, & poſſim ego illud audire; relinquo tamen tibi liberum vt offeras illud pro quocumque, ſine dubio ego poſſem accipere nouum ſtipendium, quia ille, qui priùs promiſit, cenſetur tunc ex ſupererogatione & quaſi liberaliter illud obtuliſſe, perinde ac ſi poſtquam celebraui mihi illud dediſſet. De quo puncto adhuc agemus paulò pòſt.

SECTIO I.

Quale liceat accipere ſtipendium pro Sacro?

Explicuimus titulum accipiendi ſtipendij, & quomodo excuſetur à Simonia; iam oportet determinare, quantum illud poſſit eſſe? 14

Pro quo aduertendum eſt anno 1615. prodiiſſe vnam Declarationem à Sacra Congregatione Concilij, in qua deciduntur multi caſus circa ſtipendium Miſſarum, de quibus anteà erat magna diſputatio inter Auctores, ea verò ſuppoſita omnis omnino ceſſat quæſtio.

SVBSECTIO I.

Proponuntur aliqui caſus in Declaratione Cardinalium deciſi.

Caſus Primus.

PRIMVS eſt; Si Sacerdos aliquis acceptat obligationem celebrandi pro aliquo, eſto non offeratur ei iuſtum ſtipendium, non poſſe eo ipſo pro illo eodem Sacro quidquam amplius accipere; nec quidem id quod deſideratur ad ſtipendium iuſtum complendum; ſed debere ſibi imputare quòd eo modo contraxerit. Ante hanc tamen deciſionem non deerant Auctores graues, qui omnino dicerent id eſſe licitum: de quo Suarez diſput. 86. ſect. 4. & alij apud Dianam ſuprà reſolutione 7.

Secundus.

Secundus caſus eſt; Vtrùm Sacerdos pauper poſſit accipere pro vna Miſſa tot ſtipendia, quot ſufficiant ad eius honeſtam ſuſtentationem? Multi affirmabant olim; iam tamen hoc prohibetur ea Declaratione: vbi etiam reuocantur, ſi quæ erant pro aliquibus Religioſis priuilegia à Summo Pontifice ad id faciendum conceſſa.

15 *Tertius.*

Tertius caſus; An Sacerdos, qui accepit ſtipendium pro decem Miſſis, & ex liberalitate dantis pro qualibet accepit duplicatum, poſſit poſteà aliis Sacerdotibus commendare, vt faciant ea Sacra; eis verò ſolùm dare ſtipendium ordinarium? Pater Suarez pulchrè hanc rem deduxerat oſtendendo ex natura rei id eſſe licitum; concluſerat tamen non debere talia lucra permitti. Congregatio autem iam prohibuit omnino id fieri. Ego addo, etſi diſcurſus Suarez ſit ſatis probabilis & doctus, mihi tamen adhuc videri eſſe etiam ex natura rei id omnino illicitum; quia eſto quoad vtilitatem petentis Sacrum idem ſit, quòd celebret pro me Petrus, cui pecuniam dedi, aut quòd Paulus, cui deinde Petrus commendauit Sacrum, aut è contrario, videtur tamen mihi ille qui dat tam altum ſtipendium id eo animo facere, vt ille, qui celebraturus eſt, eò alacriùs id faciat, & libentiùs, & minus ſit periculum ne obliuiſcatur, &c. deinde videtur etiam ſingulariter velle gratificari illi ipſi qui celebraturus eſt. Ex quibus planè capitibus videtur eſſe contra mentem illius ea defalcatio pecuniæ. Hanc tamen concluſionem ita intelligo, niſi ſecundus Sacerdos ſciat datum eſſe maius ſtipendium, & ipſe liberaliter illud remittat alteri Sacerdoti; tunc enim id perinde debet reputari, ac ſi ex propria pecunia aliquid donare voluiſſet.

Quartus.

Quartus caſus eſt; Vtrùm poſſit vno Sacro ſatisfieri duobus ſtipendiis adæquatis, aut vni adæquato, & alteri inadæquato? Reſponſum ibi eſt, Neque hoc licere; & à fortiori id conſtat ex dictis paulò antè, quòd ſcilicet ſi ſemel acceptauit etiam inadæquatum, non ei liceat alterum inadæquatum acceptare.

Quintus.

Quintus; An poſſit Sacerdos acceptare ſtipendia pro multis Miſſis, quam tam citò non poteſt expedire? Congregatio declarauit id non licere, & meritò; quia erat in hoc puncto exceſſus grauis: ſcio enim quemdam Sacerdotem ante non multos annos defunctum, qui hora mortis faſſus eſt ſe habere accepta ſtipendia anticipata pro tribus millibus Miſſarum. Quæres verò quid intelligatur per modicum tempus, intra quod vult Congregatio poſſe Sacerdotem accipientem eleëmoſynam ſatisfacere? Aliqui apud Lugo, quibus ipſe fauet, dicunt eſſe 50. vel 60. dierum. Ego adhuc non eſſem adeò ſcrupuloſus, ſed putarem medium annum poſſe concedi; quia etiam artificibus laborantibus in aliqua re magni momenti ſolet anticipatò dari pars pecuniæ pro opere: quod non niſi ad quinque vel ſex menſes perfici poteſt.

SVBSECTIO II.

Quid de aliis caſibus occurrentibus qui in ea Declaratione non deciduntur?

16 *Quæſtio proponitur.*

VLTRA caſus hos ibi contentos poteſt quæri, Vtrùm qui accepit ſtipendium pro Sacro de B. Virgine, poſſit per aliud ſatisfacere? Aliqui vniuerſaliter affirmant id licere; imò ſi occurrat tunc Feſtum Duplex, vel de Dominica, putant non debere fieri votiuum. Ego tamen iudico aliqua diſtinctione eſſe opus: etenim ſæpè Sacrum tale petitur à dante ſtipendium ob ſpecialem deuotionem erga illum Sanctum; & quia aliquid ſingulare expectat ab illo, vt ſolent fœminæ curare Sacra illorum Sanctorum qui prægnantibus fauent: item quando quis per interceſſionem eius Sancti ſalutem aliúdve beneficium accepit. In his ergo caſibus omnino iudico non ſatisfieri per Sacrum diei occurrentis; *Reſolutio quæſtionis.* nam qui dedit ſtipendium ad alterum planè determinatum Sacrum, alligaſſe videtur ſuam voluntatem; ac proinde contra voluntatem ipſius accipitur ſtipendium, ſi non celebratur illud Sacrum. Dixi autem ſæpè in donationibus aut contractibus attendendum neceſſariò eſſe ad conditiones, ſeu circumſtantias, quibus donans aut vendens obligauit ſuam voluntatem, quantumuis illæ parui momenti in ſe ſint; ac proinde non ſufficere tunc dicere, *Hæc res eſt tam bona quàm illa, ergo mihi licebit eam ponere loco illius quam alter emit.* Vnde infero; Ad rem præſentem non ſufficere dicere, Hoc Sacrum eſt tam efficax quàm illud; ergo eodem modo ſatisfaciam, quia (quidquid ſit de æqualitate) alter noluit niſi præciſè hoc habere. Adde, licet quoad ſatisfactionem pro culpa tam efficax ſit vnum Sacrum quàm alterùm, in ordine tamen ad obtinendum id, quod dans ſtipendium optat, non eſſe eiuſdem rationis; quia ſi vult eſſe gratus alicui Sancto, v. g. Sancto Xauerio, ob cuius interceſſionem obtinuit ſanitatem, aut prolem, profectò non conducit Sacrum de Sancto Dominico, aut de Sancto Romualdo.

17 *Inſtantia contra reſolutionem.*

Verùm adhuc vrget difficultas ſuprà tacta; Debéme contra Rubricam celebrari votiuum in die Duplici? Reſpondeo negando id debere fieri, quia poterit expectare vna vel altera die: id enim gratius longè erit danti eleëmoſynam, quàm ſi mutetur Sacrum contra finem præcipuum ipſius. Secundò reſpondeo facilè, Poſſe in talibus occaſionibus illum moneri à Sacerdote de ea concurrentia, vt videat, quomodo cupiat Sacrum fieri. Aliter ergo poteſt dari eleëmoſyna pro Sacro, non ex eis motiuis quæ diximus, ſed ex animo iuuandi animas Purgatorij, vel ex deſiderio habendi ea die Miſſam: & licet tunc illa perſona petat votiuum illud, poteſt tamen probabiliter iudicari, in eo puncto non facere magnam vim, ſed maximè ad ſubſtantiam ipſam Sacri collimare; & tunc iudico habere locum eam doctrinam multorum.

Quomodo autem cognoſcetur animus dantis? dico.

Digitized by Google

dico. Sæpè ex motiuis quæ addit, & ex aliis circumſtantiis colligi poſſe; quando autem de ea determinatione non conſtiterit, poterit Sacrum celebrari de Duplici, aut de Dominica, iuxta communem ſententiam.

18 *Altera quæſtio expeditur.* Conſequenter ad hanc doctrinam reſpondendum eſt alteri caſui, An Capellanus, qui tenetur celebrare in certo templo pro animabus familiæ Fundatoris, ſatisfaciat alibi celebrando. Dicimus enim, Si Fundator habuit animum alligandi Sacrum illi loco, non poterit ſatisfieri per Sacrum alibi, ſicut dixi in ſimili in præcedentibus; v. g. ſi in honorem eius Sacelli aut templi, vel vt populus illuc conueniens habeat ibi Sacrum, tunc non ſatisfaciet alibi celebrando. Faciliùs intra Eccleſiam eamdem Sacrum, quod debebat in vno Altari fieri, poterit in alio; quia tunc non ita moraliter receditur à Teſtatoris voluntate (niſi aliunde conſtet de contrario.) Minùs autem licebit mutare Altare, quando motiuum illud deſignandi fuit, quòd eſſet priuilegiatum: eo enim ipſo videtur non ſatisfieri, ſi in alio Altari non priuilegiato celebret; ſi verò & alterum eſt priuilegiatum, licebit omnino mutare. Sed quid ſi Altare deſignatum à Teſtatore non erat priuilegiatum, poterítne eo relicto celebrare in priuilegiato, cùm id redundet in vtilitatem Teſtatoris maiorem? Reſpondeo, Si Teſtator ſolùm reſpexit in eo Sacro bonum ſuæ animæ, vel aliorum ex ſua familia in Purgatorio exiſtentium, id poſſe omnino fieri, ſi verò habuit alias conſiderationes, ob quas ſe Altari illi determinato alligauit, celebrandum eſſe in illo, quidquid ſit de ea vtilitate; dixi enim paulò antè, in his donationibus vel contractibus non vtilitatem, ſed voluntatem oportere conſiderare.

19 *Inſtantia diſcutitur.* Quid ſi dum Sacerdos venit iam illud Altare eſt occupatum, & deberet diu expectare, poteritne alibi celebrare? Reſpondeo (quod & Lugo defendit probabiliter) Poſſe; eam ego rationem do, quia non eſt præſumendus Teſtator adeò rigoroſè alligaſſe ſuum Capellanum, vt in vno alióve caſu cum tanta difficultate non permittatur alibi celebrare. Dixi, Non eſt præſumenda talis voluntas; nam ſi de illa aliunde conſtaret, teneretur ſanè ille vel expectare etiam cum moleſtia, vel certè defalcare ſtipendium ei diei reſpondens. Neque enim eſt dubium potuiſſe ita eam Capellaniam fundari, vt diceretur; *Caſu tamen quo in hoc determinato loco non celebret, volo vt eo die non fruatur ſtipendio.*

Rogabis; Quid ergo ſi omnino ibi non poſſit celebrare, quia non comparent claues, vel quia violata eſt Eccleſia? Reſpondeo: Vel Teſtator inſtituit illud quotidianum Sacrum pro animabus Purgatorij, eſto determinauerit ſimul locum, vbi deberet fieri; & tunc omnino debebit alibi celebrare; quia ſi non poteſt ſatisfacere Teſtatori in vtroque puncto, ſaltem debet in vno: vel illud Sacrum fuit inſtitutum eo loci ad commoditatem habitantium, vt ibi poſſent habere Sacrum, & ob celebritatem Sacelli, & tunc quia hoc intentum non obtinetur alibi celebrãdo, non erit etiam ad id obligatus Sacellanus. Addo tamen, niſi fortè (iuxta paulò antè inſinuata) ipſe Teſtator ſpecialiter poſuerit limitationem hoc modo; *Si tamen aliquando re ipſa non celebrauerit, ſiue ob morbum ſiue alia de cauſa, non habeat pro tali die ſtipendium:* eo enim caſu tenebitur alibi celebrare, ſi vult habere ſolutionem. Fateor adeò rigoroſam exceptionem vix vnquam adhiberi. Frequentior longè eſt ille ſecundus modus, vt pro animabus Purgatorij voluerit applicari; ac proinde ferè ſemper erit obligatio celebrandi alibi, vt in dubio de voluntate Teſtatoris benè docet Lugo, debere ſupponi illum reſpexiſſe ad bonum animarum.

Rogabis vlteriùs; Quid ſi Teſtator aſſignauit tria Sacra pro ſeptimana, die Lunæ, Iouis, Veneris, licebítne ea aliis diebus dicere intra eam hebdomadam? Idem ferè eſt, ſi ſingulis menſibus petiit quindecim, an liceat ea anticipare, & vno menſe dicere triginta; ſequenti verò nullum; aut liceat poſtponere, hoc menſe nullum, ſequenti verò omnia. His caſibus reſpondendum etiam eſt cum diſtinctione paulò antè tradita. Nam ſi Teſtator habuit conſiderationem aliquam ſpecialem circa eos determinatos dies, v. g. in honorem Beatæ Virginis die Sabbati, pro animabus die Lunæ, dicendum eſt non licere; ſecùs ſi per accidens ſe habeant illi dies in particulari aſſignati: & eodem planè modo reſpondendum eſt ad ſecundum caſum; niſi Teſtator habuerit aliquam conſiderationem, ob quam voluerit nullum menſem tranſire ſine Sacro eo loco, aut pro ipſius intentione celebrato, poſſe fieri eam anticipationem; quia ea potiùs eſt fauorabilis Teſtatori. 20 *Quæſtio noua enodatur.*

Circa poſtpoſitionem verò Cardinalis Lugo cenſet etiam poſſe fieri ſine mortali; quia etiam in materia pecuniaria differre ſolutionem ad vnum menſem non cenſetur peccatum mortale; quod tamen intelligit, niſi etiam Teſtator expreſsè ſingulis menſibus, vt diximus, voluerit habere ea Sacra ob ſpecialem aliquam rationem. *Sententia Cardinalis Lugo.* Iudico tamen probabilius eſſe, non licere ſine mortali eam dilationem. Rationem deſumo ex diſparitate inter noſtrum caſum & debitum pecuniæ. Nam cùm illa Sacra ſint pro liberatione animarum Purgatorij, profectò non debet cenſeri leue damnum earum pœnarum duratio per quindecim dies. At in re pecuniaria niſi creditori occurrat aliqua occaſio magni lucri, quæ negligatur per eam dilationem ſolutionis ad menſem (quo caſu eam dilationem dicerem ego graue peccatum) non cenſetur, neque eſt graue damnum ea dilatio; ergo non valet argumentum ab hoc caſu ad ſuffragia pro animabus. Et verò cùm bene hic Auctor addat limitationem, vt ſcilicet poſtpoſitio fieri non poſſit, ſi occurrat occaſio, per quam præſens ſubſidium ſit neceſſarium; profectò mihi videtur maximè vrgere ſemper neceſſitas animarum in Purgatorio cruciatarum; pro quibus ea Sacra ordinata eſſe ſupponimus: per ſe autem ſemper debemus intelligere aliquos eſſe adhuc in Purgatorio ex his, pro quibus Teſtator voluit ea Sacra dici. 21

Prætereà quæres, circa dicta; Si aſſignata ſit in hebdomada pro Sacro dies Veneris & Sabbati, an in Hebdomada Sancta ea Sacra, aut certè Sabbato Sancto, quia tunc licitum eſt, teneatur celebrare? Ratio dubitandi eſt, quia ſicuti quando Eccleſia eſt violata, tenetur Sacerdos alibi celebrare; ita videtur teneri anticipare, quando eis duobus diebus non poteſt. Reſpondeo tamen, Cùm communis conſuetudo obtineat, vt die Sabbati non celebretur, eſto poſſit, die autem Veneris Sancto non poſſit licitè celebrari, debere ſupponi Fundatorem ſciuiſſe eam conſuetudinem, & noluiſſe tunc obligare neque ad *Quæſtio cum ratione dubitandi.*

ad celebrandum eis diebus, neque ad anticipandum: ſi enim id intendiſſet, declaraſſet ſanè ſuam mentem ampliùs, Inſtantia autem ex Eccleſia violata nulla eſt, quia violatio illa eſt extraordinaria, ideóque nec præuiſa; ſæpiùs præterea contingere, & diutiùs durare poteſt; ac proinde non cenſetur Fundator eam excepiſſe.

22 Addit Lugo, Ex eo quòd Sacerdos celebret in alio loco, non addi illi onus, ſed potiùs auferri, dum iam poteſt vbi ipſi placuerit celebrare. Hæc tamen ratio mihi nullo modo placet; quia licet ſuppoſita obligatione celebrandi alicubi non ſit onus, ſed potiùs ſubleuatio ab onere, quòd poſſit vbi velit celebrare; at ſuppoſito quòd ſit libertas ab obligatione celebrandi in loco à Fundatore deſignato, eum obligare vt alibi celebret, ego non video cur non ſit dicendum verum & proprium onus.

Ratio Lugo non ſatisfacit.

Quæſtio de Capellano ægrotante.

Vlteriùs quæritur; Quid ſi Capellanus ægrotet, tenetúrne procurare per alium ſuppleri illas Miſſas? Affirmant aliqui; communiter tamen diſtinguitur: Vel enim morbus eſt diuturnus, vel breuis; ſi diuturnus, dicunt tunc eum Capellanum obligari ad ſubſtituendum loco ſui alium; ſi verò breuis ſit, ad id non obligari: cuius diſtinctionis ea poteſt eſſe ratio, quòd de voluntate Fundatoris ita præſumatur; non enim cenſetur curaſſe aliquem exiguum defectum, qui per ſe contingit: præuidit enim dubio vix aliquem ita eſſe naturæ fortis, vt non habeat aliquando aliquem morbum aliquotum dierum; cúmque nihil pro eo caſu dixerit, ſupponitur noluiſſe tunc nouam obligationem inducere. At longi morbi, quia rariores ſunt, ideò non cenſentur præuiſi à Fundatore; & quia ſimul graue ipſi afferunt damnum, ſi toto illo tempore defraudetur ſuffragiis illis, non poteſt prudenter iudicari permiſiſſe, ne eo tempore toto celebraretur.

Fortaſſe dices: Illud ſtipendium eſt aſſignatum pro ſuſtentatione vitæ illius Capellani; atqui magis eo indiget quando eſt infirmus; ergo non debet tunc illo defraudari. Reſpondeo, Fundatorem non fuiſſe obligatum ad dandam huic ſuſtentationem, niſi quando pro ipſo laboraret; ergo cùm tempore morbi non laboret, rectè poteſt ei ſubtrahere pecuniam, & obligare illum vt alium ſubſtituat, qui pro ſe celebret.

SVBSECTIO III.

Duæ quæſtiones ex dictis deciduntur.

23 *Mouetur alia quæſtio.*

DVAS tamen hinc moueri video poſſe quæſtiones. Vna, An ſi talis Capellanus directè morbum incurriſſet celebrando Sacrum à Fundatore præfixum, teneatur nihilominùs tunc alium ſubſtituere loco ſui: videtur enim contra rationem; vt ſi ego occaſione ſeruiendi Petro v. g. morbum contraho deſerat ab illo, & cogat mea omnia in medicinis conſumere. Reſpondeo, Etſi hæc ratio non careat probabilitate, nihilominùs tamen etiam tunc obligari; nam ſi periculum illud ſit præuiſum à Capellano, non tenebitur tunc ibi celebrare; ſi verò eo non præuiſo caſu celebrauit, & quia ad miniſtrandum, ſeu ad communicandum acceſſit aliquis peſte aut alio morbo infectiuo laborans, indéque Capellanus infectus eſt, non debet hoc Fundatori eſſe in damnum; eo enim modo non celebrando homines inficiuntur; in quibus caſibus quilibet debet ſibi damnum illud imputare.

Quæri tamen adhuc circa eumdem caſum poteſt; Quid ſi ipſe Fundator directè obligauit ad illud periculum? ſi v. g. dixi, *Volo vt talis etiam tempore peſtis celebret in ea Eccleſia, alioquin Capellaniam amittat*; profectò in hoc caſu videtur Fundator obligari, vt ſi talis tunc celebrando contrahat peſtem, quæ illi morbum longum cauſet, poſſit hic retinere ſalarium; quia eſſet iniqua obligatio exponere illum directè ei periculo, & poſteà eum in eo deſerere. Reſpondeo, Mihi omnino videri in tali caſu non teneri ad ſubſtituendum vllum alium: id quod ampliùs declaro; nam in tali caſu cum ea reflexione præuiſo à Fundatore (nam qui iubet alteri vt tempore peſtis inter peſtiferos ſeruiat, ſupponit vt ferè moraliter certum, talem inficiendum, vel certè facilè id poſſe contingere) cùm nullam addiderit obligationem ſub his terminis. *Volo tamen vt ſi infectus fuerit, & celebrare non potuerit, ſubſtituat alium loco ſui*; cùm inquam nihil ſimile dixerit, videtur planè permiſiſſe, vt ſaltem in præmium eius expoſitionis poſſit deinde retinere ſtipendium, ſi factus fuerit infirmus.

Et alia.

Sed quid ſi expreſsè Teſtator ipſe diceret; *Quicumque habere voluerit hanc Capellaniam, debet etiam tempore peſtis celebrare in tali Eccleſia; quòd ſi contraxerit peſtem, teneatur dare alteri ſtipendium, vt loco ſui celebret alibi*; Reſpondeo, Etiamſi dura ſatis videatur ea clauſula, ſi tamen ea conditione ſuſcepit quis Capellaniam, fore vt teneatur poſtea pro omnibus Sacris ſatisfacere: vti quando quis pro medietate tantùm ſtipendij ſe obligauit ad celebrandum, tenetur poſteà celebrare iuxta dicta ſuprà: tota enim difficultas, quæ in tali contractu eſt, iam fuit ab ipſo præuiſa & acceptata voluntariè; ſcienti autem & volenti non fit iniuria. *Inſtantia.*

24 *Dubium aliud quod explicatur.*

Secundum dubium, quod circa prædicta moueo, eſt, Vtrùm tali Sacerdoti diu ægrotanti licitum ſit alterum Sacerdotem accipere dando ei tantùm mediam partem ſui ſtipendij, quam ſupponimus alioquin eſſe æqualem ſtipendio ordinariè taxato pro Miſſis; dubitandi autem ratio inde deſumitur, quòd ſuprà diximus eſſe prohibitum à Congregatione Concilij retinere ſibi partem ſtipendij (etiamſi illa ſit ſupra ſtipendium ordinarium) & pro altera parte alium Sacerdotem ſubſtituere; ergo idem etiam erit prohibitum in præſenti. Nihilominùs tamen cenſeo in caſu noſtro id non habere locum; nam Congregatio non egit de his qui habent Capellanias fixas, ſed de his qui ordinaria ſtipendia pro certo numero Sacrorum accipiunt: etenim in his tantùm fuit neceſſaria ea prohibitio ad vitandos exceſſus graues multorum, qui ſuſcipiebant in ſe infinitam propè Sacrorum faciendorum multitudinem, & inde lucrum quærebant: id quod non habet locum in illis Capellaniis, multò autem minùs in caſu morbi, quando non ex vlla lucri cupiditate, ſed ex neceſſitate cogitur ſubſtituere alium, quòd autem aliquid retineat (ſoluto tamen, vt diximus, iuſto ſtipendio) pro ſua ſuſtentatione eo morbi tempore, non debet ei vitio verti: vnde non poſſum mihi perſuadere prohibitum id fuiſſe à Congregatione Concilij.

Iam pro vltimo complemento huius materiæ reſtat explicare quæ ſit longa infirmitas, diximus enim in longa teneri alterum ſubſtituere. Variæ ſunt ſententiæ in hoc puncto: tangit enim rem habentem

habentem

Digitized by Google

habentem varios gradus;in qua difficile eſt taxare hunc præ illo.Quidam dicunt octo dies reputari poſſe pro non longa infirmitate; alij id extendunt ad quindecim, alij ad vnum menſem, alij ad duos: quod vltimum etiam defendit Lugo. Ego ſanè quando vltra menſem protrahitur morbus, non dubito debere iudicari longum. Et ſanè vix poſſumus præſumere Fundatorem conſenſiſſe in iam longam carentiam Sacrificiorum. Alij caſus minoris momenti videri poſſunt apud Summiſtas, qui de eis ex propoſito agunt.

DISPVT. QVINQVAGESIMASEPTIMA.

DE AVDITIONE SACRI.

1 ETSI hæc diſputatio ad nos propriè non videatur ſpectare, quia ſolùm agimus de Sacrificio ſecundùm omnes ſuas partes eſſentiales & integrales; inter quas nullo modo computatur, quòd ei alij aſſiſtant; nihilominùs ne huic doctrinæ deſit aliquid, quod ad eam ſaltem indirectè pertinere poſſit, breuiſſimè aliquos caſus morales circa hanc auditionem tractabimus:nam ſpeculationes hîc vix vllæ ſunt.

SECTIO I.

Quàm certum ſit hoc præceptum, & an obliget grauiter?

Præceptum Eccleſiæ de Sacro audiendo:

DE hac materia fuſè tractat Suarez diſp.88. ſect.6.Fagundez de primo Eccleſiæ præcepto, & alibi diuerſis in locis. Igitur ſupponendum eſt Eccleſiam præcepiſſe omnibus fidelibus baptizatis auditionem Sacri diebus Dominicis & Feſtis,vt ex cap.*Omnes fideles*,& cap.*Miſſas*, de conſecratione, diſtinct.1. conſtat. Vbi ſtatim moueri poteſt difficultas primo loco in titulo propoſita,quàm certum ſit dari hoc præceptum. Certè P.Suarez eo loco rem obiter tangens putat eſſe certum de Fide;vbi reprehendit Sotum, quòd contrarium ſentiat, & dicat ſolùm eſſe temerarium id negare. Cardinalis verò Lugo diſput.22. ſect.1. duobus verbis dicit ſe non capere,quomodo id,quod à Deo nuſquam reuelatum eſt, poſſit eſſe de Fide; quòd verò id non ſit reuelatum patet; quia eſto Eccleſia id præceperit, nunquam tamen Deus reuelauit Eccleſiam id præcepiſſe. In cuius confirmationem addere poſſumus alias multas inſtantias; nam quantumuis Eccleſia præciperet nunc,vt celebraretur vbique Feſtum ſancti Barnabæ; ac proinde eſto eſſet obligatio illud celebrandi; non propterea eſſet de Fide, hoc eſſe ab Eccleſia præceptum. Ego quidem hanc rationem Cardinalis Lugo bonam, optimam eſſe cenſeo; dubito tamen an conſequenter ſit tradita ad principia huius Auctoris:cùm enim ille dicat, Ad hoc, vt aliqua veritas ſit de Fide, ſufficere ſi deducatur ex vna de Fide & altera moraliter nota; profectò non eſſet difficile aſſignare hîc vnam de Fide,alteram moraliter notam; ex quibus rectè colligatur nos teneri ad audiendum Sacrum diebus Feſtis; ac proinde quòd ſit de Fide nos teneri; etenim de Fide certum eſt, quando Eccleſia præcipit aliquid,nos eſſe obligatos ad id ſeruandum. Atqui moraliter eſt certum Eccleſiam præcepiſſe auditionem Sacri diebus Feſtis & Dominicis;ergo eſt de Fide nos eſſe obligatos ad audiendum Sacrum eis diebus.

Secundum Suarez eſt de Fide.

2

Lugo arguitur inconſequentia.

Fortaſſe reſpondere poſſet hic Auctor,Ex hoc diſcurſu non inferri, eſſe præceptum; quia non poſuimus in maiori,niſi de Fide eſſe, quando datur præceptum Eccleſiæ,dari in nobis obligationem; quòd autem præceptum detur nequaquam inde inferri. Reſpondeo,Pro intento Suarij ſufficere quòd ſit de Fide dari obligationem audiendi Sacrum; quidquid iam ſit, Vtrùm ſit de Fide dari tale præceptum. Secundò dico, Si eſt de fide dari obligationem,etiam erit de Fide dari præceptum; quia repugnat obligatio faciendi aliquid ſine præcepto de illo. Imò hinc ego rurſus argumentabor vtendo eadem doctrina huius Auctoris, & ex vna de Fide & altera euidenter nota probabo dari non ſolùm obligationem, ſed etiam præceptum, dicam enim ſic: *De Fide eſt nos eſſe obligatos ab Eccleſia ad audiendum Sacrum diebus Dominicis & Feſtis, atqui non poſſumus eſſe obligati ab Eccleſia ad Sacrum audiendum, niſi Eccleſia illud præceperit; ergo de Fide eſt dari præceptum Eccleſiæ de auditione Sacri.* Vides ſuppoſita ea doctrina quòd concluſio ex vna de Fide & altera moraliter certa, ſit etiam de Fide euidenter colligi,eſſe de Fide quòd detur præceptum Eccleſiæ de audiendo Sacro diebus feſtiuis & Dominicis. Non ergo conſequenter traduntur hæ doctrinæ ab eo Auctore. Ego quidem efficaciſſimè reieci meo iudicio tum in Prooemialibus primi Tomi tum Tomo 5. de Fide illud principium, quòd concluſio illata ex vna de Fide & altera moraliter nota ſit etiam de Fide,vſuſque ſum inſtantia de Cicerone aut Ariſtotele. Licet enim de Fide ſit omnes homines contrahere originale, & moraliter certiſſimum ſit fuiſſe Ciceronem & Ariſtotelem; quis tamen dixerit eſſe de Fide, Ciceronem eſſe conceptum in originali; cùm non ſit de Fide illum abſolutè fuiſſe;& in hoc,quod eſt Ciceronem eſſe conceptum in originali, duo includantur, vnum eſt, illum abſolutè eſſe conceptum, alterum, cum peccato?Non poteſt autem propoſitio continens duas partes eſſe de Fide,ſi vna ex illis non ſit de Fide.Hac ergo ſententia reiecta, nos optimo iure poſſumus contra Suarium docere,nullo modo eſſe de Fide huiuſmodi oblationem audiendi Sacrum.

Eius reſponſio refellitur.

3

Adhuc tamen video aliquam difficultatem; nam traditio vniuerſalis Eccleſiæ ſufficit, vt aliquid ſit de Fide; atqui dari obligationem audiendi Sacrum diebus Dominicis videtur eſſe certum ex perpetua traditione; ergo & ea obligatio erit de Fide. Reſpondeo tamen, Si traditio dicat eam rem eſſe a Deo reuelatam ſiue mediatè ſiue immediatè (de quo iam non diſputo) tunc eam ſufficere vt omnino dicamus id eſſe de Fide, at ſi traditio nihil dicat de reuelatione, non eſt vnde habere poſſit vim efficiendi de Fide aliquid. Ratio à priori eſt manifeſta; nam vt aliquid ſit de Fide, debet eſſe non ſolùm certum,

4 *An traditio ſufficiat vt quid ſit de Fide.*

tum, ſed reuelatum à Deo; ergo ſi traditio nihil dicit de reuelatione, neque ipſa eſt quaſi reuelatio, non poteſt facere quidquam de Fide, alioquin etiam eſſet de Fide Conſtantinum Magnum, Theodoſium & alios Imperatores fuiſſe; quia id eſt certiſſimum perpetua Eccleſiæ traditione; id autem nemo vnquam dixit. Non eſt ergo vllo modo id de Fide, ſed ita certum vt ſufficiat ad obligandum nos vt audiamus Sacrum; vti etſi non ſint de Fide Leges Imperatorum, obligant tamen ad ſui obſeruationem.

5 *Replica ex dictis accepta.* Replicabis: Nos ſuprà agentes de neceſſitate præmittendæ confeſſionis ante Communionem, quando homo habet conſcientiam mortalis, diximus eſſe iam de Fide eam requiri; vbi ſimul etiam attulimus inſtantias de neceſſitate præuij jeiunij ad Communionem, diximúſque eſſe de Fide requiri huiuſmodi jeiunium: atqui nullibi id eſt reuelatum à Deo, licet ſit imperatum ab Eccleſia eodem omnino modo, quo imperata eſt auditio Sacri; ergo vel etiam erit de Fide, hanc eſſe ſub obligatione, vel illa duo priora non erunt de Fide, ac proinde duæ hæ doctrinæ noſtræ non cohærebunt inter ſe. *Reſpondetur Replicæ.* Reſpondeo, Dupliciter poſſe Concilium ſe in præcepto imponendo gerere; Primò, præciſè dicendo, *Volo vt hoc fiat*; & tunc libenter fateor non efficere de Fide eam præcepti exiſtentiam: & hoc modo loquimur in præſenti quæſtione de auditione Sacri diebus Feſtis: Canones enim, qui de hac re tractant, nihil dicunt per modum declarationis, ſed in actu exercito præcipiunt auditionem Sacri. Vnde morali certitudine de eo præcepto ita conſtat, vt omnino obligemur ad Sacrum audiendum. Idem eſt in omnibus præceptis quæ imponit Summus Pontifex: licet enim ſufficienter promulgentur, ita vt qui nolit obedire, non habeat excuſationem, non tamen eſt de Fide ea præcepta eſſe impoſita. V. g. iam Pontifex edidit Bullam, qua prohibet Superiores Societatis vltra triennium protrahere ſuum officium; nemo dicet eſſe de Fide, dari talem Bullam: vbi enim id eſt definitum? & tamen certiſſimum eſt, nos eſſe ea obligatos. Idem dico de præceptis vniuerſalibus toti Eccleſiæ impoſitis. Aliter poteſt Pontifex vel Concilium ſe gerere non ſolùm imperando, ſed ſimul dicendum fuiſſe in Eccleſia conſuetudinem hanc vel illam, hoc vel illud præceptum; quo caſu dicimus illam ipſam declarationem facere de Fide eam veritatem; neque enim Spiritus ſanctus permittit vt Concilia generalia aliquid falſi doceant ad mores ſpectans. Vnde ſi in Concilio aliquo Generali aut

6 *Quomodo præceptum poſſit eſſe de Fide.* Papæ deciſione diceretur fuiſſe in Eccleſia audiendi Sacri præceptum, dicerem cum Suario, de Fide eſſe talem obligationem. Neque in contrarium quidquam obeſſet, quòd id anteà reuelatum non fuerit; nam illa ipſa declaratio iudicari deberet reuelatio. Vti Papa quando canonizat aliquem Sanctum, eo ipſo facit de Fide illum eſſe in cœlo; quia illa ipſa declaratio eſt reuelatio Dei; vt ſuo loco diximus; licet anteà nulla præceſſerit de ſanctitate Ignatij aut Xauerij reuelatio. Et huiuſmodi eſt materia præmittendæ confeſſionis ante Euchariſtiam; nam Tridentinum non ſolùm eam mandat, ſed decidit fuiſſe in Eccleſia præceptum de ea confeſſione. Idem eſt de præuio jeiunio ante eamdem Euchariſtiam; nam Patres, & multa Concilia, quæ videri poſſunt apud Suarez diſput. 68. ſect. 3. non ſolùm præcipiunt illud jeiunium, ſed decidunt fuiſſe anteà de illo præceptum. Imò Auguſtinus Epiſtola 118. & ex eo Iſidorus lib. 10. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 18. ait Spiritum ſanctum per Apoſtolos id mandaſſe; addit que per vniuerſum orbem eum morem ſeruari; quis ergo tam vniuerſalem traditionem non putet ſufficere ad dicendum, eſſe de Fide fuiſſe in Eccleſia tale præceptum? Quidquid ergo ſit circa obligationem audiendi Sacri, doctrina ſuperiùs allata optima eſt, & nullo modo præſenti contraria.

Adhuc tamen replicabis; Etiamſi quoad punctum confeſſionis præmittendæ ſatisfactum ſit, quia hoc præceptum eſt Diuinum, & reuocari ab Eccleſia non poteſt; quoad jeiunium tamen adhuc videtur vrgere objectio. Nam cùm illud ſit Eccleſiaſticum præceptum, & poſſit ab Eccleſia auferri, profectò ad hoc, vt de præſenti ſit de Fide illud dari, non ſufficit, quòd Concilia dixerint illud anteà viguiſſe, ſed oporteret etiam dicere, illud de facto non eſſe reuocatum, & verò oporteret oſtendere eſſe de Fide eam non-reuocationem. Atqui Patres de futuro non prophetarunt, non fore reuocandum noſtris temporibus hoc præceptum: & idem dico, ſi aliquod Concilium, v.g. Tridentinum, decreuiſſet fuiſſe in Eccleſia & ſuo etiam tempore eſſe obligationem jeiunij ante Communionem; cùm enim non prædixerit hoc anno non fore reuocandum tale præceptum, non video quomodo poſſit eſſe de Fide, iam hoc anno eſſe eam obligationē: malè ergo diximus ſuprà, fore hæreticum qui aſſereret non eſſe nunc eam obligationem. Reſpondeo: Quando nos diximus fore hæreticum, qui negaret eſſe obligationem præmittendi ante Euchariſtiam jeiunij, locutos conditionaliter; id eſt, fuiſſe obligationem & eſſe, ſi à Pontifice reuocata non eſt: de qua reuocatione, vtrùm detur néc ne de facto, nihil prorſus habemus de Fide. Et de hac quæſtione, quam obiter Suarez & Lugo tetigère, ſatis nos diximus. 7 *Altera replica.* *Reſpondetur replicæ.*

Quoad ſecundam verò in titulo propoſitam dico, Certum eſſe hoc præceptum obligare grauiter; quia & eſt de materia graui, & Eccleſia habet voluntatem grauiter obligandi, vt ex communi ſenſu fidelium conſtat. Aduertendum autem eſt, quamcumque Miſſam ſufficere, ſiue cantatam, ſiue lectam, ſiue de Requiem, ſiue votiua ea ſit, vt per eius auditionem ei præcepto ſatisfaciamus; neque item eſſe neceſſarium eam audire in propria Parochia. Nam licet in Tridentino Seſſione 22. Decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ, dicatur; *Moneat Epiſcopus populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis & maioribus Feſtis, accedant*; ibi tamen nullum imponitur præceptum. Et declaratum eſt per Congregationem Concilij non poſſe Ordinarium mulctis & pœnis cogere populum ad audiendam Miſſam aut concionem in propria Parochia, etiam in caſu negligentiæ & contumaciæ. Hæc certa. 8 *Quanta ſit obligatio Sacrum audiendi.*

SECTIO II.

Aliqui dubij caſus circa eam auditionem.

PRIMVS eſt, An teneamur audire totum Sacrum? Reſpondeo. Omnino teneri, quia præceptum ita ſonat. Solùm eſt difficultas, quota pars poſſit reputari parua, vt illius omiſſio non ſit peccatum mortale? In quo puncto variæ ſunt 9 *Primus caſus, An totum Sacrum audiendum.*

Digitized by Google

ſententiæ, vti ſæpè diximus varia eſſe Auctorum placita quandocúmque agitur de taxanda materia, quæ ſit parua, quæ magna reſpectu alicuius præcepti. Quidam ergo putant, ſi ab initio Euangelij reliqua audiantur, non peccari mortaliter. Alij putant etiam non peccari, eſto Euangelium non audiatur. Pro quo puncto multos refert Lugo ſuprà ex Bonacina, vbi iure merito contra Luſitan. Turrianum agit, eò quòd dixerit hanc ſententiam eſſe temerariam. Addit tamen Nauarrus eo caſu debere Euangelium legi priuatim ab eo qui illud non audiuit. Quæ limitatio à reliquis reijcitur; quia lectio illa priuata nihil facit ad præcepti de auditione Miſſæ obſeruationem.

Nauarri ſententia ſingularis.

Fortaſſe aliquis diceret: Eſſentia & ſubſtantia Miſſæ tota eſt in conſecratione, vel certè in hac & ſumptione; ergo, dummodò his duobus quis interſit, ſatisfaciet Eccleſiæ præcepto. Reſpondeo, Eccleſiam non præcipere tantùm auditionem Sacri ſecundùm eſſentialia, vel prout celebratur ab Eccleſia; vnde negatur ſufficere aſſiſtere ſoli conſecrationi aut ſumptioni.

10 Secundum tamen hic oritur dubium, Vtrùm è contrario ſi negligatur conſecratio, cætera verò audiantur, fiat ſatis ei præcepto, cùm non interſit quis ſubſtantiæ ipſius Miſſæ. Reſpondet Lugo, Ex principiis quidem intrinſecis rei ita eſſe, quia tamen ſuo opinione eſt, Vtrùm eſſentia Sacrificij conſiſtat in conſecratione, an vero in ſumptione, poſſe quemlibet in praxi amplecti hanc vel illam ſententiam: vnde conſequenter addit, Si quis abeſſet tam à conſecratione quàm à ſumptione, etiamſi hæ duæ actiones minùs temporis requirant quàm ſit ab initio Miſſæ ad Euangelium, non ſatisfacturum præcepto; quia tunc in omni ſententia neglexiſſet totam ſubſtantiam Miſſæ, & quia ea quæ circa conſecrationem & ſumptionem fiunt, ſunt maioris longè momenti quàm ea quæ ab initio: vnde non oportet tempus menſurare æqualiter pro vtraque actione.

Sententia Lugo.

Expenditur.

In hac ſecunda parte doctrinæ nullam habeo difficultatem; in prima tamen ex principiis eiuſdem Auctoris videtur eſſe nonnulla; etenim ille paulò inferiùs docet, eum, qui ſciret ſe non poſſe eſſe in templo tempore conſecrationis, non fore obligandum ad audiendas reliquas partes Miſſæ, ſed poſſe licitè manere domi. Has duas partes doctrinæ ego non facilè conjungo. Nam ſi quis voluntariè omittit conſecrationi intereſſe, adhuc explet Eccleſiæ præceptum, & audit Miſſam abſolutè; vndè meo iudicio rectè infero; Ergo qui neceſſitate coactus intereſſe non poteſt eidem conſecrationi, cætera verò audire poteſt, poſſet etiam eo ipſo audire Sacrum abſolutè, & ſatisfacere poſitiuè præcepto illi; ergo teneretur id præſtare. Patet conſequentia euidenter, quia quilibet tenetur ponere eam actionem, per quam ſatisfacit præcepto verè & propriè, ſi illam poteſt ponere; ergo tenebitur audire partem reliquam Sacri.

11 Dices fortè: Talis poſſet tunc amplecti opinionem, quæ dicit in ſola conſecratione conſiſtere Miſſam; cúmque illi nequeat intereſſe, non ampliùs tenebitur audire. Sed contrà Primò, quia cùm etiam ſit probabile Miſſam conſiſtere in ſumptione, debet etiam ei intereſſe, vt ſatisfaciat quantum commodè poſſit ei præcepto. Contrà Secundò, quia eodem modo deberet dici de eo, qui non poſſet adeſſe ſumptioni, non tenendum audire priores partes Sacri, etiamſi poſſet; hoc autem dici non poteſt probabiliter, ergo neque primùm. Tertiam impugnationem ſtatim addam. Abſolutè ergo dico circa caſum noſtrum; Etiamſi ratio Sacrificij in rigore ſolùm conſiſtat in conſecratione, idcóque ille qui ei non aſſiſtit, non aſſiſtat, rigorosè loquendo, Sacrificio; quia tamen Eccleſia non ſolùm præcipit adeſſe Sacrificio in eo rigore, ſe toti Sacro, prout omnes alias ſacras cæremonias & orationes includit, & reſpectu harum omnium ſit exigua valdè pars tempus illud conſecrationis, non peccaturum mortaliter qui ei abeſſet, ſi reliquas audiret. Confirmo, quia audiens non ſe habet actiuè ad eam conſecrationem, ſed affectiuè offerendo Deo Sacrificium quod alius re ipſa facit; gerit etiam ſe audiens approbando actionem illam; ad hoc autem non requiritur, vt ille tunc adſit conſecrationi, ſed ſufficit, ſi & immediatè antè & ſtatim interueniat. Vnde infero duo; Primum, Etiamſi de Fide eſſet Sacrificij eſſentiam in ſola conſecratione conſiſtere, non fore mortale abeſſe ſolo illius tempore: vnde reijcitur etiam tertia ea ſolutio, quæ poterat adhiberi pro Cardinale; imò etiam tota ea prior doctrina. Secundò infero, Si aliquis Sacerdos ex nequitia non præmiſſis vllis cæremoniis conſecraret panem & vinum aliis præſentibus, non ſatisfacturum vllum ex illis præcepto audiendi Sacrum, eſto de Fide eſſet, vt dixi, Sacrificium in ſola conſecratione conſiſtere; quia Eccleſia mandat etiam auditionem reliquarum cæremoniarum, &c. quæ eo caſu deeſſent ei Sacro; & licet, ſi Miſſa conſideretur vti eſt Sacrificium, non ſint ei notabiles illæ cæremoniæ, ſed potiùs accidentales, ac proinde ex hoc capite non eſſet graue eas omittere; reſpectu tamen mandati Eccleſiæ eam ſine dubio eſſe materiam grauem.

Quid ſi quis abſit à conſecratione.

Replicabis ergo: Feria ſexta in Paraſceue tenebimur intereſſe eis cæremoniis, ſi ſit dies Feſtus, eſto non ſit Sacrificium. Reſpondeo negando conſequentiam, quia Eccleſia tunc tantùm præcipit intereſſe cæremoniis huiuſmodi, quando illæ ſunt pars Miſſæ quam præcipit; cùm ergo ea Feria ſexta non ſit vlla Miſſa, ſed Communio priuata, non eſt vlla obligatio vt ſimus præſentes illis; inde tamen nullo modo ſequitur, quando illæ cæremoniæ verè & realiter ſunt partes integrantes, ſeu componentes Miſſam, non eſſe obligationem illas audiendi. 12

Replica. Soluitur.

Ex hac doctrina deciditur tertius caſus dubius, Vtrùm ille qui occupatus eſt, vt non poſſit venire niſi ad Præfationem, vel certè putans ſe tempeſtiuè venire, venit ad Præfationem vltimi Sacri, teneatur manere, & vltimam partem audire. Quidam enim negant; quia cùm per eam non ſatisfiat præcepto, non eſt obligatio eam audiendi; hos refert Diana Tomo 2. Tractatu 6. reſolutione 69. Poteſtque inſtantia adduci ex eo, qui voluntariè ieiunium fregit ſemel, qui non tenetur eo ipſo ea die non ampliùs comedere; quia iam non eſt impoſſibile ſeruare illud præceptum. Huic ſententiæ adhæret (vt diximus) ex parte Lugo, ſi ſcilicet talis homo non poſſit adeſſe, aut re ipſa non adfuerit conſecrationi; tunc enim dicit eum non teneri reliquam partem audire: id quod maximè tradit ob inſtantiam allatam Feriæ ſextæ maioris Hebdomadæ; ideò enim non tenemur tunc adeſſe eis cæremoniis, quia nulla eſt conſecratio; ergo qui conſecrationi non adeſt, non tenetur reliqua audire.

Alius caſus expeditur.

Paulò

Digitized by Google

13 *Iterùm Lugo doctrina in conſequentia arguitur.*

Paulò antè probaui claré deeſſe conſequentiam in hac doctrina, cùm expreſsè hic Auctor dicat, illum qui exit foras tempore conſecrationis, ſi ſtatim redeat, audire re ipſa Sacrum, ita vt non peccet grauiter contra præceptum; vbi conſequenter docet talem teneri redire, & tamen etiam tunc non interfuit conſecrationi; ergo poteſt eſſe obligatio audiendi reliquam partem; quantumuis conſecrationi non interfuerit quis, aut intereſſe non poſſit. Vnde etiam conſequenter conſtat inſtantiam illam Feriæ ſextæ maioris Hebdomadæ non eſſe ad rem; cui etiam paulò antè nos reſpondimus.

Sententia Suarez, Sanchez & Dianæ probatur.

Iudico ergo talem hominem abſolutè teneri intereſſe eis reliquis partibus Miſſæ etiam poſt conſecrationem, vt docet Suarez, Sanchez & alij, quos refert & ſequitur Diana ſuprà. Ratio huius doctrinæ meo iudicio eſt valdè clara, quia præceptum audiendi Sacrum reſpicit multas partes: vnde ſi omnibus non poteſt ſatisfieri, debet aliquibus. Vti qui deberet Petro centum & non poſſet omnia ei ſoluere, ſed ſolum viginti, tenetur ad viginti; ſimiliter qui non habet tempus vt oret totum Officium Diuinum, tenetur ad eam partem quam poteſt. Et in ipſo exemplo ieiunij idem conſtat. Nam ſi daremus hunc caſum, quòd quis manè die Veneris extremè indiget carnibus, eaſque licitè comederet, deinde ampliùs non indigeret; profectò teneretur ab eis abſtinere. Neque poteſt dici, eas omnes partes Miſſæ non præcipi ad Eccleſia niſi vt vnitas inter ſe; ac proinde ſi non poſſunt omnes impleri, non teneri ad vllas: hoc inquam dici non quia, poteſt nullum penitus habemus fundamentum in ipſo Eccleſiæ præcepto, neque

14 in fine illius. Finis enim Eccleſiæ eſſe videtur, vt omnes ea auditione Sacri colant Deum, ſpecialiter diebus Feſtis; vti ob eamdem rationem præcipitur abſtinere ab operibus ſeruilibus. Hæc autem ratio probat, ſi homo tunc non poteſt totius integri Sacri auditione Deum colere, debere ſaltem ea medietate. Et hinc apparet differentia inter hoc præceptum & præceptum ieiunij quoad vnicam comeſtionem: hoc enim ſi ſemel violetur, iam non ampliùs vrget, iuxta communem ſententiam; (etiam ſi ea non careat difficultate.) Nam illud præceptum dicit, *Non comedas niſi ſemel*, hoc autem conſiſtit in indiuiſibili: vnde qui iam comedit bis, non poteſt vllo modo illud implere, nec quidem ex parte, quia comedendo tertiò non ampliùs frangit præceptum. Vti ſi eſſet præceptum de virginitate, ſi ſemel illud violetur, iam ampliùs in ſecunda fornicatione non peccaretur contra illud præceptum, ſed contra alterum non fornicandi. At in præſenti præceptum audiendi Sacrum eſt affirmatiuum, ponendi ſcilicet omnes illas auditiones partium Sacri: quare ſi non poteſt quoad omnia ſeruari, ſaltem debet quoad partem. Iam enim oſtendi non eſſe fundamentum vllum ad dicendùm eas partes vt connexas, & vt facientes vnum totum exigi, alioquin ſi quis partem neglexiſſet, quæcumque illa, eſſet iam non teneretur ad reliquas, quia tunc non impleret omnes per modum totius: id quod nemo admittit. Imò ferè omnes dicunt, Si ipſa conſecratio, quæ eſt principalis, omittatur, nihilominùs eſſe obligationem ad reliquas, ergo.

Differentia inter præceptum de ieiunio & præceptum de audiendo Sacro.

SECTIO III.

Vtrùm ſatisfiat præcepto audiẽdo medium Sacrum ab vno, medium ab altero?

AZor, Toletus, Suarez, Coninck & Fagundez, quos refert & ſequitur Lugo ſuprà numero 8. negant: id quod probant, quia duæ illæ medietates non faciunt vnam Miſſam; non enim coniunguntur inter ſe: vti ſi Sacerdos non ſumeret hoſtiam quam hodie conſecrauit, ſed quam heri, non faceret hodie integrum Sacrificium. Secundò, quia, vt ait Suarez, ſi Sacerdos conſecraret in hoc Altari panem ſolum, & poſt longum tempus in alio calicem, non faceret Sacrificium; neque ex vtraque illa conſecratione conſtitueretur Miſſa; ergo. Tertiò, quia ſi ſufficeret hic modus ad implendum præceptum, etiam ſufficeret ſimul & ſemel medium Sacrum ab vno & medium ab altero audire, imò & primam partem ab vno, ſecundam ab altero, tertiam item, quartam & quintam ab aliis tribus audire; id autem dici ſine graui abſurdo non poteſt: poſſet etiam dici ſufficere ad ſatisfaciendum præcepto dicendi Horas, ſi ſimul audiret quis à tribus ſociis tres Lectiones, aut quod grauius eſt, omnes nouem à nouem orantibus. Vbi aduerto Patrem Suarium citari pro oppoſitis ſententiis in hoc puncto; nam Lugo eum citat pro ſententia negante tale Sacrum ſufficere; Gaſpar verò Hurtadus diſput. 5. de Sacrificio Miſſæ, difficultate 4. eumdem citat pro affirmante ſine vlla limitatione; videtur tamen neutri ſententiæ ex integro fauere: non neganti, quia præcisè dicit ea diſput. 88. ſect. 2. ſibi oppoſitam ſententiam fuiſſe ſemper ſuſpectam, & tamen eam non audet omnino negare, & tandem addit, Dummodò à conſecratione vſque ad Communionem incluſiuè ab eodem Sacerdote Sacrum audiatur, poſſe facilè concedi, licitum eſſe reliquas partes ab aliis Sacerdotibus audire: vnde etiam conſtat non eſſe abſolutè pro ſententia affirmante. Quidquid ergo de mente illius ſit, 15

Negatiua ſententia & eius argumenta proponuntur.

Quæſit mens Suarez explicatur.

Iudico Primò ſententiam affirmantem eſſe ſaltem probabilem ob Auctores grauiſſimos qui eam defendunt; vt ſunt Nauarrus, Saa, Sotus, Bartholomæus ab Angelo & Henriquez apud Dianam 1. Tomo, Tract. 3. Miſcellan. reſolutione 18. Maior, Ægidius, Bellanus, Molina apud Fagúdez ſuprà, Bonacina & Gaſpar Hurtadus apud Lugo n. 7. qui vltimus etiam ob eamdem auctoritatem dicit eam eſſe probabilem. 16

Affirmatiua ſententia probabilior ab auctoritate,

Secundò iudico etiam per principia intrinſeca eſſe probabilem, & abſolutè probabiliorem; id quòd ex dictis paulò antè poteſt efficaciter oſtẽdi; & verò priùs obſeruo argumenta oppoſitæ ſententiæ ſupponere, in conſecratione non conſiſtere totam Sacrificij eſſentiam: inde enim inferunt; Ergo vna pars cum altera non conficiet vnum Sacrificium, quibus facilè reſpondere poſſemus, Inde ſolùm euinci, quod vtriuſque ſpeciei conſecratio deberet ab eodem Sacerdote audiri, de cæteris verò nihil inferri, quia exhibita iam ſemel præſentia toti ſubſtantiæ Sacrificij, nihil eſt quod probet alia accidentaria non poſſe ab altero Sacerdote audiri. Sed quidquid de hoc puncto ſit, vniuerſaliter probatur ea ſententia nam licet in rigore phyſico illæ duæ medietates non faciant Sacrificium vnum, in ordine tamen ad ipſos audientes reuerà, vnum fit moraliter. Vti enim paulò antè dixi audiens Miſſam

Ab argumentis,

Ab Eccleſia ipſius intentione:

ſam non cooperatur phyſicè, ſed purè moraliter ei Sacrificio, quatenus, vt dixi, ſua præſentia illud approbat. Deinde ideò Eccleſia vult illum aſſiſtere Sacro, vt ſpecialiter diebus Feſtis & Dominicis Deum colat, honoret, &c. Hæc omnia rectiſſimè ſaluantur per duas illas medietates Sacrorum, quia in primis ad approbandum illud Sacrificium, & offerendum Deo, ſufficit, ſi mediæ parti cuiuſlibet aſſiſtat: tunc enim, vt ſic dicam, duo potiùs Sacrificia approbat, duo offert; quia ad offerendum eo modo, quo laïci offerunt, in
17 rigore neque ad medietatem requiritur aſſiſtentia. Secundò, vt conueniat ad laudandum Deum, & exteriùs ſua præſentia illum diebus feſtiuis colat, ſufficit, ſi illam mediam horam vel quadrantem inſumat in templo, mediam partem vnius mediam partem alterius Sacri audiendo, eſt item præſens cæremoniis omnibus illis quæ poſſunt eum ad Dei laudes excitare: quid ergo illi ad ſatisfaciendum illi præcepto deeſt? Fateor, ſi eſſet neceſſarium, vt ille ipſe verè & propriè ſacrificaret, non fore ſufficientes illas duas medietates ob rationem in contrarium adductam; ad moralem tamen illam oblationem non video cur non ſufficiant.

Reſpondetur argumentis contrariæ opinionis.

Iam non erit difficile argumentis oppoſitis reſpondere, & quidem duo priora ſolùm probant duas illas partes non facere vnum Sacrificium, quantum attinet (vt ſic dicam) ad valorem ſatisfactionis, & ad coniunctionem phyſicam, vel etiam moralem ipſiuſmet ſacrificantis, hinc tamen iam oſtendi quoad audientes nihil inferri, quia pro Eccleſiæ intentione in eo præcepto per accidēs ſe habet, quòd ab vno totum vel à duobus audiat, dummodò omnia audiat, maximè cùm omnia antecedentia conſecrationem non ſint pars Sacrificij, ſed puras potiùs eius accidentia: per accidens autem videtur, quòd hæc vel illa alia numero accidentia illi conſecrationi adiungantur.

An poſſit Sacrum ſimul & ſemel per diuerſas partes audiri.

17 Maiorem difficultatem habet tertium argumentum ab abſurdo, quia ſcilicet ſequeretur ſufficere, à diuerſis ſimul & ſemel audire omnes partes Miſſæ, & licet aliqui id licere concedant, ego tamen iudico id eſſe abſurdum. Vnde nego conſequentiam, & ratio eſt, quia ea auditio illo modo eſt in fraudem, vt ſic dicam, Eccleſiæ, nam hæc voluit vt homo ita ſit præſens Miſſæ, vt poſſit per ſe attendere ad omnia illius myſteria: id quod non poteſt fieri commodè reſpectu vtriuſque partis, multò autem minùs ſi quinque vel ſex illius partes audirentur ſimul.

18 Secundò, ipſam præſentiam totius temporis vnius Sacri exigit à fidelibus diebus Feſtis in Dei honorem, eo autem caſu non eſt præſens illo toto tempore vnius Sacri, ſed medij tantùm, ſicut ſi homo penetraretur ad mediam partem ſui, & alius eſſet præſens ei mediæ parti, non poſſit moraliter dici eſſe præſens loco vnius integri hominis.

Replica:

Replicabis contra primam rationem, Nam licitum eſt ſub Sacro orare Officium Diuinum, ad quod alioquin homo tenetur, neque tunc eſt in fraudem Eccleſiæ duo illa penetrare, ergo neque in præſenti. Reſpondeo Primò, Non defuturos multos qui negent poſſe eo modo penetrari vtrumque. Reſpondeo Secundò negando conſequentiam ad noſtrum caſum, quia Eccleſia in auditione Sacri ſolùm petit, vt tempore vnius Sacri aſſiſtatur deuotè ſaltem exteriùs, id autem præſtatur, etiamſi eo tempore oretur Officium

Soluitur Primò, Secundò.

Diuinum, quia illa oratio eſt attentio quædam. At quando penetrantur duæ partes Sacri, non aſſiſtitur moraliter deuotè vni Sacro, ſed medio, vt paulò ante oſtendimus, quid ergo mirum, ſi non ſatisfaciat illi præcepto?

Vltimo argumento reſpondetur.

Ad vltimum quod ſequeretur, audiendo orari nouem Lectiones Matutini ſimul à nouem diuerſis perſonis, me ſatisfacere præcepto eas orandi. Reſpondeo Primò, Hanc obiectionem potiùs eſſe contra Aduerſarios; nam in Officio Diuino non eſt neceſſaria ea vnitas ob quam ſolam requirunt in Sacrificio totum ab vno audiri: vnde ipſi expreſsè fatentur poſſe ordine præpoſtero dici Laudes ante Matutinum, &c. id quod negant in Sacro; debent ergo iam ipſi reddere rationem, cur non liceat id in Lectionibus. Reſpondeo ergo Secundò, Non eſſe moraliter vt quis percipiat nouem aut tres loquentes ſimul, prout requiritur ad recitationem Officij Diuini: licet enim Eccleſia diſpenſauerit in hoc, quòd non teneatur quilibet ſolus orare, ſed poſſit alternatim cum ſocio; ita tamen id debet intelligi vt ego v.g. percipiam verba ſocij, & non ſolùm audiam illum vtcumque loquentem, ſeu, vt ſic dicam, murmur loquentis, prout contingit, quando multi ſimul loquuntur.

SECTIO IV.

Vtrùm qui habet priuilegium audiendi Sacrum tempore interdicti teneatur etiam illud audire?

Quæſtio ratione Bullæ Cruciatæ.

HÆc quæſtio maximè mouetur propter 19
Bullam quæ dicitur Cruciata, in qua datur priuilegium, vt poſſit qui eam habet etiam tempore interdicti audire Sacrum: quo poſito, quærimus, An debeat etiam tunc illud audiri? Negant nonnulli, eò quòd priuilegium non cogat ad vſum ſui, neque grauet, ſed exoneret potiùs, ergo non debet ille tunc magis obligari, quam qui eo priuilegio caret. Pro qua ſententia multos graues Auctores refert & ſequitur Diana Tomo 1. Tract. 2. de Bulla Cruciata, & Lugo ſuprà nu. 12. eoſdem etiam refert.

Teneri audire probabilius eſt.

Hic tamen ſecutus Suarium hac diſput. 88. ſect. 6. & multos alios, contrarium tenet: id quod mihi videtur adeò verum, vt mirer tot & tam graues Auctores in contrariam ſententiam abiuiſſe. Ratio eſt manifeſta, quia præceptum audiendi Sacrum obligat omnes qui illud poſſunt audire. Atqui ille qui habet Bullam Cruciatæ eodem modo poteſt audire Sacrum nunc quo antè; ergo tenetur. Vbi aduerte priuilegium Bullæ non obligare eo caſu talem ad audiendum, ſed facere illi poſſibilem auditionem; eo autem ipſo obligat antiquum præceptum; hoc verò modo euidentiſſimum eſt poſſe priuilegia indirectè inducere obligationem, & re ipſa illa paſſim inducere. Etenim ſi Pontifex Romæ, & in tota ſua ditione diceret, *Ego do licentiam vt diebus Dominicis & Feſtis quicumque in carcere detinentur liberè poſſint exire per ciuitatem,* nemo negaret tales reos teneri eo caſu ad auditionem Sacri, quantumuis ea licentia eſſet priuilegium. Similiter ſi alicui grauiſſimè infirmo, & eo ipſo excuſato ab auditione Sacri Deus hoc priuilegium faceret, vt diebus Dominicis & Feſtis optimè valeret, eſſetque tam ſanus quàm quilibet alius; nemo negaret talem fore obligatum ad audiendum Sacrum, non directè vi eius

miraculoſi

Digitized by Google

miraculoſi priuilegij, vt ſi dicam, ſed vi ordinarij præcepti; cuius adimplendi redditur capax per priuilegium, ſeu quaſi priuilegium. Idem eſt

20 *Idem dicendum de infirmo, cui data eſt facultas audiendi in cubiculo.*

ſi infirmus habeat priuilegium, vt in ſuo cubiculo poſſit audire Sacrum; tenebitur enim eo ipſo illud audire. Scio aliquos ex Aduerſariis hoc ipſo exemplo vti pro ſua ſententia, quaſi certiſſimum ſit talem hominem tunc non obligari. Scio etiam Patrem Suarez, eſto noſtram defendat, nihilominùs in hoc caſu admittere, nullam eſſe obligationem; conatúrque inter vtrumque caſum aſſignare diſparitatem. Meliùs tamen Cardinalis Lugo fatetur idem eſſe in hoc ac in caſu Bullæ dicendum. Ego verò vlteriùs non ſolùm reſpondeo huic inſtantiæ, vt tanquam contra nos nihil probanti, cùm admittamus obligationem eſſe etiam tunc; ſed vtor pro me ea inſtantia, & puto manifeſtiſſimè conuinci ex illa meum intentum: quia verò video Aduerſarios poſſe fucum aliquem illi facere dicendo talem infirmum non teneri pro Sacerdote mittere vt celebret, &c. pono ego caſum, quo ibi aliquis vellet celebrare, quo infirmus penitus nullum haberet impedimentum, quò minùs Sacrum audiret. Addo, quòd re ipſa celebret aliquis ibi infirmo aut ſedente aut iacente in lecto; quis quæſo cum vlla probabilitate dixerit talem infirmum fretum priuilegio dicere poſſe, *Non teneor audire Sacrum, dormiam nunc ſub illo, aut garriam, aut legam litteras?* Quòd ſi ille tenetur tunc Sacrum audire; ergo habemus intentum, quòd ex priuilegio indirectè poſſit reuiuiſcere obligatio. Idem eſt in eo qui habet poteſtatem vi priuilegij eligendi quemcumque Confeſſarium præter ordinariũ: nam ſi talis velit celebrare, & ſit in mortali peccato, tenebitur confiteri alicui ex aliis Confeſſariis præſentibus etiam proprio abſente; nec poterit ille dicere, ſibi ex defectu Confeſſarij liberum eſſe cum ſola contritione celebrare.

21 *Aliud exemplum ſimile proponitur.*

Idem patet in habente priuilegium, vt in Paſchate poſſit ſatisfacere præcepto Communionis communicando vbicumque velit: talis enim ſi poſſit in noſtra Eccleſia v. g. communicare, in propria verò Parochia non poſſit ob aliquod impedimentum, ſine dubio tenebitur ſatisfacere præcepto communicando apud nos, nec ei licitum erit expectare donec elapſo tempore Paſchatis poſſit in ſua Eccleſia. Idem eſt in Sacerdote qui habet priuilegium quando facit iter celebrandi vbicumque voluerit: quis enim dicet talem, ſi ſecum omnia neceſſaria ad celebrandum habeat, die Dominico facientem iter, non teneri celebrare, ſi non veniat ad Eccleſiam aliquam, vbi quaſi ex iure poſſit celebrare & audire Sacrum? Idem patet: Nam ſi quis Sacerdos habeat

Multa ſimilia congeruntur.

priuilegiũ, vt eſto caſu aliquid deglutiat de aqua, poſſit tamen celebrare, ſine dubio ſi die Dominica manè caſualiter deglutiſſet aliquid teneretur tamen celebrare, ſi aliud Sacrum non poſſet audire, quia reſpectu illius perinde eſſet, ac ſi nulla eſſet lex de ieiunio ante Sacrum. Vnde ſicut, ſi ea lex non eſſet, teneretur non ieiunus celebrare vt Sacrum audiret; ita tunc tenetetur: quæ ratio eodem modo ſe extendit ad omnes caſus inſinuatos. Idem vlteriùs patet: Nam eſto lex, vt diebus Feſtis omnes non habentes aliquod priuilegium audirent Sacrum in ſua Parochia. & non alibi, profectò ſi ego haberem tale priuilegium, & in mea Parochia non poſſem, vel quia celebratum illud eſt me inſcio. vel alia de cauſa, tenerer audire illud in quacumque Eccleſia commodè poſſem.

Deinde qui haberet priuilegium legendi Sacrum ante auroram, vti habemus Religioſi, ſi diſcedamus ex Collegio ante auroram die Dominico, & ſciamus poſteà toto itinere non habituros nos vllam commoditatem celebrandi; profectò nemo nos excuſaret tunc, ſi non audito vel non celebrato Sacro diſcederemus. Et vt magis id vrgeatur, ponamus caſum in nocte Natiuitatis: Scio me poſt Sacrum illud media nocte celebratum fore ita occupatum, vt non poſſim vllum audire, poteróne ego in templo ſub ea Miſſa garrire, aut dormire, dicens me ea die non teneri audire Sacrum, quia priuilegium, ex quo prouenit vt illud celebretur media nocte, non poteſt me obligare, alia autem Sacra ordinario modo & ſine priuilegio celebrata ego non poſſum audire? Adduxi tot inſtantias in hoc puncto, quia principium illud minùs benè intellectum, quo Aduerſarij vtuntur, nimis eſt generale; & poſſet in valdè malas conſequentias deducere. 22

Obiicies tamen; Ergo qui ex eadem Bulla Cruciatæ habent priuilegium, vt cum neceſſitate & conſilio vtriuſque Medici, id eſt Confeſſarij & ordinarij Medici, poſſit ſeruare ieiunium comedendo carnes, & in reliquo ſeruando requiſita ad ieiunium, tenebitur ieiunare cum carnibus, etiamſi habeat cauſam legitimam ad illas comedendas. Lugo negat conſequentiam, quia ieiunium cum carnibus nullibi eſt præceptum. Priuilegium autem cùm non ſit lex, non poteſt obligare ad illud ieiunium, quia ad hoc requireretur noua lex imperans illud nouum ieiunium, quod non præcipiebatur per antiquam. At in noſtro caſu non ponimus nouam actionem ante non præceptam, ſed eamdem, nempè, nempè auditionem Sacri; priuilegium verò ſolùm ſe habet tunc tanquam remouens prohibens.

Obiectio ex eadem Bulla Cruciata.

Reſponſio Lugo.

Hæc obiectio Primò tangit quæſtionem vniuerſalem, An ille, cui nocent piſces & oua, teneatur tantùm ſemel comedere. De quo puncto fusè egi Tomo 5. tractans de ieiunio; vbi dixi; ſi res conſideretur principia intrinſeca, videri longè probabilius, talem omnino teneri ieiunare; quia præceptum ieiunij duo dicit; vnum eſt, non comedere carnes; alterum eſt, ſemel comedere: quæ duo ex natura rei ſunt omnino diſtincta, & inter ſe ſeparabilia, ergo ſi in vno non poſſumus obedire Eccleſiæ, debebimus in altero. Solutionem verò multorum, quòd eſſentia ieiunij ſit abſtinere à carnibus, ac proinde quando ea eſſentia non poteſt ſeruari, non ſit obligatio ad ſeruanda accidentia, meo iudicio efficaciſſimè ibidem reieci. Quia ſi conſideremus ieiunium ex natura rei, dicit abſtinentiam ab omni omnino cibo, tam piſcibus quàm lacticiniis, quàm hauſtu; ergo ex hac conſideratione nihil poteſt inferri de ſubſtantia aut accidentibus illius: ſi verò conſideremus illud vt eſt ab Eccleſia, duo dicit, & abſtinentiam à carnibus, & vnam tantùm comeſtionem. Nulli autem Eccleſia hoc præceptum imponens declarauit ſe abſtinentiam præcipere vt ſubſtantiam, reliqua vt accidentia, magis quàm è contrariò vnicam comeſtionem vt ſubſtantiam, abſtinentiam verò à carnibus vt accidens. Vnde ergo colligi ea doctrina poteſt? Potiùs igitur eſt dicendum, vtrumque præcipi vt duas partes æquales ieiunij. Vndè ſicut illi, qui non poſſunt vna comeſtione viuere, tenentur abſtinere à carnibus, ita è contrario qui non poteſt à carnibus abſtinere, debebit

23

Obiectio eluciadatur.

24

Digitized by Google

bit tantùm ſemel comedere. Et verò ſi velimus attendere ad id quod homines in ieiunio inſtituendo ſolent maximè conſiderare, potiùs dicendum eſſet contrarium, ſcilicet vnicam comeſtionem eſſe ſubſtantiam, abſtinentiam verò à carnibus eſſe accidens; quia olim in Lege veteri ieiunium non requirebat niſi vnicam comeſtionem veſperi, de carnibus verò nihil omnino prohibebat. Ergo eſto Eccleſia nunc addiderit etiã prohibitionem carnium; non tamen eſt credenda id ita addidiſſe, vt ea ſola ſit ſubſtantia ieiunij, vnica verò comeſtio ſit ſolùm accidens; ſed dicendum, vtrumque æqualiter præceptum eſſe ab illa. Hinc facilè ad objectionem dicerem, Omnino talem teneri ad ieiunandum modo dicto. Quòd ſi tamen dicamus ab Eccleſia ſolam abſtinentiam præcipi vt ſubſtantiam, tunc habebit locum doctrina, quam in ſolutione poſuimus ex Cardinale Lugo, quòd ſcilicet ideò vi Bullæ Cruciatæ non obligatur quis vt eo modo ieiunet, quia id eſſet nouum ieiunium præcipere: id quod non facit illud priuilegium.

Reſpondetur obiectioni.

25 Fortaſſe tamen adhuc aliquis ſatis probabiliter etiã nunc contrarium diceret. Vti enim etiamſi eadem Bulla faciat diſpenſationẽ in comedendis ouis & lacticiniis, nihilominùs relinquit obligationem non comedendi niſi ſemel, eſto ex Eccleſiæ mera inſtitutione æquè lacticinia ac carnes fuerint prohibita, ita eodem modo licet ea Bulla det licentiam non abſtinendi à carnibus, nihilominùs relinquet obligationem tantùm ſemel comedendi. Ad rationem verò Cardinalis Lugo facilè reſponderi poſſet, Tunc per priuilegium non præcipi nouum, vt ſic dicam, ieiunium, pro quo præcepto dicebatur neceſſaria noua lex; ſed illud priuilegium coarctare ieiunium ab Eccleſia poſitum, vt non intelligatur de vtraque parte, ſed de vna; poſita autem ea declaratione iam obligari eum hominem vi præcepti generalis Eccleſiæ de ſeruando ieiunio. Quæ doctrina mihi videtur valdè probabilis.

SECTIO V.

Qui excuſentur ab auditione Sacri?

CIRCA perſonas verò, quæ eo præcepto obligantur, dixi ſuprà; Primò, ſolùm obli-
26 gari baptizatos; quia alij cùm non ſint Eccleſiæ ſubiecti, nec etiã obligari poſſunt eius Legibus; illud tamen circa hoc ipſum dubitari poteſt, Vtrùm ſicut ſuperiùs agentes de præcepto ſumendi Euchariſtiam diximus teneri etiam Catechumenos vi eius præcepti ſe reddere capaces vt poſſint illud implere; ita etiam in præſenti, eſto eo præcepto non poſſint ſatisfacere actu, quia non admittuntur ad Sacrum, teneãtur tamen ſe reddere capaces illius implendi. Reſpondeo, Nequaquam teneri, & verò cùm ſupponamus re ipſa eos non teneri eo præcepto, non poteſt eſſe locus vt teneantur ſe ponere in eo ſtatu, in quo obligentur, quia licet ille, qui obligatur præcepto, poſſit teneri vt ſe ponat in eo ſtatu, in quo poſſit ei ſatisfacere, qui tamen liber eſt à præcepto non ſcio quomodo poſſit teneri, vt ſe reddat capacem obligationis. Et hinc ſumitur clara differentia inter hoc præceptum & illud Euchariſticum, nam Chriſtus illud imponens obligauit omnes homines, quia in omnes habuit iuriſdictionem, ac proinde omnes tenentur actu illo præcepto, etſi, quamdiu non ſunt baptizati, non poſſint communicare, tenentur tamen etiam ex eo capite baptizari. Vt ſi eſſent duo præcepta, vnum non intrandi templum niſi cum tali veſte, alterum audiendi Sacrum, ſine dubio etiam teneretur ille, qui actu non eſſet indutus ea veſte, audire Sacrum, & ex eo capite teneretur induere illam veſtem. At in præſenti nulla obligatio eſt circa auditionem Sacri in non baptizatis, ac proinde non tenentur ex eo capite baptizari.

Excuſantur Catechumeni.

Inter ipſos verò baptizatos non tenentur illi, qui adhuc non habent vſum rationis, id quod non eſt proprium huius præcepti, ſed omnibus 27
communne, quia liberi ſunt ab obligatione omnium omnino. Vbi minùs placet Pater Gaſpar Hurtadus ea diſp. 5. difficultate 1. faciens diſtinctionem inter perpetuò amentes, & eos qui poſt vſum rationis ſemel habitum in amentiam inciderunt, & in ea perſeuerant; ait enim illos non teneri eo præcepto, hos verò teneri in actu primo, excuſari tamen, quia nequeunt humano modo Miſſæ aſſiſtere. Hoc inquam mihi non placet (licet fortè ad modum loquendi ſpectet) quia reuerà non capio quid ad hoc faciat vſus rationis præcedens, vt de præſenti vnus obligetur magis quàm alter. Fateor, vt vnus obligatus fuerit, alter verò non, id omnino conducere, at vt actu obligetur vnus præ alio, mihi videtur inutile. Neque enim actu amens ea præciſè ratione excuſatur, quia non poteſt aſſiſtere modo humano, vt ait Hurtadus, ſed quia in actu primo non poteſt vllum præceptum ſubire etiam de re, quam ille poſſit alioquin efficere omni modo, quo iubemur per præceptum: v. g. non tenetur ille præcepto ieiunandi, eſto ieiunare phyſicè poſſit ſicut reliqui: & idem eſt dicendum de omnibus aliis præceptis. Vnde etiam ſi præceptum audiendi Sacri nullam penitus aliam requireret aſſiſtentiam, quàm eſſe intra templum; ac proinde ex hoc capite poſſit ille amens more humano, ſeu modo in præcepto requiſito aſſiſtere Sacro; non tamen teneretur illud audire; quia in actu primo ob defectum rationis eſt incapax iam omnis præcepti: ſiue enim anteà, dum habuit eum vſum, fuerit capax, ſiue non, potuit amittere, & verò re ipſa amiſit eam capacitatem. Et ſicut qui ſemper fuit ſtultus, nunquam fuit obligatus; ita neque actu obligatur qui iam eſt ſtultus, quia amiſit vſum rationis, qui neceſſarius erat ad obligationem proximam: ſed hoc, vt dixi, ad modum loquendi ſpectat, dummodò æqualiter pro tempore præſenti loquamur de vtroque amente.

Rationis impotes.

Diſtinctio Hurtadi reijcitur.

Circa pueros poteſt quæri, Vtrùm, quando habent vſum rationis ad veniale ſufficientem, teneantur ſub veniali audire Sacrum? Suarez, 28
Coninck & Laymannus, quos refert Hurtadus ſuprà, dicunt tales omnino excuſari, ipſe verò Hurtadus dicit eos teneri, ſicut tenentur aliis præceptis, Non occidendi, Non furandi, &c. eſto in nullius tranſgreſſione peccent niſi venialiter ob defectum rationis. Ego autem iudico in Legibus humanis non eſſe eam obligationem: & ita prior ſententia mihi magis placet. Et licet argumentum Patris Hurtadi ſit ſatis probabile, nõ tamen eſt abſolutè bonum, quia à Lege naturali ad poſitiuam non rectè argumentamur, nam Lex naturalis obligat etiam ad impoſſibilia moraliter ob ſummam difficultatem: v. g. licet aliquando ſit ſummè difficile moraliter ſeruare caſtitatẽ, nihilominùs tenentur omnes illam ſeruare, at Lex humana non obligat cum ea difficultate. Diſparitas eſt clara, quia obiectis naturalibus non

De pueris agitur.

Digitized by Google

non tollitur propria & eſſentialis malitia ob eas difficultates; ideò ſemper obligamur ad ea vitanda. At cùm res, quæ prohibentur Lege humana, ex ſe ſint indifferentes, non videtur fuiſſe expediens, vt cum tot difficultatibus grauaretur homo nouo illo onere in re ex ſe alioquin licita. Eodem ergo modo iudico de eis Legibus humanis dicendum, quando vſus rationis non eſt integer: videtur enim tunc ea impletio præcepti & cognitio illius eſſe quodammodò moraliter impoſſibilis, ſeu ſummè difficilis; ac denique non eſt præſumendum de ipſo Legiſlatore, quòd eam habuerit voluntatem, quidquid ſit circa præcepta naturalia.

29 *Excuſantur infirmi.*

Circa alias verò excuſationes pro non audienda Miſſa occurrere poſſunt varij caſus. Primò enim excuſantur omnes illi infirmi, qui ſine notabili difficultate non poſſunt ad templum ire; quia cùm hoc præceptũ ſit iuris poſitiui, & iuxta paulò ante dicta Legiſlator humanus nolit obligare ad rem cùm magna difficultate exequendam, ſine dubio tales infirmi aut valetudinarij excuſantur. Quanta autem debeat eſſe difficultas & grauitas morbi, non poteſt à nobis taxari (vt ſæpè in ſimilibus materiis diximus;) ſed id debet determinari prudenter in hac vel illa occaſione; hoc ſanè addiderim, non debere nos in eo puncto valdè ſcrupulizare, quia ea præſentia in templo & ſine vlla attentione interiori ad myſteria Miſſæ (vt dicimus ſufficere ad ſatisfaciendum ei præcepto) non videtur eſſe res tanti momenti, vt magnam valdè requirat difficultatem ad hoc, vt ſine peccato poſſit omitti. Et ſanè Auctores morales multos caſus ponunt, in quibus excuſant ab ea auditione ob non adeò magnas difficultates.

Nutrices.

Excuſatur prætereà nutrix, aut mater, quæ non poteſt puerum ſolum domi relinquere ſine periculo pueri; portare autem illum ad templum eſt ipſi puero periculoſum, ſi aura ſit dura, aut ipſis audientibus & celebranti Sacerdoti moleſtum ob ordinarios talium infantium fletus.

Infirmarij.

Item excuſantur qui habent infirmum, qui ſine notabili periculo non poſſet ſolus domi deſeri.

Dominorum coqui.

Excuſantur etiam Dominorum coqui, qui ſi abſint, non poſſint cibos parare.

Cuſtodes domus.

Excuſantur qui, dum morale eſt periculum prædonum, manent pro defendenda domo; etiam illi, qui ſi domo exeant timent ſibi vel necem vel vulnera à ſuis inimicis: item qui, ſi Miſſam audiant, negligent negotium, quod abſque graui incommodo nequit omitti.

Aurigæ.

Ex quo capite excuſantur aurigæ, qui res magni momenti vehunt, & ſine graui damno hærere non poſſunt ad audiendum Sacrum; vel quia ſuis equis & ſibi timent; vel quia mercibus ipſis, ſi ipſi non adſint; vel quia, ſi hæreant, non poterunt deinde ad hoſpitium venire, &c.

30 Ex quo capite excuſatur etiã ille, qui alioquin iter facit, & non poteſt manè Sacrum audire, timetque ne, ſi diu hæreat poſteà ſolus faciens iter incidat in prædones, aut ne cum magna incommoditate & tardè veniat noctu ad hoſpitium.

Iter agentes.

Fœmina honeſta carentes veſtibus decentibus.

Excuſantur prætereà honeſtæ fœminæ, quæ carent veſtibus ſibi conuenientibus, ſine quibus exire foras non poſſunt ſine pudore graui: quod etiam de viris dicendum eſt, quia etiam hi debent ſuo honori conſulere.

Fœmina ex occulta fornicatione grauida.

Excuſatur item fœmina ex occulta fornicatione grauida, ſi timet detegendum ſuum delictum: & idem eſt à fortiori de coniugata, ſi in longa mariti abſentia concipit ex adulterio, & timet ſe detegendam.

Non ago de his qui alioquin ſunt impediti ita, vt non poſſint; nam per ſe eſt notum ad impoſſibile neminem teneri.

Viduæ.

Excuſantur item, vbi eſt conſuetudo, viduæ, quæ non niſi ad certum tempus poſt mariti mortem exeunt domo:

Puerperæ.

Item puerperæ, vbi per ſex hebdomadas ſolent ſe continere domi:

Ruſtici diſtantes à templo.

Denique etiam ruſtici, & omnes illi qui non habent Eccleſiam niſi valdè diſtantem, itinere v.g. vnius milliaris; maximè quando tempus eſt aſperum valdè: non enim debemus eos obligare, vt cum tanta difficultate Sacrum audiant.

31 *Peregrini tranſeuntes per locum vbi eſt Feſtum, ſi in eo vnde exeunt aut quò pergunt, non eſt Feſtũ. An teneantur tunc audire Sacrum.*

De peregrinis, ſeu iter facientibus ac tranſeuntibus per locum, vbi eſt Feſtum, quando ſimul in loco vnde exeunt, aut ad quem eunt, non eſt Feſtum; ſpecialis eſt difficultas, Vtrùm teneãtur tunc audire Sacrum. Quomodo peregrini obligẽtur Legibus loci vbi ſunt, vniuerſaliter eſt à me tractatum Tomo 4. de Legibus.

Nunc ad præſentem materiam dico breuiter PRIMÒ, Si iter faciens non vellet hærere, nec quidem ad prandium in eo loco, nullo modo eum obligari ad audiendum Sacrum; ſi in eo vnde exiuit, aut quò pergit, non eſt dies Feſtus; quia tranſitus ille eſt in genere moris perinde ac ſi nihil eſſet: eſt enim quaſi inſtantaneus.

DICO SECVNDÒ, Etiamſi hæreat eo loco, vt pabulum det equo, prandium verò pro ſe ſumat, vel certè etiamſi pernoctet, non tamen ideò obligari ad audiendum Sacrum, (ſuppono ſemper in aliis locis non eſſe obligationem,) quia reuerà ea manſio ibi eſt valdè accidentaria, vt inducat talem obligationem.

Quomodo peregrini teneantur Legibus loci vbi ſunt.

Dices, Ergo, ſi eo in loco ſit ieiunium, vel abſtinentia à carnibus, non tenebitur ille abſtinere? hoc autem videtur durum. Reſpondeo negando id eſſe durum ſecluſo ſcandalo, quod facilè vitari poteſt, vt benè notat Thomas Sanchez lib. 3. de Matrimonio diſput. 18. ſi peregrinus ille oſtendat non eſſe in ſua patria illo die obligationem ieiunandi.

DICO TERTIO, Etiamſi eo loco ſit manſurus aliquot diebus, adhuc non teneri audire Sacrum, iuxta communem ſententiam, quæ eos peregrinos, niſi notabili parte anni ibi reſideant, non obligat ad Leges eius loci proprias.

DICO QVARTÒ, Neque eum teneri audire Sacrum, etiamſi in patria ipſius ſit Feſtum, ſi tamen in loco, vbi tunc eſt hoſpes, non ſit, quia illa obligatio eſt annexa territorio; ac proinde non obligat quando eſt extra illud. Vnde à fortiori conſtat etiamſi in loco, vnde illa die exiit, ſit Feſtum, in aliis verò, quæ tranſiturus eſt, & quo venturus, non ſit, nequaquam teneri, quia non obligabatur Legibus patriæ, ergo multo minùs Legibus eius loci vbi tantùm pernoctauit. 32
Si tamen in eo loco vnde exiit, anteà manſerat diu, vt iam fuerit obligatus Legibus eius loci, & in eo ſit ea die Feſtum, non in locis ad quæ venturus eſt, tunc videtur diſtinguendum: vel enim ſummo manè exit, ita vt iam non cenſeatur illa die pertinere ad illum locum, & ſic non obligabitur eo præcepto, ſi verò valdè tardè exeat, & poſt celebrata aliquot Sacra, non facilè illum excuſarem, quia reuerà ille pertinuit ad illum locum eo tempore, quo quaſi moraliter vrgebat præceptum, & quo poterat ille commodiſſimè ſatisfacere. Sed quid ſi in loco, vnde exit ſummo manè, & in eo ad quẽ veſperi perueniet ibi mãſurus, ſit Feſtũ, in locis verò illis, per quæ eſt facturus iter, non ſit, tenebitúrne manè Sacrũ audire?

re? Reſpondeo, Satis probabiliter dici illum eſſe obligatum, ſi commodè poteſt manè audire Sacrum; quia reuerà ratione locorum, ad quæ poteſt dici pertinere, obligatur: quòd autem in illis mediis nulla ſit obligatio, videtur eſſe per accidens, cùm iam ea die, tempore quo poterat implere præceptum, fuerit in loco, vbi tunc obligabatur; quia adhuc ad illum pertinebat. Et ſatis de peregrinis, de quibus videri poteſt Sanchez.

SECTIO VI.

De præſentia pro auditione Sacri requiſita.

33 *Prima difficultas:* Circa præſentiam certum eſt aliquam requiri ad audiendum Sacrum; id enim vel vox ipſa denotat: poſſunt autem circa hoc diuerſiſſimæ difficultates moueri. Prima, Vtrùm requiratur, quòd actu audiatur Sacerdos? Reſpondeo, Non; alioquin qui ſurdus eſt non teneretur ad templum venire. Deinde Sacerdos tenetur præcipuam partem Sacri ſubmiſſe dicere, eo fine vt non audiatur. Tertiò, quando multi homines ſunt in templo, remotiores nihil audiunt maximè, ſi Sacerdos demiſsè legat; & tamen ſatisfaciunt præcepto; ergo præceptum non requirit eam phyſicam auditionem.

Secunda: Quæres Secundò, An ſaltem debeat poſſe audiri per ſe loquendo; id eſt, tanta debeat eſſe vicinitas, vt poſſit Sacerdos voce ordinaria legens Sacrum audiri, eſto per accidens non audiatur: hoc enim ſaltem exigere videtur ea præſentia. Reſpondeo, In rigore hoc non eſſe neceſſarium; quia ſi in longo aliquo templo quis ſit, & videat Sacerdotẽ celebrantem in ſummo Altari, eſto audire eũ nõ poſſit, poteſt dicere ſe ſatisfeciſſe præcepto.

Tertia. Quæres Tertiò, An ſaltem debeat poſſe per ſe videri Sacerdos. Dico, Poſſe per ſe videri: quia etiam cæcus tenetur audire Sacrum, licet ob ſuum defectum accidentalem nequeat videre, qui poteſt habere præſentiam per ſe ſufficientem ad videndum. Reſpondeo, In rigore non eſſe id neceſſarium, quia etiam hi, qui ſunt poſt columnã aliquam templi, ad cuius anteriorem partem celebratur Sacrum, poſſunt illud audire: & idem eſt in choris Regularium, qui ſolent eſſe a tergo Altaris muro interpoſito, & tamen inde auditur ſufficienter Sacrum. Iudicarem ego eſſe neceſſariũ ad hanc præſentiam moralem, ne Sacerdos ita ſit à me elongatus, aut ita diſtans, vt nec videri nec audiri poſſit; quia reuerà tunc non poteſt moraliter dici eſſe mihi præſens. Vnde qui eſt extra tẽplum, etiamſi ſit ad ipſum murum, cui intus reſpõdet Altare, nõ poteſt moraliter dici præſẽs Sacro, quia nec videre nec audire poteſt Sacerdotẽ.

34 *De his qui extra templum anguſtum audiunt Sacrum.* Dices; Ergo quando in aliquibus paruulis templis celebratur Sacrum, & templum eſt plenũ, non audient Sacrum illi qui ſunt foris, ſi non ſint linea recta, & ipſum Sacerdotem videre poſſint, hoc autem videtur eſſe contra communem ſenſum: tales enim cenſentur omnino ſatisfeciſſe, præcepto. Reſpondeo Primò, Tales eſſe in loco vnde per ſe poſſunt audire Sacrũ, quia in talibus paruulis Sacellulis etiamſi quis ſit foris, poteſt cõmodè audire Sacerdotem legentem Sacrum. Reſpondeo Secundò, Talem fieri moraliter præſentem per coniunctionem cum aliis audiẽtibus Sacrum, nam in ordine ad moralem præſentiam multum id iuuat: aliquæ enim partes alicuius totius, quæ ſi ſolæ eſſent non poſſent mihi dici præſentes dicuntur tamen ratione aliarum, quæ ſunt verè præſentes, & quæ vniuntur illis partibus, vti fuſiùs dictum eſt ſuprà dum egimus de præſentia requiſita ex parte materiæ ad conſecrationem: illa enim omnia poſſunt præſenti puncto aptari, ob coniunctionem ergo moralẽ illius hominis audientis Sacrum cum aliis qui ſunt ad portam, & vſque ad Altare, poteſt cenſeri præſens moraliter eo caſu. Vnde dico, Si templum eſſet clauſum, & Sacerdos intus celebraret, non poſſet, qui eſſet foris, dici habuiſſe præſentiam ſufficientem pro auditione. Hinc colligo, ſi templum è contrario ſit valde vaſtum, & celebretur in aliqua illius Capella vtcumque remota, non ſufficere vt quis dicatur eſſe præſens, quòd ſit intra illud templum, vt benè de templo Sancti Petri Romæ notauit Lugo, quia reuerà nec audiri nec videri ibi Sacerdos poteſt ex omnibus partibus eius templi. Et vt hæc concluſio habeat locum, non eſt neceſſaria tanta magnitudo templi, quanta eſt illa Sancti Petri, ſed in multis aliis dici poteſt, maximè quando Sacella illa habent pro ſe portas, & ſunt quaſi extra templi ſubſtantiam, vt in arce Pragenſi. Non enim videtur poſſe probabiliter dici, ſi celebretur intra Sacellum Sãcti Venceſlai, & aliquis ſit poſt magnum Altare, poſſe talem moraliter iudicari præſentem ei Sacro. *De iis qui in magno templo audiunt Sacrum diſtantes.* Et ordinariè in Eccleſijs Cathedralibus ſolent eſſe circumcirca Capellæ in ſecunda naui, etiam poſt Altare maius, quis autem dicet, quando in vno ex his Altaribus celebratur, ſufficere, ſi aliquis planè ſit in oppoſito extremo templi ad portam illius tot columnis & muris interpoſitis inter ipſum & Celebrantem? Ob quam rationem ego (vt verum fatear) ſæpè habui ſcrupulum in hoc noſtro Pragenſi templo propter ſtudioſos paruæ ſcholæ, qui remanent fermè ad portam nauis dextræ, & aliquando Miſſa celebratur in extremitate templi ad Sacellum ſiniſtræ nauis: quæ ſanè diſtantia videtur obeſſe præſentiæ requiſitæ.

Reſpondebis fortè ex doctrina paulò antè tradita, Eos tunc poſſe fieri præſentes per alios, 35
cum quibus coniunguntur ad audiendum Sacrum. Reſpondeo, Eam quidem coniunctionem iuuare vt ſuppleatur aliqua diſtantia, non tamen vt quæcumque. Alioquin ſi multa millia hominum concurrerent poſſet ille, qui vltimus eſſet, eſto ad millenos paſſus diſtaret à Sacerdote, dici tamen præſens pro Sacro: id quod videtur planè improbabile. Et ob eamdem rationem etiam ſuperiùs diximus, eſto mare eſſet materia alioquin capax conſecrationis, non tamen habiturum ſufficientem approximationem, vt poſſet tota illius aqua demonſtrari per pronomen *hoc*, ac conſequenter vt poſſet à me exiſtente in ripa maris Baltici conſecrari Iaponica aqua. Vnde ad rem noſtram redeundo dico, In templo Sancti Petri etiamſi concurſus aliquis hominum iuuare poſſit, vt quis cenſeatur vicinus Sacerdoti, cui, eo concurſu ablato, non eſſet præſens, ſi tamen diſtantia ſit in ſe nimis magna, nequaquam illam ſuppleri per concurſum hominum; ac proinde ſi quis eſſet ad portam illius, & Sacerdos in brachio ſiniſtro ad Altare Sãcti Venceſlai celebraret, non poſſet dici præſens vt audiret illud Sacrum, ideóque tunc teneretur, ſi poſſet, aliud audire.

Rogabis, An ille, qui ex domo ſua videt Sacerdotem in templo celebrantem, aut certè procul ad portam templi, vti ſolet fieri in aliquibus Proceſſionibus, ſatisfaciat præcepto. Reſpondeo, Si Sacerdos extra templum celebret, *Et qui ex domo ſua audit Sacrum.*

poſſe

Digitized by Google

poſſe ex maiori diſtantia dici homines ei Sacro eſſe præſentes, quàm ſi intra templum celebret, & audientes ſint extra. Ratio eſt, quia quando eſt intra templum, videtur per ipſos muros templi quaſi ſeparatus iam ab eo qui eſt foris; nam campus & templum non cenſentur moraliter facere vnum locum; at quando Sacerdos celebrat foris, iam totus ille campus vicinus etiam ad centum & ducentos paſſus cenſetur vnus locus. Vnde dico, Si inter feneſtram & templi Altare intercedat platea nimis lata, & quæ moraliter reddat remotum valdè Altare, non fore id ſufficiens vt dicatur audire Sacrum; ſecùs ſi platea ſi anguſta.

36 Denique concludo, rem hanc in particularibus caſibus debere iudicio prudentum decidi, quia tangit eam taxationem in re incerta, quam ſæpè dixi valdè difficulter poſſe determinari; nam quibuſdam vna eadem diſtantia videtur magna, aliis parua, aliis mediocris.

Quæſtio de attentione ad Sacrũ requiſita.

Circa attentionem poteſt quæri, An qui confitetur tunc temporis, cenſeatur adeſſe Sacro? Reſpondeo cum Suarez diſput. 88. ſect. 6. & aliis quos Lugo refert & ſequitur ſectione 2. numero 22. nullo modo id ſufficere; quia duæ illæ actiones ſunt planè diſparatæ: quòd enim confeſſio ordinetur ad honorem Dei, non facit illam compatibilem cum attentione. Id quod ego ampliùs declaro; nam ea confeſſio non eſt actio ordinata ad honorem Dei per modum orationis aut attentionis ad myſteria Diuina, ſed per modum narrationis totius ſuæ vitæ; ac proinde eſt valdè diſparata cum Sacro: in quo multùm differt ad oratione Roſarij aut Officij Diuini. Vnde ſicut ſi quis ob ſuam humilitatem, aut etiam in honorem Dei, referret alteri non Sacerdoti toto tempore Sacri ſua peccata, non cenſeretur audiuiſſe Sacrum; ita neque qui confitetur debet cenſeri; quia reuerà eò quòd in hoc caſu ſit accepturus deinde abſolutionem à Sacerdote, in altero verò non, nihil penitus iuuatur ad explicandam attentionem pro Sacro requiſitam; ergo idem in vno caſu dicendum quod in altero.

Qui confitetur non cenſetur audire Sacrum.

Neque qui dormit inuoluntariè.

Hinc à fortiori conſtat, ſi quis dormiat tempore Sacri, etiã ſi ei inuoluntariè ſomnus veniat (imò aliqui addunt, ſi raptum vel extaſim patiatur) non dicendum fuiſſe moraliter præſentem. Hoc tamen vltimum ego limitarem; vt ſi in ea extaſi totus fuerit in contemplatione eius Sacri, videatur ſatisfeciſſe, quia ea eſt æquiualenter perfectiſſima attentio: vt ſi quis ſurdus claudens etiam oculos totus eſſet per mentis conſiderationem in Miſſæ myſterio intentus, ſine dubio audiret illam perfectiſſimè, & maximè iuxta Eccleſiæ intentum in eo præcepto.

Neque qui fabulatur, pingit, legit hiſtorias.

Denique vno verbo dico, Omnis illa externa actio manualis, quæ per ſe rapit hominem, ne attendere ad Sacrum poſſit, impedit auditionem rigoroſam illius, vti fabulari, legere hiſtorias, pingere, &c. Quòd ſi actio manualis non rapiat hominem ad ſe, ſed fiat quaſi ex conſuetudine, vt dum fœminæ nent, poſſunt enim & videre & audire Sacerdotem celebrantem, non putarem impediendam auditionem.

Qui ſarcit, aut ſuit poteſt Sacro intereſſe.

Quæres, An ſartoris aut ſutoris officium ſit iudicandum etiam impedire auditionem Sacri: videtur enim ex vna parte non impedire, nam licet occupet oculos, auditum tamen & mentem videtur relinquere expeditos, non eſt autem neceſſe vt oculi intenti ſint in Sacerdotem: nam eſto quis ſit poſt cortinam, vnde videre non poſſit Sacerdotem, aut ex propoſito oculos claudat, ne aliò diſtrahatur, poſſet, vt paulò antè dixi, perfectiſſimè audire Miſſam. Indico ſatis probabiliter dici poſſe, eas actiones (ſi alioquin diebus Feſtis licerent) eſſe compatibiles cum Sacri auditione; & verò eſto vſurpentur, quando non licent, & ex eo capite illi peccent contra præceptum colendi diem Feſtum, non tamen eos peccaturos contra præceptum audiendi Sacrum, ſi eas exercendo interſint Celebrãti. Non tamen id mihi videtur omnino certum, quia huiuſmodi actiones valdè trahunt ad ſe ſimul cum oculis etiam mentis attentionem; ſunt etiam contra extremam deuotionem & reuentiam.

SECTIO VII.

De attentione & intentione.

Proponitur difficultas.

Præcipua difficultas circa attentionem eſt, Vtrùm requiratur interior attentio, vel è contrario ſufficiat, ne quis voluntariè euagetur mente. Hæc quæſtio celebris eſt valdè, quia extenditur etiam ad recitationem Officij Diuini, Roſarij, &c. eam fusè tractaui Tom.4. de Legibus explicans, Vtrùm Eccleſia poſſit præcipere actus internos: vbi dixi negatiuam partem eſſe probabiliorem longè, quam nunc video etiã optimè propugnatam à Cardinale Lugo; pro qua etiam multos refert Auctores; ideóque de illa nihil dicendum occurrit amplius. Vnum tamẽ circa præſentem noſtram materiam de auditione Sacri occurrit diſcutiendum; quòd licet in Officio Diuino, vbi eſt illa exterior recitatio, ſeu locutio, videatur ſatisfieri præcepto Eccleſiæ; quia reuerà illa recitatio animo loquendi cum Deo, eſto cum interiori diſtractione, eſt vera oratio, ac proinde ſatisfaciens præcepto de recitando Officio Diuino at in auditione tamen Sacri non videtur id locum habere poſſe, quia ea auditio ſine attentione nihil eſt ex parte hominis ipſius niſi pura puta phyſica præſentia in templo: hæc autem non videtur ſufficere, alioquin ſufficeret corpore eſſe ibi præſentem, eſto quis dormiret, garriret, &c. 38

Et explicatur ex antè dictis.

Vrgetur autem difficultas hæc ex paulò antè dictis. Nam illæ ſolæ actiones manuales videntur eſſe contrariæ auditioni Sacri, quæ trahunt ad ſe attentionem internam; hinc autem videtur neceſſariò inferri, eam attentionem eſſe neceſſariò inferri, eam attentionem eſſe neceſſariam ad auditionem, alioquin quid quæſo poſſit obeſſe, quòd illæ actiones impediant attentionem, ſi hæc non eſt neceſſaria? Vbi rurſus habet locum differentia inter auditionem Sacri & orationem Officij, quòd in hac oratione, eo ipſo quòd homo ſe gerat actiuè recitando, neceſſariò debet eſſe attentio ſaltē illa, ſine qua verba non poſſunt proferri ſuo ordine diſtincte, &c. ac proinde non eſt mirũ ſi alia maior nõ requiratur. 39 In auditione tamen Sacri cùm nihil homo agat, ex hoc capite nulla attentio imperfecta requiritur; videtur ergo omnino neceſſariò dicendum requiri illam, quæ eſt ad ipſa myſteria Miſſæ; hæc autẽ attẽtio eſt interior; ergo. Hæc obiectio non caret ſua difficultate; quia tamen ea non poteſt habere locum, niſi dicamus ſimul poſſe Eccleſiam directè præcipere actus internos; id quod videtur falſum; non poſſumus ei obiectioni concedere intentum, ſcilicet eam attentionem requiri; ac proinde aliter eſt illi reſpondendum. Quòd verò niſi Eccleſia poſſit præcipere actus internos directè, nequeat eam attentionem præcipere, manifeſtè oſtenditur. Nam ea attentio, vt ſuperaddita debitæ exteriori

Eccleſia non poteſt præcipere actus internos.

reuerentiæ

reuerentiæ & aſſiſtentiæ in templo, non poteſt vllo modo eſſe neceſſaria ad vllam aliam actionem exteriorem, quam Eccleſia poſſit præcipere directè, rogo enim quæ ſit illa actio exterior, profectò nulla eſt excogitabilis.

Dices, Eſſe rationem orationis. Sed contrà, quia rogo quid addat ea ratio orationis ſupra illam exteriorem reuerentiam & præſentiam corporis; an internum aliquid, an externum: ſi externum, oſtendatur quid illud ſit; certè inueniri illud non poterit: ſi eſt internum, ergo cùm ea externa quæ ibi inueniuntur, & quæ ſola ſupponimus poſſe directè ab Eccleſia præcipi, iam oſtenderimus nullo modo dependere ab eo actu interiori; quia poſſunt ea omnia eſſe ſine vlla attentione interiori, poteſt enim homo eſſe genibus flexis, oculis in cœlum in Altare intentis, etiam manibus erectis, & tamen interiùs mente vagari per totum mundum, ergo illud interius quod dices requiri ad rationem orationis, ſi poteſt ab Eccleſia mandari, debet mandari directè, non indirectè. Probo euidenter ſubſumptum; quia mandari indirectè actum interiorem conſiſtit præcisè in eo, quòd mandetur aliqua actio exterior, ad quam ſit neceſſarius ille actus interior, ac proinde debeat haberi ratione actionis exterioris; ergo quando actio exterior tota quanta eſt independens ab ea interiori attentione, non poteſt in ea virtualiter præcipi hæc interior; ſed ſi præcipitur, id fieri debet directè & per ſe; hoc autem iam dixi ad Eccleſia fieri non poſſe; ergo non poteſt ea attentio eſſe neceſſaria ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto de auditione Sacri.

40 Ad obiectionem verò reſpondendum eſt, Rectè poſſe Eccleſiam præcipere in primis ipſã præſentiam phyſicam in templo, quia hæc eſt actio exterior: item poteſt prohibere, ne ibi dormiam, garriam, pingam, conſuam, &c. quia hæc omnia ſunt etiam actiones exteriores, & earum carentia eſt neceſſaria ad honeſtam & deuotam aſſiſtentiam corporalem in Sacro, & ad cultum externum Dei. Quæ omnia ſunt independentia ab eo, quòd Eccleſia poſſit præcipere attentionem internam.

Quid poſſit præcipere Eccleſia.

Deinde Eccleſia eſto hanc non poſſit præcipere; ex deſiderio tamen, vt homines eam attentionem habeant, ſeu vt ſint expediti & capaces ad eã habendam, poteſt prohibere omnia ea exteriora quæ illam impediunt: id quod in ſe eſt obiectum honeſtiſſimum: non enim ſolùm ipſum attendere eſt honeſtum, ſed & conſtituere ſe proximè capacem ad attendendum eſt obiectum honeſtum, illud quidem interius, hoc verò exterius, vti eſto quis non habeat votum viſitandi Sanctorum Apoſtolorum Limina, poterit, tamen facere votum non accipiendi vllam occupationem, aut officiũ, quod poſſit illum impedire, caſu quo velit ea viſitare: & idem eſt in aliis multis materiis.

Quomodo poſſit præcipere attentionem interiorem.

Hinc ergo conſtat, cur Eccleſia, eſto non poſſit præcipere attentionem interiorem, ex deſiderio tamen vt illam habeamus poſſit prohibere actiones exteriores, quæ natura ſua eam attentionem impediunt; & ob eam cauſam dixi eas actiones, quæ è contrario non rapiunt attentionem, non eſſe contra auditionem Sacri. Neque neceſſum eſt, vt homo quidquam aliud poſitiuè agat, quàm ſeruare eam reuerentiam exteriorem.

41 Circa intentionem audiendi Sacrum dubitari poteſt, quid illa ſit, & quomodo requiratur? In quo puncto exigua eſt difficultas; requiritur enim omnino ea intentio audiendi Sacrum. Nam ſi quis de Sacro nihil cogitans maneat in Eccleſia toto illo tempore, quo illud celebratur; profectò non ſatisfaciet præcepto. Vbi hoc fortè poteſt aliquam ingerere difficultatem, quòd ſit obiectum, quod vult ea intentio; nam ſola illa permanentia in templo non videtur vllo modo ſufficere: etenim hanc etiam vult ille, qui nihil cogitans de Miſsa vult ibi manere; attentio autem vlterior non eſt neceſſaria, vt diximus; ergo neque eſt obiectum vllum eius volitionis. Cardinalis Lugo breuiſſimè rem attingens dicit eius intentionis obiectum eſſe, velle offerre cum Sacerdote illud Sacrificium, velle participare & communicare actiuè media ſui aſſiſtentia oblationi illius Sacrificij, orationibus, &c. Hæc tamen explicatio mihi videtur aliquantulùm difficilis, quia plebij homines maiori ex parte penitus nihil ſciunt de ratione Sacrificij, de participatione, de communicatione actiua, &c. qui tamen habent ſufficientem intentionem audiendi Sacrum. Ego faciliùs putarem id poſſe explicari, ſi dicamus Primò, debere eſſe cognitionem Sacri; Secundò, debere hominem propter illud velle ibi manere, ſiue etiam habeat finem alium, ſiue non; Tertiò, ita manere, vt per ſe poſſit illud audire, vel videre; Quartò vt nolit eo ipſo aliquam externam actionem admittere quæ poſſit attentionem ad illud impedire, ſed aſſiſtere, ſicut vult aſſiſtere concioni aut Comediæ, &c.

Intentio audiendi Sacrũ quid.

Ex his apparet, quomodo differat hic homo ab eo, qui ob alium finem vult manere in Eccleſia: etenim talis ad habendam hanc volitionem non dirigitur cognitione Sacri; nam licet eam habeat, id tamen eſt per accidens. Secundò, nec pro motiuo manendi habet ipſum Sacrum. Tertiò, nec vult ſe facere præſentem moraliter Sacerdoti celebranti. Quartò, neque vi illius voluntatis vult excludere ea quæ impedire poſſunt attentionem ad Sacrum, &c.

Explicatur quæ ſit intentio neceſſaria ad Sacrum audiendum.

Illud denique circa eam intentionem verti poteſt in dubium, Vtrùm requiratur intẽtio expreſſa ſatisfaciendi præcepto per auditionem illam; an verò ille, qui animo ſerio audiendi Sacrum illud audit, ignorans eſſe Feſtum; vel eſto id ſciat, vult tamen poſteà per aliud Sacrum ſatisfacere, non verò per hoc; verè tamen per illud ſatisfaciat? Quæſtio hæc etiam eſt communis ad Officium Diuinum, Roſarium, aliaque ſimilia; de ea fusè egi in materia de Legibus; vbi dixi eam intentionem nullo modo eſſe neceſſariam, quia nõ eſt præcepta, ſed ſola actio ipſa exigitur; ac proinde cùm primùm hæc ponitur, eſt ſatisfactum præcepto: quidquid ipſe homo velit, neque ille poteſt ſibi imponere nouam legem audiendi: in voto quidem ſi velit nouum emittere, inducet nouam obligationem; at præcedenti voto iam abundè ſatisfecit, niſi fortè, dum illud emiſit, appoſuiſſet hanc circumſtantiam, qua ſe obligaret ad orandum ſub ea reflexione; quod eſſet obligatus, & id expreſsè agnoſcens, &c. 42

Quid circa eam intentionem verti poſſit in dubium.

Non eſt neceſſaria intẽtio ſatisfaciendi præcepto.

De quo puncto nihil amplius nunc iudico addendum. Et ſatis de Sanctiſſimo Altaris Sacramẽto & Sacrificio; cuius fructibus nos maximè iuuandos ſperamus ad feliciſſimum vitæ huic mortali finem imponendum, & Deum ipſum, quem ſub panis & vini velamine occultatum toto corde colimus, ac in nobis ſuſcipimus, clarè tandem, & facie ad faciem perpetuò conſpiciendum.

Epilogus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX ET ORDO
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, SEÇTIONVM ET SVBSECTIONVM
huius ſeptimi Tomi Theologici.

TRACTATVS I.
De Sacramentis in genere.
DISPVTATIO I.
De Sacramentis.

Sect. I. Quadam præſupponuntur. 2.
II. Proponuntur variæ definitiones. 4.
III. Examinatur quorumdam Recentiorum doctrina. 7.
IV. Quædam præmittuntur pro definitione Sacramenti. 8.
Svbsect. I. Quomodo Sacramentum ſit cæremonia ſacra. ibi.
II. Quomodo de ratione Sacramenti ſit eſſe cæremoniam ſenſibilem & ſtabilem. 11.
III. Quæ alia debeant Sacramento conuenire. 13.
Sect. V. Definitio Sacramenti concluditur; & reſpondetur aliquibus obiectionibus. 15.
VI. Proponitur & expeditur quinta difficilior obiectio. 17.
VII. Aliquæ quæſtiones expeditæ. 20.

DISPVT. II.
De materia & forma Sacramentorum.

Sect. I. Noſtra Sacramenta conſtant rebus & verbis. 24.
Svbsect. I. Duæ ſolutiones circa Sacramentum Matrimonij. ibid.
II. Duæ aliæ explicationes. 26.
III. Quid tandem de quæſtione. 28.
Sect. II. Sub qua conſideratione res ſint materia, & verba ſint forma. 29.
Svbsect. I. Variæ in hoc puncto ſententiæ; & quid in eis ſit de ſola voce. ibid.
II. Quid poſſit eſſe de re in hac quæſtione. 30.
III. Concluditur quæſtio, & reiicitur ſingularis quorumdam Recentiorum doctrina, 32.

DISPVT. III.
Quæ ſunt partes intrinſecæ Sacramentorum.

Sect. I. Quid de rebus & verbis. 33.
Svbsect. I. Variæ ſententiæ proponuntur, & quid ſit de voce in hac quæſtione. ibid.
II. Deciditur quæſtio. 35.
III. Obiectiones aliquæ ſoluuntur. 36.
Sect. II. Vtrùm voluntas Chriſti inſtituentis & Miniſtri conficientis Sacramenta ſit intrinſeca ipſis Sacramentis. 39.
III. Reſpondetur obiectioni graui. 41.
IV. Replica contra dicta ſatisfit. 42.
V. Quæ importentur in recto in Sacramentis. 44.
Svbsect. I. Quid ſit ſignificari in recto, quid in obliquo. ibid.
II. Quid de quæſtione præcipua. 46.

DISPVT. IV.
Digreſſio de Sacramento Euchariſtiæ.

Sect. I. Sententia negans proponitur, & reiicitur. 47.
II. Proponitur noſtra ſententia, 50.
III. Vtrùm non-retractatio conſecrationis pertineat ad conſtitutionem Euchariſtiæ. 51.
Svbsect. I. Iudicium Cardinalis Lugo de ſententia affirmante. ibid.

II. Quid

Digitized by Google

I I. *Quid in quæſtione dicendum.* 53.
I I I. *Obiectiones contra hanc doctrinam ſoluuntur.* 54.
Sect. I V. *Obiectiones ad probandum verba non eſſe partem Sacramenti Euchariſtiæ.* 57.
V. *Quomodo ea verba ſignificentur in Euchariſtiæ Sacramento.* 59.

DISPVT. V.

Cuius qualitatis verba requirantur in Sacramentis: & quid in illis dicatur res, & quid Sacramentum.

Sect. I. *Vtrùm verba in Sacramentis ſint concionatoria, an conſecratoria.* 62.
I I. *Quid ſit in Sacramentis res tantùm & Sacramentum tantùm; & quid ſit res & Sacramentum ſimul.* 64.

DISPVT. VI.

De terminatione materiæ & formæ in Sacramentis.

Sect. I. *Præmittitur certa doctrina.* 67.
I I. *Proponitur difficultas ex Sacramento Ordinis.* ibid.
Svbsect. I. *Expeditur prima difficultas.* 68.
I I. *Explicatur, an de facto impoſitio manuum ſit ex ſe ſufficiens materia Ordinis.* 69.
I I I. *Reſpondetur ſecundo dubio ſuprà poſito.* 71.

DISPVT. VII.

Quæ mutatio in materia aut verbis deſtruat Sacramentum.

Sect. I. *Proponuntur aliqui caſus particulares.* 73.
I I. *Quid ſi verba habeant ſenſum æquiuocum?* 75.
I I I. *Satisfit obiectioni contra doctrinam traditam.* 76.
I V. *Quando per additionem verborum fiat irritum Sacramentum.* 78.

DISPVT. VIII.

Vtrùm in ſtatu Iuſtitiæ originalis, & poſt peccatum, ante legem ſcriptam fuerint Sacramenta.

Sect. I. *Quid de facto fuerit durante ſtatu Iuſtitiæ originalis: & proponitur difficultas, quid ſi ille duraſſet diutiùs.* 80.
I I. *Quid de poſſibilitate ſeu de decentia Sacramentorum in eo ſtatu.* 82.
I I I. *Quid de facto foret in eo ſtatu.* 83.
Svbsect. I. *Quid de Patris Vaſquez ſententia.* ibid.
I I. *Quid de Patre Suario.* 85.
Sect. I V. *Vtrùm in Lege naturæ fuerint de facto Sacramenta.* 86.
Svbsect. I. *Sententia negans illud remedium fuiſſe Sacramentum.* ibid.
I I. *Contraria ſententia eſt probabilior.* 87.
I I I. *Reſpondetur obiectionibus.* 89.
Sect. V. *Diſcutiuntur aliqua dubia circa illud Sacramentum.* 90.
Svbsect. I. *Duo priora explicantur.* ibid.
I I. *Tria vltima dubia ſoluuntur.* 91.
Sect. V I. *An in Lege naturæ fuerint alia Sacramenta.* 93.

DISPVT. IX.

Vtrùm in Lege ſcripta & Lege gratiæ debuerint eſſe Sacramenta.

Sect. I. *Status quæſtionis magis declaratur, & fundamenta ſententiæ negantis proponuntur.* 94.
I I. *Sententia affirmans.* 96.
I I I. *Examinatur breuiter quædam media ſententia.* 97.
I V. *Reſpondetur argumentis contra noſtram ſententiam.* 99.
V. *Vtrùm in Lege gratiæ debuerint eſſe Sacramenta, & quot illa ſint.* 101.

DISPVT. X.

De cauſalitate morali noſtrorum Sacramentorum in gratiam

Sect. I. *Quædam ſupponuntur.* 101.
I I. *Noſtra Sacramenta ſunt cauſa moralis gratiæ.* 104.
I I I. *In quo ea cauſalitas moralis conſiſtat.* 105.
Svbsect. I. *Proponuntur variæ ſententiæ.* ibid.
I I. *Reſpondetur quæſtioni.* 107.
I I I. *Soluuntur aliquæ obiectiones contra præcedentem diſcurſum.* 109.
I V. *Obiectio ex Circumciſione explicatur.* 111.
V. *Aliæ obiectiones expeditæ.* 113.
Sect. I V. *Diſcutiuntur aliqua dubia circa eam cauſationem gratiæ.* 116.
Svbsect. I. *De infallibilitate eius cauſationis, & quæ ad illam ſit neceſſaria diſpoſitio.* ibid.
I I. *Vtrùm omnia Sacramenta cauſent æqualem gratiam; vti, An gratia ex opere operato creſcat iuxta meliorem ſuſcipientis diſpoſitionem.* 118.
I I I. *Quæ ſit melior diſpoſitio, ex qua creſcit effectus Sacramenti.* 120.

DISPVT.

Digitized by Google

DISPVT. XI.

An noſtra Sacramenta cauſent phyſicè gratiam.

Sect. I. *Quædam ſupponuntur.* 122.
II. *Quæ fuerit mens D. Thomæ in hoc puncto.* 123.
III. *Quid ſit in hoc puncto probabilius.* 124.
IV. *Reſpondetur argumentis aduerſis.* 125.

DISPVT. XII.

Quo tempore Sacramenta cauſent gratiam.

Sect. I. *Supponitur, gratiam ex opere operato non dari vnquam ante ſuſceptum re ipſa Sacramentum.* 127.
II. *Proponitur difficultas, & examinatur ſententia P. Vaſquez.* 128.
III. *Examinantur duæ aliæ ſententiæ.* 130.
IV. *Dubium incidens deciditur, & quæſtioni præcipuæ ſatisfit.* 131.
V. *Diſcutitur alia difficultas circa tempus eius cauſationis.* 133.

DISPVT. XIII.

Præuia ad reuiuiſcentiam Sacramentorum: An omnia poſſint eſſe valida & informia.

Sect. I. *Proponitur ſententia affirmans* 136.
II. *Contraria ſententia præfertur; & examinantur variæ eius probationes.* 137.
III. *Reiiciuntur prædictæ euaſiones.* 139.
IV. *Efficacior noſtræ ſententiæ probatio.* 140.
V. *Examinantur tum aliud argumentum pro mea ſententia, tum alter modus defendendi contrariam.* 142.

DISPVT. XIV.

De reuiuiſcentia Sacramentorum.

Sect. I. *Quid de Baptiſmo?* 144.
II. *Variæ ſententiæ circa alia Sacramenta.* 147.
III. *Prima pars noſtræ ſententiæ.* ibid.
IV. *Altera pars noſtræ doctrinæ.* 149.

DISPVT. XV.

Difficultates aliquæ circa Sacramentorum reuiuiſcentiam.

Sect. I. *Duo priora dubia explicantur* 150.
Subsect. I. *Soluitur primum dubium; & proponitur ſecundum.* ibid.
II. *Fundamenta affirmantium creſcere iuxta diſpoſitionem auferentem obicem.* 151.
III. *Fundamenta negantium & iudicium de tota quæſtione.* 153.
IV. *Quid ſit dicendum circa augmentum gratiæ duorum Sacramentorum per vnicam diſpoſitionem data ſententia Vaſquez.* 154.
Sect. II. *Tertium dubium, quomodo reuiuiſcant Sacramenta ad remiſſionem venialium.* 157.
III. *Quartum dubium, quæ diſpoſitio requiratur pro reuiuiſcentia Sacramenti.* 158.

DISPVT. XVI.

De aliis effectibus Sacramentorum.

Sect. I. *An omnia Sacramenta poſſint cauſare primam gratiam.* 161.
Subsect. I. *Quædam præſupponuntur; & duæ extremæ ſententiæ proponuntur.* ibid.
II. *Probabilior ſententia.* 163.
II. *Reſpondetur argumentis aduerſis.* 164.
Sect. II. *De gratiis Sacramentalibus.* 166.

DISPVT. XVII.

De Charactere.

Sect. I. *Vnde probetur infundi Characterem per aliqua Sacramenta.* 167.
II. *Expediuntur aliqua dubia.* 169.
III. *Quomodo diſtinguatur Character ab anima.* 170.
IV. *Vtrùm Character ſit ſignum ad placitum.* 172.
V. *Vtrùm Character ſit modus, & an in genere potentiæ.* 175.
Subsect. I. *Explicatur prima quæſtio.* ibid
II. *Quomodo Character ſit potentia.* ibid.
Sect. VI. *In qua ſpecie ſit Character, & an ſit ſupernaturalis, & vbi ſubiectetur.* 177.
VII. *Duæ vltimæ difficultates de Charactere.* 179.

DISPVT. XVIII.

De cauſis Sacramentorum.

Sect. I. *De cauſa inſtituente.* 180.
Subsect I. *Noſtra Sacramenta de facto ſunt omnia inſtituta à Chriſto.* ibid.
II. *Aliquæ obiectiones diſſoluuntur; vbi de cauſa inſtituente Sacramenta antiqua.* 182.
Sect. II. *Quomodo potuerit pura creatura committi poteſtas inſtituendi Sacramenta.* 183.
III. *Quæ excellentiæ ſint propriæ Chriſti in inſtitutione Sacramentorum: vbi, An poſſit*

Digitized by Google

poſſit Eccleſia complere eſſentialiter aliquam actionem in eſſe Sacramenti. 185.
IV. De cauſa administrante Sacramenta. 187.

DISPVT. XIX.

De intentione Miniſtri.

Sect. I. Quæ intentio ſit neceſſaria in Sacramenti Miniſtro. 188.
II. Amplius probatur neceſſitas eius intentionis. 191.
III. Explicatur quod ſit obiectum eius intentionis. 192.
IV. Qualis debeat eſſe exiſtentia intentionis Miniſtri. 193.
Subsect. I. Status quæſtionis, & quæ certa ſunt præmittitur. ibid.
II. Deciditur præcipua difficultas. 194.
III. Aliquæ obiectiones ſolutæ. 196.
IV. Aliqua ex dictis inferuntur; & quæſtiunculæ nonnullæ circa Miniſtri intentionem diſcutiuntur. 197.

DISPVT. XX.

De Miniſtris Sacramentorum.

Sect. I. Quomodo Miniſter Sacramenti teneatur eſſe in gratia. 201.
Subsect. I. Vnde ea obligatio deſumatur. ibid.
II. Aliqui caſus deciduntur ex dictis. 202.
III. Alia dubia expediuntur. 204.
Sect. II. Quando liceat ab iniquo Miniſtro Sacramenta petere. 205.
III. Reiicitur ex dictis quædam aliorum regula generales. 206.

DISPVT. XXI.

De obligatione non miniſtrandi Sacramenta indignis.

Sect. I. Quædam præmittuntur. 207.
II. Quid de peccatore publico & occulto occulte petente. 209.
III. Quid ſi occultus peccator petat publicè Euchariſtiam. 210.
IV. Nouæ obiectiones contra dicta. 212.
V. Aliquæ quæſtiones circam eam obligationem. 213.
VI. Specialis difficultas de Sacramento Matrimonij quoad Parochum aſſiſtentem. 215.
VII. Quid de contrahentibus ipſis. 217.

DISPVT. XXII.

De intentione requiſita ex parte ſuſcipientis Sacramentum.

Sect. I. Quæ certa ſunt circa infantes 219.
II. Difficultas circa adultos. 220.
III. Exceptio quædam traditur. 221.
IV. Noua obiectio contra dicta. 223.
V. Quanta debeat eſſe eius intentionis perſeuerantia. 224.

DISPVT. XXIII.

De cæremoniis Sacramentalibus.

Sect. I. Licita & honeſta ſunt huiuſmodi cæremoniæ, poſſuntque ab Eccleſia præcipi. 227.
II. Quem effectum illæ habeant. 228.

TRACTATVS II.

De Baptiſmo & Confirmatione.

DISPVT. XXIV.

De eſſentia, inſtitutione, neceſſitate, vnitate Baptiſmi & diſpoſitione ad illum requiſita.

Sect. I. De materia Baptiſmi. 229.
Subsect. I. De materia remota. ibid.
II. De materia proxima. 230.
Sect. II. Quomodo forma Baptiſmi debeat eſſe coniuncta cum ablutione. 232.
III. Quæ verba ſint neceſſaria pro forma Baptiſmi. ibid.
Subsect. I. Quid de eis formis, In nomine Chriſti, & In nomine Trinitatis. 233.
II. Quid de ea, In nomine Genitoris. 234.
III. An ſufficiat dicere in nominibus; & an debeat exprimi perſona baptizantis. 235.
Sect. IV. tempore inſtitutionis Baptiſmi. 237.
V. De neceſſitate Baptiſmi maximè pro infantibus. ibid.
VI. Explicatur in particulari, quæ ſit ea neceſſitas Baptiſmi. 239.
VII. An ſine Baptiſmo reipſa ſuſcepto poſſit eſſe ſalus. 241.
Subsect. I. Certa ſententia proponitur. ibid.
II. Quid ſit votum Baptiſmi, & quomodo per martyrium ſuppleatur eius defectus. 242.
III. Illatio quædam; & quid requiratur ad martyrium pro ea cauſatione gratiæ. 244.
Sect. VIII. De vnitate Baptiſmi; & an poſſit iterari. 245.
IX. De diſpoſitione neceſſaria ad recipiendum effectum Baptiſmi. 246.

DISPVT. XXV.

An filij infidelium inuitis Parentibus baptizari poſſint.

Sect. I. Tres priores concluſiones. 248.

Digitized by Google

I I. *Quarta & quinta concluſio.* 250.
I I I. *Aliqua dubia circa præcedentem concluſionem.*
I V. *Vltima in hoc puncto concluſiones.* 254.

DISPVT. XXVI.

Reliqua quæ de Baptiſmo deſiderantur.

SECT. I. *De Miniſtro Baptiſmi.* 255.
SVBSECT. I. *Quæ certa ſunt ſupponuntur.* ibid.
I I. *Quæ magis dubia ſunt declarantur.* 256.
I I I. *Cætera quæ de Miniſtro deſiderantur.* 258.
SECT. I I. *De Patrino huius Sacramenti.* 260.
SVBSECT. I. *Qui & quot poſſunt eſſe Patrini; & quam affinitatem ſpiritualem cum baptizato contrahant.* ibid.
I I. *Obiectio contra dicta ſoluitur.* 261.
I I I. *Duo dubia expediuntur.* 262.
SECT. I I I. *De cæremoniis Baptiſmi.* 263.
SVBSECT. I. *De tempore Baptiſmi ſuſcipiendi* ibid.
I I. *De loco Baptiſmi, & de reliquis illius cæremoniis.* 265.
SECT. I V. *De pœnis in cooperantes illicitæ adminiſtrationi Baptiſmi.* 266.

DISPVT. XXVII.

De Sacramento Confirmationis.

SECT. I. *An Confirmatio ſit Sacramentum; & quando inſtitutum.* 269.
I I. *De materia remota huius Sacramenti.* 271.
SVBSECT. I. *Obiectio contra dicta ex Apoſtolorum facto.* ibid.
I I. *Reiicitur alia quorumdam doctrina.* 272.
I I I. *A quo debeat benedici Chriſma.* 273.
SECT. I I I. *De materia proxima Confirmationis.* 275.
I V. *De forma huius Sacramenti.* ibid.
V. *De effectibus Confirmationis.* 276.
V I. *Reliqua quæ de Confirmatione deſiderantur.* 277.

TRACTATVS III.

De Euchariſtia vt eſt Sacramentum.

DIPVT. XXVIII.

Quæ in hoc Sacramento reperiantur.

SECT. I. *Eſt verum Sacramentum realiter in ſe continens corpus & ſanguinem Chriſti.* 279.
I I. *Quomodo Euchariſtia diſtinguatur à Confirmatione.* 281.
I I I. *In hoc Sacramento non includitur ſubſtantia panis & vini.* 283.
I V. *Quomodo actio ipſa, qua Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus panis, pertineat ad conſtitutionem huius Sacramenti.* ibid.
V. *Quid de ſumptione ipſius Euchariſtiæ.* 284.

DISPVT. XXIX.

De vnitate & neceſſitate huius Sacramenti.

SECT. I. *De eius vnitate & neceſſitate.* 286.
SVBSECT. I. *Declaratur quid de re, & quid ſit de nomine, ac deciditur prima difficultas.* 287.
I I. *An multæ hoſtiæ ſint idem numero Sacramentum.* 289.
SECT. I I. *An ſit neceſſaria Euchariſtia ad ſalutem neceſſitate medij, an verò præcepti.* 291.
SVBSECT. I. *Ratio dubitandi, & quî ei à nonnullis reſpondeatur.* ibid.
I I. *Reſponſio Cardinalis Lugo.* 292.
I I I. *Duæ aliæ eius dubij explicationes.* 294.
I V. *Quid tandem de Euchariſtiæ neceſſitate dicendum.* 296.
V. *Obiectiones ſolutæ.* 297.

DISPVT. XXX.

De materia remota huius Sacramenti.

SECT. I. *Quid intelligatur nomine tritici, quod eſt materia remota Euchariſtiæ.* 299.
I I. *Aliqua dubia circa eam materiam.* 301.
I I I. *De materia calicis.* 303.
I V. *De præſentia & determinatione materiæ conſecrandæ.* 305.
V. *De termino materiæ conſecrandæ.* 306.

DISPVT. XXXI.

De conuerſione aquæ in Chriſti ſanguinem.

SECT. I. *Sententia affirmatiua, & aliqua pro illa fundamenta.* 309.
I I. *Noua fundamenta pro eadem ſententia.* 311.
I II. *Sententia negans.* 314.
I V. *Dubium ex dictis ortum deciditur.* 317.

Digitized by Google

DISPVT. XXXII.

Præuia ad præſentiam Chriſti in Euchariſtia.

SECT. I. *Diſtinctione vbicationis breuiter probata agitur, vtrùm videatur ipſa vbicatio.* 319.

SVBSECT. I. *Quatuor priora argumenta.* ibid.

II. *Vltima quatuor argumenta.* 321.

SECT. I. *Reſpondetur obiectionibus.* 322.

III. *Quæ accidentia comitari debeant rem quæ ponitur in duobus locis.* 324.

IV. *Reſpondetur cuiuſdam nouis obiectionibus contra dicta.* 327.

DISPVT. XXXIII.

De præſentia Chriſti in Euchariſtia.

SECT. I. *An præſentia Chriſti Domini in hoc Sacramento ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.* 329.

SVBSECT. I. *Proponitur ſententia docens eam eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam.* 330.

II. *Reiiciuntur alia argumenta pro eadem ſententia.* 331.

III. *Dubium quoddam incidens diſſoluitur, & reſpondetur quæſtioni.* 332

SECT. II. *Aliqua dubia circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia.* 333.

III. *An Chriſtus ſit totus in qualibet hoſtiæ parte.* 336.

IV. *Quid aliud præter præſentiam ſit neceſſarium, vt Chriſtus poſſit in Euchariſtia demonſtrari.* 337.

V. *Reſpondetur his quæ contra dicta obiiciuntur: vbi oſtenditur Chriſtum non poſſe influere in accidentia Euchariſtica.* 340.

VI. *Explicatur dubium incidens; & reiicitur euaſio quædam pro argumento à nobis facto contra cauſalitatem Chriſti in accidentia.* 341.

VII. *An ſit in accidentiubs ponenda aliqua qualitas quæ trahant Chriſtum.* 343.

VIII. *Quæ denominationes Chriſto conueniant in hoc Sacramento.* 345.

DISPVT. XXXIV.

Præuia ad conuerſionem. De natura conuerſionis vt ſic.

SECT. I. *Præmittitur, quid ſit conuerſio vt ſic.* 346.

II. *Dum reſpondetur aliquibus obiectionibus, roboratur magis doctrina præcedentis ſectionis.* ibid.

III. *Aliis nouis argumentis reſpondetur.* 339.

IV. *Satisfit aliis obiectionibus.* 351.

V. *Explicatur ex dictis, Vtrùm qualibet res poſſit in quamlibet conuerti.*

DISPVT. XXXV.

De conuerſione Euchariſtica.

SECT. 1. *Præfertur ſententia admittens productionem ſubſtantialem Chriſti.* 357.

II. *Examinantur aliquæ aliæ ſententiæ circa eam conuerſionem.* 359.

III. *Concluditur, quid ſit in hoc puncto ſentiendum.* 262.

IV. *Quomodo deſinat ſubſtantia panis & vini in hoc Sacramento.* 365.

SVBSECT 1. *Nihil manet de panis ſubſtantia.* ibid.

II. *An annihiletur panis.* 366.

DISPVT. XXXVI.

Quomodo totus Chriſtus ſit ſub qualibet ſpecie.

SECT. 1. *Totus Chriſtus eſt per concommitantiam ſub qualibet ſpecie.* 368.

II. *Vtrùm Chriſtus ſit ſub punctis ſpecierum.* 370.

III. *De his quæ ponuntur vi verborum.* 372.

SVBSET. 1. *Tres ſententiæ circa vocem* corpus. ibid.

II. *Sententia Suarez & Vaſquez.* 374

III. *Sententia Cardinalis Lugo.* 375.

IV. *Concluditur, quid nomine corporis ſignificetur.* 377.

V. *Quid ponatur vi vocis* ſanguis. 379.

VI. *Vtrùm Diuinitas ponatur vi verborum.* 381.

DISPVT. XXXVII.

De his quæ Chriſtus in hoc Sacramento pati, aut efficere poteſt phyſicè.

SECT. 1. *Chriſtus de facto propriè mouetur localiter, non tamen naturaliter.* 383.

II. *Quis ſit cauſa eius motus Chriſti de facto.* 485.

III. *An aliquid aliud poſſit ibi Chriſtus pati* 386.

IV. *An in alios agere poſſit Chriſtus naturaliter.* 387.

V. *An Chriſtus in Euchariſtia poſſit actus tam materiales quàm ſpirituales cogitationis & appetitus exercere.* 388.

VI. *Quomodo poſſit Chriſtus in hoſtia videri & cognoſci ab aliis.* 390.

SVBSECT. 1. *De oculo corporeo.* ibid.

II. *De intellectu.* 393.

DISPV

Digitized by Google

DISPVT. XXXVIII.

De ſpeciebus Sacramentalibus, quæ ibi maneant, quî conſeruentur, & quî è contrario deſtruantur.

Sect. I. *Quæ accidentia ibi maneant.* 394.
II. *Quid de ſubiecto eorum accidentium.* ibid.
III. *Qua actione conſeruentur ſpecies Sacramentales, & an habeant aliquem modum ſuperadditum perſeitatis.* 397.
IV. *Quomodo illæ ſpecies poſſint ibi agere & pati.* 398.
V. *De corruptione earum ſpecierum; vbi quæ materia ſuccedat, & quis noua accidentia & formam ſubſtantialem producat.* 399.

DISPVT. XXXIX.

Quomodo & quando deſinat Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus.

Sect. I. *Chriſtus ſolùm deſinit eſſe per corruptionem vbicationis, & per deſtructionem vnius actionis ſubſtantialis.* 401.
II. *Vtrùm Chriſtus deſinat eſſe, eo ipſo quod ſpecies vini miſceantur cum alio liquore.* 403.
III. *Difficilis replica contra dicta.* 404.
IV. *Aliqua incidentia dubia diſcutiuntur.* 406.
V. *Quàm citò in ſtomacho corrumpantur ſpecies, ita vt in eis deſinat eſſe Chriſtus.* 408.

DISPVT. XL.

De verbis quibus hoc Sacramentum conficitur.

Sect. I. *Quibus verbis Chriſtus confecerit hoc Sacramentum.* 409.
II. *Quibus verbis à nobis idem Sacramentum conficiatur.* 410.
III. *Quibus de illis verbis*, Qui pridie quàm pateretur, *&c.* 413.
IV. *Quid de illis*, Accipite & comedite: *vbi de* τὸ enim. 415.
V. *Quid de conſecratione calicis.* 417.
VI. *Vtrùm ſaltem ea verba ſint pars integralis formæ.* 419.
VII. *Vtrùm verba conſecrationis proferantur recitatiuè, an aſſertiuè.* 420.
Svbsect. I. *Duæ priores concluſiones* 421.
II. *Tertia concluſio.* 422.
Sect. VIII. *Quid ſignificent verba illa* Hoc *&* Hic *in forma Euchariſtiæ.* 425.
Svbsect. I. *Propoſitis variis ſententiis explicatur, quid ſit tenendum.* ibid.
II. *Expediuntur duæ difficultates circa prædicta.* 427.
III. *Replica contra dicta ſoluitur.* 428.
IV. *Obiectiones contra doctrinam ſolutionis.* 429.
Sect. IX. *Quomodo plures ſimul poſſint eaſdem ſpecies conſecrare.* 432.

DISPVT. XLI.

De aliquibus effectibus huius Sacramenti.

Sect. I. *Quo tempore dicatur Euchariſtia manducari, vt pro eo cenſeatur cauſare gratiam.* 434.
II. *An Euchariſtia cauſet gratiam quamdiu eſt in ſtomacho.* 436.
III. *Vlteriùs probatur noſtra ſententia.* 438.
IV. *Reſpondetur argumentis in contrarium; & vna aut altera quæſtio explicatur.* 440.

DISPVT. XLII.

An vtraque ſpecies cauſet maiorem gratiam: vbi de aliis Euchariſtiæ effectibus.

Sect. I. *An licitè vna ſpecies ſine altera ſumi poſſit.* 442.
II. *Argumenta ſententiæ aſſerentis vtramque ſpeciem conferre maiorem gratiam quàm vna ſola.* 445.
III. *Satisfit replicis contra dicta.* 447.
IV. *Vera & communis ſententia præfertur.* 449.
V. *De aliis effectibus Euchariſtiæ tam in anima quàm in corpore.* 451.

DISPVT. XLIII.

De ſubiecto capaci huius Sacramenti.

Sect. I. *An catechumeni & infantes ſint capaces huius Sacramenti.* 454.
II. *Quid de amentibus poſt vſum rationis.* 456.
III. *Quando in pueris incipiat obligatio communicandi.* 457.
IV. *Quid ſi dubitatur de vſu rationis pueri.* 459.
V. *Quid de adultis dubium vſum rationis habentibus & energumenis.* 460.

DISPVT. XLIV.

De diſpoſitione corporali requiſita ad ſuſceptionem huius Sacramenti.

Sect. I. *Quomodo impediatur Communio per actus carnales eo die habitos.* 461.
II. *Quomodo requiratur hominem eſſe ieiunum*

num ad hoc Sacramentum. 464.
Svbsect. I. *Tres priores quæſtiones explicantur.* ibid.
II. *Duæ aliæ quæſtiones circa idem ieiunium.* 466.
III. *A quo puncto illud ieiunium ſit incboandum.* 467.
IV. *Quid dum horologia inter ſe diſcrepant.* 468.
V. *Dubium de nocte Natiuitatis Romæ.* 470.
Sect. III. *Quomodo ratione morbi liceat homini non ieiuno communicare.* ibid.
Svbsect. I. *Proponitur primum dubium, & varia ſententia circa illud.* ibid.
II. *Quid ſit in hac quæſtione dicendum.* 471.
III. *Aliæ quæſtiones circa caſum morbi.* 473.
IV. *Appendix de Sacerdote communicaturo moribundum.* 474.
Sect. IV. *Alij caſus quibus licet ſine ieiunio communicare.* 476.

DISPVT. XLV.

Quomodo requiratur gratia ad hoc Sacramentum.

Sect. I. *Quædam præmittuntur.* 478.
II. *Quid de accedente in veniali.* 481.
III. *Vtrùm, vt Euchariſtia cauſet gratiam, requiratur actualis deuotio.* 483.

DISPVT. XLVI.

De neceſſitate confeſſionis præuiæ in habente conſcientiam mortalis.

Sect. I. *Diſcutitur ſententia Caietani, & ſtabilitur certa doctrina.* 484.
II. *A quo ſit impoſitum præceptum confeſſionis pro Communione.* 486.
III. *Variæ exceptiones ab eâ obligatione.* 487.
Svbsect. I. *Quæ ſit cenſenda carentia Confeſſarij.* ibid.
II. *Quid quando in confeſſione non occurrit mortale vnum ex commiſſis.* 490.
III. *Quæ ſit cenſenda neceſſitas communicandi.* 493.
Sect. IV. *De præcepto confeſſionis poſt Communionem, quando ante illam non eſt præmiſſa.* 495.

DISPVT. XLVII.

De præcepto ſumendi Euchariſtiam.

Sect. I. *An detur præceptum Diuinum de Euchariſtia.* 497.
II. *Ad quos extendatur hoc præceptum.* 499.
III. *Pro quo tempore obliget hoc præceptum.* 501.
IV. *De præcepto Eccleſiaſtico Communionis.* 503.
Svbsect. I. *Ad quid teneatur qui in Paſchate non communicauit.* ibid.
II. *An teneatur quis anticipare tempus, ſi præuidet futurum impedimentum: & an per Communionem in peccato ſatisfiat huic præcepto.* 504.
Sect. V. *Quàm frequens vſus Euchariſtiæ ſit conueniens.* 506.

DISPVT. XLVIII.

De Miniſtro Euchariſtiam diſtribuente.

Sect. I. *Quomodo ea poteſtas conueniat Sacerdoti & Diacono.* 508.
II. *Quomodo ea poteſtas conueniat Subdiacono & laicis in caſu neceſſitatis.* 510.
III. *Vtrùm poſſit ſeipſum Sacerdos non celebrans communicare.* 511.
IV. *Obiectiones contra dicta ſoluuntur.* 512.
V. *Quomodo Sacerdos non Parochus ſit Miniſter huius Sacramenti.* 513.
Svbsect. I. *Qualis debeat eſſe conſenſus Parochi; & quid circa diem Paſchatis* 514.
II. *Quid circa horam mortis.* 515.

TRACTATVS IV.

De Euchariſtia vt eſt Sacrificium.

DISPVT. XLIX.

Præuia ad Sacrificium Euchariſticum. De Sacrificio in communi.

Sect. I. *Quædam neceſſaria obſeruatio.* 516.
II. *Variæ acceptiones vocis* Sacrificium *refelluntur.* 517.
III. *Sacrificij definitio traditur.* 518.
Svbsect. I. *Quomodo Sacrificium debeat eſſe ſignum publicum.* ibid.
II. *Cuius rei ſit ſignum Sacrificium.* 520.
III. *Deſtructio rei oblatæ non eſt de eſſentia Sacrificij.* 521.
IV. *Idipſum magis roboratur; & concluditur quæ ſit definitio Sacrificij.* 523.

DISPVT. L.

Eſſentia Sacrificij Euchariſtici declaratur.

Sect. I. *Quæ certiora ſunt præmittuntur.* 524.
II. *Propoſitis variis ſententiis reiicitur à ratione Sacrificij Euchariſtici oblatio hoſtiæ eiuſque fractio.* 526.
III. *Excluditur ſumptio Sacramenti à ratione Sacrificij.* 527.
IV. *Soluuntur aliquæ obiectiones contra dicta.* 529.
V. *Hoc Sacrificium conſiſtit in conſecratione & quomodo.* 531

Digitized by Google

Svbsect. I. *Duæ ſententiæ reiiciuntur.* ibid.
II. *Tres aliæ ſententiæ diſcutiuntur.* 533.
III. *Reiicitur ſexta ſententia.* 534.
IV. *Quid ſit tandem dicendum.* 535.
Sect. VI. *Quomodo ad rationem huius Sacrificij requiratur vtriuſque ſpeciei conſecratio.* 536.
VII. *Vtrùm validè vna ſpecies ſine altera poſſit conſecrari.* 538.
VII. *Aliquæ quæſtiones minoris momenti explicantur.* 540.

DISPVT. LI.

De effectibus Sacrificij Euchariſtici.

Sect. I. *Quid de remiſſione peccati mortalis.* 541.
II. *Quid de venialibus: vti, quo ſenſu ſit propitiatorium hoc Sacrificium.* 543.
III. *Quid de ſatisfactione pro pœna temporali Purgatorij & aliis effectibus.* 544.

DISPVT. LII.

Pro quibus poſſit applicari valor huius Sacrificij.

Sect. I. *Neque Beatis neque damnatis prodeſt.* 546.
II. *Quoad ſatisfactionem ſolis iuſtis baptizatis prodeſt.* 547.
III. *Vt impetratorium etiam catechumenis.* ibid.
IV. *Aliquæ obiectiones ſolutæ; & quid de excommunicatis.* 548.
V. *Quid requiratur ex parte eorum, pro quibus offertur hoc Sacrificium.* 550.
VI. *An ex Eccleſia offerente accedat valor huic Sacrificio.* 552.
VII. *Quantus ſit huius Sacrificij valor.* 553.
Svbsect. I. *Quæ certa ſunt præmittuntur, & proponitur difficultas.* ibid.
II. *Quid ſit in hoc puncto dicendum: vbi, An liceat duo ſtipendia pro vno Sacro accipere.* 554.
III. *Reſpondetur obiectionibus.* 556.

DISPVT. LIII.

De offerentibus hoc Sacrificium.

Sect. I. *Quæ in Sacerdote intentio requiratur; & an à Superiore poſſit contra voluntatem offerentis aliò applicari.* 557.
II. *An poſſit Sacerdos ſua intentione diuidere effectum huius Sacrificij, aut aliquem ab eo excludere.* 558.
III. *De aliis offerentibus hoc Sacrificium.* 560.

DISPVT. LIV.

De tempore & loco celebrationis Sacri.

Sect. I. *De obligatione celebrandi Sacrum.* 561.
Svbsect. I. *Quædam ſupponuntur.* ibid.
II. *Duæ priores concluſiones.* 562.
III. *Quid de præcepto Eccleſiaſtico.* 564.
Sect. II. *Quando liceat celebrare Sacrum.* 565.
III. *Quoties de die liceat celebrare Sacrum: vbi, An debeat præmitti Matutinum.* 567.
IV. *De loco ad celebrandum apto.* 568.
V. *Quid de Eccleſia violata.* 570.
Svbsect. I. *Quibus modis polluitur Eccleſia.* ibid.
II. *Varia dubia circa prædicta: vti, An liceat in mari celebrare.* 572.

DISPVT. LV.

De Altari & aliis ad celebrandum requiſitis.

Sect. I. *De Altari.* 574.
II. *De Altaris ornatu ad celebrandum neceſſario.* 576.
III. *De calice & patena.* 577.
IV. *De veſtibus Sacerdotis.* 578.
V. *Cætera quæ ad celebrationem ſpectant.* 580.

DISPVT. LVI.

De ſtipendio pro celebratione Sacri.

Sect. I. *Diſcutitur primum dubium de titulo ſtipendij.* 580.
Svbsect. I. *Proponuntur variæ ſententiæ.* ibid
II. *Communis ſolutio.* 582.
III. *Quid probabilius reſponderi poſſit.* 583.
Sect. II. *Quale liceat accipere ſtipendium pro Sacro.* 584.
Svbsect. I. *Proponuntur aliqui caſus in Declaratione Cardinalium deciſi.* 585.
II. *Quid de aliis caſibus occurrentibus qui in ea Declaratione non deciduntur.* ibid.
III. *Duæ quæſtiones ex dictis deciduntur.* 587.

Digitized by Google

DISPVT. LVII.

De Auditione Sacri.

SECT. I. *Quàm certùm ſit hoc præceptum, & an obliget grauiter.* 588.
II. *Aliqui dubij caſus circa eam auditionem.* 589.
III. *Vtrùm ſatiſfiat præcepto audiendo medium Sacrum ab vno, medium ab altero.* 591.
IV. *Vtrùm qui habet priuielgium audiendi Sacrum tempore interdicti teneatur etiam illud audire.* 592.
V. *Qui excuſentur ab auditione Sacri.* 594.
VI. *De præſentia pro auditione Sacri requiſita.* 596.
VII. *De attentione & intentione.* 597.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM,

QVÆ

SEPTIMO HOC TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus Paginam, Poſterior Numerum marginalem deſignat.

A.

Ablutio.

ABLVTIO actiua & paſſiua. pagina 232. numero 11.
Qualitas aquæ ad Baptiſmum requiſita. 230. num. 3.
Guttam ſufficere etiam in minima parte corporis ait Vaſquez. ibid. n. 4.
In caſu neceſſitatis poteſt adhiberi materia dubia, ſi certa non adſit. ibid. n. 3.
In caſu neceſſitatis licitum in minima parte corporis ſub conditione. 231. n. 6.
Conficitur Baptiſmus in priori parte ablutionis forma pronuntiata. ibid. n. 8.
In ablutione ſeruanda cuiuſque Prouinciæ conſuetudo. ibid. n. 10.
Neceſſarius motus aquæ factus ab ipſo baptizante. ibid. n. 9.
Validus eſt Baptiſmus per ſubmerſionem ſine emerſione, contra Scotum. ibid.
Ablutio materia proxima Baptiſmi. 230. n. 4.

Abſolutio.

Quando Confeſſarius non poteſt à reſeruatis abſoluere, poteſt dimidiari confeſſio. 488. num. 13.
An ſi quis ſubjaceat excommunicationi reſeruatæ, nec adſit qui abſoluat, teneatur ſimplici Sacerdoti confiteri, vt ſaltem à peccatis abſolutus communicet. 489. n. 19.
Qui diceret, *Abſoluo te, ſi Deus ſcit te id facturum*, validè abſolueret. 198. n. 37.
Quia tamen ordinarius ſenſus huius propoſitionis non eſt de præſenti, ideò reijcitur talis intentio. 199. n. 38.
Voluntas pœnitentis debet influere in abſolutionem. 215. n. 24.
Poteſt eſſe diuturna præcedentia iſtius voluntatis & validum Sacramentum. ibid. n. 25.
Quandoque tamen mora temporis valde obeſſe poteſt. ibid.
In Sacramento Pœnitentiæ abſolutio à reatu pœnæ aut obligatione denuò confitendi non fit ſine abſolutione à culpa. 142. n. 24.
Verba abſolutionis non ſignificant gratiam conferri cum reſtrictione, quantum eſt ex parte abſoluentis, ſed abſolutè. 143. n. 26.
Quem ſenſum habeant verba abſolutionis. ibid.

Accidens

Accidentia poſſunt definiri, 2. n. 2.
Accidentia ſunt verè entia. 3. n. 5.
Cur dicantur ens entis. 3. n. 4.
Accidentia panis & vini priùs natura exiſtunt quam corpus Chriſti. 351. n. 19.
Non exiſtunt in Euchariſtia per modum aliquem per ſe exiſtendi. 360. n. 10.
Quæ accidentia panis & vini maneant in Euchariſtia. 393. n. 1.
Manent ea quæ ſenſibus patent: circa alia res incerta. 394. n. 1.
Probabilius eſt manere etiam ea quæ ſenſus fugiunt, excepta vbicatione & duratione; eſto hæc ponantur accidens abſolutum. ibid. n. 2.
Species & accidentia panis non recipiuntur in quantitate. 395. n. 5.
Conſeruantur in Euchariſtia à Deo extra omne ſubjectum. 394. n. 3.
Idque per actionem realiter diſtinctam ab ea qua conſeruabantur in materia. 397. n. 12.
An exiſtant per aliquem modum perſeitatis. ibidem.
Quomodo grauitent. 395. n. 6.
Non alterantur naturaliter. 398. n. 14.
Corruptis ſpeciebus producitur noua forma & noua materia. 399. n. 15.
Et probabilius eſt reproduci materiam priorem. ibid. & num. 16.
Formam nouam producit agens naturale, quod produxit diſpoſitiones. ibid. n. 17.
Diſpoſitiones pro forma noua, quæ ſuccedit corpori Chriſti, priùs natura producuntur quàm materia. 400. n. 18.

Actio

Digitized by Google

Actio.

Actio phyſica poteſt continuari ſine vllo alio actu influente. 196. n. 26.
Actiones hominis iudicium impeditum habentis non ſunt humanæ. 197. num. 32.
Actiones intrinſecè & eſſentialiter malas, v. g. mendacium, periurium, &c. non licet ab altero petere. 205. n. 19.
Actiones à ſola nequitia exercentis malas licet. ibid.
Sed non niſi in caſu vtilitatis & neceſſitatis. ibid. num. 20.

Alba.

An ex alba fieri poſſit humerale ſine noua benedictione. 579. n. 17.

Altare.

Altare pro celebrando debet eſſe lapideum. 574. n. 1.
Altaris conſecratio quando pereat. ibid.
An in quacumque Altaris parte poſſit celebrari. 575. n. 4.
An Reliquiæ ſint de eſſentia conſecrationis Altaris. ibid.
Non requiri ratione oſtenditur. ibid.
Altare non violatur per reſerationem ſepulchri. ibid. n. 5.
Altare portatile ſi ſeparetur à ligno, non perdit conſecrationem. ibid.
Altaris ornatus ad celebrandum neceſſarius. 576. n. 8.
Linteamina tria, eáque benedicta. ibid.
Candelæ geminæ cereæ, vel vna ſaltem. ibid. numero 9.
Miſſale. ibid.
Crux. 577

Amentes.

An ſint capaces fructus Euchariſtiæ. *Vide Euchariſtia.*

Amor.

Amor indeliberatus objecti materialis manet, non manente motiuo amoris. 195. n. 24.

Anabaptiſtæ.

Eorum argumenta aſſerentium Baptiſmum ſolis adultis prodeſſe ſoluuntur. 238. num. 36. & ſeqq.

Angeli.

Non poſſunt ſine ſpeciali Dei commiſſione eſſe Miniſtri Sacramentorum. 187. n. 20.

Anima ſeparata.

Non poteſt eſſe Miniſter vllius Sacramenti. 187. n. 21.

Annihilatio.

Quid requiratur ad annihilationem propriè dictam. 366. n. 26. & ſeqq.

Aqua.

Aqua quæ vino in conſecratione admiſcetur, non conuertitur immediatè in ſanguinem Chriſti. 314. n. 19. & ſeqq.
Neque illa, quæ ante finita verba conſecrationis in vinum conuertitur. 317. n. 30.
Aqua eſt materia remota Baptiſmi. 229. n. 1.

Vide inſuper *Euchariſtia.*

Athanaſius.

Eius ſententia de forma geniti & ingeniti fauet communi ſententiæ. 234. n. 21.

Attritio.

Vide *Dolor.*

Auditio Confeſſionum.

Vide *Confeſſio.*

Auditio Sacri.

Auditio Sacri omnibus fidelibus baptizatis ab Eccleſia præcepta eſt. 588. n. 1.
Audiendi Sacrum quanta ſit obligatio. 589. num. 8.
An totum Sacrum ſit audiendum. ibid. num. 9. & ſeqq.
An ſatisfiat præcepto audiendo medium Sacrum vnius, & medium alterius. 591. n. 15.
An poſſit Sacrum ſimul & ſemel per diuerſas partes audiri. 597. n. 17.
An habens priuilegium audiendi Sacrum tempore interdicti teneatur illud audire. ibid. num. 19.
Teneri audire probabilius eſt. ibid.
Idem dicendum de infirmo, cui data eſt facultas audiendi in cubiculo. 593. n. 20.
Qui excuſentur ab auditione Sacri. 594. n. 26.
Excuſantur Catechumeni. ibid.
Inter baptizatos etiam ij, qui adhuc non habent vſum rationis. ibid. n. 27.
An teneantur pueri, qui habent vſum rationis ſufficientem ad veniale, ſub veniali audire Sacrum. 595. n. 28.
Excuſantur infirmi. ibid. n. 29.
Nutrices. ibid.
Infirmarij. ibid.
Cuſtodes domus. ibid.
Aurigæ. ibid.
Iter agentes. ibid. n. 30.
Fœminæ honeſtæ carentes veſtibus decentibus. ibid.
Ruſtici diſtantes à templo. ibid.
An peregrini tranſeuntes per loca vbi eſt Feſtum teneantur ibi audire Sacrum. ibid. num. 31.
Quæ præſentia pro auditione Sacri requiratur. 596. num. 33.
An actu audiri debeat Sacerdos. ibid.
An ſaltem debeat poſſe videri per ſe Sacerdos. ibidem.
An qui extra templum auguſtum Sacrum audiunt, verè audiant. ibid. n. 34.
An in amplo templo audiant Sacrum qui ſunt diſtantes. ibid.
Quid dicendum de eo qui ex domo ſua audit Sacrum. ibid. num. 35.
Quæ attentio ad Sacrum audiendum requiratur. 597. n. 36.
Qui confitetur non cenſetur tunc audire Sacrum. ibid.
Neque qui dormit inuoluntariè ibid. n. 37.
Neque qui fabulatur, pingit, legit hiſtorias. ibidem.
Qui ſarcit aut ſuit tempore Sacri, poteſt dici illud audire. ibid.
An ad auditionem Sacri requiratur etiam interior attentio. 597. n. 38. & ſeqq.

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo Eccleſia poſſit præcipere attentionem interiorem. 598. n. 40.
Explicatur quæ ſit intentio neceſſaria ad Sacrum audiendum. ibid. n. 41.

Aurora.

Auroræ nomine in ordine ad Sacrum celebrandum quid intelligatur. 566. n. 17.

B.

Baptiſmus,

Eius eſſentia & definitio.

BAPTISMVS aliquando pro Purgatorio accipitur. 230. n. 2.
Conficitur in priori parte ablutionis forma pronuntiata. 231. n. 8.
Baptiſmus Geneſij non fuit verus. 190. n. 7.
Eſt in omnibus eiuſdem ſpeciei moraliter, non phyſicè. 245. n. 59.
Quo ſenſu dicatur eſſe triplex. ibid. n. 60.
Semel validè ſuſceptus non poteſt iterari. ibid. num. 61.
Vnde id probatur. ibid.
In dubio, an fuerit validus, iterari poteſt ſub conditione. 346. n. 64.
Quale debeat eſſe illud dubium. ibid.
Eodem quo nos vſus eſt Chriſtus. 237. n. 32.

Eius partes.

In Baptiſmo quæ coëxiſtentia partium. 233. num. 15.
In Baptiſmo Sacramentum tantùm eſt materia & forma, res verò & Sacramentum eſt Character. 64. n. 6.

Eius materia.

Baptiſmi materia remota eſt aqua. 229. n. 1.
Proxima ablutio. 230. n. 4.
Quomodo intelligenda ſacra Scriptura de Baptiſmo Spiritus ſancti & ignis. ibid. n. 2.
Baptiſmus Apoſtolorum in Spiritu ſancto confirmat doctrinam Catholicam. ibid.
Qualitas aquæ ad Baptiſmum requiſita. ibid. num. 3.
Guttam aquæ ſufficere etiam in minima parte corporis ait Vaſquez. 230. n. 4.
In caſu neceſſitatis poteſt adhiberi materia dubia, ſi certa non adſit. ibid. n. 3.
In caſu neceſſitatis licitum in minima parte corporis ſub conditione baptizare. 231. num. 6.
Extra neceſſitatem ſub conditione rebaptizare. ibid.
In ablutione ſeruanda cuiuſque Prouinciæ conſuetudo. ibid. n. 10.
Neceſſarius motus aquæ factus à baptizante. ibid. n. 9.
Validus eſt per ſubmerſionem ſine emerſione, contra Scotum. ibid.
In rigore ad Baptiſmum nulla eſt neceſſaria paſſio. 232. n. 10.

Eius forma.

Ad valorem Baptiſmi requiritur expreſſa inuocatio trium perſonarum. 233. n. 16.
Baptiſmi formæ quædam inualidæ. ibid. n. 15. & ſeqq.
Baptizantis perſona an debeat exprimi. 236. num. 28. & ſeqq.
Baptizetur quid ſibi velit in forma Græcorum. ibid. n. 28.
Forma Baptiſmi non neceſſariò incipit & deſinit cum materia. 233. n. 12.
Forma Eccleſiæ Græcæ, *Baptizetur ſeruus Chriſti*, apud Latinos eſſet valida, ſed illicita. 233. num. 14.
Quid de voce *geniti & ingeniti*. 234. n. 21.
Epiphanij ſententia contra hæreticos de voce *ingeniti* examinatur. 235. n. 24.
Debet dici *in nomine*, non *in nominibus*. ibid. num. 26.
Argumenta pro hac ſententia diſcrepantia. ibid.
Contraria forma & ſententia eſt ſpeculatiuè ſufficiens, non practicè. 236. n. 27.
Vndè colligatur aliqua verba formæ eſſe neceſſaria, cùm ex verbis Chriſti non colligatur. ibid. num. 30.

Eius inſtitutio

Baptiſmus quorumdam ſententia inſtitutus poſt reſurrectionem; probabiliùs ante. 237. num. 31.
De inſtitutionis tempore aliqui Patres dubitarunt. ibid. n. 33.

Eius ſubiectum.

Filij infidelium extra iuriſdictionem Chriſtiani Principis poſitorum non poſſunt licitè baptizari ſine conſenſu parentum. 149. n. 3.
Neque Iudæi, licet fuerint ſub eiuſmodi iuriſdictione. ibid.
Niſi in articulo mortis. 250. n. 7.
Infans mancipij Chriſtiano domino ſubditi licitè poteſt baptizari inuitis parentibus. ibid. num. 6.
Sed non debet relinqui ſub tutela & cura parentum. 251. n. 10.
An filij hæreticorum inuitis parentibus licitè baptizari poſſint, & quando. ibid. n. 10. & ſeqq.
Licitè poſſunt baptizari filij infidelium & hæreticorum ſi adulti ſint, & Baptiſmum petant, etiam inuitis parentibus. 252. n. 15.
Dominus relinquens filium mancipij infidelis contra voluntatem parentum baptizatum ſub eorum cura & educatione non peccat contra iuſtitiam. ibid. num. 17.
Filij à parentibus abſtracti poſſunt baptizari inuitis parentibus. 254. n. 22.
Non poteſt baptizari licitè filius inuitus in dubio vſus rationis, etſi parentes conſentiant, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. ibidem num. 23. 24.
Vt filius infidelis licitè poſſit baptizari, ſufficit conſenſus vnicus ex parentibus, etiam matris. ibid. num. 24.

Quis ſit eius Miniſter.

In caſu neceſſitatis quilibet homo rationis compos poteſt eſſe Miniſter Baptiſmi. 255. num. 1.
Extra caſum neceſſitatis ordinarius eius Miniſter eſt ſolus Sacerdos. ibid. n. 2.
Quis ordo ſeruandus ſit in eligendis Miniſtris Baptiſmi. ibid. num. 3.
Vtrùm & quando Sacerdos baptizans ſine licentia Parochi committat ſacrilegium. 256. num. 4.
Parochus Diaconus non poteſt baptizare licitè in præſentia Presbyteri. ibid. n. 7.

Digitized by Google

Subordinatio Miniſtrorum Baptiſmi non eſt iuris diuini, ſed humani. ibid. n. 8.
In miniſtrando Baptiſmo non excommunicatus præferendus eſt excommunicato. 257. num. 11.
Et iuſtus peccatori. ibid.num.12.
Sacerdos in aliena Parochia baptizans grauiter peccat. 258.n.12.
Item ſi Subdiaconus baptizet in præſentia Diaconi. ibid. num.13.
Inter cæteros Miniſtros non eſt graue peccatum ordinem in caſu neceſſitatis non ſeruare. ibid.n.14.
Niſi fortè infidelis miniſtret in præſentia fidelis. ibid.
Diaconus in extrema neceſſitate non poteſt baptizare ſolemniter ſine licentia Sacerdotis. ibid.
In Baptiſmo idem debet abluere & verba proferre. ibid. n. 15.
Poſſunt plures eumdem validè baptizare. 259. num. 18.
In Iure ciuili rebaptizans & rebaptizatus incurrunt pœnam capitis, in Iure verò Canonico irregularitatem, idque ipſo facto. 266. num. 43. 44.
Debet autem illa rebaptizatio fieri publicè. ibid. num. 44.
Et debet eſſe abſoluta, non ſub conditione. 267. n. 45.
Probabile eſt eiuſmodi irregularitatem non incurrere rebaptizatum, ſed rebaptizantem. 268. num. 50.
Probabilius tamen contrarium. ibid.
Infans rebaptizatus non incurrit irregularitatem. n. ibid. 51.
Neque ij qui miniſtrant Baptiſmum ordinario Miniſtro præſente. 269.n.53.
Qui conſentiunt in rebaptizationem incurrunt irregularitatem, etiamſi faciant ex metu. 268. n. 52.

Intentio ad illum requiſita.

Inter Baptiſmum & Extremam-Vnctionem quæ diſparitas quoad intentionem ſuſcipiendi. 224. n. 21.
Ad Baptiſmum ſufficit voluntas non retractata. ibid. n. 22.
Fictio, cum qua Baptiſmus ſuſcipi poteſt, duplex eſt, poſitiua & negatiua. 158. num. 24.
Negatiua tollitur per ſolam attritionem. ibid. num. 25.
Poſitiua, quæ in ipſa Baptiſmi ſuſceptione committitur, non tollitur niſi per contritionem vel Sacramentum Pœnitentiæ. 159. n. 2.

Eius effectus ſeu valor.

Baptiſmus validè ſed fictè ſuſceptus recedente fictione cauſat gratiam. 144. n. 1.
Teſtimonia Auguſtini non benè explicantur ab Aduerſariis. ibid. n. 2.
An Baptiſmus recedente fictione totam pœnam Purgatorij extinguat. 146. n. 6.

Diſpoſitio ad eum.

Baptiſmum ſolis adultis prodeſſe error Anabaptiſtarum. 238.n.36.
Eorum argumenta ſoluuntur. ibid.num.37. & ſeq.
Adulto accedenti ad Baptiſmum cum Originali & veniali non eſt neceſſaria contritio, ſed Fides & Spes. 246. n. 66.
Sic verò accedenti cum Originali & actuali mortali. 247. n. 68.
Non eſt tamen neceſſaria contritio perfecta, ſed ſufficit attritio. ibid.n.70.
Baptiſmus collatus infantibus inuitis parentibus eſt validus. 248. n. 1.

Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum.

Quando Baptiſmus cœperit eſſe ad ſalutem vtilis, quando neceſſarius. 237.n.33.
Neceſſitas Baptiſmi probatur ex Sacra Scriptura & Tridentino. ibid.n.34.
Preces parentum pro paruulis ſine Baptiſmo morientibus non proſunt. 238.n.34.& ſeqq.
Non tenetur Dominus baptizare filium ſui mancipij infidelis. 253.n.20.
Quo tempore adulti ad Baptiſmum obligentur. 264. n. 33. & ſeq.
In quibus caſibus tamen à ſuſcipiendo Baptiſmo excuſentur. ibid. n. 37. & ſeq.
Quomodo Baptiſmus in re vel in voto ſit neceſſarius ad ſalutem magis quàm obſeruatio aliorum præceptorum. 242.n.49.
Poſitiuum Dei præceptum de Baptiſmo ſuſcipiendo aſſeritur à Suarez. 239. n. 40.
Eius ſententia vt facilior & probabilior probatur. 240. n. 42. & ſeq.
An poſſit ſine eo ſaluari obligatio Baptiſmi ſuſcipiendi. 239. n. 41.
Et explicari ſine vitioſo circulo. ibid.
Sine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto non acquiri ſalutem error Michaëlis Baij. 241.n.45.
Baptiſmum non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem eſt de Fide. ibid. n. 46.
Neceſſitas Baptiſmi in re vel in voto. 242. num. 49.
Sufficit votum virtualiter in amore Dei incluſum. ibid.
De Baptiſmo amenti collato. 220.n.4.
Adultus baptizari nequit ſine poſitiuo conſenſu. ibid. n. 5. & ſeqq.
Senſus Conciliorum circa hoc punctum. ibid. num. 6.
Diſparitas inter adultos & infantes. 227.n.7.

Eius cæremoniæ.

Cæremoniæ Baptiſmi laudabiliter adhibentur. 260. num. 20.
Quod ſit munus & obligatio Patrini. ibid. num. 21.
Patrini Baptiſmi non poſſunt eſſe niſi duo, & quidem à Parocho deſignati. ibid.
Contrahunt impedimentum affinitatis cum baptizato, patre & matre illius. ibid. n. 22.
Si plures fuerint Patrini quàm duo, illi ſoli affinitatem contrahent qui à Parocho deſignantur: quòd ſi nullus deſignetur, nullus contrahet, etiamſi ſimul infantem teneant. ibid.
Si plures Patrini deſignentur quàm duo, illi contrahunt impedimentum, qui priùs tangunt infantem. 262.n.26.
Quòd ſi plures ſimul tangant, illi qui priùs nominantur, ſcilicet inter viros vir, inter fœminas fœmina. ibid.
Habet autem in præſenti deficiente deſignatione verbali locum deſignatio mentalis. ibid.n.27.
Nullum impedimentum contrahitur inter illos qui tenent. ibid.

Impedimen

Digitized by Google

Impedimentum affinitatis non contrahitur niſi in Baptiſmo ſolemni. ibid. n. 28.
Parens tenens extra caſum neceſſitatis filium non contrahit impedimentum in ordine ad petendum debitum. 263. n. 30.
In Eccleſia primæua Baptiſmus non conferebatur ſolemniter niſi in Sabbato Sancto & Vigilia Pentecoſtes. 263. n. 33.
Nullus eſt locus determinatus Baptiſmi. 265. num. 39.
Non debent tamen extra Eccleſiam baptizari niſi filij Principum. ibid.
Cæremoniæ Baptiſmi explicantur. ibid. n. 40. & ſeqq.

Eius reuiuiſcentia.

Ex neceſſitate Baptiſmi in re vel in voto non poteſt ſufficienter probari, eum recedente fictione reuiuiſcere. 146. n. 6.
Neque etiam poteſt ſatis probari ex Tridentino. ibid. n. 7.
Baptiſmus reuiuiſcens per Sacramentum Pœnitentiæ aut contritionem cauſat diſtinctam gratiam ab ea quæ per Sacramentum Pœnitentiæ aut contritionem confertur. 151. num. 1.
Quando Baptiſmus reuiuiſcit per Sacramentum Pœnitentiæ aut contritionem, omnes gradus gratiæ cauſantur tam à Baptiſmo quàm à Pœnitentia. 160. n. 33.

C.

Ceremoniæ Eccleſiaſticæ.

De cæremoniis Sacramentalibus. 227. n. 1.
Diuerſitas cæremoniarum Eccleſiaſticarum. ibid.
Licitas & honeſtas eſſe lumine naturæ notum. ibid. n. 2.
Vſurpatæ ſunt à Chriſto, & poſſunt ab Eccleſia præcipi. ibid. n. 3. & ſeqq.
Qui inſtituerint cæremonias ſacras. 228. n. 5.
Poſſunt cauſare gratiæ augmentum ex opere operantis, non ex operato. ibid. n. 6.
Poſſunt in nobis cauſare motus ſupernaturales indirectè. ibid.
Non habent vim peccata immediatè remittendi. ibid. num. 7.
Poteſt cæremoniis applicari vis ſatisfaciendi pro animabus in Purgatorio. ibid. n. 8.
Habent vim ad expellendos & coërcendos dæmones. ibid. n. 9.
Non tamen habent effectum infallibilem, neque naturalem. ibid. num. 10.
Calcei Vide *Celebrare Sacrum.*
Calix. Vide *Ibidem.*

Catechumenus.

Catechumeni an ſint capaces ſumendæ Euchariſtiæ. Vide *Euchariſtia.*
Catechumenis etiam prodeſt Sacrificium Euchariſticum, vt eſt impetratorium. Vide *Euchariſtia.*

Catherinus.

Eius ſententia circa intentionem à Recentiore quodam defenſa reijcitur. 191. num. 9. & ſequentibus.

Cauſa, Cauſalitas.

Cauſa eſt duplex, moralis & phyſica. 104. n. 9.

Celebrare Sacrum.

An, & quando Sacerdotes obligentur ad celebrandam Miſſam. 561. num. 1.
Non tenetur Sacerdos ſub mortali quotidie celebrare. 562. n. 3.
Difficulter oſtenditur vi ſolius ordinationis dari obligationem ad celebrandum etiam ſemel tota vita. ibid.
Probabilius tamen dari de hoc præceptum Diuinum. 563. n. 7.
Colligitur hoc præceptum ex traditione. 564. num. 10.
Quoties in anno Sacerdos celebrare teneatur. 565. n. 12.
Quando liceat celebrare Sacrum. ibid. n. 13.
Feria ſexta maioris Hebdomadæ non licet. ibidem.
Feria quinta licet. ibid.
Sabbato Sancto probabilius eſt licere. ibid.
Tempus celebrandi incipit ab aurora ad meridiem. ibid. n. 14.
Excipitur nox Natiuitatis Domini. ibid.
Item caſus neceſſitatis. ibid. n. 15.
Item excipiuntur Regiones Septentrionales. ibidem.
Item Ordines priuilegiati circa hoc. ibid.
Nomine auroræ quid intelligatur. Vide *Aurora.*
An in hoc puncto detur paruitas materiæ. 566. num. 19.
An celebratio meridiem excedere poſſit. 567. num. 20.
Quoties de die celebrari poſſit. ibid. n. 21.
Caſus, in quibus licitum eſt ſæpiùs in die celebrare. ibid. n. 21. & ſeqq.
An præmitti ſub mortali debeat Matutinum ante Sacrum. 568. num. 24.
Quo loco celebrari poſſit ac debeat. ibid. n. 26.
Quid de domibus ſæcularium. 569. num. 27.
An in hoc puncto Religioſorum priuilegia ſint reuocata. ibid. n. 28.
Quid poſſit Societas Ieſu. ibid.
Quid de itinerantibus. ibid. n. 29.
Quid in caſu neceſſitatis. 570. num. 29.
Quale peccatum committatur ſecùs faciendo. ibid. num. 30.
Quid de Eccleſia violata. ibid. n. 31.
An liceat celebrare in loco non reconciliato. 573. num. 39.
Quid ſi quis bona fide celebret. ibid.
An in mari liceat celebrare. ibid. n. 43.
Materia calicis ad celebrandum. 577. n. 10.
Calix quando amittat conſecrationem ibid. num. 11.
An tornatiles calicum pedes permutari poſſint. ibid. num. 12.
Ad calicis conſecrationem non ſufficit in eo celebrari. 578. n. 13.
An amiſſa inauratione pereat conſecratio calicis. ibid.
Ciborio ſufficit benedictio. ibid. n. 15.
An ſit mortale celebrare ſine aliqua ex veſtibus Sacerdotalibus. ibid. n. 16.
Quid ſi aliquæ non ſint benedictæ. ibid. n. 16.
An calcei ad celebrandum ſint neceſſarij. 579. num. 18.
An tecto capite celebrari poſſit ſine peccato. ibid.
An ad celebrandum Miniſter abſolutè ſit neceſſarius. 580. n. 20.

Digitized by Google

An fœmina poſſit eſſe Miniſter Sacri. ibid.
An ſit mortale celebrare Requiem in Feſto Duplici. ibid.n.21.
An ſit mortale omittere illas orationes, quæ dici ſolent dum Sacerdos ſe induit ante Sacrum. ibid.
Quid ſi Celebrans omittat *Gloria* vel *Credo*. ibid.
Quid ſi Epiſtolam vel Euangelium. ibid.
Celebrans indignè Sacerdos duo peccata committit. 208. num.4.
Vide etiam *Eccleſia*.

Character.

Quænam Sacramenta Characterem imprimant, & vnde id probetur. 167. n. 1.
Potuiſſet poteſtas Sacramentalis conferri à Deo ſine impreſſione Characteris. ibid.n.2.
Character non eſt ex natura ſua, ſed tantùm ex voluntate Chriſti annexus certis Sacramentis, & non omnibus. 169.n.10.
Non eſt denominatio purè extrinſeca. 170. n.14. & ſeqq.
Non eſt ſignum naturale, ſed ad placitum. 173. n. 24.
Quo ſenſu poſſit eſſe & dici relatio. 172.n.21.
Poſſent Angeli diſcernere baptizatos à non baptizatis ſine Charactere. 174. n. 27.
Character manet in damnatis. ibid.n.28.
Eſt qualitas ſupernaturalis. ibidem & 177. num. 37.
Non eſt modus, ſed qualitas abſoluta. 175. num. 29.
Non eſt potentia paſſiua. ibid.n.31.
Neque potentia actiua phyſicè. 176.n.32.
Nihil cauſat propriè moraliter. ibid. num.35.
Non poteſt commodè reuocari ad vllam ſpeciem qualitatis aliam quàm impotentiam. 177. num. 36.
Non ſubjectatur in corpore. ibid.n.38.
Neque in potentiis, ſi ab anima diſtinguantur, ſed in ſola anima. 178.n.39.
Eſt naturaliter indelebilis. 179.n.43.
Habet hoc ex natura ſua, & non ex ſolo Dei beneplacito. ibid.n.44.
Cognoſcitur à damnatis naturaliter cognitione abſtractiua. ibid.n.46.
Vnus non intenditur per alium. 180.n.47.

Charitas.

Quid Paulus intelligat per illud, *Charitatem autem non habuero.* 242.n.51.

Chriſma.

Chriſmà conſecrans Epiſcopus in mortali non peccat mortaliter. 202.n.6.
Chriſma aut oleum infirmorum non eſt Sacramentum. 217.n.18.
Chriſma eſt materia remota Sacramenti Confirmationis. 271. n. 6.
Debet eſſe ab Epiſcopo benedictum. 273.n.15.
Sufficit autem benedictio cuiuſcumque Epiſcopi, etiam excommunicati. 274.n.15.
Sacerdos ſimplex non poteſt ex diſpenſatione benedicere Chriſma. ibid.n.18.

Chriſtus.

Voluntas Chriſti inſtituentis eſt pars Sacramentorum. 7.n.17.n.18.
Illa voluntas non habet ſeipſam pro obiecto. 39. num. 18.
Quomodo ſit efficax. ibid.
Quando Chriſtus inſtituit Sacramenta non habuit in ſe transfuſas omnium fidelium voluntates. 8.n.21.
Promulgatio voluntaris Chriſti eſt pars intrinſeca Sacramenti. 51. n.11.
Variæ excellentiæ Chriſti in inſtitutione Sacramentorum. 185. n. 17.
Quæ ex his communicari poſſint creaturæ. 186. n. 17.
Vide *Euchariſtia*.

Ciborium

Vide *Celebrare Sacrum.*

Cibus.

Regula generalis, vt dignoſcatur quidnam ſit cibus in ordine ad Euchariſtiæ ſumptionem impediendam. 466.n.16.

Circumciſio

Circumciſio non impreſſit Characterem. 169. num.8.
Fuit ad remiſſionem peccati Originalis neceſſaria ſolis Iudæis maſculis. 94.n.2.
Reliquarum gentium infantes ſicuti & fœminæ Iudaicæ iuſtificabantur per remedium Legis naturæ. ibid.
Circumciſio fuit à Deo inſtituta in remiſſionem peccati Originalis, & habuit vim cauſandi gratiam. 96.num.7.
D. Thomas non eſt contrarius huic ſententiæ. 95.num.5.
D. Paulus & SS. Patres qui videntur docuiſſe contrarium explicantur. 99.n.18.& ſeqq.
Circumciſio non fuit cauſa moralis gratiæ, ſed tantùm conditio ad illam. 111.n.40.& ſeqq.

Communio.

Hæretici quid pro neceſſitate calicis obiiciant. 441.n.2.& ſeqq.
Refelluntur eorum ratiunculæ. ibid.num.2. & ſeqq.
Communio ſub vna ſpecie probatur. 447.n.7.
An ſub vtraque fuerit in veteri Eccleſia. 445.n 8.
An ſub vtraque ſpecie conferat maiorem gratiam quàm ſub vna. ibid.n.9.
Sententia negans fuit ſemper communis. ibid.
Hæc vt vera & communis alteri præfertur. 449.n.10.
Cùm vnica tantùm detur gratia per vtramque ſpeciem, quandonam illa datur? 451.n.26.

Communio Paſchalis.

An qui omiſit Communionem Paſchalem, teneatur adhuc illo anno communicare. 503. num.17.
Sententia probabilior, teneri ſtatim Poſt Paſcha. ibid.n.18.
Quid ſentiendum de eo qui ante Paſcha communicauit.
An qui anticipat ex præuiſo impedimento, teneatur poſteà in Paſchate, ſi opportunitatem habeat, iterùm communicare. 504.n.22.
Per communionem in peccato ſatisfit præcepto Eccleſiæ. 505.n.23.
Eſt nihilominùs etiam valdè probabile non ſatisfieri. ibid.n.25.

Conditio.

Si conditio de futuro apponatur, nullam conficitur

tur Sacramentum; ſic verò ſi de præterito vel præſenti. 198.n.36.& ſeqq.

Quoad conditionem de futuro diſparitas inter Sacramentum Matrimonij & alia. 199.n. 39. & ſeqq.

Potuiſſet Chriſtus inſtituere,vt Sacramenta valerent ſub conditione de futuro. ibid.n.39.

Confeſſio.

Confeſſio Sacramentalis non neceſſariò præmittitur adminiſtrationi Sacramentorum,ſed ſat eſt conteri. 204.n.16

Qui non poteſt conteri, tenetur confiteri. 205 num. 17.

Confeſſionem audiens Sacerdos an teneatur eſſe in gratia. 203.num.10.

Confeſſionis auditio eſt tam eſſentialis pars Sacramenti quàm confeſſio. ibid.n.11.

Sacerdos audiens confeſſionem in mortali peccat mortaliter. ibid.n.12.

Sciens Confeſſarium ſuum ordinarium eſſe in mortali,tenetur alteri confiteri. 205.n.21.

Confeſſionis præuiæ ad Euchariſtiam neceſſitas in habente conſcientiam mortalis.484.nu.1. & ſeqq.

Confeſſionis vſus an fuerit ab initio Eccleſiæ. 485.n.3.

Præceptum confeſſionis pro Communione eſt Iuris diuini. 486.n.8.

An liceat aliquando communicare non præmiſſa confeſſione:vbi,Quæ ſit cenſenda carentia Confeſſarij. 487. num.11. & ſeqq.

An extra neceſſitatem poſſit dimidiari confeſſio. 488.n.16.

An ſi quis ſubiaceat excommunicationi reſeruatæ,nec adſit qui abſoluat, teneatur ſimplici Sacerdoti confiteri,vt ſaltem à peccatis abſolutus communicet 489.num.19.

Oblitus inculpabiliter peccatum mortale an poſſit ſine noua confeſſione communicare. 490. num. 21.

In articulo mortis poteſt quis communicare non præmiſſa confeſſione. 493.n.29.

An Sacerdos habens mortale poſſit ſine præuia confeſſione celebrare ad dandum infirmo Viaticum. ibid.n.29.& ſeqq.

Quando timetur infamia non communicantis, non obligat confeſſio. ibid.n.31.

Præceptum Communionis Paſchalis excuſat à præuia confeſſione. 494.num.33.

Periculũ ſcandali an excuſet à confeſſione ibid.

Præceptum confeſſionis poſt Communionem quando ante illam præmiſſa non eſt, non eſt Diuinum. 495.n.35.

Non obligat indignè communicantes. ibid.

Neque laïcos. ibid.

Sic autem Sacerdotem non confeſſum, cum poſſet. ibid.n.36.

Excuſatur qui poſt Communionem mortalis primò recordatur. 496.n.36.

Confirmatio.

Illius Miniſter de iure eſt ſolus Epiſcopus:poteſt tamen ex conceſſione Summi Pontificis eſſe ſimplex Sacerdos. 187.nu.10.

Confirmatio an non petenti danda.221. nu.10. & ſeq.

Eſt verum Sacramentum. 269.num.2.

Variæ huius rei probationes. 270.n.2.

Hæreticorum negantium rationibus ſatisfit. ibid.n.3.

Sacramentum Confirmationis eſt inſtitutum à Chriſto. ibid.n.5.

Idque in nocte vltimæ Cœnæ. ibid.

Materia remota huius Sacramenti eſt Chriſma confectum ex ole & balſamo. 271. num.6.

Olim perficiebatur ſola manuum impoſitione, nunc verò vnctione Chriſmatis. ibid.n.7.

Apoſtoli illud contulerunt aliquando per manuum impoſitionem, aliquando per Chriſmatis vnctionem. 272.n.11.

Solùm oleum non eſt materia ſufficiens Sacramenti Confirmationis. 273.n.12.

Qualis eſt neceſſaria mixtio olei & balſami ad valorem huius Sacramenti. ibid.n.14.

Non eſt de neceſſitate Sacramenti Confirmationis Chriſma eſſe recens, aut illius anni. ibid.

Materia proxima huius Sacramenti eſt vnctio facta in fronte in formam crucis.275.n.19.

Debet verò ea vnctio fieri digito Epiſcopi.ibid. n.20.

Non requiritur inſuper impoſitio manuum. ibid.

Quæ ſit forma huius Sacramenti. ibid.n.21.

Debet in ea exprimi perſona confirmans & confirmata. ibid.

Confirmatio imprimit Characterem 276.n.24.

Cauſat etiam ſpecialia auxilia ad perſiſtendum in Fide. ibid.

Poteſt conferri infantibus & amentibus. 277. num. 25.

Fructuoſiùs tamen confertur adultis. ibid.

Nullum eſt præceptum ſuſcipiendi Sacramentum Confirmationis. 278.n.29.

Neque neceſſariò præmittendum eſt ſacris Ordinibus. 279.num.29.

Conſecratio.

Ad calicis conſecrationem quæ verba eſſentialiter requirantur. 417.n.24.& ſeqq.

Ad verba illa, *Noui & æterni teſtamenti*, &c. pertineant eſſentialiter ad formam huius conſecrationis. ibid.

An ſaltem ſint pars integralis formæ. 419. numer.30.

An verba conſecrationis proferantur recitatiuè, an aſſertiuè. 420.n.32.& ſeqq.

Non ſolùm proferuntur recitatiuè,ſed hiſtoricè. 421. n.33.

Probatur, verba conſecrationis etiam dici aſſertiuè. 422.numer.36.

Item ea dici etiam recitatiuè. ibid.n.38.

An ſola verba conſecrationis, an alia etiam ſic dicantur. 424.num.44.

Quid ſignificet τὸ *Hoc* & *Hic* in forma Euchariſtiæ 425.nu.45.

Diſcutitur, An *Hic* & *Hoc* debeant adiectiuè an ſubſtantiuè ſumi. 427.n.49.

An verba conſecrationis cauſent corpus Chriſti ob ſuam veritatem. 431.n 63.& ſeq. *Vide plura in hanc rem Verba Conſecrationis.*

Quomodo plures ſimul poſſint eaſdem ſpecies conſecrare. 432.n.65.& ſeq.

An vna Euchariſtiæ ſpecies validè poſſit ſine altera in Sacrificio conſecrari. *Vide Euchariſtia, & ibidem plura de conſecratione.*

Contradictoria.

Contradictoria duo poteſt quis velle ex aliqua ignorantia. 193.num.17.

Contritio.

Poſſe quem iuſtificari per contritionem variè probatur. 241.n.36.
Vide etiam *Dolor.*

Conuerſio.

Quid ſit conuerſio ſtrictè ſumpta. 346.num.2.
Quomodo differat à generatione vt ſic.ibid.
Duæ mutationes ad eam requiruntur, priuatiua & poſitiua. ibid.
Requiritur etiam aliquid commune termino producto & deſtructo. ibid.
Vt fiat vera conuerſio, debet forma antiqua deſtrui,& noua produci. ibid.n.353.n.26.
Auctoritas D. Thomæ pro hac ſententia explicatur. 346.n.5. & ſeqq.
Lugo huic ſententiæ contrarius refellitur. 347. num.8.& ſeqq.
Cur ad conuerſionem poſſit requiri,vt terminus à quo abſolutè deſinat eſſe in rerum natura, & non requiri vt terminus ad quem incipiat eſſe abſolutè in rerum natura. 349.n.11.
An eſſet abſurdum dicere, Corruptis ſpeciebus Chriſtum eſſe conuerſum in vermes. ibid.
Non eſt tamen id neceſſum admittere. ibid. num.12.
Deſitio Chriſti ſub ſpeciebus, quando hæ corrumpuntur,non prouenit ex repugnantia Chriſti cum nouis accidentibus, ſed ex voluntate Chriſti. 330.n.15.
Accidentia panis,ſub quibus eſt corpus Chriſti, non corrumpuntur ex repugnantia cum nouis,ſed ex voluntate Chriſti. 351.n.17.
Omnis res quæ poteſt deſtrui, poteſt in aliam conuerti. 355.n.30.
Nihil poteſt conuerti in Deum, & quare.356. num.32.
Poſſet Angelus conuerti in lapidem, & contrà. 355.n.30.
Conuerſio Euchariſtica non fit per ſolam adductionem Chriſti ſub ſpecies ſed per reproductionem ſubſtantialem illius. 357.n.1.
Conuerſio Euchariſtica eſt conuerſio ſubſtantialis. 358.n.4.
Conuerſio ſubſtantialis eſſentialiter eſt actio. 360.n.10.
Non includitur in conuerſione Euchariſtica aliquis ordo ſubſtantiarum, vt vult Vaſquez. 361.n.12.

Corpus organicum.

Quid ſignificetur nomine corporis. 372 n.12. & ſeqq.
Non ſola materia prima. ibid.n.12.
Neque materia in recto, & anima in obliquo. ibid.n.13.
Neque materia prima cum formis partialibus. ibid.
Neque materia prima cum forma ſecundum rationem genericam. 374.n.18.
Neque materia prima cum aliqua forma indeterminatè accepta. 375.n.22.
Neque materia prima cum ſola anima vel cum ſolis diſpoſitionibus. ibid.num.23.
Partes vnionum heterogeneæ non pertinent ad conſtitutionem corporis. 376.n.23.
Neque poteſt per illas ſufficienter explicari diuerſa organizatio. 377.n.26. & ſeq.
Corpus ſignificat figuram & molem variis accidentibus organizatam. ibid.n.28.

D

Deuotio.

Devotio actualis an requiratur,vt Euchariſtia cauſet gratiam. 483.n.16.& ſeqq.

Diaconus.

Diacono quomodo conueniat poteſtas diſtribuendi Euchariſtiam.
Vide *Euchariſtia & Baptiſmus.*

Diſpoſitio ad Sacrificium.

Pro ratione diſpoſitionis quando operetur Sacrificium Euchariſticum.
Vide *Euchariſtia.*

Dolor.

Ante commiſſum peccatum non poteſt de eo haberi dolor. 225.n.23.
Qualis dolor ſit neceſſarius ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. 140.n.17. & ſeqq.

Dulcedo ſpiritualis.

Dulcedo ſpiritualis,quæ eſt primus effectus Euchariſtiæ, in quo conſiſtat.
Vide *Euchariſtia.*

E

Ebrietas.

In ebrietate vel ſomnio adminiſtratum Sacramentum cur non valet. 197. num.30. & ſeqq.

Eccleſia.

Ad Eccleſiæ pollutionem quæ ſanguinis effuſio requiratur. 570.n.31.
Quodnam homicidium. ibid.n.32.
Quid nomine Eccleſiæ accipiatur.571. num.33.
Qualis copula maritalis polluat Eccleſiam. ibid. num.34.
Polluitur Eccleſia per ſepulturam hominis excommunicati. 572.n.36.
Item per ſepulturam hominis infidelis non baptizati. ibid.
An liceat celebrare in loco non reconciliato. 573.num.39.
Quid ſi quis bona fide celebret. ibid.
Quid ſi inchoato Sacro polluatur Eccleſia. ibid. num.40.
Quomodo reconcilietur Eccleſia. ibid.
Eccleſiæ conſecratio quando pereat. ibid.
Eccleſia non poteſt præcipere actus internos. ibid.n.39.
Quid poſſit præcipere Eccleſia. ibid.n.40.
Eccleſia ob certas cauſas poteſt hominem priuare Euchariſtiæ participatione.
Vide *Euchariſtia.*
Eccleſia non poteſt cogere infideles ad Baptiſmum.264.n.36.

S.Epiphanius.

Eius ſententia contra hæreticos de voce *ingeniti* examinatur. 235.num.24.

Epiſcopus.

Epiſcopus damnatus non poteſt alios damnatos conſecrare. 188.n.24.
Et cur. ibid.
Epiſcopus in mortali Chriſma conſecrans peccetne mortaliter. 202.n.6.& ſeq.

Digitized by Google

Epiſtola.
Epiſtolam vel Euangelium cantare in mortali non eſt mortale. 203.n.10.
Sed veniale. 204.n.14.
Euangelium.
Vide *Epiſtola.*
Eucharistia vt eſt Sacrificium.
Vide *Sacrificium.*
Eius eſſentia & definitio.
Differt ab aliis Sacramentis, quòd ipſa ſit permanens. 222.n.12.
Ad eam & Extremam Vnctionem ſufficit habitualis perſeuerantia. 224.n.22.
Euchariſtia eſt verum Sacramentum. 279.numer.2.
Eſt vnum Sacramentum in ſpecie. 287.n.4.
Eius eſſentia prout eſt Sacramentum non conſiſtit in eo, quòd ſit ſignum corporis & ſanguinis Chriſti,ſed gratiæ. 288.n.6.
An plures hoſtiæ conſecratæ ſint vnum Sacramentum. 289.n.9.
Eius partes.
Verba ſunt pars intrinſeca Euchariſtiæ. 50. n.8. & ſeqq.
Sunt moraliter ibi vbi ſunt ſpecies. 49. numero 5.
Faciunt ſpecies eſſe pignus ſenſibile gratiæ.50. num.8.
Carentia retractationis verborum procedentis à Miniſtro non eſt pars intrinſeca Euchariſtiæ. 53.n.15.
Sic verò carentia reuocationis procedentis à Chriſto. ibid.num.16.55.num.20.
Subſtantia panis & vini non ſunt pars intrinſeca Euchariſtiæ. 57.n.25.
Intentio Miniſtri eſt pars intrinſeca Euchariſtiæ. ibid.n.26.
Item poteſtas conſecrandi. 59.n.32.
Quomodo ea poteſtas fiat ſenſibilis. ibid. numer.32.
Euchariſtia dicit in recto corpus Chriſti,ſpecies & verba. ibid. n.33.
In Euchariſtia Sacramentum tantùm ſunt ſpecies, res verò & Sacramentum eſt corpus Chriſti. 64.n.7.
Actio, qua conſtituitur Chriſtus ſub ſpeciebus, non eſt pars conſtitutiua huius Sacramenti. 284.n.12.
Neque vbicationes Chriſti. ibid.
Neque ſumptio. ibid.n.13.
Eſt tamen conditio ad cauſandam gratiam, idque ex voluntate Chriſti. 285. numer.15.
Sicuti & voluntas eam ſumendi. 268. num. 19.
Eius materia remota.
Vinum congelatum,item vinum aut aqua miraculoſa ſunt materia apta conſecrationis. 74. num.5.
Non includitur in Euchariſtia ſubſtantia panis & vini. 283.n.10.
Solum triticum eſt materia remota Euchariſtiæ. 300.n.2.
Siligo eſt ſpecies tritici,ideoque materia ſufficiens Euchariſtiæ. ibid.n.2.3.
Probabile eſt etiam ſpeltam eſſe materiam ſufficientem Euchariſtiæ. 301.n.5.
Non item panem ex amylo. ibid.n.7.
Nec panis confectus cum oleo. 302. numer. 8.
Sic verò piſtus cum lacte. ibid.numer.7.
Nec triticum mixtum cum hordeo excedente. ibid.numer.8.
Euchariſtia validè conficitur in pane fermentato. ibid.numer.9.
Chriſtus eam confecit in azymo. ibid.
Materia calicis eſt vinum de vite. 303. numer.10.
Etiamſi fuerit congelatum. ibid.
Vinum in vua non eſt materia calicis. ibid. numer. 11.
Sic verò vinum in offa imbibitum.ibid.n.12.
Validè, ſed non licitè poteſt Euchariſtia conſecrari in vnica ſpecie. ibid.
Et vinum ſine admixtione aquæ. 304. n. 13.
Præceptum admiſcendi aquam vino in conſecratione calicis non eſt Diuinum, ſed Eccleſiaſticum. ibid.nu.14.
Habet originem ab Alexandro Primo. ibid. num.15.
Chriſtus conſecrauit in vino mixto cum aqua. ibid.
Materia conſecrabilis debet eſſe præſens conſecranti,vt demonſtrari poſſit,idque ſecundùm ſe totam. 305.num.16.
Non eſt tamen opus vt videatur. ibid.
Materia clauſa in ciſta, aut poſita à tergo eſt conſecrabilis. ibid.n.17.
Materia conſecrabilis debet eſſe determinata. ibid.n.18.
Si hoſtiæ non conſecratæ conſecratis admiſceantur,adhiberi poteſt conſecratio conditionata. 306.numer.19.
Non eſt determinata quantitas materiæ conſecrabilis, ſed ſufficit ea quæ poteſt per ſe ab homine demonſtrari. ibid.n.21.
Euchariſtia poteſt conſeruari in indiuiſibili,non tamen primò conſecrari. 307.numer.21.
Probabilius eſt aquam non conuerti immediatè in ſanguinem Chriſti.314.numer.19.& ſeqq.
Auctoritatibus pro contraria ſententia allatis ſatisfit. 309. num.2. & ſeqq.
Aqua ſi mutetur in vinum poſt inchoata verba conſecrationis, non mutatur in ſanguinem Chriſti. 317. numer. 30.
Subſtantia panis & vini pereunt ex vi poſitionis corporis & ſanguinis Chriſti.362.numer.16.
Nihil ſubſtantiæ panis aut vini manet cum corpore Chriſti. 365.numer.23.
Non debet tamen idcircò dici panem & vinum annihilari. 366. numer. 27.
Rationes pro hac ſententia.ibid.num.28.& ſeq.
Eius forma.
Euchariſtiam quibus verbis confecerit Chriſtus. 409. numer.1.& ſeqq.
Quibus verbis à nobis conficiatur.410.num.5.
Vide *etiam Conſecratio.*
Valida conſecratio per verba *Hoc eſt corpus Chriſti.* 74. numer.3.
Non item per verba *Hic eſt corpus meum*, ſumendo τὸ *Hic* aduerbialiter.ibid. numer.6.
Neque per verba *Ecce corpus meum.* ibid. num.7.
Non requiritur ad veritatem verborum vt corpus Chriſti influat in accidentia. 341. numer.33.
Non poteſt infallibiliter ex veritate verborum conſecrationis inferri,panem & vinum deſtrui, & deſinere eſſe in rerum natura. 367. numer.30.

Digitized by Google

Eius Miniſter.

Euchariſtiam in mortali adminiſtrans non peccat mortaliter. 202.n.5.
Sed venialiter. 204.n.14.
In mortali conficiens peccat mortaliter. 202.n.9.
Quomodo Chriſtus ad Sacramentum Euchariſtiæ inuitauit. 207.n.2.
Euchariſtiam in mortali ſibi adminiſtrans Sacerdos non peccat bis, quà dans & quà accipiens. 208.n.4.
Poteſt negare Sacerdos ei quem ex confeſſione nouit nolle deſiſtere à peccato. 210.n.10. & ſeqq.
Quid ſi extra confeſſionem nouit. ibid. n.13.
Euchariſtiam miniſtrare infantibus an ſit prohibitum. 435.n.7.
Quid dicendum de amentibus poſt vſum rationis. 456.n 8.
Euchariſtia hominem priuare poteſt ob certas cauſas Eccleſia. 460.n.24.
Euchariſtia per modum Viatici non eſt neganda ob debilem rationis vſum. 461.n.26.
Euchariſtiæ vſus etiam energumenis conceditur. ibid.n.27.
Quomodo poteſtas diſtribuendi Euchariſtiam conueniat Sacerdoti & Diacono. 508.n.1. & ſeqq.
Ad Euchariſtiam adminiſtrandam neceſſaria eſt iuriſdictio & poteſtas. 509.n.3.
Quomodo dicta poteſtas diſtribuendi Euchariſtiam conueniat Subdiacono & laicis in caſu neceſſitatis. 510.n.6.
An Sacerdos non celebrans poſſit ſeipſum Euchariſtia reficere. 511.n.10.
Concluditur, id licitum eſſe ſecluſo ſcandalo. 512. n.14.
Etiam in præſentia Diaconi. ibid.
Obiectiones contra dicta ſoluuntur. ibid.n.15.
Sacerdos poteſt ſeipſum communicare etiam poſt meridiem. 513.n 18.
Quomodo Sacerdos non Parochus ſit Miniſter Euchariſtiæ. ibid.num.19.
Vt Sacerdos non Parochus poſſit dare Euchariſtiam, ſufficit conſenſus Parochi etiam præſumptus. ibid.
Religioſi ex priuilegiis Pontificum poſſunt miniſtrare aliis Euchariſtiam, excepto die Paſchatis. 514.n.21.
Quid ſi Parochus abſit, & quidem longo tempore. ibid.num.22.
Quid circa articulum mortis. 515.n.23.
An vna Euchariſtiæ ſpecies validè poſſit ſine altera conſecrari. 538.n.44.
An Chriſtus in Euchariſtia ſit principalis offerens. 540.n.50.
Sacrificium Euchariſticum poteſt quis nomine proprio pro hæreticis offerre. 549.n.13.
Et quinam hæretici intelligantur. 550.n.14. & ſeqq.
Sacrificij Euchariſtici oblatio pro petituris aut daturis eleëmoſynam ad illud offerendum reijcitur. ibid.n.17.

Cauſa Euchariſtia

Sacerdos conſecrans eſt cauſa moralis præſentiæ Sacramentalis. 340.num.29.

Eius effectus ſeu valor.

Sacramentum Euchariſtiæ recedente fictione cauſſat gratiam. 150.n.19.& ſeq.
Poteſt per accidens cauſare primam gratiam. 163.n.7.
Vt cauſet primam gratiam, ſufficit aliquando attritio exiſtimata contritio. 165.n.15.
Sumptio Euchariſtiæ non eſt cauſa moralis gratiæ neque pignus illius. 285.n 16.& ſeq.
Si hoſtia ſine ſumptione in ſtomachum miraculosè transferretur, incertum, an cauſaret gratiam. 286.num.19.
Eamdem gratiam & auxilia cauſat vnica ſpecies, quam vtraque. 289.n.8.
Effectus Euchariſtiæ. 434.n.1.& ſeqq.
Quo tempore dicatur Euchariſtia manducari, vt pro eo cenſeatur cauſare gratiam. ibid.n.2.
Quando conferat gratiam. 435.n.4.5.
Euchariſtia an cauſet gratiam quamdiu eſt in ſtomacho. 436.n.8.& ſeqq.
Negatiua ſententia eſt probabilior. ibid.n.9. & ſeqq.
Reſpondetur argumentis in contrarium. 440. num.20.& ſeqq.
An vtraque Euchariſtiæ ſpecies cauſet maiorem gratiam. 442.n.1.& ſeqq.445.n.9. & ſeq.
Cùm vnica tantùm detur gratia per vtramque ſpeciem, quandonam illa detur. 451.n.26.
Alij effectus Euchariſtiæ tam in anima quàm in corpore breuiter explicantur. ibid.n.27.
An eiuſmodi effectus ſint infallibiles. 452.n.28.
Auxilium ad vitanda peccata non eſt effectus infallibilis Euchariſtiæ. ibid.n.29.
Quid ſit aliquos effectus eſſe infallibiles. ibid.
In quo conſiſtat primus effectus Euchariſtiæ ſiue dulcedo ſpiritualis. ibid.n.31.
Secundus effectus. ibid.
Tertius & quartus effectus. 353.n.31.
Effectus Euchariſtiæ in corpore. ibid.n.32.
Reſurrectio corporis quomodo huic Sacramento tribuatur. ibid.n.33.
Euchariſtiæ effectus alius in corpore moderatio fomitis peccati. ibid.n.35.

Diſpoſitio ad eam.

Euchariſtiæ ſumendæ capaces an ſint Catechumeni & infantes. 454.n.1.& ſeqq.
Infantes & amentes ſunt capaces fructus Euchariſtiæ. 455.n.4.
Euchariſtiam qui ignoranter ſumit an recipiat gratiam. 456 n.9.
Euchariſtiæ ſumptio quomodo impediatur per actus carnales eo die habitos. 461.n.1 &.ſeqq.
Non eſt mortale illam ſumere poſt pollutionem etiam voluntariam, præmiſſa tamen vera pœnitentia. ibid.
Imò nec eſt veniale ex ſe. 462.n.3.&.ſeq.
Poteſt tamen eſſe aliquando peccatum veniale. ibid. n.4.
Abſtinentia a copula coniugali die ſumendæ Euchariſtiæ eſt valdè decens. 463.n.8.
Euchariſtiam ſumpturus quale ieiunium præmittere debeat. 464.n.9.& ſeq.
An detur paruitas materiæ in ieiunio ad Euchariſtiæ ſumptionem requiſito. ibid. n.10.
Quomodo violetur ieiunium naturale. 465. num.12.
An in aliquo caſu liceat Euchariſtiam ſumere in peccato mortali. 478.n.1.
Euchariſtiam ſumere cum multiplici peccato grauius eſt. ibid.n.2.
Indigna Euchariſtiæ ſumptio quomodo ſit in confeſſione exprimenda. 479.num.5.

An

An vt Euchariſtia cauſet gratiam requiratur actualis deuotio. 483.n.16.& ſeq.
Quàm frequens vſus Euchariſtiæ ſit conueniens. 506.n.26.
Impugnatur quotidiana Euchariſtiæ ſumptio à laicis. ibid.& ſeq.
Neceſſitas præmittendi confeſſionem ſuſceptioni Euchariſtiæ non eſt præcepta ab Eccleſia ob periculum amittendi fructum illius, ſed ob maiorem Sacramenti reuerentiam. 495. num. 35.
An liceat Euchariſtiam ad probationem veritatis accipere. 214.n.18.

Obligatio ſuſcipiendi Euchariſtiam.

Euchariſtię ſumendæ obligatio quando in pueris incipiat. 457.n.13.
An omnes pueri rationis & peccati capaces teneantur in articulo mortis communicare. ibid.n.14
Quid ſi dubitetur de vſu rationis in puero. 459. n.20.
Eſt obligatio dandi Euchariſtiam in caſu propoſito. ibid.n.22.
Quid de adultis dubium vſum rationis habentibus. 460 n.24.
An Euchariſtia ſumpta paulò ante articulum mortis excuſet ab eadem ſumenda in ipſo articulo. 471.n.30.
An detur præceptum Diuinum ſumendi Euchariſtiam. 497.num.1.
Negant aliqui; ſed vera & communiſſima ſententia affirmat. ibid.n.1.& ſeqq.
Non baptizati obligantur præcepto Diuino, vt per Baptiſmum reddant ſe capaces Euchariſtiæ. 499.n.7.
Catechumenus & infidelis non ſatisfaciunt præcepto ſumendo Euchariſtiam. 500.n.8.
Item non ſatisfacit communicans in mortali. 505.n.25.
Pro quo tempore obliget præceptum Diuinum ſumendi Euchariſtiam. 501.n.14.& ſeqq.
Sumendæ quotidie Euchariſtiæ obligatio nunquam fuit in Eccleſia. 502.n.15.
In articulo mortis ſumenda eſt Euchariſtia ex præcepto Diuino. ibid.
Euchariſtia non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij. 196.n.29.
Neque eſt neceſſaria abſolutè ad reſurgendum aut perſeuerandum in gratia. 197. num.30.
Extat præceptum Chriſti de ſumenda Euchariſtia. 298.n.32.
Eo non obligantur paruuli. ibid.n.33.

De exiſtentia Euchariſtia.

Vtrùm in ſtatu Innocentiæ inſtituenda fuiſſet Euchariſtia. 85.num.18.

Præſentia Chriſti in Euchariſtia.

Poteſt Chriſtus ante corruptionem ſpecierum ſe à Sacramento ſubtrahere. 54.n.17.
Non poſſumus ſcire ex Fide, quamdiu Chriſtus maneat ſub ſpeciebus. ibid.n.18.
Quomodo ſit de Fide, Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus. 55.n.20.
Qua certitudine colligi poſſit Chriſti ſub ſpeciebus perſeuerantia. 56.n.24.
Hoc Sacramentum continet in ſe verè & realiter Chriſtum. 280.num.3.
Eius rei probationes. ibid.n.3.&.ſeq.
Præſentia Chriſti in Euchariſtia non eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum. 333.n.11.
Eiuſmodi præſentia non facit Chriſtum naturaliter penetrabilem cum aliis corporibus. ibid. n.10.
Impedit etiam naturaliter ne Chriſtus alibi ponatur. 333.n.12.
Præſentia Chriſti in Euchariſtia eſt definitiua. 334.n.14.
Non pendet per ſe à præſentia naturali illius in cœlo, ne quidem naturaliter. ibid.n.15.
Sacramentum Euchariſtiæ non pendet ex vi ſuæ inſtitutionis à Chriſto vt viuo. 335.n.16.
Chriſtus exiſtens in Euchariſtia eſt in loco. ibid. nu.18.
Eſt totus in qualibet parte hoſtiæ. 336. num.19.
Vnde id probetur. 336.n.20.& 337.n.21.
Quomodo hæc præſentia debeat explicari. 337.num.22.
Vt corpus Chriſti poſſit demonſtrari ſub ſpeciebus tria requiruntur; Primò, vt abſit ſubſtantia panis; Secundò, vt ſit intimè præſens ſpeciebus; Tertiò, vt ſpecies poſſint ſecum trahere Chriſtum. 338.n.24.
In quo conſiſtat præſentia Sacramentalis Chriſti ſub ſpeciebus. 340.n.30.
Poteſt corpus Chriſti demonſtrari per accidentia panis, etiamſi non exerceat circa illa munus ſubſtantiæ. ibid.n.29.
Poſſet Chriſtus poni in pluribus locis ſub ſpeciebus, etiamſi non reproduceretur. 343.num.39.
Chriſtus non vnitur ſpeciebus Euchariſticis. 359. num 8.
Neque alligatur ſpeciebus per qualitatem phyſicam exigentem intimam præſentiam illius cum ſpeciebus. ibid.
Neque per habitudinem ſubſtantialem ad accidentia, vt vult P. Vaſquez. 360.n.10.
Quot modis Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus. 368.num.1.
De Fide eſt Chriſtum eſſe ſub qualibet parte ſpecierum. 370.n.5.
Si in continuo Ariſtotelico dentur aliqua puncta; admitti poterit Chriſtum eſſe in punctis terminatiuis ſpecierum. ibid.n.6.
Non eſt tamen opus admittere eum eſſe ſub punctis continuatiuis, caſu quo vino conſecrato admiſceatur non conſecratum. 371. num 9.
Poteſt admitti eum eſſe ſub punctis continuatiuis vini conſecrati. ibid.n.10.
An ad conſecrationem & Sacrificium Euchariſticum requiratur Chriſtum eſſe viuum. 540.n.49.

Quæ in ea ſint vi verborum, quæ per concomitantiam

Chriſtus in Euchariſtia habet ſecum replicatam gratiam habitualem & alias perfectiones ſupernaturales 325.num.22.
Si corpus Chriſti redigeretur in cineres, ponerentur cineres ſub ſpeciebus panis per concomitantiam. 335.num.18.
Totus Chriſtus eſt per concomitantiam ſub qualibet ſpecie 368.n.1.
Etiam diuinitas illius. ibid.
Etiam vngues, capilli, dentes Chriſti. 369.n.2.
Et quantitas, ſi ſit aliquid diſtinctum ab extenſione locali Chriſti ibid.num.3.

Digitized by Google

Non item raritas vel denſitas formalis corporis Chriſti, ſed tantùm radicalis. 369. numer.4.
Figura Chriſti non ponitur in Euchariſtia. ibid.
Ponuntur autem per concomitantiam omnia accidentia, quæ neceſſariò exiguntur à corpore & anima Chriſti. 370 numer.5.
Quid ſit panis in Euchariſtia vi verborum. 372. numer.12.
Quid ſignificetur nomine corporis. ibid.nuer.12. & ſeqq.
Variæ explicationes reiectæ. ibid.
Vi verborum *Hoc eſt corpus* ponitur in Euchariſtia ſola materia prima cum variis accidentibus. ibid.
Quantitas corporis non ponitur ex vi verborum. 378. numer.29.
Si corpus Chriſti redigeretur in cineres vi verborum, poneretur nihilominùs materia prima cum organizatione præterita. ibid. numer. 31.
Materia panis non pellitur vi verborum, ſed ſola vnio materiæ & formæ panis cum accidentibus. 379 n.33.
Vi verborum *Hic eſt ſanguis* ponitur materia prima cum accidentibus ſanguinis. ibid. numer.35.
In triduo mortis fuiſſet poſitus ſanguinis vi verborum. 380.n.36.
Non ponuntur vi verborum partes ſanguinis effuſi. ibid.n.37.
Ponitur vi verborum totus ſanguis, etſi non ſit effuſus. 381.n.39.
Item vnio ſanguinis cum corpore, non tamen eiuſdem contiguitas. ibid.
Diuinitas Chriſti non eſt ſub ſpeciebus vi verborum. ibid.n.41.
Verbum diuinum & aliæ perſonæ ponuntur tantùm per concomitantiam. 383.n. 46.

Accidentia ſeu ſpecies Euchariſtica.

Quare Euchariſtia aſſimiletur cibo. 165. n.14.
Cur dicatur cibus ſpiritualiter. 282. num.9.
Species non vniuntur corpori Chriſti. 337. num. 23.
Accidentia panis & vini in vltimo inſtanti conſecrationis conſeruantur à ſolo Deo, idque miraculosè. 341. n. 34.
Species conſecratæ non trahunt ſecum corpus Chriſti per aliquam qualitatem ſupernaturalem ſuperadditam. 343 num.38.
Eſt tamen poſſibilis eiuſmodi qualitas. ibid.
Quæ accidentia panis & vini maneant in Euchariſtia. 394. num.1.
Manent ea quæ ſenſibus patent; circa alia res incerta. ibid.
Probabilius eſt etiam manere ea quæ ſenſum fugiunt, excepta vbicatione & duratione, eſto hæc ponantur accidens abſolutum. 415. num.2.
Species & accidentia panis non excipiuntur in qualitate. 395.n.4.& ſeq.
Conſeruantur in Euchariſtia à Deo extra omne ſubiectum. 394 n. 3.
Idque per actionem realiter diſtinctam ad ea qua conſeruabantur in materia. 397.n.12.
Non exiſtunt per aliquem modum perſeitatis. ibid.
Quomodo grauitent. 395.n.6. 396.n.7.
Non alterantur naturaliter. 398.n.14.
Corruptis ſpeciebus producitur noua forma & noua materia. 399.n.15.
Et probabilius eſt reproduci materiam primam. ibid.
Formam nouam producit agens naturale quod produxit diſpoſitiones. ibid. num.17.
Diſpoſitiones pro forma noua quæ ſuccedit corpori Chriſti priùs natura producuntur quàm materia. 400.n.18.

Quid poſſit Chriſtus in Euchariſtiâ agere aut pati.

Chriſtus non poteſt influere in accidentia, ſub quibus in Euchariſtia continetur. 340.n. 29.
Sacerdos mouens ſpecies eo ipſo etiam mouet Chriſtum. 344.n.40.
Homo nihil poteſt in Chriſto exiſtente ſub ſpeciebus producere niſi motum localem. ibi.n.42.
Chriſtus exiſtens in Euchariſtia rectè dicitur moueri & quieſcere, non tiem ſtare, ſedere aut frangi. 345.n. 44.
Poteſt tamen dici aliquo ſenſu commiſceri & comedi; item videri, rangi, ſentiri, non autem frigeſieri, aut caleſieri. ibid.
Chriſtus mouetur cum hoſtia localiter, non tamen naturaliter. 383.n.1.2.
Ille motus producitur mediatè ab eo qui mouet ſpecies. 386.n.8.
Immediatè probabilius à ſolo Deo. ibid.n.9.
Non poteſt Chriſtus in Euchariſtia pati frigus aut calorem. ibid.n.10.
Poteſt Chriſtus in Euchariſtia exiſtens naturaliter agere in paſſum vicinum. 388.n.14.
De facto tamen id non ſit, ibid.
Probabilius eſt Chriſtum non poſſe in Euchariſtia naturaliter exercere actus viſionis & auditionis. 389.n.17.
Sic verò tactus & guſtus. ibid.
An etiam olfactus incertum. ibid.
Probabilius eſt non poſſe exercere naturaliter actus ſenſus interioris. ibid.
Sic verò actus appetitus & intellectus, qui non pendent à phantaſia. 390.n.18.19.
Poteſt voluntas Chriſti in Euchariſtia amare ex directione intellectionis exiſtentis in cœlo. ibid.n.19.
Poteſt Chriſtus de potentia abſoluta videri in Euchariſtia oculo corporeo. 291.n.21.
Etiam extenſus & in figura integra 391.numero.22.392.n.23.
Si non videatur vbicatio, probabilius eſt poſſe videri etiam naturaliter. ibid.n.23.
Si videatur vbicatio, & vbicatio Chriſti ſit ſupernaturalis, non poteſt videri naturaliter. ibid. n.24.
Angelus aut anima ſeparata poteſt naturaliter cognoſcere corpus Chriſti in Euchariſtia, non tamen præſentiam illius. 393.num.25.

Quomodo deſinat aut incipiat eſſe ſub ſpeciebus.

Chriſtus non deſinit eſſe ſub ſpeciebus corruptis ex repugnantia cum ſpeciebus nouis, ſed ex voluntate Chriſti. 350.n.15.
Non repugnat Chriſtum in Euchariſtia reproduci; & ita ſit de facto. 358.n.4. 363.n. 17.
Idem videtur ſenſiſſe D. Thomas. 359. n.7. 363.n.18.
Sola Chriſti reproductio ſub ſpeciebus panis non ſufficit ad conuerſionem. 389.n.7.
Quomodo & quando Chriſtus deſinat eſſe ſub ſpeciebus. 401.n.&.ſeqq.

Excom

Digitized by Google

Excommunicatus.

Cum excommunicatis toleratis agendi priuilegium datum à Concilio Conſtantienſi.218. num.43.

Exiſtentia.

Exiſtentia actus voluntatis triplex, actualis, virtualis, habitualis. 193.n.18.

Extrema Vnctio.

Extrema Vnctio cur detur non petentibus, & quomodo. 221.n.10.
Inter Extremam Vnctionem & Baptiſmum quæ diſparitas quoad intentionem ſuſcipiendi.224.n.21.
In Extrema Vnctione Sacramentum tantùm eſt materia & forma illius, res verò & Sacramentum ſimul ſunt hilaritas mentis, confortatio animi, & ſuſtinentia dolorem. 64.n.7.
Extrema Vnctio eſt inſtituta à Chriſto.181.n.2.

F

Femina.

FEMINA an poſſit eſſe Miniſter Sacri.
Vide *Celebrare Sacrum.*
Solius Baptiſmi & Matrimonij poteſt eſſe Miniſtra. 187. numer. 20.

Fictio cum qua Saramentum ſuſcipitur.

Fictio, cum qua Sacramentum ſuſcipi poteſt, duplex eſt, poſitiua & negatiua. 158. numero 24.
Fictio negatiua per ſolam attritionem tollitur, ibid.n.25.
Poſitiua, quæ in ipſa ſuſceptione Sacramenti committitur, non tollitur niſi per Sacramentum Pœnitentiæ vel contritionem 159. num.27.

Fides.

Sacramentum Legis naturæ conſiſtebat in actu Fidei. 87.num.24.
Non fuit opus vt ille actus Fidei eſſet ſupernaturalis. 91.num.34.
Sola Fides non ſufficit ad iuſtificationem. 107. num.7.
An traditio ſufficiat, vt quid dicatur eſſe de Fide. 588.num.4.
Quomodo præceptum aliquod poſſit eſſe de Fide. 589.n.6.

Fomes peccati.

Moderatio fomitis peccati eſt effectus Euchariſtiæ.
Vide *Euchariſtia.*

Forma Sacramenti.

Vide *Sacramentum.*

Forma Baptiſmi.

Vide *Baptiſmus.*

Formæ partiales.

Non dantur in viuentibus formæ partiales.372. num.13.
Non poſſunt eſſe ſubſtantiales. 373.n.16.

G

Geneſius.

GENESII Baptiſmus non fuit verus.190.n.7.

Gloria in Sacro.

Sacerdos omittens *Gloria* in Sacro quomodo peccet.
Vide *Celebrare Sacrum.*

Gratia.

Poſſibiles ſunt gratiæ habituales ſpecie diuerſæ. 166.n.17.
Quid ſint gratiæ Sacramentales, & in quo conſiſtant. ibid.n.19.
Quid ſit gratiam cauſari ex opere operato, quid ex opere operantis. 101.n.1.
Solus Deus eſt cauſa principalis gratiæ.103. numer.8.
Quid ſit cauſare gratiam per modum meriti, quid per modum impetrationis. 111.n.38.
Poteſt res ſenſibilis habere connexionem naturalem cum gratia. 123.num.5.
Gratia quomodo ad Euchariſtiam requiratur. 478.n.1.& ſeqq.
Cùm vnica tantùm detur gratia per vtramque ſpeciem, quandonam illa detur. 451.n.26.
Gratiam quando Euchariſtia manducata conferat.
Vide *Euchariſtia.*
An gratiam recipiat, qui ignoranter ſumit Euchariſtiam.
Vide *Euchariſtia.*

H

Hæreticus.

HÆRETICORVM error, quòd Sacramenta ſint ad excitandam Fidem in nobis.189. numer.2.
Pro hæreticis poteſt quis proprio nomine Sacrificium Euchariſticum offerre.
Vide *Euchariſtia.*
Quinam hæretici intelligantur.
Vide *ibidem.*

Homicidium.

An ſit licitum reddere gladium depoſitum repetenti animo homicidij. 212.n.19.
Quodnam homicidium requiratur ad pollutionem Eccleſiæ.
Vide *Eccleſia.*

Horologium.

Inter duo horologia inæqualiter incedentia licitum eſt ſequi opinionem mediam.
Vide *Ieiunium.*

Hoſtia.

An hoſtiam liceat negare illi quem ſcio conculcaturum. 211.num.16.
Aut ſaltem non conſecratam. 212.n.20.
Dans hoſtiam indigno non cooperatur peccato dignæ Communionis. ibid.numer.18.
An qui acciperet hoſtiam conſecratam inaduertenter, acciperet gratiam. 221.num.13.
An qui violentè intruſam. ibid.n.15.
Hoſtiarum particulæ poſſunt poſt ablutionem à Sacerdote factam ſumi, non item ipſæ paruæ hoſtiæ. 477.n.49.& ſeq.

Digitized by Google

An illæ particulæ poſſint ſumi in Sacriſtia. ibid. numer. 51.
An particulæ relictæ ab alio. ibid.
An hoſtiæ paruulæ poſt conſecrationem ante ſumptionem hoſtiæ maioris poſſint poni extra aram. 575.n.6

I

Ieiunium

IEIVNIVM quale præmittere debeat ſumpturus Euchariſtiam. 464.n.9.
An in illo detur paruitas materiæ. ibid.
Quomodo violetur ieiunium naturale. 465.n.12.
Sumptio rei non comeſtibilis non frangit ieiunium. 466.n. 15.
Quid ſentiendum de eo qui cum ſaliua deglutit aquam. ibid.n.17.
Quid de eo qui muſcam attrahit. ibid.num.18.
A quo puncto temporis illud ieiunium inchoandum. 467.num.19. & ſeq.
Quid agendum quando ſunt plura horologia inæqualiter incedentia. 468.numer.21.
Inter duo horologia licitum eſt ſequi opinionem mediam. 469. num. 26.
Dubium de Sacro, quod in Vigilia Natiuitatis fit coram Pontifice. 470.num 27.
Quomodo ratione morbi liceat homini non ieiuno communicare. ibid.num.29.
Quando & quoties licitum ſit infirmo non ieiuno ſæpiùs communicare in eodem morbo 474. num. 38.
An Sacerdos non ieiunus in periculo vitæ conſtitutus poſſit celebrare, vt ſeipſum communicet. ibid. num. 41.
Etiam ad dandum alteri Viaticum probabiliter poteſt non ieiunus celebrare. ibid.
Abſolutè tamen non videtur id licere. 475. num.42.
Aliquot caſus quibus licet ſine ieiunio celebrare. 476. num. 46.

Immerſio.

Quomodo intelligendus D. Thomas de trina pro Baptiſmo immerſione. 231.n.7.
Vide plura in *Baptiſmus.*

Impedimentum.

Parochus ſciens impedimentum occultum non poteſt aſſiſtere matrimonio; poteſt autem ſciens peccatum occultum. 215.num.32.
Quæ diſparitas. ibid.num.32.& ſeqq.
Quid ſentiendum de proteſtatione Epiſcopi, de non ordinandis qui cum impedimento accedunt. 200.num.43.
Impedimentum affinitatis ſpiritualis.
Vide *Baptiſmus.*

Infans.

Infantes ſanctificantur per Baptiſmum independenter ab omni actione libera. 239. num. 38.
Quo ſenſu poſſint dici infantes credere. ibid. num.39.
Infans in vtero matris vnà cum matre occiſus eſt martyr. 242.num.48.
Infantes an ſint capaces ſumendæ Euchariſtiæ. Vide *Eucbariſtia.*

Infirmus.

Quomodo & quando ratione morbi liceat homini non ieiuno communicare.
Vide *Ieiunium.*

Ingenitus.

Ingenitus non eſt idem quod Pater; nam etiam Spiritus ſanctus eſt ingenitus. 235. nu. 23. & ſeqq.
Epiphanius contra hæreticos de voce *ingeniti* examinatur. ibid.nu.24.

Intentio.

An ad quantitatem ablutionis ſufficientem ſit neceſſaria intentio Miniſtri. 231.n.7.
De intentione Miniſtri. 188.numer.1.
Variæ ſententiæ de qualitate & quantitate intentionis. 189.n.7.
D. Thomæ & Catharini ſententia probatur ex S. Auguſtino. ibid.
Et ex deciſione Nicolai Papæ, item facto Geneſij Martyris. ibid.
Prædictæ ſententiæ refutantur ex Concilio Tridentino. ibid.n.3.
Argumenta pro ſententia D.Thomæ ſoluuntur. 190.n.6.
Poteſt defectu intentionis eſſe verum matrimonium ſine ratione Sacramenti. ibid.num.8.
Intentionis neceſſitas. 191.numer.9.
Vbi Marcus Scribonius Catharini ſententiam ſuſcitat, ſed reijcitur. ibid.
Quid ſit intentio faciendi quod facit Eccleſia. 192.n.13.
Quod ſit huius intentionis obiectum. ibid.n.14.
Variæ explicationes, quomodo intentio non ſit obiectum ſuiipſius. ibid.
Cardinalis Lugo ſententia reijcitur. ibid. n.15.
Obiectum intentionis Miniſtri eſt facere quod facit Eccleſia. 193.nu.15.
Declaratur exemplis. ibid.
Quæ intentio efficacior in hæretico, an explicita vel implicita. ibid.nu.17.
Habitualis non ſufficit ad conficiendum Sacramentum. ibid.numer.18.
Sufficit autem ad applicationem ſatisfactionis bonorum operum. 194.nu. 19.
Hæc applicatio poteſt fieri in futurum, non verò intentio in Sacramentis. ibid.num.21.
Virtualis non conſiſtit in actu voluntatis remiſſo vel phantaſiæ; & poteſt fieri Sacramentum nullo horum durante. ibid.n.22.& ſeqq.
Ad virtualem intentionem non eſt neceſſarius actus imaginatiuæ; contra Coninck & Suarez. 195.numer. 25.
Obiectiones ſoluuntur. 196.num.27.
Virtualis intentio ſufficit ad conficiendum Sacramentum. 197.num. 30.
De intentione requiſita ex parte ſuſcipientis Sacramentum. 219. num. 1.
Difficultas circa adultos. 220. num. 3.
Sententia Coninck, ſufficere generalem intentionem ſuſcipiendi Sacramenta Eccleſiæ, variè oppugnatur. 223.n.17.& ſeqq.
Quæ diſparitas inter Baptiſmum & Extremam Vnctionem quoad intentionem ſuſcipiendi. 224.num.21.
Diſcrimen inter intentionem ſuſcipientis & Miniſtri. ibid.n.22.
Intentio pœnitentis debet influere in abſolutionem. 225.n.24.
Poteſt eſſe diuturna præcedentia intentionis & validum Sacramentum. ibid.n.25.
Quandoque mora temporis valdè obeſſe poteſt. ibid.

Digitized by Google

Quæ intentio in Sacerdote celebraturo requiratur. 557.n.1.

An ea per Superioris voluntatem poſſit impediri. ibid. n. 1. & ſeqq.

An poſſit Sacerdos ſua intentione diuidere effectum huius Sacrificij, aut aliquem ab eo excludere. 558.n.5.

Intentio non eſt neceſſaria ad ſatisfaciendum præcepto. 598.n.42.

Quid ſit *velle facere quod facit Eccleſia*, quando cum tali intentione conficitur Sacramentum. 8.n.20.

Intentio Miniſtri eſt pars intrinſeca Sacramentorum. 39.n.19.

Irregularis.

Irregularis vel ſuſpenſus cantans ſolemniter Euangelium peccat mortaliter. 204.n.15.

L

Laicus.

LAicis in caſu neceſſitatis quomodo conueniat poteſtas diſtribuendi Euchariſtiam. Vide *Euchariſtia.*

Lex gratia.

Vnde vocetur Lex gratiæ. 6.n.15.

Non fuerunt abſolutè & ſimpliciter neceſſaria Sacramenta in Lege gratiæ. 101.n.21.

Sunt tamen valdè vtiliter & congruè inſtituta. ibid.

Septem ſunt Sacramenta in Lege gratiæ. ibid. Vide *Sacramentum.*

Lex naturæ.

Fuit in Lege naturæ inſtitutum aliquod remedium pro paruulis à peccato Originali liberandis. 86.n.20.

Illud remedium fuit verum Sacramentum. 87.n.24.

Conſiſtebat in profeſſione exteriore Fidei. ibid.

Non proderat niſi ſolis paruulis. 90.n.31.

Eius Miniſter vt validè fieret debebat eſſe fidelis. ibid.n.33.

Non erat neceſſarium vt eſſet in gratia. 91. num.35.

Poterat validè à quocumque conferri, licitè non niſi à parentibus, aut de eorum licentia 92.n.38.

Vnicum tantùm fuit Sacramentum in Lege naturæ. 93.n.40.

Lex ſcripta.

Fuerunt in Lege ſcripta verè & propriè dicta Sacramenta, eaque plura. 93.n.1. Vide *Sacramentum.*

Linteum.

Lintea tria ſeu tres tobaleæ requiruntur pro Altari, in quo celebrandum eſt. 576.n.8.

An debeant eſſe benedicta. ibid.

M.

Manducatio.

MANDVCATIO non conſiſtit in maſticatione. 434.n.3.

Manducare quid ſit. 435.n.4. & ſeqq.

Mare.

An in mari liceat celebrare. Vide *Celebrare.*

Martyrium.

Per martyrium poteſt quis iuſtificari. 241. num.47.

Martyrum adultorum exempla ſine Baptiſmo. 242.n.48.

Martyrium iuſtificare vi contritionis, ſententia Vaſquez. ibid.n.50.

Sola attritione, communis ſententia. ibid.

Martyrium tam in adultis quàm infantibus ſupplere defectum Baptiſmi, diuerſimodè tamen. ibid. n. 51.

Martyrium ſubiturus tenetur confiteri, ſi adſit Confeſſarius; ſi non adſit, tenetur conteri. 243. n.53.

Cum attritione ſufficere, non omnino certum. ibid.

Quo inſtanti Martyr accipiat gratiam. ibid. num.54.

Martyrij meritum conſiſtere in ipſa volitione ibid.n.55.

Martyrium confert gratiam ex opere operato. 102.n.3.

Etiam cum ſola attritione. 244.n.56.

Quare non ſit Sacramentum. 17.num.50. 244.n.66.

Non eſt pignus gratiæ. 18.n.53.

Potuit à Deo inſtitui Sacramentum. ibid. num.54.

Ad martyrium requiritur intentio Miniſtri occidentis in odium Fidei vel alicuius alterius virtutis. 244.n.56.

Requiritur item ex parte patientis voluntas actualis vel virtualis acceptans mortem quæ infligitur. ibid.n.58.

Et talis voluntas debet eſſe ſupernaturalis. ibid.

Materia Sacramenti.

Vide *Sacramentum.*

Matrimonium.

An ſi matrimonium Characterem imprimeret, eſſet reiterabile, & quomodo. 169.num.11. & ſeq.

Sacramentum Matrimonij non cauſat gratiam in vltimo inſtanti, in quo perficitur, ſed poſt aliquam morulam. 135.n.27. & ſeqq.

Quid in Sacramento Matrimonij ſe habeat per modum materiæ quid per modum formæ. 24.n.3. & ſeq. 28.n.17.

Matrimonium perficitur ibi vbi ſunt contrahentes, non vbi eorum Procuratores. 25. n.6.

Poteſt eſſe verum defectu intentionis ſine ratione Sacramenti. 190.n.8.

Qui contrahente pro ſe Procuratore matrimonium ebrius eſt, validè contrahit. 197. n.33.

Imò Procurator videtur validè contrahere poſtquàm mandans in amentiam incidit. 198. num.34.

Neque Ius Canonicum tale matrimonium inualidat. ibid.n.35.

Differentia inter Sacramentum Matrimonij & alia; & diſparitas quoad conditionem de futuro. 199. n. 39. & ſeq.

Matrimonium contrahentes in peccato tanquam Miniſtri peccant. 201.n.4.

Poſt Tridentinum Parochi præſentia eſt pars Sacramenti

Sacramenti Matrimonij. 216.n.36.
Specialis difficultas de Sacramento Matrimonij quoad Parochum aſſiſtentem. 215. num.31.
Alia difficultas quoad coniuges vt Miniſtros Sacramenti Matrimonij. 217. numer. 41. & ſeqq.
Licet Matrimonium contrahere cum peccatore. 218.n.42.
Etiam cum excommunicato tolerato. ibid. num.43.
Diſparitas inter Matrimonium & alia Sacramenta. ibid.n.42.
Matrimonium & Pœnitentia requirunt poſitiuum actum ſuſcipientium. 219. n.1.
In Matrimonio miniſtrando debet eſſe voluntas virtualiter permanens. 226.n.27.
Actualis non neceſſaria. ibid.n.28.
Difficultas de Matrimonio per epiſtolam contracto. ibid.n.27.
Procurans validè contrahit, licet vtrique parti non conſtet de conſenſu. ibid.n.28.

Matutinum.

An ſub mortali præmitti debeat ante Sacrum. 568.n.24.

Meritum.

Diſparitas inter meritum & orationem. 554. num.28.

Miniſter.

Miniſter Sacramenti Legis naturæ debet eſſe fidelis. 90.n.33.
Non requirebatur in eo ſtatus gratiæ. 91. numer.35.
Miniſtri Sacramentorum nouæ Legis ſunt Vicarij & delegati Chriſti. 107.n.25.
Miniſtri Sacramentorum Legis veteris neque erant Vicarij Dei neque Chriſti. 108. n. 27. & 29.
Neque Vicarij Synagogæ. 109.n.31.
Et quamuis fuiſſent Vicarij Synagogæ, necdum Sacramenta Legis veteris fuiſſent cauſa moralis gratiæ 110. n.31.
Perſona Miniſtri eſt pars intrinſeca Sacramenti. 44.n.31.
Soli homines poſſunt de lege ordinaria eſſe Miniſtri Sacramentorum. 287.n.20.
Etiam reſuſcitati à mortuis, licet ad vitam immortalem reſuſcitentur. ibid. numer.21.
Miniſter Sacramenti non neceſſariò eſt viator. ibid.
Anima ſeparata non poteſt eſſe Miniſter Sacramentorum. ibid.
Miniſtri fides & probitas nil faciunt ad valorem Sacramenti. 188.num.1.
Miniſter Sacramenti quomodo poſſit velle quod vult Chriſtus. 193.n.16.
Extra caſum neceſſitatis tenetur eſſe in gratia. 201.n.2.& ſeq.
In caſu neceſſitatis non. 204.n.16.
An liceat à Miniſtro iniquo petere Sacramenta. 205.n.18.
Licet ab hæretico nondum denuntiato petere in caſu vtilitatis. 206.n.22.
Vtilitas petendi eſt ſufficiens augmentum gratiæ. ibid.
Ab excommunicato aut irregulari non licet. 207.n.26.
Niſi parato ad celebrandum & ſacris veſtibus induto. ibid.
Miniſter Sacramenti tenetur impedire, ne quis illud indignè ſuſcipiat. 207.n.1.
Miniſtrans ſibi Euchariſtiam in peccato non peccat bis, quà dans & quà accipiens. 208. num.4.

Miſſa.

Vox *Miſſa* quid indicet. 524.num.1.
Circa Miſſæ Sacrificium error hæreticorum. 525.n.1.
Miſſæ Sacrificium.
Vide *Euchariſticum Sacrificium.*
Plura de Miſſa quære in *Celebrare.*
An liceat duo ſtipendia pro vno Sacrificio Miſſæ accipere. 554.n.30.
An ſit mortale Miſſam votiuam dicere pro Defunctis die Feſtis Duplicis. 580. numer. 21.
An ſit mortale omittere orationes quæ dici ſolent dum ſe Sacerdos induit. ibid.

Mors.

Mortis articulus quis ſit. 472.n.34.
Articulus mortis poteſt incipere in homine ſano & id ignorante. ibid.
Quid requiratur ad articulum mortis. ibid. numer.35.
Articulus mortis duo vel tres dies ante illam dici poſſunt. 474.n.38.
In articulo mortis ſumenda eſt Euchariſtia ex præcepto Diuino.
Vide *Euchariſtia.*

N

Neceſſitas.

NECESSITAS medij quid ſit, quid præcepti. 291.n.13.

O

Opinio.

OPINIO probabilis relicta certa in periculo nocendi grauiter proximo non eſt ſequenda. 231.n.6.

Oratio.

Quomodo oratio & meritum differant. 554. numer.28.
An ſit mortale omittere illas orationes quæ dici ſolent dum ſe Sacerdos induit. 580. numer.21.

Ordinis Sacramentum.

In Ordinis Sacramento peculiaris ratio alligandi voluntatem ad hunc potiùs quàm ad alterum. 200. numer. 43.
Epiſcopus non excludit eos qui bona fide ad Ordines accedunt, niſi habeant aliquod impedimentum quod ignorant ibid.numer.44.
Ordinis Sacramentum poteſt negari non ſolùm ex ſcientia publica, ſed etiam priuata. 215. numer.30.
Vtrùm in ſtatu Innocentiæ fuiſſet inſtitutum Sacramentum Ordinis caſu quo Chriſtus veniſſet. 85.n 18.
Ordo

Digitized by Google

Ordo non eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ſed poteſtas abſoluendi. 41.n.22.
Poteſtas abſoluendi diſtinguitur ab Ordine. ibid.
Conſiſtit in denominatione extrinſeca prouemente à voluntate Chriſti. ibid.
Poterat Chriſtus vnica voluntate inſtituere Sacramentum Ordinis & conferre poteſtatem. 42.n.27.
De facto tamen id factum per voluntates diſtinctas. ibid.
Ordo Epiſcopi aut poteſtas ordinandi non eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ in Sacerdote. 43.n.28.
In Sacramento Ordinis Sacramentum tantùm eſt materia & forma,res verò & Sacramentum eſt Character. 64.n.6.
Eccleſia Græca ordinat per manus impoſitionem.67.n.2.
Latina per exhibitionem panis & vini. ibid.
Eccleſia non mutauit materiam Sacramenti Ordinis aſſignando traditionem calicis & patenæ. 68.n.3.
Impoſitio manuum, qua datur poteſtas abſoluendi, eſt pars Ordinis. ibid.n.2.
Secùs dicendum eſt de manuum impoſitione quæ antecedit traditionem calicis cum patena. 71.n.13.

P

Panis.

PAnem qua cæremonia ſuis diſcipulis fregerit Chriſtus. 410.n.3.

Parochus.

Parochus ſciens impedimentum occultum non poteſt aſſiſtere matrimonio; poteſt autem, ſi ſciat peccatum occultum. 215. numer. 32.
Aſſiſtens matrimonium contrahentibus in peccato non cooperatur peccato, ſed permittit. 317.n.40.

Pars.

Poteſt aliquid ſignificari in obliquo, & tamen eſſe pars intrinſeca. 46.num.36.

Paſcha.

Religioſi vi ſuorum priuilegiorum an poſſint die Paſchatis miniſtrare aliis Euchariſtiam.

Vide *Euchariſtia.*

Paſchalis Communio.

Vide *Communio.*

Patrinus.

Vide *Baptiſmus.*

Peccator.

Peccatori publico negandum Sacramentum.209. n.7
Etiam occultè petenti, niſi in mortis articulo. ibid.
Occulto peccatori occultè petenti negandum etiam à proprio Parocho. ibid.n.8
Non tamen publicè petenti. 210.n.14.

Peccatum.

Peccata nunquam delentur intra aut extra Sacramentum ſine ſupernaturali retractatione eorumdem, quæ vt minimùm ſit attritio.161. num.1.
Diuerſi ſunt modi alterius peccato cooperandi. 208.n.6.
Obligatio impediendi peccatum ex charitate eſt communis. 207.num.1.
An cum peccato mortali liceat in aliquo caſu communicare. 478.num.1.
An cum peccato multiplici. ibid.n.2.
An ſit duplex peccatum communicare contra duo præcepta. 479.n.5.
Quàm graue ſit peccatum communicare in mortali. 480.n.8.
Quomodo peccet communicans in veniali.481. num.10.
Non eſt ne quidem ſub veniali obligatio auferendi omnia venialia peccata ante Communionem. 482.n.13.
Probabilius tamen eſt communicantem aliquando in venialibus peccare venialiter. ibid. n.15.

Peccatum Originale.

Erat in ſtatu ſeu Lege naturæ inſtitutum aliquod remedium peccati Originalis pro paruulis. 86.n.20.
Illud remedium fuit verum Sacramentum, & conſiſtebat in aliqua exteriore profeſſione Fidei. 87.n.24.
Pelagij error negantis peccatum Originale.238. n.37.

Perſonalitas.

In humanis perſonalitas non ſignificatur in recto, ſed tantùm natura; contrarium verò fit in Chriſto. 382.n.43.

Pignus.

Pignus eſt poſterius voluntate dandi id cuius eſt pignus. 16.n.46.
Quid ſit. 18.n.53.

Pœnitentia.

Pœnitentiam imponens Sacerdos in confeſſione tenetur eſſe in gratia. 204.n.13.
Ante autem vel poſt non. ibid.
Ad Pœnitentiam non ſufficit voluntas implicita in Baptiſmo habita 225.n.23.
Reuocatur in dubium effectus attritionis in Sacramento Pœnitentiæ. 243.n.54.
Non eſt validum ſine omni dolore de peccatis. 136.n.2.
Non ſufficit ad illius valorem dolor exiſtimatus. ibid.n.3.
Neque dolor imperfectus & inefficax ibid.
Non poteſt eſſe validum & informe. 137. num.7.
Aliquorum probationes. ibidem numer. 7. & ſeqq.
Probatio Auctoris ſumpta ex Concilio Tridentino. 140.n.18 &.ſeqq.
Quo ſenſu Auctores de facto doceant Sacramentum

Digitized by Google

tum Pœnitentiæ poſſe eſſe validum & informe. 137.n.4.& ſeqq.

Dolor ex motiuo reincidentiæ aut hominis Chriſtiani vt talis non ſufficit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. 138.n. 11. 139. numer. 12.

Dolor neceſſarius ad valorem huius Sacramenti debet eſſe vniuerſalis & excluſiuus omnis omnino peccati tam præteriti quàm futuri. 140.n.17.& ſeqq.

Debet etiam eſſe ſupernaturalis. 141.numer. 21.

Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe validum & informe defectu Fidei & Spei. 143. num.28.& ſeqq.

In Sacramento Pœnitentiæ Sacramentum tantùm eſt confeſſio & abſolutio;res verò & Sacramentum ſimul eſt internus dolor. 69. num. 7.

Potentia.

Potentia exterior quomodo determinetur. 196. num. 28.& ſeqq.

Præceptum.

An ſine præcepto poſitiuo poſſit ſaluari obligatio ſuſcipiendi Baptiſmi. 239. n. 41. 240. numer. 43.

Quæ ſit voluntas rerum quæ ſunt ſub præcepto poſitiuo. 240.n.43.

Parentes hoc tenentur pro infantibus. 241. num. 44.

Poteſt Deus admiſſa compoſitione continui Ariſtotelica alicui imponere præceptum eliciendi contritionem immediatè ante mortem. 132. num. 17.

Non omnia præcepta à Chriſto Apoſtolis immediatè tradita ſunt in Scriptura. 182. numer. 17.

Duplex eſt præcepti finis, alius extrinſecus, alius intrinſecus. 501.n.12.

Præceptum diuinum vult actum internum & externum. ibid.n.13.

Quomodo præceptum aliquod poſſit eſſe de Fide.

Vide *Fides.*

Ad ſatisfaciendum præcepto non eſt intentio ſatisfaciendi neceſſaria. 598.n.42.

Procurator.

Qui contrahente pro ſe Procuratore matrimonium ebrius eſt, validè contrahit. 197. num. 33.

Imò Procurator videtur validè contrahere poſtquam mandans in amentiam incidit. 198. n. 34.

Neque Ius Canonicum tale matrimonium inualidat. ibid.n.35.

Procurans validè contrahit, licet vtrique parti non conſtet de conſenſu. 226.n.28.

Proteſtatio.

Quid ſentiendum de proteſtatione Epiſcopi, de non ordinandis qui cum aliquo impedimento accedunt. 200.n.43.

Publicum delictum.

Quid ſit delictum. 213.n.23.

Quæ notitia requiratur, vt tale dicatur. 214. n.27.

Puer.

In pueris quando incipiat obligatio ſumendæ Euchariſtiæ.

Vide *Euchariſtia.*

An omnes pueri rationis & peccati capaces teneantur in articulo mortis communicare. 457. num.14.

Q

Quantitas.

QVantitatem diſtinctam non perſuadet Myſterium Euchariſtiæ. 395.n.4.

Impenetratio non eſt quantitas, ſed effectus illius. ibid.

Si quantitas diſtingueretur à materia, non propterea eſſet ſubiectum accidentium. ibid. numero 5.

R

Reconciliatio.

QVomodo reconcilietur Eccleſia. Vide *Eccleſia.*

Reliquia.

An Reliquiæ ſint de eſſentia conſecrationis Altaris. 575.n.4.

Replicatio.

Quando corpus replicatur an debeat reproduci. 354.n.28.29.

An cum illo replicentur accidentia. 325. numero 20.

An poſſit tunc moueri in vtroque loco naturaliter. 384.n.4.

Reproductio.

Poteſt aliquis ſeipſum diuinitus reproducere. 358. n.5.

Requiem.

Requiem celebrare in Feſto Duplici an ſit mortale. 580.n.21.

Reſurrectio.

Reſurrectio corporis quomodo Sacramento Euchariſtiæ tribuatur.

Vide *Euchariſtia.*

Reuiuiſcentia Sacramentorum.

Vide *Sacramentum.*

Sacerdos.

S

Sacerdos.

SAcerdos in peccato ſacrificans quomodo peccet. 553.n.25.
An & quando obligentur Sacerdotes ad celebrandum Sacrum 561.n.1.&.ſeqq.
Vide etiam *Celebrare Sacrum* & *Eucharistia.*

Sacerdotium.

Sacerdotij noſtri dependentia à Sacerdotio Chriſti. 540.n.50.
Manet de facto in Chriſto verum Sacerdotium. 541.n.52.

Sacramentum in communi.

Eius eſſentia & definitio.

Sacramentum in communi poteſt definiri.2.numer.1.
Non eſt de ratione Sacramenti ſignificare gratiam præſentem. 4.n.10.
Neque illam cauſare. 5.n.13.
Non requiritur ad rationem Sacramenti transfuſio voluntatum in voluntatem Miniſtri.7.numer.18.
Sacramentum eſt cæremonia ſacra. 8.n.23.
Eſt de eſſentia illius cauſare aliquam ſanctitatem externam. ibid.
Debet eſſe cæremonia ſenſibilis ſaltem ſecundùm quid ſui. 11.num.33.
Debet etiam eſſe ſtabilis. ibid.n.34.& ſeqq.
Quantum temporis ad hanc ſtabilitatem requiratur. 13.n.18.
Debet eſſe ſignum gratiæ iuſtificantis. ibid. num.39.
Eſt pignus gratiæ. 15.n.43.
Vera Sacramenti definitio ibid.n.44.
Sacramentum non eſt neceſſariò ſignum gratiæ ad placitum, ſed poteſt eſſe naturale.20.numero.60.
Omnia Sacramenta tam noua quàm vetera conueniunt vniuocè in ratione Sacramenti.21. num.62.
Idem dicendum foret, quamuis ratio entis præciſa à Deo & creaturis eſſet analoga.23. n.68.
Sacramentum Legis naturæ conſiſtebat in aliqua profeſſione exteriore Fidei. 87.n.23.
Non proderat ad iuſtificationem niſi ſolis paruulis. 90.n.31.
Non requirebatur ad eius eſſentiam fides explicita Mediatoris. ibid.
Sacramenta Legis veteris non erant actiones Dei aut Chriſti. 108.n.27.29.
Neque actiones Synagogæ. 109.n.32.

Eius partes.

Non eſt de eſſentia Sacramenti vt ſic conſtare rebus & verbis vt materia & forma.24.numer.1.
Omnia Sacramenta nouæ Legis conſtant rebus & verbis. ibid.
Quo ſenſu res ſint materia, & verba ſint forma Sacramentorum. ibid.n.2.
Res & verba ſignificant in Sacramenti gratiam indiuiſibiliter. 30.n.23.

Vnde res habeant denominationnem materiæ & verba denominationem formæ. 32. numer.28.
Res & verba ſunt partes intrinſecæ Sacramentorum. 35.n.5.
Sacramentum non eſt totum phyſicum,ſed morale. 36.n.9.
Modus quo aliqui Recentiores eſſentiam Sacramentis,explicant ſine verbis,reiicitur.37.n.10. & ſeq.
Voluntas Chriſti inſtituentis eſt pars intrinſeca Sacramenti. 39.n.17.
Item intentio Miniſtri. ibid.n.19.
Vnum Sacramentum, non pars alterius. 41. num.22.
Perſona Miniſtri eſt pars Sacramenti. 44.numer.31.
Sacramenta dicunt in recto materiam & formam, intentionem verò Miniſtri & inſtitutionem Chriſti in obliquo. 46.num. 38. & ſeq.
Verba in Sacramentis non habent ſenſum concionatorium,ſed conſecratorium. 63.numer.2.
Quid ſit in Sacramentis res tantùm & Sacramentum tantùm;& quid ſit res & Sacramentum ſimul. 64.n.6.
In omnibus Sacramentis res tantùm eſt gratia habitualis, quam cauſat. ibid.
Potuit Chriſtus determinationem materiæ & formæ Sacramentalis relinquere poteſtati Eccleſiæ. 67.n.1.
De facto tamen Chriſtus eam determinauit, ideque in ſingulis Sacramentis. ibid.
Hæc determinatio non eſt æqualis in omnibus Sacramentis. ibid.
Mutatio accidentalis materiæ vel formæ non vitiat Sacramentum, ſic verò mutatio ſubſtantialis. 71 n.1.
Quæ ſunt accidentia materiæ, ſunt etiam accidentia Sacramenti. ibid.n.2

Eius materia.

Non omnis mutatio materiæ Sacramentalis, quæ eſt phyſicè accidentalis, eſt etiam accidentalis moraliter. 74.num.4.
Sacramentum poteſt adminiſtrari in materia probabili,ſi certa deſit. 201.n.1.
Etiam in dubia, ſi ſit neceſſitas. ibid.
Materiam Sacramenti remotam parans in mortali non peccat mortaliter. 202.n.8.

Eius forma.

Mutatio idiomatis in forma Sacramentorum eſt tantùm accidentalis. 73.n.2.
Idem videtur dicendum, quando forma conflatur ex diuerſis idiomatibus, ibid.
Aut ſi forma mutetur in verba omnino ſynonyma. 74.n.3.
Quando forma fit per verba æquiuoca, valor Sacramenti pendet ad intentione conficientis, 75.n.8
An & quando aliquid formæ additum illam vitiet. 76.n.11.
Non omnis additio verborum,etiam cum intentione introducendi errorem, deſtruit eſſentiam formæ Sacramentalis. 78.num.20. & ſeqq.
Sed tunc ſolùm cùm deſtruit ſenſum formæ

Digitized by Google

à Chriſto præſcriptæ quoad ſubſtantiam. 79. n. 21.
Etiam defectus conſtructionis Syntaxicæ poteſt deſtruere ſenſum formæ quoad ſubſtantiam. ibid. n. 23.
Non deſtruitur omiſſione quorumcumque verborum, etiamſi putentur neceſſaria ad ſubſtantiam formæ Sacramentalis. 80. numero 25.

Eius Miniſter.

Vt validè conferretur Sacramentum Legis veteris, requirebat Miniſtrum fidelem. 90. num. 33.
Non erat opus vt actus Fidei eſſet ſupernaturalis. 91. n. 34.
Poterat validè conferri etiam ab eo qui non erat in gratia. ibid. n. 35.
Sacramentum Legis naturæ poterat validè adminiſtrari à quocumque, licitè non niſi à parentibus, aut de eorum licentia. 92. numer. 38.
Ad Sacramenti valorem nil faciunt fides & probitas Miniſtri. 188. n. 1.
Oſtenditur ad valorem Sacramenti requiri intentionem Miniſtri. ibid.
Chriſtus vult adminiſtrari Sacramenta humano modo & ſeriò. 189. n. 3.
Sacramentum in ſomnio aut ebrietate adminiſtrare cur non valeat. 197. n. 30.
Sacramentum nullum conficitur, ſi conditio de futuro apponatur; ſic verò ſi de præterito vel præſenti. 198. n. 36.
Poterat Chriſtus Sacramenta inſtituere ſub conditione de futuro. 199. n. 39.
Sacramenta an liceat à Miniſtro iniquo petere. 205. n. 18.
In caſu neceſſitatis licet. ibid. n. 20.
Vtilitas petendi ſufficiens eſt augmentum gratiæ. 206. n. 22.
An Sacramentum à proprio Parocho potiùs quàm ad alio ſit petendum in pari caſu. ibid. num. 23.
Si duo ſint in peccato, petendum potiùs Sacramentum à parato dare. ibid. n. 24.
An liceat ſuſcipere, an verò petere à malo Sacerdote. ibid. n. 24.
Sacramentum indignis miniſtrare non licet. 208. num. 3.
Etiam occulto peccatori occultè petenti à proprio Parocho negandum. 209. numer. 7.
Sacramenta (præter Matrimonium & Pœnitentiam) validè infanti conferuntur. 219. n. 1. & ſeq.

Intentio ad illud requiſita.

An ſufficiat generalis voluntas ſuſcipiendi Sacramenta Eccleſiæ, ſententia Coninck. 225. num. 17. & ſeqq.

Cauſa Sacramenti.

Eccleſia non poteſt inſtituere Sacramenta. 180. num. 2.
Solus Deus poteſt propria auctoritate. ibid.
Omnia Sacramenta nouæ Legis ſunt inſtituta à Chriſto. ibid.
An ſit de Fide, nullum Sacramentum fuiſſe inſtitutum ab Eccleſia. 181. n. 3.
An id poſſit probari ex S. Auguſtino. ibid. num. 5.
Ratio cur ipſe Chriſtus voluerit omnia Sacramenta inſtituere. 182. n. 8.
Sacramenta antiqua fuerunt immediatè inſtituta à Deo. ibid.
Ex quo capite fuerunt nobiliora quàm noſtra, quæ ſunt inſtituta à Chriſto vt homine. ibid. n. 9.
Poteſt creaturæ commiti poteſtas inſtituendi Sacramenta. 183. n. 10.
Quæ ſit differentia inter poteſtatem determinandi materiam & inſtituendi Sacramenta. 184. num. 13.
Quid requiratur, vt quis dicatur inſtituere Sacramenta. 185. n. 15.

Effectus Sacramenti.

Sacramenta nouæ Legis cauſant gratiam ex opere operato. 102. n. 4.
Sunt cauſa moralis gratiæ. 104. n. 11.
Ea cauſalitas moralis conſiſtit in eo quòd ſint actiones externæ Chriſti ab eo imperatæ, & per Miniſtros moraliter exercitæ. 109. num. 31.
Non cauſant gratiam per modum meriti, ſed per modum impetrationis. 111. n. 38.
Cauſant infallibiliter gratiam. 116. numer. 56.
Poſſunt Sacramenta eleuari ad cauſſandam phyſicè gratiam. 123. n. 3.
D. Thomas docuit Sacramenta cauſare phyſicè gratiam. ibid. n. 5.
Probabilius eſt Sacramenta non cauſare phyſicè gratiam. 124. n. 7.
Nunquam datur gratia ex opere operato ante ſuſceptum re ipſa Sacramentum. 127. numer. 1.
Sacramenta tantum in voto ſuſcepta non conferunt gratiam. ibid. n. 3.
Poteſt admiſſa ſententia Ariſtotelis dici Sacramenta cauſare gratiam per primum ſui non eſſe. 128. n. 5. & ſeqq.
Poteſt etiam dici cauſare in tempore indeterminato ante vltimum complementum terminatiuum Sacramenti. 130. n. 12.
Sacramenta omnia excepto Matrimonio cauſant gratiam in vltimo ſui eſſe quo perficiuntur. 134. n. 25.
Matrimonium verò non niſi poſt aliquam morulam. 135. n. 27.
Sacramenti fructu poteſt quis ex culpa alterius priuari. 190. n. 8.
Noluit Chriſtus vt Sacramentum caſualiter datum vel acceptum daret gratiam. 222. numer. 15.
Sacramenta debitè ſuſcepta infallibiliter cauſant gratiam. 136. n. 1.
Non cauſant gratiam eo ipſo quòd valida ſint. ibid.
Nullum Sacramentum habet vim remittendi peccata poſt ſe commiſſa. 160. n. 30.
Omnia Sacramenta poſſunt per accidens cauſare primam gratiam. 163. n. 7.
Auctoritates Sanctorum Patrum pro hac ſententia. ibid. n. 9.
Ratio pro eadem. 164. n. 13.
Diuerſa Sacramenta præter gratiam habitualem cauſant diuerſas gratias. 166. n. 17.
Ea

Ea diuerſitas conſiſtit in diuerſis auxiliis actualibus. ibid.n.9.
Finis quis ſit ſingulorum Sacramentorum. 281. n.7.

Diſpoſitio ad Sacramentum.

Vt ſuſcipiatur licitè vt minimùm requiritur, ne quis accedat cum conſcientia peccati mortalis habitualis non retractati. 116. num.57.
Ea retractatio ſi præcedat peccatum actuale, debet minimùm eſſe attritio ſupernaturalis. 117.n.58.
In nullo caſu licet ſuſcipere Sacramentum ſine ſufficienti diſpoſitione ad gratiam. ibid. numer.60.
Non eſt certum, vtrùm Sacramenta inæqualia cum æquali diſpoſitione ſuſcepta cauſent inæqualem gratiam. 118.n.63.
Sacramenta æqualia cum æquali diſpoſitione ſuſcepta conferunt æqualem gratiam. ibid. num.64.
Quòd ſi diſpoſitio fuerit inæqualis, etiam dabitur inæqualis gratia. 119.n.66.
Maior diſpoſitio ad effectum Sacramenti cenſendi ſunt ſoli illi actus qui hìc & nunc moraliter influunt in Sacramenti ſuſceptionem.121. n.7.
An ſufficiat generalis voluntas ſuſcipiendi Sacramenta Eccleſiæ, ſententia Conink. 223. num.17.& ſeqq.
Alia eſt ſuſceptio Sacramenti valida, alia debita. 501.n.12.

Obligatio ſuſcipiendi Sacramenta.

Præceptum non dandi Sacramentum indignis eſt naturale. 213.n.23.
Obligatio negandi Sacramentum vrget, quando delictum eſt notum euidentia facti.ibid. num.25.
Quid ſi non conſtet non egiſſe pœnitentiam; vel adſtantes nil de delicto ſciant. ibid.
Quid ſi non ſit publicum euidentia iuris neque facti. 214.n.27.
An liceat infami de peccato, quod non conſtet eſſe commiſſum, miniſtrare Sacramenta.ibid. num.28.

De exiſtentia Sacramentorum.

Fuerunt in Lege veteri vera & propria Sacramenta. 3.n.6.
Ante Adami peccatum in ſtatu Iuſtitiæ originalis nulla fuerunt Sacramenta. 80.n.1.
Potuerunt tamen eſſe. 82.n.6.
Vtrùm fuiſſent, ſi ſtatus ille diutiùs duraſſet, incertum. 83.n.8.
Si in eo ſtatu nihilominùs Chriſtus veniſſet, non eſt certum inſtituendum fuiſſe Sacramentum Euchariſtiæ & Ordinis. 85. numero.18.
Fuit in Lege naturæ verum Sacramentum inſtitutum pro paruulis. 87.n.24.
Rationes aliquæ pro hac ſententia reiectæ. 88. num.26.
Præter remedium peccati Originalis nullum aliud fuit Sacramentum in Lege naturæ. 93. num.40.

Reuiuiſcentia Sacramentorum.

Probabilius eſt omnia Sacramenta recedente fictione reuiuiſcere ſolùm in ordine ad cauſandas gratias Sacramentales actuales verùm etiam gratiam habitualem. 148. numero.15.
Ita ſentit D.Thomas. 149.n.16.
Idem videtur approbare praxis Eccleſiæ circa Sacramentum Extremæ Vnctionis. ibid.
Sacramenta reuiuiſcunt ad maiorem gratiam iuxta meliorem diſpoſitionem ſuſcipientis.150. num.1.
Fundamenta affirmatiuæ partis ſoluta. 151.n.3. & ſeq.
Concilij Tridentini auctoritati ſatisfit. ibid. & ſeqq.
An ſi Sacramenta reuiuiſcerent, maiorem gratiam iuxta maiorem diſpoſitionem ſuſcipientis duo Sacramenta ſub vnica diſpoſitione ſuſcepta cauſarent, æquè ac ſi ſingulæ ſola cum illa diſpoſitione ſuſcepta fuiſſent. 154.numero.12.
Iudicium Auctoris, & variæ illius inſtantiæ.ibid. n.12.& ſeqq.
Sacramenta reuiuiſcunt non ſolùm in ordine ad delenda peccata mortalia, verùm etiam venialia. 157.n.20.
Excipe Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.

Sacrificium in communi.

Quomodo Sacrificium differat à Sacramento.15. n.45.
Variæ acceptiones vocis *Sacrificium* refelluntur 517.n.5.& ſeqq.
Sacrificij definitio quorumdam Catholicorum 518.n.7.
Quomodo Sacrificium debeat eſſe ſignum commune ac publicum. ibid.n.9.
Sacrificium cuius rei ſit ſignum. 520. numero 15.
Verba non ſufficiunt ad rationem Sacrificij.521. num.19.
Deſtructio rei oblatæ non eſt eſſentia Sacrificij. ibid.n.20.& ſeqq.
An Sacrificia Gentilium vera fuerint Sacrificia. 524.n.28.
Non eſt obligatio iuris naturæ ad ſacrificandum. ibid.
Sacrificij vera definitio. ibid.
Sacrificia quomodo inſtituere poſſit Eccleſia. 525.n.4.

Eſſentia Sacrificij Euchariſtici.

Eſſentia Sacrificij Euchariſtici declaratur. 524. num.1.& ſeqq.
A ratione Sacrificij Euchariſtici reiicitur oblatio hoſtiæ eiuſque fractio. 526.n.5.
Ab eadem excluditur ſumptio Euchariſtiæ facta à Sacerdote. 527.n.11.
Soluuntur obiectiones contrariæ.529.n.16.
Sacrificium Euchariſticum propriè & formaliter conſiſtit in ſola conſecratione.531.n. 22. & ſeqq.
Ratio Sacrificij Euchariſtici potuit ſaluari in vnius tantùm ſpeciei conſecratione. 536. num.38.
Nihilominùs vtriuſque ſpeciei conſecrationem eſſentialiter eſſe requiſitam docent omnes ferè Doctores. 537.n.41.

Digitized by Google

Eius effectus ſeu valor.

An ſit gratiæ infuſio & remiſſio mortalis aut v nialis. 541.n.1.& ſeqq.

Quomodo per hoc Sacrificium remittatur pœna Purgatorij. 544.n.12.

Quomodo impetrentur auxilia. 545.numer.14.

Quibus proſit vt ſatisfactorium & vt impetratorium. 546.n.2.& ſeqq.

Quando operetur pro ratione diſpoſitionis. 551.num.18.

Quomodo Eccleſia det aliquem valorem huic Sacrificio. 552.n.22.

Quantus ſit eius valor. 553.n.25.

Vnde deſumatur 554.n.28.

Impetratio & ſatisfactio in eo non eſt actu infinita. ibid.n.29.

Quomodo proſit aſſiſtentibus. 560.n.9.

Quomodo ſi ex opere operantis creſcat ſatisfactio creſcat etiam ex opere operato in hoc Sacrificio. 561.n.12.

Signum.

Denominatio ſigni non eſt ens rationis. 13. numer. 39.

Siligo.

Siligo eſt ſpecies tritici, & materia ſufficiens Euchariſtiæ. 300.n.2.& ſeq.

Simonia.

Quo titulo ſine ſimoniæ nota accipi aliquid poſſit. 583.n.9.

Somnium.

Sacramentum in ſomnio adminiſtratum non valet. 197.n.30.

Spatium imaginarium.

Spatium imaginarium concipitur per modum ſpatij realis. 329.n.33.

Spelta.

Spelta quid ſit, & an ſit materia ſufficiens Euchariſtiæ. 300.n.4.& ſeq.

Spiritus ſanctus.

Per Spiritum ſanctum ſæpè intelligitur donatio gratiæ habitualis. 241.n.47.

Stipendium.

Quo titulo dari & accipi debeat ſtipendium pro celebratione Miſſæ. 580.n.2.& ſeqq.

Quo titulo ſine ſimoniæ nota accipi aliquid poſſit. 583.n.9.

Quale liceat accipere ſtipendium pro Sacro. 584. num.14.

Enumerantur varij circa hoc caſus in Declaratione Cardinalium deciſi. ibid.n.14.& ſeq.

Quid de aliis caſibus occurrentibus qui, in ea Declaratione non deciduntur. 585.n.16. & ſeqq.

Subdiaconus.

Quomodo illi conueniat poteſtas diſtribuendi Euchariſtiam.

Vide *Euchariſtia.*

Quomodo Baptiſmum.

Vide *Baptiſmus.*

Supernaturale.

Diſtinctio inter ſupernaturale quoad ſubſtantiam & ſupernaturale quoad modum. 329. num.1.

Suſpenſus.

Suſpenſus ſeu irregularis cantans ſolemniter Euangelium peccat mortaliter. 204.numer. 15.

T.

Traditio Eccleſiæ.

Traditio Eccleſiæ an ſufficiat, vt quid dicatur de Fide.

Vide *Fides.*

Triticum.

Quid intelligendum nomine tritici, quod eſt materia remota Euchariſtiæ. 299. numero 1. & ſeq.

V.

Vbicatio.

Vbicatio eſt aliquid diſtinctum à re vbicata & actione productiua illius. 319.numer.2.

Videtur oculis. ibid.n.3.

Non tamen vnio illius cum ſubiecto. 324. num.18.

Neque diſtinctio à re vbicata. ibid.n.19.

Vbicatio non requirit ſpatium reale, ſed imaginarium. ibid.

Non omnia accidentia quamuis modalia replicantur cum corpore replicato. ibid.numer.20.

Poteſt aliquid acquirere plures vbicationes ſimul ſine reproductione ſubſtantiali. 354. num.29.

Corpus poſitum in duobus locis non mouetur naturaliter in vtroque. 384.n.4.

Verba conſecrationis.

Quibus verbis Euchariſtiam confecerit Chriſtus.

Vide *Euchariſtia.*

Verba illa, *Qui pridie quàm pateretur*, an ſint neceſſaria ad conſecrationem. 413.numer.13.

An licet non ſint omnino neceſſaria, concurrant tamen de facto tanquam forma partialis. 414.n.15.

An illa verba, *Accipite & comedite*, ſint neceſſaria. 415.n.17.

An omiſſa particula *enim* fiat conſecratio. ibid.

An dicendo, *Hoc eſt enim corpus meum*, & omittendo illa priora, *Accipite & comedite*, validè quis conſecraret. ibid.n.17.& ſeqq.

Per illa verba, *Quia hoc eſt corpus meum*, omnino fieret conſecratio. 416.n.23.

Quæ

Digitized by Google

Quæ mutatio verborum formam deſtruat. ibid.
Vide *etiam Sacramentum.*

Viaticum.

Non eſt negandum Viaticum ob debilem vſum rationis. 461.num.26.

Vinum.

Vide *Euchariſtia.*

Viſio.

Viſio producitur ſine impulſu. 319.n.4

Volo.

Quomodo quis poſſit velle ſimul duo contradictoria. 193.n.17.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Arriaga